IMPRIMATUR,

Guil. Jane R. P. D. *Henr. Epiſ. Lond.*
a Sacris Domeſt.

Aug. 26. 1678.

N. Tabula ſequens Ὀντολογία dicta eſt Partis primæ caput quartum, & ad p. 131. legenda, ubi ejus Elucidationes ſequuntur : Hic autem locatur quo plicæ minus ſint moleſtæ : Et ſicui placet eandem etiam habere in Chartâ craſſiore ſine plicis propter uſum frequentiorem, eam à Bibliopolâ obtinere poteſt (Aut fallor enim, aut Theologiæ, Pneumatologiæ, Somatologiæ elementa vere & methodice explicat.)

IMPRIMATUR,

Guil. Jane R. P. D. *Henr. Epiſ. Lond.*
a Sacris Domeſt.

Aug. 26. 1678.

N. Tabula ſequens Ὀντολογία dicta eſt Partis primæ caput quartum, & ad p. 131. legenda, ubi ejus Elucidationes ſequuntur : Hic autem locatur quo plicæ minus ſint moleſtæ : Et ſicui placet eandem etiam habere in Chartâ craſſiore ſine plicis propter uſum frequentiorem, eam à Bibliopolâ obtinere poteſt (Aut fallor enim, aut Theologiæ, Pneumatologiæ, Somatologiæ elementa vere & methodice explicat.)



Penn. Gen. Libr.

R. White sculp.

Vera Effigies
RICHARDI BAXTERI
Miniſtri Jesu Chriſti.

METHODUS THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ

RELIGIO CHRISTIANA

Per Christum

DEO
PATRI. FILIO. SPIR. S.
POTEN. SAPI. OPTI.
CREAT. REDEM. SANCT.
DOM. RECTOR. PATRI
ABS OL. IUSTIS. AMANTIS

EX QVO et PER QVEM in QUEM omnia

SUUS. SUBDITUS. FILIUS.
Abnegato Seipso.

Mortuus Confepultus.
En omnes animæ meæ
Amen Potestatem fiyulus in Illum.
Amplexo ovis meas eha meis agnoscor.
Cura Dom. de tuo
Spiritus Vivificat
Tua tibi.
Totus ipse et omnia
Reddle Deo quæ sum Dei

Non vestri juris etc.
Glorificate q. Deum
Corpore et Spiritu.
Resurgo. Emergo. Revivisco.

Volo. Volo.
Veni Dom. solum. Veni.
Ecce ego Venio.
Conversatio nostra in Cœlis.
Quæ non Cernuntur æterna.
Ut placeat
Caro mea vere Cibus
Sanguis meus vere potus
Cogit. Amor.
Omnia arbitror Stercora ut Christ lucrifa ciam.

Adhuc excellentiorem viam demonstro.

FIDE SPE CHARITATE Ascendo.

Vnum Necessarium.

DISCO
Auditione Studio Prece.
Loquere Dom. audit servus tu
Ipsum audite.
Ex scrip. s. et Oper. Dei
Per Spir. s et Doctores.
In Eccles.

MILITO
Confidite ego vici.
Super victo per Christum.
Carnem Subjcio.
Mundum Conculco.
Diabolo Resisto.
Ferendo.
Vigilando.
Certando.

OPEROR
Quales oportet esse.
Omnia proprium in Christo mi corroborante.
Mente.
Corde.
Corpore.
Opera Pietatis Justitiæ Charitatis

Resipisc. Humilit. Obedientia — Patientia Cura Fortitud. — Prudentia Zelo Industria

315 .A19 W7
(26) 1939

METHODUS

Theologiæ Christianæ,

1. NATURÆ RERUM,
2. SACRÆ SCRIPTURÆ,
3. PRAXI,

} Congrua conformis adaptata

Plerumque (corrigenda tamen & perficienda)

Non { 1. Ignavis, festinantibus, delassatis.
2. Stolidis, indocilibus, Sectariis (ex homine & fuco judicantibus.)
3. Superbis, mundanis, malignis: Ergo, Non plurimis:

Sed { Juventutis Academicæ, & Pastorum Juniorum parti, { 1. Studiosæ, sedulæ, indefessæ.
2. Ingeniosæ, docili, veritatem & ordinem sitienti.
3. Humili, candidæ, Deo devotæ:

Quippe ad { 1. Veritatis indagationem, custodiam, propagationem.
2. Sanctitatis Cultum, incrementum, laudem.
3. Ecclesiæ salutem, pacem, decus.

Supra omnes natæ, dispositæ, consecratæ

Dicata per RICHARDUM BAXTERUM Philotheologum.

Τὸ αὐτῷ πᾶν ἀποδεχόμενον, κτῆμα τῦ πολυτιμήτερυ πλυτῦ τ ἐξέσιαν ἐχιεσώσαλο: *i. e.* cui omnia sua placent, is acquirendi meliora potestate se privat. *Tatian. cont. Græcos.*

Calvin. in 1 Cor. 14. 31. [Ut omnes discant] Quod tametsi ad plebem totam pertinet, Prophetis tamen convenit; & ipsos propriè designat Paulus: Nemo enim unquam bonus erit Doctor, qui se docilem non exhibeat; sitque semper ad discendum paratus — Lege cætera ibid.

Quo quisque est solertior & ingeniosior, hoc docet iracundius & laboriosius: Quod ipse enim celeriter arripuit, tanquam tarde percipi videns discruciatur: Cicero pro Roscio.

LONDINI.

Typis *M. White* & *T. Snowden*, & prostant venales apud *Nevil Simmons* ad Insigne trium Gallorum in vico *Ludgate* prope Templum Paulinum. 1681.

1681
F B355
M

PRÆFATIO.

CUM de nimia liberorum copiâ jam diu conqueſtum eſt adhuc parturire, fateor Lector, apologia egere. Proculdubio nimium, proh nimium ſcribitur, nec tamen ſatis. Quid autem ſuperfluum ſit, ex ipſo opere, idque per vere peritos, judicandum eſt: Juſtificationem hanc *ex opere* quærere, ſpero non in hæreſeo culpam vertetur: Et reverâ niſi ſcripta mea & ſeipſa, & me ab accuſatione hac juſtificent, ego me aut illa non poſſum juſtificare. Verba otioſa proferre, ſcribendo, non minus, fateor, peccatum eſſe, quam dicendo: Et nimis probabile eſt inter tot & tam prolixos quos ſcripſi libros, non pauca inveniri inutilia ſeu otioſa. Ita etiam concionando & orando peccamus; neque perfectum aliquid me præſtiturum ſpero: In officio tamen, quamvis imperfecte, nitendum eſt, & perſeverandum Et cum pluribus & loquimur, & ſcribimus, quod alteri nimium eſt, alteri non ſatis eſt: Paucioribus alii, pluribus alii indigent, pluribuſque vacant: Neque egentibus ea neganda ſunt; quæ nemini, ſi modo negligantur nocent.

Diſtinctè autem in præfatione hac dicendum eſt, I. De ratione *Methodi* in genere, II. De neceſſitate *Veræ Methodi*: Et Unicam eſſe Veram Syntheticam Theologiæ Methodum: Quænam ea ſit, & ubi invenienda, III. De Methodi hoc libro deſcriptæ ratione. IV. Ad objectiones quaſdam reſpondendum eſt. Et ſi de primo, quorundam gratiâ, prolixius agam, Lectoris peritioris, aut patientiam, aut negligentiam poſtulo.

I. Syllabarum partes ſunt literæ, verborum ſyllabæ, ſententiarum verba, orationis ſententiæ, cujus ORDO & debita compaginatio *Methodus* eſt. ORDO aut RERUM aut verborum & ſententiarum eſt; Hic autem & *Rebus* & Menti dicentis, & audientium ſeu legentium mentibus adaptandus eſt. Quoniam autem conceptus & verba ſunt rebus conformanda, vera Methodi ratio in conformitate hâc conſiſtit. Et qui *rerum* ORDINEM & harmoniam neſcit, is ſcientiæ neque laudem meretur, neque nomen. Qualis ille Phyſicus eſt, qualis Aſtronomus, qualis Geographus, qualis Arithmeticus, qualis Muſicus, &c. qui rerum ORDINEM neſcit, non opus eſt ut pluribus aperirem. Non eſt Regnum, non Civitas, non Eccleſia, non Schola, non domus *abſque Ordine*. Qualis erit concio, qualis Oratio, aut alius cultus Divinus abſque *ordine*? Et quis eum mentis compotem exiſtimaverit, qui verba incohærentia tantum nullo ordine loquitur.

Methodi igitur neceſſitatem hæ rationes liquido oſtendunt

1. Res omnes ſapientiſſimus mundi Creator & Gubernator ORDINE perfecto creavit & gubernat: Harmonice Deus opera ſua omnia fabricavit: Harmonice ſuas Leges, doctrinas & promiſſiones revelavit; conceptuum autem & Verborum Veritas conſiſtit, in eorum conformitate rebus ipſis (ut prius dictum eſt: Veritatum, Bonitatum & Agendorum datur harmonia: Harmonice igitur ſi vere intelligenda, amanda & agenda ſunt. Nonne mortaliter is peccabit qui Deum colit loco & ordine creaturæ, & Creaturam loco Dei? Qui primas dat rebus terrenis, ſecundas autem cœleſtibus: qui finem ponit loco mediorum, & media loco finis? Qui ánimæ corpus, ſpiritualibus carnalia, præponit?

2. *Qui methodice* & *ordine proprio* res novit, non tantum quâ veras, ſed quaſi prægnantes, & plurimarum Veritatum evidentias indigitantes eas novit. Veritatem enim eſt concatenatio; & qui proprio ordine pauca novit, eo facilius & verius is plura intelliget. Methodus & intellectionis & memoriæ magnum adjumentum eſt. A radicalibus ſeu fundamentalibus incipiendo, conſequentium & minimorum facilior fit inveſtigatio. Et vix ſperandum eſt eum bene procedere qui male incepit: Ex uno falſo plurima ſequuntur. Et notatu dignum eſt. Relationes plerumq; in ORDINE fundatas eſſe, & in ſcientiis pluribus partes tantas tenere relationes, ut earum inſcii pauca admodum poſſunt rectè explicare.

3. Qui vero ordine & methodo res novit, eas *clare* novit: Veritates rectè ordinatæ ſibi invicem lumen præbent: Et à debita rerum & verborum locatione pleniorem ſatisfactionem intellectus plerumque recipit, quam à ſyllogiſmorum plurimorum ſubtilitatibus. Et qui veritates non percipit harmonice & methodice, nimis diſſolute & lubrice eas tenet, quia amabilem concordantiam, & lumen mutuum quo reſplendent, non ſatis percipit. Qui ipſas naturales veritates ſuo loco rectè percipit, non parvum habet adjumentum unde veritates ſupernaturales facilius & tenacius recipiat.

4. Symmetria etiam, & Harmonia ſunt rerum *pulchritudo*, & amabilis decor Et earum privatio eſt rerum confuſio & deformitas. Secundæ enim *Primalitatis* ſeu *Eſſentialitatis* Divinæ (ſi cum Campanella loqui liceat) eſt effectus ſeu impreſſio. Sicut *Potentia-vitalis activa* rerum *exiſtentiam*, *motum ut neceſſitatem* efficit; ita *Sapientia* Divina *Leges*, rerum ordinem & harmoniam, & *Bonitas* ſeu *Amor* amabilitatem, perfectionem & fælicitatem. (*Neceſſitatem* autem *Fatum* & *Harmoniam* Campanella tribus principiis ut effectus aſcribit.) Sicut mirandâ mundi magnitudine, & exiſtentium conſervatione & motu, eminenter ſplendet & glorificatur Omnipotentia; ita & exiſtentium & motuum *Ordine* eminenter *Sapientia Divina* glorificatur; ſicut & Amor Divinus in rerum *bonitate* & *perfectione*, cui Ordo ſumme conducit. Et ita *Potentia-vitalis-activa* eſt cauſa rerum eminenter primò efficiens, *Sapientia* eſt cauſa *primo Dirigens*, & *Amor* eſt cauſa tum primò benefica, tum finalis perfectiva & fælicitans: Ubi creaturæ motus circularis, ex Deo & per Deum, in Deum etiam ultimò perfectivè terminatur. ORDO igitur eſt Divinæ SAPIENTIÆ effectus demonſtrativus & glorificans. Et SAPIENTIAM ſuam non minùs glorificandam vult Deus, quam *Potentiam* & *Amorem*. Et *Nominis Divini ſanctificatio* non in primâ Precationis Dominicæ Petitione poſita fuiſſet, nec in tertio Decalogi Præcepto cum terribili illâ ſanctione, niſi magni momenti & Deo maximè chara eſſet, *Prov.* 3. 19. *Per Sapientiam Dominus fundavit terram, per Intellectionem cœlos ſtabilivit; Sapientiâ cœlos & omnia fecit*, Pſal. 136. 5. & 104. 24. Et Eccleſiæ cœleſtis Doctor & Rector (Chriſtus) eſt SAPIENTIA Dei. Et *multiplex Dei Sapientia Principatibus & Poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam innoteſcit, in communione myſterii quod à mundi initio in Deo abſconditum erat, qui omnia per Jeſum Chriſtum creavit*, *Eph.* 3. 9, 10. Sapientia ſcilicet Divina mundum peccato confuſum redimens, Chaos iterum in fabricam pulchre ordinatam redegit. Confuſio ab omnibus, ſtultitiæ effectus habetur. Si *Ordinem* horologii, navis, domûs, libri deſtruas, earum formam relativam ſimul deſtruis; eam ſcilicet partium contexturam, quâ ad uſum & finem adaptantur.) Ex ORDINE omnibus pulchritudo oritur; in muſicis melodia; in Arithmetica figurarum poteſtas; in poeſi, oratione, ipſa eſſentia; in ædificiis decor & robur; in Regimine quantæ poteſtatis eſt! inde Monarcha, in Regno, & in exercitu Dux multis millibus (fortaſſe ipſo fortioribus nec minus ſapientibus) fæliciter imperat; etiam dum violentas hominum cupiditates frænat, & eorum vitam gladio aufert.

Imò quid aliud eſt omnis *Moralitas*, *Virtutis Vitiique* forma, niſi actionum habituumque voluntariorum *Ordo*, ejuſque privatio; conformitas ſcilicet ſeu diſconformitas Legi? Quid præter actuum debitam ordinationem à Deo præcipitur? Ne arenulam unam ſeu atomum ſubſtantiæ facere poſſumus; neque ut faceremus unquam imperatum eſt.

Quandoquidem igitur ORDO eſt SAPIENTIÆ Divinæ effectus glorificans, & *Inordinatio* ſtultitiæ & malitiæ humanæ opprobrium hinc, 1. Sequitur Inordinationem nullam Deo imputandam eſſe; Non enim *ataxiæ*, ſed pacis & ordinis author eſt; confuſionis author, peſſimus eſt, Jac. 3. 14, 15, 16. 1 Cor. 14. 33. ſanctiſſimum numen is blaſphemat, qui voluntatis humanæ ataxiam & rebellionem ei imputat.

2. Hinc ſequitur Sapientiam humanam in hoc conſiſtere, ut eum ORDINEM methodumque intelligamus & ſequamur, quæ Sapientiæ Divinæ ſunt effectus & præſcripta. In Deo quidem non ſunt Partes, ideoque non partium Ordo: A

Deo

Deo autem omnia ſunt, omniumque Ordo; ideoque *in Deo* virtualiter & cauſaliter: Lex ejus eſt Sapientia menſurans & ordinans; & nobis competit ſapientia menſurata, ordinata, ſeu regulata. Imperiti autem Sacrarum Literarum methodum pulcherrimam & regulantem non facile cernunt, quia cortice obvoluta eſt, & vera diſſectio anatomica non eſt Sciolorum: Ordo eſt internus in corpore humano: Cor, cerebrum, jecur, ventriculus, omniaque viſcera ita formantur & locantur, prout ad officia ſua præſtanda maxime congruum eſt & conducibile: Solis autem doctis (perfecte autem nemini) non idiotis hoc perſpectum eſt. Methodus libri S. Scripturæ alicujus particularis à *totius* methodo diſtinguenda eſt; ſicut & ordo verborum ab ordine doctrinæ; ſerio equidem profiteor (iis qui S. Scripturas arvis incultis, Ethnicorum autem ſcripta hortis cultiſſimis aſſimilant) me Sacræ Doctrinæ totius libri, Veteris ſcilicet Novique Teſtamenti Methodum magis accuratam & perfectam eſſe judicare, quam aut Ariſtotelis aut Ciceronis, aut ullius Philoſophi aut Oratoris Ethnici, quem unquam legi. Et de partibus Eſſentialibus idem judico; *Fœderis* ſcilicet *Baptiſmalis*. *ſymbolo fidei* expoſiti, *Orationis Dominicæ* formulæ *petendorum*, & Decalogi formulæ *agendorum*, accuratiſſimam eſſe Methodum indubitanter credo. Plurimorum fides hinc facile vacillat, quia delectabilem illam pulchritudinem, & veritatis evidentiam minime cernunt, quæ in veræ Theologiæ & Religionis Ordine ſeu Methodo cernenda ſunt: Cum enim Sapientiæ Divinæ eximium hunc effectum & Imaginem non percipiunt, Sacras Literas vere Divinas eſſe haud facile credunt: Ex harmoniæ hujus Theologicæ ignorantiâ non pauci male-docti, Chriſtum ipſum & Apoſtolos ut indoctos fere contemnunt præ Ariſtotele aliiſque ſcriptoribus methodicis. Rerum natura, ordo & uſus veræ Methodi ſunt regula: Rebus enim verba & ſecundæ notiones ſunt aptandæ: Theologiæ autem partes materiales ſunt res veriſſimæ, optimæ, neceſſariæ, utiliſſimæ, & pulcherrime ordinatæ, præ quibus Philoſophorum Syſtemata Logica & pleraque Metaphyſica, ſunt nugæ pueriles; & notiones regulæque eorum artificioſæ ſunt quædam inutiles, & quædam falſæ, etiam rebus ſuis inferioribus male adaptatæ; & Theologiâ multo viliores, quam latrunculorum luſus Regni ſeu exercitus regimine vilior eſt.

Quamvis igitur (ſicut partes nobiliores in corpore humano) Theologiæ partes etiam nobiliores in Sacris Scripturis paſſim hinc inde diſſipatæ videantur, ipſius tamen Sacræ Theologiæ ibi Methodus veriſſima continetur: Et doctoris Eccleſiaſtici non ultima cura eſt, hanc clare diſcernere, & eruere, & in Catecheſi & concionibus populo Chriſtiano probe tradere. Et quicunque Baptiſmum, ſymbolum fidei, precationem dominicam & decalogum rectè didicerit, aut docuerit is veram & neceſſariam Theologiæ Methodum didicit aut docet. Utinam verò Catechiſmi communiores etiam ipſa *Divina Attributa*, non confuſe, ſed methodice magis traderent; & pueros ipſos non tantum Baptiſmi materiam, ſed articulorum etiam ordinem (ſicut & *Petitionum* & *Præceptorum* etiam) docerent. Quamvis enim minimorum & plurimorum ordo ab imperitis haud facile diſcitur, Principiorum tamen utpote magnorum & paucorum ordinem etiam pueri diſcernere poſſunt. Et de Methodi utilitate & pulchritudine hæc hactenus.

II. Quæritur autem, *Anne Unica tantum Vera ſit Theologiæ Methodus an plures: Reſp. Plures ſunt*, ſi aut de nominis æquivoci ſenſu, aut de *ſpecie* quæritur: Unica autem vera ejuſdem ſpeciei. 1. Methodus *Synthetica* (quæ principalis eſt) eſt Doctrinæ congruentia rerum *ordini eſſendi* & *operandi*. 2. Methodus *notificativa* & *probativa* ſequitur *Ordinem cognoſcendi*; & incipiendo à *ſignis*, ſenſibilibus, proximis & notiſſimis, aſcendit ad *ſignificata*, altiora & minus nota. 3. Methodus *Practica Intentionis* incipit à fine ultimo procedens ad media. 4. Methodus *Practica Executiva* eſt à mediis ad finem.

De prima autem & principali hic nobis agendum eſt. Quæritur autem quomodo vera Methodus Theologiæ Synthetica dignoſcitur? *Reſp.* Congruentia multiplex huic neceſſaria eſt: 1. Rebus traditis. 2. Actionibus Efficientis. 3. Facultatibus recipientis. 4. Regulæ ſeu exemplari, ſcilicet Sacris Scripturis.

Omnimodo perfectam Theologiæ Methodum deſcribere non eſt ingenii humani,

mani, ſed aut Omniſcientis Autheris, aut cœleſtium perfectarumque intelligentiarum: Nonnihil tamen, nec inutile, hic præſtabile eſt: Ne muſcam quidem aut vermem aut herbam aliquam perfectè novimus; & verè dicitur nihil omnino à nobis ſciri ſcientiâ adæquatâ (& inadæquata defectivè falſa eſt;) Non tamen inane eſt, quod *Aliquid verum*, & *aliquatenus* novimus. Errores âutem poſitivi plerumque ignorantiâ & mero defectu hic ſunt periculoſiores: Et imperfectionis diverſi admodum ſunt gradus. Et in minimis, remotis & ſubtilioribus Ordinem neſcire minus malum eſt. Multò majus autem in magnis, fundamentalibus & principiis: Et proh quot & quanti errores aliquando ab uno tali incautis oriuntur? Sequentia fere omnia inevitabiliter deordinantur & conturbantur ubi in primis & majoribus ordo pervertitur. Nil mirum igitur eſt quod Theologia in maxima ſua pulchritudine, & amabilitate vix perſpicitur, cum ejus Symmetriam ſine erroribus deſcribere doctiſſimi intellectum ſuperat. Et quale dedecus, & malum ab uno errore in arte & opere fere quocunque (muſicâ, picturâ, arithmeticâ, Logicâ, *&c.*) plerumque oritur; ut pluribus dicam peritis non opus eſt.

Circa Methodum quidem à pluribus acumine & induſtriâ magnâ jam diu elaboratum eſt; nec fruſtra, ſed multum ad Eccleſiæ emolumentum; Præcipuè autem à Georgio Sohnio, Polano, Gomarro, Trelcatio utroque, Wollebio, Wendelino, Tzegedino, necnon in Theſibus plurimorum; *viz.* Anton. Fayi, Leydenſium, Salmurienſium, Sedanenſium, Spanhemii, Zanchii, Hommii, imò & Calvini, Muſculi, Martyris, Oleviani, *&c.* Et (utinam tam ſanè quoad doctrinas quaſdam) à Clutone, Cocceio, Cloppenburgio, & ante ipſos à Maccovio: Maxime autem laborioſe à Dudleio Fennero, (An ſatis fæliciter Lectoribus judicandum relinquo;) Et ſubtiliter à Nicolao Gibbon noſtrate, in *ſua Tabula dicta ſummâ Theologiæ Realis*, (utinam majore ſinceritate ſine fuco & fraude, & utinam & veritatis & intentionis ſuæ non abſcondendæ, ſed candidè aperiendæ conatu; quod non ex livore, ſed ad neceſſariam quorundam ſuſpicionem & cautelam dico.) Inter hæc omnia, mihi maxime probantur D. *Georgii Lawſoni Theopolitica* (quoad Methodum) & Catecheſes noſtræ communiores, quæ primò Baptiſmum, deinde ſymbolum fidei, Precationem Dominicam, & Decalogum cùm Chriſti elucidationibus, & Legibus ſpecialibus, & Sacramentum Communionis probe explicant; & quæ Methodo Politico Regni Dei Inſtitutionem, Conſtitutionem & Adminiſtrationem, videlicet, Legiſlationem, Judicium, ejuſque executionem vere deſcribunt; Quæ Fœdera Divina juxta varias ſuas Editiones bene exponunt, ubi Cameronis & Joh. Balli incæpta in opere poſthumo imperfecto de Fœderibus, multò ſanius quam Maccovius, Cluto aut Cocceius rem explicant.

III *Quorſum autem* (dices) *poſt tot Methodica ſyſtemata, rem iterum, quaſi nondum peractam tu aggrederis?*

Reſp. Qui tot Methodi Theologiæ ſpecimina ediderunt, aliquid aut defectûs aut erroris corrigendi in prioribus vidiſſe ſibi viſi ſunt; Aliter rem mere inutilem, & jam factam fruſtra tentare non aggreſſi eſſent; ſi igitur ego aliquid in omnibus adhuc deſidero, & ſcientiæ aliquod additamentum Eccleſiæ offerre mihi videor, non magis ab aliis diſcrepo quam hi priores à ſe invicem, neque cenſuram graviorem alicui impingo. Eccleſiarum ædificationi quantum poſſint contribuere, ut omnibus liceat, ab ignavis & ſuperciliosis poſtulo. Per me iſti deſidioſi ſint, & ignari: (Tales enim ſanare in me non recipio.) Sin alios Eccleſiæ prodeſſe (aut conari ſaltem) nolunt, nolentibus illis Deo & Eccleſiæ tamen ſervire conabimur. Tam vanus autem ego non ſum, ut Methodi meæ approbationem ab omnibus expectem; nec ulterius à quocunque quam veritatis lumen ejus aſſenſum coegerit: Nec dubito quin opus hoc imperfecti authoris imperfectum & culpabile ſit, & in pluribus per ſecundas cogitationes emendandum. Capacem tantùm, & ſtudioſum non partium, ſed Veritatis, ſincerum & patientem lectorem requiro; nec plurimos tales expecto.

De Conatibus hiſce porro hæc pauca obiter innuenda judico. 1. Non novarum

rum aut paucarum cogitationum hoc opus esse, aut quoad doctrinam, aut quoad Methodi partes principales. Quum primum Theologiæ studiis incubui, nil recte intellectum esse, & ad animi satisfactionem percepi, nisi quod respective ad alia suo loco & ordine intellectum est: Methodi igitur fere à pueritiâ amator fui, non autem comprehensor. Et citò intellexi conceptus nostros & verba, Rerum naturæ, & ordini aptanda esse; & Methodum veram à rebus ipsis sumendam esse; & moralitatem esse Rerum modalitatem & ordinem, ideoque Theologiæ Physicam, fidei naturam, Christianitati humanitatem præsupponi: & ordinem naturæ omnino ignoranti, Moralitatis ordinem vix, aut ne vix intelligibilem esse: Præcipue vero naturam, & ordinem facultatum, & actuum animæ humanæ necessario cognoscenda judicavi. Ideoque Physicos & Metaphysicos quos potui revolvi, antiquos, nuperos, uniuscujusque sectæ, quos enumerare non operæ pretium est: sed proh quantam reperi Philosophorum discrepantiam! quantam incertitudinem! quot errores? Et præter ipsos Epicureos non multos veterum, tantum errasse deprehendi, quantum novos Philosophiæ reformatores: Et inter veteres & novatores ne unum quidem inveni in cujus doctrinâ & Methodo acquiescere possem: Adeo omnes quidem in pluribus mihi displicebant (quamvis in quibusdam omnes fere sapere videbantur) ut liber Cornelii Agrippæ de *vanitate scientiarum* (post Lullianismum suum scriptus) mihi perplacere inceperit: At quamvis inanibus suis subtilitatibus sacram doctrinam contaminârunt, nullos meliores inveni Philosophos quam Scholasticos. Omnes fere quos obtinere potui scriptores *de Anima* perlegi: Majore autem studio animæ propriæ operationes observavi. Frustra enim rerum & actuum ordo exquiritur, ubi res ipsæ & actus penitus ignorantur: Et ut verum fatear, *Rerum ipsarum* studium mihi maxime profuit, cum sacrarum literarum studio conjunctum. Inter scripta autem humana ex iis maxime profeci, 1. Quæ *operationes animæ humanæ* clarissime explicant. 2. Et quæ *Politicam* seu *Rationes Regiminis* optime tradunt.

1. Ex lectione Campanellæ (præcipue ejus Metaphysices) lucis nonnihil mihi emicuit: *Primalitates* ejus, seu trina rerum activarum principia ratione & probatione non carere percepi. Ipsius autem (& Telesii sui) doctrinam de *Caloris & Frigoris* efficientiâ, *de sensu rerum* etiam passivarum, cum pluribus aliis consequentiis inanibus, & fanaticis seu melancholicis præsumptionibus, omnino reprobandam duxi. Sin autem quæ D. Glissonus de *Vita Naturæ* scripsit, ad *Naturas Activas* solas, ut à mere passivis distinctas, applicentur; & quæ *Mousnerius* cum aliis de *Motu*, *Telesius* & *Campanella* de *Calore*, & *Patricius* de *Lumine*, & L. Le *Grand de Igne* recte dixêrunt seligantur, malis additionibus amputatis, egregium quidem opus hæc constitutura existimo, modò Methodo rebus congruâ componeretur.

2. Et qui *Regimen Divinum* ejusque *Leges*, & *judicia* recte intelligeret necessario *Regiminis Legumque Naturam* in *genere* ut probe intelligat, studendum est. Politices ergo vera principia imbibenda sunt, (at a falsis & factiosis politicis summè cavendum est;) & Scriptores Politico-Theologici Legendi; quales sunt *Grotius de satisfactione*, *cum Vossii defensione*, *Lawsoni Theopolitica*, & Pontificiorum nonnulli Casuistæ, *e.g. Greg. Sayrus Clav. Reg. Fragosus de Regimine*, &c. & inter primos *Suarez de Legibus*: Et ipsa *Lex Naturæ* summopere studenda est. Quâ incedi viâ, rectam judicans, incedendam junioribus propono.

3. Quadraginta fere annis studiorum meorum partem non minimam in Theologiæ *verâ Methodo* exquirendâ impendi: Anno autem 1668. vel 1669. primo Tabulas hasce describere incepi. Eis autem vix inceptis, ad carcerem abreptus sum, (quia cum Juramentum quoddam Oxonii, tempore pestis Londinensis 1665. Lege præceptum non jurarem; Christi Evangelium tamen prædicare (pauperibus quibusdam in domo meâ post publicas conciones D. Rievii quibus præsens fui, non desisterem) è carcere, Judicum justorum judicio publico liberatus, eodem tamen Zelo quo antea prosecutus, in loca remotiora fugere coactus, & in pauperis cujusdam tuguriolo fumosissimo hospitans, libris omnibus fere orbatus,

orbatus, ad opus hoc revertor, & (ab aliis laboribus & fere conversatione publicâ propulsus) in paucis mensibus Tabulas descripsi Elucidationes vero & Disputationes tardiuscule postea adjunxi.

3. In Methodi lucubratione hæc præcipue conatus sum : 1. Ut ad ipsas Sacras Literas adaptaretur : Non tamen Scripturæ Methodum in Verborum proximitate, & ordine quærens, sed in materiæ partium seu articulorum ad invicem respectu : κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως enim prophetandum est, Rom. 12. 6. (ubi duarum expositionum primam ita describit D. Beza [*Quod significarit Apostolus verum Canonem Prophetiæ, id est, interpretationis Scripturarum veræ à falsa discernendæ : Nempe si ad Christianæ fidei axiomata αὐτοπίστα exigantur, Symbolo comprehensa quod Apostolorum vocant, & quod jam inde ab initio Evangelicæ prædicationis veluti Evangelii Epitome scriptum fuit ; ideoque norma & regula fidei merito à Tertulliano vocatur.*) Quod autem in fœderum Divinorum eorumque diversarum Editionum descriptione Sacras Literas per totum sequor, nemini Christiano (spero) displicebit.

2. *Attributorum, Personarum & Relationum Divinarum Oeconomiam* per omnes Divinas operationes Naturales & Morales, observandam, & tuendam judicavi? Omnes autem effectus causarum potentias aliquatenus ostendunt.

3. *Facultatum Recipientis, Animæ humanæ* scilicet, ordinem per totum decrevi observandum esse. Recipitur enim ipsa Gratia Divina ad modum recipientis ; & juxta naturam & ordinem harum facultatum exercetur & denominatur.

4. Ex hisce omnibus patet quare *Trichotomiam* eligo. Diu credidi omnem legitimam divisionem esse bimembrem ; & ad Dichotomiam maxime propendebam : Et adhuc de mere Logicis, (*e. g.* affirmationibus aut negationibus, *&c.*) ita judico, & in talibus per hunc librum Dichotomiam eligo : Cum Dieterico enim Dialect. li. 1. c. 28. p. 188. dico [*Distributio, si subjectæ rei natura patiatur debet esse bimembris ; ut quicquid est, aut est Creator, aut Creatura : Animal aut est rationale, aut irrationale.*] Quando verò à re subjectâ sumenda est methodus plerumque Trichotomiam præferendam sentio. *Trinitas* enim in *Unitate*, & *Unitas* in *Trinitate* à Deo ipso in omnia sua opera nobiliora activa clare impressa sunt. A rebus autem Methodus est. Hoc sicut Campanella, D. Glissonus & Scholasticorum plurimi observarunt, ita per totum hunc librum patefacere ego conatus sum. In Deo ipso Trinitatem in Unitate non tantum *Personarum*, sed & primorum conceptuum, & Attributorum, Primalitatum, seu conceptuum formalium, & Relationum, operationum, *&c.* quantum datur explicavi. In Anima humana triplex facultas est, Vegetativa, Sensitiva & Rationalis : In rationali est facultas *Activa Vitalis*, Intellectiva & Volitiva : In brutorum animâ sensitivâ est, facultas vitaliter motiva, perceptiva & volitiva. In igne est Virtus Motiva, Illuminativa, Calefactiva (& in Sole eminenter :) Et inde in Vegetativis est Virtus Motiva, Discretiva & analogice Appetitiva ; id est, *Attractiva, Digestiva & Assimilativa.* Et omnis hæc Trinitas in Unitate (seu Uno) invenitur. Non mirum est igitur si ejus vestigia per totam doctrinam S. Scripturæ, & in Dei Imagine in fidelibus sanctificatis, & in officiis Christianis, & in tota Oeconomia Evangelicâ inveniantur. Si igitur in Rebus ipsis explicandis hanc Trinitatem in Unitate non observarem, vera non esset explicatio.

IV. Objectiones prævideo, partim concedendas, partim confutandas.

Obj. *Distributionum & distinctionum multitudo memoriam superat, & intellectum potius perturbat & confundit quam ædificat.*

Resp. 1. Ut *Doctrina Rebus* adaptetur necessarium est. Si *Rerum ipsarum numerus, & Ordo* sit talis qualem describo, non ego, sed Deus, & numeri & ordinis, ideoque & Methodi descriptæ author est ; sin autem aut *Res* aut *Rerum Ordinem* fingo, detegatur fictio, ut corrigatur.

2. Non minimus hujus Libri usus est, ut ex *Ordine* res sacræ hominum mentibus inclarescant, & earum scientia sit vera, clara & grata, non autem manca, confusa aut monstrosa ; & ut peritiâ recte distinguendi, sophistarum

fallacias

fallacias facile discutiamus & confundentium errores devitemus. Confusio est Mater erroris, & palæstra deceptorum, & veritatis scientiæque inimica: Et qui bene ambigua distinguit & explicat, bene definit, & bene dividit, is bene docet. Tyronibus autem difficilia intellectum primo videntur superare; Non autem si necessaria sint, ideo ut ingrata rejicienda sunt, sed eo majore diligentiâ discenda. In Arithmeticâ, Geometriâ, Musicâ, &c. si inceptoribus maximè ardua proponantur, statim querentur hæc intellectum superando confundere; etiamsi sint sola confusionis remedia: Ita morbosis ingrata est medela.

3. Non autem expecto hæc omnia hisce Tabulis delineata legentium memoriâ imprimenda: Mihi ipsi non ita semper præsto sunt, quamvis mentem solam, non libros aliorum descripserim: Imò ideo hæ Tabulæ mihi necessariæ videntur, quia sine tali adjumento memoria sæpe deficiet, quum ex earum inspectione facile sublevatur. Anne Mundi, aut Regni alicujus Tabulas Geographicas criminaberis, quia loca plura describunt, quam tu memoriâ tenere potes?

4. Non omnes hæ Tabulæ sunt ejusdem necessitatis; Sat est si Methodi partes generaliores & primariæ probe intelligantur, & memoriæ imprimantur, cætera autem ad tempus à tyronibus negligantur, & ab aliis è libro pro usu depromantur; sicut Quercûs stipitem ramosque majores ædificio necessarios facile numeramus; surculos autem minores foliaque non facile; & sicut Anatomicus venarum & arteriarum truncos seu vasa majora facile cernit, earumque numerum & ordinem describit, sed non ita capillarium fere invisibilium & innumerabilium, nedum omnium fibrarum; Ita & Ordinem Principiorum & necessariorum (in Tabula, *e. g.* Generali, de Deo, de fide & baptismo, &c.) præcipue observatum vellem; minora autem ut minus necessaria prout cuicunque opus est, aut visum erit. Quamvis autem plurimorum ingenia & otium rebus pluribus & minoribus minime sufficiant, aliorum tamen capacitati, otio aut scientiæ ne invideant; neque viliores se reddant suæ insciticæ addendo industriæ & scientiæ criminationem aut contemptum. Obtusi aut socordis ingenii dedecus non ita (nisi inter sui similes) amovebitur.

Obj. II. *Theologiæ autem Methodi jam plura extant Schemata.*

Resp. Imò plurima: Unicum jam additur: Si cæteris pejus, facile negligitur: Sin melius, ideo accipiatur. Authoris labor fuit major quam Lectoris erit: Cui tamen operæ pretium non est tale studium, omittatur.

Obj. III. *Theologiæ Schemata plerumque sunt arbitraria, & potius Authoris conceptus & figmenta, quam rerum verum ordinem ostendunt.*

Resp. Si tale hoc vere inveniatur, quæso ut cum contemptu rejiciatur. Ignota autem ex insciticia & temeritate criminari, facile potius quam honestum est.

Obj. IV. *Distinctiones sæpe sunt instrumenta deceptionis.*

Resp. 1. At à nemine malæ distinctiones deteguntur, nisi rectius ipse distinguere noverit; sicut qui falso S. Scripturæ verba allegat, non confutandus est S. Scipturas abjiciendo, sed melius explicando; & solus is falsas definitiones Syllogismos & Etymologias bene detegit, qui melius definire, Syllogizare, &c. potest. 2. Si quæ hic aut falsæ aut inanes sint distinctiones, istæ abjiciantur.

Obj. V. *Eadem hic sæpius ad nauseam usque repetuntur.*

Resp. Sæpius quidem quam mihi ipsi perplacet: Sed sicut eædem literæ & syllabæ, & verba in oratione, & elementa in Physica, & propositionum, modorum & figurarum syllogismi nomina in Logica & disputatione, sæpe repetenda sunt, ita & principia illa & termini in Methodo Theologicâ, quæ ferè totius sunt partes constitutivæ, & sicut sanguis aut succus nervosus in corpore, qui unico membro non est coarctandus. Nec volo battologiam, nec morbosam eorundem necessariorum nauseam; sicuibus autem displiceat, quod juxta S. Scripturarum Methodum Decalogum bis tractavi, primò quâ Legem Mosaicam, deinde quâ Legem Christi incarnati, is alterum prætereundo se facile sublevaverit.

Obj. VI. *Anne autem tot distributiones & tantus apparatus Theologicus ei simplicitati Christianæ conveniunt quam tantopere aliis commendas?*

Resp. Hæc optime inter se convenire ipsæ Sacræ Literæ (ubi verbis historiisque

plu ibus

pluribus hæc ſimplicitas veſtitur,) & Theologorum Syſtemata & Schemata oſtendunt. *Pauca*, quidem ſed *Magna* & *Certiſſima* ſunt quibus *ſanctitas* (Dei Imago) hominum animis imprimenda eſt, & quæ ad *hominum ſalutem*, & *veram Chriſtianorum unitatem*, & *pacem neceſſaria ſunt*. Plurima autem à Deo revelata ad ſcientiam perfectiorem cognitu utilia ſunt; & ad ſophiſtarum & hæreticorum errores profligandos quibuſdam neceſſaria. Quamvis Lignum ædificatori commendo, non nullius tamen ſurculi ſunt uſus. Et inter plurima minora locantur pauca illa majora, ibique ſuo ordine intelligenda. Maxima ſunt maxime æſtimanda; non temnenda tamen minima quæ Divina ſunt. Et utinam Eccleſiæ turbatoribus etiam omnia multiformis Divinæ Sapientiæ præcepta ſat viſa eſſent; ne inanibus ſuperbientium ingeniorum additionibus pacem fraternam propellerent, & Eccleſiam lacerarent.

Obj. VII. *Nonne tot diſtributiones ſunt rebus Divinis noxia additamenta?*

Reſp. Quæ rebus ipſis & Sacris Scripturis non conveniunt rejiciantur. Plura ſunt in Sacris Literis quæ ab inſciis non diſcernuntur. Omnes corporis humani particulæ per Veſalium, Bartholinum, &c. deſcriptæ, à cute-tenus doctis non percipiuntur. An Catechiſmi, & conciones omnes S. Scripturæ materiam & methodum explicantes, ſunt prohibita additamenta? An ſoli Lectores ſunt Miniſtri Eccleſiaſtici?

Obj. VIII. *Quorſum tot Phyſica Theologicis interſeruntur?*

Reſp. 1. Ex Phyſicis S. Scripturæ Theologia incipit, Gen. 1. & in libro Jobi, Pſalmorum, &c. ſæpe talia repetuntur. 2. Lux & Lex Naturæ etiam ſunt Divinæ. Nonne aliter quam per S. Scripturas terram, aquam, aerem & ignem, guſtum, viſum, hominem & beſtiam, corpus & animam diſcernimus? 3. Gratia Divina in facultatibus humanis recipitur, & per eaſdem exercetur, & earum ſalus eſt! Quomodo igitur ignotis hiſce facultatibus, ſanctitatis actus aut intelligi poſſunt, aut explicari? In D. Zanchii, Polani & aliorum ſcriptis quot Phyſica interſeruntur? 4. Tres amici, Theologi eximii, hæc ſcripta perlegerunt, taliaque approbarunt: Quartus autem (Magnus ille Matthæus, Haleus, Juſtitiarius Angliæ Primarius) propoſiti mei conſcius, quando Ὀντολογίαν, cum *Theologiâ meâ Catholicâ* legiſſet, non ſolum ea (fortaſſe nimium) approbavit, ſed ut de Phyſicis plura adderem, ſæpe & ſeriò me incitavit. Mirabilia Dei opera ſcrutari & prædicare, in Creatoris Gloriam, & Theologum decet, & unumquemque Chriſtianorum. De ſcientiâ quæ ad ſanctitatem & cœleſtia non tendit, cum Solomone dico Eccl. 1. 17, 18. [*Addixi quoque animum meum ad cognoſcendum ſapientiam & ſcientiam, omnis inſaniæ & ſtoliditatis: Cognovi etiam hoc eſſe afflictionem ſpiritus: Deinde quia multitudini ſapientiæ ineſt multum indignationis, & qui auget ſcientiam, auget dolorem.*] Mundo autem meliori fere adſum, ubi *Vitam*, *Lucem*, *Amorem* perfecte communicabit, VITA, LUX, AMOR eſſentialis, Primus, Infinitus, (1) Joh. 5.26. & 1.4. Rev. 11. 11. Col. 3.4. (2) 1 Joh. 1.5. Rev. 22.5. (3) 1 Joh. 4.7, 8, 12, 16. *Amen.*

INDEX

INDEX

Capitum & Elucidationum.

Partis primæ Tab. ſeu Caput 1. *Methodus Generalis; Totius Index.* pag. 1
Capitis primi Elucidationes: De Theologia, Methodo, Principiis, &c. 2
De Regni Divini cauſis efficientibus, conſtitutivis, Finalibus, &c. 3
Qu. 1. *Quænam ſunt Chriſtianæ Religionis partes eſſentiales, ſeu (ut vulgo vocantur) fundamentales.* 12
Qu. 2. *An Methodi aliqualis notitia ſit indoctis neceſſaria ad ſalutem.* 15
Qu. 3. *Quænam ſint Rationis partes circa res fidei & Religionis Chriſtianæ? & utrum inter vere Chriſtianos Proteſtantes ſe mutuo intelligentes, de hiſce ullus diſſidii locus ſit?* 16
Cap. 2. *De* DEO CREATORE *quoad Naturam ejus & Attributa.* 28
Cap. 2. *Elucidationes: De Dei Eſſentia, Exiſtentia, Actibus,* &c. 30
De Intellectu Divino, Decretis & Volitionibus. 40, 49
De Prædeſtinatione, & de Objectis & ordine decretorum. 52
De Volitionibus ſeu Decretis Divinis circa peccatum & ejus permiſſionem. 62
Pauca de ſcientia media cæteriſque Scholaſticorum modis providentiam Dei circa peccatum explicandi. 72
Diſputatio de Trinitate Principiorum (ſeu Eſſentialitatum) & perſonarum.
Qu. 1. *Nonne rei tremendum myſterium cum ſucceſſu infælici tum plurium hæreticorum, tum audacium Scholaſticorum nos à Doctrina Trinitatis accurate & aperte tractandâ deterrere & arcere debet?* 79
Qu. 2. *Quid eſt in doctrina Trinitatis quod Chriſtianis omnibus credendum eſt ex neceſſitate medii ad ſalutem? Et quare?* 79
Qu. 3. *Utrum in Creatis eſt veſtigium, & In Homine Imago Trinitatis?* ib.
Qu. 4. *Quid in homine Trinitatis Imago naturalis dicendum ſit? Et quid trinum in homine & aliis creaturis præcipue nobis ſe præbet obſervandum.*
Qu. 5. *Anne Trinitas Principiorum ſeu Attributorum Eſſentialium etiam in Deo ſit?* 82
Qu. 6. *In quot & quibus Trinitas Principiorum in Imagine cum Trinitate Divinâ aut Principiorum aut Perſonarum convenit?* 83
Qu. 7. *Utrum revera Trinitas Principiorum & Perſonarum ſit eadem?* 87
Ubi quæritur,
1. *Quid ſit λόγος?*
2. *Quid Perſona?*
3. *Quid Relatio in Divinis?*
4. *Quænam Relationum fundamenta?*
5. *Quomodo inter ſe differunt Principia ſeu Virtutes Divinæ?*
6. *Quid de hac re dixerunt Patres?*
7. *Quid Scholaſtici?*
8. *Quid recentiores?*
9. *Authoris ſententia?*
Cap. 3. *De* REGNI NATURÆ *Conſtitutione Activâ*; i. e. *De* CREATIONE.

Elucidationes; 1. *Incerta.* 2. *Elucid. de Incertis.* 3. *De Creatione.* 124
Cap. 4 Οντολογία *sive* Entium Natura, *Ordo, Finis*; *Totius Philosophiæ*, &c. *compendium.* 129
Cap. 4. *Elucidationes Philosophicæ: ubi quædam contra Cartesium Gassendum*, &c. 131
Cap. 5. *De* HOMINE. 153
Elucidationes Generales. 154
De Anima humana & ejus actibus, Theses Generales practicæ. 156
Disputatio: Qu. *Utrum Animæ facultates seu Potentiæ Naturales (Activa-Vitalis, scilicet Intellectiva, Volitiva) sint ipsa animæ forma essentialis? Aff. Non accidentia.* 164
Cap. 6. *De Mentis* VIRTUTE VITALI-ACTIVA, *vulgo* POTENTIA. 176
Elucidationes: Ubi de Potentia Naturali & Morali. Potentia hæc ab Intellectu & Voluntate distinctum principium, & primum. 176
Cap. 7. *De Mentis* VIRTUTE INTELLECTIVA. 185
Elucidationes.
Qu. *Quomodo Intellectus suas percipit Intellectiones? An per actum reflexum? Quid est actus reflexus? Quomodo actus Vitales & Volitiones intelliguntur: Utrum abstractive ex aliis? An intuitive in se? Et quomodo Anima humana sibi nota est?* 193
Cap. 8. *De* VOLUNTATE *tertiâ Mentis facultate.* 197
Elucidationes Philosophicæ & Theologicæ: De Libertate Voluntatis. De causa finali, &c. *Schema Libertatis explicatum.* 200
Cap. 9. *De trium facultatum coujunctarum actibus executivis.* 217
Elucidationes, Philosophicæ & Theologicæ. 218
Cap. 10. *De Animâ qua Sensitivâ.* 223
Elucidationes Philosophicæ. 226
Cap. 11. *De Naturâ Animæ Vegetativâ.* 233
Elucidationes Philosophicæ: De Igne. 235
Cap. 12. *De Regni Naturæ constitutione Passiva: Ubi de Dei & hominis ad invicem Relationibus.* 243
Elucidationes Generales. 245
Elucidationes particulares, 1. *De Dominio Divino.* 247
2. *De Imperio Divino.* 250
3. *De Deo Benefactore.* 252
De Volitionum Divinarum distinctione: Et de Voluntate Legislativa seu Antecedente & executiva seu consequente. 254
Cap. 13. *De* REGIMINE *Divino Antecedente in Regno Naturæ.* 256
Elucidationes: De Moralitate & Legislatione. 258
De Lege Naturæ. 263
De Regimine Antecedente per Revelationem supernaturalem. 266
Cap. 14. *De Statu & Gestis Hominis sub hoc Regimine.* 268
Elucidationes: De primo peccato, &c. 270
Disputatio prolixa: Qu. An Adami Voluntas in actu peccandi prædeterminatione Physica efficaci immediatâ irrestibili fuit à Deo prædeterminata? ad actum comparate consideratum & cum omnibus suis circumstantiis? Vel [Utrum necessarium sit ad esse uniuscujusque actus, Agentis scilicet vel Liberi vel Naturalis, ut Agens præmotione physica efficaci immediata irrestibili ad eum à Deo ut causa prima totali prædeterminetur? Neg. 278
Disput. 2. *An Providentia Divina ad omnia etiam minima & pessima se extendat? Et quomodo?* 325
Disput. 3. *Utrum aliqua sit Dei Positiva hominum Reprobatio, vel decretum ad peccatum, ad Infidelitatem, vel ad damnationem? (& quale.)* 329
Cap. 15. *De Regimine Divino (in Regno Naturæ) subsequente.* 334
Elucidationes: De Deo Judice, &c. 335
Disput. 1. *An dentur peccata suâ Naturâ Venialia: aut quæ Mortem æternam vel*

vel infernalem non merentur? Ubi de Divinis Consiliis. 343
Disput. 2. *Utrum Infantes peccato Originali sint fœdati? Et utrum Justitia Originalis fuit Naturalis?* 353
(Qu. *An Infantes rei habentur ex peccatis proximorum parentum, in Lib. Angl. tractatur: ideoque hic omittitur.*)

Pars Secunda.

CAP. 1. *De* REGNI GRATIÆ *Universalis Constitutione Initiali.* 381
Elucidationes: An totus Mundus fuit Ecclesia? An & quomodo verbum nondum incarnatum, fuit aut Mediator aut Redemptor? Deus scilicet apud seipsum? 383
Cap. 2. *De primo Regimine Antecedente Regni Gratiæ Universalis initialis.* 386
Elucidationes: Ubi Q. *An fœdus Innocentiæ sit abrogatum? An Naturæ Legibus aliquid per Mediatorem additum sit? An fides in Deum misericordem magis necessarium fuit quam Christi sacrificium? cum pluribus aliis.* 390
Cap. 3. *De Gestis subditorum sub hoc Regimine.* 400
Elucidationes. 401
Cap. 4. *De primo Regimine Divino subsequente in Regno Gratiæ universali initiali Elucidationes.* 404
Cap. 5. *De Regimine Regni Gratiæ Universalis Initialis, Antecedente secundo; viz. post diluvium.* 407
§ B. *De Gestis subditorum sub hoc Regimine.*
§ C. *De Regimine consequente secundo Regni Gratiæ Universalis initialis.*
Elucidationes, cap. 5.
Cap. 6. *De Regimine Antecedente Regni Gratiæ* PARTICULARIS *initialis.*
Elucidationes: de rebus Abrahamicis. 401, 402
Cap. 7. *De subditorum Gestis sub hac Administratione Regni Gratiæ Particularis.*
Elucidationes. 414
Qu. 1. *An fides quâ Justificari dicitur Abrahamus fuit ejusdem speciei cujus est fides nostra justificans Christiana?*
Qu. 2. *An Abrahamus tunc primum Justificatus fuit, quum fides ejus ad justitiam ipsi imputari dicitur?*
Qu. 3. *Quomodo fides Abrahamo prius Justificato in justitiam imputari dicitur?*
Qu. 4. *Quomodo fide, non operibus justificari dicitur Abraham, cum non solum ejus fidem, sed & factum Deus ibi laudare, & præmiari dicitur?*
Qu. 5. *An Justificatus fuit Abrahamus per fœdus Gratiæ Universale ex conditione ejus præstitâ? An per fœdus suum particulare peculiaritatis, ex hujus scil. conditionis præstatione?*
Qu. 6. *Unde dicitur Abrahamus pater fidelium, potius quam Noe, Joshua, &c.*
Qu. 7. *Unde Rom. 4. 13. Mundi hæreditatem Abrahamo promissam dicit Paulus?*
Qu. 8. *Quare Gal. 3 16. Paulus promissum semini Abrahami factum soli Christo proprium facere videtur quum alibi omnibus fidelibus id extendit?*
Qu. 9. *An fides Abrahami dicitur ipsi ad justitiam imputari propter rei præstantiam Deo gratæ? An qua nudum instrumentum Christi justitiam datam recipiens?*
Qu. 10. *An ipsa fides, vel potius Christi justitia in Gen. 3. 15. & Rom. 4. dicitur ad justitiam imputari?*
Cap. 8. *De Regimine subsequente sub fœdere Abrahamico.* 417
Elucidationes: ubi Objectiones & Quæstiones solvuntur. 418
Cap. 9. *De constitutione Politiæ Judaicæ hoc est; status Regni Gratiæ particularis confirmati.* 419
Cap. 10. *De Administratione Antecedente Politiæ Judaicæ; id est, Regni Gratiæ*

Gratiæ particularis confirmati, ſeu Editionis ſecundæ. § 1. 421
§ 2. *De Lege Moſaica Fundamentali, ſeu ipſo fœdere.* 422
§ 3 *De Sacramento Fœderis Iſraelitici primo*; viz. CIRCUMCISIONE. 422
§ 4. *De Paſchate, Sacramento Fœderis Iſraelitici ſecundo.* 423
§ 5. *De Lege Moſaicæ Generali vulgò Morali dictâ ſeu Decalogo (cui ut Determinationes vel Inſtitutiones particulares cæteræ ſubordinantur.)* ibid.
§ 6. *De Legibus Moſaicis* PARTICULARIBUS *multiplicibus, ad Decal. reductis.*
§ 7. *De ſanctione Retributiva Legis Moſaicæ, I. De Pœnis, 2. De Præmiis.* 426
Elucidationes Generales, de Fœdere & Lege Moſaicâ, & ejus explicationibus Paulinis.
Elucidationes Speciales, § 1. 429
Elucidationes § 2. *de Fœdere Moſaico: ubi* Qu. 1. *Utrum Fœdus Moſaicum tranſgreſſoribus minatur pœnam æternam?* Qu. 2. *An promiſit vitam æternam?* Qu. 3. *An pœnam æternam remittit, vel ſolum temporalem?*
Qu. 4. *An Spiritum ſanctificantem donavit?*
Elucidationes § 3. *de Circumciſione.*
Elucidationes § 4. *de Paſchate.* 432
Elucidationes § 5. *de Decalogo: ubi* Qu. 1. *An omnia quæ ſunt in Decalogo ſint de Revelatione & Lege Naturæ?* Qu. 2. *An tota Lex Naturæ ſit in Decalogo?* Qu. 3. *An Lex Moſaica qua talis, totum genus humanum, vel Gentes exteras obligabat,* &c. 439, &c. *Addenda de fœderibus.* 445
Elucidationes § 6. *de Legibus Moſaicis particularibus.*
Cap. 11. *De Geſtis ſubditorum ſub hac adminiſtratione.* 446
Elucidationes. 447
Cap. 12. *De Adminiſtratione ſubſequente in Politia Judaica.* 448
Elucidationes. 450

Pars Tertia.

CAP. 1. *De Regni Gratiæ Univerſalis Conſtitutione in ſtatu perfectiore hoc eſt, de Conſtitutione Regni Chriſti Incarnati.* 1
Elucidationes: ubi plurima de Chriſto, ejus Juſtitia, &c. 9
Diſput. Qu. 1. *An fides in Chriſtum incarnatum (vel Religio proprie Chriſtiana) ſit unica jam ad ſalutem via? An alii præter Chriſtianos ſalventur?* 17
Diſput. 2. *An Deus peccata remittere, & peccatores ſervare potuit ſine Chriſti incarnatione & ſacrificio expiatorio?* 26
Diſput. 3. *De unione hypoſtatica? qualis ſit? ubi de Naturis & Perſona Chriſti.* 29
Diſput. 4. *An Chriſtus pœnas infernales, vel eaſdem ſpecie tulit quæ peccatoribus debitæ ſunt?* 36
Diſput. 5. *An Chriſti Paſſio proprie & formaliter pœna fuit?* 38
Determ. 6. *An Chriſti pœnæ ex Legis obligatione ortæ ſint?* ibid.
Determ. 7. *An peccata noſtra Chriſto fuere imputata?* 39
Determ. 8. *An Chriſtus in noſtra Perſona reputative Legem implevit, & pœnas tulit? & an judicatus eſt in ſenſu forenſi eſſe ipſa perſona peccatoris.* 42
Determ. 9. *An Chriſtus Mediator illud Legis præceptum proprie implevit, quo nobis ut ſubditis Lex illa locuta eſt, & ad officium præſtandum nos obligavit.* 43
Determ. 10. *An Chriſtus patiendo Legis comminationem qua contra nos implevit? an potius* Diſpenſationem *ſeu Relaxationem Legis pœnalis promeruit: Vel an Chriſti pœna fuit Idem quod peccatoribus debitum eſt? an tantum æquivalens & tantundem?* 45
Determ. 11. *An proprie dici poſſit, Chriſtum* ipſi Legi, *qua peccatores ad pœnas obligabat,* ſatisfeciſſe (*etiamſi eam non patiendo implevit!*) *An potius dicendum ſit eum non Legi, ſed Legiſlatori, qua ſupra ſuas Leges eſt ſatisfactionem dediſſe?* 46
Determ. 12.

Determ. 12. *An Christus Legislatori ipsi proprie satisfecit? & qualis fuit ejus satisfactio.* 48
Det. 13. *An Christus mortuus descendit ad Inferos.* 50
Det. 14. *An Christus Deo satisfecit per pœnas, ut Domino, vel ut Parti læsæ, vel solum ut Rectori?* 51
Det. 15. *An Christi Justitia quam Deo Patri præstitit ad hominum Justificationem & liberationem, fuit solum ejus satisfactio pœnalis? an etiam ejus justitia sanctitatis? & an Habitualis? an tantum Actualis? & an hæc etiam recte dicatur non tantum* meritum, *sed &* satisfactio *: ubi & de Christi Justitia Divinâ, an imputetur?* ibid.
Det. 16. *An Christus pro omnibus mortuus sit? an solum pro quibusdam Electis?* 55
Det. 17. *An Christus mortuus sit ad promerendam Electis ipsam fidem & pœnitentiam? an tantum* salutem *sub conditione fidei & pœnitentiæ?* 57
Det. 18. *An Christus moriturus intendebat electos quosdam singulares infallibiliter, immutabiliter, adducere ad sinceram fidem & pœnitentiam, & inde ad Justificationem, Sanctificationem & Gloriam cœlestem.* ibid.
Cap. 2. *De Administratione (seu Regimine) Antecedente Regni Gratiæ universalis in statu perfectiore* (viz. *post Christi Incarnationem*) *explicatio Generalis.* 62
Elucidationes. 63
Cap. 3. *De Administratione hâc ut circa triplex objectum variâ;* viz. *I. Circa Mundum: II. Circa Baptizatos, & ore tenus Christianos. III. Circa vere Fideles.* 65
Elucidationes, I. De Administratione circa Mundum jam redemptum. 67
II. Elucid. de Administratione circa mere Baptizatos, seu hypocritas. 68
III. Elucid. de Administratione circa vere fideles. 70
Cap. 4. *De Administratione hâc sub triplici periodo variata;* viz. *I. Sub Christi Administratione personali ante ejus ascensum. II. Sub Apostolis post ejus ascensum. III. Ab Apostolis ad finem mundi.* ibid.
Elucidationes, I. De Administratione per Christum corporaliter præsentem.
II. Post ascensum sub Apostolis.
III. Inde ad finem Mundi. 74, 76, 77
Cap. 5. *De Evangelio ut sub triplici Formâ. Et I. Ut Donatione seu Testamento.* 78
Elucidationes: de Evangelio ut Testamento 80
Cap. 6. *II. De* EVANGELIO *ut* DOCTRINA *Christi Doctoris.* 83
Elucidationes: de Doctrina Christi. 85
Cap. 7. *III. De* EVANGELIO *qua* LEX *Christi Regis.* 88
Elucidationes: de Lege Christi. 90
Cap. 8. *De Evangelio in triplici* FORMULA. *Et I. Contractissime in Fœdere Sacramentali: Ubi I. De Ipso foedere (deinde de modis foederandi.)* 93
Elucidationes de ipso Fœdere. 96
Cap. 9. *De Modis fœderandi: Et I. De* BAPTISMO.
Elucidationes: de Baptismo. 97
Cap. 10. *II. De Sacramento Communionis, vel Cœnæ Dominicæ.* 101
Elucidationes. 104
Cap. 11. *III. De Evangelio in tribus summulis: Et I. De Symbolo Fidei.* 107
Elucidationes: de Symbolo Fidei. 111
Cap. 12 *De ipsâ Fide Divinâ Christiana, Symbolo expositâ.* 114
Elucidationes: de Fide Christianâ. 116
Qu. 1. *Quot & quænam sunt Fidei Christianæ partes essentiales, & quomodo dignoscendæ sunt (partim antea descriptæ.)* 122
Qu. 2. *An Fides Divina habet Evidentiam Veritatis?* 123
Qu. 3. *An Evidentiæ Divinæ Revelationis, (seu Authoritatis) perceptio sit actus Fidei ipsius Divinæ? an quiddam antecedens?* 126
Qu. 4. *An omnes S. Scripturæ Libri, Capita, Versus & Verba singularia lucis propriæ Evidentiâ Fide Divinâ recipiuntur? an solum partes nobiliores?* ibid.
Qu. 5. *Utrum Evidentia hæc inhærens sit prius & potius in S. Scripturæ verbis & literis? an in ejus materia & doctrinâ? an æque in utrisque?* 127

Qu. 6. *Utrum Evidentia hæc inhærens & S. Scriptura constitutiva fiat pars argumenti, quo certo probetur S. Literas esse Divinas?* 128
Qu. 7. *An probatio discursiva à fide aliena sit, aut eam destruat.* ibid.
Qu. 8. *An fides sit quædam Scientia?* ibid.
Qu. 9. *An fides sit eo minus spiritualis aut supernaturalis quo magis sit rationalis & Cognitio?* 129
Qu. 10. *An ex solis Evidentiis extrinsecis (e. g. Miraculis, &c.) sine perceptione evidentiæ inhærentis S. Scriptura salutariter credatur?* 129
Qu. 11. *An Evidentia Moralis certitudinem præbeat; & falsitatis impossibilitatem probet?* ibid.
Qu. 12. *An argumenta hæc dici possint Demonstrationes.* 130
Qu. 13. *An recte dicitur à Talboto contra Blacloistas & alios, Demonstrationes ab omnibus statim necessario intelligendas esse.* ibid.
Qu. 14. *An dictis omnibus quæ non sunt immediate à Deo potest subesse falsitatis possibilitas, & talia omnia sint incerta.* 131
Qu. 15. *Quomodo crediderunt Christiani ante scriptum N. Testamentum.* ibid.
Qu. 16. *An sine speciali gratia Sp. Sancti S. Scripturæ recte credantur.* ibid.
Qu. 17. *Utrum tempore aut naturâ prior est Gratia subjectiva mentem, ut credat illuminans? an objectum formale fidei, & materiale & inhærentis, evidentiæ Lux?* ibid.
Qu. 18. *An fides illa salutaris est, quâ ex argumentis non veris S. Scriptura ut Dei Verbum creditur?* 132
Qu. 19. *An fides illa sit salutaris qua credit aliquis necessarios fideï amoris & obedientiæ articulos, non autem ipsa S. Scripturæ verba?* ibid.
Qu. 20. *An fides illa sit salutaris quæ omnes necessarias doctrinas recipit, at ex Libris Apocryphis falso judicatis Canonicis?* 133
Qu. 21. *An fides illa sit salutaris quæ credentem non certum facit, sed dubitantem & timidum relinquit?* ibid.
Qu. 22. *An melius sit dubitanti rem solicite explorare, & ad omnes objectiones solutiones quærere? An potius animo obfirmato dubitationes abjicere, & silentium ponere?* ibid.
Cap. 13. *II. De* ORATIONE *Dominica, summulâ Volendorum seu Appetendorum.* 134
Elucidationes: de Oratione Dominica. Solvuntur quædam dubia. 137
Cap. 14. *De III. Summula*; viz. *Agendorum* DECALOGO *à Christo stabilita & expsita. Ubi præcipue, I. De Amore Dei, II. De Amore proximi; III. De Justitia & Jure; IV. De Amore sui ipsius debito.* 142
Elucidationes: de Methodo & sensu Decalogi Generales. 159
Elucidationes: de primo præcepto. 162
Elucidationes: de Præcepto secundo. 164
Elucidationes: de Præcepto tertio. 167
Elucidationes: de Præcepto quarto. Dubia plurima solvuntur. 168
Elucidationes: de Præcepto quinto. 174
Elucidationes: de sexto Præcepto. 180
Elucidationes: de septimo Præcepto. 182
Elucidationes: de octavo Præcepto. 185
Elucidationes: de nono Præcepto. 187
Elucidationes: de decimo Præcepto generales. 191
Elucidationes speciales de Justitia & Amore proximi & sui-ipsius. 193
Cap. 15. *III. De Evangelio in* FORMULA *Latissima*; viz. *Sacris* SCRIPTURIS. 197
Elucidationes de Sacris Scripturis (præter jam dicta.) 200
Qu. *An Sacræ Literæ sint Lex Dei & Regula fidei & morum juxta quam fidelium conceptus (& cogitationes) sunt probandi.* 207
Cap. 16. *De triplici Auxilio. Et I. De Auxilio Spiritus Sancti.* 211
Elucidationes: de Auxiliis Spiritus Sancti. 213

Qu.

Qu. *Utrum S. Sanctus an Sacræ Scripturæ potius dicendæ sint Lex Divina seu Norma fidei & morum ?* 219
Quæstiones de Spiritûs Sancti operationibus in Animum humanum cum aliis simul congeruntur sub Cap. 25.
Cap. 17. *II. De Auxiliis Objectivis in* OPERIBUS *Divinis.* 221
Elucidationes. 223
Cap. 18. *III. De Auxilio* SUASORIO *Ministeriali : Ubi de triplici Ministerio: & I. De Ministerio Oeconomico. Et de Domo.* 224
Elucidationes. 227
Cap. 19. *II. De Ministerio Ecclesiastico seu Christi Ministris.* § 1. 228
De Ecclesiis singularibus quoad constitutionem. § 2. 230
De Ecclesiæ singularis Administratione. § 3. 232
De Ecclesiis consociatis. § 4. 236
De consiliis. § 5. 238
Elucidationes. § 1. § 2. § 3. § 4. § 5. 240
Cap. 20. *III. De Ministerio Civili, id est, de* MAGISTRATU : *Ubi*
§ 1. *De Reipublicæ constitutione.* 241
§ 2. *De ipso Magistratu Civili.* 242
§ 3. *De Reipublicæ Regimine: Ubi de Legibus & Judicio.* 244
§ 4. *De Regimine quoad triplicem finem,* 1. *Reipublicæ conservationem.* 2. *Ejus Perfectionem.* 3. *Ejus Restaurationem.* 246
Elucidationes ex instituto omittuntur.
Cap. 21. *De Triplici Inimico : Et I. De* CARNE *operante.* 247
Elucidationes. 249
Cap. 22. *II. De* MUNDO *Inimico objectivo.* 250
Elucidationes. 252
Cap. 23. *III. De* DIABOLO *Inimico suasorio (& ejus Ministris.)* 254
Elucidationes. 255
Cap. 24. *De Actionibus Humanis in Regno Christi Incarnati ; Et I. Fidelium.* 257
Elucidationes. 259
Cap. 25. *II. De Infidelibus & Impiis, & eorum Peccato in Christum.* 260
Hic ad Lectoris faciliorem considerationem Quæstiones 50. *de statu Fidelium & Infidelium, de operatione Spiritus Sancti & hominis, de causis sanctitatis & peccati, congeruntur ; quibus elucidantur, cap.* 16, 17, 18, &c. *hucusque.*
Qu. 1. *Quandoquidem Operationes Divinas in Animam ab omnibus esse inscrutabiles in confesso est, & Scholastici passim ut de hisce nimis audaces culpantur, An de hisce distincte & accurate aut quærere aut tractare humanam imbecillitatem decet ?* 264
Qu. 2. *An detur Gratia sufficiens dicta aut necessaria, quæ quoad eventum non est efficax, ad illud ad quod sufficiens dicitur ?* 264
Qu. 3. *Nonne potest peccator ea perpetrare flagitia* (e. g. *Mendacia, Adulteria,* &c.) *ad quæ perpetranda ejus Voluntas comparative, & in specie Morali à Deo præmovente non determinatur ; Dei concursu seu causatione universali in ordine Naturali præsuppositâ ?* 265
Qu. 4. *An Potentiam aliquam bene agendi sine prædeterminante illâ præmotione, Deus unquam alicui dedit ?* 266
Qu. 5. *An honori Divino derogat ille qui dicit Deum homini quandam concessisse potentiam suam Voluntatem ad bona quædam determinandi Deo auxiliante, ad quæ per Deum non prædeterminatur ?* ibid.
Qu. 6. *An in Volitione aliqua humanâ aliquid inveniatur cujus Deus non est causa ?* 267
Qu. 7. *An dicendum sit Deum esse causam partialem, & non totalem ?* 268
Qu. 8. *Utrum potest homo Volitiones suas suspendere, sine suspensione Divinâ aut per actum, aut auxilii negationem ?* ibid.
Qu. 9. *An homo Volitiones suas suspendet mere Negative Non Volendo ? an positive per actum prohibentem ?* 269.
Qu. 10.

Qu. 10. *Nonne objectum repudiatum* Non-Velle *sit in Electionibus solum nobis liberum? Et ita simplex Volitio objecti electi dicitur electio respective & comparative tantum?* 269
Qu. 11. *An semper Influxus seu Operatio Divina sit Major in eundem hominem quando is recte Vult, quam quando male vult?* ibid.
Qu. 12. *An ex parte Dei agentis Majus auxilium semper detur converso, quam alteri non converso cujus æqualis est necessitas?* 270
Qu. 13. *An revera Divini influxus seu actus ex parte Agentis ullum unquam detur discrimen? Cum Deus operetur per Essentiam?* 271
Qu. 14 *An tale detur discrimen operationum Divinarum ad effectus Naturæ & Gratiæ, unde in ejus dedecus cedat, siquis operationi naturali id ascribat, quod vere ad Gratiæ operationem pertinet?* 272
Qu. 15. *An determinatio Divina hominis potentiam ad actum contrarium auferat? vel, An homo aliter agere potest eo ipso instante quando à* Deo *Voluntas ejus prædeterminatur?* 273
Qu. 16. *An apte dicatur,* Deum *homini potentiam dare ad male-agendum & quare?* ibid.
Qu. 17. *Quomodo hæc differunt,* 1. *Volendi dare Potentiam;* 2. *Actum certo futurum reddere;* 3. *Actum necessarium reddere? Et an* Deus *certum faciat actum quem Necessarium non facit?* 274
Qu 18. *Quinam Actus* Divini *necessarii sunt, quibus homo ad credendum & benevolendum potens fiat?* ibid.
Qu. 19. *An Actus credendi semper potentiam Moralem eventu sequatur? Et omnes illi credant qui moraliter credere possunt?* 275
Qu. 20, *An Sanctitas Habitualis sit Potentiâ Morali quid majus? Et an Habitus seu Inclinatio Moralis non agens inveniatur?* 276
Qu. 21. *Utrum* Deo *an Homini potius adscribendi sunt actus bonæ Volitionis, quos Deus non necessitat, efficaci prædeterminatione?* ibid.
Qu 22. *Utrum a* Deo *an ab Homine potius causentur malæ Volitiones?* ibid.
Qu. 23. *An detur aliquis Eventus a* Deo *non antecedenter Volitus aut* Decretus? 278
Qu. 24. *An Volitio aliqua bona detur a* Deo *non antecedenter decreta?* 279
Qu. 25 *An ad Potentiam bene Volendi necessarium sit decretum* Divinum *de ipso actu eventuro?* ibid.
Qu 26. *An* Decretum *divinum de hominis actuali Volitione futurâ, sit necessarium ad eventum seu futuritionem omnis bonæ volitionis?* ibid.
Qu 27. *Si omnis bona volitio hominis prius a Deo decreta sit, quare id ita decernatur quod sine tali decreto fieri potuisset?* 280
Qu. 28. *An omnes Volitiones* Divinæ *rei Volitæ sint Causæ?* ibid.
Qu. 29. *An* Deus *eam hominis Volitionem* (e. g *fidem, pœnitentiam,* &c. *vere velit, quæ nunquam eventura est?* ibid.
Qu. 30. *An Dei sit Voluntas seu* Decretum *conditionale?* 281
Qu. 31. *An dicendum sit* Deum *gratiam eam homini dedisse, quam sua culpa homo nunquam recipit?* 281
Qu. 32. *Quomodo differunt Gratia dicta sufficiens & efficax?* ibid.
Qu. 33. *An unquam aliquis convertatur aut actus bonus aliquis agatur, per eum gratiæ gradum quem sufficientem dicimus, sine gradu illo qui ex vi agentis semper efficax est?* 284
Qu. 34. *Quo sensu Dei prævolitio actus liberi humani a quibusdam dicitur Respectiva, & a* Decretis *absolutis distinguitur?* 285
Qu. 35. *An* Deus *ideo vult eventum quia eum prænovit? aut præscit quia voluit? aut simul & præscit & vult?* ibid.
Qu 36 *An inter plura licita & indifferentia hoc unum velle aut eligere sit a* Deo *absolute decretum seu prædeterminatum?* 286
Qu. 37. *An Dei Gratia sit resistibilis, superabilis, aut frustrari potest.* ibid.
Qu 38 *Quomodo fides, aliique actus humani a* Deo *dari dicantur?* 287
Qu 39. *Nonne ipsa Dei prævolitio seu decretum facit necessitatem antecedentem eventus?*

eventus ? quem præsentia præsupponit ? ibid.
Qu. 40. *Cum effectus certitudo ex causis necessariis oriatur, quomodo Dei decretum effectum faciat certum, quem non facit necessarium ?* 288
Qu. 41. *An Dei peccati permissio sit mere Negativa ; & quænam est actuum elicitorum impeditio ? (& decretnm permittendi.)* ibid.
Qu. 42. *Quomodo potuit Adamus à peccando impediri, quando nondum ad peccandum inclinatus est ? Et quomodo postea permittitur qui prius non impeditus est?* 290
Qu. 43. *An aliquid sit in homine quod Volitionum aut Decretorum Divinorum sit causa ?* ibid.
Qu. 44. *An Dei complacentia, an decretum ejus ut prius concipiendum ?* ibid.
Qu. 45. *An Deus serio non credituros ad fidem vocat ?* 291
Qu. 46. *An Deus Christum & Gratiam hominibus eo proposito offert ut respuentes fiant inexcusabiles ?* ibid.
Qu. 47. *An Deus prius Habitum fidei, an Actum operetur ?*
Qu. 48. *An Verbum sit Spiritus Sancti Instrumentum fidei ingenerandæ ?* 292
Qu. 49. *An Gratia Spiritus Sancti a Christo dati ab omnibus operationibus Divinis naturalibus ita distinguatur, ut per nulla media naturalia data sit ?* 293
Qu. 50. *An conditionis alicujus præstatio per hominem ex Gratiæ præparantis auxilio, sit vere causa donorum Divinorum, aut Sp. Sancti operationum ?* 294
Cap. 26. *De Regimine Christi incarnati subsequente: Ubi I. De Judicio Christi in genere.* 295
Elucidationes. 296
Cap. 27. *II. De Judicii Christi speciebus: Justificatione & Condemnatione. Et I. De Justificatione; ubi § I. De* JUSTITIA. 298
§ *II. De* MERITIS. 300
§ *III. De Triplici Justificatione, Constitutivâ, Judiciaria & Executiva: Et I. De Constitutiva (in genere.)* 302
§ *IV. De Justificatione Judiciariâ.* ibid.
§ *V. De Justificatione Executiva (post tractanda) notæ.* 304
§ *VI. II. De Condemnatione (secundâ Judicii specie) in genere. Elucidationes* § 1. *De Justitia.* § 2. *De Justitia Divina, quâ nostræ regula.* 305
§ 2. *De Justitiæ humanæ necessariis quibusdam distinctionibus recitatis cum earum applicatione ad quædam dubia solvenda.* 306
§ 3. Qu. 1. *An Justitia ipsius Christi nobis vere imputetur.* 308
§ 4. Qu 2. *Quænam Christi Justitia nobis imputatur: 1. An tantum Passiva ? 2. An etiam Activa ? 3. An etiam Habitualis ? 4. An Divina etiam? 5. Et an formaliter nostra fit ?* 309
§ 5. Qu. 3. *An Justitia Christi Imputata sit Tota Justitia ex qua justificamur ?* ibid.
§ 6. Qu 4 *An fides nostra nobis imputetur ad justitiam ? & quo sensu ?* 310
Elucidationes cap. 27. § *II. De Meritis.* 312
Elucidationes cap. 27. § *III. De triplici Justificatione*; & cap. 32. *per Responsiones ad 50 Quæstiones.* 318
Qu. 1. *An detur Justificatio Constitutiva, & Justificatio justum materialiter & formaliter efficiens ?* ibid.
Qu. 2. *Quomodo plex est justificatio Constitutiva.* ibid.
Qu. 3. *Quænam justitiæ, seu Justificationis Constitutivæ Causæ & media sunt.* 319
Qu. 4. *Utrum sit Justificatio hæc constitutivâ qua justi facti sumus, (id est, non-judiciarie-condemnandi,) an potius Justificatio Judiciaria per sententiam Judicis, quæ in S. Scripturis intelligitur, cum ex fide justificari dicimur.* 320
Qu. 5. *An tota nostra Justitia consistit in Remissione peccatorum ?* 321
Qu. 6. *Nonne Justitia nostra tota justificans formaliter consistit in Remissione peccatorum, & Christi Justitia imputatâ ? Et an donum vitæ æternæ proprie & formaliter nobis præmium est, quia nos in persona Christi id reputative meriti sumus ?* 322.

Qu. 7. *Quænam eſt illa fides ex qua Juſtificamur? vel quæ ad juſtitiam imputatur?* 325
Qu. *Quodnam eſt fidei ſalvificæ objectum? An Deus ipſe? An Chriſtus? An Chriſtus qua Dominus? qua Doctor? qua Rex? qua Interceſſor in cœlis? An Spiritus Sanctus? An Remiſſio peccatorum? An vita æterna? An S. Scriptura? An tota? aut quæ pars? An ſolum Chriſti juſtitia nobis imputanda?* 326
Qu. 9. *Nonne apte diſtinguitur* Fides Quæ juſtificat, & Fides quâ *juſtificat; Et ſolum Chriſti Juſtitia imputanda ſit objectum fidei* qua *juſtificat; excluſis aliis hic nominatis?* 327
Qu. 10. *Quænam ſit vera Ratio cauſativa fidei in negotio Juſtificationis? An ſit Inſtrumentum? An potius Conditio præſtita donationis?* 330
Qu. 11. *An Fides in Deum Patrem & Spiritum S. æque Juſtificat, ac Fides in Chriſtum?* 331
Qu. 12. *An Chriſtus ipſe nos Juſtificat qua Juſtificationem noſtram promeritus eſt tantum, aut ſolum quâ Sacerdos eſt? vel etiam qua Doctor, Rex, Judex, &c.* 333
Qu. 13. *Quænam Reſipiſcentiæ? quæ Amoris? quæ obedientiæ partes ſunt in negotio Juſtificationis? & quomodo à fidei officio diſcriminantur?* 334
Qu. 14. *An Fides juſtificans & ſalvifica ſit omnino eadem?* 336
Qu. 15. *Anne plus per modum Conditionis requiritur ad Juſtificationis continuationem, quam ad ejus inceptionem?* ibid.
Qu. 16. *An ex primo tantum actu fidei juſtificamur? an etiam ex ſequentibus?* 337
Qu. 17. *Utrum ex fidei Actu, an ex Habitu, an ex utroque juſtificemur? & ex quo primo?* ibid.
Qu. 18. *An peccata contra Legem Gratiæ, aut ſaltem fœderis violatio, & pœnæ inde debitæ, unquam remittantur?* 338
Qu. 19. *An Remiſſio aut Juſtificatio perfecta detur primò credenti? vel in via?*
Qu. 20. *An peccatorum remiſſorum reatus redeat, aut redire poteſt?* 339
Qu. 21. *Utrum Reatus facti? aut culpæ? vel ſolum Pœnæ juſtificato remittitur?* ib.
Qu. 21. *An Juſtificatio & ſanctificatio idem ſint? Aut ſanctificare ſit peccata remittere?* ibid.
Qu. 23. *An tantum à Dei Gloriâ detrahitur in negotio juſtificationis, aut meriti, aut ſanctificationis, quantum bonum homini aſcribitur?* 340
Qu. 24. *An fidei, amori, precibus, juſtitiæ noſtræ veræ fidere liceat?* 341
Qu. 25. *Quænam opera à Juſtificationis negotio per Paulum excluduntur? An fides in Deum, in Chriſtum qua Doctorem, Dominum, Regem, & pœnitentia, & Amor Chriſti, deſiderium, preces, ſpes, ſint iſta opera?* ibid.
Qu. 25. *An detur aliqua peccatorum remiſſio infidelibus & impiis?* 342
Qu. 27. *An detur aliqua peccatorum remiſſio ſine conditione?* ibid.
Qu. 28. *An peccatum aliquod remittitur ſine pœnitentia de eo particulari?* ibid.
Qu. 29. *Quibuſnam peccatis remittendis neceſſaria eſt pœnitentia particularis?* ibid.
Qu. 30. *Anne in ſenſu Jac. 2. ſolum coram hominibus juſtificamur?* 343
Qu. 31. *An peccata futura remittantur?* ibid.
Qu. 32. *An remiſſio ſeu juſtificatio ſit actus Dei immanens ab æterno?* 343
Qu. 33. *An fides juſtificet ſolum in foro conſcientiæ, à Deo prius juſtificatum?* 344
Qu. 34. *An fides eodem modo cauſet Juſtificationem, quo & Sanctificationem?* ibid.
Qu. 35. *An credere me juſtum aut juſtificatum eſſe, eſt fides juſtificans?* 344
Qu. 36. *Utrum omnis aut aliquis nondum regenitus aut credens, credere tenetur ſe electum eſſe aut juſtificatum?* 345
Qu. 37. *An remiſſio ſeu juſtificatio detur credenti per modum præmii?* ibid.
Qu. 38. *Nonne omnes fideles a Lege ut mortua liberantur, ideoque remiſsione non egeant? peccatum enim eſt tranſgreſſio Legis?* 358
Qu. 39. *An fidelibus pœnæ aliquæ debeantur, præter caſtigationes ſalutares? Et ita, An pœnæ æternæ remiſſionis ſint capaces, aut pro ea orare debeant? utpote ipſis lege nullâ debitæ?* 346
Qu. 40. *An pro peccatorum remiſſorum remiſſione fidelibus denuo orandum eſt?* ibid.
Qu. 42. *Cum Proteſtantes nonnulli aſſerunt Chriſtum ipſum eſſe ſolam perſonam cum Deo*

Deo fœderatam, quomodo nos judicabimur ex præstatione aut non præstatione illius fœderis conditionis, qui non omnino fœderati sumus. ibid.
Qu. 42. *Nonne ex Rom. 8. 32. patet omnem pro quo Christus est mortuus justificatum iri?* 347
Qu. 43. *Quæ & quanta dubitatio cum fidei justificantis sinceritate consistat.* ibid.
Qu. 44. *An detur justificatio per sententiam Judicis? Et quænam ea sit? An virtualis sententia Legis Gratiæ? Aut in mente Dei concepta? Aut coram Angelis prolata? Aut in conscientia credentis? Aut per executionem in hac vita declarata? Aut solum post mortem & in extremo judicio?* 348
Qu. 45. *An contra falsas accusationes, & possibiles solum ut coram Deo justificemur, fidelibus curandum sit* (e.g. *contra accusationem infidelitatis, impœnitentiæ hypocriseos.*) ibid.
Qu. 46. *Quandoquidem non Christi Justitia aut Fœdus, sed fides nostra & obedientia tunc disceptabiles erunt, Utrum ex Justitia Christi, an ex fide & obedientia nostra potius in judicio extremo justificabimur.* 349
Qu. 47. *An Spiritum Sanctum peccata remittere dicendum est?* ibid.
Qu. 48. *An juste Deus à Justificatis peccatorum pœnas aliquales exigit?* ibid.
Qu. 49. *An & quomodo Baptismus peccata remittit & justificat?* 350
Qu. 50. *An & quatenus Ministri peccata remittere dicendi sunt?* ibid.
Cap. 28. § 1. *De Executione in Genere.* 351
§ 2. *De Præmiis in Genere.* ibid.
§ 3. *De Pœnis in Genere.* 352
Elucidationes § 2. & 3. ibid.
Cap. 29. *De Judicio Divino, Justificatione & Condemnatione in hac vita.* 354
Elucidationes. 356
Cap. 30. *De Vitæ præsentis Pœnis in specie.* 357
Elucidationes. 360
Cap. 31. *De Vitæ præsentis Præmiis in specie.* 361
Elucidationes. 362
Cap. 32. *De Remissione Peccatorum in specie.* 363
Elucidationes. 365
Cap. 33. *De Judicio, Justificatione & Condemnatione futuris.* 366
Elucidationes. 369

Pars Quarta: De Regno Gloriæ.

Cap. 1. *De Regni Gloriæ Constitutione.* 371
Cap. 2. *Quædam prænotandæ de Regni Gloriæ Regimine.* 375
Elucidationes. 376
Cap. 3. *De ipso Regimine Regni Gloriæ.* 377
Elucidationes. 378
Cap. 4. *De Statu Animarum ante Corporis Resurrectionem.* 379
Elucidationes: De Animarum Immortalitate. 380
Cap. 5. *De Resurrectione & Statu Gloriæ subsequente.* 382
Elucidationes: De Resurrectione. 384
Cap. 6. *De Inferis & Statu damnatorum.* 391
Elucidationes: Et Qu. 1. *An malorum pœnæ infernales lumine naturæ probari aut sciri possint?* 393
Qu. 2. *An Ignis Infernalis sit noster Materialis?* 395
Qu. 3. *An credere pœnas Infernales sit Symboli seu fidei Articulus?* ibid.
Qu. 4. *An credere pœnas Infernales sit necessarium ad salutem?* ibid.
Qu. 5. *An ad salutem sit necessarium credere pœnarum æternitatem?* ibid.
Qu. 6. *An salvus erit qui solum ex metu pœnarum pius est?* ibid.
Qu. 7. *An salvus erit qui magis ex timore pœnarum, quam ex amore Dei & bonitatis pius est?* 396.

Qu. 8. *Ubi locus Gehennæ est?* ibid.
Qu. 9. *Quæritur a Scholasticis, an Gehenna sit locus alicujus misericordiæ?* ibid.
Qu. 10. *An melius sit miserum esse quam non esse?* ibid.
Cap. 7. *De Vita jucunda* FIDEI *in prospectu Gloriæ.* 397
Elucidationes. 398
Cap. 8. *De Vita jucunda* SPEI *ex prospectu Gloriæ.* 401
Elucidationes. 405
Cap. 9 *De Vita jucunda* AMORIS *ex prospectu Gloriæ.*
Elucidationes. 411
De Conversatione cum cœlitibus Meditationis practicæ. 420
Quid πολίτευμα *Phil.* 3. 20. *significat & includit?* 428
Qu. 1. *Quomodo de cœlitibus concipiendum est? Et* 1. *De Animis & Angelis.* 2. *De Deo.* 3. *De Corporibus Glorificatis.* 4. *De ipso cœlo glorioso.* 430
Qu. 2. *Quomodo certi simus hanc Gloriam possidendam esse?* 431
Qu. 3. *An ipsæ Affectiones seu Passiones animæ ut circa spiritualia & cœlestia exerceantur conandum sit? & quomodo?* 432
Qu. 4. *Quid agendum est quo cogitationes nostræ facilius circa cœlestia exerceantur?* 433
Qu. 5. *Quid agendum quo hæreditatem cœlestem certo obtineamus?* ibid.
Qu. 6 *Quid agendum quo alios ad vitam cœlestem perducamus?* ibid.
Qu. 7. *Quænam doctrinæ ut vitæ cœlesti adversæ rejiciendæ sunt?* 434
Qu. 8 *Si quis de vita futura se omnino incertum profiteatur, ut certum de Perfectione & Gubernatione Divina, hominemque fidem, amorem, gratitudinem & obedientiam summam Deo debere, ideoque se Deo obediendo devoveat, de Gloria tamen cœlesti incertus, at Divinæ clementiæ sese committens; Anne salvabitur & Gloriam ignotam obtinebit?* ibid.
Qu. 9. *Quid sentiendum de Gloriam credentibus, & rarius & breviter de ea cogitantibus, in vita activa autem obedienter eam quærentibus?* 435
Qu. 10. *An laudabile est ab operibus secularibus abstinere, aut ea minuere, ne vita cœlestis impediatur?* ibid.
Qu. 11. *Nonne vilescit charitas erga corpora ex vilitate objecti?* 436
Qu. 12. *Nonne temnendæ aut abjiciendæ sunt divitiæ, ne conversationi cœlesti sint impedimenta?* ibid.
Qu. 13. *An cum vita cœlesti consistat timor mortis, & cupido hic vivendi?* ibid.
Qu. 14. *An semper ita vivendum est sicut morientes inveniri vellemus?* 437
Qu. 15. *Quomodo capaces sunt conversationis cœlestis qui frequentes & longas meditationes non possunt tolerare (ut melancholici, imbecilles, &c?* ibid.
Qu. 16 *De Methodo Meditandi de cœlestibus.* ibid.
Qu. 17. *Quomodo hoc opus fæliciter peragendum est?* 437
Quædam S. Scripturæ sententiæ libri hujus summam continentes. 438,43

Postscriptum.

Poſtſcriptum.

N. B. Lector, Controverſias nonnullas hic nuper ſuſcitatas eſſe ad Materiam & Methodum hujus tractatus intime pertinentes; *viz.* 1. An Deus Fœdus ullum pepigit cum Adamo ante ejus lapſum; 2. Aut cum Adamo aut Eva poſt lapſum? Et an Fœdus Gratiæ aliquod factum eſt ante Fœdus Abrahamicum. 3. Utrum ſoli Abrahami poſteri, ſeu Iſraelitæ fuere ſub Lege Gratiæ, aut Fœdere: Aut potius totum genus humanum fuit ſub Lege gratiæ, ex parte Dei eam ſtatuentis. 4. Quid erat fœdus peculiaritatis? 5. Quid Eccleſia Chriſtiana? An Chriſtiani ſoli fœderati ſunt? 6. An ſoli Chriſtiani juſtificati ſint per fidem? & ſalvati? 7. Quid *Electio* & Reprobatio ſignificant in Sacris Literis?

Ad harum & talium plurium ſolutionem, præter ea quæ poſtea in tractatu hoc dicta ſunt, has paucas propoſitiones hic breviter præmitto.

1. Lex Divina aut expreſſam aut implicitam *promiſſionem* continet, eſt enim Rectoris juſtiſſimi inſtrumentum regiminis, & norma tum officii tum judicii: Non autem opinandum eſt Deum aut officia aut media inania præcipere; aut bonum à malo, obedientem à peccatore judicio ſuo & retributione non diſtinguere.

2. Omnia Dei præcepta hominem obligant ad actus obedientiæ ſub ratione medii ad Acceptationem Divinam, & ſubditi commodum & fælicitatem. Ideoq; certum eſt vere obedientes & mediis hiſce utentes, in tantum Deo acceptos eſſe, nec fruſtra obedire; omneſque ſecundum opera ſua judicandos eſſe.

3. Et ſicut mandatum Divinum implicat promiſſionem, ita prohibitio Divina implicite pœnam tranſgreſſori debitam ſtatuit: Peccatum qua tale pœnam meretur.

4. Quamvis autem Lex Divina, quâ talis acceptationem & finem bonum obedientibus aut explicite aut implicite virtualiter promittit, non tamen præmium plene & diſtincte deſcribit, niſi explicite ſupernaturali revelatione hoc fiat.

5. Nomen Fœderis in Sacris Literis, 1. Sæpiſſime ſignificat, 1. Legem, ſeu Inſtitutionem, ſeu ſtatutum Divinum, primariò officium, deinde præmium aut pœnam ſubditorum antecedenter ſtatuens. Et hoc ſenſu Leges Divinæ ſunt ejus fœdera. 2. Quandoque vero ſignificat Promiſſiones ſpeciales primariò, ſed factas ſub conditione præſtationis cujuſdam officii, & pœnâ ingratis & conditionem non-præſtantibus additâ. Et in hoc ſenſu etiam omne *Fœdus* eſt Lex, ſed non omnis Lex tale Fœdus, ſed ſola Lex Gratiæ. 3. Quandoque etiam *Fœdus* ſignificat partis utriuſque conſentientis pactum, quod *mutuum Fœdus* dicitur. Et Lex proprie dicta eſt tale fœdus quando conſentientes ſubditi eam recipiunt, non autem ante voluntariam ſubjectionem. 4. Denique aliquando nomen *fœderis* ſignificat ſolam abſolutam aliquam *promiſſionem*, & ita Lex non eſt fœdus.

6. Lex prima Adamo data, fœdus erat primo ſenſu. 2. Promiſſio cum Lege Gratiæ poſt Lapſum Adamo facta fœdus erat ſenſu ſecundo; & eminentius Promiſſio ſeu fœdus Circumciſionis Abrahami; & eminentiſſime fœdus baptiſmale poſt Chriſti incarnationem. 3. Et ſenſu tertio hæc conſentientibus fiunt mutua fœdera. 4. Et promiſſio Chriſti incarnandi, promiſſio de tellure non iterum diluvio perdenda, promiſſio reſurrectionis univerſalis, promiſſio de Chriſti glorioſo adventu, & novæ Hieroſolymæ gloria, *&c.* ſunt fœdera Dei abſoluta.

7. *Fœdus Peculiaritatis* quo *Abrahamum ejuſq; ſemen naturale* è mundo magis peccaminoſo elegit, munera magna & plurima peculiariter ipſis donavit; & fœderi Gratiæ univerſali adjunctum additum eſt; Non autem fœdus hoc univerſale abrogavit: Populus Iſraeliticus fuit ſolus Dei populus peculiaris, è mundo ad ſtatum hunc peculiaritatis electus: non autem Regni Gratiæ ſoli ſubditi: Ipſe enim Abrahamus putaverat etiam in Sodoma quinquaginta fuiſſe juſtos.

8. Neque per Chriſti adventum ceſſavit fœdus ſeu Lex Gratiæ prima univerſalis, quâ media quædam gratioſe præcipit ad peccatorum remiſſionem, & vitam

obtinendam, etiam iis quibus Evangelium nunquam prædicatum fuit. Quis dicere audet, nullum officium, nulla ad ſalutem media etiam Americanis & Indis eſſe præſcripta? miſericordiam nullam ad meliora conducentem ipſis conceſſam eſſe; aut officia mediaque omnia ut vana & ſine ſpe utenda eſſe? Hic locum habet quod dicitur Heb. 11. 6. *Qui accedit ad Deum hunc credere oportet eſſe, & præmia retribuere iis qui ipſum requirunt.* Et illud Petri Act. 10. 35. *In omni gente qui timet eum & operatur juſtitiam illi acceptus eſt.* Et Act. 14. 17. *Non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit, benefaciens de cœlo,* &c. Et Act. 17. 27. *Ut quærerent Dominum ſi forte palpando eum invenirent.* Et Rom. 1. 19, 20. *Id quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum eſt intra ipſos; Deus enim eis manifeſtum fecit: Ipſius enim inviſibilia jam inde à creatione mundi ex iis quæ facta ſunt animadverſa providentur; æterna ejus tum potentia & divinitas, quo ſint inexcuſabiles.* Et Rom. 2. ad verſ. 17, &c.

9. Eccleſia autem Chriſtiana eſt eminenter populus Dei peculiaris, *regale Sacerdotium, genus Electum, gens ſancta,* &c. 1 Pet. 2. 5, 8. ſub Fœdere Gratiæ tum univerſalis tum *peculiaris*, cujus reſpectu fœdus peculiaritatis Iſraeliticum (vetus dictum, Moſaicum etiam Abrahamicum & Davidicum) fuit partim typicum, & partim quaſi puerile rudimentum (Qualis etiam eſt Eccleſia Militans reſpectu glorioſæ.)

10. *Electionis* nomen in Sacris Literis, non raro ſumitur pro Electione in hunc *Peculiaritatis* ſtatum, ſeu Eccleſiam; cujus contrarium non eſt reprobatio ad ignem infernalem, ſed derelictio in mundo corrupto ſub Lege ſola Gratiæ Univerſalis. Quandoque vero Electio ſumitur pro Decreto Dei æterno efficaciter vocandi, juſtificandi & ſalvandi Electos.

10. Ex analogia totius Sacræ Scripturæ ſatis patet, 1. Omnes eſſe judicandos juxta Legis Divinæ eam editionem, quæ illis promulgata fuit: 2. Ideoque fidei ſalvificæ actus non omnino eoſdem eſſe in omni aut ſeculo aut gente aut perſona. 3. Neque Gratiæ neque Gloriæ gradus eoſdem omnibus donatos eſſe. 4. At vere fide juſtificatos & ſalvatos eſſe fideles tam ante quam poſt Chriſti incarnationem; idque per Chriſti ſolius futurum ſacrificium, meritum, & interceſſionem, quamvis ſymboli noſtri Chriſtiani articuli plurimi illis erant ignoti.

Hæc poſtea copioſius explicata, quorundam præſens importunitas hic breviter monuiſſe mihi perſuaſit.

Errata corrigenda.

Tit. pag. l. 18. lege πλούτου τῶ ἐξουσίαν] Præfat. l. 6. lege [hæreſeωs] p. 140. l. 42. lege [efficientes] p. 215 l. 41. lege [multo] p. 217. l. 40. l. [hydraulica] & l. 52. lege [Pneumatologia] p. 226. l. 19. leg. [cap. 9. & 10.] p. 229. pro neque lege [&] p. 233. add. [cap. 11.] Cætera colligere (ni fallor pauca & minuta) non vacat.

THEOLOGIA

Præli Errata notaturus primo,

De meipſo Lectori fatendum judico, me ſcholaſticorum & ſtylo & libertate uſum, quædam eorum vocabula quamvis barbara uſurpaſſe, quædam etiam ex propoſito fabricaſſe, ex mera nominum penuria, quando ejuſdem ſignificationis nomen non adfuit: Qualia ſunt *Suitas*, *Egoitas*, *Rectoratus*. *Volenda* (ut à *Credendis* & *Agendis* diſtincta) *Nolita*, *placeor*, *complaceor*, *hæreticare*, *cauſare* & *cauſari* paſs. Et deponentium quorundam participia paſſivè ſumpta, *viz.* *minatus* (ut *comminatus* ab Apul.) *queſtus* ab Ovid) *intuitus* (à Quintil.) *perſecutus* (à Cicer.) *&c.* Sententiâ loco nominis uti nolui. Ligneam clavem reſerantem mallem quam auream inefficacem aut nullam. Si *Res dictas* & *mentem dicentis intelligibiliter* aperio, propoſitum meum aſſequor. De barbariſmo vitando non anxie ſollicitus ſum. Si modo [*Conveniant rebus nomina cuncta ſuis.*] Nec Grammatiſtas ſubſannantes reformido. Qui Phraſes vult nitidiores ad libitum eas ſubſtituat: Chartam habebit Patientem: O nos fœlices [*Si culpas animi citò tam delere daretur*] Mihi autem [*Non vacat exiguis: fugit hora: perennia præſunt*] præſtant, Pulſant.

VALETE.

Perlegenti fœda hæc Erratorum corrigendorum Colluvies occurrit.

PRæf. lin. 1 leg. *librorum*, conqueſtus ſit, l. 5 l. *hereſeωs*, l. 45 l. *Veritatum*, p. 2 l. 10 l. *decor*, p. 5 l. 47 l. *inceſſi*, p. 6 l. 7 l. κατὰ, l. 10 l. αυτόπιςα, l. 30. l. *impreſſæ*.

Indicis p. 2 l. 44 l. *irreſiſtibili*, & l. 47 p. 9 l. 4 l. *conſtitutiva*, p. 11 l. 12 l. *hypocriſeωs* p. 12 l. 11 l. πολιτευμα, l. 22 l. *at* pro *ut*.

P. 61 l. 29 l. *illâ*, p. 9 l. 7 l. *Solæ*, l. 29 l. *Conſtitutivam*, l. 46 l. erunt, p. 10. l. 32 l. dato, p. 11 l. 12 l. iſque, p. 13 l. 34 l. eſſentialibus, p. 15 l. 6 l. aperiebantur, p. 16 l. 17 l accuratiſſima, p. 18 l. 28 l. contrariæ, p. 19 l. 36 l. Anglicani, p. 25 l. 15 l. damnandos, p. 25 l. 4 l. *ſuos*, p. 26 l. 55 l. particularium, p. 27 l. ult. l. aſſerit, p. 28 pro [*Quæ ſunt*] l. *viz*, p. 37 l. 7 l. fructus, l. 12 l. potentiſſima, p. 43 l. 2 l. conterant, p. 44 l. 54 l. præſcindendo, p. 46 l. 3 l. argumentando, p. 48 l. 9 l. neceſſariarum, p. 50 l. 38 l. permiſſionis, p. 52 l. ult. l. ad, p. 56 l. 41 l. ſubordinatos, l. 42 l. hos, p. 57 l. 53 l. eam, p. 59 l. 1 dele effective, p. 65 l. 17 l. immolent, p. 82 l. 42 l. aliquem, p. 94 l. 13 l. aptitudinalem, p. 140 l. 4 l. efficientes, p. 141 l. 32 l. Spiritibus, p. 148 l. 10 l. deſtruis, p. 150 l. 41 l. particulæ, p. 161 l. 15 l. volitione, p. 165 l. 13 l. eſſentia, p. 166 l. ult. l. exiſtentes, p. 181 l. 26 l. dictæ, p. 190 l. 8 l. intellectus, p. 195 l. 3 l. quædam, p. 196 l. 1 l. unam, p. 208 l. 14 l. oportet, p. 213 l. 33 l. queramur, p. 215 l. 45 l. efficaci, l. 46 l. prædeterminaverit, p. 216 l. 11 l. naturalis, p. 217 l. 40 l. hydraulica, l. 52 l. pneumatologia, p. 219 l. 52 l. intellectus, p. 221 l. 17 l. ſubtiliora, p. 222 l. 4 l. enutrivit, p. 226 l. 53 l. congrediuntur, p. 229 l. 6 pro neq; l. &, p. 230 l. 31 l. effectus, p. 231 l. 9 l. *participare aſſerunt*, l. 40 l. ϰαλῶ π, p. 238 l. 30 dele *ſe*, p. 250 l. 18 l. intellectualem, p. 264 l. 43 l. inobedientibus, p. 266 l. ult. l. die, p. 269 l. 46 l. depravatio, p. 278 l. 29 l. irreſiſtibili, p. 285 l. ult. l. maxime, p. 288 l. 30 l. bonam, l. 51 l. præferre, p. 289 l. 46 l. non, p. 290 l. 16 l. obligata, l. 23 l. odii, p. 290 l. 40 l. prælatum, p. 293 l. 22 l. irreſiſtibili, p. 295 l. 13 l. veritate, p. 295 l. 33 l. irreſiſtibiliter, p. 297 l. 17 l. vidit, p. 298 l. 5 l. adverſam, l. 44 l. malas, p. 301 l. 2 l. decidens, p. 307 l. 8 l. Dii, p. 313 l. 41 l. ruinam p. 325 l. 16 l. extrinſecam, p. 333 l. 20 l. præbent p. 344 l. 27 l. annorum, p. 355 l. 2 l. deſcriptio, p. 361 l. 20 l. promittere, p. 370 l. 32 l. Corporis, p. 378 l. 42 l. crudelitatis, p. 379 l. 54 l. jam.

PART. 2.

P. 389 l. 21 l. intrinſecum, p. 393 l. 18 l. extrinſeco, p. 402 l. 51 l. Per ipſos, p. 405 l. 13 l. liberos, dele Parentibus, p. 409 l. 2 l. prognatum eſt, p. 419 l. 41 l. glorificentur, p. 424 l. 16 l. & blaſphema, l. 17 l. Idololatriæ, p. 426 l. 51 pro ergo l. Ego, p. 433 l. 36 l. Moſen & Iſraelitas, p. 444 l. 28 pro quod l. quoad, p. 446 l. 22 pro *aut* l. *ut*, p. 448 l. 22 dele ſunt, p. 449 l. 41 l, maledicos, p. 384 l. 3. Cainitarum, p. 385 l. 53 l. glorificata, p. 386 l. ult. l. bruta, p. 388 l. 10 adde iis, p. 329 l. 24 l. odioſos, p. 392 l. 35 l. præſentes, p. 396 l. 19 l. fœderis, p. 397 l. 40 l. præſenti, p. 406 l. 2 10 l. Iſaacus, & Iſaac, p. 410 l. 61 l. Semi, l. 9 l. Hebraicum & l. 8 p. 413 l. 15 l. Iſaaci, p. 415 l. 24 l. Joſue, p. 419 l. 8 l. poſſederint, p. 420 l. 2 l. dictum eſt, 431 l. 5 dele *adhuc*, p. 436 l. 37 pro *ab* l. &, p. 438 l. 11 l. ἐξοχὴν, p. 444 l. 4 l. venerandos, p. 448 l. 6 l. minimis, p. 448 l. 23 dele *ſunt*.

PART. 3.

P. 20 l. 1 l. Conditiones, p. 61. 81. exemplum, p. 7 l. 16 l. quoad pro quod, p. 26 l. 15 l, ad quos, p. 29 l. 46 l. hæreſoωs, p. 37 l. 1 l. inordinatas rebelles, p. 42 l. 3 l. neceſſaria, p. 42 l. 15 l. fecit, p. 47 l. 61. obtinendos, p. 48 l. 25 l. tantas, p. 56 l. 15 l. donationis, p. 57 l. 22. pro fidem l. finem, p. 66 l. 27 l. hypocriſeωs, p. 61 l. 30 l. Manaſſis, p. 66 l. 33 l. Dominio, p. 67 l. 22 l. in Chriſtum l. 42 l. dicat, p. 78 l. 3 pro ſe l. ſibi, p. 78 l. 41. deſidia, p. 81 l. 14 l. objecta capacia, p. 82 l. 4 l. incuſant, p. 82 l. ult. l. proprio filio, p. 87 l. 8 l. homines, p. 43 l. 54 l. ſatisfactione, p. 60 l. 46 l. à nobis, p. 96 l. 50 pro Partem l. Patrem, p. 104 l. 42 l. hæreſeωs, p. 104 l. 47 l. [factæ] l. penult. l. gliſcunt, p. 119 l. 42 l. veritatem, p. 125 l. 37 l. hæreſeωs, 128 l. 9 l. percipimus, p. 133 l. 5 l. eſſe, p. 134 l. 10 l. operans, p. 137 l. 3 l. precationis, p. 141 l. 8 l. feneſtris, p. 143 l. 39 l. abſorbebit, l. 49 l. Quoad pro Quod, p. 151 l. 47 pro borum l. bonum, p. 163 l. 36 l. abſtractivum, p. 172 l. 28 l. ornatiorem, p. 174 l. 33 l. humanum, p. 194 l. 22 pro *ob* l. ab, p. 201 l. 45 l. *at* pro *ut*, & ut pro *at*, p. 206 l. 33 l. homunciones, p. 220 l. 39 l. Spiritu, p. 234 l. 39 l. pœnitentes, p. 254 l. 21 l. in commodum, p. 265 l. 11 pro quæ l. quâ, l. 36 l. Dordracenâ, p. 267 l. 35 l. objecto, p. 281 l. 23 l. viſum, p. 282 l. 24 l. ambos, p. 285 l. 26 del. ſit, p. 992 l. 3 l. Donare, p. 292 l. 17 l. percipimus, p. 293 l. 23 pro *ſit* l. ſi, p. 294 l. 25 l. ſapientiſſimus p. 299 l. 41 l. Conditionem, p. 314 l. 17 l. minimè, p. 319 l. 25 l. offenſo, p. 323 l. 3 l. lavit, p. 326 l. 37 l. Ideoq; p. 335 l. 9 l. hac, p. 335 l. 35 38 l. ægroti, p. 337 l. ult. l. Spiritus, p. 340 l. 42 l. amandam, p. 342 l. 22 l. pœnitet, p. 366 l. 40 l. cuja, p. 368 l. 4 l. pro-legalem.

PART. 4.

P. 372 l. 27 l. perfectorum, p. 376 l. 41 l. opinionibus, p. 378 l. 43 l. Novæ, p. 380 l. 31 l. ſeipſas, p. 383 l. 50 l. augmentatione, p. 393 l. 32 pro priora l. pejora, p. 394 l. 20 l. regio aut, p. 395 l. 5 l. innuuntur, p. 396 l. 23 l. *melius*, p. 398 l. 5 l. hoſtibus, p. 398 l. 46 l. aſſueta, p. 399 l. 20 l. ſophiſmatum, p. 400 l. 32 l. paci, l. 52 l. mutuati, p. 403 l. 29 l. ſpem, p. 406 l. 35 l. *ſanandum eſt*, l. ult. l. temporarii, p. 414 l. 1 l. Malignitatem, p. 425 l. 2 l. communionis, p. 426 l. 21 l. *idem principium*. p. 427 l. 37 l. Jac. 3, p. 429 l. 24 l. ſuo, p. 431 l. 28 l. Veritati, p. 437 l. 15 l. totum, & l. 29 l. animos.

est
PERFECTIO.
TELLECTUS, VOLUNTAS
S, SPIRITUS SANCTUS
(immanens)
manans)
et Ad Quem (omnia)
PTOR REGENERATOR
PATER FINIS { i.e AMOR et optimus
Amantissimus et Amabilissimus
= DEUS

a ESSENTIÆ Conceptus Generalis, Formalis, Modalis
b Conceptus FORMALIS unus = triplex
c PERSONARUM Trinitas in Unitate.
d Conceptus triplex MODALIS FORMÆ EXISTENTIS
e RELATIO triplex CAUSALIS ad Creaturas
f RELATIO triplex Fundamentalis ad Homines
g RELATIO triplex Secundaria ad Homines

(Omnes Conceptus Analogici, aut imperfecti, essentiæ incomprehensibilis, et ineffabilis. De DEO tamen ORDINIS authore, non confuse cogitandum est.)

CREATORIS

SUBSTANTIÆ	POTENTIÆ
VIRTUTIS	SAPIENTIÆ
PERFECTIONIS	BONITATIS (seu Amoris)

IMAGO = GLORIA

a SUBSTANTIA est essentiæ conceptus fundamen
b VIRTUS est Conceptus formalis, talis
est Principium agendi, et continet
hos conceptus inadæquatos, viz
Potentiam = Activam, Vim et
Inclinationem.

IN ipsa VIRTUTE
In ACTU (imanente)
In Actione ad extra concipienda.
In ipsa VIRTUTE
In ACTU
In ACTIONE
In Virtute
In Actu
In Actione ad (Communi) viz
MOTUM
LUMEN
CALOREM

ACTIO VIRTUTUM in MATERIAM Passivam est 1° ad Accidens = 2° ad Dispositionem, 3° ad Formam. Inde est 1° Unio Essentialis 2° Vita. 3° Inoperatio: donec mixta in Principia resolvantur

MIXTA sunt II. VNIVERSITAS II. Systemata Globorum III. Globi cum Appendicibus. IV. Horum Partes, viz

I. NATURA MENTALIS (a) SUBSTANTIA (vel Soria) PURISSIMA
id est, Intellectiva
Cujus conceptus inadæquati sunt (b) VIRTUOSISSIMA (vel VIRTUS) viz VIRTUS = VITALIS = ACTIVA (vel VITA) VIRTUS INTELLECTIVA
II. NATURA ANIMALIS SUBSTANTIA VITALIS = ACTIVA = SENSITIVA VIRTUS VOLITIVA viz
i.e Sensitiva
Cujus conceptus inadæquati sunt PURIOR VIRTUOSIOR viz VIRTUS PERCEPTIVA = SENSITIVA
III. NATURA IGNEA SUBSTANTIA ACTIVA
i.e Vegetativa
Cujus conceptus ut in se PURA VIRTUOSA vel VIRTUS ILLUMINATIVA CALEFACTIVA
I. AER est MATERIA Primo PASSIVA Recipiendo MOTUM LUMEN CALOREM conjistentia formatus per sensus dignoscenda, maxime tenuissima, mollissima diaphana, permeabilis, Spirabilis Igni proxima.
II. AQUA (seu HUMOR) est MATERIA Secundo PASSIVA Recipiendo MOTUS LUMINIS CALORIS Consistentia per sensus dignoscenda, tenuis mollis, mobilis, diaphana, permea bilis, Aeri proxima.
III. TERRA quæ est MATERIA 3° PASSIVA Receptiva motus Lumi=nis Calo=ris Consistentia per sensus dignoscenda, crassa, densa, durissima, minus mobilis, Media utriusq; Agriculturæ, Navigatio &c

Mixta I. IESUS = CHRISTUS = DEUS HOMO FILIUS, MUNDI REDEMPTOR DOMINUS LUX = REX SERVATOR DONANS REVELANS PROMERITUS NATURÆ PRÆSERVA MEDELAM PERFECT

I. TELLUS
II. Concreta Metalla Saxa &c
III. Cadavera arborum trunci &c
TELLURIS 1° EFFICIENS Deus
II. CONSTITUTIO Pars notabilis est 1° Terra 2° Paries conjuges 3° Pars Activa, Aqua, Aer 4° Particulæ effomatæ Saxa &c lapides
III. FINES 1° Ignem ultimo fe=

I. MARE flumina fontes nubes &c quæ Terram Aerem et Ignem plus minus mixta habent.
II. Nix Grando Glacies &c
III. Cruor Succi Gummi aliqui humores
AQUARUM I. Efficiens est Deus An Per Ignem (et quæ) instrumenta ordinat et nobis ejus specifica ignotum sit
II. CONSTITUTIO 1° Pars notabilissima simplex AER 2° Pars nobilissima Ignis Solaris 3° Partes ignobiliores Aquæ plus minus
III. CONSTITUTIO 1° Pars notabilissima et stellaris 2° Pars nobilissima Ignis Solaris 3° Partes ignobiliores Aquæ plus minus
IV. Ignita ut flamma Pruna &c
V. VEGETABILIA Quorum
I. GENERA viz 1° Seminis 2° Per Causas 3° Universales
II. CONSTITUTIO 1° ex Materia 2° Aquea 3° Terrea
2° ex Principiis viz 1° Igne Vegetativo 2° Animasensitiva Quæ est 1° Substantia Purior 2° Virtus formalis una: trina 1° Sensitiva Vitalis 2° Perceptiva 3° Sensitiva Appetitiva
III. Actus Animantes sunt

I. Regio AERIS ubi miscentur Ignis et Vapores
II. VENTUS Aer viz cum exhalationibus in motu violento
III. Bullæ flatus, et ignota
De AERE ut mistorum aliis notanda
I. CAUSA Efficiens prima DEUS 2° An dentur Causæ Secundæ ejus specifica ignotum sit
II. CONSTITUTIO 1° ex Materia Receptiva Aquea 2° Aerea 3° Terrea
2° ex Principiis viz 1° Igne Vegetativo 2° Animasensitiva Quæ est 1° Substantia Purior 2° Virtus formalis una: trina 1° Sensitiva Vitalis 2° Perceptiva 3° Sensitiva Appetitiva
ANIMAS seu mentes et 1° Substantia purissima: 2° Virtus formalis una: trina 1° Vitalis Activa 2° Intellectiva 3° Volitiva
III. Actus Animantes sunt

I Systemata cælestia ex Igne et materiâ ignata
II. Solstellæ fixæ &c ex Igne et materia ignota. An autem forma aliquâ nobiliore donantur nobis certum est.
III. Planetæ et Tellus quarum forma est Ignea.
IV. Ignita ut Pruna &c
V. Bilia Quorum
I. GENERA viz 1° Seminis 2° Per Causas 3° Universales
II. CONSTITUTIO 1° ex Materia Aquea, Terrea 2° Per Ignem, aut in Specifica 2° Per Animam conjuncta ut Actiones
2° ex Principiis viz 1° Igne Vegetativo 2° Animasensitiva Quæ est 1° Substantia Purior 2° Virtus formalis una: trina 1° Sensitiva Vitalis 2° Perceptiva 3° Sensitiva Appetitiva
III. Actus Animantes sunt

I An dentur Animæ Sensitivæ cum Igne et Aere Solis Ignatum est
II. Animæ Sensitivæ cum Igne et elementis Passivis Bruta Quorum considerandæ
I GENERATIO viz 1° Seminis 2° Per Causas 1° Universales viz 1° Deum 2° Solem 3° Formam Tellurem 2° Speciales viz 1° Deum 2° Parentes
II. Animalis formati viz Per Causas 1° Universales (jam dictas) 2° Speciales, viz 1° Deum 2° Semetipsum
II. CONSTITUTIO 1° ex Materia Receptiva Aquea 2° Aerea 3° Terrea
2° ex Principiis viz 1° Igne Vegetativo 2° Animasensitiva Quæ est 1° Substantia Purior 2° Virtus formalis una: trina 1° Sensitiva Vitalis 2° Perceptiva 3° Sensitiva Appetitiva
III. Actus Animantes sunt

II An ex Unione Mentium et Animarum Sensitivarum Ignotum
III An ex unione Mentium Animarum et Ignis Ignotum
IV An ex unione Ment: Anim: Ignis et Aeris: Ignotum
At quod Angeli sint Mentes eminenter Sensitivæ aut Ignæ Substantiæ, dut Igni uniti, ut et Dæmones Igni et Aeri, plurimi opinantur
V Ex unione Mentium Sensibus præditarum, cum Igne et Materia tripli passiva: Homines: Quorum considerandæ
I GENERATIO Quæ est 1° Seminis, viz Per Causas 1° Universales 2° Speciales, viz 1° Deum 2° Parentes
II. Hominis formati Per Causas 1° Universales 2° Speciales, viz 1° Deum 2° Semetipsum
II. CONSTITUTIO 1° ex Materia Aquea, Terrea 2° ex Principiis viz 1° Aerea 2° Aquea 3° Terrea
ANIMA et 1° Substantia purissima: 2° Virtus formalis una: trina 1° Vitalis Activa 2° Intellectiva 3° Volitiva
III. Actus Animantes sunt

I. An dentur Animæ Sensitivæ cum Igne et Aere Solis Ignatum est
II. Animæ Sensitivæ cum Igne et elementis Passivis Bruta Quorum considerandæ
I GENERATIO viz 1° Seminis viz Per Causas 1° Universales viz 1° Deum 2° Solem 3° Formam Tellurem 2° Speciales viz 1° Deum 2° Parentes
II. Animalis formati viz Per Causas 1° Universales (jam dictas) 2° Speciales, viz 1° Deum 2° Semetipsum
II. CONSTITUTIO 1° ex Materia Receptiva Aquea 2° Aerea 3° Terrea
2° ex Principiis viz 1° Igne Vegetativo 2° Animasensitiva Quæ est 1° Substantia Purior 2° Virtus formalis una: trina 1° Sensitiva Vitalis 2° Perceptiva 3° Sensitiva Appetitiva
III. Actus Animantes sunt

II An ex Unione Mentium et Animarum Sensitivarum Ignotum
III An ex unione Mentium Animarum et Ignis Ignotum
IV An ex unione Ment: Anim: Ignis et Aeris: Ignotum
At quod Angeli sint Mentes eminenter Sensitivæ aut Ignæ Substantiæ, dut Igni uniti, ut et Dæmones Igni et Aeri, plurimi opinantur
V Ex unione Mentium Sensibus præditarum, cum Igne et Materia tripli passiva: Homines: Quorum considerandæ
I GENERATIO Quæ est 1° Seminis, viz Per Causas 1° Universales 2° Speciales, viz 1° Deum 2° Parentes
II. Hominis formati Per Causas 1° Universales 2° Speciales, viz 1° Deum 2° Semetipsum
II. CONSTITUTIO 1° ex Materia Aquea, Terrea 2° ex Principiis viz 1° Aerea 2° Aquea 3° Terrea
ANIMA et 1° Substantia purissima: 2° Virtus formalis una: trina 1° Vitalis Activa 2° Intellectiva 3° Volitiva
III. Actus Animantes sunt

ONTOΛOΓIA sive ENTIUM NATURA, ORDO, FINIS.

DEUS

a ὑσία, VITA, P

b POTENTIA=ACTUS, INTE

c PATER, λογος=FILIUS, S

d VIRTUS

ACTUS (im

ACTIO (ema

Per Quem

REDEMP

RECTOR, Sapientissimus

e Ex Quo

f CREATOR

g DOMINUS=ACTOR Potentissimus

MUN

SECUM GLORIFICANS

Amen.

VITA, VISIONE, AMORE, MUTUO DIVINO

tandem in Perfectâ et Aternâ Cælesti

COLLIGENS REGENS PERFICIENS

SIBI FIDE SPE AMORE

ECCLESIAM

ita

PIETATIS IUSTITIÆ CHARITATIS

DIVINUM EXERCENDUM In OPERIBUS

AD VITAM SAPIENTIAM AMOREM

MORTALIOS COECOS INIMICOS

VIVIFICANS ILLUMINANS SANCTIFICANS

PER EVANGELIUM MINISTROS SPIRITUM SANCTUM EOS

A PECCATIS INIMICIS POENIS

PECCATORUM LIBERATIONEM

VATIONEM AM CTIONEM

7

P

T

I

I

THEOLOGIA est {Doctrina / Scientia} affectiva-practica de REGNO DEI super hominibus:

Regni hujus triplex est *Status*, *viz.* 1. Naturæ. 2. Gratiæ. 3. Gloriæ.

I. NATURÆ: cujus considerandæ sunt

- I. Constitutio activa: ubi sunt 1. Efficiens, DEUS; 2. Effectio, CREATIO.
- II. Constitutio constituta: ubi sunt
  - 1. Partes Constitutivæ
    - 1. DEUS.
    - 2. *Homo.*
  - 2. Forma Regni (vel Familiæ.)
  - 3. Adjuncta: Mundus.
- III. Regimen seu Administratio: ubi
  - 1. Regimen Antecedens, cum Dispositione rerum, & Beneficiis.
  - 2. Actiones Subditorum; ubi Peccatum.
  - 3. Regimen Consequens, Quod fuit
    - 1. Judicium.
    - 2. Executio.

II. GRATIÆ, cujus est *Status*.

I. UNIVERSALIS INITIALIS, *viz.*

I. Inceptus (cum Adamo:) ubi sunt
- 1. Constitutio Efficiens.
- 2. Constitutio Effecta: ubi
  - 1. Partes
    - 1. DEUS REDEMPTOR.
    - 2. Homo Peccator, filius mortis.
  - 2. Forma Regni.
- 3. Regimen seu Administratio: ubi
  - 1. Regimen Antecedens, *viz.* Legislatio vel Fœdus Gratiæ.
  - 2. Actiones subditorum; justorum & injustorum.
  - 3. Regimen subsequens, *viz.*
    - 1. Judicium
      - 1. Erga justos.
      - 2. Erga injustos.
    - 2. Executio

II. Confirmatus (cum Noe:) ubi.
- 1. Regimen Antecedens: Fœdus Gratiæ cum additamentis.
- 2. Actiones Subditorum; Piorum & Impiorum.
- 3. Regimen subsequens, *viz.* Judicia & Executiones.

II. PARTICULARIS, *viz.*

I. Initialis, cujus considerandæ sunt
- 1. Constitutio Activa vel Efficiens; per fœdus cum Abrahamo, &c.
- 2. Constitutio Passiva: ubi
  - 1. Partes constitutivæ,
    - 1. DEUS.
    - 2. Abrahamus cum ejus semine.
  - 2. Forma.
- 3. Administratio: ubi item
  - 1. Regimen Antecedens: Legislatio.
  - 2. Actiones subditorum.
  - 3. Regimen subsequens, *viz.* Judicia & Executiones.

II. Confirmatus: ubi est plenior
- 1. Constitutio efficiens per Moysen.
- 2. Constitutio effecta: ubi partes sunt
  - 1. DEUS Abrahami, &c. Liberator ex Ægypto.
  - 2. Populus Israeliticus.
- 3. Administratio, ubi sunt
  - 1. Regimen antecedens: ubi consideranda sunt
    - 1. Fœdus cum Sacramentis, Circumcisione & Paschate.
    - 2. Decalogus.
    - 3. Leges cæteræ Mosaicæ particulares.
  - 2. Actiones subditorum; superiorum, & inferiorum; bonorum & malorum.
  - 3. Regimen subsequens, per judicia & executiones; præmia & pœnas.

III. UNIVERSALIS PERFECTIOR, vel ultimæ editionis, *viz.* CHRISTI incarnati : ubi considerandæ sunt

- I. Constitutio Efficiens.
- II. Constitutio effecta : cujus sunt
  - 1. Partes,
    - 1. Imperans : 1. DEUS REDEMPTOR. 2. CHRISTUS MEDIATOR incarnatus :
    - 2. Subdita : Homo peccator-Redemptus.
  - 2. Forma Regni ; in triplici Relatione.
- III. Administratio : ubi sunt
  - I. Regimen Antecedens : Quod explicandum est 1. Generaliter, 2. Distinctius,
    - *viz.*
      - I. Circa triplex Objectum, *viz.* 1. Infideles ; subditos tantùm obligatos. 2. Hypocritas, baptizatos. 3. Vere fideles.
      - II. In triplici periodo, *viz.* 1. Sub Christo adhuc in terris ; fundamento proprio primario. 2. Sub Apostolis, Ecclesiæ fundatoribus, Ministris. 3. Ab Apostolis ad finem Mundi.
    - III. Quoad opus Regendi : ubi considerandæ sunt
      - I. EVANGELIUM ipsum,
        - *viz.*
          - I. Sub triplici Forma : *viz.* 1. Ut est Donatio vel Testamentum Amantis. 2. Ut Doctrina Doctoris. 3. Ut Lex Imperantis.
          - II. Sub triplici Formulâ
            - 1. Fœderis Sacramentalis : ubi 1. De Baptismate, 2. De Sacramento Corporis & Sanguinis Christi.
            - 2. Summarii triplicis
              - 1. Symboli Fidei ; Articulatim hic explicandi.
              - 2. Precationis Dominicæ ; hic explicandæ.
              - 3. Decalogi ; quà Legis Christi : ubi explicanda sunt 1. Omnia præcepta : 2. At copiosius, 1. Amor Dei. 2. Amor proximi & justitia. 3. Amor nostri.
            - 3. Sacræ Scripturæ ; ubi sunt & Essentialia & Integralia & Adjuncta necessaria.
        - II. AUXILIUM triplex ; *viz.* 1. Operativum ; SPIRITUS SANCTI, Testis, Advocati & Agentis Christi. 2. Objectivum ; OPERA DIVINA. 3. Suasorium ; MINISTERIUM hominis præcipuè Officialium
          - Ubi
            - 1. De Parentibus & Familiis.
            - 2. De Pastoribus & Ecclesiis particularibus : & earum (Christi : 1. Constitutione. 2. Administratione. 3. Consociatione & Synodis.
            - 3. De Magistratu & Republica.
        - III. Et Reductivè de triplici INIMICO, 1. Carne, 2. Mundo, 3. Diabolo, hic dicendum est.
    - II. Actiones subditorum, 1. Fidelium, 2. Infidelium, hic considerandæ sunt
    - III. Regimen subsequens : de quo dicendum.
      - 1. Generaliter
        - 1. De Judicio, 1. In Genere. 2. In Specie, *viz.* 1. De Justificatione, 1. In Genere : ubi de 1. Justitia, 2. Meritis. 2. Distinctius de Justificatione 1. Constitutiva. 2. Judiciaria. 3. Executiva. 2. De Condemnatione.
        - 2. De Executione, 1. In Genere. 2. De Executione in Specie : ubi 1. De pœnis in genere. 2. De præmiis in genere.
      - 2. Distinctius
        - 1. Ut in hac vita : ubi 1. De Judicio, Justificatione & Condemnatione in hac vita. 2. De Executione 1. De pœnis in hac vita. 2. De præmiis in hac vita : ubi distinctè de Remissione peccatorum.
        - 2. Ut in vita futura : ubi 1. De Judicio & ibi de 1. Justificatione 2. Condemnatione } futuris. 2. De Executione futura : ubi incipit REGNUM GLORIÆ.

III. GLORIÆ : ubi dicendum est
- 1. De Constitutione, 1. Ante Resurrectionem 1. De Glorificatione. 2. Post Resurrectionem : 2. De Damnatione. ubi de Resurrectione & Adventu Christi.
- 2. De Regimine
- 2. De Vita jucunda Cœlesti in terris ex prospectu REGNI GLORIÆ.

Ubi
1. De vita jucunda Fidei
2. De vita jucunda Spei
3. De vita jucunda Amoris
} ex prospectu GLORIÆ.

Capitis

Capitis primi Elucidationes.

§ 1. THEOLOGIA est nomen æquivocum, & sumitur I. Objectivè; idque 1. Metonymicè, & rarissimè, pro *Rebus ipsis*, Theologiæ subjectis. 2. Frequentius, pro *scientia* objectivâ, vel notionibus objectivis, id est, Doctrinâ Theologicâ objectivâ, ut in verbis, scriptis, seu signis quibuscunque scientificis. II. Pro *scientia* Theologica subjectivâ, seu activâ; Et 1. Rariùs, pro scientia ipsarum rerum intuitiva, vel immediata. 2. Frequentiùs, pro scientia abstractiva, 1. Ut in Ideis seu ipsis speciebus. 2. In *verbis Mentis* formata. 3. In verbis prolatis expressa.

2. Quod ad ordinem, Theologia est primò Eminenter, & Causaliter in *Mente Divina*. 2. In *rebus ipsis objectivis*, significatis. 3. In *rerum signis scientificis* ut à Deo, in creaturis, scriptis; visione, voce, naturaliter aut supernaturaliter nobis traditis. 4. Ut in Mente primorum discentium. 5. Ut in doctrina horum Docentium. 6. Ut in Mente eorum discipulorum, (& in praxi.)

3. Verba (& mentis & oris) & notiones organicæ *Rebus* sunt aptandæ: Et Deus Maximus, Sapientissimus, Optimus, *rerum* prima Causa, est ORDINIS itidem & *Methodi* prima Causa; Confusionis autem author non est, 1 *Cor.* 14.33. *Jac.* 3. 15,16 Et Methodum Divinam perfectissimam, & pulcherrimam scire, *sapientis* est, & verè Theologi.

4. Quamvis res eodem *Ordine* in Mente Discentis quo & Docentis collocandæ sunt, & ad hoc Docentis verba sunt aptanda; quia tamen ad modum recipientis recipiuntur, à proximis & *notissimis* plerumque incipiendum est, juxta *Ordinem Evidentiæ*, non autem juxta *Ordinem* aut *Essendi* aut *Causandi*.

5. *Theologia* etiam aliquando arctissimè sumitur, pro illa, seu *Doctrinæ* seu *scientiæ* parte, cujus *solus ipse* DEUS est objectum: Et ita *scientia* universa dividitur in *Theologiam*, *Pneumatologiam*, & *Somatologiam* (& scientiam *compositorum*) Hic autem in Tabula nomen *latius* sumitur, ut in definitione patet.

6. Contendunt quidam Scriptores Theologici, utrùm *Theologia* dicenda sit, *speculativa*, *affectiva*, an *practica*? Quasi quæreret aliquis an Ignis sit *Motivus*, *Illuminativus*, an *Calefactivus*? aut Anima humana sit, *Vitaliter activa*, *Intellectiva vel Volitiva*? At sicut virtus hæc una-trina est *Animæ* Essentialis, ita & *Theologiæ* veræ salutari Essentiale est, ut sit, *scientia-affectiva-practica*, ad *Intellectûs* scilicet, *Voluntatis* & *Praxeos* perfectionem adaptata; quamvis æquivocè pars sola speculativa, quâ talis, dici possit *Theologia*.

7. Theologia igitur non plene definitur, vel *Doctrina* (aut *scientia*) *de Deo*, aut *Doctrina Deo vivendi*, aut *Doctrina de Deo glorificando & hominibus salvandis*, &c. sed ut definitur, Doctrina vel Scientia-affectiva *practica de Regno Dei super hominibus*. REGNUM autem *Dei* cum nominamus, DOMINATUM & AMOREM (seu *Paternitatem*) semper includendos volumus. REGNUM DEI etenim est REGNUM PATERNUM Cum DOMINIO ABSOLUTISSIMO: Ob penuriam autem nominum, & ad vitandam prolixitatem, cæteris subintellectis, DEI REGNUM plerumque solùm nomino; sicui autem hoc nomen minus arridet, DEI FAMILIAM seu, THEOCRATIAM haud ineptè idem appellare licet.

8. Quandoquidem autem non Theologiam proprie *Angelicam* definimus, sed *Humanam*; Dei *Regnum* igitur *universum* minimè comprehendit nostra Theologia. Plurima nempe nos omnino nescimus, de Regimine Divino Intelligentiarum, Cœlorum, Angelorum, utpote ad mortales haud pertinentia ideoque nec revelata; Tantùm de *Angelis* ut *adjunctis* hujus Regni inferioris, & ut Fidelium *custodibus*, & ut Regni gloriæ incolis, nostríque ibi sociis, Theologia tractat.

9. Qui Methodum Theologiæ *Politicam* nolunt, cum Atheistis ad merè *Physicam* ut confugiant necesse habent; Itidémque ut de Lege Dei, de hominum officio, de peccato, de Mediatore, de remissione, de Judicio, de Justificatione, de Condemnatione, de pœnis, aut de præmiis, ne tractent, par est. Qualis autem

istiusmodi tandem fuerit Theologia, aut quales isti reputandi sint Theologi, ut multis dicerem minime opus est. Aliorum Theologiæ Methodos exagitare, neque vacat, neque placet: Hoc autem innuere hìc licet, Quod plurimorum systematum defectus & confusio (in partibus etiam haud levis momenti) hanc nostram exquirere me coegit; quam ORDO RERUM & S. Scriptura, ut congruam, comprobabunt.

10. De triplici *Regni Divini* statu, tractat Theologia: De statu autem NATURÆ parciùs, ut de statu initiali, brevi, præterito; quem paucis itidem Sacræ Literæ expediunt: Neque plene aut copiosè de statu GLORIÆ, (quamvis primariâ intentione, ut de Fine, Mediorum omnium quasi animâ;) Quia de remotis, & minùs-notis, necessario parcius dicendum est; Et plena ejus notitia solis beatis possessoribus & convenit & obvenit: De statu autem GRATIÆ copiosissime, utpote *nostro*, *præsenti*, *plenissimè* in Sacris Literis *revelato*, & *fundo* ubi negotia nostra jam ponuntur, & ubi studia & labores nostri, assidue summâque industriâ, expendendi sunt.

11. Per statum NATURÆ hic volo, NATURÆ HUMANÆ INTEGRÆ, inter res omnes *Naturales* itidem integras primò positæ; & per NATURAM hanc Rerum, cum cœlesti aliquali superadditâ revelatione, instructæ & instruendæ, & per eandem cum Auxilio cœlesti necessario & sufficiente adjutæ: Non autem Dei & Causarum inferiorum motum aut Gubernationem merè Physicam, qualem in inanimatorum & brutorum ordinatione exercet, quam REGNUM DEI NATURALE nonnulli vocitant: Quamvis opera Dei Naturalia hæc, ad Regni hujus & efficientiam, & constitutionem & administrationem pertineant.

12. Per [*Constitutionem Activam*] intelligo, *Efficientis Effectionem*, quâ talem, ut consideratur scilicet ex parte agentis.

13. Ad reliquorum intelligentiam hic Logica pauca de CAUSIS interserenda sunt. 1. Causarum Numerus haud accuratè quaternarius statuitur. 2. Nomen *Causæ*, *de Efficiente*, *Materiali*, *Formali & Finali* dictum, non est Univocum-Genericum, sed Æquivocum. 3. Nomen CAUSÆ Æquivocum significat, I. Causam *Efficientem*; II. Causam Constituentem; III. Causam Finalem, perficientem.

I. Causa Efficiens est vel *prima* vel *subordinata*, efficiens per vires aut *propias* aut *derivatas*. Causa *Efficiens* (quod ad rem nostram attinet) viz. *Per Quam res est*, sive extrinseca, est 1. *Efficiens* per VIRES POTENTIÆ. 2. Efficiens per LUMEN SAPIENTIÆ. 3. Efficiens per AMOREM seu BONITATEM. 1. Efficiens per *Potentiam* in sensu *famosissimo* dicitur efficere; & producit *Necessitatem*. 2. Efficiens per *Sapientiam* (quâ talem: Non enim loquor de *sapientia* quâ dirigit Potentiam Efficientis) *moraliter* tantum, *efficit*: Et supponit *Sapientiam* qualemcunque in *patiente*, seu recipiente; Quatenus *signa* vel *media directiva* efficit (*doctrinam* scilicet, *Leges*, *Promissiones*, *Exempla*, &c.) hæc omnia efficit *Potentialiter*, in sensu famosissimo: Quâ autem *Evidentiæ Lumen intellectionem* primariò, & *volitionem* secundariò causat, aliqualiter *efficere* videtur: Quamvis Efficientia hæc adeo mystica est, ut *modum Causandi* intellectus ipse per eam illuminatus haud *clarè* intelligit: Nec mirum, quandoquidem imperfectè adeo & obscurè intelligimus, & quid est sapientia efficiens, & quomodo se communicat, & quid est ipse intellectus recipiens, quid intellectio, imò quid Lumen, quid Visio, nisi sentiendo, & sensationem istam intelligendo.

Notandum hic, *objectum* mere *passivum* & *terminativum*, distinguendum esse ab exteriore illo *agente*, quod simul & *efficiens* & *objectum* est: saxum aut aqua est objectum mere *passivum* & *visum* solum *terminando constituit*: At *Lumen* non tantum est *objectum* visûs primarium, sed & *Agens* quod radiis oculum ferit: Et potentia nostra visiva itidem non est tantum objectum passivum *Luminis*, sed activè suos quasi radios emittit: & ex congressu similium, luminis scilicet externi activi, & interni, visus (ni fallor) constituitur. Et ita *Lumen* non tantum est Causa visûs *Constituens* sed *Efficiens*: sic etiam se res habere videtur in Intellectione:

ctione: *Intellectus Agens superior* (an *Deus solus*, aut Causa item aliqua secunda nobis ignotum est) in *Intellectum* nostrum *recipientem* influit, sicut Solis lumen in oculum: Et quamvis hic Influxus, quâ Actio, (sicut & Actio Luminis oculum ferientis) *Potenter* efficit (*Sapientia* enim seu *Intellectus* nunquam *agit* sine *Potentiâ-vitali-activa*) in hac tamen causatione, sicut peculiari quâdam (ut loquuntur Scotistæ) *Formalitate*, *Intellectus ipse* differt à *Vitalitate* & *Voluntate*; ita & *ejus Efficientia* differt *formaliter* ab efficientia *Vitalitatis* & *Voluntatis*. Et sicut Primarius ejus *Effectus* est in *Intellectu Recipiente* (qui tamen, ut Potentia visiva in visione, non *merè Passivus* est, sed *Activitate suâ* fit capax Influxûs Intellectûs Divini, & quasi *congressu* fit *actu Intelligens*,) ita secundarius ejus effectus est in *Voluntate* nostrâ & *potentiâ executivâ*; dirigendo scilicet & *Volitiones* & *Praxin*, sicut Lumen viatorem dirigit. Imò & ORDINATIO *rerum externarum*, seu circumstantium, in ORDINE OBJECTIVO Intellectui & Voluntati maxime congruo, est *Opus* non solum *Virium* seu *Potentiæ* activæ, sed & eminenter *Intellectûs* seu *Sapientiæ*, quâ talis: Et ita *Sapientia Divina* ORDINIS Causa Principalis, modo suo peculiari & peculiariter glorioso, MUNDUM REGIT, *Intellectum* & *Voluntatem* Angelicam & humanam Regendo, tum *Influxu* suo peculiari, tum rerum circumstantium *Sapientissimâ Ordinatione*.

3. Eadem fere de *Efficientiâ Peculiari Amoris* (*Divini* præcipue) dicenda sunt. AMOR *Divinus* non solum est Dei *Amabilitas Objectiva*, sed *Principium Activum*, qui cum *Potentia-Vitali*, & *Intellectu* quidem semper & inseparabiliter operatur, sed Peculiari suo Influxu, & *Causalitate formaliter* sibi propriâ: *Voluntas* scilicet *Agens superior* (Divina) peculiariter operatur primariò in *Voluntatem* inferiorem suo influxu, & secundariò Bonitatem rebus circumstantibus communicando, quâ voluntati nostræ objecta congrua fiunt (quæ sapientia *Ordinat.*) Et ita sicut *Calor Solis* suo influxu *formaliter* (quamvis non *substantialiter*) ab influxu Luminis distincto, recipientia calefacit, ita & *Amor* causat *Amorem*. Et hæc *Amoris Efficientia* MORALIS etiam dicitur, quia & præcipue *Effectus Morales* producit, & quia *Mystica* magis est ejus operatio quam *Potentiæ meræ* naturalis seu motivæ; ideoque à pluribus ut formaliter ab aliis Causationibus distincta vix observatur aut intelligitur: Quamvis rerum *perfectio* & *Bonitas* est peculiaris hujus effectus.

II. *Causa* CONSTITUTIVA est *Efficientis Effectus*, seu Res ipsæ productæ. Et juxta Rerum diversitatem ut diversa describenda est: Alia quippe est *Causa Constitutiva* Naturæ simplicis, alia compositorum: Alia spiritualis, alia corporeæ: Alia substantiarum quarum forma est *Virtus* Essentialis, alia earum quarum Forma & denominatio est Accidens.

Existentia sola habent Causas Constitutivas.

Existens omne est *Hoc-unum*.

Universalia Logica conceptus tantum inadæquatos rerum significant.

Omnis Res simplex creata est vel *Res Naturæ Activæ*, vel Passivæ.

Res Naturæ Activæ, nobis notæ, sunt vel *Intellectivæ*, *Sensitivæ*, vel *Ignis* (idem ni fallor quod *Vegetativæ*.)

Harum causæ constitutivæ, non sunt Res diversæ, compositionem facientes, sed partes tantum *Intellectuales*, id est, *Conceptus inadæquati objectivi*: suntque, 1. Substantialitas, 2. Substantiæ peculiaris dispositio, seu Puritas, (nobis haud nota.) 3. *Virtus*, seu *Vis Formalis*; Unica radicalitèr, at Trina exeuntèr & objectivè (seu ab objectis denominata.)

Res Naturæ Passivæ constituuntur ex tribus Principiis seu Causis Constitutivis, *viz.* 1. Materiâ; 2. Materiæ Dispositione; 3. Formâ; Aut si mavis ex *Materia disposita* & *Forma*.

Res simplices *Naturæ Passivæ* nobis notæ, sunt *Aer*, *Aqua*, *Terra*.

Harum itidem Causæ Constituentes (sicut & *Activorum*) sunt tantum Conceptus inadæquati non compositivæ.

Harum *Materia* dici possunt Atomi; at haud necessariò, quia an magna sit, an Parva, *Naturæ* quidem simplicis est; quamvis nisi sit atomus non est simplex quoad quantitatem impartibilem.

Harum

Harum *Dispositiones* sunt potius *sentiendæ*, quam *describendæ*, & obscurè tantum intellectui, nisi quatenus sensatæ, innotescunt.

Harum *Formæ* ex peculiari *Receptivitate* ut ad Activa relatæ sunt, (ut in *materia* ita *disposita*) denominandæ sunt; & ipsæ itidem vix aliter quàm ut sensatæ notæ sunt.

Doctrina Doctissimi senis D. Glissoni de *Vita omnium rerum simplicium*, quasi *substantialitas & vitalitas formalis*, uniuscujusque atomi essent conceptus inadæquati, & ita natura omnis esset essentialiter *Activa*, mihi minimè videtur probata: Multo minus doctrina *Campanellæ* de omnium *sensu*. Hæc autem de *Naturis Activis* verissima sunt, *viz.* Quod *Formam* habent *Activam*, *Virtutem* scilicet *essentialem* unicuique propriam, quæ non est *res alia* à sua *substantialitate*, sed conceptus partialis seu inadæquatus. Hoc etiam Verum est, in Natura unaquâque inferiori, esse aliquid Naturæ superiori *analogum*; & ita *analogica Ratio* est in *Brutis*, & *sensus analogicus* in *plantis*, & *vita* analogica in *inanimatis*. Neque diffitendum videtur Mundum universum dicendum esse *animatum*, ex parte *Activâ nobilissimâ*; Imò & *Tellurem* dicendam esse (non minùs quam *arbores*) *animatam*: Imò & quantum nobis notum est, *Passiva* nullibi sola & incomposita existere, sed aut animâ *intellectivâ*, aut *sensitivâ*, aut *vegetativâ informata* esse; aut saltem cum Igne, principio activo, *composita*, activitate aliquali donata fore: At *Activitas* hæc mihi videtur esse *ex principio Compositivo*, potiùs quàm ex *virtute* uniuscujusque simplicis *formali*. Difficultas nulla mihi obvia occurrit, præter illam quæ ex *Gravitate*, *Gravium descensu*, & passivorum *motu aggregativo* oritur; Quæ tamen aliunde quam ex *anima* seu *vita simplicium* formali oriri potest.

Privatio quæ ab Aristotele fit principium corporis naturalis, nil aliud est, quam *Materiæ dispositio*; *Absentia* enim formæ est tantum *præsuppositum*, & reverâ *nihil*: Neque de privatione *post formæ destructionem* intelligendus est Aristoteles: Cadaveris enim privatio non est principium constitutivum: Sed materia ut *Disposita* in ordine saltem naturæ ante *formam receptam*, ut illius *privata* consideratur: quia *Privatio* est absentia rei *debitæ-inesse* (ut loquuntur Scholastici.)

Res eadem diversimodè considerata, diversimodè etiam denominatur: Et denominandi ratio dicitur ejus forma: Et in hoc sensu res una plures habere potest denominantes formas: Ut homo idem quâ *Homo*, quâ *Rex*, quâ *Medicus*, &c. Et revera nullum est prædicamentum accidentium unde res informari & denominari non possit. Forma plurimorum consistit in *Quantitate*, magnitudine scilicet aut parvitate: Id est, nomina quibus appellantur & innotescunt, ex Quantitatis ratione sunt desumpta. Idem dicendum de *Gradibus Qualitatum*, & de ipsis *Qualitatibus*, de *Passione*, de *Actione*, de *Ordine*, & *Relatione*.

Et usitatissime nomen *Formæ* tribuitur compositis, 1. *Ex principio Activo prædominante*; & ita *Anima*, hominis *Forma* dicitur: 2. *Ex Unione*, seu Conjunctione illâ partium, seu *Ordine conjunctarum*, quo ad Compositionis opera aut finem res adaptatur: Et ita Animæ & Corporis Organici seu dispositi *unio*, seu *ordo* compositivorum, est *Forma* hominis. Et pleraque habent utrasque has formas, scilicet, *Principium Activum prædominans*, & *Formam Relativam* ex ordine partium: Sed de hisce plura suo loco sunt dicenda.

III. Causa *Finalis*, vulgò sic dicta, non est *Efficiens*, *quâ finalis*; at *Quæ finalis* est videtur aliquo modo *Efficiens*, (in quibusdam saltem instantiis) sicut antea de *Amore* dicta innuunt. Et miranda quidem est conjunctio sicut *Principiorum operantium* (*Potentiæ*, *Sapientiæ*, *Amoris*) ita & *Causationum*; sicut *Forma*, *quâ Forma* non est *Efficiens*; sed idem illud quod in uno instanti est Causa Constitutivâ, in alio aut priore aut posteriore est Causa Efficiens. Principium activum si prius *efficit* sibi domicilium seu Corpus organicum exinde fit ejus *forma*; & quando *forma* est, operandi seu efficiendi postea principium est; imò & sibi *finis* quamvis non ultimatè ultimus. Ita & *Causa* dicta *Finalis*, aliter & aliter considerata, potest esse & *Efficiens* & *Constitutiva*.

Causa Finalis nisi valde impropriè, non inanimatis, aut brutis tribuitur, sed agentibus *Intellectualibus* propria est.

Finis

Finis non dicitur *Causa finalis* quatenus est *Objectum terminativum* actûs; *Objectum* enim, *quâ Objectum*, est Actûs in specie Causa *Constitutiva*; Finis omnis objectum est, at non omne objectum est aut *finis*, aut *Causa finalis*.

Causa per plerosque dicitur *Finalis*, non quatenus *Bonum* est *Amoris Causa*, (& *velle finem* non dicitur *causari* à *Causa finali*;) sed quatenus *Amantem* movet ad *Media eligenda*. Rationem autem adhuc Intellectus meus haud capit, quare magis *Electionis Mediorum* quam *Amoris suiipsius*, *Causa* diceretur. *Objectum Formale* uniuscujusque *Volitionis* seu *Amoris* est objecti *Materialis Bonitas*, quâ talis: Hinc Rationem reddimus, Quare hoc vel illud volumus. Objectum formale Electionis mediorum, est *eorum Bonitas media*, id est, Aptitudo seu conducibilitas ad Finem, (id est, ad Bonum majus, propter se amatum) obtinendum: Et *Electionis* hujus itidem rationem reddimus, *Proximam*, quia ex aptitudine hâc *Bona sunt*; & *ultimatam*, quia *Finem amamus*. Si igitur illud *Causa* actûs dicendum est, unde *Ratio actûs* redditur; tunc & *Bonitas finis* est *Causa Amoris*, & *Bonitas* Medii est Causa Electionis proxima, sicut *Bonitas finis* est Causa ejus remota. Et sicut verè statuunt Scholastici subtiliores quod *Bonum aliquod* Amatur neque sub ratione *finis*, nec sub ratione *Medii*, ita & *Bonitas ita amata* est *ratio talis amoris*. Imò & in viatoribus est *Amor initialis* seu imperfecta *Dei ipsius* ut *objecti præsentis*, in *quo amato* complacentiæ & fælicitatis aliquantum invenimus: Hic autem Actus est initialis *fruitio*, seu ad Bonum infinitum unitiva adhæsio: Et ita *Amatur Deus* ut objectum quidem *finale*, id est, *optimum*; non autem ut *Mediorum eligendorum finis*. *Bonitas* tamen ut *simpliciter Amata* eandem causandi rationem habet, quam Bonitas amata sub ratione *finis*.

Quæstio igitur magnæ difficultatis est, an reverâ *Finis Causet*, & quænam est ejus *Causandi ratio*? Obscure dicitur à plerisque *finem agentem movere*, aut attrahere: Quâ *finis* per *Potentiæ* vires *Efficienter*, non movet. Et *finis* (ut jam dictum est) non *propriè Movet*, quâ *objectum*. At *objectum extrinsecum*, distinguendum est ab *intrinseco*, seu *Res ipsa* ab *Idea* seu conceptu mentali. Quoad realitatem extrinsecam, *objectum* aut *Finis* sæpissimè *Nihil est*, id est, *non-existens*: *Perfectionem*, & *fælicitatem*, *salutem*, *voluptatem*, *opes*, *dignitates*, *famam*, *scientiam*, &c. nondum existentia & fortasse nunquam futura *volumus*, *cupimus*, *intendimus*, & ad ea obtinenda (fortasse frustrà) media eligimus, iisque diu diligenter utimur. Nihil autem nihil agit, aut operatur: Quod non est, neque efficit, neque verè causat. Et fortasse Res existens cujus fruitionem intendimus, est quid inanimatum, aut remotum, quod agere in facultatem nostram omnino non potest: *e. g.* Aurum aut argentum apud Indos, ædificia, prædia, *&c.* Neque ut objecta materialia hæc realiter considerata aut agunt, aut causant; neque eorum *realis existens Bonitas* ut *in se*, sub ratione objecti formalis; *e. g.* neque *materia* auri, neque *Bonitas* ejus ut *res existens* nos movet: Et si per deceptionem mentis id existere apud Indos putaretur quod non existit, nihilominus Intentionis objectum erit Mercatori.

Objectum autem seu Finis in *esse cognito* (ut loquuntur) seu cogitato, nil aliud est quam *cognitionis* seu *cogitationis* illius *essentia*, *seu forma specifica*. Et cogitationem priorem posteriorem quodammodo promovere non negandum est. Et hîc quidem *Causalitatis Finalis* ratio proxima quærenda est.

Creatori scilicet Maximo, Sapientissimo, Optimo placuit, naturæ unicuique activæ vitali, *Appetitum* donare *peculiarem*, qui motuum suorum sit *principium* & quasi *pondus*; & ut omnia inter se pulcherrimo ordine cohærerent, (universi enim est perfecta compaginatio, & rerum omnium innumerabilium & quantumcunque dissimilium & disparium unio & communio) CONGRUITATEM naturalem quâ nobis BONA & sint & viderentur, rebus circumstantibus impertivit: Et ut ad mutuum festinarent amplexum, ut unionem colerent, APPETITUS INCLINATIO NATURALIS, & OBJECTORUM BONITAS seu CONGRUITAS non immeritò CAUSÆ æstimandæ sunt. Et primi quidem Voluntatis (tametsi Liberæ) actus, sunt *necessarii* (ut postea dicendum est.) *Necessariò simplici volitione* seu *complacentiâ* volumus *fælicitatem*

citatem, vitam, & *omnia sensibus placentia,* quâ talia, quamvis in *competitione,* actu judicii comparante, eadem meliorum gratiâ rejicere aut respuere possumus.

Hic autem quamvis *Activitas* tota est *facultatum* humanarum & non *objecti extrinseci,* quâ talis, & *Actio* facultatis, *quâ Actio,* est ex *Potentiæ* (superioris & interioris) viribus, & causalitate; Actio tamen quâ *Boni Volitio* seu *Amor* in specie, est (ut prius dictum est, ab *efficientia Primi Amoris Activi formaliter,* &) *Finaliter* ab *Objectorum* CONGRUENTIA unitiva; & quamvis (sicut Actio, quâ Actio est à Causalitate *potentiæ,* ita) *objectum,* quâ *objectum* in genere, est tantum *Causa constitutiva;* Objectum tamen, quâ CONGRUUM & Connaturale, id est, quâ BONUM apprehensum, Causalitatem quandam *propriam* habere videtur, cujus Nomen idoneum, nisi *Finalis* aut *objectiva* dicatur, nobis vix suppetit; Causalitatem ALLICIENTEM unitivam eam vocare mihi (ex notionis melioris penuriâ) visum est.

Et Analogum quid in motu aggregativo inanimatorum esse videtur. Passivorum partes separatæ ad unionem festinant, nisi impediantur: Inde est descensus gravium: Et Aquarum particulæ ad aquas, & aeris ad aerem, (multóque celerius Ignis ad Ignem) per motum unitivum properant. Quis autem probandum in se recipiet horum motuum Causalitatem esse totam aut solùm in parte motâ, & nullam omninò in massâ (terræ, aquæ, &c.) cui uniri quasi appetit? Quis potest probare in motu conjunctivo Chalybis cum Magnete, Causalitatem totam esse ex parte Chalybis, aut totam ex parte Magnetis?

Turpiter autem hallucinantur qui dicunt, res esse *Bonas* quia *Cupitas* seu amatas, non autem Amatas quia *Bonas;* Quasi Appetitus depravatus res turpissimas faceret optimas; & Objecti antecedens Bonitas non foret appetitui sano necessaria.

Et maximè notandum est ad hæc intelligenda, DEUM ipsum esse BONUM PRIMUM, & ULTIMUM Totale, & Voluntatem nostram per suam Voluntatem & ad Voluntatis suæ imaginem, & Complacentiam fabricâsse: Et ipse *Amor primus Essentialis* ut summè *Amabilis* est Voluntatis nostræ *Finis,* & *Objectum* maximè congruum & *ultimatum:* Et in universa rerum natura *Bonitatis* nihil invenitur, præter *Essentiam Divinam* & ejus *emanationes* seu *Effectus,* quæ Dei ipsius Creatoris *Bonitas* dici merentur; Ipse enim est *Omnia in omnibus,* & ita Movens in omnibus moventibus, Agens in omnibus agentibus, sapientia in omnibus sapientibus, Amor in omnibus Amantibus, & Bonitas in omnibus Bonis: Et creaturæ Bonitas non est *Pars Bonitatis universæ,* cujus *Deus est Pars altera;* (Deus enim, utpote Infinitus, *Pars* esse non potest.)

Bonitas autem Divina, seu ejus *Amabilitas,* non ut *merè Passiva* concipienda est, cum ipse sit essentialiter *purus Actus,* & *Potentia semper agens:* Et sicut *Amor* ejus est *Activè Efficiens,* ita ut *Activus* seu *Actus Amorem* & *Amantem* sibi ALLICIENS & *Amplectens,* in congressu Mutui amoris, Voluntatis nostræ *Objectum finale* seu ultimatum æstimandus est. Et reverâ Omnis *Creata Bonitas Bonitatis Divinæ* ut *Effectus,* ita & *Imago,* similitudo aut vestigium est; & in *Existentibus animatis,* præcipue autem in hominibus & Angelis, cæterisque (si qui sunt) *Intellectivis,* ut *Bonitas Activa* concipienda est, quò *Voluntatis objectum Congruum* æstimetur. Et quamvis hæc *Activitas* nil aliud (ad actum voluntatis nostræ) in genere Causæ finalis esse videtur, quàm *Dispositio objectiva,* & *Dispositio* hæc & tota rerum *Bonitas* & *Congruitas objectiva* videtur quibusdam esse tantum *Causa constitutiva* & *sine qua non,* & semper fatemur Causationem hanc objectivam non esse proprie *Efficientem,* aut per *Potentiæ vires,* aut primæ significationis; iterum tamen iterumque perpendendum est, 1. *Activitatem fælicitantem* Primi Boni seu Amoris (& aliquatenus quorundam inferiorum) Bonitatem seu *Amabilitatem* suam *Objectivam* constituere: 2. Voluntatem creatam *totaliter ordinari* ad *Objectum* hoc finale; idque *primò,* quâ *Optimum,* & *propter se,* at non primò (sed secundariò) ut *fælicitans* & propter *nos:* Facultas nostra fit *propter objectum, objectum* autem, ut infinitè præstantius, est *propter se* & ante omnem Creatam Voluntatem: Quamvis objecta quædam Media Bonitatem suam propter fælicitatem nostram proximè (at ultimatè propter Deum) obtinent. 3. Hanc objecto-

objectorum Bonitatem, Voluntatis nostræ Inclinationi Naturali adeo Congruam esse & affinem seu Connaturalem, ut quandocunque recte percipitur Voluntas *non potest illam* non aliquatenus Velle; & ubi apparet in objecto omnimoda ratio boni, sine bono *Competente*,quod videtur contrarium seu inconsistens, nunquam non appetitur hoc objectum. 4. In omnium rerum *motu unitivo*, quamvis *vis Activa* & *Inclinatio* facultatis *agentis*,erga objectum congruum ut passivum, nobis apertè sola innotescunt, probabile tamen videtur etiam *mutuam* esse quandam (etsi nobis minùs notam) Causalitatem: Et ex *inclinatione mutua Agentem*, & *Amabile-vitale* in amplexus mutuos irruere. 5. Denique, sit Bonitas objectiva *extrinseca*, aut Activa aut non-activa, existens aut non-existens, tamen ut constituit *Ideam Intellectûs*, & est objectum *intrinsecum*, ita *propriè causare* potest. Et ita *Cogitatio Cogitationem* movere potest, & suo modo *Voluntatem*; & *Cogitatio de fine* potest esse vera *Causa* & *Cogitationis* de Mediis, & eorum *Electionis* : Et quamvis Boni *perceptio Intellectualis* plerumque *Voluntatem* ad Electionem non *necessitat*, non tamen statuendum est eam nullo modo *Causare*. Et quidem propter Voluntatis Naturalem Libertatem, & indeterminatum statum quoad media, Causatio hæc ab omnibus fere dicitur *Moralis*, at non ideo *nulla* æstimanda est.

Bonitas igitur *Realis extrinseca*,utpote appetitui naturaliter Congrua, in Intellectu Cogitante suam quasi *speciem* aut Ideam (modo non jam describendo) imprimit. Hæc species seu Idea est ipse *Actus* Intellectûs : Hic Actus,quâ Actus, est à *Potentia* Vitali activa;at,quâ *Sapientia*,est ab *Intellectu* Superiore & Inferiore; Quâ *Boni* Idea est, ab *Amore* superiore est ut *agente*, & *Objectivè Alliciente*; & ita ejus perceptio Intellectualis, Voluntatem, quâ talem,Naturali & Congruâ allectatione afficit, quamvis non semper necessario determinat.

Quamvis itaque in sensu famosiore Causa nulla est præter *Efficientem*, præcipue autem *finalis nulla*; & quamvis nullam aliam agnosco *Finis Causalitatem* in *Mediis Eligendis*, quam illam eandem quæ *Bono Objectivo* ad *sui Amorem prolicien-dum* competit; Trinum tamen CAUSARUM numerum (æquivoce sic dictarum) retinendum judico; scilicet, EFFICIENTEM, CONSTATUTIVAM, & ALLICIENTEM, (seu Finalem, seu Objectivam aliquam Congruitate ad Amorem Unitivum invitantem.)

Memini quidem Doctissimum Dom. Twissum sæpe dicere, [*Suadentem operari in genere Causæ finalis per modum proponentis objectum.*] Quibus innuere videtur *Objectum* sibi videri in genere Causæ finalis operari : Quod tamen non verum est de *Objecto quâ tali*, & de *omni* objecto ; sed de *Bonitate* apprehensâ *alliciente*. At *Objectum suadendo proponens*, Non operatur in *genere Causæ finalis* ; sed id agit in *Genere Causæ Efficientis*, (ex principio *Sapientiæ* & *Amoris*) circa objecta , quo *Objecta illa* suo modo Causare possint.

Et Lectori operum Divinorum studioso hic admiratione jucundâ contemplandam exhibeo, HARMONIAM Causarum & Effectuum, & ita totius artificii Divini : *Ab ipso* scilicet, *Per ipsum*, & *ad ipsum sunt omnia* ; & AMOR Idem seu Bonitas Divina est, & 1. *Causa Efficiens* per Benevolentiam ; 2. Et Causa Amoris nostri *Constitutiva* ut *Objectum* ; Et 3. Tandem etiam *Causa finalis*, & *Alliciens*, & per complacentiam aut mutuum Amorem unitivum *Perficiens*.

Hisce Logicis de Causis interpositis ad sequentium intellectionem aliquatenus necessariis, (quorum & postea quædam pro re nata recitanda erant) ad Tabulæ explicationem progredior.

14. REGNUM suum non aliter EFFECIT Omnipotens, quam ipsâ *Creatione*: subditos quippe suos & Angelos & homines creavit, qui & ad *Consentiendum*, & ad *Obediendum* jure Naturæ fuerunt obligati. *Jus Regendi* Deo competit ex absoluto suo Dominio (seu proprietate) in creaturas suas intellectuales, perfectione suæ Potentiæ, Sapientiæ & Amoris præsuppositâ. Et Hominis *Debitum* obediendi & amandi Deum, ex natura sua intellectuali-liberâ, & correlatione ad Deum proprietarium, oritur.

15. Quod Regni Dei status *Naturalis*, *Gratiosus*, & *Glorioſus* hoc ordine sunt tractandi, & *Constitutio* Activa *Efficiens* ante *Constitutionem* seu *Essentiam factam*,

& *Constituio hæc* ante *Administrationem* seu *Regimen actuale*, & *Legislatio* ante subditorum & *obedientiam* & *peccatum*, & *hæc* ante *judicium* & *executionem*, *Res ipsa* cui notiones secundæ sunt aptandæ intelligenti cuiquam satis superque probat; Nec pluribus de Methodo hâc rationem reddere opus est.

16. Quibus Methodus partim historica, res scilicet juxta Temporis ordinem tractans, non placet; iis itidem sacras literas, & ordinem Rebus ipsis & usui Congruum, displicere necesse est.

17. *Finem Constitutionis* non nomino (neque Regiminis) quia in Forma (utpote Relativâ) continetur.

18. Per [*Partes Constitutivas*] intelligo tantum [*Personas*] seu vulgò dictas, *Materiales:* & ex penuria nominum, DEUM Regni sui PARTEM IMPERANTEM à *Parte subdita* distinctam nominare necesse habemus: At *Partem* solùm POLITICAM & impropriè dictam volo Illum scilicet qui à subditis suis realiter distinguendus est: Absit autem ut DEUM *proprie Partem*, nedum *Physicam* dicerem! Qui enim *Infinitus* est nè Entitatis universæ quidem PARS proprie sic dicta, esse potest.

19. Per [*Regimen Antecedens*] *Legislationem*, seu Fœdus à Deo conditum & oblatum volo; Illam scilicet Voluntatis Regentis Patefactionem, quæ *Debitum obediendi*, & *Officia absolutè*, & *Pramii* aut *Pœnæ jus sub Conditione* statuit: Et *Antecedens* dicitur quia tum subditorum actiones, tum *judicium & executionem* Rectoris antecedit: Et per [*Regimen Consequens*] has *Judicis & Exequentis* partes volo.

20. Ad *Regimen Antecedens* autem pertinet, communis illa Beneficiorum *Collatio*, in qua Legis seu Fœderis species est fundata, & absoluta antecedentium donorum *distributio*, (unde officia plurima à nobis debentur) & quæ non *Consequentèr* aut sub obediendi *conditione* actu conceduntur, aut sub ratione præmii actu donati.

21. *Actiones subditorum* (*obedientia & peccatum*) non sunt *Partes Regiminis* Divini: In Politicis tamen hic memorandæ sunt, ut *Dispositiones Materiæ subjectivæ*; seu Capacitas subditorum ex qua Regimini *consequenti* subduntur; seu descriptio objectorum unde Regiminis Consequentis actus specificantur.

22. Nomen GRATIÆ ambiguum aliquando sumitur pro Amore *gratis donante*, aut *dono gratis data*. Et ita omnia Beneficia à Deo cuicunque creaturæ donata, sunt *Gratia* & ex Gratia; *viz. absque Merito* juxta Justitiam Commutativam, sic dicto. 2. Aliquando autem sumitur pro *Amore donante*, aut *Beneficio dato*, *Gratis* quidem, quia sine Merito Commutativo seu rependente, at *non-gratis* ut sine *Merito* juxtà *Justitiam Distributivam*, secundum *Legem Innocentiæ* præmia tribuentem: In primo sensu præmium Angelorum & Christi hominis, est *Gratia & ex Gratia*, non autem in sensu secundo. 3. Quandoque autem (imò plerumque) strictiùs sumitur pro *Amore donante* & *Beneficio donato Gratis*, id est, neque per Justitiam Commutativam, nec *Distributivam illam* quæ per *Legem Innocentiæ* judicat, sed & præter & contra *Meritum* hic denominatum: At non sine *Merito* per *Justitiam Legis Condonantis* sub conditione fidei, judicantem, sic dicto. 4. Quandoque tandem strictissimè sumitur, pro *Amore donante* aut *Beneficio donato* absolutè, & sine omni (etiam Evangelicæ fidei) *Merito*, aut dispositione, & contra meritum pœnæ juxta *Legem* Innocentiæ: Fœdus GRATIÆ (aut Regni status) sic dictum est in duobus hisce sensibus conjunctis: Id est, *Beneficia antecedentia* donat etiam immeritis, & mala merentibus, inimicis, idque absolutè: *Beneficia sequentia* donat gratis mala merentibus juxta *Legem Innocentiæ*, & sub conditione Evangelicæ dispositionis recipientis. 5. At sensus etiam quintus ab infidelibus & præsumptuosis malè fingitur quasi Gratia quædam ita Gratis donaret, & ita donata sit, ut etiam contra demeritum juxta Fœdus Evangelicum, finaliter indispositos, infideles scilicet & Impœnitentes salvaret.

23. Regnum GRATIÆ est Regnum MEDIATORIS (seu Redemptoris,) sic dictum, quia est Ex Gratia, Per Gratiam, & Ad Gratiam perficientem in statu Gloriæ.

24. Quamvis in Tabula juxta ordinem Sacrarum Literarum, Regni Gratiæ statum distinguo

diſtinguo per *Temporis inſtantias*, quia *primus* fuit ſtatus *univerſalis Initialis*, ſecundus *Status Particularis* ille notabilis ſub Fœdere *Peculiaritatis*, & Tertius ſtatus *univerſalis Perfectior* ſub *Evangelio*; Qui tamen hanc Temporis rationem non ſequitur, ſed logicè rem in ſe conſideratam exponit, ut Regni Gratiæ ſtatus ita diſtinguat, oportet, *viz.* eſt 1. Status Initialis; 2. Perfectior: Initialis eſt 1. Univerſalis; 2. Particularis: Status Univerſalis, 1. Incepit per Fœdus Adamicum: 2. Renovatus eſt per Fœdus cum Noacho. Particularis fuit, 1. Notabilis ille per Fœdus Peculiaritatis, 1. Inceptivè cum Abrahamo; 2. Perfectiùs per Moſen; 3. Perfectiſſimè cum Davide. 2. Particulares cæteri aut parciùs aut non omninò in S. Literis memorantur. 2. Status *Perfectior* eſt Evangelicus, ſub Chriſto incarnato.

Vel [Regni Gratiæ ſtatus eſt, 1. Univerſalis, eaque vel Initialis, (primæ Editionis) vel Perfectior. 2. Particularis. Unumquemque hic ordini ſibi placenti relinquo.

25. Quoniam Methodi hujus Generalis membra particularia ſub Tabulis Particularibus poſtea ſunt explicanda, hæc pauca jam dicta ut præcognita hic ſatis ſint. Hoc tantum de Methodi Ratione repetito; ORDO ſcilicet FACULTATUM ANIMÆ humanæ, veræ Methodi Totius Theologiæ Index eſt; Partim quâ *Speculum* ſeu *Imago* eſt, Trinitatis Divinorum Principiorum, (Primalitatum, ſeu Attributorum) & ita Ratio Methodi ex Cauſâ Efficiente indicanda eſt; Et partim, quâ Methodi Ratio ſumenda eſt à ſubditis, & à facultatibus Influxûs Efficientis RECEPTIVIS. Nullum etenim nobis clarius ſpeculum conceſſum eſt, ex quo de Natura Divina (analogicè) concipere & dicere poſſumus, quàm Anima humana: Ex Notitia Actuum noſtrorum, Potentias (ſeu facultates) itidem cognoſcimus, & ex Notitia Potentiarum etiam novimus ſubſtantiam: Et ex Notitia noſtri-ipſorum etiam ſpirituum ſuperiorum (Angelorum ſcilicet & Dei ipſius) (aliquatenus quantum nobis in tenebris hiſce datum eſt) naturam novimus. Et Influxus Divinus Animas humanas ſanctificans, dum à ſolis hiſce facultatibus receptus eſt, & ad facultatum harum medelam, renovationem & auxilium donatur, ab hiſce itidem diverſificatur, & diversè denominandus eſt. Leges itaque Divinæ ad facultates haſce ſunt aptatæ, quia facultates hæ omnis obedientiæ ſunt principia. Cum igitur ex diuturna & diligentiſſima inquiſitione mihi conſtat, facultates haſce Animæ humanæ Primarias eſſe Tres exeunter ad objecta, ex Unica Virtute radicali, per Indicem hunc de Methodo tum *Gratiæ*, tum *Legis*, judicare neceſſe habui.

26. Quibus eorundem Repetitio aliqualis diſplicet, iiſdem etiam ut Sacræ Scripturæ Methodus diſpliceat neceſſe eſt; & rei ipſius ratio ab ipſis haud recte perpenditur: Quædam ſcilicet (*e. g.* Principia, & Relationes Divinæ, & facultates receptivæ & activæ humanæ) ſunt Totius Theologiæ quaſi ſtamina & partes vitales, quæ cæteras quaſi ſuſtentant & animant, & ſine ipſis nil fere recte explicatur.

27. Quamvis *Originem* (& proh quàm multos Doctorum antiquorum!) non recte de *Trinitate* ſenſiſſe, aut ſaltem ſcripſiſſe poſt alios *Dion. Petavius* copioſe probat, ſano tamen ſenſu dici poteſt quod ab eo dictum refert Photius, *Cod.8.li.1.* [*Patrem pertranſire per omnia entia, Filium autem Pervenire ad Rationalia, & Spiritum ad ea quæ ſalvantur:* ſicut in Catechiſmo Anglicano dictum eſt, *Credo in Deum Patrem qui me & mundum univerſum creavit, & in Deum Filium qui me & genus humanum univerſum Redemit; & in Spiritum Sanctum qui me & omnes Dei Electos ſanctificat.* Opera Naturæ *ad Patrem & Omnipotentiam, Opera Regiminis & Redemptionis ad Filium, Verbum & Sapientiam*, & Opera Perfectionis Amoris & Gloriæ, ad Spiritum Sanctum & Amorem ſæpiſſimè eminenter aſcribuntur. Videat Lector quæ habet Lutherus de Trinitate in Vita Gregorii Anhaltini, in Vitis Germ. Theolog per Melch. Adamum ſcriptis.

28. Et Methodius Originem oppugnans ait [*Duas eſſe effectrices facultates: Unam quæ ex rebus non exiſtentibus ſolâ voluntate ſine partium diſtinctione ſimul atque Vult, quicquid Vult efficit: Eſt autem hic PATER. Alteram quæ perficit,*

variatque & exornat secundum prioris potentiæ Ideam, quod jam ante factum est, & hic est Filius, omnipotens manus Patris, quâ materiam ex nihilo prius creatam postea perficit seu exornat, in Photii Biblioth. pag. 938.] Sed hæc non sine grano salis recipienda sunt.

Qu. I. *Quænam sunt Christianæ Religionis Partes essentiales? seu ut vulgò vocantur Fundamentales?*

QUæstio hæc inter Theologos sæpissime, & ex occasione non una, & ad usus non paucos aut infimæ notæ, agitatur: 1. Ut unusquisque de sua fide & Religione ad salutem & solamen suum necessariâ, rectè judicare possit, penè necessarium est ut quænam sint Partes fidei & Religionis *Objectivæ* essentiales, intelligat.

2. Notitia item hæc necessaria est, ad Communionem Christianam, tum internam tum externam, rectè colendam; ut vera scilicet Ecclesiæ Membra ab hæreticis & non-membris, discernamus.

3. Magistratibus etiam Christianis non parùm utilis est, ut indè tum Professores tum Doctores fovendos à coercendis, tolerandos à non-tolerandis distinguant.

4. Neque inutilis aut non necessaria est ad perversos istos Papistas confutandos, qui ad usum suum malum omnia Confundentes, partes essentiales (seu fundamentales) ab integralibus, seu non-essentialibus, distingui posse, obstinatè negant.

Religionem hic intelligo primò *Objectivam*, at secundariò etiam *Subjectivam*, seu inhærentem.

Nomen [*Essentiales*] hic potius utendum eligo, quàm [*Fundamentales*;] quia metaphoricum hoc magis ambiguum est, & inde litis ansam litigiosis porrigit.

Conclusio 1. sit: *Religio Christiana habet Partes suas Essentiales, ab Integralibus & Accidentibus distinctas.* Prob. Quodcunque est *Hoc aliquid compositum* habet partes suas *Essentiales* (seu Constitutivas.) *Religio Christiana est Hoc aliquid Compositum: Ergo Religio Christiana habet partes suas Essentiales (seu Constitutivas.)*

Item *Religio illa quæ ab aliis omnibus ex essentiarum discrimine distingui potest, habet partes suas Essentiales: Religio Christiana ab aliis omnibus ex essentiarum discrimine distingui potest; Ergo Religio Christiana habet partes suas essentiales.*

Concl. 2. *Religio objectiva Realis significata semper distinguenda est à parte organica seu notionali significante.* Per *Realem significatam* intelligo Deum Patrem, Christum Mediatorem, *Sp. Sanctum*, ipsam Dei Gratiam, & Gloriam, hominis officia, habitus, actus, beneficia, &c. Per *Notionalem significantem* intelligo 1. Aut Res aut Verba Divina, quâ priorum significativa; Et 2. Horum signorum conceptus formales, & Verba mentis; 3. Et eorum expressiones per verba oris. Hæc distinguenda esse, nemo mentis sanæ dubitat.

Concl. 3. *Sacra signa* sive *Notiones in specie*, semper distinguenda sunt ab hisce *individuis*. Per *speciem Notionum* intelligo *aptitudinem significativam*: Per *Individuas* intelligo has easdem notiones, seu verba & signa materialiter considerata, imò & formaliter cum Aptitudine suâ significativâ.

Concl. 4. *In Religione Objectivâ & Subjectivâ, & præstantia & prima necessitas est Rerum, & secunda tantum notionum, verborum,* aut *signorum,* utpote *mediorum* ad *Res ipsas* percipiendas, recipiendas, diligendas, eligendas, agendas, possidendas necessariorum. *Res essentiales* sunt *Absolutæ necessitatis*; *signorum* aut *notionum* necessitas & usus est gratiâ rerum.

Concl. 5. *Christus ipse Religionis Christianæ Author, ejus partes essentiales ab integralibus distinguendas condidit.* Fidei nostræ Authorem esse Christum, ut & veræ Religionis omnis Christianæ, per se & per Spiritum Sanctum, vix aut nè vix

Christianus

Christianus est qui negat. Si ipsam condidit fidem & Religionem, fidei & Religionis *Essentiam* ut condiderit necesse est: Et si partes condidit Essentiales, realiter ab integralibus *distinctas* eas condidit: Et si distinctas, etiam *distinguendas.* Religionis Essentialia nobis intelligenda & diligenda & eligenda reliquit; non inventione nostrâ excogitanda.

Concl. 6. *Quæ Christus Religionis suæ Essentialia fecit, ab Apostolis itidem Ecclesiæ ut talia tradita sunt, & ab Ecclesiis & Christianis omnibus recepta.* Aliter Apostoli non fuissent fideles œconomi, & Ecclesiæ non fuissent verè Ecclesiæ, nec Christiani verè Christiani.

Concl. 7. *Partes Essentiales Religionis Christianæ, sunt Essentialia Credenda, Volenda, & Agenda.* Qui Religionem omnem ad salutem necessariam, aut in *Fide* sola, aut *Amore* solo, aut in *Praxi Executiva* sola collocant, pernicioſe hallucinantur, ad subversionem scilicet & Religionis & Animarum: sicut Potentia Vitalis Activa, Intellectus & Voluntas sunt *facultates* Animæ humanæ Essentiales; ita Religio *objectiva* harum facultatum, & *subjectiva* hasce perficiens, & *activa* per hasce exercita, ad harum naturam & numerum reducenda est, & ex earum connotatione denominanda.

Concl. 8. *Partes hæ omnes Essentiales Christianæ Religionis in fœdere Baptismali à Christo instituto comprehenduntur:* Fœdus hoc tum partes *Reales significatas* in reali ejus præstatione, & partes *significantes* in verbis & actionibus ritè administratis, continet.

Prob. 1. Quod Christianum constitutivè facit, *id omnes Religionis Christianæ partes Essentiales* continet. Fœdus Baptismale Christianum constitutivè facit: Ergo Fœdus Baptismale omnes Religionis Christianæ partes Essentiales continet.

2. Ex partium enumeratione sufficienti:

I. Quod ad *Realia*, in fœdere hoc inveniuntur, 1. *Personæ* seu *Partes fœderantes*, viz. *Deus-Pater, Filius & Sp. Sanctus*; & *Homo-peccator-mortis reus, Redemptus*: 2. *Beneficia Essentialia* à Deo per fœdus hoc donata, *viz.* Relatio hominis unitiva ad Deum Patrem, *Filium* & Sp. Sanctum; Jus ad Amorem Patris reconciliati, ad Gratiam Christi, & ad Communionem Sp. Sancti, *viz.* ad Justificationem, Sanctificationem & Gloriam, & media ad illa necessaria. 3. *Officia Christianitatis* Essentialia, *viz.* 1. Semetipsum sincerè Resignare seu Devovere Patri, Filio & Sp. Sancto ad Relationem hanc ineundam, ad officia præstanda & Beneficia recipienda: Id est, 1. Essentiales *fidei Articulis* de Deo Patri, Filio & Sp. Sancto Assentiendo *Credere*; 2. Per *Voluntatem* huic fœderi, Relationibus, officiis & beneficiis fiducialiter *Consentire*; 3. Et *Practicè* per fœderis professionem se Deo Pat. Fil. & Sp. Sancto tradere, & ita inceptivè obedientiæ viam sincerè introire. 2. In quibus reductive & consequenter contrariorum desertio fœderalis & abrenunciatio, *viz.* Diaboli, Mundi & Carnis quâ oppositorum, & termini à quo.

II. Quod ad signa seu notiones hæc omnia significantes, *verba Baptismi* cum *Actionibus sacris* à Christo institutis, & ab Ecclesia universali semper adhibitis, hæc omnia verè & aptè significant. Partium igitur enumeratio sufficit.

3. Deinde probatur Conclusio ex Christi ipsius promissione, in Baptismi Institutione datâ, *viz.* [*Quicunque credit & baptizatus est, salvabitur*;] additâ Comminatione [*Quicunque autem non credit, damnabitur*] Id est, Qui credit, aut qui non credit ea quæ ad baptismum hic dicuntur esse necessaria.

4. Probatur etiam ex Christi præcepto de Baptizatis omnibus (non apostatis aut fœdifragis) Amore amplectendis, & ad Communionem Christianam recipiendis. Quinam quæso sunt illi quos Amore fraterno speciali unitivo amplecti, nos præcipit mandatum illud Magnum, novum, sæpissime & vehementer inculcatum? Nonne Christiani sunt, quâ Christiani? Et quinam nobis Christiani sunt, nisi fœdere baptismali Christo dedicati?

5. Probatur etiam ex consensu Ecclesiæ antiquissimæ & universalis Christianæ: 1. Quod Ecclesia semper fidem & fœdus Baptismatis, *Christianitatis Symbolum* appellavit: 2. Et *Baptizare*, & *Christianum facere*, idem semper significaverunt:

3. Et

3. Et Baptizatus, quâ talis, Christianus semper nominatus fuit: 4. Et Baptizati semper dicti sunt Filii Dei, Illuminati, à peccatorum omnium reatu justificati, & absoluti, sanctificati & regni Cœlestis hæredes; Ex suppositione scilicet quod *sincerè fœderati* sint (aut suâ aut *Parentum*, si Infantes sint, dedicatione.) 5. Et tandem Baptizati, quâ tales, ab Ecclesia universali statim recepti fuêre ad Communionem illam Ecclesiasticam cujus per ætatem fuêre capaces.

Ex hisce omnibus & Ecclesiæ præsentis æstimatione, & loquendi & praxeos usu, satis liquet *Fœdus Baptismale* ab ipso Christo institutum esse, ut Christianitatis partes omnes Essentiales in se continens, Christianorum esset visibile & notissimum Symbolum.

Concl. 9. *Verba quædam particularia aliis multò aptiora sunt ad Realia Christianitatis Essentialia significanda; Nulla autem particularia sunt aut Religionis Essentialia, aut ad salutem absolutè necessaria.*

Probatur 1. Quia *lingua* nulla est Religioni Essentialis aut necessaria: Non Hebraica: Aliter omnes Hebraicam nescientes, damnandi essent; Et S. Scripturæ Translatio ad salutem nullius sufficeret. Ex eâdem ratione item, non Græca, non Latina, non Anglica, non ulla particularis lingua; Ideoque nec linguæ ullius singulare aliquod nomen aut verbum. Ad salutem non est necessarium ut Deus credenti notus sit per nomen suum Hebræum, aut Græcum, aut Latinum, aut Italicum, *&c.* Quod etiam de notitia Christi, Gratiæ, Officii nostri, Gloriæ, *&c.* dicendum est.

2. Quia verbum nullum particulare est medium unicum ad rem significatione notificandam: Alia scilicet & alia aut extant aut fabricari possunt verba rem eandem significantia, ex quorum usu res ad salutem possit innotescere.

Concl. 10. *Signa quædam specie tenus eadem aut verbalia aut realia, sunt Religionis Christianæ objectivæ secundariæ* (id est, *Organicæ*) *Essentialia, & ordinariò ad adultorum salutem necessaria.*

Signa illa hic [*specie eadem*] voco quæ *Rem eandem significant*: Et ita *Actio Lavandi*, & *verba* quædam baptizantis, sunt *signa* specie eadem: Et nomen Hebræum, Græcum, Latinum, Anglicum, *&c.* sunt idem specie nomen.

Probatur Conclusio: 1. Quia aliter *nulla* foret *objectiva organica* Religio. 2. Quia talis à Deo fit Intellectus humanus incorporatus, qui sine signis, aut vocalibus aut visibilibus, aut speciebus per inspirationem impressis, res exteriores abstractivè recipere non potest. Ut aliquomodo igitur res *necessariæ* significatione sufficienti notificentur necesse est.

Concl. 11. *Quamvis Rerum earundem notitia & fides & amor Christianis omnibus sint necessaria, (& signa quædam res illas notificantia) Verba tamen non eadem itidem omnibus necessaria sunt; sed necesse est ex diversa capacitate recipientium ut unus per verba plura, alter per pauciora, hic per Græca, ille per Latina,* hic per sæpe repetita, ille per semel dicta forte, *in fide Christiana instruatur: Nulla igitur particularis formula verborum Religioni Christianæ Essentialis,* aut ad omnium salutem seu fidem sufficiens est: De *verbis* igitur fundamentalibus seu essentialibus controversia, quamplurimum ab illa de Rebus Essentialibus discrepat.

Concl. 12. *Quantò quis doctior est, & ad Religionis res intelligendas ex acumine ingenii aut educatione paratior, tantò longâ Essentialium explicatione, Catechismo, aut Symbolo, minùs indiget: Et si talis ex nudis Baptismi verbis Res significatas verè intelligit, is omnia intelligit Christianitati Essentialia & ad salutem absolutè necessaria. Quanto autem quis* hebetior, indoctior, & minus ad talia intelligendum paratus est, tanto longiore & sæpe repetito Symbolo, Catechismo & Explicatione *opus habet.* Et inde non minima doctrinæ Christianæ obvenit remora, quod qui ex defectu *Memoriæ pauciſſima* tenent, ex defectu tamen *scientiæ plurimis* indigent.

Concl. 13. *Quamvis Ecclesia semper* (in linguis diversis) *eandem Baptismi formulam retinuit, hebetudinis tamen vulgaris non inscia, hanc formulam semper, per plura Catechumenis baptizandis exposuit:* Quod Catechistarum factum est officium.

Concl. 14.

Concl. 14. *Formulæ Baptismalis hæc Expositio fuit, primariò per formulas largiores; secundariò per Conciones Catechisticas & Colloquia. Formulæ autem illæ largiores fuere, 1. Credendorum, Symbolum Fidei; 2. Volendorum, Precatio Dominica; 3. Agendorum, Decalogus, ut à Christo in Evangelio expositus*; Et superadditæ ejus Institutiones, & Mandata, ut partes Integrales postea aperiebuntur.

Concl. 15. *In fœdere igitur Baptismali, per Symbolum fidei, Precationem Dominicam & Decalogum Christianum, Explicato, continetur non tantum tota Essentia Christianæ Religionis Realis, sed etiam tantum Religionis objectivæ organicæ, quantum ad Religionis subjectivæ Essentialia ingeneranda, ingeniosis & bene paratis in suo genere sufficeret*; Quæ omnia tamen hebetioribus per Doctores pluribus & sæpe repetitis verbis inculcanda sunt, & nolentibus & contradicentibus per plura & media concessa sunt suadenda.

Insciticæ aut proterviæ notâ fœdissimè se inurunt Pontificii, dum partes Fidei & Religionis Christianæ confundentes, essentiales ab integralibus (si non & ab accidentalibus) distinguendas negant; & sæpe tamen necessitate coacti ipsi fundamentalia à cæteris distinguunt, & quæ omnibus necessaria sunt, à minus necessariis.

Quando Pontificii probare conantur plura quibusdam, aliis autem pauciora scienda & credenda esse necessaria, non sequitur huic Religionis Christianæ non dari partes constitutivas essentiales. Essentia Christianitatis per se necessaria est; Partes autem integrales propter Essentiales quibusdam (necessitate medii) Quia Essentiales vere non tenet, qui Integrales plenè revelatas ex prava voluntate non recipiet.

Et quando Pontificii quidam Scholastici fidem explicitam Christianam necessariam esse negant, ubi Evangelium non prædicatur, neque sequitur (si verum hoc sit) Christianismi non *dari* partes Essentiales. Altera verò hic quæstio ponitur, *An scilicet Religio Christiana sit omnibus necessaria ad salutem?* Cujus resolutio ad essentialia Christianismi definienda nil attinet.

Qu. 2. *An Methodi aliqualis notitia sit indoctis necessaria ad salutem?* Aff.

INter homines cordatos qui in eruditis Methodum laudant, non desunt qui indoctis eam ut nimis subtile quid, inutilem, vel saltem ad salutem haud necessariam existimant, de quo breviter ita statuendum judico.

Concl. 1. *Totius Theologiæ veram Methodum particularem, etiam doctissimorum nemo perfectè callet.*

Concl. 2. *Quarum aut Rerum aut Doctrinarum notitia non est ad salutem necessaria, earum Ordinis seu Methodi notitia itidem non est ad salutem necessaria.*

Concl. 3. *Methodi merè artificialis, juxta hujus aut illius Logicæ regulas concinnatæ, notitia non est ad salutem necessaria.*

Concl. 4. *Non tantum Res ipsæ, sed & Rerum Ordo est Materiæ Theologicæ Essentialis: e. g. Deus*, quâ *Deus* noster, fide & religione colendus, est Alpha & Omega, rerum omnium Causa prima Efficiens, principalis gubernans, & finalis perficiens: Ex Quo, per quem & ad quem sunt omnia, &c. Christus Mediator est à Patre, & per Patrem, & ad Patrem; Via scilicet illa nova & vivens, sine quo nemo venit acceptus ad Patrem. Sp. Sanctus procedit à Patre & Filio, & credentes Regenerans, eos vivificat, illuminat, sanctificat. Ipse Christus cum S. Scriptura & omnibus Christi mandatis, & omnibus officiis vitæ Christianæ, sunt *Media* ad Dei Gloriam, & ad præmium vitæ cælestis tandem obtinendum. Ordo item relativus signi ad rem significatam, est Sacramentorum ipsa Forma Essentialis.

Concl. 5. *Quoniam Veritas Scientiæ est ejus Congruentia cum Veritate objecti,*

jecti, & ORDO quidam est de Essentia objecti fidei divinæ, quâ talis; Methodus igitur aliqualis, seu ordo conceptuum, est ipsi itidem fidei Essentialis. Et quamvis methodi plenior intelligentia, & distincta, & sub terminis maximè congruis artificialibus, ad fidei salutaris non *esse*, sed *melius esse* tantum pertinet, & fortasse ne *Medii* quidem, aut *Finis* nomen per fidelem recte intelligitur; per Logicam tamen Naturalem Rerum Essentialium ordo objectivus Essentialis ab omni *vere fideli* necessario intelligendus est; Et *Media necessaria*, quâ talia, à *Fine* realiter (sub quibuscunque nominibus) distinguenda sunt: Qui enim Deum à creatura, & Mediatorem à Patre, & finem à mediis, distinguere nescit, vere Christianus esse non potest.

Concl. 6. *Pauciſſima igitur illa quæ Christianis omnibus sunt creditu necessaria, methodicè tradenda sunt & recipienda: Et quæ hisce insuper accedunt, methodicè item discenda sunt.*

Concl. 7. *In Sacramento Baptismi qui Christianæ Religionis Essentialia continet, exactissimæ Methodi fundamenta posita sunt.*

Concl. 8. *In Symbolo Fidei, Oratione Dominicâ & Decalogo Christiano, omnia accuratissimo Methodo concinnantur.* Unde patet etiam Catechismum Methodicè discendum esse, & Methodum aliqualem, quamvis non accuratam, artificialem & omninò explicitam, fidei salutari reverâ Essentialem esse.

Et reverâ etiam pueris & tyronibus qui pauca possunt recipere, res tanti momenti est, ut pauca illa methodicè tradantur & discantur, ut verè possumus pronunciare, hujus neglectum non minimam esse discentium remoram, & scientiæ veræ & proficiendi inimicum.

Qu. 3. *Quænam sint* RATIONIS *Partes circa res Fidei & Religionis Christianæ? Et utrum inter verè Christianos Protestantes, se mutuò intelligentes, de hisce ullus dissidii locus sit?*

INter cæteras hujus temporis infaustas controversias, haud minimum molestiæ Ecclesiis hæc intulit, *Quænam humanæ Rationis sint partes circa res Fidei & Religionis Christianæ?* Gravibus nempe criminationibus hinc non pauci etiam Theologi se mutuò onerant. Hi fratres Socinianismi insimulant, tanquam Revelationi minus, & Rationi quid nimium tribuentes: Illi è contra dicunt adversarios quos æstimant & Rationi & Religioni injuriam facere, Rationem Religioni denegando, & Christianos quasi rationis expertes pingendo: Nec desunt qui *Puritanos*, quos vocant, quasi erroris hujus præcipue reos peragunt, quo ex nominibus jam per fastuosos & mundanos protritis, facilius adversarios vincere viderentur, vel saltem eorum causam invidiâ onerarent.

Nobis autem dubio procul videtur, hanc noxiam & inhonestam contentionem hinc oriri, quod contendentes (eorum pace dictum sit) laborant imperitiâ in Arte loquendi, notiones scilicet suas & fabricandi & exprimendi circa Res illas de quibus reverâ inter partem utramque convenit: Et non solum inter Conformistas & Nonconformistas quos vocant, sed inter omnes etiam Protestantium partes, de re ipsa hic esse animorum concordiam; quamvis quibusdam aliter visum est, qui neque fratres bene intelligunt, neque ab aliis verè intelliguntur. Hujus sententiæ igitur rationes Lectoribus, præcipue contentiosis reddere, nobis ut pacis amatoribus incumbere videtur; quo, quantum in nobis est, Veritatis & Pacis Prædicatores & Cultores à bello injusto, receptui canentes, avocemus; ne Christianorum mentes suspicionibus & odiis inhonestis inficere pergant, opinionem hanc falsam eis ingerentes, *Fratres realiter concordes hic plurimum & periculosè inter se discordare.*

Ad quæstionis hujus justam indagationem, necessarium est, ut terminos quæstionis prius explicemus; deinde ut Quæstionis verum statum describamus; ut partem Negativam bene probemus, & denique quædam Consectaria ad usum addamus.

1. Per

1. Per [*Res Fidei & Religionis*] eas volumus quæ sunt *Fidei & Religionis Divinæ*; non autem Quid authoritate humanâ addere aut liceat aut non liceat. (Quamvis de hoc etiam obiter pauca dicemus.) Hæc autem juxta veritatem & Ecclesiæ verè Catholicæ sententiam & praxin, quamvis terminis generalibus, tamen plenè quoad partes essentiales contineri asserimus, in *Fœdere Sacramentali Evangelico*, ut per Christum describitur, *Matth.* 28. 19,20. *Marc.* 16. 16. *Joh.* 3. 16, *&c.* Hoc Fœdus est Religionis Christianæ summarium; arctissimum quidem, quia ex verbis paucioribus; accuratissimum autem, & comprehensivum quoad sensum: Hujus explicatio in tribus summis in Ecclesia justè decantatis continetur, 1. *Credenda, in Symbolo Fidei*; 2. *Volenda & petenda in Oratione Dominica*; 3. *Agenda, in Decalogo* ut per Christum stabilito & expositò. Copiosissimè autem in tota S. Scriptura continetur.

2. Per Rationis [PARTES] volumus, Quantum Ratione præstandum manet; 1. In Fidei & Religionis *veritatem cernendo*; 2. Et in eandem aliis argumentis probando.

3. Per [RATIONEM] volumus, I. *Ex parte Objecti*, talem Veritatis *Evidentiam*, qualem Ratio humana potest percipere.

Hæc autem *Evidentia* triplex est I. Evidentia *Rei ipsius*: Quæ est 1. *Sensibilis*; quâ *Res ipsa sensibus* objicitur, & ut *sensata* Intellectui. 2. Immediatè *Intelligibilis*; quâ *Res ipsa menti intuenti* objicitur. Quomodo, inquit Okamus, Intellectus sui ipsius actus jam percipit; & ut alii, Quomodo spiritus superiores à spiritibus conspiciuntur.

II. *Evidentia Medii*, ex quo Rei veritatem Ratio humana potest & cernere & probare. Estque, 1. Vel *Medii Naturalis ordinarii* (*e. g.* sicut Causa Naturalis dignoscitur per effectus, & effectus per Causas: ut, Sol existit; ergo Motus, Lumen & Calor existent: Vel, Motus, Lumen, Calor existunt; Ergo *Ignis* existit.] 2. Vel *Medii supernaturalis*, quale est Revelatio Divina, per Visiones scilicet, Inspirationem, Vel Miraculorum testimonium.

III. *Evidentia Consequentiæ*; Conclusionem scilicet ex præmissis rectè deductum iri. Diversas has significationes habet *Ratio Objectiva.*

II. Ex parte *Subjecti*, vel *Agentis* sumitur RATIO, 1. Pro *facultate Ratiocinante.* 2. Pro Actu seu Exercitio interno, Actuali scilicet Mentis Ratiocinatione: 3. Pro Ratiocinandi facilè & promptè *Habitu.* 4. Pro Ratiocinatione externa seu *expressâ*, per verba scilicet aut scripta.

Et ad rem præsentem addendum est, *Facultatem humanam* ratiocinantem considerandam esse, I. In statu informato seu instituto. II. In statu deformato seu destituto. III. In statu reformato seu restituto. In statu 1. creato, Integritatis; 2. Lapso, Pravitatis; 3. Renovato, Sanctitatis.

I. In statu *Naturæ* seu *Innocentiæ*, *Ratio* humana fuit, 1. Quoad *Facultatem sana.* 2. Quoad *Actus*, gradatim proficiens, juxta objectorum præsentationem: Quo sensu etiam ipse Christus sapientiâ profecit; quoad actus, scilicet seu exercitium: (Status etenim ejus Infantilis non eorundem Actuum quorum Adultus capax fuit:) Ita & Adamus quoad Actus scientiâ profecit per objecta præsentata. 3. Per Actus hosce habitu fuit promptior ad agendum.

II. In statu *Peccati* fuit *Ratio* (sicut adhuc in irregenitis) 1. *Privativè Cæca*, seu ad justam & salutarem rerum spiritualium, sanctarum & cœlestium perceptionem, male dispositа & inepta: partim ex ipsius Intellectûs pravitate; Partim autem ex pravâ Inclinatione Voluntatis, quæ *exercitii* est *principium*: Nec non ex causa utraque ad *errorem* præcipue *Practicum dispositа.* 2. Præter pravam hanc *dispositionem Actualiter* etiam erronea est, & adversus fidem salutarem, & bonum spirituale, & practicum, falsis præjudiciis decepta & depravata. 3. Et ex male agendi Consuetudine habitualiter magis adhuc, Dispositione scilicet & privativâ & positivâ, corrupta est.

III. *Ratio Reparata* per Verbum & Spiritum Dei illuminata est, *viz.* 1. Ad Perceptionem seu Scientiam magis *Communem*; 2. Ad Scientiam (& Fidem) specialem Salvificam. 3. Ad Scientiam (& Fidem) extraordinariam.

I. *Communiorem* dico, 1. Illuminationem, Scientiam, seu Fidem, quæ *Illumina-*

tioni salvificæ præparatoria est. 2. Et Lumen illud donorum quo quis ad Ecclesiam seu alios instruendos sit idoneus.

II. Speciale salvificæ Gratiæ Lumen est, 1. *Initiale* in prima efficaci Vocatione, ad primos Fidei & Resipiscentiæ actus salutares. 2. Sanctificatione magis intensum & adauctum; Quo scilicet in Voluntate Amor sanctus prædominans incenditur. 3. Gradibus adhuc majoribus auctum usque ad vitæ exitum. Et omnia hæc dicimus, 1. De prima dispositione; 2. De exercitio; 3. De habitu sciendi.

III. Per *Scientiam extraordinariam* volumus Visiones & Inspirationem Propheticam, ad miracula, infallibilitatem aut officia extraordinaria.

De Lumine perfectissimo Gloriæ hic dicere non opus est.

4. Quod ad *Partes* quas realiter Concordes esse asserimus, 1. Per [*Conformistas* & *Nonconformistas*] (nomina in Anglia nostra ex turbatorum superborum voluntate orta, & lugubri experientiâ nota) primò volumus, *Quâ tales*; An hæc sit *Pars ulla* istarum Controversiarum, unde denominationes istæ sumuntur? 2. Deinde verò ex *abundante*, An *Qui tales*, de hisce ullatenus discordant?

5. Per [*Protestantes*] hos volumus, Quorum Religio est *Christianismus*, ut 1. In *Essentialibus* continetur in Fœdere Evangelico Sacramentali; 2. *Expositio* in tribus jam descriptis summariis seu symbolis; 3. Et copiosissimè in S. Scripturis; Quique contra Papistarum additamenta & corruptiones Protestati sunt, seu eas renunciarunt: Quique (væ Murum separantem Christianos ædificantibus!) in Lutheranos, Calvinianos, Arminianos, Puritanos, Formalistas, &c. (nomina Diaboli instinctu eis donata) distinguuntur.

1. Non negamus Protestantes quamplurimum opinione disjungi à Socinianis, qui doctrinam de S. S. Trinitate, quamvis sacris literis traditam, ideo negant, quia *contra* Rationem eam esse (falsò tamen) opinantur.

2. Neque negamus Protestantes discrepare ab Enthusiastis seu verè *Fanaticis*, qui *Revelationes* eas somniando crepant quas vere Divinas esse non possunt probare, & quæ S. Literis & Rationi sunt plane contraria: Quicunque morbidarum suarum phantasiarum impulsus, & suas passiones, tales esse spiritûs Divini motus opinantur, quibus ut Ratio omnis cedat necesse est.

3. Neque negamus Protestantes vehementer abhorrere ab insaniissimo ullo Fanaticismo Papistarum; qui & *Fidem suam* superædificant, & Religionem quotidie exercent, Miraculis tam monstrosâ audaciâ confictis, contra Rationem, & sensum humanum, qualem nulla unquam (de quâ audivimus aut legimus) aut Secta aut Hæresis in tota terrarum orbe professa fuit: *viz.* 1. Cum Papam cum suo Concilio (falsò dicto Generali) fidei Judices faciunt infallibiles, quorum authoritate recipienda est, quamvis ipse Papa sit Puer aut indoctus aut hæreticus, & cum ipse tum Episcoporum plurimi res suffragiis suis determinandis omninò prius nescirent: Quasi Ecclesiam Christus regeret, miraculosè faciendo, ut homines insci & erronei, aut supra intellectionem suam, aut contra mentis sententiam, decreta infallibilia conderent, aut rectissimè suffragia sua darent: Et quasi Deus Papam aut suos Episcopos, quamvis neque Hæbraicè neque Græcè doctos, infallibiles faceret S. Scripturæ Translatores & Commentatores vel Translationum & Commentariorum quorum omnino ignari sunt, infallibiles Judices; ex quorum Judicio qui salvus vult fieri, ut fidem ipsam Divinam recipiat necesse habet.

2. Summæ autem & impudentissimæ audaciæ est, quod omnes quotquot ordinare velint Episcopi Sacerdotes, (quamvis sint Myriades) quotidie, & ad libitum, coram cætu, in cultu Divino stupenda facere Miracula fingunt; vah quantum & *Majora & plura* quam fecerunt Apostoli, aut ipse Christus! Imò neque Ignorantia, neque crimina, perjurium, fornicatio, aut ipsa mentalis infidelitas, & Christi contemptus aut irrisio aut inimicitia, juxta istos impedit quò minus per Sacerdotem hæc fiant miracula: *Panem* scilicet facit *non-panem*, & *Vinum* esse *non-vinum*, neque aliam aliquam *sensibilem substantiam*, quamvis manent longitudo, latitudo, color, odor, sapor, &c. Et quamvis omnes omnium sanorum sensus (an fidelium an infidelium,) seu ratio sensibilia ut sensata percipiens, *verum Panem*, & *verum Vinum* superesse judicat. Nihili scilicet superest Quantitas, nihili Color, nihili Sapor,

Sapor, nihili Odor, & ſenſus omnes omnium decipiuntur: Et eos omnes eſſe deceptos ad ſalutem eſſe creditu neceſſarium fingunt; ex antedicta ſcilicet authoritate Pontificiâ credendum eſt: Et impotentes illi qui hæc credere non poſſunt (id eſt, Homines quâ Homines) ut Hæretici ſunt exurendi, vel ſaltem exterminandi; & Domini qui poſt excommunicationem Papalem hanc ſententiam exequi recuſant, ſunt ipſi exauctorandi, & eorum ſubditi à vinculis fidelitatis ſolvendi, & eorum Dominia aliis à Papa donanda ſunt.

Ab omnibus hiſce Fanaticis Proteſtantes diſcrepare in confeſſo eſt. Concil. Later. ſub Innoc. 3. Can. 3.

Hiſce præmiſſis, ſatis conſtat, Non quæri utrum diſcordant Proteſtantes à Socinianis, Papiſtis, Tremulis, Antinomis, *&c*? Nec an Poteſtantium ſingulares aliqui inveniantur, quorum tanta eſt ignorantia, quæ in hujuſmodi errorem eos conjicere poſſit? Nec quæritur an inter Proteſtantes inveniantur aliqui temerarii, præſidentes, feſtinantes in judicando, qui dum res bene penſitent morari non poſſunt; aut qui peritiâ carent neceſſariâ verborum ambiguitatem diſcutiendi, & controverſias de *verbis*, & de *rebus* diſtinguendi; vel qui ex judicii ſubacti defectu neque alios bene intelligere poſſunt, neque diſtinctè & intelligibiliter ipſi dicere? Nec quæritur an ſint aliqui factione ita illaqueati, aut ex ſuperbia, avaritia aut paſſione ita erga fratres male Morati aut immanes, ut ad ſiniſtram eorum verborum interpretationem propendeant, & diſſidendi aut contendendi anſam facile arripiunt? Non quæritur an ignari aliqui & contentioſi Concordes putent eſſes diſcordes? Neque an aliqui minùs aptè aut cautè de partibus Rationis in rebus Religionis ſunt locuti? Neque an aliqui aut dictis aut ſcriptis fratres de hiſce criminati ſunt? Et ignaros ad odium odioſum excitarunt? Neque quæritur an in dogmatibus quibuſdam Religionis, aut in Textu S. Scripturæ hoc aut illo exponendo diſcordia inveniatur? Nec denique an de humanæ authoritatis extenſione, aut imperii humani, aut Canonum obligatione, inter Proteſtantes aliqua ſit controverſia?

Quæſtionis verò hic ſenſus eſt; Utrum in Religione, ſeu Fide Chriſtianâ recipiendâ, tenendâ & probandâ RATIONIS humanæ quædam partes ſint? Et quænam eæ partes ſint? Et an Proteſtantium aliqui cætus ſeu partes, Lutherani ſcilicet Calviniani, Arminiani, Diocæſani, Presbyteriani dicti, de hac re inter ſe verè diſſentiant?

Partem Negativam probamus, I. Ex Eccleſiarum Confeſſionibus, ubi de rebus graviſſimis partium omnium judicium patefit. In toto *Corpore Confeſſionum* nullus extat de hac re Articulus, cui non omnes Proteſtantium Eccleſiæ conſentiunt. Conformiſtæ autem & Nonconformiſtæ Angelicani iiſdem Eccleſiæ Anglicanæ Articulis Doctrinalibus concorditer ſubſcribunt: (Quamvis, proh! non parum diſcordant, de ſubſcriptionibus quibuſdam aliis, de publicis quibuſdam Declarationibus, profeſſionibus, fœderibus ſeu promiſſis faciendis, juramentis de rebus & civilibus & Eccleſiaſticis, & de Eccleſiarum gubernatione & diſciplinâ, & aliquantum de modo cultûs.) Præterquam quod & omnes eidem Symbolo Fidei, & iiſdem S. Scripturis Canonicis ſubſcribimus. Punctum autem hoc de Rationis partibus in rebus Fidei judicandis, aut in Symbolo, Sacris Literis, vel Articulis Eccleſiæ determinatum invenitur, Vel non: Si *non*, tunc nulla Religionis noſtræ pars eſt: ſin *ita*, tunc omnes ei concordes ſubſcribimus.

Nulla autem extat Profeſſio, Scriptum nullum per verè Proteſtantium cætum ullum fuit editum, quo concordiæ huic contradicitur, aut diſcordia aliqua ſignificatur. Differentiam affirmanti hoc onus incumbit, ut aut Librum aut Confeſſionem aliquam producat (non ſingularis alicujus hominis ignorantis aut contentioſi, ſed) Eccleſiæ aut partis alicujus, unde diſcordia affirmata probetur.

De duobus quidem viris doctiſſimis à quibuſdam & Conformiſtis & Nonconformiſtis ſuſpicio Socinianiſmi mota eſt, D. Hales ſcilicet & D. Chillingworth; nempe quia *Rationi* in rebus Fidei nimium tribuere ipſis viderentur: Quod Papiſtis adeo placuit, ut Jeſuita Knot ubi Chillingworthio reſpondere non potuit, Socinianiſmi eum inſimulando rem citius expedit. At ſuſpicio non de parte aut cætu aliquo, nec per partem aliquam ſuſcepta eſt, ſed tantum per ſingulares quoſdam de duobus ſingularibus:

gularibus: D. Petri Heylini verba de D. Hales, & D. Cheynelli de Ch illingworth, non erant Ecclesiæ aut *Partis* alicujus sententia. Neque Christianorum (in sectas proh! nimis infæliciter scissorum) Pars ulla adeo pura & sapiens invenitur, cujus nulli sunt aut inscii, invidi, malevoli, aut temerarii, & qui ad sapientiæ aut Orthodoxiæ aut pietatis famam, non breviorem esse viam opinantur, si alios Ignorantiæ, erroris, hæreseos, aut impietatis incusent, quàm per studia ardua, seria, bene ordinata & indefessa res ipsas penitus habere perspectas: si tales autem de rebus non intellectis male dicant, quid mirum?

Obj. 1. *Quamvis omnes Protestantes iisdem S. Scripturis, & Religionis articulis subscribant, non omnium de hisce idem omnino sensus est.*

Resp. Imò; ne duorum in toto terrarum orbe: Non magis quippe probabile est duos istos habuisse *easdem cogitationes*, & eandem de omnibus rebus sacris sententiam, quam eadem omnino verba de sacris semper locutos esse. At de re ipsa jam quæsita dissensio probanda est.

Obj. 2. *Nonne maxima inter vos flagrat dissensio, de Regum & Episcoporum Ratione? an scilicet res Religionis regendo, eorum sit Novas Ecclesiarum formas, à Christo aut Apostolis nunquam institutas, fabricare, Nationales scilicet, Patriarchales, aut Provinciales? aut novas Ministrorum, aut cultûs Divini species aut formas imperare?*

Resp. 1. Hæc de aliorum Potestate quidem lis est: Non autem de quæsitis.

2. Summa dè sequentibus hisce inter nos omnes concordia est: *viz.* Plurima esse Ecclesiarum, Ministrorum, Doctrinæ & Cultûs Divini accidentia, ad quorum determinationem particularem, præcepta tantum seu Canones Generales in S. Literis Deus præscripsit (*e. g.* ut *omnia fiant*, 1. *In amore, unitate & pace*; 2. *Ad ædificationem*; 3. *Juxta ordinem & honeste* (*seu decenter.*) De hisce autem ita determinandis Ratio humana judicat; *Rectorum* scilicet Ratio, ubi ad *Regimen* res spectat; *Consentientium*, ubi ad *Consensum* & concordiam; & exercentium, ubi ad praxin. Quique de rebus extrinsecis circa sacra determinandi potestatem habent, ad opera hæc humana humanos possunt instituere Ministros; quales sunt, Justiciarii, qui Pacis Ecclesiasticæ curam gererent, ædiles, ostiarii, *&c.* Et si Pastorum legitimas aliquas associationes, vel concilia per *Ecclesiarum* (humanarum) nomen appellabunt, modò distinguant eas ab *Ecclesiis* Institutionis Divinæ, & has jure & Privilegiis à Christo donatis minimè spoliaverint, pars nulla verè Protestantium nobis nota est, quæ de *Re* litem illis moveret: De *Nomine* autem non desunt qui mallent nomen ECCLESIÆ sine nota sufficienter distinguente, commune non fieri & quasi *Genus Ecclesiarum* Institutionis *Divinæ* & *Humanæ*, ne discrimen magnum rerum nominatarum inde obscuretur; & ne sicut in Papatu, Societates & Res institutionis Divinæ, per nominis æquivocationem, Ecclesiis humanis directè subordinari putarentur; Et ne *partes* merè *similares* æstimarentur *Ecclesiarum juris humani*, qualis est Parochia Comitatûs, domus Vici, Vicus Civitatis, Civitas Regni: Hæc enim superioritas *Ecclesiarum humanarum*, quâ Ecclesiis Institutionis Divinæ imperant, & quasi jure, eas jure & privilegiis divinitùs concessis spoliant, est Regni seu Tyrannidis Romanæ fundamentum; & Robur ejus in nominis æquivocatione & abusu non minimum consistit.

Obj. 3. *A Nonnullis affirmatur solum Sp. Sanctum nos certos facere S. Scripturas esse Divinas.*

Resp. Ab omnibus quidem hoc dicitur; non autem *Media*, *Evidentias*, aut *Rationis* rectum usum excludendo: At 1. Sp. Sanctus in Christo & suis Apostolis & Prophetis Imaginem Divinam Sacris Literis impressit, nimirum suæ Omnipotentiæ, Sapientiæ & Amoris: Hæc autem Dei Imago est intrinseca Sacræ Scripturæ Evidentia. 2. Idem etiam Spiritus Sanctus per Verbum hoc cordibus humanis pariter potenter, sapienter & amanter eandem Dei imaginem (sed vivam) imprimit. 3. Et per Effectum hunc & impressionem nos instruit & auxiliatur, ut Verbum hoc instrumentale verè Divinum esse agnoscamus: Hujus Verbi quippe, utpote Animæ nostræ congrui & connaturalis, & Perceptionem nobis donat & Appetitum; (qualem fere Lactis habent infantes.) Tales Religionis Christianæ

ſtianæ Rationes fidem facientes nobis oſtendit S. Spiritus quales aliunde exquiſiviſſe nunquam potuiſſemus: Intellectum etiam noſtrum in iis ſincerè & penitius recipiendis opitulatur: Et Habitum hæc agendi in nobis operatur. In omnibus hiſce concordamus.

Obj. 4. *Dicunt autem nonnulli S. Scripturas propriâ luce notas eſſe.*

Reſp. Ab omnibus hoc dicitur: Non autem luce hâc ſolâ. S. Scripturæ Divina authoritas per Rationem percipienda eſt, partim ex *Impreſſionibus* Divinis evidentibus, quæ in eis ſunt ipſarum *propria Lux*; & partim ex atteſtationibus Divinis extrinſecis: Idque in uſu juſto eorum Mediorum quibus ſtatuit Deus Rationem ad hoc illuminare. Hactenus concordiæ noſtræ primum Argumentum.

II. Concordia hæc etiam probabitur per Inductionem Propoſitionum in quibus concordamus: Et clara erit probatio, ſi *enumeratio* ſit *ſufficiens:* ſin autem neceſſitatis metas redundantiâ excedamus, idcirco hoc factum eſt ne *inſufficiens* videatur.

1. In hoc primò omnes concordamus, *Religionem veram objectivè* ſumptam, Sapientiæ Divinæ Rectricis eſſe effectum; & *ſubjectivè* ſumptam, etiam Patris Luminum eſſe donum.

2. Concordes item ſentimus, hujus Sapientiæ Divinæ ſimilitudinem ſeu impreſſionem quâ eminenter Rationalis eſt, eſſe Religionis Cauſam Conſtitutivam etiam formalem.

3. Objectivam hanc Religionem per Rationem ſeu Intellectum humanum recipiendam eſſe, & verè receptam, eſſe Rationis noſtræ Lumen, decus, & perfectionem, à nemine Chriſtiano negatur: Neque Religioſiſſimos eſſe veriſſimè Rationales.

4. Religionem etiam Evidentiam habere intelligibilem, quâ *Divinam* & *veram* eſſe dignoſcatur, unanimiter tenemus: Et *Evidentiam* hanc cernendo *Divinitatem* & *Veritatem* ejus Rationi notas eſſe. Nihil enim niſi per *Evidentiam intelligibilem* Intellectûs *objectum* eſt; ſicut *viſûs* nihil objectum eſt niſi Lumen, & illuminata, (ſeu quæ per Lumen redduntur viſibilia.)

5. Et ſicut noſmetipſi Fidem ſeu Religionem objectivam recipimus, ejus *Evidentiam* recipiendo, quâ Divinam & veram eam eſſe cognoſcimus; ita & aliis modo eodem per docentes tradenda eſt, & contra adverſarios defendenda; *Evidentiæ* ſcilicet hujus ſcientificæ ſeu fidem facientis manifeſtatione.

6. In ſtatu Innocentiæ Ratio ſeu Intellectus Humanus *aptus* erat ad naturales & ſupernaturales revelationes, ſeu Voluntatis Divinæ rectricis manifeſtationes intelligendas, & inde ad Religionis praxin exercendam, & per exercitium, Deo auxiliante, ad incrementum habituale obtinendum.

7. Et hominis Lapſi nondum gratiâ illuminati Ratio quidem quoad *facultatem* eadem eſt; Quoad *Diſpoſitionem* autem depravata eſt, & cæca; De ſpiritualibus nimirum, Sanctis & cœleſtibus carnaliter, falsò & malignè judicare propenſa eſt; & à perceptione ſalutari Veritatis & Bonitatis Religionis averſa.

8. In omnibus ratione utentibus *Notitiæ* quædam Naturales inveniuntur, quæ ad Religionem recipiendam ſunt quædam diſpoſitio ſeu adjumentum, capaciorem ſcilicet intellectum efficiens: Et Gratia plerumque donat quoddam Lumen commune, tum externum, tum internum, quod ad Lumen ſalutare recipiendum præparatorium eſt.

9. Religio Chriſtiana ex rebus partim naturaliter, partim ſupernaturaliter revelatis conſtat: Pars autem Naturalis, Naturalem ſuam habet Evidentiam (aut Rei ipſius, aut Medii Naturalis,) ex qua ſine Revelatione ſupernaturali cognoſcatur: Sine Gratia autem Illuminante non efficaciter & ſalutariter nota eſt.

10. Revelationis ſeu Religionis objectivæ pars Naturalis, parte ſupernaturali prior tempore eſt; Et Religio & Evidentia naturalis ſupernaturali communiores ſunt: Homines ſumus priuſquàm Chriſtiani, ordine ſaltem naturæ.

11. Inter partes Revelationis ſeu Religionis naturales & ſupernaturales, nulla prorſus eſt contrarietas ſeu contradictio: Deus etenim ſibi ipſi non contradicit. Qui igitur contradictionem hic aliquam ſe invenire autumat, deceptus eſt; & ut Intellectûs

tellectûs sui errorem corrigat oportet, non autem Revelationem Divinam incuset.

12. Quæ æque vera sunt, non semper æque *Evidentia* sunt, aut nobis certa, aut revelata: Naturalium ipsorum quædam aliis multò clariora sunt: Et S. Scripturæ partes, aliæ sunt aliis intellectu faciliores, ideoque nobis magis evidentes.

13. Cæteris paribus, sensibilia, & Notitiæ communes naturales, nobis sunt magis evidentes, & facilioris receptionis quam Revelationes per Prophetas: Revelationes tamen nonnullæ supernaturales magis certificantem habent Evidentiam tum intrinsecam tum adventitiam, quam plurimæ veritates seu Revelationes Naturales: In naturalibus enim quamplurimis est obscuritas & labyrinthus.

14. Quamprimum de re aliqua nobis constat eam divinitùs esse revelatam, certissimum habemus medium, unde *Veritatem* rei possumus concludere: Omnes Revelationes divinæ de rebus in tantum *certificantes* sunt, in quantum eas *divinas* esse priùs certi sumus. Deus enim mentiri non potest: Veracitas Divina est Fidei Divinæ objectum formale.

15. Quandocunque de Revelationis alicujus aut Naturalis aut supernaturalis Evidentiâ dubitatur, an vere sit Divina? illud primò & fide certissimâ tenendum est, cujus certissimam habemus Evidentiam; & de certis per minùs certa non est judicandum.

16. Prophetis & Videntibus inspiratis Evidentia talis infallibilis & certos faciens affuit (aut per intuitionem, aut per species, aut internam quandam sensationem) cujus nemo potest conceptum clarum & formalem habere præter possessorem. Aliorum autem rationi ejus *Veritas* innotescere potest, per effectus scilicet & testimonia concomitantia & consequentia.

17. Qui Christi & Apostolorum vocem audiverunt, & Miracula viderunt, hi eorum *sensibilem* habuerunt evidentiam: Loco autem & Tempore distantes qui hæc non viderunt, Evidentiam tamen infallibilem habere possunt, veritatis historicæ, de facto scilicet hæc vere dicta & facta fuisse.

18. Religioni Christianæ & S. Literis authoritatis Divinæ insunt Characteres, (ut obiter prius dictum est,) vestigia scilicet *Potentiæ*, *Sapientiæ* & *Amoris* Divini, quæ earum sunt *Evidentia inhærens*, & velut propria lux.

19. Fidei etiam Christianæ evidentes extant & non-imitandi *Effectus*, unde certo probatur eam verè Divinam esse; Opus scil. Sp. Sancti fideles sanctificans: Quod etiam per ipsos infideles & carnales aliquatenus potest percipi, in fidelium vitæ sanctitate; præcipue verò in sanctitate totius Ecclesiæ, verè scilicet credentium, qui veram, vivam & spiritualem Ecclesiam constituunt; & qui præ mundo infidelium putrido & tenebricoso, sunt quasi Sol & Luminaria: Quamvis enim (quod à Cicerone Epicuris dicitur) unius Literæ figura sine Ratione, casu aliquo, fieri possit, scientiarum tamen libros ita scribi impossibile est: Et pari ratione si fortè Christianus aliquis singularis, præ Infidelibus casu sanctus fieri possit, ut omnibus tamen fidelibus ita fiat impossibile est: Neque à Causis vilioribus effectus tam nobilis unquam factus est. Qui autem hunc spiritum, hanc sanctimoniam in sese experitur, Veritatis Fidei Christianæ Evidentiam multò clariorem & certum facientem, possidet: Testem enim in se habitantem semper gerit; & illi maximè & præ cæteris quorum sanctitatis gradus est magis eximius.

20. Spiritus hic ipsius Christi, ab ipso nobis missus, ejus Agens est & Advocatus in animis humanis; Idemque Author est tum Gratiæ præparatoriæ communis, tum Illuminationis specialis salutaris, quâ mentes ad res Divinas verè intelligendas sunt irradiatæ; & Voluntati (ut jam dictum est) earum ut bonarum, convenientium & placidarum donatur congruus appetitus. Et scientia hæc & fides tum objectiva tum subjectiva est Dei donum, & quasi Radius Christi-mundi-redempti-Luminaris. Quibusdam autem per Spiritum eundem multò majores quam aliis scientiæ & fidei gradus donantur: Non autem otiosis, socordibus & præsumptuosis, hæc dona spiritualia solent obvenire, sed sincerè & diligenter Dei verbo & voluntati studentibus, pro captu obtemperantibus, & mediis aliis necessariis à Deo institutis utentibus.

21. Quæ per *Evidentiam naturalem* non innotescunt, sine *Evidentia supernaturali*,

turali, ea neque Ratio corrupta, neque ſana quidem cernere potis eſt. Chriſtianæ Religionis igitur Myſteria Evangelium nunquam audientibus (niſi per miraculum) intelligi & credi impoſſibile eſt: De Divina tamen Juſtitia & miſericordia erga peccatores, ex mundi regimine & beneficiis quampluribus gratis peccatoribus donatis, nonnihil poteſt intelligi, & per totum ferè mundum intelligitur.

22. Non datur Sp. Sanctus Chriſtianis ordinariis (ſed Prophetis) in hunc finem, ut Doctrinas ſeu Leges novas divinitùs eis afferat; neque ad Evangelii materiam Intellectui vel Phantaſiæ immediatè revelandam, per modum Inſpirationis, Viſionis, aut Intuitionis, ſine Verbo aut Revelatione externâ; neque quo Miracula ipſi operentur: Ad hoc autem eis donatus eſt, quo Doctrinæ & Legi per Spiritum jamjam Eccleſiæ datæ credant & obtemperent, & Deum & ſanctitatem diligant; Vitalitate, Lumine & Amore ſancto, facultates eorum (Potentiam Vitalem, Intellectum & Voluntatem) renovando. Et ſicut Chriſtus eſt extra nos apud Deum Interceſſor, per quem Deo officia noſtra omnia ſunt offerenda, & omnia Divina *Beneficia* nobis communicanda; Ita & intra nos Intercedit Sp. Sanctus; Nimirum ex parte Chriſti, ut ejus Teſtis & Advocatus, ejus cauſam contra infidelitatem cæteraque peccata intra nos agendo, & Imaginem Divinam in nobis operando; & ex parte noſtri nos docendo, inſtruendo, & ſuſcitando in omnibus & precibus, & Laudibus Divinis, quas in Chriſti nomine, Deo ſanctiſſimo offerimus. Spiritûs Sancti illuminatio & ſanctificatio, neque Prophetas nos facit neque Apoſtolos, neque illis æquales, utpote à quibus opera ipſis propria non præſtanda ſunt.

23. Rationem etiam ſummam adhibere nos oportet, diligentiſſimè meditando & judicando, quò opera Divina ſatis perſpecta miremur; quò Libros S. Scripturæ verè Canonicos, vera exemplaria, & veras Lectiones diſcernamus; quò S. Textum rectè transferamus, & exponamus; quò S. Veritatum per S. Literas diſperſarum verum Ordinem diſcernamus; eaſque in Catechiſmos, & Profeſſiones neceſſarias compaginemus, neceſſaria à minùs neceſſariis, & clara ab obſcuris diſtinguentes; Quò etiam juxta Verbum Divinum conciones, preces, & hymnos componamus; quò ex S. Scripturæ dictis, non falſas, ſed juſtas certaſque concluſiones colligamus: Quò Canones generales ad caſus particulares rectè applicemus, in rebus Doctrinæ, Cultûs, diſciplinæ, & praxis ordinariæ; Quò officia ea prudenter diſcernamus, quæ in S. Literis tantùm Generaliter præcipiuntur, & juxta accidentia, circumſtantias & caſus diverſos comparandos, à nobis ſunt particulariter diſcernenda: Et quandocunque Parentes, Magiſtratus, Paſtores, Tutores, vel Domini, inferiores regendo, ita de hiſce quæ ad officia ſua ſtatuere pertinet, juxta Legem Divinam præcipient, ſubditorum eſt illis promptam præbere obedientiam: Quo quidem Deo ipſi obediunt, & Legibus ejus generalibus, & Miniſtris ejus officialibus obediendo.

Omnium aſſenſu comprobatum eſt, S. Scripturæ partes aliquas doctrinam magis neceſſariam continere, quàm in aliis (non tamen inutilibus) invenitur; & obedientiæ noſtræ partes alias eſſe aliis quaſi Canones, utpote primæ neceſſitatis, & minorum fines; ideoque actiones, aliàs bonæ, fiunt malæ quando maximis hiſce, finalibus & regulantibus officiis ſunt contrariæ: Talis Canon eſt *Nova Creatura* & Chriſtianorum Unitas quoad circumciſionem vel præputium, *Gal.* 5. 6. & 6. 15. Talis etiam Canon eſt Chriſtianorum Amor, Concordia, Pax, nimirum ut in eo ad quod uſque pervenimus, in eâdem incedamus regulâ, & idem ſapiamus, *Phil.* 3. 16. Talis etiam Canon eſt *Edificatio* præcipue, deinde *Ordo*, ad Cultûs quoſdam modos & circumſtantias, & Miniſtrationis & Diſciplinæ quædam accidentia rectè determinanda, 1 *Cor.* 4. 5. 12. 26. 2 *Cor.* 10. 8. & 12. 19. & 13. 10. *Eph.* 4. 16. Chriſtianæ item converſationis debita ordinatio non parum in hoc conſiſtit, ut rectâ Ratione probè diſcernamus, quando Actiones quâ talibus ſtipatæ accidentibus, hiſce officiis primariis & Canonicis aut congruæ & ſubſervientes ſunt, aut oppoſitæ; quo ſcil. utrum pro *hic* & *nunc* ſint aut bona aut peccata dijudicemus: Præcepta enim affirmativa non obligant ad *ſemper*: Officia minora quando majora ſuo tempore excludunt, tunc peccata fiunt: Neque ea verè Media reputanda ſunt, quando ad finem aut non conducibilia ſunt, aut oppoſita. Ita Chriſtus ipſe nos docet

diſtinguere

distinguere inter Menthæ, Anisi & Cumini decimationem, & Magna Legis; & prima & magna mandata (Amoris Dei & proximi) à secundariis & minoribus: Et juxta hanc distinguendi regulam, [*Misericordiam volo, non Sacrificium*] Matth. 9. 13. & 12. 7. seipsum contra Pharisæos justificat, de Sabbati requiei externæ violatione, & de conversatione sua cum publicanis & peccatoribus: Hinc etiam jubet, munus ad altare oblaturum, suum munus ibi relinquere, & abire primum reconciliatum iri fratribus & tunc venire ad munus offerendum Matth. 5. 23, 24,25. Hinc etiam monet hypocritas primò ex ipsorum oculis ut trabem ejiciant, ut deinde festucam fratris oculis videntes eximant, Matth. 7. 5. Quibus omnibus ostendit officia quædam majora minoribus esse fines & Canones; & actiones probare ex finibus, & Canonicis hisce officiis, & accidentia pro loco & tempore præponderantia discernere, esse Prudentis Rationis opus magnum & quotidianum, & ad innocentiam & pacem non minimæ necessitatis.

24. Quò clariùs & veriùs Fidei & Religionis evidentiam & Rationes percipit intellectus, eò faciliùs à Voluntate amantur; & ut Christo firmissimo proposito adhæreamus, & seriò & constanter, cum patientia & nostri abnegatione, & spe salutis æternæ in bono perseveremus, eo majus adjumentum est. Gratia enim in hominem operatur juxta naturam recipientis, Agentis scilicet Rationalis-Liberi cujus Voluntas Lumine Rationis dirigenda est. Et cui veræ Rationis Christianismi perceptio intellectualis minima est, ut fidelium is minimus & maximè instabilis & vacillans sit, necesse est.

25. Infirmitatis, languoris & inconstantiæ Christianorum non minima hæc causa est, quod cum fides eorum fundamentis minùs firmis & nimis humanis, (parentum scilicet & doctorum authoritati) primò innitatur, ut hisce superædificent tamen ipsis tota deinceps cura est; At sicut Arbores grandescentes simul sursum crescunt in ramis, & deorsum in radicibus, ita & fideles quotidiè oportet totis viribus conari, quo firmiùs adhuc eorum fides fundetur, & penitiùs radicetur, dum fundamentalia quoad veritatem & ordinem, adhuc clariùs perspiciant: Verus enim scientiæ divinæ & fidei profectus & augmentum est, Veritatis evidentias tam intensivè (clariùs) quàm extensivè (plures) indies habere perspectas: Et optimos quidem & fortissimos Christianos bene decet, etiam de *Deo ipso*, de *Immortalitate animarum*, & de *Veritate Evangelii*, & *vitæ futuræ*, *clariorem* & *firmiorem* & *penitiorem* assiduè fidem & notitiam obtinere; Quo conatu & opere, vix utiliore aliquo Ratio sancta sese exercebit.

26. Cum Religio objectiva id ipsum est quod Ratio percipit, ineptè à quibusdam hic quæritur *utrum Religio an Ratio præferenda sit?* quasi invicem opponerentur; sicut ineptè quæreretur, Utrum in videndo facultas visiva, aut Lumen, aut objectum illuminatum præferendum sit? quæ omnia ad actum eundem sunt pariter necessaria.

Qu. *Nonne autem Ratio humana & Religio nullatenus sunt contraria? Resp.* 1. Rationis facultas quâ talis, Religioni non magis opposita est, quàm facultas visiva Lumini & objecto illuminato. 2. Quantum Rationis ulla pravitas est, aut in dispositione, aut actu, positiva aut privativa, tantum Religioni opposita est. 3. Quantum & actu & dispositione, Ratio sana est, tantum Religioni amica & congrua est. Quò pejor igitur alicujus Intellectus est, eo Religioni magis inimicus est. 4. Et quoniam tum doctissimorum & sapientissimorum, tum sanctissimorum & optimorum hic imperfecta est illuminatio & sanctificatio, in quantum igitur unusquisque cæcitatis & pravitatis suæ reliquias retinet, in tantum id retinet quod Religioni inimicum est.

Partes autem Religionis objectivæ nullatenus inter se contrariæ sunt: Principia seu notitiæ communes naturales, sacris Literis nullatenus adversantur. Etiam in Doctrina de S. Trinitate, Incarnatione, aut Resurrectione, nil invenitur Veritati alicui naturali contrarium; Imò nihil quod ex verissima & certissima Revelatione Divina Ratio vera illuminata non potest probare.

27. Beati Glorificati quorum perficientur Intellectus eas Religionis partis uniuscujusque videbunt Rationes (de Trinitate scilicet, Incarnatione, Resurrectione, &c.) quibus

quibus in æternum delectentur; Harmoniam scilicet mirandam Veritatum omnium sacrarum, & operum Divinorum introspicientes, & in omnibus splendentem sapientiam multiplicem Divinam. Et ipse Christus qui & in se *Essentialis*, & credentibus *objectivè Divina Sapientia* est, quâ talis, in fidelibus fiet admirandus; 2 Thes. 1. 10, 11. sicut & jam per Principalitates & potestates in cœlestibus; Eph. 3. 9, 10. Glorificabitur illa sapientia quæ sapientibus mundanis stultitia appellatur, & quæ spiritualiter cernenda est.

28. Sicuti credunt & contremiscunt Diaboli, ita plusquam probabile est Infideles & impios tandem per mundi judicem convincendos esse, Rationale fuisse Evangelium illud quod spreverunt, & Rationalem fuisse fidem & obedientiam quasipsis Deus præcepit; & contra Rationem eos vixisse infideles & peccatores: Sp. Sanctus enim mundum arguit de peccato, eo quod in Christum non credunt, Joh. 16. 8. Et *qui cum igne flammante ultionem iis infliget qui Deum nesciunt, neque auscultant Evangelio Christi, qui pœnam pendent æterni exitii à facie Domini & à gloria* roboris ejus, 2 Thes. 1. 8,9,10. Nonne is damnandis evincet, *Fidem præceptam fuisse* rationalem, & Infidelitatem contra Rationem?

In omnibus hisce Enumeratis particulis de usu Rationis in rebus Religionis, non sine Ratione supponere nobis videmur, Protestantium Partium omnium (quamvis non *personarum* singularium) summam esse consensionem.

Et quanquam viventium neminem scientiæ tam perfectæ esse opinamur, qui nil tenet veritatibus ab ipso agnitis ullatenus oppositum (dum contrarietatem non cernit) in errorum tamen sequenti renunciatione concordes omnes consentimus.

I. Ab errore isto Infidelium omnes abhorremus, quo Evangelii Mysteria aut incredibilia, aut incerta saltem judicant, quia Rationi sine Revelatione supernaturali non innotescunt; eorumque qui dicunt Evangelicæ Veritatis nullam certam extare evidentiam.

II. Istorum etiam errorem rejicimus, qui partem quandam Revelationum supernaturalium falsam esse judicantes, per Rationem suam in se recipiunt partes veras à falsis discernere, cum totius veritatem agnoscere debuissent: Quique falsò se contradictiones ibi invenire opinantes, Dei verba accusando inter se committunt.

III. Istorum etiam omnes pariter errorem rejicimus, qui Verbi Divini partibus difficilioribus ideo fidem negant quia res revelatæ non *in se* sunt *evidentes*, neque ex *evidentia naturali sola* possunt probari, quamvis earum *Revelatio Divina*, & *Divina* itidem *Veracitas* Rationi satis probetur.

IV. Superbiam etiam istorum detestamur, qui cum Verbi Divini quædam ipsis videntur contradictoria, & improbabilia, potius Verbum illud incusant, aut in suspicionem vocant, quam suorum tenebricosos & erroneos intellectus.

V. Eorum etiam immodestum rejicimus errorem, qui Miracula sibi fingunt, ubi nihil miraculosum erat; aut dum sacras Literas falso interpretantur, suos errores Verbo Divino inde adscribunt; etiam errores istos qui magnis & claris S. Scripturæ doctrinis, imò & ipsis naturalibus notitiis contrariantur: Et dein aut plane contraria (*sua* scilicet & *divina*) credenda hominibus obtrudunt, aut Divina eliminant, quia *suis*, quæ pro Divinis venditantur, sunt oppositæ. Istorum etiam Methodum rejicimus, qui Veritates & Textus magnos, claros & certos, per minores, rariores & obscuros interpretantur: Et multò magis istorum scandalum, qui ipsum Christianismum omnino incertum asserunt, si Lectio aliqua, Translatio aut Expositio sit incerta, ubi reverâ *contrariæ* inveniuntur. Quique inscii in foveam infidelitatis imperitos & infirmos seducunt & præcipitant, dum fictiones suas & contradictiones (imò & impossibilitates; qualis est Papistarum Transubstantiatio) hominibus obtrudunt, æquâ fide quâ ipsissimum Dei verbum, (imò fidei essentialia) recipiendas.

VI. Eorum etiam errorem omnes rejicimus, qui omnem Religionis circumstantiam illicitam esse fingunt, quam S. Scriptura non particulariter præcipit: quasi Ratio, per præcepta Generalia, has eligere & dirigere non possit, & debeat. Quasi sine præcepto particulari Textum, Methodum, Verba eligere, notis

uti memorialibus, S. Scripturas transferre, Psalmorum metrum & tonorum modulamina comminiſci, &c. non omninò liceret.

VII. Concordes etiam iſtorum Opinionem Fanaticam rejicimus, qui Inſpirationem immediatam Propheticæ congenerem neceſſariam eſſe ſomniant, quâ intrà eâ doctrinâ ſimus inſtructi, quam ab extra nunquam traditam audivimus, vel plura aut celſiora & præſtantiora quam quæ S. Literis conſcribuntur ediſcamus; Quique Lumen hujus Revelationis immediatæ ut Regulam Religionis omnibus communem decantant: Quaſi tot ſint veræ Religiones, quot homines quibus Luminis interni gradus diverſi ſint! Vel nullus ſit verè fidelis ſeu Religioſus, cui inſpiratio immediata non datur! Peſſimè autem aſſerunt Infideles quidam *Quærentes* dicti, Neminem ad Evangelium credendum obligari, qui aut miracula ipſe atteſtantia non vidit, aut inſpirationem hanc Apoſtolicæ congenerem non ipſe poſſidet.

VIII. Concorditer item rejicimus Fanaticiſmum Papalem jam deſcriptum: quò Papa cum ſuis Epiſcopis, non obſtantibus eorum ignorantiâ, errore, hæreſi, incuriâ, impietate, Infallibilitatis dono certiſſimè donati aſſeruntur, quaſi per miraculum de incognitis rectè judicantes: Præcipuè verò quo fingunt familiaria, quotidiana, ſtupenda iſta miracula per Sacerdotes omnes patrata, in opere Tranſubſtantiationis prius deſcripto: Maximè verò quod omnes etiam Principes perſequuntur, qui ſenſus humanos & Rationem non itidem rejiciunt, & Dominos qui ſenſui & Rationi credentes non exterminant; ipſos nimirum excommunicando & exterminando.

IX. Proteſtantes etiam omnes Atheiſticam illam & inhumanam aſſertionem deteſtantur, quod in rebus Religionis oportet Inferiores cuncta credere quæ à Superiobus aſſeruntur, & facere cuncta quæ ab illis præcipiuntur, & devitare cuncta quæ ab ipſis prohibentur; excluſo uniuſcujuſque judicio privato, quo an Legi Divinæ mandata humana ſint congrua an contraria dijudicent. Quaſi ſubditos ſummæ poteſtatis Religionem amplecti ſit licitum & neceſſarium, etiam Paganiſmum, Mahumetaniſ. Judaiſ. Socinianiſ. Papiſ. &c. Quaſi Deus homini ſubſit, cum tamen nulla ſit poteſtas niſi à Deo: Et quaſi Rectoribus liceret Idololatriam, Dei-blaſphemiam, & peccatum quodcunque ſubditis præcipere, & Dei cultum & profeſſionem Chriſtianam prohibere; & Deus ab hominibus obtinet, quo precarium habeat cultum, & regimen, & ipſa Deitas ſit precaria: Et quaſi Rectorum ſit determinare an ſubditorum aliqui aut pii & Deo obedientes erunt, aut ſalvabuntur! Et ſubditi non ſint Rationales, aut obedire poſſent ſine uſu Rationis, *cui* & *quando* & *in quibus obediendum* eſt, diſcernentis! Si ſubditis non eſt Judicium diſcretionis, quomodo Regem cui obedire debent, ab hoſte vel Tyranno, vel non-rege quem rejicere debent, diſcernent?

X. Et ſperamus omnes *verè* Proteſtantes opinionem iſtam impiam etiam deteſtari, in omnibus ſcilicet obediendum eſſe ſuperioribus, de quibus an peccata ſint, à Subditis dubitatur: quoniam (inquiunt) certis incerta cedere oportet: Certum autem eſt Rectoribus nos debere obedientiam; an autem res præceptæ aut prohibitæ ſint bonæ, an malæ, incertum eſſe ſupponitur. At Reſpond. certiſſimum eſſe neminem ad peccandum poſſe nos obligare: Quando igitur incertum eſt an peccatum præcipitur, ut incertum ſit, an præcepto illi ſit obediendum, neceſſe eſt; ubi ſaltem dubii æquæ ſint rationes: Idem eſt enim dubitare, an peccatum mihi ſit quod præcipitur? Et an obediendo peccavero? Et *certum* eſſe, & *dubitare* de eodem eſt contradictio. Nonne quæſo inter omnes verè Proteſtantes (ne dicam *Chriſtianos*) convenit, Quod ſubditi ſiqui adeo inſcii, impii & inhumani ſint, qui dubitarent, an ſit Deus? an Vita futura? an verum ſit Evangelium? an Deus ſit amandus, colendus, obediendus? an egeni ſint ſublevandi, &c? non ideo abſolventur ab obligatione divinâ ad Deum amandum, colendum, &c. aut ad egenos ſublevandos? Et ſiqui dubitarent, an homicidium, perjurium, adulterium, &c. ſit peccatum, non ideo peccatum eſſe, per præcepta cujuſcunque deſinet? multo minus dubitantibus iſtis fiet debitum. Quæ conſideranda illis proponimus, qui ſua mandata dubitantibus, quâ talibus, recipienda obtrudunt.

Ex Inductione jam præſtitâ concludimus, Enumerationem hanc ſufficientem particularum de quibus ſumma omnium conſenſio eſt, donec inſtantia aliqua diſcordiæ probetur eſſe omiſſa, verè probare non ſolum Conformiſtas & Nonconformiſtas,

formistas, sed omnes verè Protestantium partes, de partibus humanæ Rationis in rebus Fidei & Religionis, verè consentire quoad rem, quanquam in arte suos sensus exprimendi non omnes æquè sint periti.

CONSECTARIA.

1. Ex dictis satis liquet Theologis omnibus maximopere cavendum esse, ne discordiarum, malevolentiæ, & inde Schismatis & Seditionis faces sint, differentias ubi reverâ nullæ sunt fingendo, aut fratribus errores temerè impingendo, aut non intellecta, dubia aut minora, quasi crimina nefanda, aut hæreses depingendo: Ita enim magis insciti am, superbiam & malevolentiam suam ostendunt, quàm aliorum errores: Et ignaris animis fratrum odium inserendo, & amorem falsis suggestionibus extirpando, Ecclesias scindunt, animas & suas & aliorum perdunt, & Diabolo egregiè serviunt. Quantum igitur optandum est ut à controversiis temerè tractandis, & litibus agitandis aut scriptis aut dictis, isti omnino abstinerent, quibus rei status non adhuc penitus perspectus est, & quorum studia ad maturitatem & digestionem nondum pervenêrunt, & qui controversias reales à verbalibus distinguendi, & ambigua discutiendi, & perplexa explicandi, & nodata enodandi adhuc imperitiâ laborant. Quanto autem detrimento Ecclesiam affecerunt, quàm fatalem amoris & pacis interitum intulerunt, qui, aut ambitione, avaritiâ, invidiâ, aut zelo factioso moti, aut è suggestis, aut per Volumina contentiosa, aut molitiones iniquas, populo persuasêrunt fratrum dissensiones merè verbales aut non intellectas, esse reales & pernicioſas, deploranda scandala & Ecclesiarum lacerationes jam diu palam fecêrunt.

2. Theologi isti qui dissensiones fingendo Ecclesias perturbarunt, quo vulnera data sanent, & pacem resarciant, suum crimen liberè & apertè confiteri debent: Et discrimen inter *Res ipsas*, & *Verba*, seu artem dicendi, ut probè discernant, & ut magis periti sint & parati, ad lites dirimendas, & controversiarum tenebras discutiendas, quam litigiosi ad dissentiones aut serendas aut fingendas, sapientibus omnibus summopere studendum est.

Incendiariorum ingenium, zelus, aut praxis nobis minime amabilis videtur aut probanda: Quam velimus ut plures sint qui sanant, quam qui sauciant! Ad amorem quam ad arma & vocari & vocare Mallemus. Quamvis Infideles & hæretici quidam Rationem solam efferentes Spiritûs Sancti gratiam vilipendunt; & quo stabiliantur Revelationes, & Inspirationes suæ fictæ, & miraculosa insomnia, à Pontificiis & Fanaticis & Ratio & sensus repudiantur; Protestantium tamen in hisce concordiam probavimus, quanquam ex aliquorum diversiloquio imperitis & logomachis, res aliter videatur. Siquis hic dissentit, à Protestantium cætibus concordibus erro est. Siquis adhuc in criminationis crimine pergit, hunc obtestamur primò ut quid sit de verbis litigare bene pensitet, & quales hoc protulit & profert effectus? Et sapientiam quæ desuper est, esse puram, & pacificam, & absque disceptatione & minime simulatam & fructus justitiæ in pace à pacificis seminari, Jac. 3. 17, 18. & beatos esse pacificos, quia filii Dei vocabuntur, Matth. 5. 9. Deinde ut controversiæ seu dissensionis allegatæ statum accuratè aperiat, & verba à rebus bene distinguat, & ut argumentis non levibus & elumbis sed firmis, & testimoniis non invalidis, quod asserunt, bene probet.

A DEO incipiendum est in Methodo Synthetica: Et dum in speculo tantùm ipsum intuemur, conceptibus inadæquatis, & à creatis mutuatis, & præcipuè ab animo humano, utendum est.

DEUS cognoscendus est I. Ut in Se:

Quæ sunt

I. In notione *generalissima* reali, (qualis est *materia* in materialibus:) & ita est [SUBSTANTIA. οὐσία.]

II. In notione speciali *formalissima*, (qualis est Forma in creatis:) & ita est [VITA essentialis] vel VIRTUS aut VIS VITALIS; & nomen [SPIRITUS] utrasque complectitur. Quæ VITA aut VIRTUS unicæ essentiæ, in triplici PRINCIPIO essentiali consistit:

1. Radicaliter; in prima notione — VIRTUS triplex,
   1. POTENTIA-ACTUS vel Actuosissima: vel Actus-Potentissimus.
   2. INTELLECTUS.
   3. VOLUNTAS.
2. Intus-Active in secunda notione; & est — ACTUS triplex, *viz.*
   1. POTENTIA-ACTUS in se essentialiter & sibi VITA vel VIVENS.
   2. INTELLECTUS SE INTELLIGENS.
   3. VOLUNTAS SE AMANS; vel AMOR SUI.
3. Exeunter ad Creata; (ubi Actio consideratur ut est *Agentis*, ante effectum, & non ut in passo:) — ACTIO triplex,
   1. Ad rerum EXISTENTIAM, vel ad NATURAM.
   2. Ad rerum ORDINEM, & ad GRATIAM.
   3. Ad rerum FINES, & ad hominis GLORIAM.

Et TRINITAS PERSONARUM, *viz.* 1. PATER, 2. λόγος-FILIUS, 3. SPIRITUS SANCTUS.

III. In notione Accidentali; qualis in Creatis est [*Qualitas propria:*] (etsi enim in Deo neque est *Materia*, neque *Forma*, neque *Accidens*; per Analogiam tamen ad hæc ab hominibus nominandus est, vel non omninò nominandus:) Et hîc sunt

I. Attributum Universale comprehensivum; *viz.* PERFECTIO, vel PERFECTISSIMUS.

Quod dicitur
1. De SUBSTANTIA Divina.
2. De PRINCIPIIS & ità DEUS est Perfectè
   1. POTENS, *i. e.* POTENTISSIMUS.
   2. SCIENS, vel SAPIENTISSIMUS.
   3. BONUS, *i. e.* OPTIMUS.

II. Attributa Personarum
1. Distinguentia:
   1. GENERANS; Patris.
   2. GENITUS; Filii.
   3. PROCEDENS; Spiritûs Sancti.
2. Communia; *e.g.* Ἑνόσιος, Ὁμοόσιος, Ἐοικώς, Συνάναρχος, Ἴσος, Συναΐδιος, &c.

III. Attributa particularia, analogicè, comparatè, & plerumque negativè Perfectionem Divinam exprimentia;

Viz.

1. Comparatè ad *substantias* Creatas Deus dicitur SUBSTANTIA TRANSCENDENTISSIMA.
2. Ad *Materialia* & *crassa* dicitur IMMATERIALIS, PURISSIMUS, (& per Damascenum ἀνόσιος.)
3. Ad *Multiplicia* dicitur UNICUS, SOLUS, μονόσιος.
4. Ad *Composita* dicitur SIMPLICISSIMUS.
5. Ad *Totum* & *Partes* dicitur INDIVISIBILIS, TOTUS (negativus) UBIQUE, NON-PARS, &c.
6. Ad *Passiva* dicitur PURUS-ACTUS, IMPASSIBILIS.
7. Ad *Accidentia realia* dicitur SINE-ACCIDENTIBUS realibus, &c.
8. Ad *Spacium* dicitur IMMENSUS (sine extensione partium extra partes.)
9. Ad *Tempus* vel *Durationem* dicitur ÆTERNUS: & utroque respectu INFINITUS.
10. Ad *Migrantia* & *Mutata* dicitur IMMOBILIS, IMMUTABILIS, Immortalis, Incorruptibilis, &c.
11. Ad *Causata* dicitur NON-CAUSATUS, NECESSARIUS, INDEPENDENS, SIBI-SUFEICIENS, &c.
12. Ad *Gubernata* & *Media* dicitur ἄναρχος, SIBI-SUFFICIENS, FOELICISSIMUS, solus-sibi-finis, &c.

Innumera talia sunt *Attributa*; præter Metaphorica crassiora, ut LUX, OCULATUS, AURITUS, &c.

II. In

II. In RELATIONE RATIONIS ad creaturas, Antecedenter, *viz.* ad earum exiſtentiam:

Scilicet

I. In Unitate Eſſentiæ: & ita dicitur ENS-PRÆGNANS, VITA-PRIMITIVA, Communicativa, Operativa, *&c.*

II. In Trinitate Principiorum: & ita dicitur

I. OMNIPOTENS ad extrà: Id eſt,
1. In primo inſtante, ad *Omnia Poſſibilia*; id eſt, quæ ad *Potentiam* pertinent.
2. In ſecundo inſtante, ad *Omnia Vera, Intellectui* congrua, ut facienda.
3. In tertio inſtante, ad *Omnia Volita*; i. e. Quicquid *Vult* facere poteſt.

II. INTELLIGENS (vel Omniſcius) ad extrà: *viz.*
1. Omnia *Poſſibilia*, in ſua Omnipotentia.
2. Omnia *Congrua, Volenda*, eligibilia, in perfectione ſui Intellectûs.
3. Omnia *Volita* in ſua Voluntate: (N. De Scientia Divina exiſtentium non hic agendum eſt, ſed poſt Creationem: Quia eſt Relatio Dei ad exiſtentia.)

III. VOLENS,
1. Rerum *Poſſibilitatem* in ſua Potentia.
2. Rerum *Congruitatem* & *Bonitatem*, in Ideis ſui Intellectûs.
3. Rerum Bonarum *Exiſtentiam* opportunè producendam, id eſt, futuram.

III. In Perfectionibus: & ita

1. Relatione ad Actiones ſuas Antecedentes dicitur
1. CREATURUS, GUBERNATURUS, SUFFICIENS.
2. VERAX, ſcilicet perfectione diſpoſitus ad Veritatem quando loquetur.
3. BENIGNUS, AMOR, BONUS ad Extrà: id eſt, Diſpoſitivè ex ſui perfectionibus; & *Sanctus* ut inclinatus ad *Bonum* Morale, & ad ſui ipſius Gloriam.

2. Relatione ad Actiones ſuas Conſequentes: & ita dicitur
1. In primo inſtante, quoad Actus Complacentiæ & Diſplicentiæ,
1. AMATOR BONI,
2. OSOR MALI,
Moralis ſcilicet creaturæ.
2. In ſecundo inſtante, quoad *Judicia*, eſt
1. Generaliter, JUSTUS, id eſt, Diſpoſitivé.
2. Specialiter
1. Ad *Injuſtos*; Iratus, Condemnator, Vindex, Ignis conſumens, *&c.*
2. Ad *Juſtos*; Juſtificator, *viz.* diſpoſitivè & hypotheticè (ſi tales exiſterent.)
3. Ad Recuperandos; Miſericors,

3. Relatione Objectivâ ad Actus Creaturarum, *viz.* hypotheticè, ſi exiſterent, dicitur
I. Negativè
1. Quoad *Senſus*; Inviſibilis, Inaudibilis, Intactilis, *&c.* non ſenſibilis (in ſe.)
2. Quoad *Phantaſiam*; Non-imaginabilis, Non-pictibilis, *&c.*
3. Quoad *Intellectum*; Incomprehenſibilis.
4. Quoad *Voluntatem*; Qui non-*Adæquate-Amari*, vel *potitus eſſe* poteſt.
5. Quoad *Motum*; Inacceſſibilis.
6. Quoad *Linguam*; Inexpreſſibilis, Innominabilis.
II. Affirmativè: 1. Scibilis, 2. Amabilis, 3. Delectabilis, 4. Reverendus, 5. Affirmandus, 6. Laudabilis, *&c.*

N. B. 1. Quòd omnia hæc Attributa hîc nominantur, non ut ex Relatione Reali (vel ſecundùm dici vel ſecundùm eſſe) ad Creaturas actu exiſtentes: ſed ex Relatione Rationis-poſſibilis; *viz.* Æterna perfectio Divina talis eſt, quæ ità actualiter ageret, ſi objectum actu exiſteret; & quæ ità denominanda eſſet, ſi datus eſſet ab æterno Intellectus creatus, qui tales Rationis-Relationes fingeret. Et ità hæc dicuntur à creaturis ad æternitatem retroſpicientibus, verè quidem quoad realitatem *perfectionis Divinæ* ità denominatæ; ſed quoad *proprietatem* locutionis, hypotheticè tantùm, & denominatione extrinſecâ, à rebus ſcilicet ab æterno non exiſtentibus, & quaſi per intellectum creatum nondum exiſtentem; & ità per Rationis fictionem non unicam.

2. Quòd perversè ideo Decreta Dei Æterna vocantur per Theologos non minimi nominis [Opera Divina,] cùm ſint Ipſe Deus; & ad *Attributa* ex Relatione Rationis priùs deſcripta, reducenda ſunt.

III. DEUS item cognoſcendus eſt, in Relationibus ad Creata Realibus (temporariis.)

Viz.
1. In FIERI: & ità eſt CREATOR CREANS; *viz.* Virtutem ſuam *Excrens*, & (ut placet) communicans
1. Entitatem exiſtentem, derivatam, dependentem.
2. Et in ea Naturas, 1. Activas in Activis, 2. Paſſivas in Paſſivis; ad effectus Congruos, in Imagine ſua Glorioſâ amabiles, prout in Tab. ſequenti explicatum eſt.
2. In FACTO-eſſe, conſequenter: Quæ non ſunt hîc præpoſterè recitandæ, ſed poſt Tabulas de Creaturis: ubi Relatio Dei ad Creata in *Eſſe* & ut *Agentia diſtinguenda eſt.*

N. B. Igitur 1. Quòd nomen [DEUS] non tantùm ſignificat *Divinam Naturam* (jam deſcriptam,) ſed etiam *Divinas Relationes* ad genus humanum.

2. Et ideo hæc tabula dimidium tantùm continet Divinæ deſcriptionis; & pars ſecunda, (de *Deo in ſuis Relationibus*) eſt poſtea ſuo loco delineanda.

Capitis

Capitis secundi Elucidationes: De DEO.

Θεὸς ὁ καθ' ἡμᾶς, &c. Deus noster non consistit intra tempus; solus sine principio, quia ipse sit principium rerum omnium quæ inceperunt: Deus est Spiritus, non insinuans se Materiæ; sed spirituum, materialium, & formarum opifex, invisibilis, intactilis, omnium Pater, quæ vel sensu percipiuntur, vel visum fugiunt: Hunc ex opere quod condidit agnoscimus, & Potentiam ejus invisibilem ex factis æstimamus. *Tatian. cont. Græcos.* pag. 3.

§. 1. THEOLOGIA *strictissimè* sic dicta est *Doctrina* de DEO: In sensu nostro *usitatiore* A DEO incipit & in DEUM desinit: secundum Methodum Syntheticam, incipit à DEO EFFICIENTE: secundum Methodum Analyticam incipit à DEO FINE. Solus Ille scilicet est Alpha & Omega; ex Quo,& Per Quem,& Ad Quem sunt Omnia: UNUS est DEUS Pater omnium, qui est super omnes, & per omnes, & in omnibus: In quo vivimus, movemur & sumus; Ipsius etenim sumus progenies, Act. 17. 28,29. Eph. 4. 6.

2. De RELATIONIBUS Dei ut Partis Imperantis, in Regni ejus descriptione postea dicendum est: Hic tantùm ejus *Natura*, cum relationibus antecedentibus explicatur.

3. Sicut DEUS IPSE est ens entium, & quasi Anima animarum, & omnia in omnibus, sine Quo, & extra Quem, Nihil est; Ita etiam Doctrina de DEO, est Theologiæ quasi Anima, sine quâ & extra quam, nihil verè Theologicum æstimandum est, Joh. 17. 3.

4 DEUM ESSE non tantum per Lumen naturale, id est, ex operibus ejus dignosci potest, sed & omnium à sensibus remotorum, seu merè intelligibilium notissimum est: Sicut ex visu certissimum est, *esse* SOLEM, quamvis *Quid* sit,& *Quantus* sit, à nemine mortalium comprehenditur; Ita & DEUM ESSE Intellectui certissimorum certissimum est, quamvis Essentiam ejus & perfectionem Infinitam, vel per Angelum plenè comprehendi est impossibile.

5. In CAUSA PRIMA solùm acquiescit Intellectus humanus, quando percipit effecta. A paucioribus oriuntur plura, & ab UNO omnia: Entitas Causata est à perfectissima Entitate Causante: Vita Causata à vita Causante: Motus Causatus cum sua Potentia seu Vi Motivâ, est à perfectissimo Motore, & à Potentia ejus movente. Intellectus Causatus cum sua sapientia, est à perfectissimo Intellectu seu sapientiâ Causante. Voluntas Causata cum suo Amore, est à perfectissima Voluntate seu Amore Causante. Nihil dat quod non habet, aut formaliter aut eminentèr. Nemo facit aliquid, ut Causa totalis, seipso præstantius. Aliter dum aliquid foret suâ Causâ aut Majus aut Melius, quâ majus & Melius, foret reverâ, *sine Causa*: At esse sine Causa, est esse Deum. Omne Causatum se nobilius quid agnoscit: Causatum nullum est perfectissimum, quia à perfectiore. Et quod Perfectissimum est absolutè & omnimodè Perfectum est. Lapis, *e. g.* terra, aqua, aer, aut Anima humana, *&c.* non est absolutè & omnimodè perfectum; ergo se perfectiùs quid agnoscit: Ergo Causam habet, & non est sine Causa; quod Perfectissimi est.

6. DUM NATURAM, aut *Motum*, aut *Casum*, aut *Fortunam*, aut aliud aliquid, rerum *Causam* indigitant delirantes, ut DEUM esse non sine ratione negare viderentur, aut *Aliquid* per NATURAM, *&c.* intelligunt, aut *Nihil*: Si *nihil*, nihil faceret: Sin *Aliquid*, aut *Potentissimum*, *Sapientissimum & Optimum*, aut *non*: Quod tale non est, aut formaliter aut eminenter, tale facere non potest: Sin *tale* volunt, DEUM volunt, sub nomine NATURÆ, dum DEUM *esse* stultissimè negant. NATURÆ autem nomen plerumque significat, ipsam rerum essentiam, & præcipuè *formas*, seu *Inclinationes Essentiales*, vel inseparabiles. Naturarum autem plurium connexio, seu ab una superiore dependentia, NATURA *Communis* seu *Universalis* sæpè dicitur; quæ aliis FATUM est: Sin autem per NATURAM intelligunt Causarum omnium principium, seu Causam primam efficientem, sustentantem, moventem, gubernantem, necessitantem, unde

omnium

omnium cooperatio & constantia, & effectuum necessitas, ordo & harmonia oriuntur, nil aliud hæc NATURA est quam DEUS ipse, Naturæ creatæ Causa creans, conservans, gubernans & finalis.

7. Mortalibus DEUS immediatè aut intuitivè in sua essentia nec videtur nec dignoscitur: Sed tantum in creatis, seu operibus suis, ubi ut in ænigmate, seu in speculo tenuiter admodum, quadantenus abstractivè notus est.

8. Opera Divina, & inter illa præcipuè ANIMA humana, à Deo Potentissimo, Sapientissimo, Optimo condita, Perfectionis ejus aut Vestigia, aut Similitudinem, aut Imaginem qualemcunque retinent; unde ad aliquid Dei nobis verè monstrandum per analogiam apta sunt; & vera quamvis imperfecta Dei notitia inde discitur, Gen. 1. 26, 27. & 9. 6. 1 Cor. 11. 7. Col. 3. 10. Heb. 1. 3. 2 Cor. 4. 4. Col. 1. 15. Rom. 1. 19, 20, 21. Gal. 4. 9. Eph. 3. 10. Joh. 17. 3. 1 Joh. 2. 13, 14. Psal. 91. 14. & 48. 3. & 9. 16. & 76. 1. & 106. 8. & 145. 17. Vid. Deut. 4. 32, 33, 34, 35, 38, 39. Job 36. 22, 23, 24, 25, 26.

9. De DEO *Negativè* tantum concipere & loqui, (scilicet Quid non sit; *e. g.* Quod non *est Corpus*, *non est comprehensibilis*, aut *accessibilis*, aut *effabilis*, &c.) non sufficit ad veram & salutarem Dei cognitionem: Hoc enim non est omninò *Deum*, aut *aliquid Dei* scire (sed tantum aliquid *de Deo*,) sed eum omninò nescire; Et cum ignotum nihil amatur, Deum *non-amare*, necessariò sequitur *Deum nescire*. Ad amorem positivum, necessarius est conceptus positivus.

10. Utrum ENS de DEO & *Creaturis* dicatur *Univocè* an *Analogicè* tantùm, inter Thomistas & Scotistas controvertitur: De cæteris autem inter omnes convenit, formales & univocos nullos in Intellectu mortalium de Deo inveniri conceptus, sed tantum Analogicos.

11. Dei igitur Notitia à Notitia nostri ipsorum incipit: Et qui Animam humanam nescit, ut Deum itidem nesciat, necesse est.

12. Generi humano igitur à *Deo optimo* Creatore benefit, quod speculum adeo necessarium nobiscum semper portamus, & quod Anima sui notitiam aliqualem necessariò & semper possidet: At cui minima est hæc sui notitia, ei Deus minimè notus est: Et hinc qui, se bestias quasdam subtiles existimantes, Animarum Immortalitatem negant, ad Deitatem negandam etiam sunt parati.

13. Sicut videndo percipimus nos videre, ita & Intelligendo percipimus nos intelligere, & Volendo Velle; Actus nostri agendo percipiuntur, proximè & in se: Et ex Actibus Potentia, & ex Potentia Animarum substantialitas: Nihil enim id *facit*, quod facere non *potest*: Et omnis *Potentia* (seu Virtus) est *substantiæ* alicujus *potentia* (seu Virtus:) Nihil enim nihil potest, nihil agit.

14. Cum in nobis ipsis percipimus, quid sit *Vitaliter-Agere*, *Intelligere* & *Velle*, & inde quid sit *facultas* seu *Virtus* hæc agendi, & inde quid sit *substantia* hisce facultatibus essentialiter prædita, hinc scimus quid sit SPIRITUS *Intellectivus*; quid Angelus, & Analogice quid sit Ipse DEUS Pater spirituum.

15. Quamvis quæ sacræ Literæ de Deo dicunt adjectivè (*e. g.* quod sit Bonus, Justus, Verax, Misericors, &c.) substantivè plerumque intelligenda sunt; ubi tamen nomine substantivo & abstracto utuntur, essentiam Divinam denominatione tali nobis puriùs & simpliciùs Notificare videntur. Et quatuor quidem Dei nomina, Deum juxta Animarum Analogiam describentia in S. Literis sunt maximè notabilia. 1. Exod. 3. 14. ubi nomen suum Mosi repetendum tradit, ERO QUOD ERO; vel SUM QUOD SUM. Hic est conceptus Dei fundamentalis, quatenus est ENS ENTIUM, vel ENS INFINITUM TRANSCENDENS: Entitatis omnis creatæ radix. 2. Tria nomina sequentia DEUM sub conceptu VIRTUTIS FORMALIS notificant, quæ sunt; 1. Nomen VITÆ aliquando dicitur de Deo (præcipuè Christo) substantivè, Joh. 5. 26. & 1. 4. & 14. 6. 1 Joh. 1. 2. Plerumque autem *Verbaliter* unde [VIVO] (inquit Dominus) ut Divinum Juramentum, in S. Literis frequentissimè repertum est, Num. 14. 21, 28. Isa. 49. 18. Jer. 22. 24. Ezek. 5. 11. & 14. 16, 18, 20. & 16. 48. & 33. 11. 27. & passim, & inde DEUS VIVENS sæpissimè nominatur. 2. Nomen [φῶς, LUX] 1 Joh. 1. 5. Hic est nuntius, &c. [DEUS LUX EST] & in illo non sunt tenebræ. Unde & PATER LUMINUM vocatur Jac. 1. 17. Et Filius sæpe in Prov. vocatur SAPIENTIA:

Vid. Scot. in 1. Sent. d. 3. q. 2. Aquin. 1. q. 13. a. 5. Magro. Prol. 1 Sent. q. 12. Aquil. Scotel. in 1 Sent. d. 3. q. 1. p. 46, &c. Phil. Fabr. Favent. Phil. Scot. de Ente. Petavius de Trinit. l. 4. c. 11. p. 406. Quamvis reipsa nihil in Deo sit hujusmodi, nec ulla pars aut compositio, nos tamen sic eum cogitatione describimus, quasi quiddam insit in illo quod subjecti vicem habeat; quiddam alterum Formæ: Quare Persona Divina ex Natura sive Essentia velut subjecto, & Proprietate, quæ tanquam Forma est Relativa componitur.

Vide Galatinum & Illyricum in Clav. Scriptur. de nomine Jehova & Ero qui Ero.

ENTIA: Et ex Joh. 1. 4. notanda est VITÆ & LUMINIS identitas realis. 3. Nomen [AMOR] 1 Joh. 1. 8. 16. DEUS EST AMOR (seu Charitas:) Divinæ scilicet *Voluntatis* Perfectio, quâ OPTIMUS est *in se*, & *Bonitatis* Prægnantissimus, & nobis Amabilissimus.

16. Quamvis *Res* ipsa per Nomina hæc significata est in Deo solo eminenter, & non est *Eadem formaliter* quæ in creaturis ita denominatur; & non tantùm *Graduum*, sed *Formæ ipsius* seu *speciei creatæ* imperfectio à Deo procul in conceptibus nostris est amovenda; à *creatis* tamen hæc nomina sumuntur, & Animæ nostræ facultatibus, & actibus ut famosiori significato primò conveniunt, & analogicè tantum, imò metaphoricè de Deo dicuntur. Nec tamen planè falsi aut inanes sunt hi conceptus, quamvis metaphorici, obscuri, imperfecti, inadæquati & secundum quid: scimus enim quod in Deo est *Essentia* cujus *Vitalitas* nostra, *Intellectus*, & *Voluntas* sunt similes; & rectiorem Dei conceptum habere jam non possumus, quàm qui à similibus, quamvis valdè dissimilibus, amotis & negatis omnibus imperfectionibus, desumitur. Mortalium quippe DEI notitia, est minimum quid DEI noscere, ex Imaginis suæ similitudine, & per operum & verborum ejus significationem. Hoc autem est DEUM scire & nescire; seu non propriè, sed in sensu analogico *scire*: Nemini enim mortalium sub conceptu formali aut adæquato notus est. At minima tamen hæc DEI notitia est Intellectûs nostri gloria, omnem mundanorum scientiam longissimè præcellens.

Jobius in Photio, p. 603. ait, sive Trinitatem, sive Unitatem, sive Patrem, sive Filium, sive Spiritum S. sive Deitatem, sive aliud quidpiam incomprehensibilem illam & ineffabilem natura cogitemus, vel nominemus, non hæc illa, sed supra hæc est. Ipsa secundum se Divina natura neque præponi neque subjici apta est, sed supra omnem tam numeri quam singularitatis notionem collocatur. Numerus siquidem & *Unitas* de *substantia* dicuntur; Divinitas verò *substantiam* superat universam (Τὸ θεῖον ὑπερούσιον.)

17. Conceptuum inadæquatorum seu partialium numerus, non pugnat cum Essentiæ Divinæ simplicitate, seu Unitate: Neque Essentiæ unitas horum conceptuum pluralitatem prohibet: Imperfectus quippe & angustus noster intellectus, ideas suas à rebus creatis minus simplicibus mutuatus necessariò id per conceptus plures inadæquatos seu partiales cognoscit, quod unico totali & adæquato conceptu scire ei impossibile est: Nec tamen Partes reales objectivas, aut partibilitatem aliquam in numine ita fingimus; sed sicut *unum* aliquod *reale pluribus vocibus* aut *literis nominamus* aut significamus, ita & infinitam Dei unicam & impartibilem essentiam, per conceptum non unum analogicum scire & exprimere necesse habemus.

18. Falsa tamen de Deo aut concipere aut loqui quantum in nobis est debemus devitare: At non est in nobis falsitatem eam devitare quæ in scientiæ *imperfectione* & *partialitate*, seu *inadæquatione* consistit: Et conceptuum horum diversitas aliquid *veri* & *necessarii* in se continet: Quamvis enim de *Notione* signali hujus diversitatis, ex parte objecti inter Doctores Scholasticos non convenit, (An scilicet, sit diversitas *realis*, *formalis*, *modalis*, *relativa*, *ex denominatione extrinseca*, ab objectis, &c?) in hoc tamen conveniunt, quod ex parte objecti invenitur *ratio* diversorum conceptuum: Et in ipsa Anima humana quidem cum Trinitatem facultatum in Unitate Essentiæ certissimè invenimus, *quo conceptu* tamen & *nomine* idoneo facultates hæ ab Essentia, & inter se distinguendæ sint, ingenio nostro nimis tardo & obtuso haud liquide satis constat: Quod Anima Intellectiva Una sit à sano nemine dubitatur: In Unâ hâc Animâ esse facultatem *Vitaliter-Agendi*, *Intelligendi* & *Volendi* ex actibus certò invenimus. *Actionem-vitalem* (& *primam*, & *executivam*) ab *Intellectione*, & *Intellectionem* à *Voluntate* distinguendas esse, rei evidentia & necessitas fateri nos cogit: At quâ notione idoneâ sint distinguenda ingenio etiam subtilissimo vix constat. Substantiæ scilicet spiritualis (Dei Imaginis) simplicitas à partitione & multiplicitate reali abhorrere videtur: Diversitatem tamen aliqualem Actuum negare non possumus; & nisi in usu loquendi ordinario eam distinguendo fateamur, de rebus humanis intelligibiliter differere non valemus. *Objectorum* quidem *materialium* diversitas realis in propatulo est: Et VERUM à BONO (quæ objecta

objecta *Formalia* dicuntur) *aliquomodo* diſtinguendum eſſe conſtat. (*) (Quamvis & hoc à quibuſdam vix aut ne vix conceditur.) At *quomodo* non omnes norunt. Et Facultatem quidem realiter unicam ab objectorum diverſitate (unde Actus diverſificari & ſpecificari dicuntur) connotativè ſeu Relativè diverſè denominari, à nemine negatur. Actus ipſi autem ut *Terminos* etiam configniſicant & ab illis ſpecificantur, proculdubio ſunt diverſi: At ex *parte* ſolum *Agentis* ut *ejus Modi* conſiderati, non minore difficultate diſtinguuntur quam Facultates. Non deſunt qui tum *ſenſus* tum *facultates ſuperiores*, & earum *Actus*, ex *Organorum* & *Objectorum* diverſitate diſtinguendos eſſe opinantur; & *ſentiendi* facultatem unicam per *diverſa organa* in *objecta diverſa* operari, à vero abſonum non videtur. Et quamvis Animæ Intellectivæ [*Operatio Organica*,] aut negatur, aut malè ſonare pleriſque videtur; *Objectivè* tamen *Organica* à pluribus agnoſcitur: Et nullum equidem Animæ Actum percipio qui non realiter includit internam quandam ſenſationem (quamvis ſubtiliſſimam;) & in quo facultates ſuperiores in ſpiritus ſentientes agendo, ex actu hoc ſuo & actu horum ſpirituum, *unum actum* non faciunt, quod nos per immediatam perceptionem diſtinguere non valemus, ſed tantum ratiocinando ex cauſarum diverſitate. Et *Intellectionem* fieri magis in *capite* quam in *digito*, ut *Volitionem* magis in *corde* quam in *pede*, quis non ſentiendo percipit? ſed diverſitatis hujus *Actuum* rationem nullam in ipſa Anima inveniri, haud facilè concedam. Imò omnem actuum diverſitatem eſſe *Virtualiter* in Anima ipſa, & inde oriri nullus dubito. Sicut *una eademque Voluntas plura* vult, & non dicimus *Velle benefacere* non diſtinguendum eſſe à *Velle malefacere*, & idem Intellectus plura intelligit, neque dicimus Intelligere, *e. g. linguam Græcam*, eſſe idem quod Intelligere *linguam Latinam*; Ita & una eademque Anima & *Vitaliter-Agit*, & *Intelligit*, & *Vult*, ideoque horum actuum habet *Potentiam* ſeu *Virtutem:* Quæ *Virtus* ſeu *facultas* eſt Animæ ipſius forma Eſſentialis, & eſſentialiter unica; ſed quia eſt *Virtus* ſeu *facultas* diverſa agendi, & ad objecta diverſa actuum ſpecificativa, diverſa pariter inde denominatur; & *Virtutes, facultates* ſeu Potentiæ hinc non ineptè diſtinguuntur. Ita conſuetudine cum rebus corporeis vitiati ſunt conceptus humani, ut quandocunque de diſtinguendo cogitamus, quaſi materialium partitionem concipere nos proni ſumus. Et Scotiſtarum *Formalitas*, ſeu *diſtinctio formalis* ex parte rei ut nimis ſubtilis intellectum fugit: Hoc autem liquidò ſcimus, ab *Uno* eſſe *plura*, ideoque in *Uno* eſſe *Virtutem* plura producendi: Et ab Actibus & Objectis *Virtutem* illam eſſe diſtinguendam: Et quando Artifici ſummo viſum erit, ſua opera in apricum magis proferre, & artificia ſua nobis patefacere, tunc ſpirituum & naturam, Virtutes, & operationes diſtinctè magis & clarè intelligemus.

Hæc omnia de Anima humana, Dei Imagine, dixi, ut inde conſtaret, diſtinguendi & neceſſitas & ratio de Divinis; & quare de DEO UNICO & ſimpliciſſimo per conceptus plures inadæquatos ſeu partiales (quamvis non *dividentes*) & cogitare & dicere opus eſt.

19. In Mixtis corporeis *Forma ſubſtantialis* à *Materia* diſtinguitur ut Res à Re. In Elementis corporeis paſſivis, *Forma* eſt aut (ut Atomiſtis placet) contextura ſpecialis atomorum, aut (ut aliis) qualitates ſpecificæ, quæ cum Materia ſunt cauſæ conſtitutivæ; non autem ſunt *Res diverſæ*, ſed *Rei ejuſdem* conceptus inadæquati: *Spirituum ſubſtantialitas ſpiritualis*, & *Virtus formalis ſpecialis*, ſunt cauſæ conſtitutivæ: Non cauſæ realiter *compoſitivæ*, ut Res & Res; ſed *ejuſdem Rei* itidem *conceptus eſſentiales inadæquati*; & *partes*, non *Reales*, ſed *Intelligibiles*: Conceptuum tamen diſtinctorum ratio & fundamentum eſt in re *. Et quoniam ex hiſce con-

(*) Vid. Pemblei Vind. Grat. de Veri & Boni Intellectûs & Voluntatis Identitate.

1. *All men by* God *do underſtand ſome perſon or reaſonable Eſſence*: 2. *And the moſt excellent of all Eſſences*: 3. *The perfections of a living reaſonable Eſſence are threefold: In the underſtanding; in the will; in the faculties of working. In the underſtanding is Wiſdom; in the will is Goodneſs; in the faculties Power: whatſoever hath a ſoveraignty in theſe three, is the moſt excellent of living and reaſonable Eſſences. All men therefore that want not the ordinary uſe of reaſon, will grant, that under the name of God they mean him that hath a Soveraignty of Wiſdom, Goodneſs and Power. Thus far all men agree.* Mede Diatrib. 4. p. 69.

* Dum D. Pemble Formas ſubſtantiales ſenſitivorum negare videtur, idem

illud [Qualitatem Activam] nominat, quod ego *Virtutem* ſeu *Potentiam formalem*: Et cum (Thomiſtis) id *Accidens* vocat, quod ego (cum Scotiſtis) Eſſentiam; cum tamen, ni fallor, Eſſentiæ formalis deſcriptionem ei concedit: Male autem in materia corporea tantum Virtutem ſenſitivam fundari autumat.

tibus consistit Idea Animæ humanæ, ex talibus Analogicis ut Idea seu descriptio Numinis constet, ex Intellectus nostri imperfectione, necesse est.

20. Conceptus igitur DEI *Fundamentalis* est ὐσία seu SUBSTANTIA: Conceptus analogicus *Formalis* est VITA vel VIRTUS Essentialis: & nomen [SPIRITUS] utrumque complectitur: Quibus addendus est & conceptus analogicus *Modalis, viz.* PERFECTIO.

21. Conceptus etiam seu VIRTUS FORMALIS necessario ex pluribus conceptibus inadæquatis constat: Consideratur scilicet vel *Radicaliter* seu in *prima instantia* rationis; vel ut *Intus-Activa*, in *notione secunda*; vel ut *exeunter* ad extrinseca seu creata, in *notione* seu instantiâ tertiâ. In *prima Radicali* notione hæc VIRTUS FORMALIS concipitur, 1. Ut POTENTIA-ACTUS, id est, *Potentia* semper *Agens*, seu *Actus Potentissimus*; 2. Ut INTELLECTUS; 3. Ut VOLUNTAS: Hi sunt conceptus analogici VITÆ seu VIRTUTIS Divinæ FORMALIS, in prima notione Radicali, *viz.* quâ VIRTUTE.

22. Secundo consideratur hæc VITA DIVINA formalis ut *Intus-Activa*; & ita est ACTUS Triplex: 1. POTENTIA-ACTUS essentialiter VIVENS vel sibi VITA: 2. INTELLECTUS SE INTELLIGENS: 3. VOLUNTAS SE AMANS, vel SUI AMOR.

23. Tertio consideratur exeuntèr ad creata, & ita ab Objectis seu Effectis denominata est ACTIO Triplex, *viz.* ut 1. Ad rerum *existentiam* & *Naturam*; 2. Ut ad rerum *Ordinem*, & ad *Gratiam*; 3. Ut ad rerum *Fines* & ad hominis *Gloriam*. Hæc enim omnia operatur *Deus per Essentiam*, utpote ubique omnibus præsentem & intimam.

Tetigimus supradictas partes quasi harmoniam tricordem: Tali enim numero delectatur Anima. Ipso etiam noscitur gaudere Divinitas. Cassiodorus de Anima. c. 12.

24. Utrum Trinitas PERSONARUM in Deitate sit eadem quæ Trinitas jam nominata *Principiorum Essentialium*, in peculiari Disquisitione postea plenius exquirendum est *.

* Theodoret. lib. 2. de Cur. Græc. affect. (quem Labæus Divinum dicit) pag. 355. ait ex Numen. & Plotino Tria æterna à Platone posita esse, *viz.* Ipsum Bonum, Mentem & Universi Animam. Vocat *Bonum* quem nos dicimus Patrem: *Mentem* vero seu *Intellectum* quem nos *Filium Verbumque* appellamus: Potentiam vero quæ animet omnia & vivificet, Animam vocat; eam ipsam, *viz.* quam Spiritum Sanctum Literæ Sacræ appellant. Atque hæc ipsa ex Hebræorum sapientia & Theologia subducta sunt] An hæc sit Platonis recta expositio non jam sententiam fero.

25. De nominis [SUBSTANTIÆ] significatione in Divinis maxima quidem & non dissimulanda est difficultas. Non desunt qui ipsum *nomen* SUBSTANTIÆ ut Deo incongruum abdicant; (imò & toto generi spirituali;) quia materialitatem quandam id significare autumant: Plurimi autem *nomen* retinendum judicant; quibus tamen de nominis significatione non convenit: Quidam etenim nomine SUBSTANTIÆ *Realitatis* nihil significatum volunt, sed tantum negationem esse Accidentis, & affirmationem quod VITA seu VIRTUS FORMALIS per se subsistit. Et ita totam Deitatis notionem volunt esse [VITAM seu VIRTUTEM-ACTIVAM-INTELLECTIVAM-VOLITIVAM PER SE SUBSISTENTEM;] Alii verò SUBSTANTIAM *Realitatem* significare judicant: Et dicunt quod sicut CORPOREA ex *Materia* & Forma conſtituuntur; ita & spiritus ex *substantia* & *forma*; & per substantiam intelligunt, *Hoc aliquid* quod à quibusdam *Materia Metaphysica* vocatur, & est Materiæ Corporeæ analogum per eminentiam: Unde Græci Patres & Latini antiquiores plurimi asserunt, spiritus creatos esse aut Puriora corpora, aut materiam quandam habere spiritualem: Et hinc de Deitate dicunt, nomen SUBSTANTIÆ significare non tantum Logice, quod FORMA per se subsistit & non in alio ut Accidens; sed etiam *Realitatem Fundamentalem* substantiæ spirituum Creatorum analogam; Et Intellectum humanum fere fugit conceptus VIRTUTIS seu VIS seu POTENTIÆ quæ NULLIUS est Virtus, Vis aut potentia, sed totum suum Esse totaliter & adæquate significatum habet hisce nominibus. Ideoque dicunt SUBSTANTIALITATEM esse conceptum primum Fundamentalem, essentialem; & VITAM, seu VIRTUTEM esse conceptum secundum essentialem Formalem; & PERFECTIONEM esse conceptum tertium quasi Modalem. Sed in statu hujus caliginis

caliginis quis mortalium hanc controversiam de SUBSTANTIALITATE Essentiæ infinitæ incomprehensibilis dirimere potest, aut determinare ausus erit? Probabilem tamen sequens conjecturam, ego SUBSTANTIÆ nomine, per Tractatum hunc plerumque saltem utor, ut *Primum Realem fundamentalem* Deitatis conceptum inadæquatum exprimente.

26. Quamvis *Dei ipsius* non sunt *Accidentia* propriè dicta, sed simplex Essentia, & ut vulgò dicitur, Quicquid est *in Deo* est *Deus*: Nos tamen ob Intellectûs imperfectionem & angustiam non aliter Divinas Perfectiones concipere possumus, quam per nomina ab Accidentibus, seu Modis Animæ humanæ desumpta.

27. Et sicut in creatis Accidentia quædam, non *Realiter ab ipsa Substantia* distinguuntur, ut *Quantitas*, & *proprietates* quædam inseparabiles; aut à subjecto Accidente (*Accidentium* enim sunt Accidentia) ut gradus (*e.g.* caloris, frigoris,) Relationes quædam, *&c.* At alia sunt Accidentia aut Inhæsionis aut Adhæsionis aut dependentiæ quæ magis separabilia sunt & contingentia; Ita & Dei Attributa quasi Accidentia sunt duplicia, *viz.* 1. Quæ Dei ipsam Essentiam significant sub notione analogicâ Accidentis: 2. Quæ Dei Relationem ad creata denotant; & ipsa creata connotant.

28. Ordinis Prioris Attributum Universale & reliquorum comprehensivum est PERFECTIO. Particularia sunt ferè innumerabilia.

29. Ordinis posterioris sunt 1. Proximè; nomina Relationum Divinarum ad creata; 2. Remotè; ipsa creata ut Connotata, & à Deo dependentia: Utrum Nominales (Hurtado & alii) rectè statuant Relationes Dei ad Creata (& non tantum Creatorum ad Deum) esse asserendas, suo loco postea inquirendum est; Itidemque An Creata rectè dicantur *Accidentia Divina* (sicut hominum sunt capilli & ungues.)

30. *PERFECTIO* (Attributum Universale sub Analogia Accidentium) est vel *SUBSTANTIALITATIS* Divinæ Attributum, vel *VIRTUTIS FORMALIS*: Quoad Priorem sæpe dicitur, *MAXIMUS, &c.* Quoad Posteriorem 1. Ex *POTENTIA-ACTIVA* dicitur *POTENTISSIMUS.* 2. Ex *SAPIENTIA, SAPIENTISSIMUS.* 3. Ex *BONITATE & AMORE, OPTIMUS, AMABILISSIMUS, &c.*

31. De *PERSONARUM* attributis tam multa apud Scholasticos imò & Theologos Reformatos passim inveniuntur, ut nil ultra hic addendum statuo.

32. De *PERFECTIONIBUS* Particularibus, *e. g. Immensitate, Æternitate* (quæ ambæ sub nomine æquivoco [*Infinitatis*] exprimuntur,) *&c.* in ipsa Tabula sat dictum esse mihi videtur.

33. Nec video quid opus est ad attributa ex *RELATIONE RATIONIS* explicanda, præter ea quæ in Tabula dicuntur.

De Attributis ex Relationibus Realibus postea suo loco.

De jam dictis autem hæc paucula porrò notanda volo.

34. Quidam per nomen [*ENS*] idem volunt quod ego hic sæpe per [οὐσίαν, *substantiam*, seu substantialitatem:] & unicuique quod maximè arridet nomen usurpandum relinquo.

35. Attributa diversorum ordinum & rationum non sunt confundenda: Catechismorum plurimorum & Systematum ubi Attributa Divina confusè congeruntur, turpissima hæc macula est: De *DEO* ordinis Authore, non confusè cogitandum aut dicendum, nedum scribendum est: Accuratissimè & maximâ quâ possumus perfectione, de *DEO* Perfectissimo, & ejus Attributis disserendum est.

36. *POTENTIA PASSIVA* (quæ à quibusdam subjectiva dicitur) Deo non est ascribenda: Recipere enim proprie non potest: Imò nec Potentia-Activa non agens, quæ postea transit in actum (Nisi Actus relative vel ab extrinseco denominetur, vel significet effectum in recipiente seu passo) Deus igitur à plerisque dicitur *PURUS ACTUS:* Et nomine *POTENTIÆ-ACTUS* (abstracto potius quàm concreto) utor, quasi Actum-Potentissimum, vel Potentiam activissimam significante: *Passivam* enim aut *otiosam* Numini minime attribuendam judico.

Male Petavius & alii non pauci, simul Potentiam omnem in Deo negant; Et Omnipotentiam strenuè defendunt: Potentia quidem Passiva & Activa otiosa seu non in actu negandæ sunt; non autem Activa semper agens.

Solus Omnipotens Deus est, cui hoc est esse quod sapere; hoc est posse quod vivere; hoc est Velle quod facere. Cassiodor. de Anima. c. 9.

39. Quandocunque *POTENTIAM* Pono *primam* trium principiorum Essentialium, seu Attributorum formalium primi ordinis, hoc nomen non sumo *Generaliter*, & in *latiore* illo sensu, quo tribus hisce Primalitatibus seu Principiis Genus est; & ut idem sonat quod *VIRTUS*, aut *FACULTAS*, in genere: Sed *POTENTIAM* volo in sensu speciali, ad *Actus* scilicet *Vitales* ad *Intra*, quâ Deus scilicet *sibi vivit*; & ad actus *executivos*, communicativos, vivificos, motivos ad extra: quæ & *VITALITAS* vel *ACTIVITAS* etiam possit nominari: Et notandum est quod ex nominum penuriâ sententiarum obscuritas hîc vix vitanda quandoque obvenit; dum nomine eodem (quod in aliis etiam multoties evenit) & pro *Genere*, & pro *Specie* (id est, conceptu Generali & Speciali) uti, necesse habemus: Et sicut in Sacris Literis, nomen [DEUS] sæpe sumitur Essentialiter pro ipso Numine, sæpe itidem *Personaliter* pro *PATRE*; Imò & *PATRIS* nomen aliquando sumitur Essentialiter, aliquando autem Personaliter; ita etiam & de *POTENTIA* fere dicendum est: Et sicut nomen [*FILIUS*] semper, & [*SPIRITUS SANCTUS*] plerumque, *Personaliter* sumuntur; ita & nomen [*INTELLECTUS* seu *Sapientia*, & [*VOLUNTAS*] seu [*Amor*] non sumuntur sicut *POTENTIA* in sensu communi seu Generaliter, sed in sensu speciali: Sicut *PATER* à Theologis quibusdam dicitur *Fundamentum Trinitatis*, & inde ratio homonymiæ redditur; ita & *POTENTIA* dici potest Fundamentum Principiorum, seu Primalitatum; A *Potentia-Activa* enim, est *Intellectus* & *Voluntas*, quatenus in actu.

40. Cum in Tabula inter Actus Immanentes [*Potentiam-Actum*] dico [*in se essentialiter actu-Vitam*] Emphasis *hic* ponitur in [*Actu,*] quæ priùs est in [*Potentia.*] Vita Essentialis in Deo est *Actus æternus*; At in primo instanti rationis à nobis concipitur, quâ *Potentia*, & in secundo quâ *Actu*; conceptu quidem non *realiter* distinguente, *Posse* enim & *Agere* in Deo realiter idem sunt; sed per plures conceptus inadæquatos.

41. Per [*Intellectum* se *Intelligentem*] volo [*Intellectum Divinum Deum perfectè intelligentem*:] Non autem *Actum ab Objecto realiter* distinguens: Eadem dicenda sunt de [*Amore se*, id est, *Deum ipsum amante.*]

42. Utrum *Trinitas Principiorum* eadem sit quæ Trinitas Personarum suo loco postea inquirendum est: Hæc solùm hic præmittenda censeo. Non pauci inter Scholasticos *eandem Trinitatem* esse autumant: Et plerique eorum Trinitatis rationem reddere profitentur. Ex Reformatis plerique statuunt, Trinitatem Personarum esse mysterium inscrutabile, per lumen naturale ex naturalibus nullatenus notum. Quod Religio Christiana nihil irrationale vel contradictorium, de Trinitate credendum obtrudit, facilimè probatur: Trinitas quippe *PRINCIPIORUM* vel est ipsa Trinitas *PERSONARUM*, vel non: si *ita sit*, doctrina hæc de Trinitate Personarum, non tantum *rationalis* est quoad *probabilitatem*, sed & certissima, necessaria, & scientiarum omnium fundamentum, seu elementum. Nihil ferè clarius de *DEO* mortalibus notum est, quam eum esse in *UNITATE VIRTUTIS* seu *VITÆ PERFECTÆ SUBSTANTIALIS*, *POTENTISSIMUM-ACTUM-VITALEM*, *INTELLECTUM SAPIENTISSIMUM*, & *VOLUNTATEM AMANTISSIMAM* & *AMABILISSIMAM:* Et hæc non Accidentaliter de Numine dici, sed Essentialiter, cum distinctione ineffabili inter se: Sin autem hæc *Trinitas Principiorum* non est eadem quæ *Personarum Trinitas*, hinc tamen posterioris ratio & credibilitas multò clarius eluceset: Nemo sobrius enim in se recipiet rationem reddere, quod Personarum Trinitas, aut contradictoria, aut incredibilis, aut absurda videretur, cum Trinitas Principiorum adeo citra controversiam certa sit; & cum Personarum Trinitas quamvis nobis minus nota, non minus tamen cum Naturæ Divinæ perfectione, unitate, simplicitate conveniat.

43. De S. S. Numine incomprehensibili nil temere effutiendum est; & de Altissimo ignorantia potius modestè fatenda, quam audacia inverecunda exercenda; Cum etiam *Vera*, si ignota, de Deo loqui periculosum sit. Haud tamen excusandi sunt tardioris ingenii & protervi & insolentis, isti Theologi, qui penitiùs modestè

deſtè indagantes, & difficilia & obſcura quantum poſſunt elucidantes, opprobriis ſtatim adoriuntur; & quæ nunquam intellexêrunt erroris alicujus periculoſi, ſi non hæreſeos notâ audacter nimis inurunt. Hoc verè profiteor, meipſum per qualemcunque Myſterii Trinitatis explicationem, & *Socinianorum* & *dubitantium*, ſi non *Infidelium* quorundam ſeu *Atheorum* animos (ſi per ſigna judicare liceat), demulſiſſe, & erga Religionem Chriſtianam magis placabiles, ſi non placatos, reddidiſſe, & conatus hujuſmodi fructos non contemnendos ſæpe percepiſſe.

44. Trinitas Principiorum in Tribus inſtantibus (ut priùs dictum eſt) nobis patefacta eſt, etiam per Naturæ & S. Scripturæ lumen; *viz.* 1. In ipſis Principiis ſub notione *VIRTUTUM* ſeu *POTENTIARUM*: 2. In *ACTIBUS IMMANENTIBUS* (objectivè) qui ſunt, *SUI-VITA*, *SUI-INTELLECTIO*, *SUI-AMOR*: 3. In *ACTIONE* Tranſeunte, *viz.* 1. In *POTENTISSIMO* Mundi *Naturalis CREATIONE*, Conſervatione, & *Motu*, & Chriſti Mediatoris Generatione. 2. In *SAPIENTISSIMO* Mundi *Regimine*, & λόγου Incarnatione. 3. In *AMANTISSIMO* ab utroque *SPIRITUS SANCTI*, ſeu *AMORIS* Divini proceſſu, ad generis humani *Regenerationem*, & *Perfectionem*, & cum Numine *Communionem*; ſiquis autem modeſtè diceret, ſibi probabile viſum eſſe, harum Primam eſſe *Perſonarum Trinitatem fundamentaliter* conſideratam; & ſecundam eſſe *Perſonarum Trinitatem* formaliùs in *Actu æterno* conſideratam; & Tertiam eſſe *eandem Trinitatem* hominibus *explicatiſſimam*, & in ſenſu ultimo, & nobis notiſſimo, Perſonarum ſcilicet ut apparentium nobis in ſpecialibus ſuis viſibilibus operibus; Qui hæc cum debitâ reverentiâ diceret per me non ut hæreſeos reus erit inſimulatus: Neque ille qui hæc improbabilia ſibi viſa fore è contra affirmaret. Mei-ipſius autem judicium poſtea explicabitur.

Lege in Binnii. Vol. 1. p. 338. in Pisani Concil. Nicæn. quæ Concilium ad Philoſ. reſpondiſſe dicitur, per explicationem myſterii Trinitatis per Ignis ſimilitudinem. Et ibid. p. 332. per Euſtathium Antiochenum dicunt Deum eſſe omnis compoſitionis expertem cum ſit Ignis natura.

45. Attributa *Perſonarum* in Tabula recitata, & communia & diſtinguentia pleraque, non tam ex S. Scripturarum expreſsâ nominatione, per veteres Eccleſiæ Doctores hauſta ſunt, quam ex Eccleſiæ doctrina de Trinitate: Et non tam ipſorum *Terminorum*, quam *doctrinæ* gratiâ retinenda ſunt: Et ſicut Eccleſiæ Græcæ cum Latina de nominibus [*Perſonâ* & *Hypoſtaſi*] aliquantiſper minime convenit, & Hieronymus ipſe (cum aliis) Hæreticus audivit, quod Hypoſtaſeos nomen rejiceret; cum tamen poſtea innotuit, ſub terminis diverſis eos omnes idem ſignificatum voluiſſe; ita minime hæreſeos incuſandus eſt qui arbitraria tantùm aliorum verba repudiat, cum per alia ſe eundem ſenſum tenere profitetur. S. Scripturarum autem *Nomina* non temere mutanda ſunt, ne quidem ſub clarioris doctrinæ prætextu, ne doctrinæ mutationem nominum mutatio introduceret.

46. *OMNIPOTENTIA* Divina triplicem habet ſenſum ſeu notionem in Tabula recitatam, juxta triplicem ordinis inſtantiam: 1. In prima inſtantia rationis, Omnia *poteſt* Deus quæ *vere Potentiæ* ſunt, & non ad Impotentiam pertinent: 2. In ſecunda inſtantia omnia poteſt, quæ *Intellectui* Divino *Congrua* ſunt: 3. In tertio inſtanti omnia poteſt *quæ vult*.

47. De Omnipotentia Divina plures & magnæ meditanti obviæ ſunt difficultates; *e. g.* Quum Dei omnipotentia nunquam ſit Potentia otioſa, ſed ſemper in Actu, eoque perfectiſſimo, imò ſit idem quod ipſe *Actus*, & Immutabilis, Quomodo cum hiſce conſiſtit, ejus effectus oriri de novo, & Mundum in tempore factum eſſe? An nihil egit Omnipotens Creator ex parte Agentis, cum mundum crearet, quod ab æterno non egit, cum creanda nondum exiſterent? Dici quidem convenit, Deo æterno non eſſe Temporis inſtantias; & (ut Bradwardinus & alii plurimi) Deus per *Velle* æternum *voluit mundum fieri* in tempore: Et ſicut ab Uno ſunt plura; ità & ab Æterno ſunt Temporalia; incipiente & deſinente effectu, ſine ulla inceptione aut ceſſatione Cauſæ, ex parte ſui: Quæ vera ſunt; At Intellectûs humani captum ſuperantia: Quamvis enim litigant Doctores de numero Principiorum, An ſcilicet aſſerenda ſit *Potentia* Activa ab Intellectu & voluntate diſtincta? An potius dicendum ſit Deum merâ *Volitione* omnia feciſſe? ex hiſcetamen quomodocunque ſolutis, difficultatis ſolutio minime dependet.

Vid. Scaligeri exercit. 365. n. 9. p. 1073, 1074. ubi ait, videtur omnipotentia Dei agere in Non-Ens, quando facit ut ſit Ens: Quæres cum ſit tantæ ſubtilitatis ut humani captus & ambitum & faſtigium excedere videtur, lectis tamen à Deo judiciis tum hoc tum alia ejuſmodi data ſunt ad contemplandum: Intereſt enim & noſtræ pietatis & Dei immenſitatis ea ſentire, quæ ſentire non poſſumus.

In

In homine *Volitio* mera & inefficax, ab efficaci necessario distinguitur: Et ad extra efficit per *Potentiam executivam:* Et sicut *Intellectus* & *Voluntas* Deo attribuuntur Analogice, pari ratione *Potentia Activa* ei attribuenda est: Infirmitatis enim nomen non magis est quam cætera. Et ne de *Nomine* aut *Numero* conceptuum lis sit, si *soli Volitioni* Dei opera adscribent, necessario hanc Volitionem ut emanantem aut ad extra operantem describent; Et si *operatur* ad extra, *Operari potest*: Ideoque *Potentiam Operativam* ipsi sub nomine *Volitionis* includunt. Et in hominibus (à quibus nomina hæc analogica sunt desumpta) *Velle*, *quâ Velle*, ab *Operari* tam distinctum est, quam ab *Intelligere:* Proculdubio autem in Deo hæc omnia sunt Realiter unum. At quomodo aut *Potentia Activa*, aut *Voluntas potentissima*, sine modali ulla mutatione ex parte sui, ab æterno nihil faceret, & tandem mundum crearet, & effectus omnes de novo inciperent, aut mutarentur, sine ulla mutatione vel inceptione causæ, mortalium comprehensionem fugit: Rei inquam certitudo fatenda est, at quoad modum, nullam Intellectus inveniet quietem, nisi in Divinæ incomprehensibilis perfectionis Admiratione, & angusti intellectûs ignorantiæ confessione.

At verò ingenio minus subtiliter clara videtur, Deum non operari in Non-Ens, sed solum *Ens creare*; Anne Doctum decet primo incepte de Deo loqui, & deinde hinc colligere ita loquendum esse, & quidvis contradictorium Deo adscribendum esse, & hoc denique ad nostram pietatem & Dei gloriam esse conducibile?

48. Neque minoris difficultatis quæstio est, *An Deus potest plura facere quam quæ facit?* Si non, quomodo *Omnipotens est?* Sin ita, *Annon ad ea quæ nunquam facit, potentia ejus non in Actu, sed otiosa est?* At quamvis ob Divinitatis incomprehensibilitatem hic etiam Intellectus noster quietem non invenit, nisi in voluntariâ quamvis necessariâ ignorantiâ, & piâ admiratione; verè tamen dicitur, Deum (ut non prius aut posterius ex parte sui aut Velle aut Agere, ob prioritatem aut posterioritatem effectorum, ita &) non *plus* vel *minus Velle* aut *Agere* ex parte sui ob *pluralitatem* aut *paucitatem* effectorum: Ex parte quidem creaturæ *plus fit*, & recipitur; at ex parte Dei non *plus egit* in instante creationis, quam egit ab æterno; neque potentia ejus ideo *otiosa* fuit quia *nihil fecit*; neque magis otiosa est quia non omnia facit quæ facere potest; neque otiosa esset si nihil unquam creasset: Activitas scilicet Divina, ut & *Intellectus* & *Amor*) Infinita est in se, non solum sub ratione *potentiæ*, sed ut in *Actu*, quia *Agit* in *se-ipsam*, *objectum Infinitum*; ideoque non major aut minor esse potest in potentia aut in Actu, ob *creatorum existentiam* aut *non existentiam*. Si SOL ipse emanationes suas emitteret in vacuo, (nulla alia existente creaturâ) non minor esset ejus activitas, quam jam est cum inferiora *movet*, *illuminat* & *calefacit*. Posito mundo recipiente ponuntur quidem ejus *effectus:* At nulla major ponitur actio ex parte agentis, nec sublatis recipientibus gradus ejus ullus cessaret.

49. Intellectus humanus partim *Agendo* partim *Recipiendo* cognoscit, (sicut *oculus* & *agit* & *patitur* videndo, ex congressu scilicet Luminis externi & spirituum lucidorum.) Omnis etenim Intellectus creatus & ab *influxu* Dei ut *primi efficientis* patitur, & à *Deo objectum illustrante*. At de *Intellectu Divino* ut realiter *passivo*, aut per *receptionem* (aut *objecti*, aut *influxûs* alicujus) Patiente, concipere nefas est.

50. Omnes igitur illæ quæstiones Scholarum de Modo Divinæ Intellectionis, quæ *Receptionem* hanc supponunt, ut ex impia suppositione procedentes, eliminandæ sunt.

51. Quia verò nos Intellectionem ullam concipere non possumus, quæ ex *Actu cum suo objecto* non constat, de Intellectione Divina igitur neque concipere, neque loqui possumus, nisi ut *objectum* terminans connotante; & ab objectis connotatis & specialibus & individuis, extrinsecè denominatâ.

52. *Intellectus* Divinus ad extra consideratur, 1. Ut EFFICIENS (in creaturæ etenim omnis productione, tria principia, *Activitas*, *Intellectus* & *Voluntas* cooperantur:) Et sicut SOL inferiora per Potentiam seu Virtutem Motivam movet, per Virtutem Illuminativam Illuminat, & per Virtutem Calefactivam Calefacit; ita Deus summe communicativus, *Activitate* suâ *Vitali* dat *Vitam* & *Motum*, *Intellectu* suo & *Sapientiâ* dat *Intellectum* & *Sapientiam*, & *Bonitate* sua & *Amore*, dat *Bonitatem* & *Amorem*: Idque non solum primò *creando*, sed continuò *conservando*. A nostro igitur Intelligendi modo, infinitè Divina Intellectio distat. Nos enim *Intelligendo* nihil immediatè ad extra *efficimus*. At sicut SOL

non

non formaliter videt, at eminenter visum Animalium causat ; ita (ignoscenda est similis dissimilitudo) Deus Intellectionis creaturarum specie, seu modo, non *formaliter* Intelligit, sed dum Intellectionem (Sui Imaginem) causat, *eminenter Intelligere* dicendus est.

2. Consideratur etiam Intellectus Divinus circa existentia ut *non-efficiens* (nedum *Recipiens*) sed merè *terminatus :* Plura etenim scire dicendus est quam quæ efficit ; *viz. Peccata :* Et quæ *Potentiæ* ejus & *Amoris* opera non sunt, neque *Intellectûs* ejus opera æstimanda sunt.

53. VOLUNTAS itidem Divina non est sicut Creata, Appetitus rei desideratæ, vel quæ volenti deest; (Deus enim nullo indiget :) sed est Boni omnis *Fons Communicativus*, ut *Efficiens*, & *finaliter* in Bono omni existenti *Complacentia.*

54. Dei Voluntas aut semper impleri aut non impleri, sensu diverso dici potest : 1. *Semper impletur*, quia semper fit id omne quod Deus in instante isto fieri vult. 2. At *non-impleri* dicitur, quatenus Dei opera non adhuc perficiuntur, nec omnia adhuc fiunt, quæ postea suo tempore facienda decrevit. (De Voluntate Imperante postea dicendum est.)

55. SUFFICIENTIA Dei ad extranea, in Tabula non latissimè sumitur, ut Veracitatem etiam & Benignitatem comprehendens; sed strictiùs, ut ad POTENTIAM præcipue relata, quamvis cæteras etiam Perfectiones connotans.

56. VERACITAS Divina est attributum etiam Perfectionale; præcipuè ad *Intellectum* Divinum relata, ut nobis patefactum & patefacientem: Sed ut *Potentiæ* etiam *sufficientiam*, & *Voluntatis Bonitatem* connotans. Nemo etenim mentitur, nisi per defectum *Potentiæ*, *Sapientiæ*, vel *Bonitatis :* Et omnis Error est immediatè per defectum Intellectûs.

57. BONITAS Divina primariò est Essentia ejus ut Perfectissima in se. Et inde, 2. Est *Voluntas* ejus ut in sensu Morali transcendentissimè Bona ; & in Actu Essentiali est *Amor sui :* At hic respectivè ad extra pro *Benignitate efficiente* sumitur, & pro Amabilitate Finali. Ita etiam & AMOR.

58. SANCTITAS itidem Divina primò significat transcendentissimam ejus *Excellentiam*, & *Majestatem* Essentialem ; Et 2. Deus *sanctus* dicitur, quia actu Essentiali *sui Amantissimus*: Sicut *Amor Dei* est *sanctitas nostra* ; & *Spiritus Sanctus* hunc ingenerando nos *sanctificare* dicitur : 3. Hic verò sumitur pro *Essentia*, & præcipuè *Voluntate* Divina, ut *Moralitatis* seu *Sanctitatis Creatæ* & fonte & fine, & per Creaturas suas summè reverendâ & observandâ.

59. Cum Deum dicimus ab æterno *Amatorem Boni* & *Osorem mali*, perfectionem ejus naturæ innuimus; quâ *si Bonum* extraneum & *Malum* ab æterno *extitissent*, illud actu *amavisset*, & hoc actu odio *habuisset* ; vel ut objecta quæ sunt in tempore, in æternitate etiam indivisibili esse jam dicuntur ; vel saltem ut Ideas Boni in suo Intellectu amat, si Ideæ, quæ sunt entia rationis, in Intellectu divino (ut à Theologis fieri solet) sint ponendæ : Mihi autem durum nimis videtur dicere, Deum *Ideam Mali* ut in *Intellectu suo odio habere* ; quasi aliquid in Intellectu Divino odio sit dignum: At ab æterno Bonum Creatum, aut Malum peccati non existebat ; ideoque, ut *existentia*, hæc objecta realia Amoris aut odii fuisse, impossibile est.

60. Eadem dicenda sunt etiam de JUSTITIA Divina, de *Misericordia*, *&c.* & de *invisibilitite*, *incomprehensibilitate*, & aliis nominibus, quæ creatos Intellectus vel alias facultates connotant, vel saltem objectorum extrinsecorum existentiam : *Perfectionem* scilicet Divinam hæc omnia significant, quæ *Justè*, *Misericorditer*, &c. ageret ab æterno, si justitiæ, misericordiæ, *&c.* objecta exstitissent : Et suppositis facultatibus creatis, visivâ, intellectivâ, *&c.* videri, comprehendi, *&c.* non potuisset, ideoque invisibilis, incomprehensibilis dicitur.

61. Phrasis [*In Deo esse*] ambigua cautè notanda est ; Quando dicimus [*Nihil est in Deo præter Deum,*] de tali [*inesse*] loquimur, quod ad *Personæ* vel *Individui constitutionem* pertinet: Quando autem dicit Paulus, [*In eo vivimus, movemur & sumus*] & [*Deus est super omnes, per omnes, & in omnibus*] Et est [*Omnia in omnibus,*] de *Inesse conservantis*, *omnipræsentis*, *comprehendentis*, (non causæ propriè constitutivæ) hæc dicuntur.

62. Et

62. Et Mundus pariter dici potest, aut *esse*, aut *non esse Accidens* Deitatis: In sensu priore non est *Dei Accidens*; Ita enim *Accidentia* nulla sunt in Deo: At in sensu posteriore, haud rectiùs de Mundo conceptum formamus, quàm ut de *Accidente Divino.*

63. Methodi veræ Attributorum Divinorum instituendæ, difficultas oritur ex ignorantia & conceptu confuso rerum creatarum: Particularia enim hæc Attributa sunt Metaphorica seu Analogica; & sive Negativa, sive Affirmativa vel Positiva sint, à respectu ad creata comparativè sumuntur: si Philosophi de rebus creatis claram, & distinctam haberent scientiam, & rerum *series*, *categorias* & *classes* sine errore in Tabulis suis possent delineare, hoc etiam in serie Attributorum Divinorum rectè ordinandâ, præstantissimum foret adjumentum: Dum autem principia rerum naturalia, ut & earum ordo & Causæ nesciuntur; & de scientiarum distributione seu ordinatione usitatâ, non sine causa, dubitatur; Dum scientiæ organicæ non verè ad rerum ipsarum naturam & ordinem adaptantur; Dum Aristotelis prædicamenta, arbor Porphyriana, etiam & Gassendi & aliorum, justè nimis ut imperfectionis & confusionis rea, ab eruditis jam ubique accusantur; & dum scientiarum specimina tam nova quam vetera ab omnibus fere culpantur, at à nullis ad aliorum satisfactionem emendantur; Quid mirum si Dei Altissimi Attributa analogica, à Creatorum similitudine desumpta, confusè admodum etiam per Theologos tradantur? Et in speculo ita maculato, fracto vel subverso, facies Creatoris modo debito intellectui neque monstretur, videatur aut dignoscatur? Quandoquidem autem hic Imperfectio nobis omnibus est inevitabilis, quod possumus tamen diligenter præstemus: Et ORDO intelligibilis & certus tenendus est, dum paulatim ad plura & difficiliora progredimur: Evidentia & fundamentalia animo penitus sunt figenda, & cætera non desperata summo studio tentanda.

Elucidationes de Divino Intellectu & Decretis, ad hujus temporis Controversias dirimendas adaptatæ.

§. 1. *Intellectus* Divinus est ipsa Dei Essentia; non autem *Essentiam tantum quatenus essentiam* aut substantiam significat, sed essentiam quâ Intellectum.

2. Nomen *Intellectûs Totam Essentiam* significat (non *Partem*; partibilis enim non est,) sed non *Totaliter:* Conceptus enim inadæquatus est.

3. Essentia hæc rectè dicitur *Intellectus æternus*, & ratione *Virtutis* Intellectivæ, & *Actûs*, quo scilicet Deus seipsum Intelligit.

4. Intellectus Divinus haud rectè NESCIENS aut INSCIUS rei alicujus appellatur, quia *Privationem* & *defectum* hæc significare videntur. At an *non-scire* Non-Entia dici possit, postea inquirendum est.

5. Deus *non scit* aliquid ut actu jam existens, quod non jam actu existit: Neque ut *verum* quod *verum non est:* Neque ut Bonum quod Bonum non est: Hoc enim non esset [*scire*] sed Ignorare & Errare.

6. Deus non transit à *Non-scire* ad *scire*, quando res existunt, quæ priùs non existebant, per realem aliquam mutationem Essentiæ aut Intellectûs: Quippe qui semper est in Actu perfectissimo; ideoque omnia visibilia semper videt, Intelligibilia intelligit.

7. Intelligendo Creata Intellectus Divinus nullam recipit perfectionem aut additionem: Et si in primo instante diceretur scire solum *semetipsum*, & in secundo instante *scire mundum*; hoc nullum Divinæ Scientiæ reale additamentum aut perfectionem diceret; sicut *Esse Mundi* nihil addit Essentiæ Divinæ.

8. Intellectui tamen Divino ex nova rerum existentia nova oritur Relatio: De Relatione rerum ad Deum nemo dubitat. De Relatione Dei ad res creatas hoc asserendum esse, Nominales rectè statuere mihi videntur.

9. Existentis creaturæ *nova receptio* est à Deo; quæ dicitur Actûs Divini *nova terminatio:*

terminatio: Et hinc Denominatio Actûs Divini in ſpecie & individuo ab hominibus neceſſariò ſumenda eſt: *Intelligere* eſt *Aliquid intelligere. Dei Intelligere* igitur eſt aut *ſeipſum*, aut *creata* intelligere: Actus in ſpecie & individuo denominatur ab *objecto: Vere* Intelligere eſt rem intelligere ſicut *reverâ* eſt: Quod *non eſt*, aut *non exiſtit*, non *verè* intelligitur *Eſſe* aut *Exiſtere:* Quod ſolùm *fuit*, aut *erit*, non *eſt:* At quod *fuit*, quando *erat*, verè *eſſe* intelligebatur: Et quod *erit*, quando *eſt*, *verè eſſe* intelligetur: ſicut quod *fuit* verè intelligitur *fuiſſe*, & quod *erit*, futurum eſſe.

10. Si Dei [*ſcire mundum ut jam exiſtentem*] aut [*Petrum, Judam, hunc vel illum actum ut exiſtentem*, &c.] Ejuſdem eſſet ſignificationis, cujus eſt [*Deum eſſe*, aut *Deum* ſe *Intelligere*, aut *Perfectum eſſe*] tunc concipere nos oporteret, Deum ab æterno ſcientem *Mundum*, *Petrum*, &c. ab æterno exiſtentem: At quia hæc non ejuſdem ſignificationis ſunt, haud pariter dicenda ſunt: ſed quando res exiſtunt, tunc ſolùm ut *jam exiſtentia* à Deo ſciri congruè dici poſſint. Quamvis enim nil novum oritur in Intellectu Divino, ex novitate tamen objecti nova oritur ei extrinſeca denominatio; ex objecti ſcilicet connotati relatione.

11. [*Scire rem eſſe*, *& ſcire rem fuiſſe*, *& ſcire rem futuram eſſe*] non ſunt apud nos ejuſdem ſignificationis: Et ſi dicendus eſt Deus omnia ſcire ut actu jam exiſtentia, tunc non dicendum eſſet, Deum ſcire præterita quâ præterita, aut futura quâ futura: Quod tamen ab omnibus fere dicitur.

12. Sicut Deo Intellectionum *Diverſitatem* adſcribimus, ſine injuria adverſus Divinam *ſimplicitatem* & *unitatem*, pari ratione Intellectionum *novitatem* & *ceſſationem* ei adſcribimus ſine injuria adverſus ejus *Immutabilitatem*: Dei enim *ſimplicitas* non minùs tuenda eſt, quam ejus *Immutabilitas:* At neceſſitas & uſus homines docuerunt, Actus divini Intellectûs, ut *objectivè diverſos*, *diſtinguere:* Et haud bene è ſuggeſto ſonaret ſi diceremus [Deum Chriſtum aut Jacobum odio habere, quia Eſavum aut Judam odio habet; aut Deum ſcire Petrum eſſe damnatum, quia ſcit Judam damnatum eſſe; aut Dei *ſcire* Petrum eſſe ſanctum, & ſcire Judam eſſe Diabolum, omnino idem fore: aut ejus ſcientiam boni & mali, angelorum, hominum, beſtiarum, bufonum, plantarum, & innumerabilium objectorum, non eſſe omninò diſtinguendam.] Voluntas itidem Divina in ſe *ſimplex eſt* & *unica:* At *ſalvâ hâc ſimplicitate*, omnes qui cum S. Scriptura & ad ædificationem loquuntur, ejus *actus diſtinguunt* ab objectis: Non dicunt populo *Amorem* & *odium* idem eſſe; aut idem eſſe Chriſtum, Petrum, *&c. amare* & *odio habere*; velle ſalvare, & velle damnare. At quâ ratione *diverſitas objectorum*, Intellectiones & Volitiones Divinas denominat *diverſas*; eâdem ratione, *ſalvâ Dei Immutabilitate*, *objectorum inceptio & mutatio*, actus hoſce divinos denominant *incipientes & mutatos:* Non autem *realiter*, ex parte Dei, ſed realiter ex parte objecti, & relativè, & *connotativè*, & *denominatione extrinſecâ* ex *parte Dei.*

13. *Idem* autem *Actus* divinus *reſpectu diverſo*, *diversè* poteſt denominari: Si igitur hi Actus non conſiderantur ut terminati ad *objecta quâ temporaria*, et objecta, quâ talia, non conſiderantur ut *tempore menſurantur*, ſed ut & tempus & objecta ſtant in *indiviſibili Æternitate*, ſub hâc conſideratione ego minime repugno; quin dicatur Deum omnia quæ quandocunque exiſtunt, ut realiter exiſtentia ſemp[illegible] vidiſſe in æterno: (Hic autem [*Ab*] æterno, & [*ad*] æternum, & omnes præpoſitiones quæ temporis differentias denotant, nullius aut falſæ ſunt ſignificationis.) De quo plura loco ſuo.

14. Deus *Æternus* & *Immenſus*, noſtras *Temporis* & *ſpatii inſtantias* perfectiſſimè diſtinguendo novit; & *Tempus* & *ſpatium* noſtrum in Æternitate & Immenſitate ejus comprehenduntur: Ideoque Dei Actus ſicut ab objectis poſſunt denominari & diſtingui, ita etiam ut ab objectorum hiſce accidentibus, prioritate, præſentiâ, poſterioritate, diſtantiâ, *&c.* ſin aliter ſe res habeat, & ſolum ut *Æterni*, & *Immenſi* Actus Divini ſunt Denominandi, lis omnis quæ Scholas diutius turbavit, de Decretis Divinis, tribus verbis ſtatim dirimitur; & de ordine Decretorum nullus Controverſiæ relictus erit locus.

15. Ex jam dictis liquidò conſtat, Scholarum & litigantium Theologorum Volumina,

lumina, nimis multa, magna, & jurgiosa, non de *Re ipsa*, sed tantum de *nominibus & verbis* litigare: De *reipsa* quippe inter omnes ferè convenit, Intellectum & Voluntatem Divinam esse ejus *Essentiam*, eamque *Indivisibilem*, & *Immutabilem*; & ex parte Dei nullam unquam evenire *Realem inceptionem*, *cessationem*, *mutationem*, *diversitatem*: Omnes ejus Actus pluraliter nominatos, *revera* esse *unicum* & *æternum*: *Mutationem* nullam Divinum Intellectum aut Voluntatem recipere vel à seipso, nedum ab ulla creatura: Nec minus inter omnes convenit, creaturas de novo existere, incipere, desinere, mutari; & omnia hæc cum suis omnibus circumstantiis & mutationibus, esse objecta Divini Intellectûs; eumque omnia verè intelligere sicut reverâ sunt. Et post hanc concordiam, quænam litis materia fingi potest, præter istam nominalem, *An* scilicet *ex objectorum ordine, varietate, & mutatione congruè dicatur Dei scientiam eorum ordinari, diversificari, aut mutari, denominatione extrinsecâ, ab objecti connotati relatione sumptâ?* Ego quidem non alium jam video Controversiæ fundum. An verò hæc tanti sint quanti & Ecclesiæ Christi & mundo per Theologos constant, judicent rem intelligentes, & Pacem, Ecclesiam & homines amantes! Judicabit citò Deus! Qui hoc aut illo modo loqui magis amat, dummodo rem ipsam in qua sumus concordes, & teneat, & suo modo explicet, Libertate suâ cum pace fruatur? Et quare eandem libertatem etiam fratribus non concederet? At proh quanti ægrotis constat imperitia Medicorum (superbientium & temerariorum maximè;) & quanti constat humano generi istiusmodi Theologorum temeritas & imperitia!

16. Quamvis itidem *hæc lis* etiam de locutionis solum congruitate sit, dicendum tamen puto, quod [NIHIL] non congrue dicitur esse *objectum reale* aut *proprie* sic dictum scientiæ ullius aut humanæ aut Divinæ: Dicunt aliqui sicut *Malum* ita [*Nihil*] esse objectum per accidens, seu reductivè: At mihi videtur non esse propriè *cognoscibile*: Ens, verum & bonum quæ convertuntur, sunt sola cognoscibilia, propriè dicta.

17. *Propositio* autem *de Nihilo* seu *Negativa* est æquè realis ac intelligibilis ac affirmativa. Ideoque hæc propositio [*Nihil est in Vacuo, vel ultra Universum præter Deum*] est Intelligibilis. At propositio de *Nihilo* non est Nihil.

18. Et obiter iterum iterumque notandum duco, Quandoquidem Theologorum de hisce dissidia ut plurimum oriuntur ex confusione *Rerum* & *Verborum* seu *notionum Logicarum*, qui deceptionem devitabit & controversias hasce ferè omnes liquidò dirimet, necesse est ut maximâ suspicione & accuratissimè, *verborum* & *notionum secundarum ambiguitatem* discutiat, & *Realia* à *nominibus* constantissimè distinguat.

19. De Quæstionibus malè curiosis quas tremendâ audaciâ hic Scholastici discutiunt, in Lib. 1. Theolog. Cathol. jam dixi. Inter cætera de *Ideis Divinis* temerariò plura effutire audent: Quid sit *Idea* nisi *Ens rationis*, seu rei notæ *species* seu quasi *Imago* à phantasiâ in Intellectu recepta, nobis minime innotescit. At Intellectus Divinus neque *Recipit* ab *objecto*, aut aliundè, neque aliquid aliud realiter in se habet, præter Essentiam Divinam: Nullus hic igitur dubitandi, aut saltem litigandi locus est, nisi de Intellectûs Divini congruâ denominatione: *An* scilicet congruè dicatur, *ex analogiâ ab Ideis seu conceptibus humanis sumptâ, in Intellectu Divino Essentiali simplicissimo tot rerum species, seu conceptus, seu Ideas collocandas esse, quot Entium, vel existentium, vel futurorum, vel possibilium sunt & species & individua?* Quid realiter Divino Intellectui insit, aut quid realiter sit objectivum in rerum naturâ, non est Controversiæ materia; Sed quid de innumerabilibus hisce Ideis seu conceptibus congrue dicendum est: Ab omnibus tamen conceditur, Deum unico Essentiæ Intuitu omnia quasi videre; & sicut SOL non per Ideas aut rerum species mutatur, dum in omnia inferiora ejus influxus terminatur; ita & Simplicissimus Intellectus Divinus neque diversitates neque mutationes in sese recipit, ex objectis terminativè notis. Qui autem Ideas seu conceptus hosce Deo adscribendos judicant, monendi sunt, 1. Ne litem de *Nominis* congruitate, de *Re ipsa* Controversiam esse fingant; 2. Et ne Locutiones suas arbitrarias aliis per imperium obtrudant; 3. Ne de Idearum seu Conceptuum horum

rum *ordine*, Controverſias item plurimas inanes faciendo, mentes humanas corrumpant, Eccleſiam perturbent, & bonas horas malè conterent.

20. De ſcientia item *Futurorum contingentium* multæ nimis & rixoſæ contentiones agitantur: Hic paucis rem expedire viſum eſt, inutilibus & non neceſſariis præteritis.

21. Quod *non exiſtit* reverâ *non eſt: Eſſe* tantùm *in Cauſis* & non in ſe, eſt *non-eſſe*; *Exiſtere* eſt *Eſſe extra Cauſas.*

22. *Futurum* eſt *Terminus diminuens* quoad Entitatem veram, ſeu Exiſtentiam: Quod ſolùm *Futurum eſt, non eſt.*

23. *Futuritio* igitur *nihil eſt*, niſi *Ens Rationis*, & *notio Logica*; una ſcilicet ex confictis iſtis inſtrumentis, quibus Intellectus hominis imperfectus, fictiones & conceptus ſuos diſtinguit.

24. [*Poſſibile*] etiam, quoad *Exiſtens*, eſt *Terminus diminuens.* Ideoque quâ *Poſſibile* eſt, *Nihil* eſt: Sed *poſſibilitas* eſt tantum *Ens rationis*, vel potius *Entis Rationis Relatio ſecundum dici*: Videlicet quando Intellectus ſibi finxit *Rem non exiſtentem*, tunc Res iſta imaginata (quæ non eſt res) comparatè ad potentiam (Divinam vel humanam) *Poſſibilis* dicitur.

25. *Convenientia* item futura, Privationes, quâ tales, & *Negationum* verarum *ſubjecta*, quâ talia, nihil ſunt.

26. *Poſſibilia* igitur & *futura* & eorum affectiones cum *nihil* ſint, Deo minime nota ſunt ut *exiſtentia* (niſi ut in æternitate in ſenſu prius explicato.)

27. At *Idea* ſeu *conceptus humanus* de rerum *poſſibilitate* & *futuritione non nihil* eſt: *Idea* futurorum & poſſibilium eſt *Intellectus operatio*, & ex ſimili prius cognito quaſi Imago; & *Futuritio* & *Poſſibilitas*, ſunt *Relationes ſecundum dici*, vel *rationis*; Res ſcilicet fictæ ut ad *Tempus*, ad *Potentiam*, ad alia.

28. *Propoſitio* item de *Poſſibilibus* & *futuris*, non eſt *nihil*, ſed *Ens reale:* Propoſitio (ut & nomen) mentalis eſt *Actus realis Intellectûs:* Et *Propoſitio enunciata* eſt realis operatio linguæ, mentis conceptum aliis ſignificans. An Ideæ verò Deo attribuendæ ſint, jam antea quæſitum eſt. Ipſe Plato qui Ideam vocat *rerum exemplar æternum*, nihil reale extra mentem Divinam eam eſſe putavit: Et quod in Deo eſt, ipſe Deus eſt.

29. Scientia, Volitiones & Decreta Divina, non *opera* Dei dicenda ſunt, ſed *Actus*, & *Attributa*; Eſſentia ſcilicet Divina, non *quâ eſſentia*, ſed quâ ad objecta ſpecialia relata, ita denominatur.

30. Deus perfectè novit *Eſſentialem* ſuam *Omnipotentiam:* Ideoque cum novit ſe *omnia poſſe*, hinc ſcire dicitur *omnia poſſibilia:* Hoc autem non probat *poſſibilia* eſſe in ſe ſcibilia, extra Deum.

31. Deus perfectiſſimè ſcit *Voluntatem* ſuam Eſſentialem, ut in *Virtute* & in *Actu:* Ideoque ſcit ad quæ ſua Voluntas objectivè tranſit; ſive omne *Volitum, quâ Volitum:* Res autem (ut loquuntur) in eſſe Volito & non exiſtentes, non ſunt *veræ Res*, ab Eſſentia ſeu Voluntate Divina diſtinctæ.

32. Hic igitur repetendum eſt quod de notionibus aliis prius dictum eſt: ſcilicet quod lis omnis de *Poſſibilium & futurorum Scientiâ*, videtur eſſe ſolùm de nominibus & notionibus Logicis. Inter omnes quippe convenit, *Deum ſcire ſeipſum; ſuam Eſſentiam, Potentiam, Intellectum & Voluntatem; Creaturam* etiam non eſſe *Deum*; neque *verè eſſe* priuſquam *eſt:* Et *non-exiſtens* eſſe *nihil*: & ſcire *non-exiſtens* eſſe *exiſtens*, non eſt ſcire, ſed *errare:* At quoad *nominis congruitatem* analogicè dicendum eſt, Deum ſcire omnia poſſibilia & futura; quia Intellectûs Divini perfectionem hoc ſignificat (de qua à nemine Chriſtiano dubitatur) dummodo fateamur quod jam monitum eſt, ſcilicet [*ſcire ipſa creata*, non eſſe *quid majus* quam *ſcire ipſum Deum*, ſicut Creatorum Eſſentia non eſt aliquid Eſſentiæ Divinæ ſuperadditum, quaſi *Eſſe Dei & Creaturæ* ſimul eſſet quid majus quàm ſolum *Eſſe* Dei: Haudquaquam igitur ex poſſibilium & futurorum, id eſt, nihili Scientiâ, Deo aliquid accedere putandum eſt.

33. Dubitandi igitur aut litigandi nulla reſtat materia, niſi de Rerum *intelligibilitate*, & inde, *An hoc vel illud ſcire ſignificet Perfectionem, an Imperfectionem,*

aut contradictionem: Quodcunque Intelligibile est proculdubio per Deum Intelligi dicendum est: Et *quodcunque* cum dicitur Intelligi, non sonat *contradictorium*, aut Intelligentis imperfectionem, *Intelligibile* dicendum est. Ex hisce igitur solvendæ sunt omnes hæ (de nominibus) quæstiones, *viz.* An Deus dicendus sit, *scire nihil, scire peccatum, scire futura, possibilia*, &c. Si *Non-entium cognitio Positiva* aut *Imperfectionem*, aut *Contradictionem* implicat, Deo minime adscribenda est. Tota autem dubitandi materia est, *An Non-ens sit objectum capax?* non autem, *An Scientia Divina sit perfectissima?*

34. Deus omnes *nostras Propositiones*, sicut & *Nomina* & *Argumenta*, & discursus novit: Hoc enim perfectionis est: Non autem *per nomina*, per *propositiones*, per *argumenta*, per *discursus* aliquid novit: Hoc enim Imperfectionis est.

35. Neque novit Deus conclusionem per media Logica, nec Res per media Physica; nec effectus scilicet per Causas, nec Causas per Effectus, &c. Hoc etenim Intellectûs Imperfecti est, qui res immediatè non intuetur, & subsidiis mediorum eget.

36. Qui igitur copiosè disputant, *Quomodo Deus scit futura aut contingentia aut necessaria?* & *modum humanum*, & *media creata* sciendi ipsi imponunt, saltem temeritatis & arrogantiæ rei mihi videntur; Qui autem Deum aliter hæc scire posse negant, à reatu blasphemiæ eos vindicare non possum.

37. Ad difficultates tales solvendas, siquis *Media* ea & sciendi *Modum* Deo Infinito ascribat, quæ *hominibus* etiam *Communia* sunt, probabiliter saltem, & plerumque certò, concludere possumus, *hoc modo* Deum non intelligere: Tantum scilicet est discrimen inter Divinum & humanum Intelligendi modum.

38. Analogica igitur attributa sumere oportet ab iis Animæ humanæ facultatibus & Actibus, qui aut ipsa ejus Essentia, aut Essentiæ modi & actus superiores & nobilissimi sunt; non autem ab istis qui ex receptivitate & usu organorum corporeorum, specierum, notionum secundarum, aut aliorum mediorum, imperfectionem notabiliter produnt.

39. Cum dicunt quidam Scholastici [*Intellectum Divinum non habere objectum extrinsecum,*] non putandi sunt negare Perfectissimum Divinum Intellectum ad creata comprehensivè & terminativè suo modo incomprehensibili se extendere; & ab objectis illis, ea-scientem denominandum esse: Sed hæc omnia meritò negant; *viz.* Deo aliquid esse omnino extrinsecum; objecta creata Intellectum Divinum, sicut humanum, *limitando* terminare; vel causas esse realiter aut effectivas, aut constitutivas, aut finales Divini intellectûs.

40. Si omnis Dei Scientia (quod quidam asserunt) esset *Efficiens*, (quia aliter otiosam fingi autumant,) inde liquidò sequeretur, non dicendum esse *Deum scire Non-entia*, aut peccata: Priora enim à *nemine Efficiuntur*, & posteriora *non à Deo*. Non tamen dicendum esset Deum hæc *nescire*, (hoc enim privationem sonat,) sed tantum *non scire*; idque ex Intellectus sui perfectione, & *nihili* & *peccati* incapacitate objectivâ: At Sacræ Scripturæ & Ecclesiæ loquendi usui, hoc minime congruum est.

41. Deus cordium scrutator & omniscius omnium novit hominum intellectiones, affectus, volitiones, phantasias, cogitationes, Ideas, notiones organicas, conceptus positivos, & negativos, de possibilibus, futuris, prioribus, posterioribus, ratiocinationes omnes, inadæquatos conceptus, fictiones & privationes: Modum autem nostrum intelligendi, modo nostro non intelligit: Hæc scire dicendus est; non autem hoc modo, sed suo perfectissimo nobis minimè noto; ut jam dictum est.

42. De FUTURITIONIS causâ æternâ & ejus æternâ scientiâ nimis multa per Doctores Scholasticos jam scripta sunt, & per quosdam nimiâ temeritate: Quorum præfidentia reprimenda, & sphalmata corrigenda, hisce paucis existimavi.

43. Ipsa *Futuritionis* notio ejus *Causam* non includit: *Futura* res dicitur quia [*erit,*] undecunque erit, à causa præsciendendo.

44. *Futuritio rei* non necessariò habet causam æternam: Deus (sola causa æterna) non omnis futuritionis Causa dicendus est.

45. Peccatorum

45. Peccatorum futuritionis Deus non eſt cauſa; (ſaltem quoad eorum *formam*, quicquid de materiali dicendum ſit.) At *Peccata* etiam quoad *formale*, non minùs quam *Bonum*, per Doctores dicuntùr (vel ab æterno) *futura:* Qui *futuritionis* cauſa eſt dum peccata futura ſunt, etiam *exiſtentiæ* cauſa eſt cum exiſtunt: Ideo enim *futura* dicuntur quia *exiſtent*; & ideo exiſtent quia à cauſa exiſtentiæ producentur. At Deus non eſt Cauſa *exiſtentiæ* peccati (quoad formale:) Ergo neque *futuritionis.*

46. Cauſa concluſionis Logicæ de rerum futuritione, non eſt (quâ talis) cauſa ipſius futuritionis. *Præſcientia* Dei Infallibilis dici poteſt Cauſa neceſſaria talis *concluſionis:* Neceſſaria etenim conſequentia eſt, [*Deus* præſcit peccata futura: Ergo futura ſunt.] Quodcunque enim Deus præſcit futurum eſſe, neceſſariò ſequitur hoc futurum eſſe: At non *ideo futurum eſt*, nedum *neceſſariò futurum.* Neceſſitas conſequentiæ *Logicæ* in ordine *ſciendi* aut *probandi*, non eſt *neceſſitas rei ipſius* in ordine *cauſandi.* Quodcunque Propheta aliquis certò ſcivit & prædixit, certò futurum eſt: At Chriſti Incarnationem, Judicium extremum, impiorum damnationem, *&c.* Prophetæ præſcivêrunt & prædixerunt: Ergo hæc neceſſariò futura erant: At neceſſitate Logicæ conſequentiæ ſolùm, non neceſſitate cauſali, reipſius, aut futuræ exiſtentiæ, id eſt, rei ipſius futuritionis. Cauſa æterna præſcientiæ, à cauſa æterna futuritatis, diſtinguenda eſt.

47. Attamen etiam ipſius *præſcientiæ* juxta Theologorum & Philoſophorum placita, non congruè Deus *Cauſa* dicitur: In Deo quippe non dantur *Effectus*, ideoque nec *Cauſa.* Rerum creatarum *Cauſa* eſt, at non ſui ipſius: Quicquid autem in Deo eſt, eſt Deus. Ejus *Scientia* eſt ejus *Eſſentia.* (In quantum analogiâ *Cauſæ* & *Effectûs* uti licet in Trinitate explicandâ, hic non eſt inquirendum.)

48. Ab æterno nihil fuit præter Deum: Rerum (*peccati* ſaltem) *futuritas non erat Deus: Ergo peccati futuritas non fuit ab æterno.*

49. Futuritas Nihil eſt: At [*Nihil eſſe*] aut negativè intelligendum eſt, *q. d.* [*Non eſt aliquid,*] aut eſt contradictio in adjecto.

50. *Nihili* non datur *Cauſa: non-eſſe* quippe *Cauſâ* non eget. At *futuritio nihil* eſt: Ergo futuritionis non datur cauſa: Et ſi cauſam non habet, nedum æternam, *viz.* Deum.

51. *Futurum* quoad rem exiſtentem eſt Terminus diminuens & negans: Eſt *Conceptus* ſeu *nomen* rei quatenus *non eſt*, ſed *erit*; id eſt, *jam nihili: Nihili* quidem *nomen* eſt realiter *nomen*, ſed eſt nomen nihili.

52. *Cauſa formaliter* ſic dicta, *viz. actu-cauſa*, non eſt ſine effectu: At Cauſa *virtualis* ſeu in *potentia*, *materialiter* & impropriè ſic dicta ante effectum eſt. Et ita dum *Cauſa* rerum futurarum *Virtualis* exiſtit, unde res ipſæ neceſſariò ſuo tempore producentur, hinc Intellectus humanus colligere poteſt, *Res ipſas futuras* eſſe. Hic autem nihil reale exiſtens eſt Intellectûs objectum, præter *Virtutem* agentis. Quia verò nos tenebriones qui per ſpecilla vel ſpecula, ſcienti media, inferre poſſumus, *res eſſe futuras*, hanc *illationem nominare* neceſſe habemus, idque ab objecto; Ideoque *prævisibilitas* ſeu potius *probabilitas* reverâ *jam nihili futuritio* à nobis nominatur. Et luſus hic Intellectûs imperfecti à Deo quidem perfectè notus eſt: Ne talem autem ipſi temerè adſcribamus cavendum eſt. Propoſitiones quidem & mentales & vocales de rerum *futuritate Res* ſunt; id eſt, *Actus reales.* Et ſi ab æterno extitiſſet Intellectus creatus, qui ſcit per *propoſitiones, argumenta*, vel *nomina*, ab æterno vera fuiſſet hæc propoſitio, *e. g.* [*Diabolus erit mendax, & Dei Oſor:*] At Deus non intelligit per propoſitiones; ideoque propoſitiones æternæ nullæ fuerunt; Ideoque nec earum veritas: Ergo non verè dicitur [*Propoſitio hæc* [*Mendacium futurum eſt,*] *vera fuit ab æterno.*] Quia quæ *non fuit*, non *vera* fuit: At rectè dicitur, [*ſi propoſitio hæc fuiſſet ab æterno, vera fuiſſet.*]

53. Dices, 1. *Res non ſunt futuræ quia præſcitæ ſunt, ſed præſcitæ quia futuræ:* 2. Item, *Res futuræ verè ſunt futuræ, quamvis nullus de iis cogitet intellectus.*

Reſp.

Ariſtot. in 2 poſt. Anal. de Cauſa & Effectu inquit, [Effectus præteriti Cauſam eſſe præteritam, præſentis præſentem, futuri futuram; actui exiſtentis actu exiſtentem; poteſtate exiſtentis poteſtate exiſtentem.] Quare dum effectus exiſtit, neceſſe eſt Cauſam quoque ſimul eodem modo exiſtere. *Zabarell. lib. de Mot. 1. c. 4. pag. 312.*

Reſp. 1. [*Futurum eſſe*] proculdubio nihil eſt reale, extra mentem & verba, & virtutem Cauſaturam. Ergo eſt vel *ipſa virtus cauſatura*, unde futuritionem argumentando colligimus; vel ipſa *Veritas conceptûs*, vel affirmationis hujus, [*Res erit*,] cujus objectum eſt verè nihil, ſed Ens rationis ab ipſo intellectu fictum. Veritas quippe omnis realis, eſt vel 1. *Rei*, 2. *Conceptûs mentalis*, 3. *Propoſitionis*, ſeu dicti. 1. *Veritas futuritionis* non *eſt Veritas Rei*; quia Res futura non *eſt* verè Res, nedum ab æterno, & ante Creationem; & non entis nullus eſt modus aut accidens reale. 2. Quidnam igitur eſt *Veritas futuritionis*, niſi Veritas, 1. *Conceptûs* mentalis, 2. Vel *propoſitionis* de re futura? Id eſt; Quando dicitur, vel mente vel ore, [*Hoc erit*,] verum eſt quod dicitur; & ſi fingatur talis conceptus vel propoſitio ab æterno, ejus *Veritas* ſimul fingenda eſt.

54. Ad alteram autem objectionis partem dicendum eſt, 1. Res à Deo ipſo efficiendas, *Futuras eſſe*, *quia* ab ipſo *cum Volitione effectivâ præſciuntur*; Id eſt, *Scientia Divina* & ejus *Volitio*, ſunt *Virtualiter Cauſa* rerum futurarum neceſſariarum; vel Virtutem habent quæ illas ſuo tempore producet; Ideoque hæc *Scientia & Volitio* Rationem, vel medium fundamentale continent, unde Ratio humana (quæ mediis utitur) ſi talis ab æterno extitiſſet, certò concludere potuiſſet, (ſi ſcientiam aut decreta Dei noviſſet) *Res haſce futuras eſſe.*

2. At *Peccatum*, quod Deus neque *efficit*, neque vult, neque *futurum* eſt *quia præſcitur* (nec quia volitum eſt; volitum enim non eſt;) nec *præſcitur quia futurum eſt*; ſed *quod futurum* eſt præſcitur; & futuritionis *probatio* certiſſima à præſcientia Divina (ſi nota ſit) ſumi poteſt. Futuritio peccati non eſt Cauſa Divinæ præſcientiæ; nec præſcientia futuritionis Cauſa: At ſuo modo eſt Cauſa *Veritatis* hujus conceptûs ſeu affirmationis [*Hoc futurum eſt:*] Et quamvis ſit Cauſa Logica Veritatis hujus concluſionis, non eſt Cauſa Efficiens rei ipſius futuritatis.

55. Cum dicis autem [*Res futura eſt, quamvis de ea nemo cogitaret.*] Reſp. Hoc idem eſſe ac ſi diceres, [Propoſitio hæc, *Peccatum erit*,] eſt vera quamvis nullus de ea intellectus cogitaret; Id eſt, Quamvis *nullius*, ideoque *nulla* eſſet hæc propoſitio. At ubi nulla eſt propoſitio, nulla eſt ejus *Veritas.*

Dices, Quid majus eſt *Futurum eſſe*, *quam non futurum eſſe.* Reſp. Quid majus eſſe *Cauſam* futurorum *Virtualem* jam exiſtere quam non exiſtere; Itemque hinc (vel aliunde) Futuritionem rei *ſciri*, quam non *ſciri*; At non *majus* eſt *Rem futuram eſſe quam non futuram eſſe.* Nihil enim nihilo non eſt majus. At Ratio humana mundum notionalem ſibi creat, & entia rationis faciendo, multiplicando, ordinando, & per tricas & artes Logicas agitando, hoc luſu & ſaltu ſeſe exercet, delectat, & ſæpe fatigat; indeque nonnulli nimis audaces, talem Imaginum ſeu fictionum Choream Deo ſanctiſſimo aſcribentes, controverſiarum maleficarum & errorum ſegetem uberrimam metunt.

56. Obj. *Futuritio rei non Cogitatæ non eſt Veritas Propoſitionis, ſed Veritatis illius ratio.*

Reſp. Futuritio rei plane nihil eſt; ſed *nomen* ſeu *notio* ab Intellectu prævidente rem futuram (jam nihil) formata; id eſt, Ens rationis, & ejus nomen. Nominis autem ratio, eſt *futurorum prævifio:* Aut ſi aliam ſcilicet *objectivam* Rationem quæris, ex cognita *Virtute Cauſali* effectûs futuritio nominatur: ſine nominibus loqui non poſſumus etiam de non-entibus: Ideoque non-entibus etiam nomina damus. At plerumque per [*Cauſam futuritionis*] non aliud volumus, quam *Cauſam rei futuræ*; *e. g.* In inſtante præſente quando Peccatum primò extitit, Voluntas peccatoris fuit peccati Cauſa actualis: In inſtante priore voluntas iſta fuit peccati futuri *Cauſa Virtualis*, at non adhuc *formaliter Cauſa*, ſed *futura* Cauſa. In inſtante autem hoc priore, hæc peccati Cauſa omnino non fuit, ſed & materialiter & formaliter *futura* fuit: In ordine autem effectuum neceſſariorum dantur Cauſarum Cauſæ donec ad Cauſam primam aſcendendo deventum eſt. At quoniam Deus non neceſſariò ſed liberè cauſat creaturas, ideo non ſequitur [*Deus eſt*; *ergo hæc creatura, hic actus, erit:*] At ſequitur [*Hoc* vel illud Deus *vult*; *ergo erit:*] Et in ordine Cauſarum *naturalium* ſequitur [*Exiſtit primus motor*; ergo *omnes motus ad finem uſque mundi futuri ſunt*, ſuppoſitis Cauſatione

ſatione Dei primæ Cauſæ liberæ, & rerum capacium continuatâ compage.] At de effectibus Cauſarum *liberarum* non ſequitur, [*e. g. Judæ voluntas erit ; ergo Judæ peccatum erit.*] Cauſa quidem peccati exiſtentis eſt Voluntas peccatoris: Ideoque peccati futuri voluntas hæc non adhuc exiſtens, futura eſt Cauſa. Libera ſcilicet voluntas ſe pravè determinabit. At pravæ hujus determinationis (*e. g.* Adami voluntatis) nulla prior (ſaltem ab æterno) determinata Cauſa eſt; Ideoque nec Cauſa peccati futuri, nec hujus futuritionis, nec Cauſa Cauſæ (qua talis determinatæ) verè fuit ab æterno.

57. Achilleum igitur argumentum Doctiſſimi Domini Twiſſi in lib. de ſcientia media à Cauſa æterna tranſitionis rerum è numero poſſibilium in numerum futurorum, in fumum ſeu nihilum evaneſcit. Hic enim eſt argumentationis hujus ſenſus, ſcilicet Res quæ non eſt res, habet modum (*viz.* futuritionem) qui non eſt modus (vel alium ſaltem conceptum objectivum;) qui eſt Ratio Veritatis propoſitionis mentalis aut verbalis quæ non eſt propoſitio, ideoque nec vera; facta per Intellectum qui non fuit Intellectus (creaturæ ſcilicet nondum exiſtentis quæ talia Rationis entia fingeret:) ſin autem hic fictionum luſus fuit ab æterno, tunc futuritionis etiam Cauſa ab æterno fuit (De inepta [*tranſitionis æternæ*] phraſi nihil dicam.)

58. Quod *nihil* eſt, non eſt effectus: Quod non eſt effectus non habet Cauſam: Quod non habet Cauſam, non habet Cauſam Divinam aut æternam: At futuritio & poſſibilitas Nihil ſunt: Ergo, *&c.*

59. Deus *Potentiam* ſuam, *Scientiam*, & *Voluntatem*, (non per alium Scientiæ actum, ſed per ipſam Scientiam Eſſentialem) perfectè novit; ſcit igitur Quid *poteſt*, Quid eligibile *novit*, & *Quid vult*: ſiquis autem hanc *Scientiam* Divinam, quâ continet rerum *poſſibilium* & *futurarum Ideas*, ſeu *Imagines*, nominabit, rerum *poſſibilitatem* aut *futuritionem*, vel *Ipſum Nihil* nominabit *poſſibile* aut *futurum*, (dum in proprio ſuo cerebro entitatem videtur habere quia imaginatur,) ex connotatione ſcilicet Divinæ præſcientiæ; conſideranda huic hæc pauca relinquo; 1. Quod de Ideis jam dictum eſt, Nihil in Deo eſſe præter Deum: At an rerum Ideæ ſint ipſe Deus ipſi perpendant? Et rerum Imagines ſeu Ideæ videntur Intellectui *receptivo* & imperfecto propriæ eſſe; At Intellectus Divinus non eſt Receptivus, neque Scientiæ ejus objecta ſunt Cauſæ, niſi extrinſecè denominantes. Fatendum eſt igitur *has Ideas* tantum analogicè ab uſu humano Deo adſcriptas eſſe. 2. Quod *verba rebus* verè aptantes, denominationem potius exiſtenti quàm non exiſtenti dabunt: Ideoque potius dicendum eſt [*Deus ab æterno poteſt*, e. g. *Solem condere*, & ab *æterno hoc vel illud vult facere*,] quam [*Hoc vel illud ab æterno poſsibile vel futurum erat*;] quando nil aliud volumus quam [*Deus hoc vel illud, poteſt, præſcit, vult.*] 3. Et quamvis utrumque dicere fas eſt, fatendum eſt litem de nomine ſolo manere, non omnino de re, cum diſputatur, *An rerum futuritio ſit ab æterno?*]

60. Probè item memoriâ tenendum eſt, *in Deo* non eſſe *Cauſas* & *Effectus*; Ideoque cum ab æterno nihil erat præter Eſſentiam Divinam, & nihil præter ipſum Deum denominandum, futuritionis nulla cauſa eſſe potuit ab æterno; quia nullus ab æterno fuit effectus.

---

61. Ad Quæſtionem, [*Quomodo Deus ſcit futura contingentia?*] Nil aliud reſpondendum eſt, niſi [*ex perfectione Intellectûs.*] Qui aliter reſpondent, dum plura dicunt, modum aliquem creaturæ imperfectæ proprium comminiſcuntur, qui Deo ideo non eſt attribuendus. Modo humano vel per media non novit Deus.

62. Modi ab ingeniis Scholaſticis commenti ſunt, 1. Thomiſtarum, rerum futurarum Præſentia in æternitate: 2. Scotiſtarum, futurorum Scientia in eſſe Volito. Nominales autem nobiſcum, in *ſola Perfectione Intellectûs Divini cum futurorum intelligibilitate*, acquieſcunt.

63. Pro rerum coexiſtentia in æternitate plura à pluribus (per *Arribam* præcipuè)

puè) dicuntur : Et à pluribus hæc ſententia impugnatur (& inter fortiſſimos per Dom. *Twiſſum in lib. de Scientia media*) At *pauciſsimi* Scientiam *Scotiſtarum* oppugnant, atque *paucis*; ſolâ inſtantiâ futuritionis peccati exceptâ. Ego verò tria iſta Pet. de Alliaco Cameracenſ. argumenta contra eam inſolubilia judico; *viz.* 1. Quia falſò ſupponit in Deo *Prioritatem* & *poſterioritatem :* Juxta Scotum "enim, in primo inſtante; Eſſentia Divina movet Intellectum Divinum ad ſeip-"ſum ſciendum; & in ſecunda inſtantia ad Intelligibilium omnium ſimplicem In-"tellectionem, abſtrahendo ſcilicet omnino ab exiſtentia : In tertia autem in-"ſtantia ad copulationum omnium neceſſariorum ſcientiam, quæ ex terminorum "connexione innoteſcunt : Et omnis hæc ſcientia dicitur naturalis & neceſſaria "ante Voluntatis determinationem : Hæc enim non ideo vera ſunt quia Volita, "ſed antecedenter : At de contingentibus aliter dicendum : ſciuntur ergo in eſſe "Volito.]

2. Quia in primo inſtante facit Intellectum Divinum eſſe *neutrum* de futuritione : Et ita in inſtante iſto daretur medium in contradictione.

3. Quia falſò ſupponit actum unum Divinum eſſe medium ad alium & illius rationem : Duo igitur hic cautè concludit Cameracenſis, 1. Divinum intelligendi modum nobis planè inſcrutabilem eſſe: 2. Probabiliter autem dicendum eſſe, "*Quod Intellectualis & æternus Dei oculus eſt quædam intuitio quæ immediatè ſu-*"*per quamlibet rem actualiter vel potentialiter exiſtentem ſimul fertur; Ideoq;* "*tam circa futura quam præſentia vel præterita omnium contingentium Verita-*"*tum certum habet judicium : Et Divina intuitio eſt tale immenſum judicium.*]

Quibus addenda inſtantia communis, *viz. Deus formale* (ſaltem) *peccati non ſcit in eſſe Volito* ſuæ voluntatis: Non enim à Deo Volitum eſt.

64. Et quidni idem ſentiant Defenſores *compræſentialitatis* dum aliter ſentire videntur? Rem enim plerumque explicant per ſimilitudinem hominis à turris altiſſimæ ſummitate circumſpicientis, qui circumquaque diſtantia, anteriora, & poſteriora, uno intuitu è longinquo ſimul cernit : Per hæc autem quid aliud ſentire poſſunt, quam Intellectus Divini Infinitatem ſeu Perfectionem. De rerum ipſarum quippe tempore minimè dubitatur; neque de æternitate Divina : Fatentur omnes unanimiter ſuo tempore, *e. g*, Moyſen, ſuo Davidem, ſuo Chriſtum natum eſſe: Omnes itidem Æternitatem ſecula omnia comprehendere fatentur: Plerique etiam dicunt Æternitatem eſſe Indiviſibilem. Et quis non fatetur Scientiam Divinam in ſe eſſe ipſam Dei eſſentiam,& non fieri per Cauſas efficientes, aut conſtitui ex actu & objecto, aut per receptionem aliunde, niſi relative: At ex objectorum connotatione & relatione diversè, extrinſicè denominanda eſt; à diverſitate ſcilicet terminorum & effectuum. Quiſnam igitur niſi de *nomine* litigandi hic relictus locus eſt.

65. Et de *nomine* quidem; 1. Quando *res temporariæ* ſunt Relationis-ad-Deum *ſubjectum*, tunc *Deus* tantùm denominatione extrinſecâ per modum termini coexiſtens denominatur. Cum *Deus* autem ſeu *Æternitas* eſt propriæ & *primariæ Relationis ſubjectum*, temporaria poſſunt denominari juxta terminationem & correlationem. Et ita *Æternitas* (juxta Theologorum placita Indiviſibilis, & *tota ſimul* quia *ſine partibus*) *una & fixa*, creaturæ multiplici & fluenti,nominis aliqualem participationem communicat, ut Relationis termino. Et hinc, ſicut Mutatio creaturarum in exiſtentia & actione, ipſi Deo varias extrinſecas denominationes communicat; Ita Dei unitas & conſtantia denominationes quaſdam addit creaturis. Et ita, quoniam Res quando exiſtunt, cum æternitate coexiſtunt, & Æternitas non habet prius & poſterius, & [*ab*] & [*ad*] & [*ante*] & [*poſt*] in æternitate ſunt termini aut nullius aut falſæ ſignificationis; Hinc dici poteſt [*ſicut æternitas* impartibilis, coexiſtit cum creatura, ita creatura coexiſtit cum & in æternitate impartibili ; Ideoque cum tota æternitate, & non cum parte.] Hoc autem de creatura jam exiſtente ſolùm dicendum eſt. Quando extitit Petrus, cum tota æternitate dici poſſet extitiſſe; & tota æternitas cum Petro. (Niſi quod etiam *Tota* impropriè dicitur, quæ non habet partes) ſin autem Æternitas partibilis intellectualiter (per conceptus partiales) dicatur, tunc aliter dicendum eſt.

66. Ex

66. Ex hiſce Lectori facilè patebit, & controverſiam eſſe de nomine, & phraſin utramlibet non omninò ineptam eſſe ; & Æternitatem ſeu Intellectum Divinum eundem ſemper exiſtere cum creatis, & tamen de *novo* coexiſtere quando res jam exiſtunt: At maximè propriè dicitur, Deum & Æternitatem non coextiriſſe cum creaturâ, cùm creatura nondum extitit: Quia coexiſtere eſt Verbum relativum creaturæ exiſtentiam connotans. Et reverâ, quomodocunque vertatur phraſeologia, nil aliud ſignificandum eſt quam Deum & æternitatem ſemper extitiſſe, Creaturam autem non ſemper: Quod cum ab omnibus conceditur, non obſcuris, ſed clariſſimis verbis dicendum eſt.

67. Rerum Futuritio, quâ ſimpliciter talis, aut eſt ſcibilis, aut non: ſi *ſcibilis* eſt in ſe, nulla alia, ex parte objecti, Scientiæ Divinæ ratio reddenda eſt : Perfectus quippe Intellectus omnia ſcibilia, quâ ſcibilia, perfectè novit. Sin autem in ſe non ſcibilis dicenda eſt (ſed tantum quâ ex cauſis cognitis colligitur) tunc dicendum eſt, ejus Scientiam ad Deum non pertinere ; & talium (non inſcium ſed) neſcium eſſe, perfectionis eſſe Divini Intellectûs ; ſicut & mentiri non poteſt Omnipotens, quia mentiri eſt impotentis non omnipotentis.

68. Etiam homo poteſt, præcognitis Cauſis, effectus neceſſarios præſcire & prædicere: Ergo Deus & plura & modo infinitè perfectiore ſcire poteſt: Neque ad modum aut menſuram aut hominis aut Angeli, Divinus Intellectus eſt redigendus at limitandus.

69. Obj. *Res ſcitur verè ſicut eſt : At Rei ut indeterminatæ, non eſt determinata Scientia; Non ſcibilis eſt ; ergo non ſcitur.*

Reſp. 1. Si res ſcitur tantum ſicut eſt, tunc non exiſtentis nulla exiſtit ſcientia, & ita nulla futurorum. At ſi hoc velit objectio, Quod nihil certò & determinatè ſcitur, quod non jam habet cauſas determinatas neceſſarias, negatur hæc aſſertio. Argumentum autem ita retorqueo: *Res ſcitur à Deo ſicut eſt :* At, per te, futurum contingens, præſcindendo à cauſis, *eſt futurum*: Ergo ut futurum ſcitur. Deus habet determinatam Scientiam effectuum cauſæ nondum determinatæ: Non ſciens eam jam determinatam eſſe, ſed ſeſe ſuo tempore huc aut illuc determinaturam.

70. Intellectui Divino nulla ſtatuitur Menſura: Nulla igitur ipſi eſt præteritio aut futuritio, præſcientia aut poſtſcientia, ex parte ſui: At Creaturarum menſuras non ignorat; et quid nobis eſt præteritum, quid futurum non ignorat: Ideoque ejus ſimpliciſſima ſcientia connotativè à nobis præſcientia *&c.* dicenda eſt.

71. *Non-futuritionis* nulla datur Cauſa: *Non-futuritio* tamen non minus Deo ſcita dicitur à pleriſque quàm *futuritio*: Veritas enim hujus propoſitionis ſcitur [*Hoc non futurum eſt.*] Ergo abſtrahendo à Cauſis futuritionis, propoſitionis hujuſmodi veritas eſt intelligibilis. At ſi *Non-futuritio* non dicenda eſt Scientiæ Divinæ objectum, quia *Nihil* eſt, eâdem ratione neque *futuritio* ejus objectum dicenda eſt.

De Volitionibus Divinis & Decretis.

§ 1. QUod *Nihil* eſt, & *Nihil* erit, haud apte dicitur objectum vel effectus Decreti ſeu Volitionis Divinæ, niſi moraliter & improprie.

2. *Gratiam* aut *Gloriam non-habere Nihil eſt, & Nihil erit : Non-agere* itidem *non-credere, non-reſipiſcere, non-amare Deum, non-obedire*, Nihil ſunt: (At jus habendi eſt aliquid.)

3. Quamvis, ex parte ſui, Dei Decreta omnia ſunt unicum (unâ ſcilicet volitione vult omnia, ſicut unâ Scientiâ ſcit omnia;) Quia tamen hujus Volitionis (ut & Scientiæ) tantum non infinita ſunt poſitiva objecta, tot etiam dici poſſunt, extrinſecâ denominatione relativè, Dei Volitiones. At quod verè *Nihil* eſt quis in Atomos ita diſſecabit? Conſiderandum igitur propono, an ſine temeritate, ne dicam contumeliâ, *tot* Numini *Volitiones Negativæ* adſcribantur, quot (comparativè

tivè ad Entia) fingere potest Intellectus? *viz.* Quod tot positiva Decreta Negantia habet Deus, de earum non futuritione, quot Res possibiles non sunt futuræ; de infinitis ferè atomis, arenulis possibilibus, quod *non erunt*; & de tot existentibus quod *non aliud erunt*; Quod atomus hæc non erit homo, nec Angelus, nec Sol, &c. Quod Res unaquæque non mille aliis nominibus nota fuerit? Quis quæso tot distinctis Volitiones & Decreta, (myriades etiam) de unaquaque re non-futura-possibili (Quasi *nihil* haberet *numerum*) Deo ascribere seriò audebit.

4. Ad *non-esse* rei, (sive *ne sit*) nihil opus est præter Dei *non Velle*, & *non Causare*? ut mille, *e. g.* plures *sint* mundi aut Soles, Dei *Velle* & *Efficere* opus est: At *ne sint*, nil opus est. Si non esset Deus, nihil esset: Et nisi Deo volente & faciente, nihil est à Deo. Ad nullitatem nulla-causa sufficit.

5. Nulla igitur fingenda est Volitio antecedens, nullum Decretum merè Negativorum; *e.g.* Quod Judas non habebit fidem, vel Spiritum Sanctum, remissionem, peccatorum, Gloriam: Hæc non dedisse, & dare non decrevisse, ad eventum sat est Nulla igitur fingenda est *Reprobatio actualis*, vera, *positiva*, ad merè-*non-esse* aut Gratiæ aut Gloriæ.

6. Haud congruè igitur à quibusdam dictum est, *Reprobationem* talem asserendam esse quæ *Negativa* est tantum *quoad objectum*, & *Positiva* quoad *Actum* (id est, verus Actus:) *q. d.* [*Judæ Gratiam & Gloriam non-dare volo aut decerno.*] Nullus enim hujusmodi Actus necessarius est ad eventum; ideoque nullus fingendus. *Non-velle & non-decernere* hæc dare, eundem omnino habebit eventum, ac *Nolle dare* aut *velle & decernere non dare.*

7. Hic autem inter Christianos lis nulla est *de Re*, sed *de nomine* tantum, præter illam quæ est de ipsa causatione peccati. Omnes enim qui Deum peccati Causam verè negant, vel fatentur, vel ut fateantur necesse habent, in Volitionibus hisce ex parte Dei nihil esse præter simplicem essentiam Divinam cum extrinseca relatione, connotatione & denominatione: Ex parte autem creaturæ nihil reale supponitur, sed tantum, ejus, *Non habere Gratiam & Gloriam.* Nulla igitur controversiæ materia restat, nisi *Utrum Voluntas Divina Essentialis à Negatione Gratiæ & Gloriæ magis congruè dicatur Agere an Non-agere, ex eventu?* An *Actio* Deo aptè attribuatur quæ nihil efficit, & cujus objectum verè Nihil est?

Status hic hujusmodi controversiarum, à Lectore diligenter admodùm notandus est, ne cæcus de non-intellectis litigando Ecclesiasticæ & fraternæ pacis sit turbator.

8. Si de præsente nulla est Volitio Divina Gratiam aut Gloriam non dandi, nulla talis Volitio fuit ab æterno.

9. *Permissio* Divina simplex non est Actio, sed tantum *Non-impedire*, quod est *Non-agere* (de qua plura postea:) *Simplicis* ergo *Promissionis Volitio* positiva sine necessitate fingitur.

10. Ad quasdem autem *Negationes* vel *Nullitates*, vel *Non-agere* creaturarum, *Actio Divina impediens* aut suspendens exercetur, *viz.* Dum creaturæ naturam, & vires & proprietates naturales Universali suâ causalitate Deus sustinet, & juxta ordinem rebus naturalibus primò positum, ut fons naturæ suam præbet communicationem & influxum, Peccator utpote pravè inclinatus hisce viribus naturalibus ad peccandum abuti potest; & ne iis abutatur ut frænetur necesse est: Modus autem concupiscentiam & alia peccata frænandi ordinarius, non est per mutationem cursûs rerum naturalis, aut subtractione Influxûs Divini qui Motûs naturalis Causa prima est, aut cessatione influxûs causarum naturalium secundarum; Hoc enim foret peccatum per miracula impedire: Sicut enim Deus causas secundas merè Naturales (ut solem, Cœlum, &c.) in cursu suo & operandi modo necessario & constanti stabilivit, (nisi quatenus *Causis liberis* subsunt;) Ita etiam & Ipse, ut *Fons Naturæ*, suum Influxum ad motum hunc Naturalem necessarium, constantèr præbet, sicut per ipsam experientiam edocti sumus; manente tamen ejus potestate miracula & mutationes extraordinarias faciendi. Continuato igitur concursu seu Influxu Causæ primæ hoc stabilito & necessario, peccatum Deus impedit & peccatorem frænat sæpè per *Causationes* seu operationes quasdam *contrarias*,

quæ

quæ abutentium inclinationes naturales, (ut & peccaminosas) oppugnando superent: Ut & per objecta impedientia, & modos alios activos nobis minimè notos. Sicuti actione suâ potentissimâ Deus cursum maris Rubri sistebat, *Exod* 14. & *Dan.* 3. Ignis vim naturalem actione suâ, ut probabile est, frænavit; Ita & per operationes sui spiritus contrarias positivas, carnalem concupiscentiam deferveſcere facit, & plurima peccata, ut & peccatoris miseriam temporalem & æternam prohibet. In omnibus autem hisce instantiis, quamvis meræ Negationis, id est, *Nihili* nulla propria & naturalis datur Causa, (id est, Efficiens nulla,) Causa tamen *Impeditiva* moraliter dicitur *Nullitatis Causa.* Et ita rectè dicitur Causa non-peccandi, non-dandi pœnas, &c.

11. Id autem quod causatione proprie sic dictâ Deus efficit, est ipsum peccati & mortis *impedimentum:* Et in casibus hisce Volitio Divina non proprie dicitur esse *Nullitatis*, vel *omissionis*, vel *negationis* actûs humani, sed *Actionis suæ* seu *effectûs* actionem peccatoris frænantis seu impedientis: Et maximè proprie dicitur *Velle frænare* peccatorem; attamen juxta usum loquendi ordinarium, non malè, nec ineptè dicitur, reputativè, moraliter & consequenter decernere aut Velle ipsas Nullitates, *viz*, ut peccata & mala ita impedita non eveniant.

12. Hic etiam Lectori notandum est Litem nullam inter Orthodoxos esse de *reipsâ* sed de *solo nomine.* Inter omnes enim convenit *impedimenta peccandi positiva* Deum *positive Velle*; id est, Voluntatem ejus Essentialem hæc impedimenta nobis ponere: Convenit etiam nullitates jam dictas inde consequi, dum causâ peccati impeditâ prohibetur effectus. Et dum usus loquendi *Causandi* nomen tali impeditioni tribuit, nil prohibet quo minus & de Deo etiam ita loquamur; & in instantiis hisce quamvis non in aliis, etiam *Nihili Volitio* Deo adscribatur.

13. An *Nolitiones positivæ* Deo adscribantur ejusdem ferè sensûs quæstio est: Qui negativam partem tenent, ratione hâc moventur, Quia *Nolle* est quasi Lucta voluntatis contra adversarium suum malum; & Creaturæ proprium videtur, quæ sine lucta fælicitatem suam aut obtinere aut tenere in via non potis est. At de Re hic etiam inter omnes convenit: De nomine autem constat, juxta usum Sacrarum Literarum, sicut *Velle Bonum* ita & *Nolle Malum* de Deo dicendum est; Et non solùm *Complacentia, Amor & Volitio*, sed *Displicentia, Odium*, Ira & *Nolitio Deo* sunt ascribendâ: Sed Analogice quidem omnia: Hæc autem majorem significant in *hominibus imperfectionem*, quam illa. Deum autem *Velle* per *Essentiam*, & *Bonum solum* esse Volitionis ejus *Effectum*, & Mali impeditionem esse Bonum, ab omnibus conceduntur. Et ejus *Nolle malum*, aut *Non-Velle*, aut *Velle impedire*, aut *Velle prohibere*, aut *Velle peccatorem punire* significat.

14. Eâdem lege quâ Deo, à modo humano, adscribimus, non tantum *Volitiones Boni*, sed & *Nolitiones Mali*, *Negationem utriusque* scilicet *Non-Velle* & *Non-Nolle*, ei pariter adscribere & possumus & debemus.

15. Dei *Legislatoris* est Malum *positivè prohibere*; ergo bene dicitur Deum *in tantum Nolle* rem prohibitam: *Prohibitio* autem omnis Divina reverâ *Præceptum* est; *Quid-agendum* in primo instante præcipitur, scilicet, *Nolle nostrum*, aut *Velle non agere: Voluntas primariò* Legi subdita est; *Actus imperati* tantum *secundario* & consequenter? Actionem partis *executivæ* impedire *immediatè*, sine Voluntate, est opus *vis naturalis*, non autem *Legis*, *e. g.* Cum dicit Lex [*non occides*; *non mœchaberis*] sensus est, [*Noli occidere*, *Noli Mœchari*] *Nolle* autem significat [*Velle-non*] cum [displicentia, seu odio mali prohibiti.] Quandoquidem igitur & *Prohibere* est *Actus Positivus Legislatoris*, & *Nolle*, seu, *Velle-non*, est Actus positivus Subditi, Hæc *Velle*, aut *Decernere*, non est proprie *Nihil Velle*; Attamen quia ad *Nullitatem* peccati hæc tendunt, congruè dicitur Deum hanc Nullitatem Velle, seu peccatum (non semper absolutè, sed in tantum) *Nolle.*

16. Longe alia autem ratio est operationum Dei ipsius, & *existentiæ* aliarum rerum naturalium: Deus *positive* impedit actiones quasdam humanas, nec non agentium quorundam naturalium; Ideoque *consequenter positivè* vult earum *Nullitatem*: At *non positivè* impedit ne plures fiant mundi, soles, tellures, imò nec

arenulæ, nec aliud non-futurum, (nisi fortè actiones agentium frænando quæ illud producerent:) Non positivè impedit ne peccator in prima instantia crederet, aut legi suæ obediret: Nedum positivè impedit ne ipse Peccatori gratiam daret, aut Gratiæ media: Aut ne ipse hæc dare Vellet aut decerneret: De hisce igitur haud congruè dicitur, Deum habere Volitiones aut decreta positiva: scilicet *Velle* se non plures creare Mundos, Soles, homines; se non dare gratiam primam, &c. Multo minus Decernere seipsum aliquid aut Nolle aut Velle: si enim ad Velle hoc aliud Velle necessarium est; ad illud etiam & aliud erit necessarium, & ita procedendum erit in infinitum.

17. Attamen quia per voluntatem *consequentem* Gratia secunda juste negatur primam repudianti, & Gloria negatur infideli & impœnitenti; & Legis comminatio seu pars pœnalis, quâ injusti ad pœnam sensûs & damni condemnantur, est Actio Dei *positiva*, unde eorum hæc pœna sequitur, hic etiam congruè dicitur, *Deum velle injustis hisce Nullitatem fælicitatis, & velle non dare ipsis fælicitatem:* Modo hic intelligatur peccatum illud supponi propter quod fælicitate sunt orbati, & Volitionem Divinam terminari in *Legalem suam* actionem, quâ Jus fælicitatis, Infidelibus & Impœnitentibus positivè denegatur; & eorum *Non-habere* fælicitatem inde necessariò sequi.

18. Quoad Causalitatem moralem igitur rectè denominandam, Dei-Rectoris voluntas semper distinguenda est à Voluntate ejus sub relatione *Domini* aut Benefactoris; & Voluntas Rectoris Consequens, id est, Executiva, ab Antecedente, id est, Legislativâ. *Nullitates* quippe quæ aut *Lege*, aut *Judicis sententiâ* aut *executione* moraliter causantur, Voluntati Rectoris (ut sæpe dictum est) non malè ascribuntur.

De Prædestinatione, & de Objectis & ordine Decretorum.

1. VEra S. Scripturarum doctrina de Electione Divinâ, ex sensu Divini Amoris, gratitudinem & amorem fidelium cordibus ingenerat, & solamen spirituale ipsis præbet, nec Divino timori aut obedientiæ obest, imò sanctitati summè opitulatur.

2. Ex hoc autem non gaudium fideles recipiunt, quod ipsis Electis, alii non eliguntur, aut quod salvis ipsorum animabus, humani generis pars maxima perit; sed quod parte maximâ pereunte, ipsi gratis eliguntur & salvantur: Quo plures enim secum gratiæ Divinæ fiunt participes, eo majore ex Amore perfunduntur gaudio. Amor quippe aliorum beneficia quasi nostra facit. Favoris tamen peculiaritas gratitudinis peculiarem inducit & debitum & sensum.

3. Doctrinæ hujus de Electione verus sensus & scopus est, Deum omnium Dominum absolutum, & Benefactorem, sua dona gratuita non æqualiter distribuere, sed prout Sapientissimæ ejus Voluntati placet, quibusdam plura & majora, quibusdam pauciora & minora dare. Quibusdam scilicet gratiam majorem donat, utpote, quâ certissimò fiant salvi & fælices; quibusdam autem gratiam minorem, merè necessariam seu sufficientem vulgò dictam, quâ etiam ad suam perniciem homines abusuros præscivit: Et qui hæc inæqualitate hâc in tempore distribuit, ea pariter distribuenda ab æterno decrevisse, congruè dicendus est.

4. Inæqualitas hæc nulli perfectionis Divinæ attributo ullo modo adversatur: Non Sapientiæ, non Amori, bonitati, seu misericordiæ, nedum Justitiæ, neque Potentiæ.

5. Ut rectiùs hæc intelligantur, ea semper distinguenda sunt quæ Deus facit, quâ *Dominus* (proprietarius) & *Benefactor*, ab iis quæ facit, quâ Rector: & Rectoris opera Antecedentia à consequentibus: *Domini* enim (id est proprietarii) est, de suis facere quid ipsi libet: & meri Benefactoris est, sua dona ut ipsi libet distribuere; & hi nullo modo (quâ tales) ad æqualitatem tenentur. Rectoris etiam est Antecedenter ab subditorum merita, pro uniuscujusque capacitate naturali inæqua-

inæqualitatem aliqualem facere in eorum ſtatu externo, officiis & obligationibus. At Legibus jam [illegible] juxta illas omnes æquitate judicare, juſtiſſimi Judicis: *Officii* etenim & *Judicii* Lex Norma facta eſt. Et Juſtitia quidem proprie ſic dicta, non *Proprietarii* eſt, niſi in *Commutatione*; nec *Benefactoris*, quâ talis; quamvis conſequenter ad *Amicum* qui Amorem propter Amorem debet, ejus ſpecies quædam pertinet: ſed *Juſtitia Rectrix Rectori* peculiaris eſt.

6. Ex duobus autem certiſſimis præmiſſis certiſſimè concluditur, *Inæqualitatem* hanc Donorum Perfectioni Divinæ minime contrariari: 1. Quia certiſſimè conſtat Deum *ſumme Perfectum* eſſe: (Aliter enim non eſſet Deus:) 2. Et de facto certiſſimè conſtat Deum dona ſua mirâ diverſitate & inæqualitate diſtribuere. Sapientiſſimus ſcilicet & Liberrimus Creator, non ſtellas fecit Soles; neque lapides fecit ſtellas; non gramina fecit arbores, nec cœnum fecit aurum; non muſcas aut buſones fecit equos aut pavones, nec equos aut aves fecit homines, neque homines angelos: Et in unaquaque rerum ſpecie miranda itidem eſt diverſitas: Hominum quidam naturâ hebetes, quidam autem ingenioſi; hi plebeii, illi magnates, ille Rex eſt: Ex chordarum & ſonorum diverſitate & inæqualitate fit harmonia; Ex concinna partium inæqualium contextura fit pulchritudo. Et quamvis peccatum nullum inter homines diſcrimen introduxiſſet, non tenebatur Deus eundem aut naturæ aut gratiæ aut gloriæ gradum æqualiter omnibus dediſſe.

7. Perversè admodum contra doctrinam Electionis objicitur, quod *ad vitæ impuritatem, & ſocordiam ducit*, quaſi diceremus (quod per calumniam nobis impingunt) *Deum quoſdam ad ſalutem elegiſſe quomodocunque vivant*, id eſt, ſalvandos quamvis infideles, impœnitentes, ſcelerati aut ſocordes ſint: Una etenim eademque Electio homines & ad fidem, pœnitentiam, obedientiam, & gloriam elegit. Anne autem qui ad *ſanctitatem* homines eligit, eos ſine ſanctitate ſalvandos eligere dicendus eſt?

8. Nec ſine errore objicitur quod *doctrina hæc ſuâ naturâ ad præſumptionem ducit, aut carnalem ſecuritatem:* Quid enim magis animum amore Divino incendit, quam Dei Amoris certitudo maxima & ſenſus? Et quid magis animum ad omnia pietatis officia excitat quam amor & gratitudo? Et cum omnes ſalvandos Deus eligat ad media, prius utenda, quam ad finem obtinendum, quis niſi delirus de fine poteſt præſumere, qui ſe mediis non uti conſcius eſt.

Rom. 8. 29, 30. Eph. 1. 4. 1 Pet. 1. 2, 3, 18. 1 Theſ. 1. 4, 5, 6. Col. 3. 12. 1 Pet. 2. 4, 5. Tit. 2. 14. 1 Pet. 1. 5. Jer. 32. 40. Joh. 8. 31. & 15. 9. Rom. 2. 9, 10.

9. Neque rectiùs à quibuſdam dicitur, hanc Electionis doctrinam ad deſperationem tendere, dum nulli non electi quantumcunque conentur, ſalvari poſſunt, & nemo novit ſe eſſe electum. Quicunque enim mediis ſincerè utitur, ad media ità utenda electus eſt: & qui ad media electus eſt, is ad finem etiam (eodem decreto) electus eſt: Et de hoc per media certificari bene poteſt.

10. Omnes fere de Prædeſtinatione controverſiæ reſolvuntur in alias illas de Gratiæ executivâ collatione. Si nobis bene notum ſit, quo ordine & quibus mediis Deus gratiam ſuam in nobis operatur, facile patebit quomodo Voluntas ejus Eſſentialis ex operatione hâc relative denominanda ſit.

11. Quot tamen & quantis, & quam malignis litibus, de Prædeſtinatione, & ejus objectis, & decretorum ratione & ordine audaces, ne dicam prophani, Doctores, Eccleſiam perturbârunt, librorum, contentioſorum plauſtra, Eccleſiarum vulnera, perſecutiones, convitia, pacificorum lachrymæ, vix quenquam ignorare ſinunt.

12. Tota autem hæc contentionum ſeges & ortum ſuum & incrementum debet hominum ignorantiæ, & irreverenti temeritati qui non tantum citra neceſſitatem hominis modum ſciendi & volendi imperfectum Deo imputant, ſed & imperfectionis noſtræ etiam modos & circumſtantias: Imò quæ de ipſorum conceptibus non bene intelligunt, ea tamen ipſi Numini audacter attribuunt, & quum homo intelligit partim *recipiendo* partim *agendo*, Deus autem nullo modo recipere poteſt, de Deo tamen quaſi Recipiendo-intelligente, concipiunt, & poſtea de Intellectione & Volitione Divinâ quaſi Receptivâ diſputant; & ex falſa hac ſuppoſitione, de ejus objectis, ordine & modis. Cum reverâ in Dei Scientiâ & Voluntate

Voluntate nil aliud sit præter simplicissimam ejus Essentiam; & effectuum productionem denominatio connotativa & relativa consequitur. Circa opera verè sua Dei Intellectus & Voluntas sunt efficientes, & inde relative denominati: Circa *peccata* autem seu *opera non sua*, quâ talia, non *effectiva* est Divina Essentia, sed juxta inscrutabilem suam perfectionem, *terminativè*, *objectivè*, *relativè* (*non receptivè*) denominata.

13. Ex ipsorum principiis & concessionibus hæc sequentia desumpta, contentiosorum curiositati & audaciæ notam ignominiæ inurunt. 1. Cum nihil esse verè in Deo præter ipsam Dei simplicissimam Essentiam (in tribus personis) ipsi agnoscant, anne de Idearum & Decretorum numero & ordine, quasi realiter in Deo diversorum, hos contendere oportet?

14. 2. Cum omnia Decreta Divina, ex parte Dei *æterna* sint, & in æternitate non est quid realiter prius & posterius (quamvis Personæ relativè ita ordinentur,) anne doctrinæ huic agnitæ contentiones eorum de decretorum prioritate & posterioritate congruæ sunt?

15. 3. Cum omnes agnoscant non esse in Deo aliquid *proprie effectum*, anne de *Causis* ejus Scientiæ, aut Volitionis disputare convenit?

16. 4. Cum saltem omnes fateantur Deum intelligendo ne minimum ab objectis recipere, & hominibus nullus Intellectionis suppetat conceptus formalis, nisi illius quæ receptionis aliquid includit, anne Intellectui Divino hos modos humanos accommodare fas est? & de illis impense litigare?

17. 5. Cum inter omnes Theologice sobrios conveniat, neque creaturarum essentiam aliquid Essentiæ Divinæ superaddere, neque mundi existentis cognitionem aliquid sui-ipsius superaddere Scientiæ, nec Deum omnes creaturas ut existentes intelligendo, sapientiorem dicendum esse quam fuit ab æterno, quum mundus non existeret; Nonne ingenii arrogantis & protervi est, eos blasphemiæ insimulare, quasi Intellectûs Divini perfectionem negantes, qui non omnia eorum figmenta de Scientia Divina & decretorum ratione & ordine statuminare sunt parati?

18. 6. Quandoquidem à nemine diffitendum est, Scientiæ (& volitionis) Divinæ Denominationes, ab Intellectûs (& voluntatis) perfectione, & ipsis objectis, esse desumendas; & Intentionum & Idearum ordo, aliquid accidentale sonat, præter simplicem essentiam, & relationem ad objecta, nonne contentiones igitur de Intendendi ordine sunt eliminandæ?

19. 7. Cum ab omnibus concedendum sit in ipso Deo nihil esse quod *medii ad finem* proprie rationem habet, cum nihil sit in Deo quod non est Deus; anne fingendi sunt in Deo actus Scientiæ aut Voluntatis qui aliis actibus (in essentia simplicissima) sint Media? Et nonne satius est cum Scholasticis dicere, *Deum Velle Hoc esse propter hoc*, *non autem propter hoc Velle hoc esse*? Id est, Res volitas rebus aliis media fore decretum est; At Volendi aut Decernendi Media non sunt, nisi talia dicantur *objecta denominantia*?

20. 8. Cum omnibus etiam in confesso sit, quod nullos habemus formales conceptus Essentiæ Divinæ, sed tantum metaphoricos seu æquivocos, de inscrutabili & incomprehensibili numine dicentibus, hoc modestiam & cautelam inferre oportet, & asserendi & rixandi audaciam reprimere.

21. 9. Hoc idem etiam inferre debet *Ignorantia* humana modo nullo abscondenda; Cum nobis cæcutientibus ne gramen aut musca aut visibilium minimum plene notum sit. Quanto minùs essentiæ invisibilis Infinitæ natura & actus?

22. 10. Reverentiam etiam summam de hisce disputantibus incutere debet, *Majestas* & *Sanctitas* Divina, & *Justitia* ejus quæ Ignis consumens est, & audaciam irreverentem in Bethshemitis, in Uzza, in Uzzia & aliis terribiliter sæpe vindicavit; & omnibus suorum arcanorum scrutinia præsumptuosa strictissimè prohibuit.

23. 11. Timorem etiam Sciolis incutere oportet, casus primorum humani generis parentum, qui dum, ut Dii-sciendo ad altitudinem aspirant, scientiam

malam

malam adepti in miseriæ profunditatem præcipitantur: Et ut Solomon notavit, *Qui Scientiam auget, tristitiam auget*: Et ut Paulus 1 Cor. 8. 1, 2. *Qui putat se aliquid scire, nihil scit sicut scire oportet*: Et inutiles & rixosas disputationes quam sæpe perstrinxit B. *Paulus*, & quam acriter reprimit? ut pietati scilicet & Charitati & Edificationi admodum inimicas.

24. 12. Et tandem jam omnino sumus inexcusabiles, si longâ & lugubri Ecclesiarum experientiâ edocti, non simus rixandi pertæsi, & ad sobrietatem & charitatem revertamur: Cum scilicet Ecclesiarum laceratarum vulnera, testatum hoc & indubitatum nobis relinquant, Sciolorum contentiones odii maligni & turbarum plurimum generâsse, sanguinis etiam nonnihil non semel extraxisse, Veritati autem rarò, pietati & charitati rarius profuisse, Christianorum autem unitatem, pacem, honorem, salutem sæpe nimis pessundâsse.

25. Hisce monitis contra ebrios se mutuò lacerantes præmissis, non tamen diffiteor, Deum hominibus se aliquatenus ostensurum sermone uti humano, & capacitati nostræ angustæ se accommodare; & mysteria transcendentia quasi in speculo nobis ostendere, per analogiam ad sensibilia quorum conceptus formales habemus: De Deo sermone vel Angelico nedum Divino loquentem, quis intelligere, quis audire possit? De Deo item nos pariter metaphoricè & concipere & loqui necesse est, dummodo improprietatem semper fateamur, & non sine ratione à rebus relatis & ipsius naturâ Deo nomina imponamus, neque in dedecus Sanctissimi creaturarum imperfectiones ipsi impingamus.

26. Lis prima hîc & plurimarum mater est, *Utrum decreta Divina secundum ordinem Intentionis, an Executionis procedant?* Et inde, *Quisnam Dei finis dicendus est?* Et *Quænam Media?* Et an *præter finem ultimum* etiam *fines habeat subordinatos?* dum media inferiora ad superiora ut ad finem ordinantur.

27. Creaturas habere finem & media à nemine negatur (quamvis de *Causalitate finali* à pluribus dubitatur;) Nec Deum nostram finis intentionem decernere, & rem unam facere Medium ad aliam producendam, vel obtinendam; An verò ipse Deus proprie dicatur [*Intendere finem*] & non tantum *nobis* talem intentionem præcipere & Velle, à Scholasticis lubrice disceptatur.

28. Ab omnibus autem concedendum est, *Nihil esse Causam finalem Volitionis cujuscunque Divinæ* in se & ex parte agentis consideratæ: Hoc enim esset aut Deum ipsum aut Creaturam Essentiæ Divinæ Causam esse, & Deum esse Medium aut ad se aut ad alia.

29. Concedendum etiam est, in Deo non esse *realiter* Volitionum *pluralitatem*, & actum unum esse ad alium aut medium aut finem.

30. Firmissimè itidem tenendum est, Deo nihil deesse, nihilo ipsum indigere; ideoque non finem aliquem quasi desideratum quærere, & tandem cupitum obtinere: Voluntas quippe Divina in omni instante perfecte adimpletur; quia quicquid pro hoc instante esse aut fieri vult, id omne est & fit: Neque ut aliquid posthac obtinendum cupiens fingendus est. Desiderare quippe creaturæ est, cui aliquid deest.

31. Proprie loquendo igitur, in sensu usitato, *Deus finem* intendere non est dicendus. Ita enim is solum *finem intendere dicitur* cujus Voluntas non adimpletur, & qui aliquid desiderat, & qui ad perfectionem tendit, & cui cogitationum & volitionum pluralitas est, & cui *ipse finis*, & ejus *intentio* non sunt realiter idem; & cui aliquid est *Causa finalis*, & aliquid verè medium.

32. Hisce tamen non obstantibus, sicut cogente necessitate, Deum *Intelligentem dicimus* & *Volentem*, pariter etiam, & *sapienter*, & cum *consilio volentem*: Ipsiusque Intellectum Voluntati suæ Volenda quasi monstrantem. Ideoque & ipse pariter dat Volitionum suarum rationes: Locutionis igitur improprietate agnitâ, & imperfectione omni negatâ, dicendum est, *Deum finem intendere & media eligere ad finem.*

33. *Finis* autem hic intentus est maxime proprie *finis hominis* (& intelligentium aliorum) non autem *Finis Dei*; nisi quod *Finis* ideo *Dei* esse dici potest, quia homini

homini intendendum, quærendum & obtinendum à Deo proponitur; Et quia Dei objectum amatum est. Deus semper perfectissimus est; cui nihil realiter accedere potest. Creatura autem imperfecta ad perfectionem spirat & tendit: Et ejus stadium est à Deo ad Deum: Deus igitur est hominis finis; & cum ad metam seu finem venimus, Deus metonymicè *Finem suum obtinere* dicitur, quia finem ab ipso propositum creatura sua obtinuit.

34. Quandoquidem autem à nobis balbutientibus Deo Finis adscribendus est, qualis & quisnam hic finis dicendus est probe pensitandum restat. Creatura nulla Deo finis *ultimatus* aptè dicitur. Ejusdem enim est esse *finis ultimus*, cujus est esse primus efficiens. Dei ipsa *Essentia* autem rerum omnium est Causa prima Efficiens, operando scilicet, per modum *Intellectionis*, *Volitionis* & *Potentiæ vitalis-activæ:* Hinc omnia fiunt: Huc omnia tendunt: Non autem ut Intellectui, Voluntati aut Potentiæ Divinæ aliquid accedat; sed ut creaturæ suæ *Ab ipso procedentes*, *Per ipsum gubernatæ*, *ad ipsum perveniant*, & *in ipso perfectivè terminentur.* In Lumine scilicet Intellectûs *Dei* perfectè erimus *Illuminati:* In *Amore* & *Amabilitate* Divinâ perfectè *Amantes* erimus & complaciti: Et in Vitalitate Divina ad laudis & obedientiæ opera perfectè vividi: Et ipsa *Essentia Divina*, scilicet, QUOD DEUS SIT DEUS, nobis summam præbebit complacentiam in æternum.

35. Hic autem DEUS FINIS non ut merè *Passivus* facultatum nostrarum activarum *terminus* æstimandus est: Sed sicut Solis *Lumen* est visûs quidem *terminus objectivus*, non autem sicut *mons* aut *rupes*, objectum merè passivum, at summè *Activum*, imò ipsâ facultate visivâ multo activior; Ita Deus sanctissimus est facultatum nostrarum objectum ultimatum & perficiens; at ineffabiliter magis *Activus* ad extra erga nos, quam facultates nostræ erunt erga Deum. Nobis juxta modulum nostrum *notus* erit, ipse Omniscius: A nobis summe *Amatus* & maximâ complacentiâ, erit, Ipse *Amantissimus*; Et in Vita ipsius perfectissima nos itidem ipsi vivemus.

36. VOLUNTAS igitur Dei cum *Sapientia* & *Potentia* Causa prima & Ultima est: Causa prima quatenus omnia facit. Et Ultima quatenus in ipso omnia terminantur: At sicut *Agendo* omnia *efficit*, ita & *Agendo* in sua ineffabili Complacentia omnia terminat. *Complacentia* igitur *Voluntatis* Divinæ omnium Finis ultimatus est.

37. At cavendum est ne in Complacentia hac Voluntatis Deum fingamus aliquid à creaturis recipere, nedum suam fælicitatem; non minor etenim fuit ejus Complacentia in seipso ante mundum creatum, quam in seipso & creaturis existentibus postea, (ut prius dictum est.)

38. Hic etiam mirandum in modum Causæ omnes in Deo realiter Una sunt: Ut *finis enim* terminativus etiam continuò *Activus* & *Efficiens* est.

39. Quandoquidem verò Deus *finem intendere* dicitur, partim quia creaturarum *finem* intendit, eâdem ratione non solum finem *ultimatum*, sed & *subordinatas* etiam intendere dici potest: Creaturas enim has intendere præcipit.

40. Et in hoc sensu etiam ipsæ Creaturæ dici possunt *Dei finis subordinatus*, quia una ad aliam facta est.

41. Ita materialiter *Gloria Divina* dicitur plerumque *finis* & Creaturæ, & ipsius Dei: Per *Gloriam* autem non ipsa Dei *Essentia* Intelligenda est, sed quid Creatum: Hoc est similitudo seu Imago Dei Glorioſa in operibus ejus refulgens. Omnia quippe Dei opera vestigia retinent perfectissimæ ejus Essentiæ, Potentiæ, Sapientiæ & Amoris: Et sicut Anima invisibilis in corpore operando & facultates suas exerendo se notam facit (& in oculis videntibus tantum non videtur.) Ita (si parvis componere magna liceret) Deus in mundo operans & suas perfectiones exerens, hominibus innotescit, & in *Sole* & *Spiritibus intelligentibus* tantum non ostenditur.

42. Ubi Dei perfectiones maxime eluceſcunt, ibi maxime Dei *Gloria* est: *Essentia* ejus *ubique* est, nec hic magis & illic minus est: Infinita enim, simplicissima, & invariabilis, res omnes & locos in seipsa continet. At GLORIA ejus non

est æqualiter ubique; quia opera ejus Glorioſa non ſunt æqualiter ubique. Pater igitur noſter Cœleſtis ſeu *qui in cœlis eſt*, dicitur, Quia in cœlis ejus Gloria in excelſis & præſtantiſſimis ejus operibus maxime reſplendet.

43. Quandoquidem autem *Gloria Divina* aut non eſt ejus *Eſſentia* immediatè viſa, aut non ea ſolùm, ſed *quid creatum*, ſcilicet *Gloria Creata*, neceſſario hinc ſequitur ipſius UNIVERSITATIS PERFECTIONEM eſſe maximam Dei Gloriam Creatam. *Totum* etenim Partes omnes, & earum perfectiones in ſe continet; & præſtantiſſimæ *partis* Gloria, *Totius* Gloriâ minor eſt. Chriſtus ipſe, quâ Homo, eſt Pars univerſitatis, & ejus Gloria eſt Univerſali Gloriâ minor: Idem de tota Cœlorum Gloria dicendum eſt.

44. Pars autem præſtantiſſima operum Divinorum, nobis notorum, eſt *Mundus Intellectualis*; ſeu *Cœlum* cum incolis ejus *Intellectualibus*; *Regnum Cœleſte*, ſcilicet *Glorioſum*, ubi *Chriſtus* eſt Caput adminiſtrans, & *Intelligentiæ*, *Angeli* & *homines* ſunt ſubditi, Quibus omnibus & in quibus Sanctiſſimum Numen ſe glorioſiſſime oſtendit.

45. Utrum verò Sanctis beatis Gloria fælicitans Divina, ſit ipſius Univerſitatis perfectio *ipſis nota*, & ſi ita ſit, *quomodo* & *in quantum nota* ſit; An tantum ipſoſum *Cœlorum* perfectio; nobis mortalibus haud ſatis liquet.

46. Probabile tamen videtur, 1. Mundum finitum à finito aliquo Intellectu intelligi: 2. Imò & Angelos totius mundi fabricæ notitiam habere; & Deum non Imaginem ſuam rerum naturæ imprimere, & Gloriâ ſuâ mundum adornare, quam tamen nemo præter ſeipſum perciperet: 3. Et Animas humanas beatas hujus beatitudinis Angelicæ fore participes: 4. At juxta capacitatis eorum diverſitatem, beatorum diverſos eſſe hujus Scientiæ gradus: Imò & Gloriæ gradus diverſos in hoc ut plurimum conſiſtere, quod quidam maximæ capacitatis (id eſt, ſanctitatis) univerſitatis fabricam & Gloriam penitiùs perſpicientes, Deum ipſum ut in Cœlis & cæteris ſuis operibus Gloriosè oſtenſum clariſſimo lumine intuentur, & ferventiſſimo amore diligunt; cum aliis minus ſanctis minor obveniat Gloriæ Divinæ in operibus ſuis notitia, indeque minor Dei ipſius & Scientia & Amor.

47. GLORIA Divina igitur *objectiva* hæc, *viz. Perfectionis ſuæ in operibus ſuis*, præcipuè cœleſtibus, *ſplendor*, diſtinguendus eſt à *Gloria* illa *Activa* quæ in Angelorum & hominum *æſtimatione* & *laudibus* conſiſtit. Illa maxima & ſemper eadem eſt: Hæc autem varia, aut major, aut minor, juxta gradus diverſarum capacitatum diverſos.

48. Inter omnia autem Dei opera nullibi æquè refulget Perfectionis Divinæ Gloria, ac in Chriſti Mediatoris perſonâ glorificatâ: Hanc Gloriam igitur Chriſti in cœlis intueri, cum corpore ſuo glorificato, id eſt, Eccleſiâ triumphante, erit pars maxima beatorum Gloriæ finalis.

49. Hæc de *fine* dixiſſe, mihi videtur ferè neceſſarium, ad litem hanc de finis Intentione decretivâ dirimendam. Ex hiſce enim Lectori liquebit, Theologos non paucos, nec infimi ſubſellii, errores erroribus de hac re accumulaſſe.

50. 1. Maxime erratur dum Intentiones ſeu Decreta Divina non à rebus ipſis & ad Deum ipſum & invicem relatis denominantur & diſtinguuntur, ſed à ſerie fictarum aut Idearum aut cogitationum in ipſa mente Divina.

51. 2. A nonnullis etiam erratur qui *Gloriam Divinam* potius quam *Voluntatis ſuæ Complacentiam* in *illa Gloria*, finem Dei ultimatè ultimum denominant.

52. 3. A quibuſdam etiam erratur dum *Gloriam illam* cœleſtem aut Divinam eſſe Eſſentiam ſolùm immediatè perſpectam autumant, aut ſolam cœleſtem aliquam Gloriam *particularem* ibi viſam. Hic autem ego dubium illud ſolvere non audeo, *Utrum Eſſentia Divina à beatis immediatè in ſeſe videatur*? Neque illud, *Utrum Eſſentia ipſa hæc viſa dici poſſit Gloria Cœleſtis*? Nec conſequens illud, *An Gloria illa Eſſentialis quæ reverâ ubique eſt, in Cœlis eſſe dicatur, quia Beati Cœlites ſoli ad eum videndum receptive ſunt diſpoſiti*? Intellectum meum fugit hujus difficultatis (de *Eſſentiæ* immediata intuitione) clara ſolutio: Neque affirmanti, neque neganti, utpote inſcitiæ meæ conſcius, contradico. Hoc tantum aſſerere audeo, ſi tranſcendens hæc Gloria Cœlitibus concedatur, Gloria tamen

Creata, jam descripta, non excluditur, sed ut certa asserenda est.

53. 4. Et à vulgo erratur, dum per *Gloriam Divinam* nil aliud intelligunt, quam Angelorum & hominum activas (mentis & oris & operis) laudes. Quæ tamen Complacentiæ divinæ partes non minimæ objectivæ agnoscendæ sunt.

54. Nec prætereundum judico, Dei Imaginem Creatam Glorioſam in Universitatis perfectione fulgentem, non solum quatenus *mentium Creatarum objectum est*, Dei finem posse nominari; sed etiam quatenus est Dei ipsius objectum, & sibi cognita & Amata. Qui enim *seipsum Essentialiter & necessariò Intelligit & Amat*, *Imaginem suam Glorioſam proxime* item diligit; & quia ad illam media eligit, ipsius esse Finis dicatur.

55. 5. A pluribus etiam erratur, dum Decretum Dei finale ita definiunt, quasi in sola glorificatione *misericordiæ & Justitiæ Divinæ*, in *Electorum salute*, & *reproborum damnatione* positum sit: Imò error non unus hâc sententiâ continetur: 1. Quia aliquid extra Deum ipsum, scilicet *Gloriam suorum operum*, aut Gloriam ipsi ab aliis tributam, Dei finem *ultimatum* statuunt. Quamvis enim ad *Esse Dei* non datur aut medium, aut causa; In *Esse Dei* tamen & *Ipse se Amans*, & Sancti ipsum summè Amantes, *Complacentiam suam finalem* collocant; & ibi omnes creaturarum motus terminantur: sicut *ab Esse* Divino per Intellectum, Voluntatem & Potentiam Essentialem, omnia proveniunt; Ita in *Unione* congrua Intellectualium cum Deo, per *Intuitionem*, *Complacentiam*, & *Vitam Divinam*, in qua Deus Ipse *Complacentiam* habet, omnium finis ultimatus invenitur. Voluntas Divina efficiens est Rerum *principium*, & Voluntas Divina impleta & delectata est rerum *finis*.

2. Erratur etiam dum *Gloriam Misericordiæ & Justitiæ solam*, Finem decretum ultimatum nominant: 1. Quare quæso *subordinata hæc Attributa* ab objectis temporalibus sumpta *primò* memorantur, potius quam Attributa *primaria*? 2. Quare item omittuntur *alia Attributa subordinata*? *viz.* Divina *Veracitas*, *Sanctitas*, &c. 3. Quare omittuntur ipsæ *Relationes* quarum hæc sunt Attributa, *viz.* Rectoratus, Dominium, *&c.* 4. Præcipuè verò quare omittuntur Attributa ipsa primaria Essentialia, *viz.* Potentia-Activa, *Sapientia*, *Amor* seu *Bonitas*? Nonne horum omnium Glorificatio à Deo decreta est?

56. Quæritur, *An Dei Finis sit quid obtinendum de futuro, vel potius quid de præsente semper obtentum*? *Resp.* Si finis hujus aut illius creaturæ, aut operis Divini, aut proximus aut alius non ultimatus, qui in ipsa creatura est, dicatur *Dei ipsius finis*, in hoc sensu dicendum est, Dei (non Deo) finem non adhuc esse obtentum, sed deesse, *e. g.* Finis seminationis est seges; finis tritici est panis; & panis, hominum nutritio, *&c.* uniuscujusque rei finis est sui-ipsius perfectio, & inde perfectio Universitatis: Hæc autem non statim obtinentur; At Dei finis *ultimatus*, est *Voluntatis suæ impletio* & *Complacentia*, quæ nunquam non obtinetur. Dum quærere Eum videtur, eum semper obtinet. Voluntas ejus semper adimpletur, quamvis non semper per eadem media seu objecta, *e. g.* Opus Creationis non perfectum fuit in primâ, secundâ aut tertia die; Voluntas tamen Divina perfectè fuit impleta, quia omne illud factum est quod diebus illis fieri voluit. Et ita de cæteris providentiæ operibus dicendum est.

57. *Finis* operis dici potest *finis operantis*, quia ab operante ad hunc finem opus adaptatur: At quando distinguuntur, plerumque *finis* operis id dicitur ad quod suâ naturâ opus adaptatum est; At *finis operantis* id dicitur quod evenire ipse intendit, aut cujus gratiâ, aut ex cujus amore, opus fit ut medium.

58. De fine hominis à Deo præcepto nullus hic controversiæ locus est; Finis intentio & mediorum electio & usus, humanæ infirmitati proculdubio conveniunt: Et *Complacentiam* & *Gloriam* Divinam ut *finem ultimum* intendere, est veræ pietatis pars primaria, & maxime necessaria.

Et cum Concionatores loquuntur de Fine divinarum institutionum, beneficiorum, afflictionum, nostrorum officiorum, *&c.* de fine hominibus per Deum præcepto ut plurimum sunt interpretandi.

59. Aptissimè à Sp. Sancto dicitur, Prov. 16. 4. *Deum omnia feciſſe propter seipsum*] Voluntas enim Dei est ipse Deus (Quamvis in actu transeunte & effectivè

&

& effectivè & objectivè à rebus Creatis varie relativè denominatur.) Deus quidem nihil indiget, & à creatis nihil ipſi reſultat aut perfectionis, aut fælicitatis, aut commodi: At ſicut ſeipſum Amat in ſeipſo, ita & ſeipſum amat in ſuis operibus, & opera ſua ut ſua, & ut perfectionis ſuæ Imaginem aut Speculum, aut Umbram: Et Amor ipſe Divinus ut ad extra Communicativus, & Voluntatis ejus Complacentia (ut ſæpe jam dictum eſt) rectè dicitur ille finis, propter quem omnia facit.

60. Quoniam Creaturæ ſuperiores ſunt inferiorum fines propiores, & ita Intellectuales ſunt Fines omnium brutorum & inanimatorum, hinc ſequitur finem *Intellectualium* eſſe (aliquatenus ſaltem) finem totius mundi: ſicut enim *Natura Intellectualis* nobiliſſima, ut à Deo in primo Naturæ (ſaltem) inſtante procedens æſtimanda eſt; ita etiam ut Deo proxima in genere finali.

61. Qui autem & DEI & Creaturæ Intellectualis Fines ſummatim vult exprimere, MUTUUM AMOREM nominare ſatis erit. Finis Creaturæ conſiſtit ex *Actu* & *Objecto: Actus finalis* eſt AMOR ut in nobis; Objectum Finale eſt DEUS ſeu AMOR Infinitus, Optimus, Amabiliſſimus. Finis ipſius Dei ex *Actu ſolo* conſiſtit, id eſt, *ſeipſo*; (*Finis* enim analogice tantum illi tribuitur.) At in notione & inſtante ſecundo, ab *Objecto Amabili*, (id eſt, Gloria ſeu Perfectione Univerſitatis, præcipuè autem AMORE Intellectualium) extrinſecè denominatur. O præſtantiſſimus & Amabiliſſimus AMOR! Mundi Perfectio! & Creaturæ cum Creatore UNIO!

62. Ex hactenus dictis apertiſſimè conſtat, Theologos illos (quamvis aliàs eximios) tramitibus valdè deviis incedere, qui Decretorum Divinorum hoc primum fingunt, *Deum Miſericordiam in ſalute Electorum & Juſtitiam in damnatione Reproborum, glorificaturum*; & ſecundum (aut cætera) eſſe tantum de Mediis. Majora quippe & plura de *Fine Divino* dicenda ſunt: (ſi modò Finis Deo tribuendus eſt.) Et plura pariter de mediis.

63. Hinc alia inter ipſos hoſce Doctores Controverſia orta eſt, De *numero* ſcilicet *Decretorum*. Bezæ, Perkinſii & aliorum Schemata, plura enumerant; at de numero nil certi, neque numerandi regulam aut menſuram ullam, nobis reliquerunt. D. Twiſſus autem hoc incommodum perſentiens, Decreta omnia *ad duo* reduxit, & in hoc plurimarum ſuarum reſponſionum contra Arminium vires non minimas poſuit: Decretum ſcilicet primum voluit eſſe hoc anguſtum priùs recitatum de *Fine*. Alterum verò de Mediis omnibus ſimul conſideratis: Et fidelium ſalutem non finem ſed medium eſſe contendit: Media autem ad quatuor hæc capita reducit. 1. Permiſſionem peccatorum. 2. Mediatoris donationem. 3. Vocationem ad fidem, pœnitentiam & perſeverantiam efficacem. 4. Salutem pœnitentium, fidelium perſeverantium: Concludit autem, axioma illud ſuum magnum & ſæpiſſimè repetitum, *viz.* [*Quod prius eſt intentione, poſterius eſt executione*] de *fine* tantum unico ultimo eſſe intelligendum: Ideoque talem ordinem cæterorum, *viz.* Mediorum inter ſe, non eſſe fingendum: At quoad *executionem* certum ordinem inter ipſa etiam Media ſtatutum eſſe aſſerit: Vind. Grat. li. 3. Digreſ. 3. pag. (Vol. minor.) 52, 53. Hæc autem ad plurimas difficultates devitandas, & lites minuendas, via à Doctiſſimo & optimo Viro excogitata eſt.

64. Utrum verò ſcopum attigiſſe æſtimandus eſt, jam paucis inquiramus: 1. Actus Divinos, *vir* Doct. hic diſtinguit, vel ut realiter ſunt *in ipſo Deo*, (aut ut ex *parte Agentis*) vel ut ſunt in *rebus creatis* realiter (ex *parte effectûs*) & in Deo tantum denominatione extrinſecâ relative. In ſenſu priore nullus eſt diſtinguendi locus: Deus etenim eſt ſimpliciſſimus, & ex parte Dei & Decreta ſua & omnes ejus actus (pluraliter denominati ab effectis & objectis) reverâ ſunt unicus. At in ſenſu poſteriore, nulla à viro Docto hic ratio redditur, neque, ni fallor, reddi poteſt, quare Volitiones ſeu Decreta Divina in plures adhuc (imò fere innumerabiles) partes diſtribuenda ſeu diſtinguenda non ſint. Deus enim ſicut *Naturæ*, ita & *Gratiæ* & *Salutis* opera ut plurimum per media inter ſe connexa & cooperantia exequitur; & media ſuperiora ſunt inferiorum fines, *e. g.* Appetitus nobis donatur naturalis, quo cibum conſtanter recipiamus: Cibum recipimus

ut eo nutriamur: Cibo nutriti sumus ut vivamus, & sani, vividi & fortes simus: Sani & vividi sumus ut officia nostra vividè præstemus, *e. g.* ut Verbum Divinum diligenter audiamus, meditemur, *&c.* Verbum audimus ut scientia & fide necessariâ instruamur: Intelligimus & Credimus ut Amemus & bene operemur, *&c.* Imò bona prior cogitatio ad secundam Medium est, & hæc ad tertiam; & bonum hoc opus est mēdium ad illud alterum; & quidni in mirando nostro motu circulari (à Deo, per Deum, ad Deum) plurima sibi invicem sint & Medium & Finis, pro diversis scilicet motibus, instantiis & respectibus. Et hoc sensu sicut *opera Divina*, unde decreta pluraliter & diversa denominantur, sunt innumerabilia & inscrutabilia, ita etiam sunt ipsa Decreta ut ab hisce denominata. Unde facilè Cordatus Lector persentiat, quam arbitrariæ & fictæ sunt usitatæ Decretorum enumerationes, & distributiones, & quorsum tendunt, & quantilli usûs sunt de hisce copiosæ disputationes.

65. Siqui autem hoc axiomate [*Quod prius est Intentione*, &c.] ad seriem suam Decretorum stabiliendam uti pergent, ut sequentia hæc concedant, & in serie sua supponant, necesse habent: 1. Omnes Actus Dei ex parte sui esse essentiam ejus simplicissimam & unicam. 2. Intentionem finis non Deo esse adscribendam juxta sensum humanæ intentionis. 3. Nihil finem Dei ultimatum dicendum esse præter ipsum Deum, & Voluntatis suæ Complacentiam; nedum Laudes Creaturarum, aut gloriam aliquam creatam. 4. Divinæ Essentiæ & Perfectionis Gloriam seu apparentiam, in Rerum universitate perfectâ, præcipuè autem in Regno Cœlesti, Christo scilicet & Beatis resplendentem, esse Gloriam illam Dei creatam, quæ materialiter ejus *finis* dicitur ultimato proximus: Quæ reverâ est Consummatio seu Perfectio omnium mediorum. 5. Gloriam misericordiæ & Justitiæ erga Electos & Reprobos esse Gloriæ hujus Creatæ solum particulam. 6. *Gloriam* Divinæ *Potentiæ Sapientiæ & Amoris* seu *Bonitatis*, quid majus significare, quam Gloria *Misericordiæ* & *Justitiæ*; Ideoque hic prius considerandam. 7. Quamvis in partibus Majoribus operum Divinorum ordo aliquis & connexio à nobis discernenda sint, in partibus tamen minoribus & innumeris neminem mortalium ea plene cernere posse; ideoque nec describere nec enumerare. 8. Cavendum esse ne *Finis* ipsius Dei decernentis, cum fine hominis per Deum Lege sua imperato, confundatur. 9. Ordinem rerum decretarum, & decretorum inde denominatorum, non confundendum esse cum controverso hoc ordine Intentionali Decretorum in ipsâ mente Divinâ. 10. Ordinem rerum & decretorum inde denominatorum esse aliquatenùs vestigabilem & certissimum. 11. Quamvis [*quod prius est Intentione posterius fit executione*] non tamen vice versâ, [*Quod posterius est executione, prius est intentione*] uti ipse D. Twissius evicit. 12. Merè Nullitatum nulla fingenda esse Decreta. 13. Qui ordinem prioritatis & posterioritatis Decretorum intentionalem in ipsa mente Divinâ ponere audet, & de hisce disputando lites serere aut fovere, eum Ecclesiæ probationis haud obscuræ vel incertæ debitorem fore: An præstitor autem unquam fuerit justè dubitandum est.

Quid autem hisce concessis, ex regula illa Logica [*Quod prius est Intentione*, &c.] elici possit, ad usum horum disputatorum, neque video ego, neque me oculatior videbit.

66. Hic etiam agitatur Controversia de *Electionum Numero*, & culpantur Arminiani quod *plures* fingunt *Electiones*. At reverâ de nomine lis est: Et qui pro Decretorum pluralitate, & ordine dimicant, quâ ratione ipsi Electionum pluralitatem negent, mihi haud perspectum est. Quod nomen *Electionis* sæpe in Literis Sacris significat, *Electionem executivam temporalem*, quâ quosdam Deus è mundo vocatione efficaci seligit, & ut thesaurum peculiarem æstimat, à nemine verè negari potest. De *Electionis* autem Decreto in mente Divina, plura dicere non opus est quam de Decretorum numero in genere jam dictum est, sci licet, Voluntatem Dei essentialem esse unicam; & unicâ Volitione ex parte sui vult omnia, sicut unico intuitu videt omnia: At si extrinsecè ab *objectis* seu *effectis* denominatur hæc unica Volitio, sicut *plura Decreta*, ita & *plures Electiones*, hoc sensu ei tribuendæ sunt? An autem potiùs *plures Electiones* an *plures unius Electionis partes*,

partes, magis congruè dicatur, de nomine item lis est ; nisi quod in instantiis quibusdam partes tantùm quædam sine cæteris in quibusdam subjectis inveniuntur.

67. Quidam enim eliguntur ad gratiæ media prima, qui non ita eliguntur ad secunda. Quidam etiam ad Gratiæ gradum minorem, quidam autem ad majorem. Et sicut ipsorum Electorum Salutis plurimæ sunt partes & media, ita & plurimas esse de hisce divinas Volitiones dici possit eodem jure quo creandi, redimendi, vocandi, justificandi, glorificandi Volitiones ut diversæ à plerisque nominantur: Et in hoc sensu, Una dici potest *Electio ad Redemptionem*, quâ, *Diabolis* prætermissis, eliguntur homines: Electio altera est ad *Media fidei*, quâ, prætermissâ exterorum turbâ, Ecclesia visibilis eligitur: Alia ad ipsam fidem & pœnitentiam, quâ, prætermissis hypocritis cum aliis infidelibus, eligitur Ecclesia mystica justificatorum (& Augustinus, Prosper & Fulgentius opinati sunt aliam esse Electionem ad *Perseverantiam* & *Salutem*, quâ è numero verè justificatorum quidam sunt Electi.) Alia etiam est Electio ad officia & munera Ecclesiastica (Civilia, Oeconomica, &c.) quâ, prætermisso populo, eliguntur Pastores, (Reges, &c.) & ita Electio ad Remissionem peccatorum, sanctificationem, adoptionem, restaurationem post lapsum, perseverantiam, Gloriam, quamvis ad eosdem pertinentes, hoc sensu distinguendæ sunt.

68. De Prædestinationis objectis hæc pauca notanda sunt. Quanquam objecta eodem modo actus Divinos non constituunt quo humanos, non aliter tamen quam ab objectis connotative de Divinis Actibus nos possumus differere aut concipere. An verò omne objectum Volitionis Divinæ sit ejus effectus, (Imò & Scientiæ Divinæ) à quibusdam disceptatur. Hanc litem autem non attingens, ego solùm formali ratione *objecta* distinguens ab *effectis*, ita in sequentibus interpretari volo.

69. Quodcunque est objectum Gratiæ executivæ, hoc etiam objectum est Volitionis aut Electionis Divinæ ad illam Gratiam, ut ab executione denominatæ.

70. *Pura Massa*, ut dicitur, id est homo ut primo factus, fuit *objectum* Creationis *effectum*; Non autem ejus *Objectum subjectivum antecedens*.

71. *Pura Massa* fuit *Objectum subjectivum* seu *existens* primæ Legis naturæ, utpote quæ ex *ipsius* natura resultavit.

72. *Pura Massa* non fuit objectum *Gratiæ Redimentis*, vel particulæ aut fructûs alicujus Redemptionis: Hic enim *peccatum* & *Reatus* præsupponuntur. Et pariter de Electione ad hæc dicendum est, juxta ordinem *executionis*.

73. *Massa corrupta* quâ talis, nullius Electionis aut Decreti fuit *objectum effectum*; sed donationis Mediatoris, & Electionis ad eam, fuit *objectum* antecedens *subjectivum*.

74. *Massæ corruptæ*, id est, homini peccatori, Lex Gratiæ, seu Remissionis & vitæ æternæ donatio facta est, sub conditione; id est, pœna æterna sub conditione remissa est, & vita æterna donata: Ideoque ad hæc Massa corrupta tota fuit electa seu destinata.

75. *Massa corrupta* igitur, quâ merè talis, non est objectum immediatum, aut Electionis discriminantis salvandos à non salvandis, aut reprobationis, *viz.* Deus *Gratiam* aut *discriminantem* aut *communem* nemini denegat ut *merè lapso:* Gratiam enim quandam communem (jam descriptam) lapso Generi humano confert: Neque ut merè *lapsis fidem* aliquibus donat, sed *redemptis :* Pars enim Massæ corruptæ per Gratiam illam Communem sub Conditione prius reconciliatæ & reparatæ, est *objectum subjectivum* Gratiæ *discriminantis*, Ideoque & *Electionis ad eam* Gratiam juxta ordinem executionis descriptæ : At non ita pœnalis alicujus denegationis Gratiæ.

76. Deus enim qui Reconciliationem hanc & Remissionem sub conditione, humano generi donavit, Gratiam porrò efficacem credendi & resipiscendi quibusdam impertit: Hi igitur sunt hujus Gratiæ specialis *objecta subjectiva* ; & fides eorum, quâ data, est *objectum effectum :* Et ita *Massa corrupta Redempta*, est *Materia Communis*, unde Gratia prima discriminans *objecta subjectiva eligit :* At cæterorum prætermissio, aut est Mera [*Non-Electio* & *Mera negatio vocationis efficacis*] Quod nihil est ; & nullum habet *objectum;* quia non est actus, ne quidem reputativus :

Aut

Aut est *Privativa pœnalis gratiæ denegatio*, juxta Legis tenorem; & Actus ille Legislatoris Jus beneficii peccatori denegans, est verè *positivus:* Et privationis hujusmodi pœnalis objectum subjectivum, non est peccator ut in Massâ corruptâ solum (nedum ut in pura) neque ut in *Massâ Redempta;* sed quâ Redemptoris *Gratiæ repudiator ingratus* & contemptor est; Et ita Gratiæ jus forisfacit. Et hic verè & certò *Electionis* & *Gratiæ discriminantis Objectum* patefactum est.

77. Ita etiam *Justificationis, Adoptionis & Sanctificationis* actualis Objectum, non est merè *Redemptus*, (Nisi Redemptionis nomen ad actualem Liberationem, extendatur, quod sæpe fit) sed Redemptus-*fidelis* fœderatus: Justificationis item *mera negatio, nihil* est, aut physicum aut morale, ac proinde ejus neque Objectum est neque Causa: At Justificationis *privatio* seu *denegatio pœnalis* juxta Legem, aliquid est: Et ejus *Objectum subjectivum*, est *Infidelis, Impœnitens, Gratiæ contemptor:* Et ejus *objectum effectum* est *Jus pœnæ* juxta Legem, & *Remissionis jus denegatum.*

78. *Glorificationis* pariter *Objectum subjectivum* est *Redemptus-fidelis-Justificatus-sanctus-perseverans: Objectum Effectum* est *Gloria Justorum.* Glorificationis mera *Negatio* nihil est: At *Condemnatio ad pœnas*, & damni & sensûs, & *Judiciaria* Gloriæ *denegatio*, aliquid est: Et hujus Objectum subjectivum est, *finaliter impœnitens* & *Infidelis:* Et *Objectum Effectum* est sententiæ hujus *justa executio:* (Et peccati (quod privatio est) pœna itidem primaria est *privativa* (seu damni) Cujus subinde sensus in æternum damnatos cruciabit.) Et pariter de Electione etiam judicandum est.

79. Qui Electionis Objecta juxta *executionis ordinem* assignanda nolunt, sed tantum juxta *ordinem intentionis*, in difficultates non parvas se conjiciunt, præter jam dictas; Nisi cum D. Twisso media omnia ut unicum decreta volunt: ut à D. Twisso plene probatum est. Quum, *viz.* Deum volunt primo decrevisse misericordiam & Justitiam suam Glorificandas? Quid inde decretum volunt ut medium? Dices, [Ergo vult quosdam per misericordiam salvandos, alios autem per justitiam damnandos.] At quid intelligis per [*quosdam?*] Anne *homines*, aut quid indefinitum? Non homines juxta tuam sententiam; quia homines futuros esse in illo instante non dum decretum esse fingis: At Indefinitum quid, merè nihil est: Creaturam autem esse non est dicendum, quia juxta tuam sententiam nulla adhuc creatura futura decernitur. Anne verè nugatoriis ingeniis erga Majestatem Sanctissimam adeo audacibus esse licet, ac tale decretum ipsi imputare; *q. d.* [Misericordiam & Justitiam meam glorificandas volo, salvando & damnando,] abstrahendo ab objectis salvandis & damnandis? nullo incluso decreto an *creatura ulla futura* sit, nedum *homines* salvandi aut damnandi? Cum ipsum verbum salvandi & etiam damnandi, aut objectum connotant, aut nihil omnino significant: Imò ipsum *Misericordiæ* nomen objectum misericordiâ indigens connotat: Idem etiam de decretis Sanctificandi, Justificandi, Vocandi, Redimendi, dicendum est: Hi actus quippe sine objectis nulli sunt: Et dum adhuc nullius aut hominis aut creaturæ alius futuritio decernitur, temerarie nimis fingitur Deum actus hosce suos futuros decrevisse: Imò actus divini, nisi quatenus in patiente, aut ab objectis nominantur, nil aliud sunt quam numinis indivisibilis Essentia: Et prioritas & posterioritas æternæ simplicitati vix aptè tribuitur.

De Volitionibus seu Decretis Divinis circa Peccatum & ejus Permissionem.

§ 1. QUanquam Doctrina de Decretis, quâ Lege denunciatis suo loco postea potius tractanda est, ut & doctrina de peccati permissione; & quanquam plurima de hisce jamjam tractata sunt in Lib. dicto THEOLOGIA CATHOLICA; Hic tamen dum de Actibus Dei æternis tractamus, pauca adhuc prælibanda judico: Inquirendum est scilicet An rectè statuant Theologi prius

prius notati *Decretum de Permiſsione peccati Prædeſtinationis partem dicendum eſſe?* Et *utrum Peccati permiſsio ſit Medium ad Dei Gloriam decretum?* Deinde *an Deus Peccatum velle aut decreviſſe dicendus ſit?* ſcilicet, *ut exiſtat, aut futurum ſit?*

Peccata non fiunt ab homine Deo nolente, aut volente fieri, ſed tantum permittente, inquit Lombard: Et ex eo Mart. Ripalda, li. 1. diſ. 46. pag. 163. & Deus permittit fieri peccata quin ſit poſitiva nolitio, aut poſitiva volitio peccatorum; ſed ſolum non volitio privativa: Nolitio non eſt; quia alias à Voluntate peccatoris vinceretur; & fruſtraretur Voluntas Divina: Neque eſt Volitio, quia Deus non eſt Author peccati, &c. Id. ibid.

2. Ab omnibus fere Chriſtianis in terminis conceditur, *Non-velle Deum peccati formale*; Neque *peccatum, quâ peccatum*; Quod etiam de pleriſque ſaltem *peccatoribus* dicendum eſt: Nedum peccatum, quâ *Malum*; Quod probabiliter etiam dicendum eſt de Diabolis.

3. Hic primo igitur dicendum eſt, *Quid circa peccatum Deum Velle omnes plerumque fatemur?* Et Deinde *quid à ſanctiſsimi Numinis Voluntate ſeu decreto abjudicamus.*

4. I. Unanimiter concedimus Deum hominem feciſſe peccabilem, quum impeccabilem feciſſe potuiſſet.

5. II. Conceditur etiam Deum hominem peccaturum prævidiſſe, & non efficaciter cum potuit, ne peccaret, impediviſſe: Sed peccatum in ſenſu phyſico (quamvis non morali) permiſiſſe.

6. III. Concorditer etiam omnes fatemur Deum Naturæ authorem & fontem, naturæ motus ut cauſam primam conſtantiſſimam præmovere, neque ipſam naturam aut Cauſarum cooperationes ſubvertere velle, aut Influxum ſuum in res naturales ſubtrahere, quo peccatores, ne peccarent, impediret. Quamvis facile poſſet omnes à peccando inhibere, vires aut vitam abripiendo; vitam tamen & vires & motum naturalem ſicut cæteris animalibus, ita & hominibus, etiam dum peccant, influxu ſuo cauſativo Deus conſervat. Actus igitur qua Actus etiam malus, eſt à *Deo Efficiente*, ideoque *Volente*.

7. IV. Omnes etiam fatemur Dei Legem, (ſeu Deum per Legem ſuam) eſſe Cauſam quandam *Eſſentiæ-formalis* peccati ſuppoſitâ exiſtentiâ actûs cum ſuis circumſtantiis, aut habitûs, aut omiſſione officii imperati: Deus enim factum *prohibendo*, (*e. g. Odii Dei*) *non efficit* quidem *odium prohibitum*; at ſi homo *Deum oderit*, hoc odium *peccatum* eſſe facit. Hoc autem non eſt aliquid *reale abſolutum* in peccato efficere, ſed eſſe *Pars Cauſæ Relationis formalis*, ſuppoſitâ totâ realitate abſolutâ. Quod Homo *Agit* eſt à *Deo* & *homine*: Quod *bene agit* eſt à *Deo* & *homine* (ſubordinatè:) Quod *malè agit*, prohibitum hoc eligendo, & imperatum hoc omittendo, eſt à *ſola Creatura*, non autem à Deo: Quod Actus hic prohibitus eſt formaliter peccatum, eſt partim à Deo *prohibente*, & partim ab homine agente, & perpetrante. Relatio ſcilicet *curvitatis*, *difformitatis*, *inobedientiæ*, à rei ſeu actionis *Modo*, ut ad Regulam comparato, reſultat: ſicut Rebellio ſeu proditio eſt actus ſubditi proditoris aut rebellantis; At proditionem eſſe *quid Lege prohibitum*, Legiſlatoris eſt.

Fulgent. ad Monim. li 1. c. 5. Nil aliud accipiendum exiſtimo in illo Sancti Auguſtini ſermone, quo ad interitum quoſdam prædeſtinatos affirmat, niſi ad interitum ſupplicii, non delicti: Neque ad primæ reſurrectionis beneficium aut non accipiunt aut amittunt; ſed ad tormentum quod illis propria iniquitas malè parit, & æquitas Divina bene retribuit: Nec ad mortem animæ primam in qua naſcuntur parvuli, vel in quam concupiſcentia ſua abſtracti & illecti recidunt criminoſi; ſed ad mortem ſecundam quam neceſſe eſt patiantur, retribuente juſtiſſimo Judice.]

malum quod injuſtè admittunt, ſed ad cruciatum quem juſtiſſimè patientur: Nec ad peccatum quo

8. V. Fatemur etiam Deum quibuſdam Gratiam prævenientem, & Medicinalem, peccata inhibentem & mortificantem concedere, quam tamen plurimis non concedit.

9. VI. Neque diffitemur Deum peccatorum *Effectus* multifariàm cauſare quum ipſa peccata non cauſat, *viz.* 1. Objecta paſſiva obviam ponendo. 2. Objectorum diſpoſitiones receptivas cauſando. 3. Peccandi inſtrumenta, *e. g.* Sclopetum, jaculum, haſtam vel gladium regendo. 4. Objecta adverſantia, cum pluribus aliis obſtaculis, amovendo. 5. Etiam Veritates quaſdam & bonas cogitationes mentibus humanis

humanis ingerendo, quibus tamen ad peccandum abusuri sunt: Innumeri scilicet modi & media nobis omnino incognita Deo adsunt quibus effectum causare potest, peccatum non causans.

10. Et eo diligentius hoc notandum est, quia plerumque & *Actus* peccaminosus & *Effectus* simul uno eodemque nomine appellantur, *e. g. Homicidium* significat, 1. Homicidæ voluntatem, 2. Ejus Actum imperatum, 3. Patientis mortem: Sit quæstio, *An Deus sit Causa Homicidii?* Respondendum est, Aliquid per nomen Homicidii significari, cujus Deus non est Author, vel Causa, *viz.* Homicidæ *volitio & actus voluntarius:* Aliquid autem significari cujus Deus est Causa, *viz. Mors trucidati:* Et ita *Mors Christi* fuit à Deo, quâ effectus seu eventus; non autem à Deo fuit ejus *Volitio*, aut *Voluntaria executio:* Libera scilicet fuit Voluntas Homicidarum; suppositis autem eorum *sceleratâ Volitione & Actione*, *eventus* seu *effectus* non in eorum potestate positus erat: Per Deum fuit quod Christus tunc eorum manus sceleratas non devitavit; quod Christus ipse pro nobis mori voluit; Quod verba illa locutus est, quæ Judæi in blasphemiam ipsi imputaverint; Quod crux & cruciger ipsi parati forent; quod militis hasta ad cordis ejus regionem directa fuit; quod (cruribus ejus non fractis) tam cito animam expiravit; quod à cruce non descenderet, quò infidelitatem hoc signum postulantium confutaret, *&c.*

Ita etiam nomen [*Adulterii*] significat, 1. Volitionem, 2. Et actum executivum Adulterorum, 3. Et stupri effectum in patiente. Quæratur igitur *An Deus fuit Causa Incestûs Absalomi?* Resp. Eum non Causam fuisse *Volitionis* aut *Actionis, quâ incestuosæ*; At Causa fuit Effectus in patientibus; scilicet per Deum fuit quod Davidis Concubinæ Absalomo obviæ fuerint; Quod allicientem habuerint pulchritudinem; quod resistere non potuerint; quod Achitophelis rationes, ad patrem irreconciliabilem ipsi reddendum, ei obversatæ fuerunt; & obstacula amota, *&c.*

Sicut peccatum non In eo est, ita nec Ex eo est: Quod autem ex eo non est, opus ejus itaque non est: Quod autem nunquam est in opere ejus, nunquam fuit in prædestinatione ejus. *Fulgent. ib. c. 6.*

12. Ita & nomen *Ebrietatis* etiam est sensus complicati: Quæratur *An Deus sit Causa Ebrietatis?* Resp. Deum Causam esse *Vini*, & *dulcedinis* ejus allicientis; Et quod *appetitus sensitivus* Vinum appetit; & quod potaturo suppetit & adest; & quod obstacula absunt; & quod immoderatè haurientem *inebriat*: Spiritus enim Vini inebriantes & eorum operatio sunt naturalia Dei opera: Ebrietas igitur, quâ *Effectum* sonat, suppositâ actione peccatoris, est à Deo: At Ebrii *Volitio* & *Actio*, quâ *Voluntaria*, non ita.

13. VII. Ab omnibus etiam conceditur, Deum Peccatorum Voluntates & Actiones perfectè *gubernare*; *viz.* per Legem perfectam eis officia respectiva imperare, & eorum concupiscentias & actiones ad libitum frænare, & effectus & consequentia ad fines suos optimos disponere: Nihil enim fit in mundo contra *absolutam* aliquam *Volitionem* aut *decretum* Divinum.

14. VIII. Conceditur igitur Deum Bonum proferre ex occasione omnis mali; Gloriam scilicet suæ Omnipotentiæ, quæ etiam rebelles sibi subjugat; & *Sapientiæ*, quæ inter omnes peccatorum confusiones suum ordinem perfectissimum conservat; & Bonitatis & Amoris peccata ignoscentis, & etiam malis & inimicis benefacientis; Justitiæ item rectricis, veracitatis, fidelitatis, sanctitatis suæ hinc Gloriam ostendit: Peccati scilicet suppositâ *existentiâ*, consequentia hæc bona ab ordinatione Sapientiæ & Amoris Divini proveniunt.

15. Et quamvis lis magna hic oriri videatur, *Utrum peccatum sit Medium* boni *consequentis*? Et deinde An, quâ *Medium tale*, à Deo Volitum aut decretum sit? prior tamen est tantum lis de nomine, ni fallor: Peccatum esse *occasionem* boni Voliti ab omnibus conceditur: An autem *occasio* dicenda *sit Medium*, per termini hujus explicationem decidendum est: Si per [*Medium*] intelligitur aliquid veræ *Causalitatis*, ita peccatum non est boni *Medium*: sin verò tantum quid *Antecedens* sine *quo non*, si *Medium* illud dicas de nomine rectè exposito, non litigandi mihi animus est. At, ut res explicetur, fatendum est, Peccatum istum respectum habere ad Gloriam Divinam, quem *Rebellio* seu *proditio* ad *Regem* ignoscentem aut Morbus ad Medicum habet; si nullus fuisset morbus peritia Medici minus clarescceret:

At

At reverâ morbus, ne minimam habet *Causalitatem* ad medici Gloriam; sed malum est sine quo non adeo exercitio peritia ejus innotesceret: Et quo pejor & pernicioſior est morbus, eo major medicantis Gloria; Quod in vituperium, non in honorem morbi sonat. Privatio quidem est *Dispositio materiæ* ad formæ introductionem necessaria: At quâ *Privatio*, (seu formæ privativa absentia) nullam omnino causalitatem continet: Aliter pari ratione dici possit *Nullitatem mundi* ante creationem, esse Causam (aut Medium) creandi aut rerum creandarum: De reipsâ igitur inter omnes constat: De notione seu nomine Medii solum lis est: Et *Medii* quidem nomen strictè dictum significat illud quod positive & realiter aliquomodo ad effectum seu finem conducibile est, idque per aliqualem Causalitatem. At hoc sensu peccatum non est dicendum *Medium*: Sicut Mors non est Medium Resurrectionis; *Nox* non est *Medium* auroræ: Hyems non est Medium Veris aut Æstatis: Ignorantia non est medium literaturæ, aut gloriæ docentis; sed *occasio tantum*, aut *malum ademptum*. At si latius sumatur nomen *Medii*, pro aut aliquo, aut nihilo, interposito, aut termino à quo, postulandum est ab illis qui inepte loqui eligunt, ne suas ineptias in fidei articulos cudant, aut litigando Ecclesiæ pacem illis immolentur.

16. *Bonum* ex occasione peccati nullatenus est *Bonum Peccati*. *Bonum* quod *Deus ipse facit* contra peccatum, & ex occasione peccati, à Deo etiam Volitum est: Velle sanitatem post morbum, non est velle morbum: Velle Resurrectionem non est velle Mortem? Velle pauperibus pecunias elargiri, non est Velle eorum paupertatem: Et Velle peccatori ignoscere & eum justificare, sanctificare, salvare, non est Velle peccatum. Et qui vult peccatoris miseri Liberationem, & inde misericordiæ suæ gloriam, non ideo dicendus est, peccatum & miseriam velle, quò Gloriam suæ misericordiæ inde eliceret. Nihil enim est Volibile, nisi quod & Amabile est? Nihil aut Volibile aut Amabile est, præter *Bonum*: At Peccatum non ideo *Bonum* est quia Liberatio à peccato bonum est; Quo pejus enim est peccatum, eo melior est Liberatio.

17. Neque dicendum est Peccatum esse *Bonum* per *Accidens*: Liberatio enim à Peccato, non est *Accidens peccati*, sicut Annihilatio non est Accidens substantiæ: Et Gloria Divina à *Liberatione* gratuitâ oritur, & nullatenus à peccato, quamvis non sine peccato: Et si ipsi visum fuerat nos (sicut Angelos) à peccatis omnino præservasse, non minor fuisset Bonitatis Divinæ Gloria; Et siquis *Misericordiæ* nomen huic *Amori* haud aptè tribuendum judicet, non minor inde Numini Gloria obveniret, quia Amor ejus potius diceretur *Præservans à miseria*, quam à *miseria liberans*. Quoniam igitur peccatum non est Bonum per Accidens aut Medium aliquod causale aut proprie dictum ad Dei Gloriam, & nihil amabile in se continet præter Actum in genere naturæ, nihil igitur præter actum hunc, quâ actum, à Deo Volitum seu decretum continet.

18. Neque dicendum est (quod animum meum diutiùs sollicitavit) Deum Velle aut decrevisse Peccati *existentiam* quamvis non *Essentiam*; seu ut *Peccatum eveniat*, quamvis non peccatum eveniens; quia *bonum* est ut *malum eveniat seu fiat*. Peccati etenim *existentia* est *id ipsum* quod Deus non vult; *e.g.* Non vult Adamum edere fructum vetitum; At si *fructum illum edat*, *vult* Deus *hoc esse Peccatum*. Non vult Deus Achabum vineam Nabothi concupiscere; At si eam concupiscat, vult hoc peccatum esse. Essentiam igitur peccati magis vult Deus quam existentiam: Et si *existentiam* vellet non video quid à peccatore volitum est in peccato quod non prius & magis à Deo ipso volitum est. *Velle peccatum* (ut bene Estius post alios probavit) nil aliud est, quam *velle* ut *peccatum existat*. Et peccatum, *quâ peccatum*, vix ab *impio* aliquo, *quâ malum* autem, ultimatè à *nullo*, volitum est.

19. Et diligenter (ut jam dictum) notandum est, *Peccati existentiam* esse *præsuppositam*, quandocunque Deus bonum inde elicere dicitur: Et in esse *præcognito* ut *existens* spectatur, quando bonum inde elicere decretum est. Deus non vult *Peccatum existere* ut inde misericordiæ Gloriam eliceret; sed ex *peccati existentis* destructione & condonatione vult Gloriam hanc elicere. Idem etiam de peccati *Futuritione* dicendum est.

20. Ratio distinguendi *ipsum peccatum* à Deo *non volitum*, ab *Effectis peccati* quæ

bona & *volita* sunt, præcipua hæc est, Quia *Voluntas libera* est, & ut hoc vel illud *Vellemus* aut *Nollemus* in nostra potestate à Creatore positum est: Et peccatum est primariò solùm in ipsa Voluntate: Et utrum cum Ockamo dicamus illud in *sola Voluntate esse*, an cum Scotistis & aliis, in facultatibus etiam & actibus imperatis, *quâ Voluntariis*, haud multum differre aut ad rem referre videtur: *Esse* enim in *verbo* aut *facto* solùm, quâ *Voluntario*, & esse *solùm in voluntate*, rem eandem exprimere videntur: Subjectum *secundarium* peccati Actus Imperatos esse negari non potest: Volitionis igitur pravæ Deus Causa non dicendus est: Hæc nostri propria est: At *Effectus* subsequentes (quamvis eodem, quo ipsa *Volitio*, nomine appellati) non sunt in nostra potestate, nec sunt peccata, sed sæpe Boni ideoque à Deo Voliti & decreti.

21. In peccato igitur semper distinguenda sunt, 1. *Naturalia substrata* & præsuppositа: 2. *Actus specificatio Moralis* materialiter considerata, ut fundamentum relationis: 3. *Ipsa formalis Relatio* peccati.

I. *Naturalia* præsuppositа sunt opera Dei, *viz.* 1. Facultas peccans, quâ potentia & quâ libera: 2. Objectum: 3. Res impedientes & juvantes circumstantes: 4. Lex: 5. Diabolus & homines tentatores, quamvis non quâ tales: 6. Actus quâ Actus in genere, qui à Deo est primo movente, & Naturæ Authore.

II. *Specificatio moralis* in se materialiter considerata, est *Volitionis* & inde *Actionum aliarum* imperatarum *omissio* seu *privatio*; & *Volitionis* & aliarum actionum modo prohibito *commissio*. Per *Volitionem* volo & *Actum* & *Habitum*. Id quod præcipitur non est *Actus quâ Actus*; *Merè agere* enim est tantum *quid Naturale*; Neque agere per *modum rationis*; hoc enim homini etiam est Naturale: sed *hic & nunc intellectualiter voluntarie agere in hoc vel aliud objectum, in hunc finem, hoc modo*: Quæ omnia *Agendi modus moralis* dici possint, *e.g.* Ut *Deum, quâ Deum, summe amemus, & communionem cum ipso spiritualem summè cupiamus, & propter Deum amatum omnia quæ Dei sunt proportionaliter diligamus, & ad ipsum ut finem media præcepta eligamus, iisque opportune, diligenter & ritè utamur.* Ubi ad actus hosce præceptos potentia donatur (vel immediata vel mediata,) siquis eorum omittitur, in peccatum id juste imputatur. Actus item prohibiti sunt horum contrarii; quorum commissio peccatum est: Posse enim ita non-agere, homini datum fuit.

III. *Suppositâ* autem *Lege Divinâ*, & *posito hoc modo agendi prohibito*, vel modi præcepti *privativâ omissione:* Relatio formalis *Peccati* (nullâ aliâ interveniente causâ) indè immediate & necessario resultat. Deus igitur *Velle* dicendus est, 1. Naturalia præsuppositа, 2. Et ut *Peccati Relatio à fundamento suo posito resultaret.* 3. Non autem *aut omissionem imperatorum,* aut *modum prohibitum*, quæ Relationis fundamenta sunt.

22. Nisi Deo Maximo, Sapientissimo, Optimo placitum fuisset, inter opera sua naturalia, Creaturas *Intelligentes liberas* actuum suorum dominas condidisse, & *libertatem* hanc, sicut & *aliorum Necessitatem*, constanter conservare, ratio nulla reddenda foret, quin Deo æquè actiones *hominum*, quam *brutorum* & inanimatorum, & quin tam *malæ* quam *bonæ* imputandæ sint. *Ordine* autem agentium *liberorum* stabilito, hic totius moralitatis ratio fundata est.

23. Deus Actuum illorum (quâ actuum) quos hominum Voluntates suspendere possunt, non minùs est Causa, quando præstantur, quam eorum quæ necessariò aguntur per Causas merè naturales. Vis etenim omnis per quam agimus quando agimus, à Deo est, quamvis non agere tunc in nostra sit potestate. Sicut in actu exbalistandi nil agit arcubalistarius præter amotionem impedimenti; Et quamvis ante illius amotionem glans minime exploditur, quando tamen explodituر motus glandis fit solum ex *vi balistæ*, chalybis scilicet ad suum locum redeuntis, qui ante amotum impedimentum Movere quidem conatur, at motum non efficit. Ita etiam Deus author facultatum naturalium, eas conservat, & quantum ad Causam primam Naturæ attinet, eas suo influxu ad motum suscitat: At agenti libero potestatem concedit, suos actus quosdam (non omnes) suspendendi: Quandocunque autem aguntur ex vi Causæ primæ præmovente aguntur, quâ *actus* scilicet, & quâ *boni.*

24. Difficultatum quidem omnium circa controversias hasce hæc maxima videtur,

videtur; *Quomodo ſcilicet Voluntas humana ſuos actus aut ſuſpendere aut ſpecificare poteſt, niſi merè ſubordinate ad Cauſam primam?* 1. *Nihil enim eſt in rerum Naturâ quod à Cauſa primâ Naturæ fonte non provenit:* 2. *Et aliter Creatura foret in agendo independens:* 3. *Et in actuum moralium ſpecificatione, Cauſa prima dici poſſet; dum ultra vel præter prædeterminationem* Cauſæ primæ, *morale quid, peccando, agit.*

Quamvis hæc copioſiùs tractanda ſunt, quando de operationibus Divinis & humanis dicendum eſt; ne tamen fruſtra cætera hic dicta ſint, per paucorum prætermiſſionem, de hiſce ut *Volitis* ſeu *Decretis* hic quædam adhuc notanda judico.

25. Et primò quærendum eſt, *Quid ſit illud improbabile in quo difficultas fundatur?* Anne *Deum ſuum Actum prædeterminantem ſuſpendere? An hoc ſuſpenſo poſſe voluntatem creatam ſe determinare?* Non deſunt qui in priore difficultatem collocant, & Deum putant fore otioſum ſeu deficientem, ſi peccator aliquid ageret Deo non prædeterminante. Hic autem conſiderandum eſt, 1. Quod ab omnibus fere conceditur Deum plura facere potuiſſe, quam fecit. Quis dicere auſus eſt, Deum ne unam quidem arenulam, unum gramen, aut folium, imò unam ſtellam, facere poſſe, quæ facta non eſt? (his ſolis exceptis qui Mundum putant eſſe Infinitum, & quaſi Corpus Dei Infinitæ Animæ) ſin autem in Numinis Omnipotentis dedecus non cedat, quod plures mundos, Soles, Stellas, Tellures, non facit, cum facere poſſit, quare in vituperium ejus vertatur quod actum, *e. g.* homicidii, mendacii, perjurii prædeterminando non facit? Anne major otioſitas eſſe videtur in non prædeterminando voluntatem Sceleſti ad Scelus, quam in non faciendo plures mundos, aut Angelos aut Homines?

26. 2. Diligenter etiam notandum eſt, Deum, actum ſuum ſuſpendendo, ſolum effectum ſuſpendere; non autem actum aliquem merè immanentem, qui eſt ipſe Deus. Utrum enim Deus ad extra agat, an non agat, nulla in ipſo mutatio invenitur: Quando Mundum creavit, id factum eſt quod antea non factum fuit; At ex parte Agentis ad intra nullus Actus de novo fuit in Deo, neque mutatio ulla: Et ſi omnia annihilarentur, effectus ceſſarent, nihil autem Dei ipſius ad intra ceſſaret. Non magis agit Deus ad intra quando hominem ſanctificat, imò cum motorum totam fabricam præmovet, quam egit ante naturæ exiſtentiam: Et ſuſpenſio omnium Effectuum, nullam in Deo ſuſpenſionem aut alterationem probaret.

27. 2. De altero autem difficultatis membro, primò quærendum eſt, An contradictionem implicet, *Deum facere Creaturam quæ ſuiipſius Voluntatem in modo morali determinare poſſet, à cauſa ſuperiore non prædeterminatam?* Si enim contradictionem non implicet, proculdubio talem Deus facere poteſt. At omnes prædictæ objectiones huc tendunt, ut contradictionem hic aliquam probarent (aliter fruſtra eſſent.) Ad haſce igitur jam reſpondendum eſt.

28. 1. Et ad primam conceditur Nihil eſſe *ſubſtantiale* in rerum Natura quod non eſt à Deo Naturæ Authore: Et nihil niſi à Deo eſſe *Modale* aut *Accidens*, quod *bonum* eſt: Et nihil *Modale malum*, niſi quod fit per *Potentiam* per Deum ipſum fabricatam, & conſervatam. At nullum per potentiam hanc liberam ſuſtentatam Actum agi, quem Deus ipſe non prædeterminando agit, negatur: Neque contradictionem implicare oſtendi poteſt, Deum poſſe Voluntatem creare quæ ſeipſam determinare poteſt, ſine prædeterminatione Divina.

29. 2. Ad ſecundam Reſpondetur, Voluntatem in agendo non eſſe *Independentem*, cum tota ejus Potentia *liberè-Volendi* totaliter à Deo pendet: Nil agit peccator niſi quod agere poſſe à Deo ipſi datum eſt.

30. 3. Ad tertiam etiam, *Voluntas Cauſa ſimpliciter prima* non eſt cum agat per Potentiam à Deo datam & dependentem: Neque aut *ſubſtantiam* aut *quid materiale* cauſat, ſed tantum Entis modos, imò tantum *modi Entis modum*, ut alibi plene probatum dedi. *Non-agere* nihil reale eſt: Et *agere* eſt tantum *Agentis modus:* Et in *hoc objectum comparatè* agere *potius quàm in aliud*, non eſt *aliud Ens*, ſed *modi modus:* (ſi non etiam *modi* hujus nomen quid nimis magnum ſonat.)

Tantilli scilicet sunt Actus humani, ut vix eis nomen adaptare possumus, quod *aliquid*, & tamen *non nimium significat*, e. g. *Deum amare* est *Modus Entis*, id est, *actus: Creaturam amare* est *actus:* At *Creaturam amare Deo non amato*, non plus habet Entitatis quam Deum & Creaturam modo debito amare: *Opes fervidè amare*, & *Deum tepidè*, *favorem humanum præ Divino* eligere, *falsum* dicere *potiùs quàm verum*, nihilo plus habent Entitatis quàm sua contraria: Neque aliam habent Entitatem substantialem, activam aut subjectivam, sed tantum *ordinalem*. Tota quippe *Moralitas* immediatè in ORDINE posita est, (cogitationum scilicet, Volitionum, affectuum, actionum imperatarum.) ORDO autem non est RES propriè dicta, sed RERUM ORDO; & ORDINARE non est Rem aliquam *facere*, sed *Res Ordinare:* Imò ORDO MORALIS est tantum (immediatè) *Modorum Ordo*; *Actus* enim sunt Agentis *Modi*. Quandoquidem igitur Deus *agendi Potentiam* & donat & conservat, & ad actum necessario influxu, ut Causa prima Naturæ, præmovet; & Peccatum nil aliud est, quam mala actuum ORDINATIO aut omittendo aut inordinatè agendo, non est inconveniens, Peccatorem dici *Causam primam dependentem*, *secundum quid*, *istius de-ordinationis*, dum *rei nullius* est *Causa prima*, nedum *independens* aut *simpliciter* sic dicta. Neque contradictionem implicat, aut *Deum posse talem* donare Creaturæ *Potentiam*; aut hominem *id agere*, quod *agere potest*, Creatore Potentiam ita agendi sustentante.

31. Quamvis autem aliud *auxilium* seu *Gratia* Divina ad *bona opera* opus est, (ideoque & de hisce Divina *Volitio* seu *Decretum*,) non inde tamen colligendum est, hominem suos actus bene ordinare, sine prædeterminatione præmoventis, naturaliter impossibile esse & contradictionem implicare: Sed potius Voluntatem peccato depravatam ad inordinate agendum, & ad objecta prohibita jam propensam esse, & ab objectis verè optimis per cæcitatem, deceptionem & inimicitiam quandam, aversam; Ideoque gratiâ indigere medicinali, (ut à Jansenio non malè explicatur.)

32. Crasse autem sibi-ipsis contradicunt, qui asserunt Deum *absolutum omne* quod in peccato invenitur (quod *Materiale* vocant) & *Velle* & *Efficere*, non aut *Relativum*, (quod *Formale* dicitur.) Posito enim fundamento, scilicet omni *absoluto*, Relatio inde resultantiâ inevitabili oritur: Et quicunque *fundamenti Causa est*, necessario etiam Relationis Causa est; neque aliter effici Relatio potest. Quod verum est de *Omni relatione*, & in genere Naturæ, & moris: Positâ scilicet *Lege Divinâ*, & posito *Actu prohibito humano*, e. g. *Deum odisse*, hinc primo resultat *Inordinatio* actûs in genere merè *Essendi*, (sicut Curvitas in Lineâ Curvâ;) Et in instante secundo inde oritur *Relatio peccati* quatenus hæc Inordinatio est in subdito contra Legem imperantis.

33. Nec bene à quibusdam dicitur, Deum quidem *peccatum facere*, *absolutum* seu *Materiale* (post Legem) faciendo, non autem *id Velle*; *quia aliud volendo peccatum facit*; Quasi Deus id faceret quod *non vult facere*, aut *fieri*, aut *esse*! An Deus aliquid *Vult*, quod non efficit? à quibusdam quæritur; At an aliquid facit quod non vult? à nemine quod sciam, disputatur.

34. Neque melius dicitur, *Deum Velle quidem peccatum*, *sed non quà peccatum*, *sed ut Medium ad bonum aliquem finem:* Ad hæc quippe antea responsum est, 1. Neque *peccatorem* plerumque Peccatum velle, *quà peccatum:* 2. Peccatum non esse *Medium Volibile.*

Rom. 8. 28. 35. Obj. *Quodcunque in bonum cooperatur est Medium*, &, *quà tale*, *amabile: Peccatum Deum-amantibus in bonum cooperatur: Nam omnia eis cooperantur in bonum.*

Resp. 1. Per [*Omnia*] intelligendum esse *Omnes afflictiones cum omnibus providentiæ Divinæ operibus:* Quorum *Peccatum nullum* est. 1. Peccatum enim inter cooperantia, in textu non memoratur, sed tantum afflictiones: 2. Peccatum expressè in textu excluditur, cum dicitur [*Diligentibus Deum:*] Ergo *non diligere Deum* inter [*Omnia*] hic non continetur; Ergo nec [*minùs quàm antehac Deum diligere*] Neque [*Peccata quæ ex dilectionis defectu proveniunt.*] 3. *Quid est Bonum illud* in quod *Omnia cooperatura sunt?* Nonne *Amoris*, *Sanctitatis*, actûs & habitûs *confirmatio* & *incrementum?* Non aliter in bonum nostrum aliquid cedere potest,

potest, nisi nos bonos aut meliores faciendo: Etiam Glorificari & perfici non possumus nisi per Sanctitatem. At Sanctitatis diminutio non cooperatur ad Sanctitatis incrementum: Experientiâ autem nimis lugubri plurimorum edocti sumus, Deum diligentes posse à gradu quodam Divini Amoris excidere, & ad tepiditatem & socordiam & peccata plurima etiam ad finem usque declinare: (Ut de antiquorum doctrina de totali amissione gratiæ nihil dicam:) Qui autem minorem Dei amorem habet, pejor factus est, & Gloriam minorem habiturus est. 4 Aliter Dei Promissio hæc contra minarum ejus usum plane pugnaret: Si Deus per totam S. Scripturam comminationes spargeret quibus homines à peccando frænaret, hic autem Justificatis omnibus promitteret, quantumcunque peccarent, sua peccata omnia in bonum ipsis cooperatura, non bene hæc convenirent. 5. Et imperfectis nimium fortis temptatio hæc fieret ad peccandum; si à Deo promissum foret omnia peccata in bonum cooperatura: Imò fortasse major hæc foret temptatio, quam ulla quæ à Diabolis provenire potest: Si Deus ipse scilicet, *Sapientissimus, Optimus, Justissimus, Veracissimus*, hoc promittendo nos ad peccandum induceret: Imò & ratio illa communis ab *Amore nostri ipsorum* desumpta, quâ ab omni malo ad omne bonum per Deum jugiter suademur, in contrarium perverteretur, si per illam Deus peccatum nobis quasi commendaret: Et qui per sacras literas dicit, q. [si teipsum & tui bonum diligis, peccatum devitato] is dicere fingitur q. [*si teipsum & tui bonum diligis, peccato.*] 6. Et in *Gloriam peccati* hoc nimium cederet, si Deus peccaturis tantum bonum promitteret. 7. Et Officio Christi hoc contrariari videretur cum in mundum is venit, ut opera Diaboli destrueret. 8. Imò & Spiritus Sancti operi sanctificanti contravenire. 9. Peccatori etiam judicato in *excusationem* cederet, si verè dicere posset sibi à Deo promissum fore, ut omnia sua peccata in bonum cooperarentur. 10. Et tandem Numine Sanctissimo & Rectore Sapientissimo hoc indignum foret, & idem fere quod à calumniatoribus ipsi (contra Electionem suam disputantibus) impingitur; si in tantum peccaturis animum daret, & frænum amoveret, ex omnibus suis peccatis ipsis commodum promittendo.

36. Neque melius à nonnullis dicitur, [*Peccatum esse tantùm malum nostrum, non malum Dei; ideoque non per Deum nolendum, sed per nosmetipsos.*

Resp. 1. Consideratur Deus erga peccatorem, 1. Ut *Proprietarius*, 2. Ut *Rector*, 3. Ut *Benefactor*, 4. Ut *Finis*.

1. Peccatum Deum-*proprietarium* quidem *lædere* non potest, at per illud Deo fit *injuria*, cum *sua* contra usum ejus præceptum perverturtur; Et quamvis inde non *damno reali* Deus afficitur, hoc non stat per peccatoris Voluntatem, sed impotentiam; ideoque quod *voluit* ipsi imputandum est. Contra Dominum *suis abuti*, injuria est, quamvis noxam & damnum is ipse amoliatur.

2. Quoad Deum *Rectorem* peccatum est *Legis* ipsius *Violatio*; & Inordinatio per subditos devitanda: Et ita fit contra *jus Imperii Divini*.

3. Et contra *Benefactorem* Peccare est *ingratitudo*, & contra Beneficiorum obligationem.

4 Et contra *Deum finem*, (optimum, amabilissimum, ideoque summe amandum,) peccatum est, desertio, alienatio & inimicitia.

Cum dicitur igitur, [*Peccatum non est malum Dei*] aut *subjectivè* aut *objectivè*, aut *realiter* aut *reputativè* intelligendum est: Non quidem *malum Dei subjectivum* est; id est, Deus non *ideo malus est*, quia peccat Creatura: At *objectivè* fit contra Deum. Deum neque *damno reali* neque *noxâ* afficit; At *injuriâ* tamen: Et quia non stat per peccatorem quo minus Deus Gloriæ suæ damnum ferret, tale damnum quasi illatum ipsi justè imputatur. Et cum peccatum fit contra Dei *Jus Dominii*, *Jus Imperii*, & *Jus Amicitiæ*, rectè *contra Deum* fieri dictum est, & inde objectum ejus *displicentiæ* & *Nolitionis*.

37. 2. Respondetur etiam, Deum *Creaturæ* etiam *Bonum Velle*, & *Malum* ejus *Nolle*: Non *omne* quidem; quia Bonum est ad Reipublicæ, & mundi commodum & salutem, & ad Justitiæ & Sapientiæ Rectricis Gloriam, ut *Malum pœnæ* latum fit. At *mali prohibiti* alia est ratio. A Deo quidem non semper *absolute noli-*

tum

tum est; id est, Non id insuperabiliter impedire decrevit: Ut *Rector* tamen Sanctissimus, Sapientissimus, Justissimus, hominibus istud prohibuit, sub pœna infernali: Quando autem Legem sanctissimam, actionum humanarum regulam, instituit, quâ peccatum ita prohibitum est, Non vult Deus id *efficere* in nobis aut per nosmet, quod prohibendo & minando se *odisse* testatur: Neque decretis suis ita Legibus suis contravenire, quasi opera ejus inter se pugnarent: Si voluit Deus peccatum, quorsum id sub pœnis severis nobis prohibuit? Quamvis non *rei eventus*, sed tantum *nostrum debitum*, seu *obligatio* ad officium directè ex Lege oriatur; eâ tamen Mens Divina in tantum nobis patefit, *viz.* Quod juxta Legem suam ordinariò saltem homines judicabit. Non autem eos condemnabit ob id quod ipse voluit & effecit.

38. *Resp.* 3. Peccatum quidem *malum Dei* non est, quia *in Deo* non invenitur: At Deum fingere peccati authorem aut amatorem est *fingere Deum malum*, id est, *Non Deum:* Mentiri scilicet non est *Dei malum*; Deum enim *mentiri* impossibile est: At si *mendax* fingeretur Deus, aut *malus*, aut *nullus*, fingeretur. Opera Divina sunt ejus perfectionis quasi vestigia: Quia *Omnipotens* est & *Maximus*, Magna facit: Quia *Sapientissimus* est, omnia perfectè & harmonice *ordinat:* Quia *Optimus* est, bene facit, & nobis Amabilissimus est: sin autem fingeretur Deum parva & vilia tantum fecisse; & quæ Dei hominisque naturæ contrariantur (Deum scilicet odio habere, nosmet aliosque malitiose lædere, &c.) præcepisse, & non bonum sed malum creaturæ immerenti intulisse, & seipsum ut mundi inimicum gessisse, & odibilem exhibuisse, nonne ita Deus malus, id est, non Deus fingeretur?

39. Obj. *At Deus non est sub Lege; ideoque peccare non potest, etiamsi peccati humani sit Causa.*

Resp. Non quæritur *An Deus sit peccator?* sed *An peccati hominum* Causa sit? Qui non habet superiorem, superioris Legem violare non potest: At Lex ejus est *Voluntatis & Naturæ suæ Sanctissimæ* indicium. Et Naturæ Divinæ perfectio est ipsi quasi Lex, & Legibus omnibus major & superior; & Perfectissimus imperfectè, Sapientissimus inordinatè, & Optimus malè, agere non potest.

40. Obj. *Quicquid à Deo præscitum est, etiam Volitum seu Decretum est: At peccatum à Deo præscitum est: Ergo,* &c. *Major probatur; Deus præscit peccatum futurum aut se Volente, aut se Nolente, aut se non Curante & neutro: si se Nolente, superatur Deus, quandocunque peccatur: si se neutro & non curante, otiosus fingitur spectator:* Ergo, *se Volente.*

Resp. Peccatum in tantum à Deo aut præscitur aut scitur in quantum scibile est, & id scire ad Intellectus perfectionem pertinet: Essentialis Dei Voluntas [*Nolitio*] aut [*Nolle*] dicitur ab objecto: Ratio autem nolitionis objectiva denominanda est, 1. Vel quia peccatum à Deo efficaciter impeditum est; 2. Vel quia *in tantum impeditur*, per gratiam scilicet necessariam vel sufficientem, non autem *efficaciter:* 3. Vel quia peccatum per Deum *non efficitur.*

1. In sensu primo verè dicitur Deus *Nolle* ea sola peccata quæ *non fiunt*; 2. In sensu secundo & tertio peccata *Nolle* dicitur *quæ fiunt*; Non *Absolutè* scilicet, sed *in tantum.* At neque quæ fiunt, neque quæ non fiunt, *Velle* dicendus est: Unde enim hoc diceretur? 1. Non quia peccatum *efficit*, ut adversarii fatentur; 2. Non quia peccatum impedit Gratiâ tantum quoad eventum inefficaci, & non quantum potuit: Quis enim id omne nos *Velle* diceret, quod viribus non totis oppugnamus? *Resistentia* etiam *inefficax Nolitionem* quandam significat; at *Volitionem nullam.* 3. Non quia id *permittit*; *moraliter* enim non Permittit peccatum, sed prohibet: Et Permissio ejus nil aliud est, quàm non efficaciter *impedire* de quo jam dictum est. Dicendum est igitur Deum peccatum *præscire* ut futurum, se *minime volente*, neque *absolute nolente*, sed *prohibente* & *mediis modisque pluribus impediente*, non autem *efficaciter*, & quoad eventum *Permittente.*

41. Nimis autem prophanâ audaciâ dicitur Deum *otiosum spectatorem* esse, nisi peccatum absolutè aut velit, aut nolit: Anne otiosus dicendus est ante mundi Creationem? Mundum tamen prius extitisse quam extitit, neque voluit, neque noluit,

noluit, sed tantum non voluit. Idem dicendum est de non existentia possibilium omnium non futurorum. Bene Lombardus & post eum non pauci probarunt, Deum peccatum neque velle, neque absolute nolle, sed nolle in tantum, & quoad cætera *non velle* tantum, non *otiosus*, sed rerum Sapientissimus Gubernator, qui Legibus & Judiciis suis peccatum impugnavit.

42. Et prætereundum non est, hanc objectionem Deum fingere, non tantum peccati *Materiale Volentem*, sed & *Formale:* De hoc enim æque dici potuit Deum id *Prævidere* aut *Volens*, aut *Nolens*, aut tantum *Non-volens*, (seu ut pessime dicunt, *Otiosus*.) At ipsi opponentes vix palam adhuc dicere ausi sunt, Deum *formale peccati* absolute Velle.

43. Obj. *Quod à Deo fit, à Deo Volitum seu Decretum est: At peccatum à Deo fit: Voluntatem quippe facit peccantem, Legem facit prohibentem, objectum facit alliciens, & actum facit prohibitum, unde peccati relatio formalis per nudam & necessariam resultantiam oritur.*

Resp. Minor non probatur; A Deo non fit peccati actus quoad *modum* prohibitum. *Agere*, *Intelligere*, *Velle* non prohibentur: Hæc igitur à Deo esse rectè dicitur: At *hoc prohibitum* Velle potius quam *contrarium præceptum*; & *modo hoc* seu *tempore prohibito* agere, & actum præceptum omittere, hæc non sunt Deo Sanctissimo imputanda. Formale autem peccati non ex Actu, quâ tali, sed quâ ex modo prohibito malè moraliter specificato, oritur.

44. Obj. *Si actus peccati à Deo non sunt Voliti nil ferè quod à nobis fit à Deo Volitum est: Quid enim agimus quod non aliquatenus peccatum est?*

Resp. Quamvis in omni ferè actu aliquatenus peccamus, totum tamen actûs non est peccatum: Actus, quâ talis, non est peccatum, qui à Deo fieri non negatur: In eodem Actu quod bonum est à Deo est; Quod malum est, modus scilicet prohibitus, à nobis est, *e.g.* Concionari, precari, legere, à Deo sunt; *frigide* autem hæc agere, aut confusè, aut irreverenter, à Deo non sunt.

45. Obj. *Actus nonnulli non in modo tantum sed in se, à Deo prohibiti sunt: Ergo si hos actus Deus Efficit & Vult, etiam peccatum eum Efficere & Velle necessario sequitur.*

Resp. *Actus nullus*, quâ talis, à Deo prohibitus est, sed tantum quoad circumstantias seu modos eum moraliter malè specificantes.

Inst. *Mentiri est actus in se prohibitus.*

Resp. In Mendacio continentur, 1. *Intelligenter Velle*, & *loqui*; quæ non prohibentur: 2. *Hoc falsum dicere* potius quam aut verum aut nihil (idemque *Velle dicere*;) Hoc autem prohibitum est, at à Deo non est.

Inst. *Deum odio habere est actus in se prohibitus.*

Resp. Odisse in genere non prohibetur: *Deum* autem *odisse*, seu objectum aliud indebitum, à Deo non est.

46. PERMISSIO nomen est ab authoribus non unico sensu usurpatum. A Scholasticorum non paucis sumitur pro *actu Divino præmovente* unâ cum actûs alterius (impeditivi scilicet) *omissione*; & ita ipsis, Dei-PERMITTERE est ejus AGERE cum NON-IMPEDIRE; hoc est, *Agere* peccati *actum*, quâ actum, & *non-impedire* ipsum peccatum, id est, *Fundamentum* cum relatione. Et in sensu hoc complexo dicendum est, in *Permissione Divina* esse aliquid, scilicet *Actus* ejus, à *Deo volitus*. At sensus simplex est usitatior, & captui hominum per usum magis obvius; quo scilicet *Permittere* nil aliud significat, quam NON-IMPEDIRE: Et reverâ terminus ad disputationem haud aptatus est, qui & *Actum* & *Actus omissionem* simul significat. Dum quæritur enim An *Deus peccatum Permittere decrevit*, per termini ambiguitatem seu complexionem aut quid quæritur nescitur, aut duo simul quæruntur; scilicet, 1. *An Deus Actum peccati agere decrevit?* 2. An peccatum *non-impedire* decrevit? Lectorem igitur monitum volo, me *permissionem* hoc discursu, pro *Non-impeditione* simpliciter sumere.

47. *Permittere* seu *non-impedire* dicitur aliquis, 1. *Legaliter* ut *Rector*; quando *volens* & *positivè* rem in subditorum potestate ponit. Ita Deus peccatum non permittit: Quin prohibet & pluribus modis in tantum impedit. 2. *Moraliter*, quando

quando per circumstantia media moralia aliquid non impedit. Ita etiam Deus peccata non permittit, sed doctrinâ, exemplis, beneficiis, castigationibus, &c. in tantum impedit. 3. *Physicè*; quando *vim* non opponit. *Vis* autem opposita, aut *prævalet* contra colluctantem, aut non prævalet. Deus peccatum ideo *Permittere* dicitur, quia peccatori *Vim prævalentem* non opponit. (De quibus plura suo loco.)

48. Quæritur autem *An permissionem hanc Deus Velle aut decrevisse* dicendus est?

Resp. 1. Notandum est (quod sæpe de talibus prius monitum est) hanc controversiam non esse de *Re*, sed de *Nomine*. In *Deo ipso* quippe Nihil est controversum: Et in *Objecto* nihil controversum esse supponitur: De *non-impedire* enim loquimur, quod *Nihil* esse conceditur.

2. Cum *Non-impedire Nihil* sit, neque Causâ neque *Decreto* seu Volitione eget: Et contra fingentes Decreta de meris nullitatibus jam priùs sat dictum est. Quamvis igitur tum Scholasticorum plurimi, tum ipse Arminius, Decretum de peccato permittendo concedunt, (quod non est de *peccato permisso*, sed de *ipsa permissione*,) aut hoc sine causa & inconsideratè faciunt, aut (quod vero similius est) de *permissione* loquuntur ut *Actum præmoventem* includente. 3. De actibus autem omnibus positivis qui sub nomine *Permissionis* quandoque significantur, jam ostensum est congrue dicendum esse, eos à Deo decretos esse, *viz. Permittere* activè per *Legem*, aut *judicialiter*, aut moraliter aut physicè *impedimenta removendo.*

49. Sæpe dicunt quidam magni nominis Theologi, ipsum *Peccatum permissum* esse *Medium* ad Gloriam Divinam; sæpe autem, *non-peccatum*, sed *peccati permissionem Volitam esse:* Quibus se confusione implicitos ostendunt. Quod *Medium* est ad Gloriam Divinam, *quà Medium*, Volitum est. Et Gloriam quidem Misericordiæ & Justitiæ Divinæ hi describunt, ut ex ipsorum peccatorum reatu & miseria oriundam, & non solum ex *non-impeditione* Divinâ. At si peccatum tale Medium est, aut à Deo aut homine eligendum est: Non ab homine, quia prohibitum est: Nec à Deo ut jam probatur quia Sanctissimus est.

50. Plurima quidem Dei dona fiunt peccandi occasiones, illecebræ, & materia: Ut peccatum autem per illa fiat, à Deo non Volitum est: Et dicitur per Apostolum, Jac. 1. 13, 14. Deum neminem tentare, id est, ut peccet allicere: Donorum ejus abusus præviši quidem sunt, at non decreti. Tenendum enim est quod Fulgentius ad Monim. l. 1. c. 29. dicit esse Augustini doctrinam, scilicet, Sine Prædestinatione Præscientiam Dei esse posse; non autem Prædestinationem sine Scientia. Et ita de Volitione.

Pauca de Scientia Media, cæterisque Scholasticorum modis Providentiam Dei circa peccatum explicandi.

1. JAmdiu per multa secula humanum ingenium maximopere sudavit, Deum Sanctissimum, sine Providentiæ suæ læsione, à peccatorum omnium imputatâ Causatione & Volitione, vindicando. In quo molimine non uno tramite Doctores incedunt. Et, ni fallor, primò hic peccatur, per injuriosam istam suppositionem, Ad Justitiam & Sanctitatem Divinam vindicandum (non dico contra hæreticos & blasphemos, sed contra sobrios quoscunque) subtilitate tantâ, tantisq; conatibus nobis opus esse: Deinde quod actu Doctores se subtilitatibus hisce inanibus fatigârunt, dum ad opus hoc paragendum viam regiam rectissimam, planissimam, brevissimam declinârunt. Peccatur hic denique quod commentis ingeniorum suorum indulgentes audacter nimis, plurima incerta, humana, non necessaria, (si non falsa) de Deo effutiverunt, & per verborum inanium nubeculas Solem obfuscarunt; & in quisquiliarum suarum & paleæ acervo veritatem necessariam quasi sepultam à seipsis & aliis abscondêrunt. 2. Moli-

2. Moliminis hujus viæ diversæ notæ sunt, I. De peccatorum Causatione & Volitione, II. De eorum Præscientia.

I. De peccatorum Causis in partes duas scinduntur Doctores Scholastici: In classe prima illi locantur qui Voluntatis se determinantis Libertatem defendentes, in Voluntatem libere se determinantem peccati causam ultimò resolvunt. In secunda classe isti ponuntur, qui Libertatem illam solùm nomine tenus agnoscentes, peccati causam in Dei Voluntatem & Effectionem resolvunt.

3. I. Ad classem priorem pertinent, 1. Durandus, Aureolus, Lud. à Dola, *&c.* qui, præter sustentationem Causarum secundarum cum suis omnibus proprietatibus, & omnium circumstantium, objectorum, *&c.* non opus esse ad peccati existentiam, influxu alio immediatè præmovente ad actum, asserunt.

4. 2. Bellarminus cum multis aliis, qui, præter Causarum secundarum sustentationem, *Influxum Universalem* ad peccati existentiam necessarium superaddunt: Qualis est solis ad sterquilinii fætorem, & equisonis ad equi claudicationem.

5. 3. Scotistæ cum Nominalibus, qui, præter *Causalitatem Universalem*, *immediatum particularem concursum* superaddunt, sed *partialem* & quoad effectum *determinabilem* per liberam Voluntatem, non autem *totalem* & ex natura sua *determinantem*.

6. 4. Molinistæ qui superaddunt concursui indifferenti seu determinabili circumstantiarum dispositionem, unde Voluntas certissimè, quamvis non necessariò peccabit.

7. Hi omnes idem sentire reverà mihi videntur: Et 1. A nemine negatur, Deum-Naturæ-Causam-primam Causas secundas, seu rerum Naturam à se creatam continuò sustentare, cum omnibus suis Naturalibus facultatibus & proprietatibus: Neque negari potest Naturas Activas, *viz*, Intellectuales, Sensitivas, Igneas, aut ex proprietatibus, aut ex ipsis eorum formis seu virtutibus essentialibus, non minus ad actionem esse dispositas, quam inanimata passiva ad quietem: Dum Virtutes hæ formales igitur sustentantur, Potentia, Vis, & Inclinatio ad agendum, & quasi Conatus continuus sustentantur: Et *Influxu Divino* quidem sustentantur. Deus igitur, juxta Durandum, Causas secundas activas influxu suo continuo ad agendum præmovet; Sed secundum rei uniuscujusque Naturam, & Causarum ordinem & Compagem ab ipso creatam & stabilitam, (nisi quando miraculosè agere ipsi visum est.) Quâ ratione autem Influxum alium in *ipsum actum* quidam fingunt, præter eum qui operatur in *facultatem ipsam activam*, equidem me nunquam capere potuisse agnosco. Actus enim non est substantia aut res aliquâ influxûs motivi immediate Capax: Omne *movere* est *mobile quid movere*; & sicut non sanè dicimus [*moveo motum*] sed [*mobile ad motum*;] ita neque dicimus [*moveo actum*] sed [*moveo ad agendum.*] Quid enim est *Actus* præter *modum Agentis*? *Res movens* aliter se habet quam *res non movens*; Non autem aut *magis* aut *major res est*. Intellectum meum omnino fugit, Actio Causæ superioris in Actionem inferioris immediatè operantis, non autem in *facultatem* seu *virtutem activam*, & in objecta & concausas extrinsecas. Neque majus aliquid Numini adscribunt, qui dicunt Deum actum nostrum immediatè Causare quam qui dicunt eum causare per *Causas secundas*, & in facultates nostras activas, ut sese agant, operando. Causalitas quippe Divina non minor est quia Causis utitur secundis: Imò *ex effectu* potius *Major* diceretur, quæ totam Causarum machinam agit, quàm quæ, machinâ & omni substantiâ intactâ, *actum solum* causat: Et ubicunque est *Actio*, ibi est *substantiæ* seu *rei* alicujus actio: Et ubi Causa secunda *agit*, ibi Causa illa à superiore *agitur*: Et si *agitur*, influxum recipit agentis, *e. g.* quando [*Velle*] aliquod causatur, hoc *Velle* aut est Actus Voluntatis, aut nihil intelligibile. Si Voluntatis actus est, Voluntas *agit*: Et si *agit*, primò *patitur* aut *à se* aut *ab alio*. Si à *seipsa*, aut per *hunc eundem* actum agitur, aut per *alium*: Non per hunc; Actus enim non est prior facultate, neque agit Voluntatem, sed Voluntas agit actum: Non per alium; Ita enim quæstio procederet in infinitum. Ab alio igitur quando agit, prius passa fuit, scilicet à Deo: Deus igitur actum Voluntatis causat in ipsam Voluntatem operando. Et ubi *Activa Potentia, Vis & Inclinatio* influxu Divino conservantur, ibi facultas non solum *agere potest*, sed agendi continuum habet conatum.

8. Si Influxu Divino in totam Naturæ machinam, & in facultates activas, cum omnibus circumstantibus & Concausis continuatis, impossible est actum aliquem (aut naturalem aut liberum) fieri, sine influxu alio immediato in ipsum actum; (vel saltem in facultatem præter naturalem illum influxum Dei, quatenus naturæ stabilitæ prima Causa (quamvis libera) est,) Tunc influxus hic necessarius secundus superadditus, aut *causis naturalibus* per *Decretum Divinum*, idque *omnibus notum*, conjungitur, aut non. Si prius dicatur, aut ad facultatis naturalis naturam hic influxus superadditus operatur, aut non. Si Causis secundis in viribus motivis conservatis conjungitur, & ad earum naturas accommodatus operatur, eodem res recidit; & actus-effectus ab inclinatione naturali æque pendens, æque naturalis erit: Tantum de nomine lis manere videtur.

Sin autem Influxus hic, in ipsum actum naturali superadditus, priori non conjungitur, & juxta Causas naturales notissime operatur, quomodo ex Causis secundis effectum expectaremus? Si impossibile est ignem urere, gravia descendere, membrum vulneratum dolere, sine influxu Dei secundo in ipsum actum, nobis omninò incerto; quare incendium timerem ex igne & materiâ combustibili? quare domi ruinam timerem, si fundamenta subverterem, aut fulcra eriperem? quare meipsum aut alium jugulans aut dolorem aut mortem expectarem? Cum nobis ignotum sit an Deus in actum influere velit, sine quo impossibile est Causas naturales in suis viribus activis à Deo conservatas, aliquid agere? Si ex turris summitate me præcipitarem, quare mortem timerem, cum decidere non possum sine ignoto hoc influxu?

9. Influxus hic in actum à priore in Causas secundas distinguitur, aut ab aliquo in ipso Deo, aut in effectis: Non ab aliquo in Deo, ut sæpe jam dictum est, quia est essentia simplicissima: Si ab *effectis*, aut ab *ipsis rebus effectis*, aut ab *ordine efficiendi*: Non à *rebus ipsis*; utrinque enim (quicquid falso in Durandistas impingatur) æque agnoscitur *Actus omnes*, *quâ actus*, esse à Deo ut à Causa prima: Non solum facultates, sed facultatum *actus omnes*, sunt à Deo primâ, ut entitatis ita & motûs omnis, Causâ. Restat igitur solum *ordinem Causandi* esse controversum; scilicet, utrum Deus actum, *e. g.* lucendi, movendi, intelligendi, volendi, causet agendo in facultatem lucentem, moventem, intelligentem, volentem? an immediatè causando ipsum actum?

10. Quod *Potest* Omnipotens actum causare per influxum in *Potentiam activam*, & Causas alias secundas, à sano nemine dubitari potest: Et si *potest*, quando probatum erit eum hoc non agere? Et quare per plura fieri id fingitur, quod fieri potest per pauciora? Utrum verò Influxus actum ipsum immediatè causans, (scilicet, motum substantiæ, ipsâ substantiâ non motâ) non sit *Contradictio*, à Sapientibus dubitari potest.

11. Ad actum, quâ actum *Causæ liberæ*, scilicet *Voluntatis*, nec *majorem* nec *alium* ullum Influxum motivum necessarium esse, quàm ad actum Causæ Naturalis, ab omnibus, ni fallor, sine Controversia conceditur.

12. II. Quod autem hic Influxus Dei, ut *fontis Naturæ*, est & *Universalis*, & ad Effectus Naturales etiam *Particularis & Specificus*, ab omnibus conceditur. At quod ad *peccatum* est *tantum Universalis* (Causans actum, quâ actum) & *naturaliter specificans* (*e. g.* Causans Volitionem, quâ Volitionem) non autem *Moraliter specificans* (*e.g.* Causans Volitionem perjurii, quâ perjurii) certissimum est: Et in hoc reverâ Bellarmino cum Durando convenit, quamvis ad odium devitandum Durandismi infamiam plerique amoliuntur.

13. III. Et de Scoti & Greg. Armin. aliorumque Nominalium *Causæ Partialis* notione, inter Libertatis defensores de Nomine tantum lis esse videtur: Omnes enim fatentur Voluntatem peccantis aliquid agere quoad specificationem moralem, quod Deus non agit: Et non totum peccati esse à Deo ut Causâ primâ: Ideoque ex *Effectu* negant Deum esse peccati seu actûs mali *Causam totalem*. At de *nomine* justè dubitatur, an Deus *Causa partialis* sit dicendus? At quamvis nominis inconvenientiam facile agnoscimus, ex penuria tamen nominum, & ob incomprehensibilitatem Divinam, non citò melius invenire possumus: Sicut de

Entitate

Entitate dicenti, inconveniens esse videtur, & dicere *Deum esse totam Entitatem*, ne creata omnia aut Deificemus aut Nullificemus? aut dicere *Deum esse Entitatis totius partem*, quia *Infinitus* non *est pars*; & Totum parte majus est! Ita & de *Motu* seu *Actione* dicenti inconveniens videri potest, & dicere Deum esse *Causam totalem*, ne Causas omnes secundas aut negaremus, aut Deificaremus; & dicere *Deum esse Causam partialem* ne in ipsius Infinitatem peccaremus. Et reverâ *Deus* neque *Totum*, neque *Pars* proprie dici potest. Neque cum Monacho Benedictino in Regula Perfectionis inconveniens hoc devitandum est, fingendo hanc esse veram perfectionem, *Præter Deum nihil Scire, Cogitare, aut esse Credere*; quod nil aliud est quam aut mundi existentiam denegare, aut cum Platonicis quibusdam, Totam Entitatis Universitatem dicere *Deum*, cujus Mundus est quasi corpus.

14. IV. Molinistarum autem *circumstantiæ* nihil prioribus aut detrahunt aut addunt. Ab omnibus enim conceditur, Deum hominem inter objecta & circumstantia innumera collocasse, & ex hisce obediendi aut facilitatem aut difficultatem non minimam ortam esse; at *peccandi Necessitatem* nullam: Ab omnibus etiam conceditur hæc circumstantia per Divinam Voluntatem, Sapientiam, Beneficentiam, & Justitiam diversè admodum esse dispositа: Et auxilia quibusdam denegari, quibus concessis salvari potuissent, & quibusdam immerentibus ex Benefactoris beneplacito auxilia gratiæ efficacia donari.

15. Ex omnibus hisce conjunctis veritas liquidè eruitur, *viz.* 1. Deus Naturæ Author & Entitatis & Motûs omnis naturalis prima Causa est, & juxta rerum naturam & ordinem à seipso statutum (ordinariò saltem) operatur; Quippe qui Liberrimus est & omnium Dominus, Constantissimus etiam est & Immutabilis; nec ordinem suum sapienter stabilitum aut temere aut ex necessitate aliquâ perturbabit. Juxta hanc Naturæ constitutionem, Actus omnis vitalis per agentis *Potentiam Vitalem* præstatur; & Deus actum causaturus potentiam seu virtutem formalem ad agendum suscitat: Hoc autem efficit in Naturis Creatis *supremis* immediatè sine Causis secundis: Istis enim (utpote Deo in præstantia proximis) Causa nulla Creata superior est: In Naturis autem seu rebus *inferioribus* hoc præstat (*immediatè* quidem ratione *proximitatis suiipsius*, nullibi absentis, at) *Mediatè* quatenus Causis utitur secundis.

2. Inter cætera Naturæ opera, conditori placuit hominem fabricare Agentem Vitalem Intellectualem Voluntarium, libere aut Volentem aut Nolentem (juxta Naturæ suæ principia,) sine necessitate Causæ superioris prædeterminationis: Et agentem hunc liberum Deus regere & agere decrevit juxta ejus Naturæ libertatem.

3. Naturalis hic Causæ primæ influxus in Causas secundas, est ad Naturæ *conservationem* & *motum* merè naturalem tum *Generalis* tum *specialis* & *particularis*, id est, Motum causat, & quâ *Motum* in *genere*, & quâ *hunc Motum* in *specie*, & *individuo*, cum omnibus suis circumstantiis: At quoad *peccata* agentis liberi est *Universalis* ad actum, quâ actum, & ad *Volitionem* in specie, quâ *Volitionem*, non autem moraliter specificans & particularis ad hunc actum quatenus inordinatum, *viz.* ut circa objectum hoc prohibitum, potius quam aliud, *&c.*

4. Et quandoquidem Deus Voluntatem fecit potentem se determinare moraliter sine præmotione prædeterminante Causæ superioris, in illa sua determinatione causalitatem quandam exercet sibi propriam, quam Deus per ipsam non dicitur exercere; *dependenter* tamen à Deo, qui potentiam hanc se determinandi Voluntati donat & conservat.

5. Quoniam verò Deus hominem ut Mundi particulam inter cæteras Creaturas quamplurimas locavit, & actus ejus inter aliorum quamplurimos aguntur, & non solum per *Omnipotentiam*, sed etiam per suam SAPIENTIAM rerum ORDINEM rectè disponentem, & per AMOREM & rerum Amabilitatem, Deus hominem regere decrevit; Objecta igitur, circumstantia, & concausæ, ad hominum Volitiones & operationes moraliter determinandas, plurimum conducunt.

Ex omnibus hisce contextis igitur difficultatis hujus solutio componitur, quantùm ejus capax est ingenium nostrum in Divinis obtusum & tenebricosum.

16. II. Classis secunda eos continet qui actum omnem moralem æque necessarium esse ex *vi* Causarum putant, ac naturales; & cum Libertatem nomine tenus agnoscunt, æquivoce loquuntur, & per Libertatem nil aliud volunt, quam aut *Volitionem*, quâ *talem*, aut Voluntatis *amplitudinem*, aut à potestate quorundam objectorum libertatem; aut à pravis suis habitibus liberationem: At sine Causa prædeterminante Voluntatem se posse determinare negant.

17. In hac Classe inveniuntur, 1. Qui necessariam putant *Prædeterminationem* per *Omnipotentiam* ad actus omnes, 2. Qui necessariam putant Prædeterminationem per *Sapientiam* seu Causarum cooperationem, ad actus omnes.

18. Quidam autem necessariam putant Prædeterminationem per *Amabilitatem objectivam* ad actus quosdam bonos: Et quidam necessariam putant Prædeterminationem *Efficientem* per Gratiam medicinalem ad actus omnes verè sanctos & salutares; non autem ad actus malos aut merè naturales: Hâc viâ incedit Jansenius; Illa Gibieuf, Guil. Camerarius Scotus & Scotista cum quibusdam aliis: Et cum hisce nobis lis non est, sed in summa rei (modo recte explicetur) concordia: Libertatem enim Voluntatis non subvertunt, neque Deum (doctrinâ hâc) peccatorum Causam principalem fingunt. Classis autem secundæ Doctoribus qui Prædeterminationis necessitatem ad omnes actus defendunt, aut *Immediatæ* scilicet aut per *Causarum secundarum* cooperationem, hic nihil præter dogmatis istius rejectionem opponam, quia postea suo loco hoc confutandum in me recipio.

19. II. Hactenus de diversitate dogmatum circa peccatorum Causas: De eorum *præscientia* proximè dicendum est: 1. De hâc autem Prædeterminationis defensores juxta hypothesin suam statuunt Deum peccata prævidere in *Decreto suo Prædeterminandi*; vel in futuritionis esse Volito, per scientiam *puræ Visionis*. 2. Alii talem peccati *permissionem* fingunt, unde ex natura rei peccatum certò futurum est: Et in *Volita* hac *Permissione* Deum peccata prævidere asserunt. 3. Alii autem rerum cum Deo *coexistentiam* in æternitate ut rationem præscientiæ reddunt: De quibus omnibus suo loco aut dictum aut dicendum est. 4. Alii verò Molinistæ scilicet, ex Voluntatis dispositione, & omnibus circumstantibus simul prævisis, præscientiæ hujus rationem colligunt. 5. At *Pet. de Alliaco Cameracensis* cum *Nominalibus*, duobus aut tribus verbis rem totam ad sobriorum satisfactionem expediunt, *viz.* 1. Intellectus Divinus est Infinitus & Perfectissimus: 2. Peccatum (undecunque) est futurum: 3. Peccatum futurum (seu peccati futuritio) est intelligibile. At omne Intelligibile, quâ tale, Intellectui Infinito notum est. 4. Deniq; præsupponitur, ut concessum, quod Intellectionis Divinæ nulla datur Causa, sed solum ejus relativæ denominationis. Cæteræ omnes solutionis viæ, rem potius magis difficilem & perplexam reddunt: Hæc autem & clara & modestis satis est.

20. Tremenda verò præsumptio mihi videtur vel ipsa quæstione significari, *Quomodo* scilicet *Deus hoc vel illud scit*? Et multo magis ejus agitatio, quâ fingitur Deus incomprehensibilis mediis quibusdam & modo fere humano intelligere; & id Intellectui infinito Intelligibile esse negatur, quod nobis non est intelligibile.

21. Ab omnibus autem hisce disputatoribus obnixe quærendum volo, *Quisnam verus quæstionis status est*? & *Quid sibi velint* per [*Rationem præscientiæ*?] An quæritur de Præscientiæ *Causa*? An tantum de *denominatione ejus relativâ*? Si de Causa, videant ne blasphemiam implicet, scilicet, In Deo ipso esse *quid effectum*; imò per res *Creatas Effectum*: Vel (si de Causa Constitutiva loquuntur) in Deo esse *quid compositum ex Deo & Creatura*: Sin autem *Rationem denominationis relativæ* tantum quærunt, unde quæso sumenda est solutio quàm ab ipso objecto ut terminativo? Aut Futuritio ipsa est objectum Intellectûs Divini, aut non est: Si non est, (utpote nihil) tunc non à Deo intelligi dicenda est; quia infra Intellectus Divini Perfectionem est. Sin ita sit, unde potius denominaretur actus quam ab

ipso

ipso objecto? Et quid aliud dicendum est, nisi *Deum futura intelligere*? At [*Quomodo*] non tantum de re, sed de *Modo* quærit. Quid autem per *Modum* præscientiæ intelligunt? An *Modum actus* ex parte agentis? scilicet Essentiæ Divinæ? Absit talis interpretatio. An *Modum objecti*, scilicet *Futuritionis*? Anne *Futuritio*, quæ Nihil est, suos etiam habet *Modos*? Quinam quæso sunt isti Modi? Proh ingeniorum insciorum audaciam! quæ de rebus sanctissimis, imò numine inaccessibili ita ludere non verentur: At, acceptione vulgari, hoc [*Quomodo*] de *præscientiæ Causis* quærit, Quod tamen quærentes palam profiteri non audent. Quis sobrius autem has duas quæstiones easdem esse opinaretur? *viz. An Deus præscit futura*? Et, *Quomodo Deus præscit futura*?

At fortè quæstionis hunc sensum esse, dices, *Quænam sint futuritionis Causæ, à Deo præscitæ*?

An verò [*Quomodo præscit*] ejus significationis est, cujus est [*Quænam sint Causæ præscitæ,*] & an peritè satis status quæstionis ita proponitur, quicunque congruè loqui scit, dijudicet. Illi verò qui *futuritionis Causas æternas* esse statuunt, ut eas *præscitas* esse negent necesse est: Quomodo enim *præsciri* potest quod *æternum* est? *viz.* ipse Deus? De Causis autem futuritionis jam satis dictum est: Sin autem de hisce tantum quæratur, magis congruè & aperté quæso, quærentes posthac loquantur.

22. Hinc patet quam Nihili ad dubium hoc de præscientia solvendum sunt omnia Molinistarum ad *Scientiam* quam vocant *Mediam statuminandam* molimina. Si enim de præscientiæ Causis in Divino Intellectu dicant, blasphemiam implicant: sin velint Futuritionem non esse Deo quid Intelligibile in se, sed tantum in suis *Causis*, Causæ igitur Futuritionis, non ipsa futuritio, præsciri dicendæ sunt. Nam si dicant *Futuritionem* ipsam esse quidem intelligibilem, sed solùm ex *Causis* ut *Mediis Scientiæ*, hoc esset in prius dictam blasphemiam incidere, scilicet, *Scientiæ Divinæ dari Causas*; & Deum conclusiones non scire nisi *per Media.* Imò Medium quod statuunt, futuritionis Causa necessitans non est: Quomodo igitur à Causa non certa seu necessitante certus colligitur effectus? si hoc tantum velint, *Objectorum & Circumstantium Ordinem* esse peccati *Causam partialem*, vel *sine quâ non*, Quis sobriùs hoc unquam negavit? At Causam esse *determinantem* aut effectum necessariò inferentem, ipsi pernegant. Sin autem, objectis & Concausis suppositis, ut *sine quibus non*, hoc solùm velint, *Voluntatem liberam se libere determinaturam*, cum tamen aliter se determinare potuisset, Quæritur adhuc, Quare ita se determinavit & non aliter? quandoquidem aliter potuisset? Si dicerent, Quod ex inclinatione sua habituali & circumstantibus hoc sequitur, si necessariò sequitur, *non aliter agere potuisset*: Sin dicunt tantum, *Ita vult quia vult*, id est, Causa nulla primæ Volitionis necessitans & eam certò inferens reddenda est (quia Voluntas est suæ determinationis Causa quædam prima secundum quid) hoc nihil *aliud* est, quam Futurum peccatum seu malam Volitionem ipsam ut in sese intelligibilem dicere objectum præscientiæ. Et ita ad Nominalium simplicem & veram solutionem, velint nolint, accedunt. Sed Concausas, objecta & circumstantia omnia etiam à Deo præsciri, quis sanus dubitat?

23. De Scientia autem Conditionali tenendum est, ut jam dictum est, 1. Deum non scire per propositiones, neque multarum cogitationum seriem & lusum Intellectui Divino (sicut humano) adscribendas esse: Non igitur talis propositio ut in Mente Divina fingenda est [si hoc aut illud prius fecero inde aliud illud sequetur.] 2. Hominum tamen cogitationes diversæ & propositiones Deo notæ sunt: Ideoque omnes Propositiones Conditionales. 3. *Deum scire Propositiones Conditionales*, non sonat suspensionem aliquam ejus Scientiæ; nedum rei insciti am: Qui eventum certissimè præscit, præscitâ Conditionum omnium præstatione, Propositionem Conditionalem, quâ talem, præscit. Et quia nullus hic Controversiæ locus est, nisi de præscientiæ Divinæ denominatione relativâ ab objectis, Molinistis ab omnibus concessum erit, Scientiam Divinam non ineptè dici *Conditionalem*, quoad eventum rei & terminum, in quantum Propositio Conditionalis est ejus objectum.

24. Plurima

24. Plurima utrinque argumenta proferuntur, & pro *Scientia Media Conditionali*, & contra eam, quæ omnino inania sunt, & ex falsis plerumque suppositionibus procedunt; Quod de aliorum etiam solutionibus dicendum est. Ante *Scientiæ Mediæ* inventionem, ex hominum more, Scholæ doctores Scientiam Divinam distinxerunt in *Scientiam simplicis intelligentiæ*, & *Scientiam puræ Visionis*: Sub prima specie contineri volunt omnes actus Divini Intellectûs, qui rerum *futuritionis Volitionem* antecedunt; sub secunda omnes Volitionem illam subsequentes. Et in prima Classe quidam hoc ordine Divinos actus Intellectûs (quibus Voluntatis quidam respondent) procedere fingunt.

1. *Deus seipsum* in Infinitis suis perfectionibus *intuetur* (ubi Actus & objectum non realiter distinguuntur) cui respondet Voluntatis Divinæ Infinita Complacentia in seipso: (Hos autem Actus Essentiales antiqui quidam Doctores, Personam secundam & tertiam nominarunt.)

2. Inquiunt, *aliorum scit Non-existentiam, viz.* quod Nihil præter seipsum ab æterno extitit. Quam *Non-existentiam* pro tunc ut bonum voluit. (Quorsum autem Actus positivi de Nihilo fingantur?)

3. Dehinc in sua Omnipotentia scit *omnia possibilia* (vel omnium possibilitatem:) Quam etiam Voluit Voluntas Divina. (Scire quidem suam *Omnipotentiam* est interpretativè & eminenter scire omnium possibilitatem.)

4. Deinde scit *convenientiam rerum & bonitatem*, ut sunt in Ideis sui Intellectûs, vel rerum ut convenientium Ideas fabricat: Quas itidem Voluntas Voluit. (Quæ *eminenter* vera sunt: An formaliter quæritur?)

5. Postea scit Deus ex pluribus possibilibus *Quæ & Quot* (ut bona & convenientia) sunt liberè eligenda.

6. Et tandem (inquiunt) scit quod si hæc omnia *Velit & faciat, futura sunt*; si ea creaverit, creata erunt: Et huc usque *Scientia simplicis Intelligentiæ* procedit.

Exinde (inquiunt) Voluntas Divina vult rerum *futuritionem*, & actus hi *Scientiæ puræ Visionis* inde sequuntur. 1. Intellectus Divinus scit omnium *futurorum futuritionem*: Et eorum omnium modorum & circumstantiarum. Cui respondet Voluntatis in hac prævisa futuritione complacentia.

2. Quandocunque res transeunt è numero futurorum in numerum existentium; Deus non amplius ut *futuras* eas novit, sed ut *existentes* (Quod quidem quoad denominationem relativam dicendum est) Et *Voluntas* in iis ut *existentibus* habet Complacentiam.

3. Quando res præterierunt, non jam noscuntur ut *existentia*, sed ut *præterita* (Quod *non est*, non proprie *notum* est, sed *quid* & *quale fuit*, notum est.) Quod etiam Voluntati placitum est.

25. Non quidem sine ingenii quâdam subtilitate hæc dicta sunt; & quoad denominationem extrinsecam horum nonnulla ita dicenda sunt: Promptè tamen fateor me adeo meticulosum esse, ut non audeam in actibus Divinis enumerandis, distinguendis & ordinandis tam esse ingeniosus, & negotiosus. Neque enim hujus necessitatem aliquam percipio, neque utilitatem: Neque sufficientiæ alicujus conscius sum ad tanta peragenda, cui fidere ausim. Neque omnia quæ laudabiliter de homine dicuntur, de Deo sunt dicenda; nec aliquid temere & sine causa & probatione effutiendum est.

26. Proculdubio ipse Christus in disquisitiones & disputationes hasce, suâ doctrinâ aut exemplo nos minime induxit; Neque Prophetæ ejus aut Apostoli: Quamvis B. Paulus ad Rom. 9. quædam scripsit intellectu difficilia, quæ inscii & indocti torquent in suam perniciem. Et qui hisce contentus acquiescit, scilicet, *Omne bonum esse à Deo & Volitum & Effectum* & Amatum, Omne malum autem ex Voluntatis liberæ abusu, & Deo exosum; exitium nostrum esse à nobismet ipsis; à Deo autem omne Auxilium, & salus; salubriorem mihi videtur habere Scientiam, quam subtilitatum istarum, seu potius presumptionum plurimi Doctores.

27. Hæc simul de Scientia & Volitionibus Divinis ad Lectoris informationem hic, fortè præmaturè, congerere volui; cætera ad Prædestinationis, Providentiæ Gratiæ & Libertatis explicationem & conciliationem necessaria postea suo loco, & jam antea in alio libro (Theolog. Cathol.) plenius explicantur. Disput.

Disput. *De Trinitate Principiorum (seu Essentialitatum) & Personarum.*

QUanquam mihi primò in animo fuit, controversias fere omnes de Trinitate præterire, Dignitas tamen rei, & expectatio Lectorum me à proposito hoc resilire aliquantulum persuadent; Attamen ne sobrios potius confundam quam ædificem, & Lectores ex ignorantibus insanos faciam, & plurimas & nimis audaces Scholasticorum quæstiones intactas relinquere decrevi.

Qu. I. *Nonne rei tremendum mysterium, cum successu infælici & plurium hæreticorum, & audacium Scholasticorum, nos à Doctrina Trinitatis accuratè & apertè tractandà deterrere & arcere debet?*

Resp. Ab audacia quidem profana, & superbâ, & à rixis de vocabulis & ignotis, & notionum Logicarum abusu, nos hæc & alia deterrere debent; Non autem à sobriâ & modestâ & sanctâ veri revelati indagatione: 1. Quia Trinitas est veræ Theologiæ fundamentum, quæ consequentes omnes ferè doctrinas quasi animat. 2. Quia plurimi ubique sunt Trinitatis adversarii: quidam eam impugnantes, & quidam inde scandalum sumentes, quo totam Religionem Christianam negent, & penitus abjiciunt. Et contra hosce ut verus Christi Minister probe armatus & instructus sit, è re animarum, Ecclesiæ, Christianismi,& ipsius Christi est. Et profectò quando Infideles aut Hæretici (Sociniani, Arriani, *&c.*) cum Ministris malè instructis de hisce palam congrediuntur, in magnam Christianæ veritatis injuriam & dedecus triumphant.

Qu. II. *Quid est in Doctrina Trinitatis quod Christianis omnibus credendum est ex necessitate Medii ad Salutem? & quare?*

Resp. 1. Illud ipsum quod professionis nostræ Baptismalis, verus, clarus & necessarius sensus est; Quando dicimus, *Credo in Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, viz.* 1. Patrem,Filium,& Sp. Sanctum esse Unum,Verum, coæternum Deum; Unum scilicet in Essentia, & Trinum modo quodam mortalibus incomprehensibili. 2. Christum esse Deum-hominem, mundi Salvatorem. 3. Hunc Deum se fœdere sancto nobis offerentem sub Relatione Dei nostri, Creatoris Patris Reconciliati, Mediatoris Reconciliantis, Spiritus Sanctificantis, nos cordicitùs Fiduciali Assensu, Consensu & Deditione practicâ, acceptare. Hæc ad salutem Christianorum sunt necessaria. Et Fides hæc in Trinitatem necessaria est principaliter, quâ *Practica*, & quâ nosmet sanctificandos, salvandos, & Amore perficiendos Deo sub triplici Relatione devovemus.

Quando Augustinus curiosiùs Trinitatis Mysteria indagare Voluit, ne tamen Christiani curiositatum & subtilitatum incapaces animos demitterent, hanc quæstionem ita solvit Lib. 9. de Trinit. pag. (mihi) 837. " De *credendis* nulla infi-
" delitate dubitemus; De *intelligendis* nulla temeritate affirmemus: In illis au-
" thoritas tenenda est; In his Veritas exquirenda: Quod ergo ad istam quæstio-
" nem attinet, Credamus, Patrem, & Filium, & Sp. Sanctum esse unum Deum,
" universæ Creaturæ Conditorem, atque Rectorem: nec Patrem esse Filium,
" nec Spiritum Sanctum vel Patrem esse vel Filium, sed Trinitatem relata-
" rum ad invicem personarum, unitatem æqualis Essentiæ. Hoc autem quæ-
" ramus intelligere, ab eo ipso, quem intelligere volumus, auxilium pre-
" cantes, & quantum tribuit quod intelligimus explicare, tantâ curâ & solli-
" citudine pietatis, ut etiam si aliquid aliud pro alio dicimus, nihil tamen
" indignum dicamus. Ut siquid *v. g.* de Patre dicimus quod Patri propriè non
" conveniat, aut Filio conveniat, aut Spiritui Sancto, aut ipsi Trinitati: Et siquid
" de Filio, quod Filio propriè non congruat, saltem congruat Patri, aut Spiritui
" Sancto aut Trinitati: Item siquid de Sp. Sancto quod proprietatem Spiritus
" Sancti non doceat; non tamen alienum sit à Patre & Filio, aut ab uno Deo
" Trinitate: Veluti nunc cupimus videre, utrum illa excellentissima *Charitas*
" proprie *Spiritus Sanctus* sit; Quod si non est, aut Pater est *Charitas* aut *Filius*;
" aut ipsa Trinitas; quoniam resistere non possumus certissimæ fidei, & validissimæ

" dissimæ authoritati Scripturæ dicentis, [*Deus Charitas est.*]
Concede Lector mihi Augustini latitudinem, & intra limites hos & fidem & censuras tuas contine; & in tuto res fidei & pacis posita erit.

Qu. III. *Utrum Trinitatis Vestigium in Creatis, & Imago in homine est?*
Resp. Ita omnes ferè Patres statuerunt, & præcipuè Augustinus de Trinit. li. 10. & 11. & 14. præcipuè l. 10. cap. 11. & omnes ferè Scholastici. Lombard. dist. 3. præcipuè F. G. pag. 8, 9. Aquin. 1. qu. 93. ar. 1, 2, 4, 5, 6, 7, 8. ubi probat *Imaginem* Dei *naturalem* esse in *omnibus*, Imaginem *Sanctam* in *Sanctis*, & *gloriosam* in *glorificatis*; etiam Trinitatis *Imaginem* esse in *mente* tantum; *vestigium* autem in facultatibus inferioribus sicut in aliis Creaturis; Et ita omnes ferè Magistri Interpretes quos enumerare, & verba aut paginas citare, non opus est.

Qu. IV. *Quid in homine Trinitatis Imago naturalis dicendum est? Et quid trinum in homine & aliis Creaturis præcipuè nobis se præbet observandum?*
Resp. Hæc tria hic seorsim explicanda sunt; I. Quænam vestigia & quæ in homine Imago Trinitatis, certissimè Rationi communi se ostentant? II. An in Facultatibus an in actibus, iisque erga nosmet an erga Deum, hæc Imago consistit? III. Quomodo de hisce Augustinus errans, Scholasticos plurimos seduxit.
I. Naturas tres Passivas prætermitto (aerem, aquam, terram.) Naturæ Activæ (quarum Forma scilicet tendit ad Agendum, sicut cæterarum ad quiescendum) sunt tres, *Vegetativa*, *Sensitiva*, *Rationalis:* Utrum *Ignem* quartam esse statuas, aut potiùs (quod opinor) eadem cum Vegetativa sit, aut quasi Natura Media, spiritualis & corporeæ nexus, quæ *Spiritualis Naturæ* sit quasi corpus commune, & *Passivæ* quasi *Anima* communis, de his ego nil certum habeo asserendum. Sed proculdubio unicuique est sua *Trinitas Virtutis formalis in Essentiæ Unitate.* 1. *Naturæ Igneæ* in substantia pura ferè indivisibili est *Virtus formalis Essentialis* radicaliter seu centraliter Unica, exeunter Triplex, Virtus scilicet seu Vis *Activa*, *Illuminativa*, *Calefactiva*; ex Effectis certissimè cognita: Quamvis plurimi Philosophi de Igne futiliter loquuntur, quasi nil aliud sit nisi quod in fumo seu carbone colorato videmus, & quidam ut Cartesiani solum *Motum*, *Patricius* solum fore *Lumen*, *Telesius* solum fore *Calorem* observant & prædicant; Res tamen considerati satis constat: Substantia scilicet quædam ubique dispersa est, in Sole & Sideribus eminenter se ostentans, in Silicibus & aliis latens, à quibusdam *Æther* dicta, ab aliis *Ignis*, quæ triplicem prædictam edit operationem. Et qui librum *Le Grand* Senioris de Igne leget, (cavens tamen tentationem ad Idololatriam) simul cum Cartesianorum aliqua de motu (plurima enim falsa sunt) & Patricii de Luce & Lumine, & Telesii & Campanellæ de Calore, & omnia hæc probè compaginabit, ingenium suum à seductoribus liberando, hæc satis evidentia in effectis perspiciet.
2. *Naturæ Vegetativæ* (quam opinor esse *Ignem* in materia ad Vegetationem rectè dispositam Incorporatum & operantem) in Effectis apparet *Virtus triplex*, (at centraliter *Unica*:) scilicet *Activa* seu *Motiva*, *Discretiva* (per quam nutrimenti materiam aptam ab inepta discernit) & *Attractiva*, quasi Appetitus naturalis seu *Analogus*, unde deceptus Campanella (cum aliis) putavit rebus omnibus inesse *sensum*, quia reverâ in omnibus vegetativis est quiddam sensui analogum.
3. *Naturæ Sensitivæ* in brutis, in substantia Unica invisibili (& ni fallor *incorporeâ*) *Virtus Formalis* (Essentialis) centraliter Unica, & exeunter seu operativè Triplex est, *viz. Vis* vel *Virtus Vitalis-Activa*, *Apprehensiva*, *Appetitiva*, per modum sensûs.
4. *Naturæ Intellectualis* itidem in substantia una purissima est *Virtus Formalis* (Essentialis) centraliter Unica, exeunter seu operativè Triplex, *viz. Vitalis-Activa* (peculiaris) *Intellectiva*, *Volitiva*; cujus Renovatæ per Gratiam status seu perfectio, dicitur Sancta, *Potentia* seu *Vitalitas*, *Sapientia* & *Amor.*
5. Hæc omnia in Homine uno coeunt. Triplicem habet naturam materialem *Passivam:* per *Spiritus Igneos passiva* & magis spiritualia connectuntur: Naturam

ram ſeu facultates habet, Vegetativam, Senſitivam & Intellectivam, & uniuſcujuſque hanc triplicem Virtutem ſeſe oſtendentem: In *Potentiâ* itidem *Vitali vivificatâ*, *Intellectivâ*, *Illuminatâ*, & *Volitivâ*, *Amore ſanctificatâ*, conſiſtit Dei in homine *Imago Moralis* ſeu *Sancta*: unde indicatur ubi quærenda eſt ejus *Imago Naturalis* quæ eſt in homine, quâ homine (de qua Gen. 9. 6.)

De hiſce omnibus Controverſiæ vix locus eſt, niſi de nominibus & notionibus ſecundis. De Igne quidem à pleriſque erratur, & Virtutis aut *Eſſentialitas* aut *Triplicitas* non agnoſcitur; ſed ex meris præjudiciis, contra Effectuum evidentias. Quidam dicunt *Motum* ſolum Illuminare & Calefacere, ex ſubtilitate *materiæ* motæ: Quidam dicunt *Lumen Calefacere*; Quidam *Calorem* & *Movere* & *Illuminare*; & quidam plures enumerant virtutes, ſcilicet, ſiccativam, attenuantem, &c. Quaſi vel primò conſideranti non obvium eſſet, ſiccare, attenuare, diſſipare, rarefacere, heterogenea ſeparare, eſſe effecta accidentalia, & omnia hæc fieri per *Motum*, *Lumen*, & *Calorem*.

Plurimum etiam diſputatum eſt, an Virtutes hæ præcipuè *Naturæ Intellectivæ*, *Eſſentiales* ſint an *Accidentia*? Et infæliciter Thom. accidentia eſſe aſſeruit, quod inde ab ejus Sectatoribus non paucis defenditur; At à Scotiſtis & nominalibus & aliis jamjam contrarium evincitur: (& poſtea hic à nobis contra Zabarellam) & qui Zabarellam & tales moderatiores leget, ſtatim percipiet litem fere de nomine eſſe, & eos fateri Animam etiam per Eſſentiam (ſaltem Virtutes has producendo) operari; & Virtutes has inſeparabiliter & proxime animæ ineſſe, ſeu conſtanti neceſſitate ab ea emanare.

II. De ſecunda quæſtione, ne minima mihi ratio adhuc ſe oſtendit, quare adeo anguſte de Imagine Divina in homine ſentirem, quaſi aut in *ſola facultate ſeu Virtute*, aut in *ſolo Actu*, illam collocarem. *Radicaliter* quippe in Virtute ſeu *Facultate* eſt, & *Activè* in *Actibus*: Et ſicut in Divinis notiones diverſæ de *Virtute* (ſeu potentiâ) & Actu, ſunt tantum conceptus partiales ſeu inadæquati rei ejuſdem; ita neceſſe eſt, ut & conceptus objectivi *Virtutis*, & *Actus* concurrant ad Imaginem hanc Divinam conſtituendam.

Et ad ſecundam quæſtionis partem, *Utrum Imago Divina conſiſtat in animæ actibus erga ſe & Creaturas, an tantum erga Deum? Reſp.* Thomas ubi ſupra, dicit, in actibus ſolis *erga Deum* Imaginem collocandam eſſe: Sed diſtinguendum eſt inter *Imaginem Naturalem*, & *Moralem*, & inter Naturalis Imaginis partem *primariam*, & *inferiorem*: Et dicendum eſt, 1. Imaginis *Naturalis* partem *primariam* & maxime eximiam eſſe in animæ facultatibus & actibus ut ad Deum, (Deum ſcire, Deum Amare, &c.) At partem *inferiorem* eſſe in omni Animi exercitio, quâ tali. 2. Imaginis *Sanctæ* ſeu *Moralis* totam naturam eſſe poſitam in Animi inclinatione & Actibus & Actionibus erga Deum, & erga creaturas quatenus Imagine Divina decoratas; aut ſaltem Dei gratiâ. At de Imagine ſolùm naturali jam quæritur.

III. Auguſtinus triplicem Animi & *Virtutem* & *Actum* malè nominavit: *Memoriam* ſcilicet poſuit loco *Potentiæ-Activæ Vitalis*. Neque mirum alicui videri debet rudioribus illis ſeculis, non omnia de Anima humana etiam certa, explorata fuiſſe: Primus ſcilicet omnium ipſe Auguſtinus acuminis beneficio (quamvis ἀυτοδίδακτος) ſubtiliter res ſacras tractando, antiquorum dicta rudiora ad limam redegit, & plurima prius indeterminata dogmata ſtatuminavit: Et reverâ Theologiæ Scholaſticæ jecit fundamentum ſuper quod Boetius & Damaſcenus, & poſtea accuratius Lombardus ſuperædificaverunt: (unde in vita Doctoris Colleti ex Eraſmo per Tho. Smythum editâ dicitur, ex omnibus Patribus Auguſtinum Colleto minime placuiſſe, utpote cui Theologia Scholaſtica, ſicut & ſuo Eraſmo, ferè exoſa fuit.) At pauci ſunt Philoſophi lectu digni, qui non agnoſcunt *Memoriam* non eſſe Facultatem à Phantaſia & *Intellectu* diſtinctam; *Memoria* omnis eſt vel *Phantaſiæ* vel *Intellectûs* actus. Lege Durandum l. 1. diſt. 3. qu. 3. pag. 58. ubi invenies, quod per *Memoriam* intelligunt *Intellectum Agentem*, ut ab *Intellectu poſſibili* diſtinctum. Et Scotus cum aliis qui Auguſtinum ſequuntur, non diſtinctam facultatem *Memoriam* eſſe dicunt; ſed ut *Intellectum Prægnantem* hic collocari in ordine ad actuum trinitatem.

Et expressis quidam verbis Scholasticorum plurimi profitentur, se ideo *Memoriam* ut Trinitatis Imaginis partem statuere, quia ita fecit Augustinus, à cujus doctrinâ non est recedendum.

At sicut certum est *Memoriam* & *Intellectum* non esse duas animæ Intellectivæ facultates, ita certissimè constat *Potentiam-Activam-Vitalem*, *Intellectum* & *Voluntatem* tres distinctas esse hujus animi facultates, nec quartam aliquam addi posse.

Qu. V. *Anne Trinitas Principiorum* seu *Attributorum Essentialium etiam in Deo est?*

Resp. Affir. Hoc etiam ferè extra Controversiam positum est. De nomine nullus litigare volo. Utrum Principia, an cum Campanella *Primalitates*, an *Essentialitates*, an *Attributa*, an *Proprietates Essentiales*, &c. nominare libet, cuique liberum relinquo. Attributa autem alia sunt ab his, ut in Tabula dixi, distinguenda.

1. Ab omni quidem sobrio fatendum est, Dei *Vitam*, *Intellectum* & *Voluntatem*, non formaliter rem eandem esse cum nostris & Nomina hæc de Deo & Homine non dici univocè, sed æquivocè: Et quamvis alii dicant, nec *univoce* nec *æquivocè*, sed *analogicè*; hic Scotistæ audiendi sunt qui probant (ut in Phil. Fabro, Meurisse, Rada Mayrone, Trombeta, & Lycheto, videre est) non dari tertium, sed quod *analogicè* dicitur æquivocè dici.

2. Dissimulandum tamen non est, Deum non aliter mortalibus esse cognitum quàm ut in speculo; & speculum hoc est Creatura & Verbum: Et inter Creaturas præcipuè Anima humana. Ideoque necesse habemus de Deo concipere & loqui ad Animi nostri similitudinem, Imperfectiones nostras à Deo semper cautissimè amovendo, & conceptuum improprietatem & æquivocationem semper agnoscendo. Aliter tamen & melius de Deo concipere aut loqui non possumus: Aut hæc aut nihil de Trinitate asserendum est.

Et quare quæso *Facultatum Trinitas* in nobis *Dei Imago* ab omnibus dicitur, si non ab *Imagine*, potius quàm *aliunde*, de Deo & concipiendum & loquendum esset?

Siquis dubitet an *Omnipotentia*, *Intellectus* & *Voluntas* Deo attribuenda sint, legat Aquin. legat quemvis Scholasticorum, legat Patres, legat ipsas Sacras Literas, neque, ut tempus in universaliter concessis-probandis conteram, à me expectet.

Non pauci quidem dicunt in Deo non esse *Potentiam*, qui tamen statim copiosè & vehementer probant in Deo esse Omnipotentiam: Ita Petavius, ita alii: Quasi *Omnipotentia* non esset *Potentia*: At non pauci se explicantes planè dicunt, *Potentiam* in Deo negandam esse *Passivam*, non autem *Activam*, & *Activam otiosam*, non autem in *Actu*: At *Omnipotentiam Activam* semper (saltem immanenter) *Agentem*, seu in *Actu*, omnes fatentur.

Non nescio Pet. Hurtad. de Mendoz. hominem cætera egregiè perspicacem, opus suum finire paginis ultimis quærendo, *quid sit conceptus quidditativus* Dei? Metaph. disp. 20. sect. 2. p. 961. &c. Et bene concludit *Existentiam actualem*, & *esse Independens*, esse de primo conceptu: Sed cum (Entis, substantiæ, spiritûs notionibus suppositis,) aliquam adhuc desiderat, qui sit *conceptus quidditativus in aliqua differentia completa qui sit radix & origo attributorum*, (dicere vellet, *qui ex formæ animorum analogiâ sumatur.*) 1. Dicit § 21. *In hoc conceptu includi rationem Vitæ nulli potest esse dubium:* 2. Quærit *An in Deo Ratione distinguantur Intellectrix facultas* & *Actus intelligendi*; & ad negat. propendet: 3. Quasi dubius aut timidus finiendo vix eloquitur, quod *Qui concipit Deum cum necessaria Existentia, Actualiter Intelligentem, concipit illum ut adæquatè distinctum tam ab aliis perfectionibus, & in specie perfecta, item ibi concipit fundamentum è quo attributa intelligantur enasci.* At 1. Si *Vitam in Actu* hoc conceptu quidditativo includis, principium primum ita agnoscis: 2. Dum *Intellectionem* includis, secundum principium agnoscis (sub nomine primi; Quasi Potentia-Actus-*Vitalis* non esset conceptûs pars prior quam *Intellectio!*) 3. Et *Amorem* agnoscendo esse *Spiritum Sanctum*, quare tertium principium te agnoscere non putarem? Et ex falso falsum ducere conaris, dum ais [*Similiter sæpe dixi, principium Intelligendi esse de essen-*

tia

tiâ Creaturæ rationalis; Radicem autem Volendi esse attributum:] At nunquam probare potuisti *Radicem Volendi non esse Creaturæ rationali æquè essentialem ac Radicem Intelligendi*; quamvis *Voluntas* sit tertium principium: Et nollem librum adeo præstantem tali dicto finitum fuisse. 4. At quibus fultus rationibus distinctionem inter *Virtutem* & *Actum* in *Divinis* negas? *Potentia* quidem & *Actus* in *Deo* idem sunt; Sed in humanis nomen *Potentiæ* seu *Virtutis*, & nomen *Actus*, non sunt Synonyma: & de Deo conceptum formalem aut unum comprehensivum habere nobis impossibile est: dum de eodem conceptus partiales & inadæquatos habere necesse est, quare non ab Imagine Divina in nobis ipsis, hos conceptus mutuari non liceat? 2. Et quoad extra agendum de *Potentia* quidem Divinâ ut ab Actione distinctâ, concipere & dicere terè necesse habemus: Et si Potentia & Actus omnimodò idem foret conceptus, dicendum esset Deum nil aliud facere posse quam quod facit, & nil aliud unquam citiùs aut seriùs aut aliquatenùs aliter potuisse agere quam egit. 3. Et revera *Actus* (dum primitùs suam significationem à creatis sumit) non est conceptus adæquatus de *Vitâ, intellectu* aut *Voluntate* Divinâ, sine conceptu *Vis, Virtutis*, seu *Potentiæ Activæ* Conjuncto: Inter creata enim, omnis *Actus* à *Virtute* quâdam provenit; & quicunque aliquid Agit, hoc *agere Potuisse*, dicendus est: Et Actui omni *vis* quædam inest, seu necessaria est. Et *Actus Divinus omnis* & *Immanens* & *Transiens* est *Potentia-agens*, vel *Actus potentissimus*, vel (ut concreta in Divinis quantùm possumus, devitemus) est *Potentia-Actus*: *Virtus*, scilicet, seu *Vis infinita in actu est*. Scio quidem te acutum *Nominalem Rationis* meré *Ratiocinantis* distinctionem omnino nullam esse existimare; neque contradico. At ad *Rationis Ratiocinatæ* distinctionem, non necessaria est diversitas ulla aut realis, aut modalis, ex naturâ rei; neque semper ex connotatis sumitur. Valida enim Ratio alia diversorum partialium conceptuum de eodem hic sufficit: Et aut fallor, aut *intellectûs humani angustia, cum vocabulorum omnium significatione primâ & famosiore ad res humanas limitatâ, necessitatem nobis imponit, & de uno Deo per conceptus plures cogitandi, & per nomina plura dicendi.*

Inter Scoti dogmata Philosophica, hoc à *Phil. Fabro, Theorem* 54. *pag.* 363. traditur [*Deus est infiniti Vigoris etiam secundum* Aristotelem:] & primus Christianæ fidei Articulus est, [*Credo in Deum Patrem Omnipotentem*] sed tot jam dicuntur per omnes fere Scholasticos & Theologos ad Omnipotentiam Divinam (ideoque Potentiam, seu Virtutem) probandam, ut de hisce plura dicendo, Lectorem diutius morari nolim.

Qu. VI. *In quot & quibus Trinitas Principiorum in Imagine, cum Trinitate Divina aut Principiorum aut Personarum congruit.*

Resp. 1. IN Anima humana (aut Angelo) *essentia & Virtus*, non faciunt compositionem: sed quia de substantiâ spirituali vix aliter concipere possumus quam per partiales & inadæquatos conceptus ad analogiam *materiæ* & *formæ*, ideo ego necessitate ob verborum defectum coactus, *substantiæ* & *virtutis formalis* nomine plerumque ita analogicè utor: Et esse *Hoc aliquid* est conceptus Generalis & esse *Virtutem formalem*, est *conceptus specialis, differentialis*: sed nullam *compositionem* notionibus hisce innuo. Et idem dicendum, sed eminentiùs de *Principiis*, etiam & de *Personis Divinis*.

2. Virtus hæc triplex non est Animæ *Accidens*, sed ipsius vera *essentia*: Et idem ab omnibus dicitur de Trinitate Divinâ & Principiorum & Personarum. Vid. Hurtad. de Anima, dis. 4. sect. 4.

3. Tota Animæ essentia formalis in Triplici hac virtute continetur; nec datur quarta, quamvis hæ variè ex connotatis nominentur. Ita & de utraque Trinitate Divina dicendum est; quamvis inter Attributa Principalia quidam Justitiam, Misericordiam, Sanctitatem, Veracitatem, &c. imperite numerant. Hæc omnia enim & cætera sunt tantum *Tres Primalitates*, ex connotatis diversè nominatæ; sicut in Tabula latiùs patet.

4. Virtus hæc triplex non est *Anima tripliciter partita*; quasi *una pars* animæ esset *Potentia*-Vitalis-Activa, & *Altera pars* esset Intellectiva, & tertia Voluntas: sed *Tota Anima* est Vitaliter-Activa, *tota* Intellectiva, *tota* Volitiva; ita etiam ab omnibus tenetur de utraque Trinitate Divina. *Tota Essentia* Divina (non pars) est *Potentia*-Actus-Vita, *tota* Intellectus, *tota* Voluntas; & tota est Pater, tota Filius, tota Spiritus Sanctus.

Vide Maresium Loc. de Trinit.

5. Anima tota tamen non est *Totaliter Virtus-Activa*, nec *totaliter* Intellectus, nec *totaliter* Voluntas: Id est, horum nominum unumquodque Essentiam animæ *partialiter* & *inadæquate* tantum, non *totaliter* significat; & conceptus tantum *partiales* sunt; At omnia conjunctim cum nomine *substantiæ*, & notionibus *modalibus* & *relativis* eam adæquate exprimunt. Ita & Essentia Divina etsi *tota* non tamen *totaliter* exprimitur, per nomen *Potentiæ*-Activæ, aut *Intellectûs*, aut *Voluntatis*, ut neque per nomen Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti.

6. *Actus Animæ Immanens*, dicitur, 1. Propriè, quando non tantum ipse *Actus* nil *efficit* ad extra, sed etiam ipsum *Objectum* est *nihil extrinsecum* (in contradistinctione scilicet ad *Actum Transeuntem* tantum *objectivè*.) 2. Aut laxiùs, quando *Actus de objecto extrinseco* se continet interiùs, & *nihil efficit ad extra* (ut distinctus ab *Actione effectivè Transeunte*.) Prior verè non est *Res alia* ab *ipsa Anima*; (*Anima* scilicet *seipsam Intelligens* & *Amans*, & *Vitaliter-Agens*) non aliam Rem proprie dictam significat (sed tantum alium *Animæ modum* seu statum,) quam [Anima se non Intelligens, & Amans.] Quamvis enim à quibusdam Actus Animæ sui *Intuitivus* & *Amans*, dicitur *Accidens*, hoc est impropriè tamen, quia *non semper ineſſe*, sed perire eum putant sine subjecti seu Agentis interitu, non autem quòd sit *Res alia adveniens*, sed Animæ modus diversus: Et (si verum est, (quod dubitatur) quod Anima (ne profundo quidem & minùs observato Actu) *non semper se Intilligit & Amat*, hoc tamen ab ejus natura dependente defectivâ, utpote creatâ, & finitâ, oritur, quod in Naturam Divinam utpote perfectissimam non cadit. (At reverâ in Anima sunt veri Actus constantes, qui sunt quasi *Habitus*, & non in sese percipiuntur ab Agente, sed tantum in effectis: Sicut *Viator* alia cogitando & dicendo, carpit iter motu recto & constante dum se neque de via neque de fine cogitare percipit; Et Citharœdus alia cogitando citharizat & quid facit ne cogitare aliquantisper se percipit: Ita forte Anima se quodammodo *intelligit* & *Amat*, sine *notionibus* aut actus sui observatione.)

At Anima *se Intelligens & Amans* consideratur non tantum ut *Agens* vel in *Actu*, sed etiam *cum objecto*, & ut *in sese Agens*; & ita *erga se duplicem* habet *Respectum*, *Agentis* scilicet & *Objecti*; unde specialis denominatio oritur: At dum Actus suos *circa se & intra se* tantum continet, *nil aliud à sese* aut sunt aut denominandi sunt, præter *mutuam Relationem*: Quando verò Actus ejus de extrinsecis, sunt *objectivè transeuntes* (quamvis non *effectivè*,) Actus illi, quâ *Actus*, ex parte Agentis quidem non aliud sunt quam *Animus ipse suo modo* se habens; at ut ex *objectis extrinsecis* specificantur, alia denominatione digni sunt; & ita mixtæ sunt naturæ, prout & *Agentis* sunt, & prout in *Objecta* extrinseca terminantur.

Quando autem *Actione* etiam *effectivè Transeunte* Anima facultates Inferiores movet, & per eas opera exteriora facit; hic etiam Actio quatenus ut *merè Agentis habitudo* seu *modus* consideratur (vel ut Scotus loquitur, In Agente est) non est *Res alia* ab ipsa Anima; At quia specifice denominatur ab effectu vel termino, ideo *aliquid ab Anima distinctum* esse dicendum est.

Et quomodo hæc omnia in Imagine quadrent ad Trinitatem Divinam aut *Principiorum* aut *Personarum*, res ipsa loquitur, & ni prolixitate Lectorem intelligentem tædio afficerem, pluribus jam omnia applicando explicarem.

7. Miranda est Animæ *trium facultatum* in Agendo ordo & conjunctio: Actionis quidem diversitatem certò percipimus, at *quænam* & *qualis* est ea diversitas vix percipimus; tantus quippe earum nexus est, tanta conjunctio, ut ubi una facultas agendo emineat, cæteræ tamen semper cooperentur, quantùm licet per objectorum terminantium capacitatem. Et quis non eadem ferè dicit, & de *Principiorum* & *Personarum* Divinâ Trinitate?

8. Prima

8. Prima tamen ordine Naturæ in Agendo, est *Potentia-Vitalis-Activa*; & cæterarum facultatum in suis Actibus quasi *Principium* & *Fundamentum*; Anima enim prius *Agere* concipitur, quam *Intellectualiter Agere*, aut per *Volitionem*; Et *Agere ejus* est idem quod *Vivere* (non idem quod *Corpus vivificare*, sed idem quod *vivere in se essentialiter*.) Ideoque quidam malè putant hanc non esse *Trium facultatum Unam*, sed aliarum *Genus*: At contrarium postea latiùs monstrabo. Et quamvis non aliud nobis nomen suppetit, quo Hominis *Vitam*, seu *Potentiam-Activam-Vitalem* nominemus, quam quo brutorum; ex operationibus tamen constat alterius eam esse ordinis & speciei. Et ab *Actu-Vitali* quasi generatur *Actus Intellectivus*, & ab ambobus procedit *Actus Volitivus*. Et quomodo hæc quadrent, & *Vitæ*, *Intellectui & Voluntati Divinæ*; & *Patri*, *λόγῳ* & *Spiritui Sancto*, ut pluribus edicerem lectori non opus est.

9. *Virtus Formalis Animæ* est & *Unica & triplex*: *Unica* quoad *Essentiam* & centraliter: at Triplex certè virtualiter, exeunter, & per connotationem, & Relationem ad *Actum triplicem*. Ita certum est *Principia Divina* esse Unicum radicaliter ut Essentia, at tria saltem virtualiter, connotativè & relativè ad Actus: Et idem de Trinitate Personarum dicendum est.

10. Facultatum tamen justam distinctionem describere, & sub notionibus & terminis rebus omninò congruis differentiæ statum accuratè aperire, vix ingenii mortalium est; Aliter inter Scholasticorum subtilissimos res adhuc litigiosa non mansisset; Et si acumen Aquinatis, Aureoli, Capreoli, Cajetani, Ferrariensis, item Scoti, Trombetæ, Andreæ, Mayronis, Fabri, Radæ, & Ockami, Gregorii Arim. Gabrielis, Hurtadi, *&c.* res fugit, quis mortalium non ferè desperabit, de discriminis hujus apprehensione satis clarâ & satisfactoriâ obtinendâ? Et idem multò magis tum de Principiorum, tum de *Personarum* S. S. Divinæ Trinitatis asserendum est.

11. Minima tamen differentia quæ, Ratione approbante, affirmari potest, est *Virtualis*, *Relativa* & *Denominata* ex Actuum connotatione, vel *Rationis Ratiocinatæ* per conceptus inadæquatos: De *Realibus*, & *Formalibus ex natura rei*, tota lis est. Et idem de *Principiorum* & *Personarum* sancta Trinitate verum est.

12. Quæcunque in tota vita humana Actionum diversitas invenitur, à Virtute hâc centraliter Unicâ, exeunter Triplici, originem suam duxit: Et ita quæcunque in omnibus Creatis diversitas invenitur, Virtuti Essentiali Divinæ Unicæ-Triplici, nec non Personarum Trinitati in una Essentia, originem suam totaliter debet.

13. Sicut de Trinitate *facultatum*, ita & de Trinitate tum Principiorum tum Personarum Divinarum verè dicitur, quod certissimè nobis constat *Quod sint*, quando vix quisquam clare dicere potest *Quid sint*.

14. Animæ Facultates nunquam *non Agunt*; & *non Agere* idem esset quod *non esse*: At non semper *Agunt* in *Objecta extrinseca*; neque per spiritus Corporeos: Corpus non semper vivificant; scilicet, in statu separationis, & Hoc vel Illud extrinsecum non semper Intelligunt, & Volunt; neque seipsas modo sensibili per organa corporea. Et ita *Virtus Divina* nunquam *non Agit*; & multo magis ejus *Agere est Esse*. At non semper Mundum creavit, gubernavit & in extrinseca operata est; Neque Mundum ut existentem semper vidisse dicenda est: Et ita de Personis dici potest, utpote non semper Creare, Redimere, Sanctificare dicuntur, quamvis semper & *Esse* & *immanenter Agere*.

15. Quamvis Potentia-Activa, Intellectus & Voluntas centraliter unica Virtus formalis sunt, non tamen dicendum est, Animam Vivere aut Agere per Intellectum, aut Intelligere per Voluntatem: At dicendum est, 1. *Formaliter* animam Agere per Activitatem, & Intelligere per Intellectum, & Velle per Voluntatem: 2. Et *Effectivè* item Voluntatem Velle ex Intellectione, & Intellectum intelligere ex Activitate Vitali, & Animam se Agere per Activitatem, se Intelligere per Intellectum, se Velle per Voluntatem: Et quamvis vere dicatur, Activitatem Intelligere & Velle, per se cum Intellectu & Voluntate, & Intellectum Velle per se cum Voluntate, pleniùs tamen & magis propriè dicitur, Animam Agere, Intelligere,

Velle

Velle per suam Virtutem ut antedictum est: Ita non rectè dicitur Deum formaliter Vivere aut Vitaliter agere per Intellectum, aut Intellectum Divinum Intelligere per Voluntatem: Aut Patrem Vivere aut Agere Vitaliter per Filium, aut Filium æternum Intelligere per Spiritum: Sed rectè dicitur, & Deum Agere per Virtutem *suam Activam*, & Intelligere per Virtutem Intellectivam, & *productivè per Activam*, & Velle per Virtutem Volitivam, & *productivè per Activam & Intellectivam*: Et ita Lector facile videt quomodo talia de Personis dicenda sint.

16. Inquit Hurtado de Mendoz. De Anim. Disp. 4. § 5. p. 526, 527. [Rem specificari est suam Essentiam habere in ordine ad aliud, ut materia in ordine ad "formam; & hæc ad illam: Unaquæque Potentia sumit speciem in ordine ad "suos actus immediatè, & remotè in ordine ad objecta.] Inde igitur Animæ facultates ut diversæ sunt denominandæ: Inde etiam ab omnibus denominantur *principia* Divina: Anne itidem *Personæ*, quærendum relinquo: Certè *Pater* ab omnibus ita nominatus esse dicitur, 1. Respectivè ad Actum Generandi; 2. Deinde ad Filium Genitum. Quæro anne itidem λόγος, 1. Ab actu se Intelligendi, 2. Deinde à Deitate ut objecto Intellecto: Et an itidem Spiritus Sanctus, 1. Ab Actu se Amandi, 2. Deinde à Deitate objecto Amato?

17. Triplex *Animæ Potentia* non tantum est *Animæ Essentia* non Accidens (ut malè opinatus est Aquinas) sed etiam distinctæ quamvis conjunctæ concipiendæ sunt facultates, ad Animæ ipsius conceptum adæquatum. Prima pars assertionis jamdudum probatur per Ockamum, Gregor. Arim. Henricum Gaudav. Gabrielem Biel. Hurtad. de Mendoza, Scotum cum omnibus Scotistis, & de Angelis id docet Durandus 2 dist. 3. q. 5. Et Gregor. de Valentia probabile videtur; & Suarez & Vasquez dicunt contrarium haud facile probari: Plures vide apud Conimbric. 2 de Anim. c. 3. qu. 4. art. 1. Pars secunda igitur clarè sequitur. Durandus autem dist. 3. qu. 4. n. 8. dicit [*Alius modus dicendi videtur mihi probabilior, quod una res absoluta, sive Essentia Animæ sive aliquid additum Essentiæ, ut verius credo, est Intellectus & Voluntas, habens rationem duarum potentiarum propter hoc quod est principium duorum actuum subordinatorum qui sunt Intelligere & Velle.*] Et ita dum opinatur, Potentias Vitales Angelorum, ut Nutritivas & vegetativas Animalium, ab eorundem Essentia non esse distinctas, suspicatur tamen (quamvis dubitans) *Intellectum & Voluntatem* ab Essentia Animæ distingui, quas etiam inter se non diversas absolutè esse judicat: scilicet, quia Intellectus non potest esse *Forma Corporis*: Cum proculdubio facultatum distinctio ab invicem majore probabilitate suspici potuit aut saltem non minore, quam earum distinctio ab Anima: Et dum Argumenti Durandi levitatem miratur Hurtad. de Anim. disp. 4. sect. 4. in errorem vix leviorem ipse incidit, dum *Vitalitatem & Intellectum*, non autem *Voluntatem* facit *Animæ* Essentialem: Et inde, ut jam dictum est, eadem dicit de *Conceptu Quidditativo* Dei, in fine operis; & miror quod inde non Negavit Deum esse *Amorem*, & Spiritum Sanctum esse *Deum*, nisi secundarium quendam. Et Ratio ejus elumbis hæc est, pag. 526. [*Non est autem de Animæ Essentia esse Voluntatem, aut Appetitum etiam in radice; quia iste conceptus est secundarius ratione nostrâ, supponens Intellectivum gradum:*] Scilicet sicut Intellectus supponit Vitalitatem, & Spiritus Sanctus Filium & Patrem. Hæc omnia quomodo Trinitati Divinæ sint applicanda, Lectori considerandum relinquo.

18. Quamvis ad Conceptum adæquatum necessarium est, ut de Anima cogitemus, tum sub notione *Spiritûs*, seu *substantiæ purissimæ*, tum sub notione *Virtutis Formalis*, magis tamen ex posteriore hâc quam ex priore nobis nota est. Spiritûs enim *substantialitas* (seu ut alii dicunt, *Materia Metaphysica*) tenuiter admodum, (si omninò positivè) nobis nota est: At quid sit, *Vitaliter Agere*, quid *Intelligere*, quid *Velle*, clarius nobis innotescit: Et inde quid sit, *Vis Vitalis*, *Vis Intellectiva*, &c. Okam. Quodlib. Qu. 13. probat *Intellectum nostrum suos actus cognoscere intuitivè; Quia notitia abstractiva præsupponit intuitivam: sed cognitiones intellectuales cognoscuntur abstractivè: Ergo*, &c. Et quod *de cognitione Intellectus, & Volitione formatur propositio contingens, quæ evidenter cognoscitur ab intellectu nostro, Puta, Intellectio est, Volitio est: Aut ergo mediante cognitione Intuitivâ Intellectionis*

tellectionis, & habetur propositum; vel Abstractivâ: Et hoc non: quia abstractivâ abstrahit ab existentia actuali: Item Cognitio experimentalis non est sine notitia intuitiva: Sed aliquis carens omni notitiâ intuitivâ, sensitivâ, experitur cognitionem intellectualem: Ergo, &c.

Et hinc Cartesius cum suis sectatoribus arguit, [*Cogito ergo sum*] Actum cogitandi ponens primum unicuique cognitum, unde etiam ipsum *esse* colligitur. Hic tamen fatendum est, quod *alterius* Actus non intuemur, multo minus *Divinos* (in hac vita.) At sicut *Effectus* ad extra primò nobis noti sunt, ita deinde *id Deitatis quod effectibus proximum* est; quod (sub conceptu nostro inadæquato) est, Actio Divina Effectiva, & denique *Virtus Agendi.* Et ita sicut se habent Solis seu Ignis *Motus, Lumen, Calor*, oculo, & inde Vis Motiva, Illuminativa, Calefactiva, Intellectui (dum Ignis aut Solis *materia* nobis vix nota est) Item (quoad ordinem percipiendi) prius nota est *Actio*, deinde *Virtus* Vitalitatis, *Intellectûs* & *Voluntatis Divinæ*, quamvis Analogice tantum ita dicta. Et profectò *Pater*, λόγος & *Spiritus Sanctus*, se per *opera distinctè* mortalibus notificarunt.

19. Qui cum Thoma Facultates Animæ Accidentia esse autumant, Quid sit Anima *nil formale* dicere possunt, sed tantum per notiones generales & accidentales eam describere necesse habent; id est, plane fateri quid sit Anima se nescire. Et ita qui Deum non novit quâ Essentialiter *Vitam, Intellectum, Voluntatem*, quid sit Deus nil dicere potest præter *Generalia*, & quæ Accidentalibus nostris & modalibus sunt Analoga (Quamvis reverâ in Deo non est Accidens Reale.) Et fortasse idem Verum invenietur de Personarum itidem Trinitate. Qui nescit Deum esse *sui Vitam, se Intelligentem, se Amantem*, vix *aliquid formale* de Deo intelligit.

20. Si ad Symbolum Athanasii dictum respicio, dicam (idem de Anima Verum esse præsupponens) quod hæc omnia de Principiis Divinis, quæ vulgò etiam de Trinitate dicuntur, sunt dicenda. [*Fides Catholica hæc est, ut Deum unicum colamus in Trinitate, & Trinitatem in Unitate: Neque Principia confundentes, neque substantiam dividentes. Una enim est Virtus Vitalis-Activa, altera Intellectus, tertia Voluntatis. At Deitas Vitæ, Intellectus & Voluntatis eadem est, æqualis Gloria, coæterna Majestas. Qualis est Vita, talis Intellectus & talis Voluntas. Vita increata, Intellectus increatus, & Voluntas increata. Vita incomprehensibilis, Intellectus incomprehensibilis, & Voluntas incomprehensibilis. Vita æterna, Intellectus æternus & Voluntas æterna: Non tamen sunt Tres æterni, sed unus æternus. Sicut neque Tres incomprehensibiles, aut tres increati, sed Unus increatus, & Unus incomprehensibilis*] Et ita per cætera solum dubitatur an *Omnipotentia* propriè unicuique seorsim *tribuatur*, de quo videatur Author (an Athanasius an Anastasius, aut *quicunque* is fuerit.) Ego quidem dicere non dubito, quod *Vita-Activa Divina* est *Intelligens*, seu *Sapiens*, & *Intellectus* seu *Sapientia* est *Vitalis* & *Volitiva* seu *Amans* in concreto: Et *Amor* est *Vitalis* & *Intellectiva* seu *Sapiens*: At non itidem in Abstracto propriè dicitur, Virtus *Activa-Vitalis*, est Virtus formaliter Intellectiva, aut Vivere & Agere est Intelligere, & Intelligere est Velle, & Sapientia est Amor, & Amor est Sapientia, aut Vita formaliter. Et ita de Personis.

21. Sicut Animæ conceptus maxime adæquatus est, quod sit *Spiritus creatus* (seu *substantia purissima*) formali Virtute præditus *Vitaliter-Activissimâ, Intellectivâ, Volitivâ, primò & necessariò ad se*, & deinde ad *Exteriora*; ita & conceptum veriorem de Deo mens humana hic habere non potest, quam *Quod sit Essentia Una Prima Independens, Infinita, necessaria, Immutabilis, Spiritus* scilicet *Vita-Intellectus, Voluntas, Perfectissimus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, sui-Vita, se Intelligens, se Amans, ex Quo per Quem & ad Quem omnia:* Relationibus ad Creaturas hinc illatis.

Qu. VII. *Utrum reverâ Trinitas Principiorum & Personarum sit eadem?*

Resp. AD quæstionis hujus Solutionem Hæc priùs Lectoribus pensitanda propono. I. Quid λόγος significat, Joh. 1. 1, &c. II. Quid *Persona*? III. Quid Relatio in Divinis? IV. Quænam Relationum fundamenta? V. Quomodo

modo inter se differunt Principia seu Virtutes Divinæ ? VI. Quid de hac re dixerunt Patres ? VII. Quid Scholastici ? VIII. Quid recentiores ? & post hæc Lectoris judicio rem remittam.

I. Λογ. in authoribus tum sacris tum prophanis sumitur aliquando pro *Ratione Intellectuali*, aliquando pro *sermone* vel *Verbo*, aliquando pro *Definitione*, aliquando pro *argumento*, & Ratione redditâ, aliquando pro *Notione*, ut & pro *cura*, cum pluribus aliis significationibus, quas ex authorum sententiis probatas videre est in Lexic. Henric.-Pet. & aliis. At quoniam à Spiritu Sancto hoc nomen eligitur, Joh 1.1, &c. inde præcipuè quærenda est ejus significatio. Et quanquam [ἐν ἀρχῇ] pro rerum creatarum principio per plurimos interpretes sumitur, potiùs quam *pro Patre* ut Cyrillus, & quanquam de omnium Creatione per Verbum hic dictum est, non tamen inde colligi potest Christum ut primo creatum tunc ortum suum habuisse ; sed è contra dictum est [ἡ ὁ λόγ. ἦν πρὸς τ Θεὸν :] Quibus æterna coexistentia innuitur : Imò [ἡ Θεὸς ἦν ὁ λογ.] ne aut Creaturam, aut de novo incipientem λογον putaremus. Hinc autem patet 1. Nomen hoc respectum habere ad opus Creationis, ubi *Dixit Deus, fiat Lux, & facta est Lux*, &c. Unde opera Dei sæpissimè *Verbo ejus ascribuntur*, ut Psal. 33.6. & 148. 8. 2 Pet. 3. 5, &c. Et eadem ferè dicta sunt de *Sapientia*, Prov. 8. [*A seculo habui principatum, à principio, jam ante terram : cum nondum essent voragines formata sum, cum præpararet cœlos, ibi jam ego.* 2. Ut priùs igitur (ab æterno scilicet) existens hic nominatur, quamvis in tempore λογ. ad creandum dictus. Ideoque hic λόγ. est & *Verbum æternum inexistens SAPIENTIA* Patris dictus, Prov. 8. Et *Verbum Creativum*, id est *Omnipotentis, Sapientia* exiens ad Creandum. Ipse Textus nos docet igitur λογον interpretari neque solam *Sapientiam*, ut *æternam inexistentem*, neque solùm ut *exeuntem* ad *Creandum*, sed latiùs ut sensum utrumque comprehendentem. Unde & Zeno (sicut à Grotio observatum est) à Tertulliano & Lactantio laudatur, quia λογον fabricatorem mundi statuit : Inquit Tertull. [*Apud vestros quoque Sapientes, λογον, id est, Sermonem atque Rationem constat artificem videri universitatis : Hunc enim Zeno determinat Factitatorem qui cuncta in dispositione formaverit :* Et idem Tertullianus Filium dicit, *ex Deo prolatum, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei, & Deum dictum ex unitate substantiæ : Nam & Deus Spiritus :* (inquit) *Etiam cum radius ex Sole porrigitur, portio ex summa, sed Sol erit in Radio, quia Solis est Radius, nec separatur substantia, sed extenditur.*

Et dicitur v. 4. Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν : Sicut alibi à Christo dictum est, *Pater est in me, & ego in Patre ; &* Joh. 5. *Pater dedit ipsi Vitam habere in se, sicut Pater in se vitam habet.* Hic autem non solum intelligitur Christum nobis *Vivendi Authorem & Causam* esse, sed etiam ipsam Vitæ Radicem, seu *æternam Sapientiam, à Vita Divina Omnipotente Generatum :* Ideoque hic ut priùs de Christo & ut ab *æterno inexistente* & ut ad vivificandos homines *exeunte*, dictum est.

Et dicitur [ἡ ἡ ζωὴ τὸ φῶς τῶν ἀνθρωπων] ut Personæ proprietas denotetur : neque enim hic etiam de Mundi Illuminatione tantùm dicitur, sed etiam de Illuminatoris æterna proprietate : Lux autem Solis secunda facultas, semper *Intellectui* Animæ *secundæ facultati* assimilatur. It ita hic innuitur, λόγον seu Intellectum-Rationem-Sapientiam Dei æternam, Incarnatam, fieri Mundi *Lumen* ; Lux-Intellectus æternus inexistens, nobis fit Doctor-Lumen transiens, Joh. 11. 10. & 12. 35. 1 Joh. 1. 7. Apoc. 21. 23.

Et notavit Grotius etiam Senecam cum aliis Stoicis dicentem [*Rationem facientem*] Epist. 65. & Chalcidium dicentem [*Et Ratio Dei, Deus est humanis rebus consulens, quæ Causa est hominibus bene beateque vivendi, si non minus à summo Deo sibi concessum negligant.*]

Non Deodati & aliorum expositioni repugno, qui Christum ideo hominis Lumen dictum volunt, quia Animam Creavit *Intellectivam*, & deinde quia eam obcæcatam illuminavit : Neque iis contradico qui λόγον vocatum volunt, quia Patrem nobis seculis omnibus declaravit, sicut Verbum dicentis Mentem, modò hæ ut secundariæ tantum rationes nominis reddantur.

Rectè, ni fallor, Annotationes Belgicæ [ὁ λόγ., i. e. *Substantialis, Verbum & Ratio :*

Ratio: sicut & Ratio significat & internam hominis Rationem seu Intellectum, & externum Verbum, quo Ratio Interna aliis declaratur: Vide cætera. Et v. 4. *Lumen erat hominum,* viz. *Author & Origo Luminis, nimirum Rationis & Intellectus quo genus humanum in Creatione præditum est,* &c.

Lege Bezam, Calvinum, Jansenium, Lyram supra alios in locum. Maldonatus plurimas ineptas interpretationes priùs notans, fatetur, quod *Hâc ratione magna pars veterum, & recentiores ferè omnes auctores putant Filium Vocatum fuisse Verbum, quod Notitia Patris sit: Quæ opinio magno in Scholam Theologorum consensu recepta est; tantumque auctoritatis obtinuit, ut nemo jam ab ea possit sine temeritatis nota discedere: Nihil tamen* (inquit) *obstat* quo minus *aliæ quoque veræ esse possint.* Ipse ergo duas alias huic interpretationi adjungam, omnes simul complectentes, *viz.* 2. Quia per Verbum Dei Mundus factus est, 3. Et quia nobis Filius interpres est paternæ Voluntatis. Et sensum quidem comprehensivum potiùs quàm angustum amplectendum esse omninò judico. At cum Calvino modesto dicendum est, [*sed nolo supra fidei meæ captum argute Philosophari: Et videmus Dei Spiritum adeo ejusmodi argutias non probare, ut nobiscum balbutiens, quam sobrie de tantis arcanis sapiendum sit, tacendo clamet. Duplex est* (λόγος) *Relatio, Prior ad Deum, altera ad homines---*]

Lyra notat *Verbum* seu *Conceptum Mentis, non informem, sed perfectum & determinatum, qui dicitur Definitio, in nobis esse Verbi Divini imaginem; Quia Deus unico Actu Intelligendi, seipsum & omnia alia concipit perfectè: Et ita in Deo est Verbum Unicum, quia non potest illi esse nisi Unicus conceptus perfectissimus--- Et in Deo idem est quod substantia Divina:*] Vide cætera. Hic autem plurimis Scholasticis non concordat, qui dicunt *Dei aliorum Notitiam non esse Verbum* Filium.

Vide Damascen. de fid. Orth. cap. 6. Cum Clichtovæi commentariis. Et c. 7, 8, 9. (ubi Filium dicit esse à Patre sicut Lux est ab Igne) & Comment. Clichtovæi ubi Sententia Richardi de S. Vict.

II. *Quid est Persona?* Quæritur 1. De *Nomine*, An *Nomen* PERSONÆ in hisce explicandis sit necessarium? 2. Deinde de ejus significatione.

1. Si id *Necessarium* dicatur quod per Accidens ad fidei conservationem *Utile* est, Personæ nomen *necessarium* dici potest: Quia ex usu Ecclesiastico ejus significatio ita fixa est, ut qui *nomen* hoc repudiat, etiam *Fidem veram* repudiare ferè putatur. Aliter *nomen nullum* ad fidem est absolutè necessarium: quia Lingua nulla unica ad eam est necessaria: Multo minus, nomen *Personæ*, quod in Sacris Literis hoc sensu nunquam usurpatur.

2. Ad secundam Aquinas ex Boetio defendit, *Personam esse Rationalis Naturæ individuam substantiam*; 1. q. 29. ar. 1. Et quando in Resp. art. 4. perplexus est, ita totam rem aperire conatur [*Persona in communi significat substantiam Individuam rationalis naturæ. Individuum est quod est in se indistinctum, ab aliis verò distinctum: Persona in quacunque natura significat id quod est distinctum naturâ illâ: sicut in humana natura significat, has carnes, hæc ossa & hanc animam; quæ sunt principia individuantia hominem ---Distinctio autem in Divinis non fit nisi per Relationes originis. Relatio autem in Divinis non est sicut Accidens inhærens subjecto, sed est Ipsa Divina Essentia: Unde est subsistens, sicut Essentia Divina subsistit. Sicut ergo Deitas est Deus, ita Paternitas Divina est Deus Pater qui est Persona Divina. Persona igitur Divina significat Relationem ut subsistentem; & hoc est significare Relationem per modum substantiæ, quæ est hypostasis subsistens in Natura Divina; licet subsistens in Natura Divina non sit aliud quam Natura Divina.*] Et quando Qu. 30. *Utrum sint plures Personæ in Divinis?* premitur hac objectione, [*Non sunt plures Rationalis Naturæ Individuæ substantiæ: Ergo neque plures Personæ.* Respondet, *Quod substantia non ponitur in definitione Personæ secundum quod significat Essentiam, sed secundum quod significat suppositum.*] Et q. 39. *Utrum in Divinis Essentia sit idem quod persona?* affirmat, dicendo [*In Deo idem est Essentia & suppositum quod in substantiis intellectualibus nihil aliud est quam Persona. Sed difficultatem videtur ingerere, quod multiplicatis Personis Divinis, Essentia retinet unitatem.---Posuerunt aliqui hoc modo*

Scheiblero, ſuppoſitum eſt ſubſtantia ſingularis completa & incommunicabilis; & Perſona eſt ſuppoſitum Rationale.

Richard. autem & Scotus dicunt, Perſona eſt Intellectualis Naturæ individua exiſtentia. *vid. Radam, Cont.* 22.

in Divinis differre Eſſentiam & Perſonas, quo & Relationes dicebant eſſe aſſiſtentes, conſiderantes in relationibus ſolùm quod ad alterum ſunt, & non quod res ſunt. Sed ſicut Relationes in rebus creatis accidentaliter inſunt, ita in Deo ſunt ipſa Eſſentia Divina: Ex quo ſequitur quod in Deo non ſit aliud Eſſentia quam Perſona ſecundum rem, & tamen quod Perſonæ Realiter ab invicem diſtinguantur; Perſona enim ſignificat Relationem prout eſt ſubſiſtens in Natura Divina: Relatio autem ad Eſſentiam comparata non differt, ſed Ratione tantum: Comparata autem ad oppoſitam Relationem, habet virtute oppoſitionis Realem diſtinctionem.] Summa huc redit: In *Eſſentia* ſeu *Subſtantia omnimodò eadem, fundantur tres Relationes Realiter diſtinctæ, quæ Relationes Realiter ſunt ipſa Eſſentia ſeu Subſtantia Divina, non quâ Eſſentia, ſed quâ ſuppoſitum, ſeu Perſona,* quæ idem eſt quod Eſſentia, & *cui nulla ineſt ſuppoſitio vel ſubjectio ſecundum rem:* (ut loquitur, q. 39. a. 1. ad 3^m.)

Spero non omnes damnandos eſſe, qui hæc neque intelligere, neque conciliare poſſunt. Sed de hiſce plura poſtea.

Cajetanus Deum præciſe apprehenſum vocat ſuppoſitum; Fonſeca, Suarez, alii hoc culpant. Juxta Scheiblerum, *ſuppoſitum* eſt *ſubſtantia ſingularis completa & incommunicabilis*, & *generalius* quid eſt quam *Perſona*, quæ definitur, *ſuppoſitum Intelligens:* At *Vallæ & Scaligero* Perſona non eſt *ſubſtantia ſed Qualitas.* Scheiblerus autem clariùs Vallæ objectionem ſolvit, quam Aquinas: negat conſequentiam [*Perſona eſt ſubſtantia: Ergo tres Perſonæ ſunt tres ſubſtantiæ:*] *Quia Perſona aliquando ſumitur quaſi complexè & concretè, pro Eſſentia & Proprietate Perſonali ſimul: Ita intelligitur cum Perſona dicitur ſubſtantia: Et cum Pater dicitur Perſona: Aliter autem ſumitur Perſona quaſi Abſtractè & pro addito quod præter Eſſentiam ſignificat: Et juxta hanc ſumptionem intelligitur, cum dicuntur tres Perſonæ: Cujus ſenſus eſt quod ſub tribus Proprietatibus Perſonalibus ſubſiſtat Una Eſſentia Divina*] Ita Trinitatem ille ſtatuit eſſe Proprietatum *Eſſentiæ* quaſi additarum. Quod declarat ex *Trinitate Affectionum* Entis (Uni, Veri, Boni) quâ Affectionum, at *Unitate*, quâ *Entis.*

At manet difficultas, Quænam ſint hæ tres Proprietates? An ipſæ Relationes? An earum fundamenta, aut antecedentia? aut conſequentes? An Proprietates hæ differant ab Eſſentia, & quomodo? Et quidem ne Lectorem potiùs confunderem quam ædificarem vereor, ſi Scholaſticorum opiniones diſcuterem de differentia Naturæ & ſuppoſiti: Brevitatis gratia quæſo ut eum remittam Scheiblero, Metaph. li. 2. c. 2. n. 74, *&c.* & Suarez Met. d. 34. & Fonſec. 5. Met. c. 8. q. 6. Si copioſius rem tractatam videre mallet, in Thomiſtis, Scotiſtis, Nominalibus ferè omnibus ſuum cerebrum fatigare poteſt. Sin autem *Perſonalitatem* in *Divinis* ſtatuere liceret Radicaliter in Trinitate æterna Principiorum (Vitæ, Intellectus, Voluntatis) deinde in exiſtentiâ formali in Trinitate æterna horum Principiorum ut in Actu Immanente in *Deo* ipſo, (ut-ſui-Vita, ſe *Intelligens*, ſe *Amans* eſt) cum mutuâ Relatione & Actus ad Actum, & Actus ad Objectum, & denique Quoad nos exeunter, in Tranſitione ad extra, primo objectivè ſolum, deinde Effectivè; ſi hæc inquam ſufficerent (de quo nil aſſero) res tota certiſſima, indubitata, & clara eſſet, quantum mortalibus de Natura Divina incomprehenſibili dici poſſit.

III. Et quia plerumque dicitur quod *Perſona* in Divinis eſt *Relatio*, res adhuc nobis eo obſcurior redditur, quo magis obſcura eſt Relationum Entitas. Verè enim dicit Scheiblerus, li. 2. c. 9. n. 1. Cum *Intellectus noſter ſit perfectionis cujuſdam mediæ, hinc ſit ut aliqua non facile intelligantur à nobis vel propter exceſſum perfectionis, vel propter perfectionis defectum. Ex utroque enim Caſu Objecta ſunt improportionata intellectui: Sicut igitur Intellectus noſter cæcutit ad agnitionem Dei, tanquam Entis perfectiſſimi, ita hæret in cognitione Relationum, tanquam Entium debiliſſimorum.* Et, 1. Dubitatur *An Relatio ſit aliquid Reale*? An tantum Ens Rationis? vel, An ſit aliquid diſtinctum à ſubjecto, fundamento & Termino? Et ſi aliud, quid tandem ſit? Et reverâ *Rerum Ordines*, ut ab earum naturis diſtincti, miranda

miranda ſuppeditant negotia Intellectui humano ; unde Entia Rationis Ratiocinatæ innumera, magnam vitæ humanæ partem ſibi vindicant ; (Tale ſomnium, talis luſus eſt hæc vita :) Nec omnia tamen hæc Entia Rationis parvipendenda ſunt: *Sapientia* quippe Divina ORDINIS fons eſt ; & non tantum Relationes omnes ad *Ordinem* pertinent, vel ex rerum Ordine reſultant, ſed & tota (ni fallor) *Moralitas* Formaliter invenitur in *Ordine* & *Relatione*, & Materialiter ferè in *Modo*. Deus Creator Omnipotens eſt Fons *Naturæ*, Deus Gubernator Sapientiſſimus eſt *Fons Ordinis*, Deus Amor Amabiliſſimus eſt Fons & Finis Perfectionis. Quid autem eſt Rerum *Ordo*, quid earum *Relationes* ad invicem, meliùs incomplexe & in ſe, quam Complexe per Notiones ſecundas noſcitur.

Reverâ Relationum Fundamenta jacta ſunt in *Rerum Ordine* ; *Ordo* hic eſt & ſubſtantiarum & quantitatum, & qualitatum & Actionum & paſſionum, imò & ipſarum Relationum, *&c.* Ex *Ordine* Relatio: Relatio eſt Rerum ordinatarum *Comparabilitas* inter ſe, vel ad invicem. Potentiâ ſcilicet Res inter ſe Comparandi Intellectus præditus eſt: Inde Paſſiva capacitas, quâ Res fiunt objecta Actus Comparantis, earum Comparabilitas ſeu Relatio dicitur: Quæ non eſt Res alia ab Ordine Fundamentali, neque ipſe *Ordo Res* alia (propriè dicta) à Rebus Ordinatis, neque aliis notionibus nobis meliùs dignoſcuntur quàm nudis nominibus (cum experientia ſenſibilis perceptionis) *Ordinis* & *Relationis:* Ex *Ordine* & *Relationibus* eſt *Pulchritudo* & *Harmonia.* Ordo & Comparabilitas ſemper eſt diverſorum, ſeu inter diverſa. Neque plura de Rerum Relationibus mihi nota ſunt, quanquam pluribus de eis diſputationibus ſæpe fatigatus ſum. *Res novæ* aut aliæ in Rerum *Ordine* & *relationibus* non ſunt quærendæ: Nihil Reale ſunt; at *Nonnihil ordinale.* Quam latus eſt Rerum Natura Campus, ubi Ingenium humanum aut ſomnians aut evigilans, aut ſeriò aut ludens expatiari poteſt. Et an riſu an fletu dignius eſt, Novum quidem & non parvum Rerum Mundum videre, ex Nihilo Reali per Imaginationem & Intellectum humanum prægnantiſſimum creatum eſſe, & quanto negotio & ſtrepitu in Mundo hoc proprio ſe homines exerceant !

Et Scientiarum inutilis partitio in cauſa eſt, quod Vera omnis Relatio ſub uno genere ſeu prædicamento non comprehenditur, quandoquidem *Relationis* Natura unicuique communis eſt, & nomen univoce unicuique convenit: Neque tam meritò culpantur Capreolus 1. d. 33. q. 1. Cajetanus 1. p. q. 13. a. 7. Ferrarienſ 4. cont. gent. c. 14. Soncin. Met. 5. q. 26. quod Relationes Rationis, & Simplic. Boethius, Albertus, Tolletus, quod Relata ſecundum dici, ad prædicamentum Relationis pertinere docuerunt, quam illi qui omnes omnino *Relationes* ſimul ſub eodem genere non tradunt. Neque mirum eſt Zenonem *Eleat.* & omnes ante Platonem negaſſe Relationem eſſe Prædicamentum, niſi Ratio Prædicamentalis tunc meliùs explicata fuiſſet. Rudi Minervâ enim, inquit Hurtado de Mend. prædicamenta ab Ariſtotele congeſta ſunt, non Res diverſas, ſed ſæpe earundem diverſas notiones numero arbitrario diſponente.

Logici noſtri hucuſque plerumque *Relationem* à ſuo *fundamento* diſtinxerunt : Aliter quare nomina illis diverſa tribuunt ? Quare Relationem à Fundamento dicunt reſultare ? Anne tanto hiatu idem de eodem dicunt ? At quale diſcrimen eſt non omnibus convenit. Alii ſcilicet diſtinctionem Realem malè fingunt, qualis eſt inter Rem & Rem, ut dicuntur Cajet. 1. p. q. 28. a. 2. Ferrar. cont. gent. l. 4. c. 14. Capreol. 1. d. 30. q. 1. At Hurtadus eos pro modali tantum interpretatur.

Alii diſtinctionem Modalem tuentur, qualem inter quantitatem & Figuram : Alii Relationes (ſaltem à fundamento ſeparabiles) formaliter diſtinguunt ut Scotus & Fonſeca. De Durandi ſententia ferè ſimili vide ipſum 1. d. 30. q. 2. & Suarez Met. diſp. 47. ſect. 2. n. 4, 5. Alii dicunt Relationem à fundamento diſtingui tantum Ratione Ratiocinatâ : Ita Ockam. 1. d. qu. 1. & d. 31. q. 1. Arimin. d. 28. q. 2. a. 2. Ægid. 1. d. 26. q. 4. Hervæus, & Suarez Met. diſp. 47. ſect. 2. n. 22. & Scheibler. l. 2. c. 9. punct. 2. n. 50. Qui *Modalem* & qui Formalem diſtinctio-

nem tuentur, plerumque de nomine tantum discrepant; & Albertinus qui Formalem tuetur, instantiam dat Quantitatis & Figuræ: Differentiam inter Modalem & Formalem vid. in Albertino de Rel. Q. 6. pag. 387. & qu. 13. & in Formalistis. Thomam omnes pro sua sententia allegant. Vid. Hurtad. Met. d. 15. p. 898, 899.

Et Reverâ nihil est quod Causæ nullius effectum est (præter primam ipsam Causam.) At præter Fundamentum & Terminum cum subjecto, Relatio Causa nulla efficiente indiget. Ovum scilicet hoc mille millenis Ovis per totum orbem quotidie novis, simile est; at sine minima mutatione in seipso. Quot Rerum Myriades in unaquaque persona, in unaquaque arenula inveniuntur, si Relatio omnis verè Res est? Quando Maritus moritur apud Antipodes, conjux etiam nescia sine minima mutatione sui aut Reali aut Modali, fit vidua.

Plenissime quidem probavit Pet. Hurtad. Relationem à subjecto, Fundamento & Termino distingui tantum Ratione Ratiocinata, non autem realiter, formaliter aut modaliter, nisi per formalitatem aut modum nihil aliud quam Ratio Ratiocinata intelligatur: Et Terminum etiam Relationi essentialem esse; & quamvis denominatur à Fundamento & Subjecto, esse ad Terminum tamen ei essentiale est: Est enim Rei ad aliud Comparabilitas, ideoque est quasi duorum, seu inter utrumque, id est, unius ad alterum. Et cum dicit Scotus, Conceptum Rationis falsum esse, si distinguat Ratio ubi Res non est diversa, verè respondet Albertinus non est falsa, [*quia, dum concipit unum non concepto alio, non affirmat, sed tantum abstrahit negativè; sicut visus non errat dum cognoscit colorem, non cognoscendo saporem.*] vid. Albertin. de Rel. qu. 12. pag. 400, &c. Sed de Relatione statim plura.

IV. De Relationum Divinarum Fundamentis obscure admodum loquuntur Scholastici: De duplici quidem Processione multa loquuntur, scilicet Verbi Processione sequente Actum Intellectus; & Amoris seu Sp. Sancti processione sequente Actum Voluntatis: In Divinis, aiunt nulla est processio nisi secundum Actionem. Thom. 1. q. 27. a. 3. c. Juxta primam, Intellectum est in Intelligente, juxta secundam, Amatum est in Amante: Id ib. At sive Actus, sive Processiones, fundamenta Relationum esse velint, nescio omnino quomodo diversas faciunt: Intellectum enim Divinum & Voluntatem omnimodo idem esse volunt: Et Intelligere & Velle omnimodò idem: Dicere item & Velle, vel Generari & Spirare idem; at si omnimodò idem sint fundamenta, imò & termini, quomodo diversæ sint Relationes, captum humanum superat. Dicit quidem Aquinas 1. q. 27. a. 3. ad 3^m. [*Quod licet in Deo non sit aliud Voluntas & Intellectus, tamen de Ratione Voluntatis & Intellectus est, quod Processiones quæ sunt secundum Actiones utriusque se habeant secundum quendam ordinem*] At *Ordo* nobis notus est tantum inter *diversa*; sicut & Relatio. Si nulla est in Actu Divino diversitas Realis, modalis, aut formalis ex natura rei, captum nostrum superat quomodo Actus, omnimodo idem, sibi ipsi realiter sit Relatus per Relationes diversas. At *quatuor Relationes Reales* in Divinis ponunt; (Aquin. 1. q. 28. a. 4, &c.) quæ sunt *Paternitas, Filiatio, Spiratio & processio: Relationes, aiunt, in Deo esse non possunt nisi super Actionem fundatæ, eamque ad intra tantum. Hujusmodi Processiones sunt duæ tantum, una secundum Actionem Intellectus, quæ est Processio Verbi; alia secundnm actionem Voluntatis, quæ est Processio Amoris; secundum quamlibet autem Processionem oportet duas accipere Relationes oppositas, quarum una sit procedentis à principio, & alia ipsius principii. Processio Verbi dicitur Generatio-Relatio Principii-Paternitas; Relatio procedentis à principio, Filiatio. Processio Amoris non habet proprium nomen, neque Relationes quæ secundum ipsam accipiuntur; sed Vocatur Relatio Principii Spiratio; Relatio autem Procedentis, Processio.*--] At si Relationes Reales sunt quatuor, aut *Persona* & *Relatio realis* in Divinis sunt Idem, vel *Non*: Si Idem sint, tunc quatuor erunt Personæ: Si non idem, alia danda est Personæ definitio, ubi Relatio Realis non sit ejus Ratio formalis: Et deinde ratio reddenda est, quare ambæ Relationes ex Processione primâ sint Personæ, non autem in Processione itidem secundâ: Denique cum Actus sit omninò unicus unde Processiones, quomodo Relationes seu Processiones sunt diversæ; cum ut ait Durandus 1. d. 5. q. 1. n. 8. p. 67. [*æque difficile vel impossibile sit quando aliqua sunt penitus idem re,*

quod

quod unum realiter differat ab aliquo à quo non differt realiter alterum---Si enim illa quæ ſunt unum & idem in tertio, ſunt neceſſariò unum & idem inter ſe ; illo modo, fortiori ratione quæ ſunt omnimodo unum & idem generaliter inter ſe ſunt omnimodo unum & idem reſpectu cujuſcunque tertii,] &c. quæ huc applicentur. Et quod de *Novitate*, dicit Faber Favent. Theor. 98. c. 2. difficultatem innuit quoad diverſitatem ; [*Relatio Realis propriè dicta, neceſſariò ſequitur extrema ſimul poſita : Et ita non poteſt eſſe nova ſine novitate aliquâ in extremis*] Quær. *An diverſa ſine diverſitate extremorum* ? Et ut loquitur, *Nic. d'Orbellis* 1. d. 32. de reſpectu declarativi ad declarabile [*Ejuſdem ad ſe. non eſt Relatio Realis.*] Et ait Aquinas 1. q. 28. a. 4. ad 1m. [*In Deo eſt Idem omninò Intellectus & Intellectum, quia Intelligendo ſe intelligit omnia alia : Et Voluntas & Volitum : Unde in Deo hujuſmodi Relationes non ſunt, ſicut neque Relatio ejuſdem ad idem ; ſed tamen* (inquit) *Relatio ad Verbum eſt Realis, quia Verbum intelligitur ut procedens per Actionem Intelligibilem, non autem ut res intellecta : Cum intelligimus lapidem id quod ex re intellecta concipit Intellectus, vocatur Verbum.*] At quando Intellectus & res intellecta, omnimodo idem ſunt, ut & omnis Eſſentia & Actus idem, Intellectus item & Voluntas omnimodo idem, ſi Relatio ejuſdem ad Idem non ſit Realis, quomodo Verbum, ab eodem de eodem per Actum qui eſt ille idem, Conceptum, non eſt etiam idem ? Et quid eſt Verbum concipere niſi notitiam & Ideam habere ?

Ad dictum Ariſtot. [*Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe,*] *Reſponſiones quatuor recitat Albertinus*, 7. princ. Phil. pag. 360, 361, &c. Unam Scoti, Capreoli, Cajet. Alteram Ferrar. Tertiam etiam Capreoli, quas omnes refutat ; & Quartam Vaſquez & Communem Veram agnoſcit, *viz.* [*Hoc principium eſſe Verum in rebus creatis, non autem in Divinis propter Infinitatem :*] At rationem ille reddit quare Infinitudo requiratur ex parte antecedentis, non ex parte conſequentis, quia Identificatio extremorum non tollit oppoſitionem eorundem inter ſe, & in rebus creatis nunquam extrema quæ identificantur cum tertio ſunt realitates : At tandem totum huc redit [*Myſterii ineffabilitatem conſiſtere in hoc, quod Relationes ſint inter ſe diſtinctæ realiter, & tamen ſint identificatæ cum Eſſentia, quod quidem in Natura creata non poteſt reperiri.*] Quod quidem citò & ſolùm dixiſſe, ſine ingeniorum longa præcedente torturâ, ni fallor ſatiùs eſſet. Et Deus quidem non eſſet Deus ſi nobis eſſet comprehenſibilis & plane effabilis : Attamen Verba Pet. Hurtad. recordor Phyſ. diſp. 9. ſect. 3. p. 252. [*Hoc mihi ingenium eſt atque natura, ut Commenta exiſtimem eorum placita, qui ut apertas rationes & experientias eludant, confugiunt ad occulta naturæ Sacramenta, tanquam ad Sacram Anchoram, ut inter occulta latibula veritas deliteſcat, erigantque aras ignoto :*] (Sicut Pontificii nobis ex Tranſubſtantiatione ſuâ nobis novam Phyſicam, novam Metaphyſicam, novam Logicam, novam Theologiam, & novum Chriſtianiſmum, & novam humanitatem cudunt, ne apicem unum contra omnes omnium ſenſus & contra Scripturas & Antiquitatem defenſum, deſerant.) Iterumque idem Hurtad. diſp. 12. ſect. 3. ſubſ. 2. p. 302. [*Vehementer mihi diſplicent nonnulli Philoſophi que Caliginoſas & impenetrabiles difficultates quibus in myſterio Trinitatis & Dei primimur, paſſim objectant ad explicandas obvias quaſque Philoſophicas quæſtiones ; quo nec explicant Divina, & obtenebrant humana*] Dici tamen ſano ſenſu poteſt cum Holkot. de Trin. 1. q. 5. *Non eſt inconveniens quod Logica naturalis deficiat, in his quæ fidei ſunt.* Et [*Rationalis Logica fidei alia eſſe debet à Logica naturali : Philoſophi non viderunt rem eſſe unam & tres : Ideo de ea in ſuis regulis mentionem non fecerunt. Sunt in Logica fidei tales Regulæ : Quod omne abſolutum prædicatur in ſingulari de tribus, & non in plurali. Alia, quod Unitas tenet ſuum conſequens ubi non obviat Relationis oppoſitum :* Item [*De Chriſto oportet habere Logicam ſingularem, quod ibi de eodem ſuppoſito oporteat concedi contradictoria cum ſpecificatione diverſarum naturarum.*] Non tamen cum quibuſdam, ideo clara de Trinitate negabo quia clara ſunt ; neque arguendum judico [Trinitatis Doctrina myſterium eſt : hoc non eſt myſterium : Hoc ergo non eſt vera Trinitatis Doctrina] fatis nempe abſcondita nobis manebit, etiamſi nil certum de ea abjiciamus. Vid. Ruiz. d. 15. & d. 21.

V. *Quomodo*

V. *Quomodo inter se differunt Principia seu Attributa* etiam inter Scholasticos non omnino convenit: A plerisque quidem conceditur, Principia, seu Attributa esse ipsam Dei Essentiam: An autem sint *de Essentia ut sic*, dubitatur: *Dicunt quidam Theologi* (inquit Suarez Met. disp. 30. sect. 6.) [*Attributa non esse de Essentia Dei secundum rationes formales suas, quamvis in re ab ipsa non distinguantur.*] Aureolus, m. 1. d. 8. q. 3. a. 2. & Nominales Ockam. Biel, Greg. Arim. 1. d. 8. q. 2. Hurtad. Attributa ab Essentia non omnino distinguunt ex natura rei. Scotus 1. d. 8. q. 4. & d. 2. q. 7. & Scotistæ dicunt Attributa inter se & ab Essentia distingui distinctione formali, ex natura rei, secluso omni Actu Intellectûs. De quo lege Radam Cont. 4. p. 57, *&c.* Thomas 1. p. q. 4. a. 2. & q. 13. a. 12. & q. 28. a. 2. dicit Attributa distingui inter se Ratione Ratiocinatâ: Et ita Thomistæ, quorum alii dicunt hanc distinctionem Virtualem, alii fundamentalem, alii aptitudinem; *viz.* Quando res ex parte sua est Una & indistincta, de ea tamen format Intellectus diversas notitias aliquid reale significantes: Et reverâ huc accedit sensus Nominalium, quem Suarez approbat: Scotistæ dicunt esse *Non-identitatem* ubi non est *Distinctio*, ut inter *Ens & non Ens*, inter *Habitum* & *Privationem*; quia *distinctio*, ut Entis passio, est tantum inter extrema positiva: Et hic distinctionem Rei à re negant, sed *formalem* & distinctos conceptus objectivos & *definitiones* asserunt. Et *Formam* hic sumunt, *pro quacunque ratione sub quâ ex natura rei aliquid concipi potest*; & inde Formalitatis nomen sumunt. *Unde Formalitas*, inquit Rada, *nil aliud est quam Ratio objectiva sub quâ unaquæque res concipi potest ex natura rei.* Et aliquid *formaliter distinctum* dicunt, *quod nec est pars definitionis, nec tota definitio, nec ei convenit per se primo modo.* Notandum autem est quod Scotistæ (Scotus ipse) Ant. Andr. Trombeta, Lychetus, Mayro, Faber, Meurisl. Bassolis, Rada, *&c.*) simul dicunt & *Relationes* (seu Personas) Divinas, & *Attributa* hæc, *formaliter* distingui ab Essentia; & ita *eandem formalem* distinctionem asserunt de utrisque.

Hic nonnulla erroris occasio est Attributorum confusio. Tria hæc principia essentialia cum alius modi Attributis non sunt confundenda. Et *Essentia Dei* sumitur vel *Inadæquatè* pro ἰδέᾳ, sive notione Generali Essendi, sive pro conceptu materiæ Metaphysicæ analogo; & ita quidem Principia non sunt de Essentia, quâ tali: At si Essentia sensu perfecto sumatur, vel etiam pro *Forma* Divina, ut quidam loquuntur, id est, pro conceptu objectivo Formæ analogo, ita *Virtus-Actus Unus Triplex* est de Essentia Divina, quâ tali. Et in Radice *Essentiæ Unus est*; & contra Scotum tenendum est, conceptum Essentiæ Divinæ non esse adæquatum & perfectum, qui Principia hæc omnia non includit: Et ni fallor malè Rada, ib. p. 73. affirmat, *Divinam Essentiam ut præscindit ab Attributis* (hisce) *esse Entitatem formalem adeo perfectam, ut nulla major excogitari possit.* Quid? Anne Essentia non intelligens, non Volens, est perfectissima? De *Misericordia* & *Justitia*, quæ nil aliud sunt quam eadem principia Creaturas respicientia, aliter dicendum; Quia Creaturas respicere non est Deo essentiale. Quodcunque igitur dicendum sit de distinctione *Attributorum* inter se, hæc tria proculdubio Deo sunt Essentialia; & ut Essentiæ conceptus inadæquate distinguendi: Et quamvis verè dicitur à Rada, p. 80. Append. 1. *quod perfectiones Divinæ non de se invicem efferuntur in abstracto formaliter*, viz. *Sapientia* non est formaliter Amor, Intellectus non est formaliter Voluntas, *&c.* non rectè tamen dicit, [*Si Deus secundum suum Quidditativum esse consideretur, non est Sapiens*, &c.] Imò est, Vita, Intellectus, Voluntas, Activitas, Sapientia, Amor.

At quæritur An idem etiam dicendum sit de Personarum seu Relationum Trinitate. [*In hoc*, inquit Suarez (Met. 2. d. 30. sect. 4.) *est magna differentia inter Relationes Divinas & hæc Attributa: Nam præcisis Relationibus concipitur Essentia Dei plenè constituta, & ideò quælibet persona sigillatim sumpta, per eandem Essentiam absolutam formaliter & essentialiter constituitur plenè & perfectè Deus absque aliis Relationibus: Unde fit ut formalis perfectio Relationis, priùs secundum rationem contineatur eminenter in Essentia, quam ei formaliter adjungatur; Quia licet in Relatione formaliter nulla sit imperfectio, est tamen aliquid quod ad perfectionem*

fectionem ſimpliciter non pertinet, &c.] Quibus ego ſubſcribere non audeo: Neque intelligo quomodo verum ſit, quod plerique aſſerunt Scholaſtici Relationem eſſe ipſam Dei Eſſentiam, & tamen ad Eſſentiæ perfectionem non pertinere: Neque dicere audeo Eſſentiam ut plenam & perfectam adæquate concipi, non incluſâ Perſonarum Trinitate. Quanquam non dicerem Trinitatem Perſonarum eſſe ſolùm Deitatis Conceptum inadæquatum, utpote quid amplius ſit; tamen *Conceptum inadæquatum*, etſi *non ſolum*, ſignificare puto. Si (quod ait Aquin. 1. q. 29. a. 2. c.) *Perſona in genere rationalium ſubſtantiarum id ſignificat quod in toto genere ſubſtantiarum, ſubſiſtentia, res naturæ, ſubſtantia ſeu hypoſtaſis*] Et (ut ar. 3. c.) [*nomen Perſonæ ponendum eſt in Divinis quia ad perfectionem attinet*] Et (ut a. 4. c.) *Perſona Divina Relationem ſignificat per modum ſubſtantiæ, ſeu hypoſtaſis in Natura Divina.*] nondum mihi conſtat Conceptum illum Eſſentiæ Divinæ quidditativum adæquatum & perfectum eſſe, qui Trinitatem & Principiorum & Perſonarum non includit: Anne perfectus eſt ille *Intellectus* qui ſe non intelligit? aut ille Intellectus qui ſui *Volitionem* non producit? aut Vita illa, quæ ſibi Eſſentialiter Vita non eſt?

Gregor. Arimin. 1. d. 8. dicit [*Quod nulla perfectio attributalis eſt in Deo aliqua entitas parva vel magna, ſive dicatur Formalitas, ſive ratio quidditativa vel alio quovis nomine appelletur, diſtincta à Divinitate ipſa præciſe ſecundum ſe ſumpta:*] Quod probat [*ſumo* (inquit) *ipſam Divinitatem præciſe ſecundum ſe abſque alio aliquo quoquo modo ab ea diſtincto: Aut ipſe eſt Sapientia, aut Non: Si ſic: ergo vel nulla Sapientia vel Sapientia formalitas eſt in Deo diſtincta à Divinitate, Quod eſt propoſitum: Vel in Deo ſunt plures Sapientiæ, quod eſt erroneum---Si Divinitas non eſt Sapientia, cum Deum eſſe Sapientem nullus nedum Chriſtianus, ſed nec Gentilis negaverit, ſequitur quod Deus non eſt ſua Sapientia, quà ipſe Sapiens eſt, quod falſum.*] Et mihi quidem videtur quod ly *Deus* abſtractus à Sapientia, eſt conceptus mancus & inadæquatus, *ſicut* ly *Ignis* abſtractus à virtute calefactiva: Anne verò à ſe invicem (quamvis non in primaria hac eſſentialitate) diſtinguantur, & quomodo, eſt majoris difficultatis quæſtio. Gregor. concl. 2. ib. & aliorum maxima negationis ratio ſumitur à Simplicitate Divina: At Scotiſtæ (ut Rada cont. 4. & 24. p. 389.) dicunt [*Summæ Simplicitati Non-identitatem formalem minime contrariari: Unde diſtinctio ex natura rei formalis, licet cum compoſitione ſit compoſſibilis, eam non neceſſario infert; cum ea quæ formaliter præciſe ſecundum rationes formales diſtinguuntur, non neceſſario ſicut Actus & Potentia ſe habeant, ſed ſicut duo Actus quorum neuter eſt in Potentia ad alterum:* Cui tamen rationi reſpondet Gregor. Arim. [*quod ſi per illam forte vitaretur compoſitio, non ſalvatur tamen ſimplicitas; Quia nihil includens plura modo præmiſſo eſt ſimplex, tantoque plus à ſimplicitate recedit, quanto illa incluſa minus faciunt unum: Conſtat autem quod minus faciunt unum plura, quorum quodlibet eſt in actu & nullum in Potentia reſpectu alterius, quam ea quorum unum eſt in Potentia ad aliud.* Sed in hiſce non eſt procedendum.

VI. Quid autem de hac re Antiqui dicebant à nemine quod Sciam aut copioſiùs aut melius dictum eſt quam Dion. Petavio in Theol. Dogmat. l. de Trinit. Non negandum eſt primorum ſeculorum Patres plurimos nimium Platonizaſſe; Et ego is non ſum qui omnia eorum dicta de Trinitate defendam; neque ex antiquorum reverentia aliquid non ſanum in rebus Theologicis recipiendum vellem: Et Petavio aſſentior, nonnullos Trinitatis myſterium per notiones rationi congruas ideo explicare conatos eſſe, quo melius homines Ethnicos ad Religionem Chriſtianam amplectendam inducerent. At Arrianis tamen concedere nolo omnes fere Antiquos illos fuiſſe Arrianos; Neque Ethnicis, omnes fere fuiſſe hypocritas falſarios, eaque ſcriptis ad fallendum populum tradidiſſe, quæ ipſi minime crediderunt: At qui ex una parte Philoſtorgium & Arrianum recentiorem Sandium legerit, & ex altera Petavii dictorum veterum nimis aſperam ſugillationem, de Trin. l. 1. c. 1, 2, 3, &c. inſidias ſuæ fidei ſtructas cito percipiet, ne credat ſinceram Trinitatis doctrinam ſeculis prioribus à plurimis Chriſtianis fuiſſe receptam: Quanquam alibi bene quidem Petavius Eccleſiam ab hac ſuſpicione vindicat. At ſi ita ſe res habet

habet, ut à Petavio dictum est, miror Pontificios uno ore jurare, se Scripturas non aliter intellecturos quam juxta Patrum unanimem consensum, sicut in Juramento Tridentino videre est.

Quæ de Philone, Trismegisto, & nupero Eugubino dicit, prætereo. Justini verba quidem corrigenda sunt: Athenagoras non cautè satis de *Verbo* loquitur: At quando dicit Apolog. [*Mens & Verbum Dei, Filius est Dei*] & [*Primigeniam esse Patris progeniem, non quasi factum sit (à principio quippe Deus, qui est æterna Mens, habebat in seipso λόγον*, id est, *Rationem, cum æternum sit Rationalis*, &c.] cum plurimis antiquorum loquitur.

Tatianus (aliter non bene sanus) cæteris itidem concorditer dicit, Cont. Græc. [*Principium esse λόγε δύναμιν* [Rationis (seu Verbi) *Potentiam*] *accepimus---Nam cum ipso, per Rationalem vim λόγ&., ipse, qui in illo erat, produxit*, &c.] Quando *Vim seu Potentiam* esse λόγε principium dicit, non solus ita loquitur.

Theophil. Antiochenus ad Autol. l. 2, eadem fere dicit [*Quem intimum in visceribus suis haberet, genuisse cum Sapientia sua*, &c. *Quod quidem Verbum operum suorum administrum adhibuit, ac per ipsum universa molitus est. Hoc appellatur principium quoniam principatum & dominatum habet in omnia quæ per ipsum fabricata sunt: Hoc igitur cum sit Spiritus Dei & Principium & Sapientia & Virtus Altissimi*, &c. *Verbum ipsius per quod omnia molitus est, quæ est Virtus ipsius & Sapientia, Personam (πρόσωπον) in se Patris & omnium Domini suscipiens in Paradisum venit*, &c.] ---[*Antequam ulla res existeret, consiliarium habebat istum, qui est Mens ipsius & Sapientia. Cum autem efficere voluit Deus quæcunque deliberaverat hunc λόγον genuit prolatitium*, &c.] Et postea [*ostendit in principio fuisse solum Deum & Verbum in ipso---Verbum itaque cum sit Deus, & ortum habeat ex Deo, quandocunque vult Pater universorum mittit ipsum quemlibet ad locum*, &c.] male ex hisce colligit Petavius, quia λόγον ἐνδιάθετον dicit, & ipsam Patris *Mentem* & *Sapientiam*, ideo eum *nondum Filium* esse, sed *eundem ac Patrem*, judicasse; aut duplicem eum λόγον statuisse unum ἐνδιάθετον, *viz.* ipsam Dei Intelligentiam, alterum προφορικόν, administrum operum: Clarè enim Theophilus cum cæteris veteribus loquitur de Unico Dei Verbo in duplici statu, *viz.* 1. Æternæ inexistentiæ & coexistentiæ, 2. Temporalis operationis; neque Generationem aut Filiationem æternam negat, quamvis in existentiam solam exprimit. Duplicem quidem quasi productionem asserit, non autem duplex productum.

Irenæus non rectè *Verbum* & *Sapientiam* facit *Filium* & *Spiritum Sanctum*; & alia inepta de hisce loquitur: Sed ut alii Principia ponit pro *Personis*.

De Clemente Rom. lectori sit judicium: cum aliis haud sane loquitur.

Clemens Alexand. Strom. l. 7. dicit [*Filium esse Sapientiam, Scientiam, Veritatem*, Patre magis Demonstrabilem.---*Totum Mentem, totum Lumen, totum Oculum*, &c. *Deum unum cum Patre.*

Origines pejus aliquando (non semper, nisi Ruffinum non Originem ibi legimus) loquitur. Quod & de Dionysio Alexandrino, dicendum. Et videntur quidem eorum seculorum nonnulli putasse duplicem in Christo nondum incarnato naturam fuisse, primam Divinam quâ Sapientia Dei seu λόγ& æternus fuit, & secundam (quam solam Arrius agnovit) creatam super-angelicam, creaturarum primogenitam, & administram: At alii tantum de duplici processione ejusdem loquuntur. Et fortasse de hac duplici natura somniavit Thaumaturgus ille Gregorius Neocæs. quorum dicta à Basilio recitantur.

Petavius Methodium Martyrem item culpat, quod duas δυνάμεις vocat Patrem & Filium, cum ambo *Una* sint *Virtus* & *Potentia*: At *Unica Virtus* quoad Essentiam, potest esse Triplex respectivé. Bene autem agnoscit Petav. notionem *Virtutis* & *Potentiæ* in Deitate, quam Scholastici nonnulli negant; & inter eos Suarez qui nihil in Deo sub notione Actus primi concipiendum esse disputat, at tandem ad Perfectionem pertinere hunc confessus, concedit id quod confutandum in se recepisset.

Lucianum Martyrem ad suum judicem relinquo. Tertullianus Filium λόγον, *Sapientiam Divinam æternam* existimavit: Quamvis non rectè Personalitatis nomen

nomen ipsi tum primum tributum judicare videtur, cum Actione transiret ad Mundi Creationem: Et fatendum est nonnullos tunc Personalitatem quandam secundariam, & quoad nos, in Apparentia Divina triplici, per Creationem, Incarnationem, & Regenerationem, locâsse. Cum Pamelio tamen opinor Tertullianum verè agnovisse, Christum Patri fuisse coæternum in Essentia una, & in Virtute & Actu immanente, ut *sui-Notitia*, & Sapientia Divina.

Et neque Athenagoram quidem, Tatianum, multo minùs Originem, neque Theoph. Antioch. Tertullianum, Lactantium, imò Zenonem Veronensem, Rupertum, Constantinum Magnum, à Petavio, pag. 30, 31. Notatum, aliter Arrianis eximere possum, quam supponendo eos Filium λόγον, Intellectum seu Sapientiam Divinam in Virtute & Actu Immanente Patri coæternum, & coæqualem credidisse, & à Patre æterna Generatione processisse; at quod Transitionem ejus ad Creationem per modum Actionis transeuntis malè etiam *Generationem* ejus vocârunt, & de hac fere solâ ut Mundo notissimâ aliquando locuti sunt. Λόγος quâ Virtus & quâ Actus Immanens est idem: Omnis enim Potentia seu Virtus Divina est in Actu (saltem ad sese) & omnis Actus est Potentissimus & ipsa Virtus: Rei ejusdem hi sunt Conceptus inadæquati: Et Actio Divina ad extra, quatenus Agentis est, & non in Passo seu Effecto, idem est, scilicet ipse Deus, sub notione inadæquatâ: At quia Actio Transiens dicitur cum connotatione Effectus, & sæpe dicitur, esse in Passo, ineptè igitur hi veteres dixerunt, λόγον tunc Generatum, & Patrem tunc eructasse Verbum & emisisse, &c. quando Angelos & Mundum creaturus erat. Ita potiùs (quod probatione non destitutum est) Antiquos interpretari satius est, quam Arrianis Fidem veram primorum sæculorum scriptoribus paucis receptam fuisse, concedere; quandò viguit Baptismus in nomen S. S. Trinitatis. Christum etenim esse Dei λόγον seu *Sapientiam*, in Ecclesia uno quasi ore pronunciatum esse, seculorum omnium testimonia probant.

Ex inconditis hisce patrum dictis, & ingeniorum ruditate, & rei obscuritate, & formularum & verborum inter ipsos Orthodoxos diversitate, inter eos me numeratum volo, qui meliùs de eorum temporum quorundam hæreticorum dictorum salute spero, quam solent nonnulli, qui vix meliorem Orthodoxiæ, imò Christianismi & salutis, notam habent quam ostendant, quam alios ut hæreticos & heterodoxos condemnare: Certè Philastrius qui ipsis *Sanctus* est, dum hæreses festinanter & quasi in tenebris recitat & confutat, tot falsissima etiam contra notitias communes accumulat, ut vix aliter hæreseωs notam devitasset, nisi alios de hæresi accusando: Et ita Inquisitores possunt Inquisitionem devitare; & Pontificii eodem artificio hæreseωs non reos esse se bene probant.

Cyprianus de Idol. Van. p 290. & Edit. Goulart. p. 336. dicit [*Hujus indulgentiæ, gratiæ, disciplinæque arbiter & Magister, Sermo & Filius Dei mittitur, qui per Prophetas omnes retrò Illuminator, & Doctor humani generis prædicabatur: Hic est Virtus Dei, hic Ratio, hic Sapientia ejus & gloria:*] Hic Cyprianus generationem æternam nimis reticet, Christum esse ipsam Dei Sapientiam & Rationem asserit.

Marcelli Ancyrani (ab Athanasio vindicati) hic error fuisse videtur, quod ἐνδιάθετον λόγον fuisse hypostasin distinctam negavit. Meletii rem prætereo. Et Hermetis quidem, & Clem. Rom. & Ignatii, & Polycarpi, &c. dicta à Petavio recitata Præf. c. 2, 3. talia sunt, quæ culpati etiam Patres dixisse, renuere noluissent.

Athanasius ipse unicam agnovit *hypostasin*; sed lis erat de nomine: Et li. cont. Gentil. Verbum Dei Sapientiam ejus appellat, &, ut alii plerumque, ex Actione transeunte eum describit. [*Sapientia*, inquit, & *Verbum aspiciens Patrem creavit hæc omnia*] *Et Verbum, Sapientiam, Lucem, Veritatem* eum *vocat* & addit [*Est enim sicuti Patris Verbum & Sapientia ita & conditis condescendens, ut genitorem cognoscere & intelligere queant, efficitur ipse sanctificator*, vita, janua, pastor, via, &c] Ita & de Incarnat. Verbi, Christum dicit [*Deum, Dei Veri Verbum, & Sapientiam Patris.*]

Et nomine *hypostasis* ut & οὐσίας diu ut omnium Personarum communi Patres

usi sunt. Neque citò Personæ nomen à Græcis fuit receptum. Et quando neque *hypostasis* neque *personæ* nomen ipsis discretivum fuit, nil mirum si à recentiorum notionibus aliquantum recesserunt. Vide Petav. de Trin. li. 4. c. 1. p. 312, &c. Et de sensu nominum *substantiæ, personæ, existentiæ, naturæ, rei naturæ, generis, suppositi*, cap. 3, 4. & de turbis ex nominibus hypostaseωs & personæ ortis.

Et notandum & valdè dolendum quod copiosè probavit Petavius cap. 9. Gregor. Nyssenum, Cyrillum Alexand. Maximum Martyrem, Theodorum Abucaram, Theorianum, imò Joh. Damascenum, inter Divinas Personas specificam tantum Naturæ Unitatem videre aliquando asserere, qualis est inter Petrum, Paulum & Johannem, quos itidem non tres homines (quia ejusdem speciei) dictos vellent, sed unicum, ne Tres Deos fingere dicerentur; unde Philoponus errorem suum hausit: Sin autem hoc seriò tenebant, non video quomodo Tritheitarum ipsi nomen juste evadant: Et ita quando à Principiorum Trinitate primò discessum est, in extremam Tritheitarum opinionem complures incurrebant: Et dolendus quidem tunc maxime fuit Ecclesiæ status, quando vix pauci Scriptores inventi sunt, qui Trinitatem & Christi personam describendo hæreseωs notam vel nomen alterutrinque non sibi contraherent! Et quidem Sabelliani, Eutychiani, Nestoriani, Monothelitæ, miserandi sunt, si reverâ hi Patres Orthodoxi dicti Tritheitæ fuerunt: Quod proculdubio de iis affirmari necesse est, qui Essentiam Divinam non singulariter seu individue, sed tantum specialiter Unam esse, asserunt: Unam quippe asserunt *Deitatem* in tribus Diis, sicut in Petro, Johanne, Paulo, tribus hominibus, una est Humanitas. Nonne verò adeo paucos de mysteriis hisce rectè locutos esse Deus ideo permisit, ut & *Fide contractiore* (juxta S. Scripturam & fœdus Baptismale,) ut & magis *practicâ*, potius quàm dogmatibus curiosis, & rixosis, Ecclesia sit contenta; & infirmitatis humanæ in fratribus misereri discat?

Augustinus autem omnium primus aut inter primos (ni fallor) Attributa *Sapientiæ* & *Amoris* Divini Essentialia quâ Deus *Amat*, & quâ *Sapiens* est, videtur negâsse esse Personis appropriata: Quem alii, præcipue Lombardus, secuti sunt, & eum Scholasticorum plurimi.

Anselmus etiam Augustinum sequitur, quamvis titubans; Plerumque Patrem vocat *Memoriam*, & *summam Sapientiam*, Filium autem *Sapientiæ Sapientiam*, ut Monolog. cap. 43. & 46, &c. cap. 33. autem & 45. varie loquitur, *viz. Cum Spiritus dicit seipsum, dicit omnia quæ facta sunt--Forsitan quia ipsa est summa Sapientia & summa ratio, in qua sint omnia quæ facta sunt*, &c. cap. 45. *Videtur tamen quædam ex his aliam quoque non incongruam sub hac ipsa pronunciatione intelligentiam suscipere; Liquet enim Filium esse verum Verbum, id est, perfectam Intelligentiam, sive perfectam totius Paternæ substantiæ Cognitionem & Scientiam & Sapientiam: id est, quæ ipsum Patris Essentiam intelligit, cognoscit, scit, & sapit. Si igitur hoc sensu dicatur Filius Patris Intelligentia, & Sapientia & Scientia, cognitio sive notitia, quoniam intelligit, sapit, scit, & novit Patrem, nequaquam à Veritate discedit.*

Augustini autem & ejus sequacium ratio est, *Quia Sapientia est Essentia & Perfectio Divina, ideoque unicuique Personæ communis: Non enim dicendum est Patrem* non esse Sapientem in se, sed per Filium, nec *Patrem* & *Filium* non esse *Amorem*, &c. Et ita duplicem statuunt *Sapientiam*, primam *ingenitam*, secundam *Genitam*: Sed contra-sentientes dicunt, Patrem quidem dici *Sapientem* quia Verbum seu Filium habet; quod est idem ac esse Sapientem; & Filium esse ipsius Patris *Sapientiam*; *Patrem* autem non esse sine Filio, quia non sine Sapientia (ut Veteres communiter loquuntur.) Et ita de Amore, seu Voluntate. Et Patrem & Filium & Sp. Sanctum Deum perfectissimum esse dicunt (quod de Vita, *Intellectu* & *Voluntate* Divina dicendum est;) At nomen Patris solum, aut Filii aut Sp. Sancti solum, non dicere totam Deitatis perfectionem, nec conceptum esse Deitatis adæquatum. Et Augustinum putant idem dicere, dum contradicere videtur: Quia, 1. Sapientiam Genitam dicit esse Dei sui-ipsius Notitiam, & Sp. Sanctum sui ipsius Amorem: Et *Creaturarum* Notitiam & Amorem plerique negant esse

Filium

Filium & Sp. Sanctum. 2. Et omnis Dei sui-ipsius Notitia & Amor est semper in Actu: At si ita est, Quinam quæso Intellectus aut Voluntas? Quænam Notitia? quis Amor Deo attribuendus est, præter sui *Notitiam* & *Amorem*, dum Creaturarum ejus Notitia & Amor excluditur? Et si *Tota Dei sui-ipsius Notitia* est *Filius*, non arguit Patris Imperfectionem quod ille ipse ut à Filio distinctus non est sui-ipsius Notitia; aut quod ille ipse ut à Spiritu S. distinctus non est sui Amor. Inquit Elias Cretensis in Nazianzen. Com. pag 846. [*At in Divina & Captum omnem excedente Trinitate, Unitas quidem Re consideratur propter Essentiæ, Potentiæ & Voluntatis identitatem: Divisio autem solâ cogitatione: Personæ quippe aliæ in aliis sunt, juxta id --- Ego in Patre & Pater in me est: In solis autem hypostaticis proprietatibus, Ingenito, Genito, & Procedente discrimen cogitamus.*]

Sed paululùm ad Veterum dicta adhuc retrospiciamus, suppositis jam citatis.

Cyprianus Testim. li. 2. adverss. Judæos, cap. 2, 3. ex S. Scriptura probat Christum esse *Dei Sapientiam*, & ***Sermonem***.

Athanasius (ut dictum est) probat Deum non fuisse sine *Verbo* quia non sine Sapientia.

Gregor. Nazianz. Orat. 1. pag. 16. τρεῖς ἀρχάς, *Tria Principia* negat; & Orat. 23. p. 425. Sed eò solo sensu quo Patrem in Trinitate Principium esse Filii & Sp. Sancti asserit. Filium autem *minime Principii* (*viz.* Patris) *expertem, cæterarum omnium rerum principium* asserit, Orat. 29. 490. *Patrem* dicit *Filii Causam*, ib. & p. 492. *Principium*, inquit, *pro Causa accipio:* Essentiæ autem Unitatem, & *Proprietatum Trinitatem* simpliciter agnoscendam, modum autem non quærendum, sed curiositatem istam devitandam, & ejus loco piè vivendum, frequenter nec non vehementer inculcat: præcipuè, p. 493. Orat. 59. & Nazianz. & Ruffinus ejus interpres dicunt Christum Patris *Sapientiam* esse, & quoad intra & quoad creata [*sicut in Sophiæ nomine, quia secundum Apostolum ipse est Sapientia Patris: Ego, inquit, ex ore altissimi prodivi --- Et ideo Sapientia Dei appellatur, ut nunquam Pater sine Sapientia, hoc est, sine Filio suo esse credatur --- Non ita Deus Sapientiam suam condidit, quasi aliquando sine Sapientia fuerit: Sed cum Initium viarum dicat, Initium motus Operis alicujus ostendit: Ut hoc Initium habet Sapientia Dei, quod de Deo processit ad creanda omnia, tam cœlestia quam terrena; non quomodo cœpit esse, ita creata est Sapientia, imò genita: Non sibi, quia semper erat; sed his quæ ab ea fieri oportebat, ut quia qualis & quanta esset, sciri non poterat, de effectu operum suorum Virtus & Potentia ejus noscceretur. Hæc est illa Sapientia Dei*, &c. Et Tom. 2. Carm. 10. p. 80. Trinitati assimilat *Triplex Ignis decus:* Et ejus Commentator Nicetas, pag. 1114. similitudinem item ex Igne trahit, ex *Sole* scilicet *Radiis* & *Lumine*. At Carm. 2. de Princip. p. 162. Greg. ab indagatione curiosâ iterum lectorem deterret.

Exposit. Fidei Gregor. Thaumaturgo adscripta, pag. 98. dicit, [*Nemo potest cognoscere Deum, nisi Filium agnoscat: Sapientia enim est Filius, quâ omnia creata sunt. Creaturæ autem Sapientiam declarant, & Deus in Sapientia noscitur: Non est autem Sapientia Dei, qualem habet homo; sed perfecta, quæ ex perfecto Deo exivit, & semper manet: Non ut notio hominis quæ præterit, & Verbum quod loquimur, & non est: Idcirco non solum est Sapientia, sed Deus: Neque solum est Verbum, sed Filius; sive quis igitur ex creatura intelligit Deum, sive ex Scripturis docetur, non sine Sapientia ejus cognoscere, aut audire de eo potest*] (*de Philosophis* & Christianis loquitur.)

Macarius Homil. 46. dicit [*Verbum Dei Deus est*, &c.] Et Hom. 11. Spiritum Sanctum esse instar Ignis: At in controversiis de Trinitate tacendo, & pie & practice docendo, hæreseos notam bene evasit.

Idem de Basilio Seleucienssi dicendum, qui tamen Imaginem Trinitatis in Homine reperit, Orat. 1. p. 5, 6.

Idem etiam de Ephremo Syro dicendum, qui tamen in Testamento suo mirâ phrasi jurat [*Per Ignem illum Trinonymum Sanctissimæ Trinitatis, & per Infinitam illam ac solam unamque Dei Potentiam, & per Tres Intelligibilis Ignis subsistentias, quæ sunt Altitudo & Voluntas tua, & unum atque idem.*]

Cyrillus (aut Johan.) Hierosol. sæpissimè inculcat non ultra Scripturas de mysteriis Divinis sapiendum esse ; Cat. 16. p. 176. [*Quæ ille* (Sp. Sanctus) *non dixit, nos non audiamus:* Et Cat. 11. p. 101. *Quæ tibi mandata sunt, hæc sola intellige* (ubi plura vid.) & ne ipsi *sine Scripturarum demonstratione fidem simpliciter adhibeant, hortatur*, Cat. 4. p. 39. At ib. p. 26. Christum *Sapientiam Patris & Virtutem* dicit, & *Deum Sapientiam*, & *Deum Verbum, Filium*, &c. Sed non bene Cat. 11. p. 96. *Verbum intelligens Patris Voluntatem.*

Synesius de Christo & Trinitate pauca nimis loquitur. At Hymn. 1. n. 60. p. 314. dicit [Μονὰς ἄῤῥητα χυθεῖσα, &c.] *Unitas ineffabilem in modum diffusa, Trinam adepta est Vim:* Non dicit tantum *Trinam Relationem.*

Et Hymn. 3. n. 210. p. 323. [*Ut Filium pareres, Inclytam Sapientiam, Rerum omnium opificem* ;] Et Hymn 4. p. 336. *Fœcundum Consilium, Medians principium, Sanctum Spiritum*, &c.

Basilius Cæsarienſ. dicit, li. 4. Cont. Eunom. [*Si Christus Dei Virtus & Sapientia, hæc autem increata & coæterna Deo* (*non enim erat quando erat Insipiens & absque Virtute*) *increatus & coæternus Christus est Deo* (Quamvis Prov. 1. de Christo non interpretatur) Et de Sp. S. cont. Sabell. concedit Christum Dei *Verbum & Sapientiam esse*, at simul *Personam* esse contendit, quod Sabellius negavit: A curiosis autem indagationibus sæpe dehortatur.

Et his prior Clemens Alexand. (ordinem festinans non observo) ad Gent. dicit [*Dei Imago Verbum & Filius---Verbi autem Imago est homo ; vera Mens quæ est in homine, qui ad Dei Imaginem & similitudinem propterea factus esse dicitur ; Prudentia quæ est in corde, Divino Verbo assimilatus*, &c.

Gregor. Nyssenus *de Qu. Imag. & simil. Dei*, copiosè probare nititur (post mentionem Adami, Evæ & Filii) Hominis Animam & quoad substantiam, & Trinitatem Dei Imaginem esse. Et ex quodam è sapientibus monet [*Si Deum vis nosse, prius teipsum nosce ; ex tua constitutione, ex tua structura, ex iis quæ intra teipsum sunt, eum agnosces.* [*In immortalis* (*inquit*) *& intellectu præditæ Animæ nostræ substantiæ unitate, tanquam in Imagine, tres hypostaticæ proprietates quædam ostensæ sunt ; Animæ nempe conditio quæ ingenita est, Verbi autem Generatio, & Spiritus sive Mentis processio : Ego verò audacter profiteor ac confidenter assevero ac dico, sicundum hanc invisibilem Trinitatis animæ considerationem, dixisse Apostolum Devinum, Hominem ad invisibilis Dei imaginem & similitudinem esse.*] Et cum *Animam, Verbum, Mentem*, Trinitatis Imaginem statuisset, specialiter notat *solum Verbum nostrum duplex esse, Interius & prolatum*, Imaginem Christi Dei Filii & Incarnati : Et tandem è sapientibus profanis Trinitatis Imaginem ponit, in facultate *Concupiscibili, Ratiocinandi, & Irascibili.* Quam audacter vir bonus talia elocutus esset, si veram naturæ humanæ principiorum Trinitatem cognovisset ? Per *Animam* autem *Patris Imaginem*, vult ipsam *Vitalitatem; Per Rationem Filii Imaginem*, vult *Cogitandi* facultatem, seu ipsas *Cogitationes*; per *Mentem* autem *Spiritus Sancti* imaginem, vult *Formatos conceptus* (ni fallor.)

Clarius autem in Catechet. Orat. cap. 1. & 2. [*Qui fatetur Deum non carere Ratione, omnino assentietur eum qui non caret Ratione, habere Rationem: Atqui humana quoque Ratio æquivoce dicitur : Si ergo dicat se Rationem & Verbum intelligere, ad similitudinem eorum quæ sunt in nobis, sic ad sublimiorem deducetur opinionem :*] Et procedendo (cum veteribus) ostendit, Rationem & Verbum Dei non transire sicut nostra, sed esse Hypostasin permanentem.

Principiorum autem Trinitatem expresse declarat, Gen. 1. 1. [*In principio*] explicando Hexamer. p. 2. [*Illud nobis positum constitutumque sit, in Natura Divina cum Voluntate ita concurrere Potestatem, ut Dei Potestatis mensura sit ipsa Voluntas : Voluntas autem est Sapientia : Sapientiæ verò proprium est non ignorare quomodo unumquodque fiat : --- Omnia quæ in Deo sunt ad rerum procreationem pertinentia simul cogitantur, Voluntas, Sapientia, Potestas*, & (inde) *rerum natura.*]

Ambrosius in Symbol. To. 4. p. 43, 46. Christum sæpe vocat, *Sapientiam & Verbum Patris:* Et p. 43. ait [*Unus est diligens eum qui ab ipso est ; Unus est Dilectus ab eo à quo est ; Una est Dilectio utriusque, Spiritus Sanctus : Idem tamen Deus*]

Hierony-

Hieronymus de Hæresi accusatus circa Trinitatem, parum admodum de hisce scripsit. At contra nomen triplicis hypostaseωs acriter ad Damasum scripsit Tom. Epist. 2. pag. (Erasm.) 131,132. [*Tota secularium* (inquit) *literarum Schola nil aliud hypostasin nisi Usian novit: Et quis, rogo, ore sacrilego tres substantias prædicabit? Taceantur tres hypostases, si placet, & una teneatur.*] Et Epist Marco Presbyt. pag. 315. *Hæreticus vocor homoüsion prædicans Trinitatem: Sabellianæ impietatis arguor - Hæreticus sum: Quid ad te? Quiesce; jam dictum est---Quoridie exposcor fidem; quasi sine fide, renatus sim. Confiteor ut volunt: Non placet. Subscribo: Non credunt*---vid. cætera ibid.

Cum Origine Eusebium Cæsar prætereo, quia Arrianismo (nolente Socrate) nimis favet, quod plene probabit Petavius.

Quid Hilarius Pictav. Trinitatis assertor ferventissimus putavit, ex hisce conjice (De Trinit. li. 12. pag. 282. F.) [*Neque in id unquam stultitiæ atque impietatis, erumpam, ut Omnipotentiæ tuæ arbiter---te aliquando sine Sapientia, & Virtute & Verbo tuo Unigenito Deo Domino meo Jesu Christo fuisse præsiniam: Nam cum Verbum, & Sapientia & Virtus in nobis interioris motus nostri opus nostrum sit, tecum tamen perfecti Dei, qui & Verbum tuum, & Sapientia & Virtus est, absoluta generatio est ut inseparabilis semper à te sit, qui in his æternarum proprietatum tuarum nominibus ex te natus ostenditur.* Et de Synod Adversf. Arrian. p. 324. [*Neque enim quisquam sibi ipse Imago est, sed Eum cujus Imago est, necesse est ut Imago demonstret: Imago itaque est rei ad rem coæquandæ imaginata & indiscreta similitudo: Est ergo Pater; est & Filius, quia Imago Patris est Filius; & qui Imago est, ut verè Imago sit, speciem necesse est & Naturam & Essentiam, secundum quod Imago est, in se habeat authoris.*] Et de Trin. l. 12. p. 267. [*Nos Christum Dei Virtutem & Dei Sapientiam prædicantes*, &c.] Et li. 2. de Trin. p. 11. [*Unus est Deus Pater ex quo omnia, & unus Unigenitus Dominus noster Jesus Christus per quem omnia; & unus Spiritus, Donum in omnibus. Una Potestas ex qua omnia; una Progenies per quam omnia; perfectæ spei munus unum.* Vide & Comment. in Mat. c. 11. p. 519. & de Synod. p. 326.---]

Ut Epiphanius clarè dicat quid sit Imago Trinitatis non est expectandum: quippe qui Imaginem Dei in homine negat esse aut in Anima, aut in Corpore, aut in Virtute, aut in Baptismo, aut ubi sit nos perscrutari posse: Et de Trinitate, verbis pluribus parum admodum dicit, nisi Deum esse unum & hypostaseωn Trinitatem veram, sed inscrutabilem. To. 1. Hæres. 70. Cont. Audian. & passim, Hæres. 69. Cont. Arrian. p. 744. dicit *Filium esse Dei Sapientiam proprie dictam, supremam, non accommodatione vocis, sed ex rei veritate.*] Et p. 751. [*Neque Volens, neque Nolens genuit*, (Pater) *sed in Natura, quæ Consilio omni superior est.*] Cætera præterea.

Isidorus Pelusiota laudat confessionem Philonis, & Christum dicit Dei *Virtutem* & *Sapientiam, non autem hypostasis expertem*, li. 2. Epist. 143. Verbum autem appellari propter impassibilitatem.

Chrysostomus de Imagine Dei in homine, sicut & Epiphanius (inimicus ejus) loquitur, & in solo *Dominatu* ponit. Vol. 2 p. 76. 232. & 891. *viz.* in Gen. 1. Hom. 8. in Gen. 6. Hom. 21. & in Gen. serm. 2. Et de Trinitate sine curiositate Scholasticâ disserens, nihil ferè dicit, præter Deitatis Unitatem, & hypostasis Trinitatem, ex S. Literarum verbis probatam.

Andreas Cæsariensis in Apoc. cap 57. Serm 20. dicit [*Verbi nomen hypostasi Filii tribuitur, ad designandum impatibilem ejus ex patre generationem---Aut quod rerum omnium Rationes in se contineat: Aut ob id certè quod Paternæ Sapientiæ & Virtutis internuncius & quasi interpres existat.*

Leo 1. Roman plura in Epist. loquitur contra Nestorium & Eutychetem pro Deitate & Humanitate vera, unitate Personæ Christi, & dualitate Naturarum; At de mysterio Trinitatis Scholasticas nullas habet subtilitates, sed, ut plurimi quarti & quinti seculi patres, nude & simpliciter Essentiæ unitatem, & *proprietatum* seu personarum Trinitatem asserit. Quanquam in Tract. operibus ejus adjuncto adv. Error. Eutych. pag. 183. quasi accurate tractaturus rem (cum Symmystis) aggreditur;

ditur; ubi dicit [*Ut per proprietatem aut Vocis aut Operis insinuetur nobis veritas Trinitatis*] -- Et [*divisit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis, ut Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus S. igniret.*]

Idem ferè de Maximo Taurin. dicendum, *viz.* pauca de hisce, & simplicia tantum ex S. Scripturis loquitur, [Filius] *dicitur Virtus & Dei Sapientia, ut advertas non quasi per lineamenta genitalium corporaliter creasse Patrem, sed per ineffabile Majestatis secretum de Virtute prodiisse Virtutem,* &c. In Natal. Euseb. Vercel. Hom.

Idem de Petro Chrysologo dicendum, Serm. 119. *Christum veram Dei Sapientiam* dicit; At ni fallor, Quia Sapientiæ Doctor.

Fulgentius plurima de Trinitate dicit; sed simplicia sine subtilitate: (ad Monim. ad Thrasimund. ad Petrum, &c.) Nisi quod Cont. Serm. Fastidiosi, cap. 16 & 17. Augustinum sequens Christum Verbum dicit esse quasi *Cogitationem quæ ex memoria nascitur.* Et ad Thrasim. l. 2. cap 4. dicit [*Quod si Sapientia Patri coæterna non creditur, necesse est ut etiam Deus in dispositione cæpta mutabilis prædicetur*] (veteres imitatus.)

Agnellus Ravennatensis ad Armen. de rat. fidei, ep. Bib. Pat. To. 3. p. 147. dicit. [*Quando voluit generare Filium, habueritne Virtutem generandi, & Sapientiam hoc ipsum volendi---Si dixerit habebat, obtinet victoriam: Filius enim, ut dicit Apostolus, est Dei Patris Virtus & Sapientia. Nam qui dicit, Virtutem non habuit, blasphemat: Qui dicit, Sapientiam non habuit,* blasphemat.] Et [*Adde in ipso sermone efficaciam, & complesti tertiam personam,* &c.]

In Biblioth. Patr. Græco-Lat. Vol. 1. p. 540. Extat Fragmentum dictum Augustini de Trinitate, ubi dicitur [*Docuit ratio, Dei essentiam esse æternam Vitam initii & finis nesciam. Quod si hæc singularis vera vita absque initio semper fuit, constat quod absque initio semper se vivere intellexit: Quod si vivere se non intellexit, sapiens non fuit, quod nefas est de Deo dicere: Quod si aliquando Sapientiam aliunde accepit quâ prius caruit, tunc id à quo tantum bonum accepit Deo melius exstat, quod absurdissimum: sed si sempiterna vita semper se vivere intellexit, hæc Intelligentiæ Sapientia non aliunde ei accidit, sed semper ei coessentialis fuit; quanquam hanc ex se ut prolem suam ineffabiliter genuit. Igitur Pater nunquam sine Filio exstitit*---Et p 545. [*Dei Essentiam dixi esse Vitam: Vera autem vita se Vivere Intelligit; & si se Vitam Intelligit, se utique diligit. Dei autem Vivere, Intelligere, Diligere, nil aliud est quam Existere: Dilectio ergo Dei est Vita, & Vita est Spiritus; & quia Deus per Dilectionem cunctis Esse vel Vivere tribuit, idcirco Spiritus nuncupatur: Ideo autem Sanctus additur, quia cuncta per eum sanctificantur. ---Nil aliud Spiritus Sanctus quam Amor Dei intelligitur: Unde & Deus Charitas dicitur. Constat autem quod Pater Filium ut seipsum Diligit, & item Filius Patrem ut seipsum diligit; Vita namque diligit se sapere, & Sapientia diligit se Vivere: Vitæ autem & Sapientiæ probatum est unam Essentiam esse; ergo Dilectio, vel Amor vel Charitas qui est Spiritus Sanctus in substantia Patris & Filii coessentialis existit; & ab utroque æqualiter procedit.*] Hic omnia ad amussim juxta verum triplex Principium seu Primalitatem procedunt.

Cæsarius in Dial. 1. ibid. p. 549. & seq. Trinitatem ex similitudine Solis, & Radii, Ignis & Lucis, explicat. Vid. seq.

Zacharias Mityl. Disp. ibid. p. 357. dicit [*Sapientia & Verbum præest constitutioni & opificio & procreationi rerum: Spiritus autem Divinus inspirat universis Essentiis rationis & intelligentiæ principiis & perficit illarum substantiam. Patrem ergo Verbi & Sapientiæ, & ex quo procedit Spiritus Sanctus, primam Causam & principium dicimus Deitatis esse.*

Cyrillus Alexandr. in Joh. 1. probat contra Eunom. Filium esse Verbum, Sapientiam, Lucem, Dei æternam, & *non aliud esse Dei Verbum Internum, aliud Filium:* Et ex similitudine Ignis & Lucis ejus generationem explicat, sed tot de hisce scripsit quot recitanda non sunt.

Videat Lector Pelegrini Laureac. Symbolum in Monument. Patr. Orthod. Vol. 2. p. 1625. & Eugen. Carth. de Cath. fide, ib. p. 1617. & Thalassii Hexcaront. 4. pag. ibid. 309, 310.

Et

Et quia vereor ne Lectorem citationibus fatigarem, plura aliorum præterire necesse habeo; Ideoque penè me pœnitet quod opus adeo longum in me recepi: Et Lectoris misertus pauca tantum sed clara, ex sequentium seculorum authoribus adjiciam.

Guitmundus Archiep. Aversanus in Bibl. Pat. To. 6. p. 266, 267. adeo copiosè hæc ingerit, ut omnia recitare piget. [*Deus Sapientiam suam de seipso genuit, per quem omnia*, &c. *Hæc est Sapientia Dei Filius; Deus de Deo genitus---Sed quid Deus per Sapientiam suam faceret, si non eandem ipse diligeret? Constat igitur quia à Patre procedit Amor ad Filium & à Filio procedit ad Patrem suum: Iste Amor est Spiritus Sanctus, qui ab utroque procedit ut in utroque semper maneat, & ita in utroque manet, ut ab utroque semper procedat.--- Totum se sapit Pater & Totum se Diligit, quicquid est. Tanta est igitur Sapientia sua, & tanta Charitas, quantus ipse est: Æqualis est ergo Patri Filius & Sp. Sanctus--- Pater Vita est, Filius Sapientia, Spiritus Sanctus Charitas. Vita vivit & Sapientia vivit, & Charitas vivit. Sapientia sapit, & Vita sapit, & Charitas sapit: Charitas diligit, & Vita diligit, & Sapientia diligit. Et hæc tria non nisi una substantia quod est Deus*] --- *Pater est Vivens, Filius sapiens, & Sp. Sanctus diligens: Et Pater Vivens, Sapiens, Diligens---Omnino* simplex Natura: Sic *Vivens ut sit Vita, sic Sapiens ut sit Sapientia, sic diligens ut sit dilectio*---Quæstio *difficilis oritur: Utrum Pater sit Sapiens Sapientia sua quæ est Filius suus?* Resp. *De hoc est Sapientia quod est Essentia: Si igitur Pater à Filio suo Sapiens est, à Filio habet Sapientiam: Ab ipso ergo & Essentiam: Pater igitur à Filio*, &c. *Non igitur Sapientiam habet à Filio*, &c. *sicut mortuus est homo per insipientiam, oportuit eum vivificari per Sapientiam: Incarnata est igitur Dei Sapientia ut deleretur hominis insipientia.*---

Potho Prumensis Bibl. Pat. To. 9. p. 567. li. 1. de statu domus Dei, dicit, [*Tria sunt invisibilia Dei, Potentia, Sapientia, Benignitas, à quibus omnia procedunt, in quibus omnia subsistunt, per quæ omnia reguntur: Pater est Potentia, Filius Sapientia, Spiritus S. Benignitas: Potentia creat, Sapientia gubernat, Benignitas conservat. Potentia per Benignitatem sapienter creat: Sapientia per Potentiam Benigne gubernat: Benignitas per Sapientiam potenter conservat. Sicut Imago in speculo cernitur, sic in ratione Animæ, à natura humana*, &c. *Huic similitudini Dei approximat homo cui Potentia Dei dat bonum posse; Sapientia tribuit scire; Benignitas præstat Velle. Hæc triplex Animæ Rationalis vis est, Posse, Scire, Velle, quæ Fidei, Spei & Charitati cooperantur*, &c]

Edmundus Cantuariensis in speculo Eccles. cap. 28. ait [*Per talem Rationem venit homo ad Cognitionem Dei, quod est Unus in substantia & Trinus in Personis: Istud idem videt Homo in seipso---quod semper habuit homo in seipso, Potentiam, Sapientiam---& de ambabus venit Amor: & quando videt Homo quod ita est in seipso, ex hoc intelliget bene quod ita est in Deo, qui est ultra illum*, viz. *Quod in Deo sit Potestas, & de illa Potestate venit Sapientia & de utraque venit Amor: Et propter hoc quod ex prima persona venit secunda & de ambabus procedit tertia: Ideo prima persona vocatur Pater, Secunda Filius, Tertia Spiritus S. Isto modo venit homo primo ad Cognitionem Dei sui Creatoris, quomodo est sine principio, & quare vocatur Deus, Unus substantia, Trinus personis: Et quia prima persona vocatur Pater*, &c. *Et quia appropinquatur Potestas Patri, Sapientia Filio, Bonitas & Amor Sp. Sancto; Tali modo debet cognoscere Deum Filium: Et iste modus Cognitionis, est Fundamentum Contemplationis.*]

Richardus in Opuscul ad S. Bernardum de appropriatis personarum inquit, [*Quod Potentia, Sapientia & Bonitas sunt notissima quid sint apud nos, qui ex visibilibus invisibilia Dei, per ea quæ facta sunt intellecta conspicimus: Et quoniam in Elementis & plantis & brutis reperitur Potentia sine Sapientia, & in Homine & in Angelo reperitur Potentia, sed non sine Sapientia: Et Lucifero reperitur Potentia & Sapientia sine Bonitate & Charitate, seu Bona Voluntate; sed in Homine bono, bonoque in Angelo, non datur Bona Voluntas nisi adsit, Posse & Scire: Igitur sunt tria hæc distincta; & Posse est per se ut principale, Sapientia est à Potentia, & ab utrisque Voluntas & Amor.*]

Vide

Vide Guil. Parisiens. de Universo, p. 1. pag. 580. c. 20, 21. *Deum Omnipotentem omnia creasse per Verbum*, hoc est, Filium suum & per *Velle suum*: Et *Verbum* hoc esse ejus *Cogitationem*; & ita *Cogitare* & *Velle* ipsi sunt duæ productiones Divinæ. At non *Cogitare* per Conclusiones aut Partes, sed uno perfectissimo actu. Item de Univ. partis secundæ, Pars 2. p. 917. ubi copiosè narrat Animam esse Imaginem Patris qui est *Potentia Viva*, seu *Vita*, & *Filii Sapientiæ*, & *Charitatis* Spiritus Sancti: [*Hoc* (ait) *usitatissimum in tota Theologia Christianorum, quòd in Benevolis propter ipsam Benignitatem, vel potius propter ipsam Bonitatem relucet Spiritus Sanctus; in Sapientibus per Sapientiam Filius; in vere Potentibus per ipsam veri nominis Potentiam, Pater --- Charitas est proprium signaculum Sp. S. Sapientia signaculum Filii, Potestativa Virtuositas, seu Virtuosa Potestas proprium signaculum patris altissimi---Anima Imago est---cum fuerit inflammata Amore Creatoris per Spiritum Sanctum; sapientificata per Filium; potentificata seu fortificata per Patrem.*] Ita & alibi.

Talia in Jo. Gerson frequenter occurrunt; ut par. 3. fol. 397. col. 3. *Per Potentiam Patris, in Sapientia Filii, propter Bonitatem Sp. Sancti*, &c.] Et alibi.

Anno 1453. Gennadius Scholarius, primus post captam à Turcis Constantinopolin Græcorum Patriarcha, postulante Mechamete, fidei Christianæ confessionem, ei tradidit, Quam in Martini Crucii Turco-Græcia, li. 2. videre est. Ibi pag 111. ad quæstionem de Trinitate ita respondetur ["Credimus ex Natura " Dei oriri Logon seu Verbum & Spiritum, sicut ex Igne Lux & Calor existit. " Et quemadmodum Ignis, etiamsi nihil subjiciatur, quod illustretur & calefiat " ab ipso, tamen ipse per se semper habet *Lucem* & *Calorem*; & hæc ambo emittit " ad nos: Eodem modo etiam, antequam fundamenta mundi jacerentur, " erant *Logus* & *Spiritus*, *Actiones* Dei *Naturales*: Quandoquidem Deus MENS " est, sicut antea dictum est. Hæc tria, MENS, LOGUS & SPIRITUS, unus " DEUS est: Sicut in una eademque hominis Anima, est *Mens*, est Ratio Mente " Intellecta, est Voluntas item *Mente percepta:* Et tamen hæc, quanquam tria " sunt, una est Ratione Essentiæ suæ Anima. Rursus, LOGUM Dei nuncupa- " mus, SAPIENTIAM Dei, & Potentiam & Virtutem, & Filium Dei; quia " genitum quiddam est ex Natura ejus: Sicut quod è natura hominis generatum " est, hominis vocamus Filium: Et sicut hominis cogitatio, seu animi sensus, est " quidem Animæ ejus partus. Rursus Dei VOLUNTATEM appellamus SPI- " RITUM Dei & CHARITATEM: sed ipsam MENTEM PATRIS nomine " Vocamus, eo quod Ipse nec Genitus est, nec Causam ante se habeat; Causa au- " tem sit Filii & Spiritus Sancti. Quoniam igitur Deus non solùm res à se Crea- " tas Intelligit, sed multo magis *Intelligit* & Novit *seipsum*; ideoque habet Lo- " gum & Sapientiam quâ seipsum Intelligit seorsim & propriè: Simili modo " non tantum *Vult* & Diligit ea quæ fecit, sed *Vult* & *Diligit seipsum* multo ma- " gis, ideo ab æterno procedunt ex Deo tum LOGUS tum SPIRITUS ipsius; " & in æternum sunt in Ipso, atque hæc ambo cum Deo Patre Unus est DEUS.

De nominibus etiam. cap. 3. prius dixerat.

" Credimus in Deo esse alias Tres Proprietates quæ sunt tanquam Principium " & Fons omnium aliarum ejus proprietatum. Hisce tribus proprietatibus Deus " æternum Vivit in seipso; etiam antequam conditus ab ipso mundus esset; & per " has Proprietates Condidit mundum; his quoque Gubernat eum. Has tres Pro- " prietates nominamus Tres Hypostases, seu Personas. Quia verò hæ ipsæ Pro- " prietates non partiuntur unicam illam & simplicissimam Dei Essentiam; Ideo Ipse " licet Tribus his Proprietatibus præditus, unus Deus est.

Minimè diffiteor probabile videri, Patriarcham Trinitatis Doctrinam eo magis per res naturales illustrare, quo Mechameti, minus duram & incredibilem redderet: Non tamen eum falsa & menti suæ contraria professum esse credendum est; neque à fide Ecclesiæ Græcæ aliena: Et à Lectore de hisce nihil postulo, nisi ne ideo ea despiciat & rejiciat, quia *Proprietatum Essentialium Trinitas*, Rationi humanæ ut certissima nota est & agnita.

Ex quæ ex Isidoro Pelus. antea citavi hæc addenda non sine usu judico, Lib. 2. Epist.

Epiſt. 143. p. 189. " Philonem laudat dicentem *Duas eſſe Potentias*, ex quibus " ea quæ efficiens eſt, & ad beneficia danda propenſa, DEUS vocatur: Ea autem " quæ Regia eſt, & ſcelerum vindex DOMINUS: Quibus (inquit) verbis non longe ab eo recedit qui dixit, 2 Cor. 1. Chriſtus Dei Virtus & Dei Sapientia: Virtus inquam non hypoſtaſis expers, verum reipſâ & verè conſiſtens.

Alexander Epiſcopus Alexandr. in Socratis lib. 1. c. 4. accuſat Arium quod Chriſtum dixit non eſſe verum Dei Verbum, *Veram Sapientiam*, ſed Metaphoricam, Creatam, inſtrumentalem.

Martial. ad Burdegal. Epiſt. 1. c. 10, 11. Ipſe Filius eſt principium, quia de Principio ineffabiliter genitus eſt.

Nazianz. Orat. 29. p. 489. dicit, τὰς μὲ ἰδιότητας χωρίζοντες, ἑνοῦντες δ τὴν θεότητα, &c. Patrem, Filium & Spiritum Sanctum adoramus, *Proprietates* quidem diſtinguentes, Divinitatem autem copulantes, *&c.* Leg. cæt. de proprietatum differentiis, & p. 49. de proceſſu Sp. Sancti.

Athanaſ. de Incar. Verbi, p. 69. Nam ſi (Platonici) confitentur eſſe aliquem Dei λόγον, & hunc Ducem Univerſitatis eſſe, atque in ipſo Creaturam omnem à Patre fabricatam, *&c.* Lege Cætera.

Lege ſenſum Antiquorum de Trinit. in Petavii, To. 2. de Trinit, li. 1. c. 3.

VII. Quid autem de hiſce Scholaſtici?

I. Notandum eſt quantum & ipſi Perſonarum differentias per Attributorum ſeu Primalitatum differentias expreſſerunt; & per Primalitatum nomina Perſonas appellârunt.

1. De Auguſtino (in hoc Scholaſticorum Patre) prius dictum eſt. Quibus adde ejus verba ab ipſo D. Petavio citata de Trin. li. 5. p. 503. cap. 4. [*Deus omnium quæ ſunt, Cauſa eſt: Quod autem rerum omnium cauſa eſt, etiam Sapientiæ ſuæ Cauſa eſt: Nec unquam Deus ſine Sapientia ſua: Igitur ſempiternæ ſuæ Sapientiæ Cauſa eſt ſempiterna; nec tempore prior eſt, quam ſua Sapientia.*]

Et ſæpiſſime Auguſtinus vocat *Patrem Memoriam* fœcundam (& per *memoriam* quidam dicunt Auguſtinum idem ſenſiſſe quod alii (& ille quandoque) *Potentiam*, aut *Vitam Divinam* nominant) *Intelligentiam* & *Amorem*, viz. *Dei ſe-intelligere* & *ſe-amare*. Et (ſicut prius dictum eſt) Deus non habet aut *Intellectum* aut *Voluntatem* niſi in *Actu:* Neque *Actu aliquid Intelligit*, aut *vult præter ſeipſum* & *Creaturas:* Ergo juxta Auguſtinum & ejus ſequaces, totus Dei Intellectus, & tota Voluntas eſt *Filius* & *Spiritus Sanctus*, præterquam quâ creata reſpicit. Imò Filium & ipſe & Joh. 1. 2, 3. dicunt ideo λόγον dici quia Creaturas dicendo Deus creavit (quamvis non ſolum aut primitùs inde ſic dictus ſit)

2. Lombardus diſ. 3. F. p. 8. de veſtigio Trinitatis inquit [*Filius eſt Veritas Patris---& Bonitas intelligitur Spiritus S.*] Et G. inquit [*Ecce Mens meminit ſui, Intelligit ſe, diligit ſe: Hoc ſi cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum; ſed Imaginem Dei: Hic enim quædam apparet Trinitas Memoriæ, Intelligentiæ, Amoris: Hæc ergo tria potiſſimum tractemus, Memoriam, Intelligentiam, Voluntatem: Hæc tria, inquit Auguſt. non ſunt tres Vitæ, ſed una Vita; nec tres Mentes, ſed una Mens, una Eſſentia. Memoria verò dicitur ad aliquid, & Intelligentia, & Voluntas ſive dilectio ſimiliter ad aliquid dicitur: Vita verò dicitur ad ſeipſam & Mens & Eſſentia --- M. p. 11. Illa tria Naturales Proprietates ſeu Vires ſunt ipſius Mentis, & à ſe invicem differunt: quia memoria non eſt Intelligentia, vel Voluntas, nec Intelligentia Voluntas ſeu Amor --- Et hæc tria ad ſeipſa referuntur: Mens enim Amare ſeipſam vel meminiſſe non poteſt niſi noverit ſe --- Hæc tria una ſubſtantia ſunt, quia in ipſa Anima vel Mente ſubſtantialiter exiſtunt; non ſunt Accidentia in ſubjectis quæ poſſunt adeſſe vel abeſſe: Unde Aug. in 9. l. de Trin. ait, Admonemur, ſi utcunque videre poſſumus, hæc in animo exiſtere ſubſtantialiter non tanquam in ſubjecto, ut color in corpore; quia etſi relative dicuntur, ſingula tamen ſubſtantialiter ſunt in ſubſtantia ſua: Quæ tria, inquit Aug. 15. l. de Trin. in Mente naturaliter divinitùs inſtitutâ quiſquis vivaciter perſpicit --- profectò reperit illius ſummæ Trinitatis Imaginem*] N. B. Auguſt. & Lombardum non cum Thomiſtis Facultates putaſſe Accidentia animæ. Et Qu. An hic Aug. tres nudas Relationes deſcribit? an tres Facultates Relatas?

At Lombardus in Aug. notione *Memoriæ* non acquiescens addit, S.T. ex Aug.9. l.de Trin.c.4. [*Potest aliis nominibus distingui Trinitas in Anima: Mens & Notitia ejus & Amor tria quædam sunt: Mens novit & Amat se: nec Amare se potest nisi noverit se: Duo quædam sunt Mens & Notitia ejus: Item duo quædam sunt Mens & Amor ejus: Cum ergo se novit Mens, & se Amat, manet Trinitas, Mens Notitia, Amor.*] Vid. cætera. Fateor *quidem* de Intelligentia *ingenita* & genita, & ita de Amore, eum postea distinguere, de quibus postea dicendum.

Aquinas item clare fatetur quod quamvis Philosophi non cognoverunt mysterium Trinitatis, [*cognoverunt tamen quædam Essentialia Attributa, quæ appropriantur Personis, sicut Potentia Patri, Sapientia Filio, Bonitas Spiritui Sancto*] N.B. 1. Quod hæc Attributa sunt Essentialia; 2. Quod lumine Naturæ Philosophis nota & certa sunt; 3. Quod Personis appropriantur. 1. qu. 32. ar. 1. ad primam, sed talibus recitandis non diutius immorandum est.

2. Ex August. plerique Scholastici ne dicant Patrem non esse Sapientem & Amantem in se, & ne dicant Patrem esse à Filio si sapit per Filium, quia sapere & esse sunt idem, dicunt Sapientiam & Amorem, qua Essentiam, esse communes unicuique personæ: Et Sapientiam qua Ingenitam esse Patris; At Sapientiam Genitam esse Filium, & Amorem procedentem esse Spiritum Sanctum: Non duas tamen esse Sapientias nec duos Amores, sed unam omninò, & eandem Sapientiam Essentialem, ingenitam & genitam, ut & unum Amorem: De hac tamen difficultate Magister modestè bis captum suum hæc superare fatetur, sed tutissimum esse tantùm loqui cum Ecclesiæ Doctoribus. At Ratio quare Attributa varia personis appropriantur, & quare Potentia Patri, Sapientia Filio, Amor Sp. Sancto tribuitur magis quam Amor Filio & Sapientia Sp. Sancto, à nullo probabiliter redditam invenio, cum & Potentia & Sapientia & Amor nil aliud sunt quam Essentia: De Relationibus harum plura quidem dicantur, at de ratione appropriationis horum Attributorum relatorum, vix aliquid quod alicui satisfacere potest, juxta Augustini hypothesin.

Clarissime omnium Estius (homo non nimis subtilitatibus deditus) 1. d. 34. § 3. p. 113. [*Inter appropriata divinarum personarum maximè frequentatur in Sacris Literis* (N.B.) *& Sanctorum Scriptis hic ternio, Potentia, Sapientia, Bonitas; ut Potentia accommodetur Patri, Sapientia Filio, Bonitas Sp. Sancto: Quibus tribus eodem ordine respondent & hæc tria velut Actus illorum, Creatio, Redemptio & Sanctificatio vel beatificatio* (Hic è S. script. probationem addit) *Cur autem Patri omnipotentia accommodetur, hæc ratio esse videtur, quia Pater est Origo & Principium non tantum omnium rerum creatarum, sed & Divinarum Personarum: Jam verò quantò plura quis efficere & producere potest, tanto solet apud homines haberi potentior. Quoniam ergo Potentia magis congruit cum personali proprietate Patris, fit ut Patri peculiariter accommodata sit. Et quia in operæ Creationis totius mundi, Potentia Divina maxime relucet, hinc & Creatio Patri appropriatur; Cujus tamen & alia ratio reddi potest: quia nimirum quomodo Pater prima est in Divinis persona, & origo aliarum, sic & opus Creationis inter Dei opera primum est, ac reliquorum omnium velut Redemptionis & Sanctificationis fundamentum---§ 4 p.114*] Deinde ex *S. Script.* probat *Sapientiam* accommodari Filio: Quia [*secundum Naturam Divinam Filius procedit ut Verbum. Verbum autem*, inquit S. Thom. *nil aliud est quam conceptus Sapientiæ; sicut autem Filius secundum formam Dei ab æterno media fuit persona inter Patrem & Sp. Sanctum tanquam Verbum medium inter Mentem & Amorem, ita congruebat ut idem Filius per assumptam formam servi in plenitudine temporis medius fieret inter Deum & hominem---*1. Quia factus est nobis *Doctor Sapientiæ*, &c. § 5. *Bonitas Amor, Benignitas ascribuntur Sp. Sancto, quia Spiritus Sanctus per modum Amoris procedit*, &c.] Rationes leviores Hugonis Tract. 1. c. 10. rejicit. Et hæ ipsius nisi altiores addentur minimè satisfaciunt.

3. Omnes tamen fatentur Rationem Imaginis in nobis non esse *omnimodam aut perfectam: sufficit* (inquit Scotus & Lychetus 1. d. 3. q. 9. p. 142) *quod sit repræsentativa Trinitatis & Unitatis, quæ requirunt Consubstantialitatem, distinctionem, & originem, licet non sit repræsentativa secundum omnem modum---*

Et

& Aug. Scotus & Lychetus ibid. 1. *In Anima poteſt eſſe Imago imperfectè tamen, quando intelligit iſta inferiora & amat illa.* 2. *Et Imago perfectior, quando habet intelligentiam ſui, & diligit ſe.* 3. *Et tunc eſt perfectiſſima Imago, quando actu intelligit Trinitatem & actu Amat; quia tunc non tantum eſt Imago Trinitatis, ſed & ſimilitudo, quia actus intelligendi eſt ſimilitudo objecti.*

4. Scotus & Scotiſtæ cum aliis quibuſdam dicunt, quod *Imago conſiſtit ſimul in actibus primis & ſecundis, id eſt, comprehendit Intellectum & Voluntatem, & Actum Intelligendi & Volendi:* ut Lychet. ibid. p. 141.

5. Plurimum confuſionis & obſcuritatis Scholaſticorum mentibus & doctrinæ de Imagine Trinitatis inde obvenit, quod duplex tantum principium ſeu facultatem in Anima Rationali dignoverunt, *Intellectum* ſcilicet & *Voluntatem*, trium primâ facultate non obſervatâ, *viz.* Potentia-Vitali-*Activa*, ſeu *Vitalitate*, ſeu *Vita* ut principio. Et inde Auguſt. numerum, *Memoriam* addendo, reſarcire neceſſe habuit: At quando pro Memoria ex Aug. 4 li. de Trin. Mentem ſubſtituerunt aliquantò rectiùs res procedere videbatur. Hæc inter cæteros ex Scoto & Lycheto ubi ſup. videre eſt.

6. At hic inter ſe diſcrepant Scholaſtici, dum alii ſolum Actum ſecundum eſſe Imaginem Volunt, alii & Actum primum, & Scotus *non vult, quòd Actus Volendi ſive Amor productus ſit tertia pars Imaginis; cum non dicat aliquam conſubſtantialitatem cum Anima; quia Realiter diſtinguitur ab ipſa; ſed vult quod ipſa Voluntas, ut informata Actu Volendi ſive Amore, ſit tertia pars imaginis, quia ratione Voluntatis dicit conſubſtantialitatem* inquit Lychetus ibid. Quæro, Nonne idem de omnibus tribus facultatibus dicendum eſt? Plura de Imag. vide in Alex. Alenſ. 1. q. 60. memb. 3. a 3. Bonavent. 1. d. 3. q. 3. Ricard. 1. d. 3. q. 1. a. 2. Scot. 1. d. 3. q. 9. Thom. 1. q. 93. a. 5 & 6. Durand. d. 3. q. 3. Joh. Baccon. 1. d. 3. q. 3. Et notandum eſt quod dicit Thom. 1. q. 39. a. 7. c. *Eſſentialia attributa ſunt nobis magis manifeſta ſecundum rationem, quam propria perſonarum: quia ex Creaturis ex quibus cognitionem accipimus, poſſumus per certitudinem devenire in cognitionem Eſſentialium attributorum, non autem in cognitionem perſonalium proprietatum:* Ubi etiam Attributorum appropriationem probat. Et art. 8. plura profert.

7. Tres Perſonas eſſe Tres Relationes Divinas ferè omnes conſentiunt.

8. Item Relationes haſce non eſſe Accidentia: Ideoque Thomiſtæ etiam Relationes Dei ad Creaturas negant, ne accidentia in Deo ponamus. At qui Relationis naturam rectè tenet, ſicut ante explicata eſt, hoc minime timebit.

9. Et plurimi tenent Trinitatem nullo modo conſtitui ex Dei Relatione ad Creaturas, ſed tantum ad ſeipſum. Quidam autem dicunt duplicem eſſe rationem denominationis perſonarum; primam intrinſecam, at ſecundam ad Creaturas. Deum autem realiter ad Creaturas relatum eſſe, prædicamentaliter, etiam de novo, quamvis Thom. Cajet. Ferrar. negant, & alii quos videre eſt apud Suarez, Met. diſ. 47. ſect. 15. n. 17. defendunt tamen Ockam. 1. diſp. 30. Gabriel. ib. q. 5. Durand. qu. 3. Gregor. Arim. diſ. 28. q. 3. ar. 1. Marſil. q. 32. ar. 1. Palacios in 1. d. 5. quæ, inquit Hurtad. clariſſima eſt Anſelmi in Monolog. c. 24. & ab ipſo Mendoza defenditur, Metaph. diſp. 15. ſect. 2. pag. 901. [*Deus* (inquit) *formaliter eſt diverſus à Petro* (& à Diabolo,) *illo perfectior, & ejuſdem Dominus: ſed hæ formaliter ſunt Relationes prædicamentales; ergo Deus habet relationem prædicamentalem:*] vide cætera. Non inſcius ſum quid Capreolus cum aliis Thomiſtis dicunt pro contrario: ſed haud facile me adductum iri profiteor, ut credam, Deum realiter, id eſt, verè ad Sanctos non Relatum eſſe, ut Creatorem, *Redemptorem, Sanctificatorem, Dominum, Rectorem, Patrem, Cauſam efficientem, dirigentem, Finem:* An Prædicamentales an Tranſcendentales dicendæ ſint hæ relationes, curet Ariſtoteles; mihi minimi res momenti eſt. *Adde* (inquit *Hurtad.*) *è Thomiſtis Soncinatem, & Hervæum aſſerentes Relationem Dominii in Deo eſſe Realem apud Suarez,* num. 21. *Molina* 1. p. q. 13. a. 7. *ait* à *Durando, Gabriele, Gregorio & aliis has relationes in Deo conſtitui; quos tamen non impugnat, niſi in earundem diſtinctione à fundamento; quod ſi non diſtinguuntur, ſine abſurdo admittuntnr in Deo: Idem præſtat Fonſeca,* l. 5. Met. c. 15. q. 1. ſect. 7. & Palacios diſp. 5. & *Suarez* hanc *ſen-*

tentiam à Calumnia vindicat, Met. 47. disp. sect. 15, 16, 17. Societatis tamen gratia non Nominalibus, sed Thomistis, & Scotistis se Suarez adjungit, *viz.* Thom. 1. p. q. 13. a. 7. & 2. Cont. Gent. c. 12. Cajet. Ferrar. Capreol. 1. d. 30. q. 1. a. 1. c. 3. & a. 2. c. 2 & 3. Bonav. a. 1. q. 3. Richard. a. 1. q. 4. Scot. q. 1. Ægid. q. 2. Henric. quodl. 9. q. 1. Alens. 1. p. q. 35, &c. Et Albertinus argumentis quibusdam inanibus negativum probare conatur, de Relat. prim. Corol. pag. 417, 418. Si verum datur fundamentum hujus propositionis, *Deus Mundum creavit*, *verum* datur fundamentum Relationis *Creatoris*. Sed de hoc hactenus.

10. *Persona inquit* Thom. 1. q. 39. a. 1. c. *cum sit Relatio subsistens in Divina Natura idem realiter est quod Divina Essentia --- sicut Relationes rebus creatis Accidentaliter insunt, ita in Deo sunt ipsa Essentia Divina --- Persona significat Relationem prout est subsistens in Natura Divina. Relatio autem ad Essentiam comparata non differt, sed ratione tantum: Comparata autem ad oppositam relationem habet virtute oppositionis realem distinctionem.*] *Oppositio* igitur & *diversitas realis* invenitur, in re omnimodo eâdem. Ex hisce constat Relationem in divinis & humanis esse nomen omnino æquivocum. In Divinis enim aiunt Relationem esse substantiam, & non accidens; In humanis autem nulla innotescit Relatio, quæ non est accidens, & quæ est formaliter substantia. Qui Fundamentum & Relationem, supposito Termino, idem esse dicunt, possunt inde asserere, Relationem esse substantiam, quando *Fundamentum* & *Terminus* sunt substantiæ: Sed hoc non est horum Scholasticorum dogma; & hucusque Relatio in Esse Relationis à Fundamento (quamvis non realiter) ab omnibus ferè distincta habita est: Ideoque reverâ nil aliud est quam Ens Rationis Ratiocinatæ, quamvis fundamentum ejus aliud est. Relatio autem quæ formaliter, vel quâ talis, est substantia, & substantia omnimodo unica quæ diversimode ad se realiter relata est, & Relatio diversa ubi *subjectum*, *Fundamentum*, *terminus* sine minima diversitate sunt omnimodo idem, inter homines res ignotæ sunt: Ideoque ex *Nomine Relationis* Personalitas Divina non magis nobis nota est, quam ex nomine aliquo hominibus antehac inaudito, quia non illud significat, quod ly *Relatio* ullo modo ab hominibus usurpata.

11. Imo inquit Thom. 1. q. 28. a. 2. c. [*Relatio Realiter in Deo existens idem est Essentiæ secundum rem, non differt autem nisi secundum rationem --- Quicquid in rebus creatis habet esse accidentale, secundum quod transfertur in Deum habet esse substantiale --- Quicquid in Deo est, est ejus Essentia --- Sic manifestum est quod Relatio realiter existens in Deo est idem Essentiæ secundum rem, & non differt nisi secundum intelligentiæ rationem. Patet quod in Deo non aliud esse Relationis & esse Essentiæ, sed unum & idem.*] Summa est, Essentia est unica: Relatio est triplex: at Relatio nil aliud est quam Essentia: Relationes sunt Reales; Realiter igitur differunt inter se: At Realiter non omnino differunt ab unica Essentia: Imò *opponuntur* inter se, & in Essentia non realiter differente aut diversa, Realis oppositio invenitur. Hæc Thomistarum & plurimorum Scholasticorum Lectori pensitanda relinquo.

12. At Dion. Petavius hæc neque digerere neque tolerare potuit, sed copiosè impugnavit. de Trinit. l. 4. c. 11. p. 405, &c. & contra Augustinum & Thomistas & alios Schol. asserit, *Personam proprie & directè Relativum quidpiam significare, imò non Essentiam sed Proprietatem Relativam in Deo notare, illam autem obscure tantum significare*, n. 9. p. 411. eosque rejicit qui dicunt, *Relationem ut ad se dicitur, vel quâ Essentiam includit, constituere personam; distinguere verò quatenus ad alteram dicitur*, n. 10. p. 412. Et ex Scholarum usu dicit, *Eo rem quamlibet ab alia distingui, quo talis in se constituitur.* Et quidem Augustinum & alios ejus sequaces hic periculosè loquentes citat, quasi reverâ non nisi ex usu loquendi, magis Tres *Personas*, quam Tres Essentias diceremus; quod Sabellii Hæresis dicitur. At fatetur *Relationis & Personæ in Deo non eandem esse notionem qua in hominibus, seu creatis: In Deo quippe Relatio quatenus ab essentia, ratione & ἐπινοίᾳ distinguitur, per se subsistens est Relatio, per eamque essentia ipsa subsistit*, &c.] Relatio igitur seu persona juxta eum *ratione* tantum & ἐπινοίᾳ ab essentia distinguitur:

Igitur

Igitur non re: & tamen per se subsistit, & essentia per eam, quæ non ab ea differt. N. 11. p. 413. Idem tamen Petav. dicit cap. 16. n. 5. p. 456. [*Quod simpliciter unum est in seipso inesse, aut in se numerare, non dicitur.* sicut Richard. Victor. de Trin. l. 6. c 20. *Ubi est simplex unitas & summa simplicitas, quid ibi facit qualis & talis: Nil recte dicitur sibi equale. Ubi vero Unitas, non tam equalitas; quam Identitas Convenienter dici potest---Quæ Comparatio esse potest ubi vera Unitas est? In summa namque simplici unitate non potest similitudo vel dissimilitudo inesse.*

13. In Deo quatuor Relationes Reales ponit Aquinas, 1 q. 28. a. 4. at duas tantum processiones, & tres personas; non omnem igitur Relationem Realem Personam judicant. At in oppositione Relatio quæ Persona, à Relatione quæ non est persona differre dicunt.

14. Scotistæ autem cum suis distinctionibus formalibus se meliùs rem expedire statuunt; Radæ Controv. 24. est [*Utrum persona prout subsistens constituatur per Relationem, prout Relatio Rationis distinguitur ab essentia, an verò prout identificatur cum ipsa essentia.* Et 1. Opinionem Capreoli, Ferrar. Marsil. & Thom. dicit esse, [*In divinis non reperiri tres personales subsistentias Relativas; sed unicam tantum essentialem tribus personis communem.* 2. Cajetani dicit contrariam esse, 1. q. 40. a. 4. [*quod Relatio non ut idem cum essentia, sed ut ab ea ratione distincta, constituit personam, ut subsistentem.*] (Quod & Petavii est) (Nota, quod *Ratione* id distingui dicitur, quod in se nullam vere continet diversitatem.) At ad Scoti opinionem aperiendam hasce ponit Conclusiones, quas prætermissis notis, recitandas duxi. [1. *Concl. In Divinis reperiuntur tres subsistentiæ secundum fidem, si sumatur subsistentia in concreto.* 2. *Inveniuntur & tres subsistentiæ in abstracto, id est tres rationes subsistendi.* 3. *Essentia ut sola Ratione differens à Relatione non constituit personam in esse personæ.* 4. *Essentia ut condistincta à relatione personali; sive ex natura rei, formaliter secundum Scotum, vel ratione ratiocinata secundum Thomam, non constituit personam subsistentem.* 5. *Relatio ut identificatur cum essentia, non tribuit personæ subsistentiam.* 6. *Relatio divina non constituit personam subsistentem prout sola ratione differt ab essentia.* Vide rationes: & Thomistis objiciunt eorum *Constitutionem non esse veram sed fictam, & ita vere & secundum rem divinas personas non constitui, sed ut conceptæ à nobis:* (*cui respondeat qui potest.*) 7. *Relatio secundum propriam entitatem formalem, secundum quam non est eadem formaliter ex natura rei essentiæ divinæ, constituit personam, per se incommunicabiliter subsistentem.* Deinde probat *summæ simplicitati non-identitatem formalem minime contrariari.*

Et de tota de Personis controversiarum materia cæteris subtilibus clarius Rada rem aperit: Ideoque ut prolixitatem devitarem, reliquos prætereundo ejus conclusiones de paucis adhuc adjiciam. Contr. 22. p. 340. Q. *Utrum nomen personæ significet Relationem?* Post definitionem Personæ *Richardi* approbatum, Quærit *An Persona importet primam an secundam intentionem* (id est, *Realem* an Rationis) R. Conclus. *Nomen Personæ non significat secundam Intentionem,* contra Henric. & Ægyd. quoad formale.

Q. *An Persona primò significet Relationem* vel *Entitatem absolutam?* R *Nomen Personæ universe acceptum non significat Relationem.* 2. *Nomen Personæ est commune tribus Personis Divinis.* 3. *At non communitate æquivocationis, quæ consistit in solo nomine, sed univocationis.* 4. *Nomen Personæ non significat formaliter substantiam secundam, id est, quidditatem.* 5 *Neque de Formali Relationem expresse.* 6. *Si* ly *Persona formaliter importet negationem* (de quo Scotus dubitat) *persona in Divinis non dicit substantiam, nec Relationem; Quia negatio non est substantia aut Relatio: Connotat autem aliquod positivum.* 7. *Si* ly *Persona significet primò aliquid Positivum* (quod Rada præfert) *difficile est explicare an illud positivum in Divinis sit absolutum an Relativum.* 8. *Nomen Persona ex vi suæ significationis non significat formaliter primò subsistentiam Relativam, vel subsistens relativum.* 9 *Neque subsistens absolutum.* 10. *Sed subsistentiam vel subsistens indifferens ad absolutum aut relativum.* 11. *Hæc omnia vera sunt de Persona Divina.* Concl. 12 & 13.

Nomen

Nomen Persona Divina secundum opinionem communem asserentem quod significat aliquid Positivum primo & formaliter importat subsistens in natura intellectuali; de materiali vero importat ea pro quibus supponit, scilicet *Patrem, Filium & Sp. Sanctum, & quasi secundo connotat formalia distinctiva in eis, & tertio essentiam eis, communem.*

Q. Cont. 23. *An Personæ Divinæ constituantur per Relationes in esse personale?* R. Primò asserit contra *Prepositivum* & Greg. Arim. *Personas Divinas non seipsis distingui (ut ultimas differentias simplices) sed proprietatibus personalibus; neque constitutas esse seipsis.* Q. *An constituantur per absoluta?* R. *Opinio affirmans rejicienda est ut falsa; Non quod hoc probetur aliquibus rationibus, quæ non innitantur authoritatibus* (N.B.) *sed propter authoritates Conciliorum & S. Patrum; in quibus licet hæc opinio adhibeat solutiones sufficientes, ut credamus eam non esse hæreticam,* &c. 2. *Prædicta opinio est temeraria hisce temporibus, quia opponitur torrenti doctorum* Scholasticorum. 3. *Prædicta opinio est Errori proxima, quia videtur opponi sensui legitimo Conciliorum & dictis S. Patrum* (Audin' hominem prævaricantem, & sua eloqui non audentem!) 4. *Non est planè & manifestè hæretica:* Quod probat.

Q. An Personæ Divinæ *constituantur* per *Relationes*,& *sub qua ratione?* R. Post impugnationem Thomæ, Concl. 1. *Relatio sub expressa Relationis formâ constituit Divinam Personam* (i. e. materialiter) *secundum esse reale, nulla habita ratione & ordine ad Intellectum.* 2. *Prima Persona tantùm habet duas Relationes originis; unam quâ ad secundam Personam refertur, quâ ipsi soli primæ Personæ competit, estque paternitas vel generatio; alia ad tertiam Personam, quæ vocatur spiratio activa, & hæc eadem numero convenit primæ & secundæ.* 3. *Relatio originis primæ Personæ ad secundam in re, non habet nisi unicam rationem formalem, quæ est ratio paternitatis & generationis.* 4. *Prima Persona non constituitur per Relationem ad tertiam Personam.* 5. *Prima Persona constituitur in esse Personæ, per relationem ejus ad secundam Personam, ut puta, per paternitatem seu generationem.*

Ad nostrum verò concipiendi modum quomodo Relatio constituat Personam, dicit, Concl. 1. *Si concipiamus conceptu integro & completo primam Personam in Divinis, necessariò concipiemus eam relativam, ut puta, Patrem sub ratione Patris.* 2. *Conceptu non integro & incompleto priùs concipimus primam Personam sub ratione Hypostasis & Personæ, quam sub ratione generantis; & priùs sub ratione generantis, quam sub ratione patris; quia in Creaturis ratio suppositi præcedit rationem generantis; & ratio generantis, rationem Patris.* 3. *Entitas costitutiva Personæ Patris prius concipitur (conceptu non integro) sub ratione formæ hypostaticæ, quam sub ratione generationis, & sub ratione generationis quam paternitatis.* 4. *Personæ Divinæ in ordine ad nostram cognitionem imperfectam, non constituuntur per Relationes, expressâ Relationum formâ, sed sub ratione formarum hypostaticarum; prout forma hypostatica abstrahit ab absoluto & relativo,* estque *indifferens ad utrumque:*] Summatim, *Personæ* formalis ratio est esse *Personam*; *materialis* esse *Relationem* per *actum originis.*

Plurimas adhuc spinosas quæstiones & subtilitates Scholasticorum prætereo, & hisce jam citatis contrarias opiniones; Has autem recitandas duxi, quia nullibi alias rem dilucidè & breviter simul explicatam inveni.

Relationem autem ideo ut *Materiale Personæ* se ponere Scotus profitetur, quia differentiarum minima est: Et in perfectissimo Uno, *minima* differentia ponenda est.

At quidem ubicunque ab Unitate ad Pluralitatem primo receditur, necesse est ut Pluralitatis ipsa inceptio subtilissimum mortalium ingenium omninò fugeret. Ego igitur ingeniosa hæc figmenta esse fateor, at ferè pro nihilo ea habeo.

Et ad magnas Augustini & Scholasticorum objectiones,dico, si Fundamentaliter cum Jo. Ripa in absolutis poneretur prima quæcunque differentia, I. Non sequeretur Patrem & Spiritum S. non esse Sapientem in se; Quia Essentia est sapiens in se; ideoque unaquæque *Persona* quâ Essentia; At nihilominùs *Essentiæ Sapientia* quâ talis, potest esse formaliter λογος seu Filius: Neque magis inconveniens

videtur

videtur dicere, quod Pater, qua Pater, non est formaliter Sapientia & Amor, & Filius, qua Filius, non est Amor seu Voluntas, (quamvis Pater, qua Deus, est Vita, Sapientia & Amor) quam dicere, Vitalitas qua Vitalitas non est Sapientia Divina, & Sapientia qua Sapientia non est Amor (aut Intellectus qua talis non est Voluntas:) vel dicere, quod Pater qua Pater non est Filius, & Filius qua Filius non est Spiritus S. Neque necesse est, ut distinguant homines inter *Sapientiam Ingenitam* & *Genitam*, Essentialem & Personalem, & postea dicant, Omnimodo Unica est utraque Sapientia, id est, distinguo & non distinguo, vel distinguo non-differentia: Satiùs videtur dicendum; Deitas seu Essentia est Unica; quæ tota est Vita, tota Intellectus, tota Voluntas; & Essentia vivit per Vitam formaliter, & intelligit per Intellectum, *&c.* Et Vita Intelligit per Intellectum, & Vita & Intellectus *Volunt* per Voluntatem; Quod planius apparebit consideranti, formalem hanc locutionem esse repetitionem identicam; & qui dicit, Deus, Essentia, *Vivit* per *Vitam*, & Vita Intelligit per Intellectum, nil aliud dicit, quam [Deus, Essentia Vivit, seu Vita est; & Deus, Essentia, Vita, *Intelligit*, seu *Intellectus* est.]

II. Ad secundam objectionem, dico; Quod non sequeretur *Patrem esse à Filio*, si Intelligeret solum per Filium; sicut non sequitur, Deus, Essentia, Vita, est *ab Intellectu* Divino, quia Intelligit solum per Intellectum (id est, Intelligendo) Hoc enim non dicit [*Esse ab*] sed [*esse in.*] Et si *se-dicere* aut *Intelligere* faceret personam (*Patrem*) *Dicentem* seu *Intelligentem* oriri ab Intellectu, se-Velle aut Amare, item inferret personam Amantem, & Intelligentem esse ab Amore.

At quibusdam confusionis occasio est, quod *Personas* non esse *de Essentia* autumant, aut quod Essentia non potest esse in unaquaque persona *Tota* nisi etiam *Totaliter*. Tota Essentia est Vita, tota Sapientia seu Intellectus, *&c.* At *Vita*, aut *Intellectus* non *Totaliter* exprimit Totam Essentiam; & idem dicendum est de personis.

Ex hisce non infero Essentialitates hasce esse ipsas Personas, sed Objectiones Aug. & aliorum esse invalidas; & neque S. Scripturam (quæ Filium λόγον appellat) neque Rationem magis eis favere, qui Personas dicunt esse Tres Reales Relationes Essentiæ omnimodò ejusdem, & [*Dicere*] facere *Dictum* esse *Personam*, quam eis qui Personalitatem ponunt, simul in omnibus hisce, scilicet, *Radicaliter* in Trinitate Essentialitatum, & sub ratione *Virtutis triplicis* simul & *Actus Immanentis*, in sese, & *Relationibus* hinc ortis; & sensu secundariò quoad nos, in Creatione, Incarnatione, & Dono Sanctificationis, & Deo ad nos Relato ut Patre Creatore, Redemptore, Sanctificatore.

Vide Tholosani Com. Synt. art. mor. li. 6. c. 16.

Vide & Henr. de Hassia Soliloq. de Anima (præstantissimum) monument. Patr. Vol. 2. p. 1608. de Imag. Trinitatis.

VIII. Omissis igitur Scholasticorum non-necessariis subtilitatibus, Quid Theologi Ecclesiarum Reformatarum de hisce statuunt quærendum.

Et in genere quidem ab Ecclesia Romana de Trinitate non differunt, sed plerumque quam Scholastici de hisce magis verecundi sunt & minus audaces; & intra cancellos S. Scripturæ plerumque se continent. Quia verò ulterius aliquid audent, inter se discrepant, quamvis non æque ac Pontificii.

Lutherus ferè nihil habet nisi nudam Unitatis & Trinitatis assertionem: vid. Locos ejus Commun p. 8, *&c.* per Fabritium Collectos. Quamvis dicta quædam ejus (quæ non recitabo) non sana acriter perstringit Zuinglius, Tom. 2. p. 475. non erroneæ tamen mentis, sed incuriæ & temeritatis progenies censenda sunt.

Zuinglius cum omnibus Orthodoxis consentit, & Trinitatis mysterium bene explicat Confes. Bern. To. 2. fol. 523 & 525. & ex Imagine Triplicis facultatis humanæ eam illustrat, & quare *Omnipotentiam Patri, Sapientiam Filio, Charitatis Ignem* Sp. Sancto appropriant, rationem reddit.

Calvini doctrina cæteris convenit, quamvis frustra eum sugillat Genebrardus quia Christum αὐλόθεον vocat, quoad Essentiam, quem vindicarunt Leidenses & alii. De similibus humanis magis ambigit. Fatetur tamen S. Scripturam distinguendo,

guendo attribuere Patri Principium agendi; Filio Sapientiam, Consilium, & in rebus agendis dispensationem; Sp. Sancto virtutem & actionis efficaciam. Et ait (quod notandum) [*Nec potest Deus ad seipsum dici hoc vel illud*] vid. Colonii Analys. Institut. disp. 5. § 58 p. 45, 46.

De Beza idem dicendum, *viz.* Orthodoxiæ tenacissimus est, & Patrum ineptas expressiones Unitatem tantum specificam significantes, notat, quas & Petavius notat. Ego autem puto Patres nil aliud voluisse, quam Dei Unitatem numericam in tribus personis explicare, quamvis similitudine infæliciter dissimili. Vid. Bezæ Thes. de Trinit. Tract. Theol. Vol. 1. p. 651, &c. Et Resp. ad D. Radzivil. & Confes. & de Hæret. pun. p. 100. & 543. & Vol. 3. p. 176.

Pet. Martyr pauciſſima de Trinit. habet in Loc. Com. at ibi & alibi cæteris concordat.

Anton. Fayus rem accuratius tractat: *Personas* autem ab *Essentia non ipsâ re, sed Ratione* tantum differre dicit; *inter se autem reipsa distinctas esse*, Disput. 2. Thes. 8. & 30. & disp. 3. Christum dicit λόγον Patris & Sapientiam, tum ἐσιώδην tum ob officium, d. 2. Th. 23. Omnipotentiam, verò, Sapientiam & Bonitatem, generali cognitione Dei τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, notas esse, d. 2. Th. 7.

Musculus (vir summi judicii & sinceritatis) nil nisi pauca & certa tradit, & modum generandi ut inscrutabilem dimittit; Trinitatem tamen non incredibilem esse infert, ex Trinitate facultatum humanarum, & substantiæ, luminis & caloris solaris (*Motus* enim non meminit) Loc. Com. p. 12, 13, 14.

De Bullingero idem dico: Qui Dec. 4. Serm. 3. p. 272, &c. inquit [*Piis satis est simpliciter & secundum Scripturas Symbolumque Apostolorum credere & confiteri unam esse Divinam Nuturam sive Essentiam, in qua sunt Pater, Filius & Sp. Sanctus: Neque hic admodum solliciti sumus, sive substantias aut subsistentias aut personas nomines, modò distinctionem & cujusque proprietates distincte exprimas, unitatemque sic confitearis ut Trinitatem non confundas, nec suis personas spolies proprietatibus.* Et fol. 275. c. 2. *Exstat Symbolum quod Apost.* dicitur---*nequis audeat fidem hanc in dubium vertere, aut curiosis quæstionibns disputationibusque involvere.*

Illyricus plures aliorum nominis λόγου sensus recitat, & addit [*non dubito esse absconditum mysterium*] & omnia eorum dicta incerta judicat. Maximè autem probabilem judicat hanc nominis rationem: *Quia Chaldæa Versio (quâ linguâ tempore Christi vulgus Judæorum plurimum usus est) sæpissime pro Jehovah habet Meimar Verbum, verisimile mihi fit Johannem voluisse eam vocem etiam in sua Græca Scriptione per Logon exprimere ac ipso statim nomine dicere Messiam esse Jehovam*--- Clav. script. in Verbo, pag. 1247. (& Cl. Par. 2. p. 615. de nom. Jehova probare valdè nititur, nomen Jehova Mosi traditum, significare, Christum futurum hominem; & non [*sum* qui *sum*,] sed [*ero*] & [*erit*] transferendum esse, id est, *ero* vel *erit Incarnatus Redemptor:* Et Meimar Chald. & λόγον significare Jehova: & Psal 110. dicitur, *Dixit Dominus Verbo, sede à dextris meis*; & Joh. 1. ad Gen. 1. respicientem eum ut *Omnium Restitutorem* nominasse. Mysterium Judæis adhuc nomen Jehovæ, quia Christus eis absconditus est. De Trinitate autem tantum dicitur, *Quod sunt tres Personæ, Pater, Filius & Sp. S. Quid sunt autem Sermonem non posse explicare*, Clav. Par. 2. p. 208.

Wigandus Personas ponit in Dei definitione, Syntag. p. 48. Et concessa ut solet ex S. Scrip. copiosè probat, at subtilitates præterit.

Zanchius omnium accuratissime hæc tractat de trib. Eloh. li. 8. c. 1. & p. 337. dicit [*Persona non aliud est quam Essentia certa aliqua personali proprietate distincta & quasi individuata.*] Et p. 340. [*Pater est Essentia æterna simplicissima, perfectissima, Vivens, Intelligens, Volens, & ea quidem incommunicata; eoque persona est simpliciter ἀγέννητος, sui*, h. e. *suæ Essentiæ communicatione Filium ab omni æternitate generans. Filius est eadem Essentia æterna simplicissima perfectissima, Vivens, Intelligens, Volens; sed per Immanentem & incomprehensibilem Patris actionem quam S. Literæ vocant Generationem communicata; eoque persona est ex Deo Patre ab omni æternitate genita. Spiritus Sanctus est eadem Essentia æterna, simpl. perfectissima, Vivens, Intelligens, Volens, sed per Immanentem ineffabilemque Patris & Filii*

Filii actionem, communicata, eoque persona à Patre & Filio per omnem æternitatem procedens.] Hic *Actionem* immanentem duplicem in Deo distinguere videtur. Utrum autem hæ Actiones sint reverâ distinctæ, ab Essentia aut inter se, aut nomine & ratione tantum, non statuit. Bene autem li. 1. p. 4. monet [*Patres omnes fateri ingenuè de nulla re difficilius & periculosius posse quam de Trinitate disputari*, &c.]

Junius Vol. 1. p. 2012, 2013. *Personas ab Essentia distinctas*, ait, *Ratione tantum, ab invicem Reipsâ & Reali distinctione, in eaque fundari Proprietates & Relationes*---Et *Actus personales ad intra* (*Gignere, Conspirare, Procedere*] itidem distinguit Et *non* Essentiam sed Personam *Patrem genuisse statuit*, p. 2016.

Polanus item copiosè & accuratè rem tractat. At Scholasticorum mentem non probe semper tenet, dum eos sequi conatur, Syntag. li. 3. cap. 8. p. 224, 225, 226. *Relationes personarum Realiter inter se* differre dicit, §. 11. imò *sic ut alia Res sit Pater, alia Res sit Filius, alia Res sit Sp. Sanctus. At modo & formaliter ab Essentia differre, non realiter*, § 6. 11. p. 226, 227. *Solam autem Relationem distinctionem efficere: At Relationem personarum esse Modum existentiæ: Formalem* autem ex Gabriele distinctionem asserit; Et (cum Thoma) non omnem Relationem (realem) ad *distinctionem* (ad *personalitatem*) *sufficere, sed* tantum *oppositam.* At 1. aut *Relationes*, fundamentis inclusis, describit, aut, à fundamentis abstractis: Si prius, Relationes sunt ipsa Essentia seu substantia; sin posterius, Relatio nihil est nisi *Comparabilitas* vel *Referribilitas*, id est, Ens Rationis Ratiocinatæ, & neque *Modus* neque *Res*: Sin autem per Relationem æquivocè quid aliud significatur, quam id ad quod significandum more humano adhibetur, per alia nomina res explicanda est. 2. Distinctio Realis & ut Res à Re, non est idem cum distinctione aut *Modali aut Formali*; quæ sunt quidem *ex natura rei*, at non *Reales*, pag. 226. Quum igitur postea Essentiam distinguit ut *Rem unicam à suis modis*, contraria loquitur.

Bucanus Loc. 1. p. 10. dicit discrimen non esse, 1. Essentiale. 2. Rationale, id est, ἐννοίᾳ, *aut verbo tenus.* 3. Nec Respectivè, ut homo, Pater & Filius *esse* & dici *potest*: Sed 4. *Reale at Incomprehensibile*, sed ex τρόπῳ ὑπάρξεως (cum plurimis) differentiam sumit; Ideoque probabile est, *Modalem* voluisse.

Ursinus & Paræus in Catech, nil singulare habent, & Modalem personarum differentiam innuunt.

Math. Martinius (præstantissimus Theologus) de Symbol. p. 60. personas *reipsa differre* dicit, cætera controversa præterit. Et Onomast. in persona dicit [*Ad salutem nobis satis est scire, Tres esse Patrem, Filium & Sp. Sanctum at tamen unum Deum.*] Et si tanto viro hæc sufficiunt, quid à Christianis indoctis & idiotis ultra requiritur? Anne ut intelligant Scholasticorum, in Divinis *quinque Notiones, quatuor Relationes reales, tres Relationes reales oppositas*, quâ tales, *esse personas, duas processiones*, & ex hisce omnibus nihil esse reverâ præter simpliciissimam & indistinctam Essentiam, & omnes alias distinctiones non esse in re sed fictas seu rationis præter *Personarum*? Et *hanc* etiam esse & *realem*, & tamen nil nisi indistinctam Essentiam, quia nil est in Deo præter Deum? Hæc omnia ad salutem non sunt necessaria.

Snecanus Method. de Deo, p. 70 & 102, &c. plurimas habet de Trinit. Regulas utilissimas; at paucas subtilitates tangit (At cum *Patrem* negat esse Principium quoad Filium, de principio temporali interpretandus est.)

Georg. Sohnius quamvis eximii acuminis Theologus, neque *Method.* neque *Locis*, neque *Thes.* alia ferè quam concessa tractat: Et in Exeges. à via lata non recedit: Sed cum Scholasticis plurimis contra quosdam è nostris, p. 87. 87. ait, [*Pater communicando totam Essentiam suam, Filium*, h.e. *aliam personam ex se gignit: Et Filius totam Essentiam Patris accipiendo & participando à patre, seu lumen de lumine, existit:* Et eadem de Sp. S. dicit, p. 88.

Phil. Melanchthon. cum Luthero plurima Trinitatis vestigia memorat; In Anima humana, in Sole, in Artibus, in Astronomia, in Musica, in Geometria, in Grammatica, in Arithmetica: Melanct. Loci Commun. per Manlium, p. 3, 4.

Ludov. Crocius Theologus primæ classis, plurima quidem in Syntag. suo de Attributis habet, & præcipuè de Vita, Intellectu, Voluntate, & Potentia executiva (At non *quatuor*, sed Tres nominanda sunt; Vitalis-Activa-*Potentia*, Intell. & Vol. quæ concurrunt ad executionem.) De Trinitate verò parcius agit. *Genituram* dicit esse *Actum Immanentem*, p. 696. (unde Actuum pluralitas inferri sequitur.) *Personas actualiter & realiter* ab invicem distinguit, ab *Essentia* solum *ratione* (id est, non verè quoad se:) Trinitatem dicit *arcanum imperveſtigabile adorandum, non curiosa aut furiosa sive scrupulositate sive temeritate perscrutandum*, p. 680.

Davenantius noster (à Crocio citatus) ad Dur. ait [*Deum esse unum in Essentia, Trinum in Personis inter se distinctis*, &c. *meritò definita sunt*, &c. *Jam siquis contenderet ea omnia quæ à Scholasticis de modo procedendi aut generandi disceptantur esse fundamentalia & in alteram partem definienda, næ ille apud Christum Christique Ecclesias temerario hoc suo judicio nullam gratiam iniret.*] Et Determ. 24 p. 112, 113. Relationes tantum alium & alium *modum* habendi *eandem Essentiam* designare, dicit.

Keckermannus in System. Theol. li. 1. c. 3. Scholasticorum vestigiis fideliter incedit: at ex eorum numero est qui personas esse & *Relationes* & *Rei modos* statuunt, & *Actus dicendi, Spirandi* aut *Amandi Relationum fundamenta* dicit; Distinctionem *Realem, formalem* & merè *Rationis* hic abjicit, & modalem præfert; Ideoque *Modus* quid sit explicat: at per instantias non satis congruas. Neque ipsi concedam gradum luminis secundum, primo superadditum, non esse *Rem* æque ac gradum primum, &c.

Beumlerus Theologus Methodi amans, Theol. l. 3. p. 50, 51, &c. Anastasii & Cyrilli Personæ definitionem aliis præfert, *viz. Hypostasis est Essentia cum suis proprietatibus quæ sunt ejusdem speciei, id est, persona coessentialis*: Et, ut alii, differentiam ponit in τρόπῳ ὑπάρξεως, *modo subsistendi* (seu *extandi*) & personas ab invicem differre ait, [*Verè*, sed non *Realiter*] At p. 52. [*Relatione & certo subsistendi modo*] Et impropriè dici ait, [*Essentia communicat aut gignit Essentiam: Essentia emanat ex Essentia*:] Et breviter, ut alii, definit, [*Patrem esse Deum non genitum ab alio, sed gignentem Filium ab æterno: Filium esse Deum non gignentem, sed genitum à Patre ab æterno: Sp. S. esse Deum non gignentem nec genitum, sed ab æterno spiratum à Patre & Filio.*]

Trelcatius Jun. Instit. li. 1. p. 38, &c. ait *Realem esse ac discretam in Essentiæ Unitate Personarum distinctionem.* At p. 39. Personas dicit distingui ab Essentia [*Non ut Res à Rebus, sed ut Res à suis Modis qui sunt in Re: Sunt enim* (inq.) *Personæ* τρόποι ὑπάρξεως, *modi Essentiæ Divinæ, à qua distinguuntur, non sola Ratione, non distinctione Reali, sed Rei Gradu & Modo.*] Ideo quum antea dixerat *Realem esse Personarum* distinctionem, hic autem in *Gradu* & *Modo*, aut Gradum & Modum putat esse *Rem*, aut *Realem distinctionem* non sumit sensu Scholastico, sed privato, aut sibi contradicit. Trinitatem autem attributorum bene describit.

Dudl. Fennerus controversias non attingit: Wendelinus modum subsistendi non constituere Personam statuit.

Maccovius Colleg. Theol. aptiùs dicit: d. 1. [*Persona abstractiva an Modus dici queat quæritur: Non dixerim absolutè: quia Modus posterior est semper eo cujus est Modus, quod de Deo dici nequit: Nec tamen aliud est quo hoc exprimamus, aut ad cujus conceptum efformemus, quod in Deo Personalitas vocatur. Namque si reverâ in in Deo est, erit vel Essentia, vel Accidens, vel Modus quartus dari nequit: Atqui non Essentia, quia ita plures Essentiæ darentur: Non Accidens, quia ita simplicitas Dei tolleretur*, &c. *Ergo erunt Modus: sed Modus---non propriè sed Analogicè dictus; & est, ut* Damasc. τρόπος ἀναρχος.]

Gomarrus dicit [*Persona est---proprio suo existendi Modo Ens præditum, non verò tantum Modus existendi.*] Hoc autem de concreto; non de personalitate. Difficultates autem præterit. Loc. 3.

Scharpius Curs. Theol. p. 211, &c. eadem habet: *Essentiam differre à Personis non ut Ens ab Ente, nec reali distinctione, nec formaliter, nec sola ratione, sed modo existendi.*

Hist.

Hist. Hommius disp. 7. n. 6. dicit, *Symbolo Nyceno Christum dici Deum de Deo, Lumen de Lumine, non* ὁσιωδῶς *respectu Essentiæ, sed respectu Personæ.*

Cluto Ideâ Theol. disp. 5. p. 40, &c. ait [*Divinitatem contractam analogicè dici Personam, & Personas proprietatibus distingui; & Proprietates sumi ex actionibus Personalibus propriis.* n. 17. Et *Realiter ab invicem differre, hoc est, non per conceptum rationis:* Ubi patet eum *Realiter* sumere, pro [*ex natura rei*] sicut à Scholasticis distinguitur contra [*Realiter*] & [*Ratione*] & continet [*Formaliter*, & *Modaliter*, & *Virtualiter*] aliquando: Quid autem sit *Personalitas* non ultra scrutari ausus est.

Amesius Medull. Theol. li. 1. c. 4. n. 26. ait [*Attributa Divina insunt Deo non tantum Virtualiter & eminenter, sed formaliter*---At n. 28. [*Ab Essentia, & inter se distiguuntur non solum ratione ratiocinante, sed etiam ratione ratiocinata, ita ut Fundamentum distinctionis sit in ipso Deo.*] At 1. Fundamenti nomen ambigu um est, & significat, vel *veram quandam diversitatem* seu differentiam esse in re, vel tantum *Occasionem* sine differentia esse in re; sicut ubi *idem* per conceptus partiales seu inadæquatos distinguitur. 2. Distinctionem *Rationis* ratiocinatæ esse posterioris hujus rationis; *distinctionem* autem *formalem* & *modalem*, ut & *Realem*, prioris, cap. 5. subsistentias distinguit ~~ab~~ Essentia ut *Modos subsistendi* (N. non *Modos essendi*) *& inter se per proprietates relativas & ut affectiones relatas:* Differentiam inter *Generationem*, & *Spirationem*, ut & alii, dicit *inexplicabilem*; at *adumbratam* hac similitudine, quod Pater est quasi *Deus Intelligens*, *Filius Deus Intellectus*, Sp. S. *Deus dilectus*, ferè sicut Scholastici.

Polyander in Synopsi Leidens. disp. 7. p. 78. dicit *Modum subsistendi non realiter Personam ab Essentia dividere*, sed *Ratione ac Notione tantum discernere*, n. 28. *Non solum ratione tamen, sed Reipsa inter se distinctas esse Personas*, n. 20. At modum adorandum, non explicabilem, n. 15.

Walæus ibid. disp. 8. refert Patrum explicationes per Actus Intellectus & Voluntatis, easque non reprobat. Et n. 16. dicit, [*Quod Pater per Generationem hanc æternam Filio totam suam Essentiam communicavit.*]

Thysius ibid. disp. 9. etiam dicit n. 10. *Processionem accipiendam esse secundum in Essentia Dei Actionem ad intra, qua ita agit Deus in Essentia sua, ut reflexus in seipsum Divinæ Essentiæ Communione Relationem realem constituat.*

Ex quo & plerisque notandum est, quod aut *Actum hunc* idem cum *Personis* esse volunt, aut *non idem*. Si idem, tunc *Attributa* seu *Actus Essentiales* idem cum Personis faciunt. Dei enim Intellectus, & Intelligere, & se Intelligere idem sunt. Si *non idem*, tunc *Attributa* seu *Actus Essentiales* faciunt primò distincta inter se, & inde Relationes Personales oriri.

Spanhemius disput. Th. de Trin. p. 46. n. 6. distinguit Essentiam à Personis, non per dist. *Realem*, sed vel *Formalem*, vel *Modalem*, vel *Rationis Ratiocinatæ:* sed ex hisce unam nullam eligit. At Rationis Ratiocinatæ distinctionem, sicut Amesius malè intelligit & explicat, per [*habentem fundamentum in re*] cum non significat *differentiam ullam in re.* Personas inter se distinguit, 1. Ratione ordinis, 2. Proprietatum & operationum Personalium, 3. Modi operandi in operibus Essentialibus, 4. Terminorum operationum, 5. Et Relationis mutuæ, n. 13. Sp. Sanctum esse à Patre & Filio per processionem vult, non *ratione Essentiæ*, sed *Personæ duntaxat:* At *Generationis & processionis rationem* reddere per *Actus Intellectus & Voluntatis rem potiùs implicare quam explicare putat*, n. 16. Et cum Aug. dicit se distinguere nescire, n. 19. dicit *Relationes non esse Principia constitutiva Personarum, sed earum Notificativa tantum.* Contra August. & Scholasticos. Imò *Modum*, dicit, *hic impropriè sumi*, n. 21.

Theses Sedanenses pie dicunt (de Trin. n. 7. p. 90.) *Apparet hanc de Trinitate doctrinam, non tam ad erudiendos animos quam ad recreandas Conscientias* pertinere (proh! quantum ergo à vero usu per secula 14. ferè perversa fuit!) Et prudenter addunt, n. 9. *Estque hoc peculiare huic quæstioni, ut non modo facile sit lapsus, & Veritas obscura, sed etiam ut id ipsum quod verum est, non sine periculo proferatur; semperque venia præfanda sit: Potest enim vera sententia duro sermone*

& vocibus parum accommodatis exprimi, quæ aliorsum flexæ & in sequiorem sensum detortæ, malevolis calumniæ ansam, rudibus hallucinationis occasionem præbent: Tutissimum est paucis & premere Scripturæ vestigia, & in mensura cognitionis Verbo Dei patefactæ acquiescere, ne videamur aut ineffabilia loqui, aut inconcessa præsumere. Et n. 17. Aiunt cum Veteribus [*Id solum quod vocatur Verbum & Sapientia Patris*, Joh. 1. Prov. 8. *Filii æternitatem astruit: Neque enim Pater unquam fuit absque Sapientia, nec unquam caruit* λόγῳ ἐνδιαθέτῳ, *qui nihil aliud est quàm Patris Sapientia.*] Vid. n. 20. n. 22.

In Thes. Salmurienſ. Lud. Capellas ait, vol. 1. pag. 179. n. 12. *Personam ab essentia differre, non Re sed Ratione; ut modus rei à re, gradus, puta, Caloris à Calore; at personæ invicem realiter differunt, ut modus rei à modo, gradus, puta, unus Caloris ab alio gradu.* At hoc est plus quam *Ratione differre.* Et n. 23. p. 181. contra explicationem ex actibus immanentibus Intellectus & Voluntatis, notabilia quædam objecit, quæ recitarem nisi jam prolixitate peccassem.

Altingius caute Loc. Com. p. 46. ut alii, dicit, *Personas ab Essentia distingui non realiter, sed Ratione* at eminente, *ab invicem verò Realiter, non autem essentialiter, aut separabiliter.* Et Essentiam dicit *Communicari at non gigni.* Paulus Voetius in Theol. Naturali totam ferè de Trinit. & Attributis Theologiam Scholasticam compilavit. An verò concordent quæ habet, cap. 7. §. 4 n. 2, 3, 4. p. 116, 117. cum n. 7, 8. p. 120. videat Lector.

Dom. Chamierus Panstr. de Trin. l. 1. Calvinum vindicat, qui nomina *Trinitatis & Personarum* (sub conditione) sepulta optavit: c. 2. Et *Deitatem* seu substantiam non esse Relationem probat, c. 3. n. 35. Et nomen [Verbi] & [Imaginis] esse Tropicum copiose probat, c. 8, 9. contra Suarez, Gonticr. & alios: Et cum Scholastici ne unum quidem nomen de Deo & creaturis univoce dici uno ore pronunciant, (præter Scotistas de *Ente*) mira eorum est calumniandi prurigo, qui de *Verbo & Imagine* contrarium asserent, modò inde in sanos insane debacchentur. Rationes autem Gunterii & Suar. sunt ex inanibus iis Scholasticorum subtilitatibus quas consultò præterivi; scilicet, distinguunt inter *Intelligentiam Dei simpliciter*, quæ communis est Trinitati, & *Intelligere* per *modum Dictionis internæ*, quæ terminatur ad Verbum internum: Et Dei *Dicere* dicunt antecedere *Verbum*, id est, Notitiam (ut Scotus & ejus sequaces & plurimi,) & Dicere est Cogitare (ut plurimi dicunt) & Verbum est quasi *Species Intelligibilis recepta:* Quasi Deus sicut nos proprie *Cogitando*, & *Speciem Recipiendo* sciret, & non unicâ perfectâ intuitione: Et quasi aliud in Deo esset *Dicere*, aliud *Intelligere*, aliud sui-ipsius notitia simpliciter, aliud sui notitia per modum dictionis, idque locutione propriâ! Inquit Chamierus, c. 8. n. 6. [*Si concedam dictionem internam terminari ad Verbum internum (quæ alioquin immanis* βατταλογία *est propter terminorum identitatem: etenim dictio interna & Verbum internum, merus Verborum crepitus, voce nonnihil diversum, at significationis vi unum idemque*, &c.] Audax quidem totius ferè subtilitatis Scholasticæ contemptus! Vide etiam quæ habet cap. 10. quibus probet Patrem esse ad extra Principium operandi primum, Filium secundum, &c. non tamen tria esse principia, sed unum, hoc est, *Realiter* distincta.

Maresius autem adhuc audaciùs & notabiliùs Colleg. Theol. Loc. 3. n. 22. [*Quamvis proprietates istæ personales exprimantur nominibus relativis Patris, Filii & Spiritus Sancti, illæ tamen Relationes Paternitatis, Filiationis, Spirationis activæ & passivæ, perperam dicuntur Scholasticis esse Entia Realia, imò substantiæ per se subsistentes. Unde tam multa operose disputant de relationibus Divinis. Nam Relatio quælibet præcisè & abstractè considerata merum dicit Respectum unius ad aliud, qui Respectus etsi habeat Fundamentum in reipsa, & duorum illorum habitudine inter se, tamen in actu exercito pendet semper ab operatione intellectus, unum alteri juxta nativam eorum dispositionem opponentis, aut quodammodo referentis*] n. 23. [*Et cum ne quidem juxta Metaphysicos Entis proprietates absolutæ sint Entia Realia, multò minùs Entibus realibus Proprietates Relativæ*

tivæ personarum erunt accensendæ. Constituuntur sane personæ in Divinis per Relationes, consideratas nempe in suo Fundamento, quod ratio fundandi aliis dicitur: neutiquam verò si considerentur in esse suo externo, denominativo, & respectivo. Paternitas ut est Relatio Patris ad Filium non facit Patrem, sed dicit tantum Eum Patrem esse per generationem Filii.] Sentio, Maresi, te Scholasticos legisse, sentio te in Logicis & Metaphysicis non nomina pro Rebus sumere; at præsentio te ut Hæreticum ob hæc à Pontificiis vapulaturum: Et oportuit te scire Scholasticos per *Relationem*, non Relationem intelligere, sed quiddam aliud quod neque intelligi, neque dici posse profitentur; Verborum tamen Volumina de non intellectis è re sua fore existimarunt.

Ipse Arminius Disput. 4. p. 187, 188, 189. Eadem cum jam citatis loquitur. De Curcellæi Tritheismo non laboro: Neque de Episcopii Filii quâ Filii minoritate. At lectu digna sunt quæ dicit idem Episcopius de quæstionibus Scholasticorum eliminandis, & de cruce quam sibi & aliis per eas erexerunt, Instit. cap. 33. p 337. & c. 32. p. 333. Lege item quæ habet de non necessitate credendi Modum Filiationis Divinæ Christi, cap. 34 & 35. Et quidem si Scholasticorum de hisce dissensiones quamplurimæ, sint dissentientium damnationes, quam miseri sunt hi disputatores! Et si omnis qui Scotistis, Occamistis, *&c.* non subtilior est damnabitur, væ mundo! Quantum damnatorem, ita sentientes & fratres-hæreticantes, ex Mundi Salvatore Christum Misericordem, & Veritatis non subtilitatis Doctorem faciunt. Lege Pauli Voetii Theol. Natural. Reform. c. 5. § 2. p 53, *&c.* differentias 27. inter Personam Divinam & humanam.

Lectoris misertus, plures non citabo, sed *Corpus Confessionum* eum Legere vellem, ut ibi, quænam de Trinitate ad salutem necessaria esse Ecclesiæ judicârunt, citò percipiat.

Et cum verbis Grotii adhuc Orthodoxi hæc concludo; Catech.

[Q. *Quæ ratio suadet Tres ut credantur in uno?*
R. *Distat à carente fine, quod fines habet.*
Q. *Artificis nusquamne sui spectatur Imago?*
R. *Sol, Lux, Calorque, trina sunt, unum tamen.*
Q. *Nil hominum natura jubet nos tale tueri?*
R. *Vigere, sapere, Velle, in Uno sunt Tria.*
Vigere ponitur pro Vitaliter Agere, seu Activè Vivere.]

Q. VIII. *Inter tantas opinionum difficultates, & diversitates (omissis hæreticis) quænam est tui-ipsius opinio de Trinitate Primalitatum & Personarum comparatarum.*

Resp. In quot congruentia invenitur jam dictum est. Cætera hisce Thesibus distinctè exprimenda duco.

1. Certa tantum ut necessaria fidelibus credenda proponi debent.

2. Nihil horum ad salutem *absolutè necessarium est, quod non in sensu fœderis Baptismalis comprehenditur*, & per Christianos omnes sinceros non aliquatenus intelligitur.

3. Certissimum est quod in homine-Dei-Imagine Trinitas *Principiorum* seu *Facultatum in Unitate Essentiæ invenitur.*

4. Certissimum est Imaginem Dei moralem esse naturalis Imaginis sanctitatem, ibique Triniratem, *Vitæ*, *Luminis*, *Amoris* in Unitate *Spiritus* inveniri.

5. Certum est & Virtutem Solarem *Motus*, *Luminis*, *Caloris*, & Virtutem humanam, *Vitalem-Activam*, *Intellectivam*, *Volitivam*, esse *Soli*, & *Animæ Essentiales*, & quasi differentias *formales*: Et tamen non *compositionem* Essentiæ facere, neque Essentiæ *partes* esse; sed Essentiam *totam* esse *Activam*, &c. etsi non *totaliter*: Attamen necessariò distinguendas, esse hasce facultates inter se. Quis enim *Virtutem movendi, Illuminandi, Calefaciendi*, non distinguit, *&c?*

6. *Actus transeuntes* Animæ distinguuntur ab objectis, nemine *contradicente*; & ita *Potentiæ* seu facultates connotativè ab iisdem; & ita *Intellectus*, *Voluntas & Potentia-Activa*, quæ *Executiva*, proculdubio distinguuntur.

7. Non

7. Non ſolum Actus Tranſeuntes, ſed & *Immanentes* diſtinguendi ſunt: Et ita *Vitaliter-Agere*, *Intelligere*, *Velle ſeipſum*, ad intra, non omnino idem ſunt. *Vivere*, *ſcire me Vivere*, & *Velle Vivere*, clarè & certò percipio quod non omnino idem ſunt. Et ita *Intelligere*, & Velle *Intelligere* non idem ſunt.

8. Dum certiſſime hic differentiam quandam eſſe percipimus, *qualis* tamen eſt, & quâ notione exprimenda non percipimus: Et vel *Intuitione* (ut vult Ockamus) vel ſenſu quodam interno melius percipitur, quam per notionem aliquam organicam. Diſcrimen autem non negandum eſt, quia definiri non poteſt.

9. Certiſſimum eſt Animam & in *Naturalibus* & in ſupernaturalibus ſeu moralibus eſſe Dei Imaginem (ut dictum eſt:) Ideoque in hac *Trinitate* in *Unitate*: Activitas-Vitalis, Intellectus & Voluntas ſunt iſta Imago per quam Homo à Brutis diſtinctus Deo ſimilis dictus eſt, Gen. 9. & *Spiritus Potentiæ*, *Amoris*, & *ſanæ-mentis* eſt ea ſanctitatis Imago per quam Homo ſanctus ab Impiis diſtinguitur, 2 Tim. 1. 7.

10. Certiſſimum eſt nihil (præter *Ens* ſaltem) de *Deo & Creaturis* univoce dici; & neminem mortalium conceptum formalem & proprium de Deo aut habere aut exprimere poſſe: Ideoque quaſi in ſpeculo per conceptus improprios (reverâ æquivocos, ut probant Scotiſtæ, quamvis *Anologiam* alii quidam *medium quid* inter æquivocationem & univocationem eſſe vellent) de Deo neceſſariò concipiendum eſt. Reverâ plane Metaphorici ſunt omnes noſtri de Deo termini. Quamvis enim res expreſſa primariò in Deo eſt, notio tamen exprimens primariò ad creaturas adaptatur; & famoſius ſignificatum eſt res creata.

11. Quoniam de Deo improprie ſeu Metaphorice & concipere & loqui neceſſe eſt, non aliunde potius quam ab Anima humanâ noſtri conceptus & locutiones Metaphoricæ mutuari poſſunt. Neque aliud nobis ſpeculum naturale notum eſt, ubi in via Deum clarius videre poſſumus. Neque fruſtra Dei Imago à Deo ipſo Anima appellatur.

12. Certum eſt Chriſtum hominem Dei ſummam, nobis notam eſſe Imaginem; qui haſce facultates & naturales & ſanctas habuit, ut hanc Trinitatem in Unitate.

13. Neque contemnendum eſt quod cum Authoris veſtigia in Univerſitate rerum cernantur, *natura omnis Activa*, proprie ſic dicta, formaliter conſtituta eſt, ex Una ſubſtantia & virtute formali in eſſentia unica, at exeunter ſeu inter ſe Triplici.

14. De Deo igitur aut nihil dicendum eſt, aut metaphorice dicendum eſt ex ſpeculo jam deſcripto, Deum eſſe unum in eſſentia ſubſtantiali, & unum in formali Virtute ad plura; At virtutem hanc exeunter ſeu ad objectum Triplicem eſſe: Trinitatem hanc in unitate certam eſſe; *Notionem* autem ſeu modum à nemine formaliter & clare perceptum eſſe; non tamen negandam rem certam ob ignorantiam modi ſeu notionis incertæ.

15. Non mirum igitur ſi opinionum magna diverſitas eſt, an *Attributa* hæc Divina ab *eſſentia* & inter ſe diſtinguantur, realiter, aut ſolum ex rei *natura*, ſcilicet aut *formaliter*, aut *modaliter*, vel ſolum *virtualiter*, vel *ratione* ratiocinatâ, vel connotative, & per denominationem extrinſecam, & ratione ratiocinante. Differentiæ tamen Conceptuum ex *reipſa* rationem juſtam reddi, fere omnes conſentiunt.

16. Quæ idem ſunt cum uno tertio, idem ſunt inter ſe; At ſolum eâ ratione qua idem ſunt cum hoc tertio: Et ita & *Attributa* & *Perſonæ* in quantum ſunt unum cum *Eſſentia*, ſunt unum inter ſe.

17. Qui Dei *Intellectum* à *Voluntate* non diſtinguet, ut de Deo non differat neceſſe eſt; Qui enim Eccleſiæ prædicaret, Deum in ſe & quoad actum ſuum vel ex parte ſua, æque amare ſe & Creaturam, imo Diabolum, Sanctitatem ac Impietatem, Petrum & Judam, & ejus velle ſalvare & damnare idem eſſe, & ſcire Peccatum idem quod velle Peccatum, &c. quia revera *Intellectus* & *Voluntas* Dei omnino idem ſunt, næ is de Deo & Eccleſia probe meritus eſſet; & juxta S. Literas ad ædificationem hæc prædicaret.

18. Quamvis Dei *eſſe*, *verum* eſſe & *bonum* eſſe ſunt idem, ex more & ſpeculo

culo Creaturæ tamen dicendum eſt, Dei Vivere, Dei ſe Intelligere, & ſe Amare, non idem eſſe ; Id eſt, non eundem conceptum humanum neceſſarium de Deo.

19. *Relatio* Univoce & Intelligibiliter ſic dicta, ut à *fundamento ſuo* diſtincta, non majorem *Entitatem,* aut *Realitatem,* extra Rationem habere poteſt, quam *Facultates* ſeu *Virtutes*, ut à *ſubſtantia* diſtinctæ; neque majorem differentiæ ab invicem rationem realem.

20. Sin autem *Relationes in Divinis* majorem ab invicem differentiam habent, quam *Attributa*, eò difficilius ad eorum objectionem reſpondetur, qui dicunt hoc ſimplicitati Divinæ non convenire. Trinitas nimirùm *Primalitatum* non *magis ſimplicitati* Divinæ Contraria eſt, quam Trinitas *Realium Relationum* quæ ſunt idem quod Eſſentia.

21. Dum nomen *Relationis* in Divinis uſurpatur ab illis qui fatentur ſe & æquivoce hoc nomine uti, & non omninò intelligere ejus veram ſignificationem, Lingua fortè orthodoxa eſt; Mens autem non magis poſitivè orthodoxa quam ſi nil tale de Deo dixiſſent.

22. Et qui nomine *Perſonæ* utitur, dum fatetur neque ſe neque alios, quid nomen Perſonæ incomplexum ſeu Reale ſignificat, intelligere, poſitivè non hinc magis orthodoxus eſt quam idiota.

23. Idem dico de ly [*Generare*, *Spirare*, *Dicere*, *Verbum*, *Proceſſio*, *nomina Eſſentialia & Notionalia*, &c.] ſonus horum vocabulorum neminem fidelem facit aut orthodoxum mentaliter, multò minùs aliquem ſalvabit.

24. Qui dicunt Relationes perſonales, ſeu perſonas Realiter *ab invicem* differre, cum *Ratione* tantum *ab Eſſentia* differant, nulla ratione negare poſſunt, quin idem de Primalitatum differentiis ab invicem dicatur.

25. Qui *Fundamenta* Relationum *perſonalium* realiter inter ſe differre aiunt, aut *Fundamenta Perſonas* faciunt, (aut *ſola*, aut *cum relationibus*) aut *alias* differentias Reales faciunt, præter Relationes, in Deo. Et quoniam Fundamenta faciunt *Actus Immanentes*, & omnis Actus Immanens eſt Dei Eſſentia, igitur in *Abſolutis* differentiam Realem ponunt.

26. Sin autem in Relationum *fundamentis* nulla omnino eſt differentia, aut *Realis* aut ex *natura rei*, humani ingenii aciem longe ſuperat, quomodo *Relationes Reales* orirentur, ſine ulla differentia in fundamentis, ſubjecto vel termino; & Res omnimodo eadem à ſe realiter Relativè differret, ſine externorum connotatione.

27. Qui *Modalem* diſtinctionem aſſerunt & τρόπον ὑπάρξεως, *dum Accidentia* negant, nil aliud dicunt quam nos homines ſimpliciores; ſcilicet Differentiam quandam eſſe, ſed *qualem* ſe neſcire. Qui enim *Modum Rei à Re*, & *Subſtantiali* & *Accidentali* diſtinguunt, diſtinctum nihil ſed confuſum dicunt. Qui Modum inter Rem & nihilum, Medium quid ſtatuunt, iidem (ut Burgerſdicius Metaph.) quatuor alias talium Mediorum ſpecies ponunt: At ſaniores jam Philoſophi cum Gaſſendo dicunt *Accidentia* omnia eſſe vel *Modos* ſubſtantiarum vel *Qualitates.* Quid igitur ſit *Modus* illi ſe neſcire fatentur, dum nemini aperire poſſunt.

28. Certiſſimum eſt neque Compoſitionem, neque Imperfectionem ullam in Deo fingendam eſſe.

29. At fatentur Scholaſtici Relationum Realium & hypoſtaſeon pluralitatem ſimplicitati aut perfectioni Divinæ nullo modo contrariari. Neque rationi humanæ perceptibile eſt, quod mera Relatio etiam prædicamentalis aut Compoſitionem aut Imperfectionem aliquam inferret: Si mille apud Antipodes mihi ſimiles ſunt, aut diſſimiles, anne inde mihi aliqualis compoſitio aut imperfectio oritur? Quidam dicunt Creaturas tantum ad Deum referri, non Deum ad Creaturas ; Quidam autem dicunt in Deo eſſe Relationes ſecundum dici: Quidam Relationes Reales Tranſcendentales ; Quidam etiam Relationes prædicamentales, etiam ad Creaturas: At nullus horum opinatur inde oriri compoſitionem. Et proculdubio ſi Deum Compoſitum aut Imperfectum faceret, eſſe Relativè *Creatorem*, Compoſitum item & Imperfectum eum faceret *Creare.* Eſſe *Creatorem* enim nil aliud eſt, quam eſſe *eum qui Creavit.*

30. Mens

30. Mens humana cæcutiens suas Ideas habet perfectionis, ex quibus de perfectione Divina plures temerè pronunciant; cum nesciat an perfectioni Divinæ sui conceptus verè quadrent: Et ita Arriani putant Personarum Trinitatem Divinæ simplicitati contrariam esse: Cum Deus solus suam perfectionem bene novit; & nulla differentia vel Attributorum, vel Personarum, vel Actuum, vel Proprietatum, vel Relationum, aut Compositionem aut Imperfectionem innuit, quam Dei Verbum in Ipso esse clarè affirmat.

31. Quamvis ipsius Vitæ, Actus, Intellectus & *Voluntatis notiones*, de Deo, non sunt univocæ, sed Analogicæ seu Metaphoricæ, quoniam tamen propriores in via non habemus, necessariò tenendum & dicendum est, *Deum Vivere Intelligere & Velle:* Et quia præter seipsum nullum ab æterno exstitit objectum, dicendum est, Deum sicut *sibi Vita* est, ita se Intelligere, & se Velle seu Amare: Hic autem nulla innuitur Compositio aut Realis diversitas *Agentis, Actus & Objecti.*

32. Sicut *Vita* est Actus primus, (cum Vivente idem,) ita in Imagine quendam Influxum habet in Intellectum & Voluntatem: Et sicut *Vivens*, est notio, *Intellectûs* notionem ordine concipiendi antecedens; ita & dicendum est *Intelligo & Volo* quia *Vivo*; non *Vivo* quia *Intelligo & Volo.* Et *Intellectus* itidem *Voluntate*, ordine concipiendi, prior est; & *Actus Vitalis* producit *Actum Intellectionis & Volitionis, & Actus Vitalis & Intellectionis* producit Actum *Volendi.*

33. *Actus* sine *Virtute Activa* Vitali consideratus, est Imperfecti, aut Imperfectus Conceptus: Lapidi quippe convenit Agere. Miror igitur quosdam Metaphysicos timere ne Virtutem seu Potentiam Activam cum Actu Deo attribuendo, imperfectum Deum significarent: Cum nullum altiorem Essentiæ Divinæ conceptum habere possimus, quam quod sit Vis seu Virtus infinita semper & perfectissime in Actu: Qui *Spiritus* perfectissimi verissimus est conceptus.

34. Nihil agit Deus aut ad intra aut ad extra quod non *Potest* agere. Potentia tamen seu *Virtus & Actus* sunt conceptus ejusdem inadæquati.

35. Quicunque Scholasticorum Rationes distinguendi benè pensitabit, satis perspiciet eos palàm declarare, se & inter Attributa & inter Relationes seu Personas discrimen aliquod certò agnoscere, at discriminis hujus veram rationem & notionem omninò inscios, non dignoscere; Cum tanta subtilitate, & tanto tamen dissensu disputent, an sit distinctio *Realis* (*Rei à re*) an *Modalis*, an *Formalis*, an *Virtualis*, an *Rationis Ratiocinatæ*, aut Rationis Ratiocinantis, aut Connotationis extrinsecæ! Et quidem inter suas distinctiones, *viz.* Modalem, Formalem, Virtualem, & Rationis Ratiocinatæ ipsi verè distinguere nesciant, nec sensum suorum terminorum calleant: Sed quam unus *Formalem* vocat, eandem alter *Virtualem* (ut Posewitz noster Epit. Theol. Schol. pag. 142, 143, *&c.* qui Scoti dist. *Formalem* vocat *Virtualem*, eamque *Realem*, quamvis non *Actualem*, cum tamen Nominales suam dist. *Virtualem* nil aliud esse volunt, quam *Connotationis* seu *denominationis* ejusdem Virtutis ab actuum seu effectuum diversitate:) Sed sive aliqua inexplicabilis, inter ipsas Virtutes in se, sit differentia quæ cum Posewitz Realiter Virtualis dicenda est; an potiùs Virtus omnimodo Eadem in se, sit Virtus ad triplicem Actum seu effectum, certe differentia hæc non malè *Virtualis* nominatur.

36. Si, qui trinam facultatem in Animis nostris percipiebant Aug. & Scholastici, non *Memoriam* loco *Activitatis Vitalis* posuissent, proculdubio notiones suas de Trinitate aliter ordinassent, quam in plerisque jam ordinatas invenimus: Et qui ex Actu solum *Intelligendi & Amandi* Trinitatem probare aut illustrare coguntur, in eas se difficultates conjecerunt, quæ plurimos à Trinitate per Imaginem concipiendâ, deterrent. Unde Thomas (& ex eo noster Alex. Gill in Symbol. contra Osiandrum & Murschil) laborare multum necesse habuit (& vereor ne frustra) ne plures quàm Tres personæ ex hac ratiocinandi via numerandæ sint: Et Posewitz plura profert contra numerum Trinarium hac via statuendum, & personas aut *plures* aut *nullas* hâc viâ dicendas esse, probare conatur. Et Becanus ipse non tam contra Kekermannum, quam contra suos Scholasticos pluribus rationibus hanc probationem Trinitatis ex Imagine subvertere, molitur. At

si

si percepissent quomodo *Vita*, seu *Activitas Vitalis* in natura est *Virtus primaria, essentialis*, & quomodo producit & Actum proprium & Intellectûs, & quomodo *Vita* & *Intellectus* producunt *Actum Volendi*, Intellectus tamen & Voluntas suos proprios actus, & quomodo omnes Tres Virtutes concurrunt in Actionibus ad extra, alias in ipsis cogitationes susciatas fuisse probabile est.

37. Et ego quidem haud dignosco, quod ipsi Scholastici & August. dum Attributa Essentialia non esse Personarum Trinitatem asserunt, benè assertionem & inconveniens istud evadunt, quod evadere se putant; & vereor ne idem ferè & affirment & negent. Actus quippe *Dicere*, *Intelligere*, *Amare* sunt nil aliud quam hæc Essentialia Attributa, quæ semper sunt in Actu. Et inquit, Pet. Aquila Scotel. 1. d. 2. q. 2. pag. 42. ex Henrico, *Actus Notionales fundantur* super *Essentiales immanentes*: Et ita alii plurimi: Et inde Joh. de Ripa & alii probare conantur, *Personalitatem includere quid Absolutum* (quamvis plurimi contradicunt, & *Petavius* intolerabilem putat ineptiam:) Et Posewitz Qu. 21. pag. 125, 126, &c. Rationes utrinque recitans, ad opinionem pro *Personalitate* ex *Absolutis* inclinare videtur, & rationes contrarias solvit; & si nullo modo diversa sint Intellectus, Voluntas, Intelligere, Velle, Dicere, Spirare, quomodo idem omnimodo ad se diversâ Relatione Reali referretur, captum humanum superat. At qui *Attributa Essentialia* faciunt & *Fundamenta* & *Terminos* Relationum *Personalium*, quantum & quomodo eadem Attributa à Relationibus distinguunt, observandum relinquo. Et quidem inter Theologorum ipsorum vulgus observavi, quod eorum auribus haud grate sonare videtur, quando audiunt, *Tres Personas* nil aliud esse quam *Tres Relationes*.

38. Ut omnia jam concludendo recolligam, mei-ipsius Sententia talis est: I. De Re statuendum, II. Deinde de nomine *Personarum*: Et I. *De Re*, & Necessarium & Tutissimum esse statuo *veritates omnes* fideliter tenere, quas pars contendentium unaquæque asserit; & ita si errarem, de *nomine* tantum errabo, non *de re*. 1. Certissimum igitur judico, ex *Unitate* & *Trinitate Principiorum* seu *Virtutum Activarum formalium* in omni *Naturâ Activâ*, & præcipuè in *Anima humana* Dei Imagine, Analogice ad Captum humanum dicendum esse, Deum esse *Unicum* in *Essentia substantiali* & *formali*, seu conceptu *Quidditativo* (ut loquuntur,) & in hac Unica Essentia esse Virtutem Unicam Triplicem; *Unicam* ut *Essentiam*, *Triplicem Virtualiter*, *Connotativè*, certissimè, & an *formaliter* etiam aut *modaliter*, aut quomodo equidem planè nescio. 2. Certissimum teneo hanc *Triplicem Virtutem* esse *Vitam-Actum*, *Intellectum*, *Voluntatem*; & ut *Virtutem* (seu Potentiam Activam) & ut *Actum*, id est, Virtutem in *Actu secundo*, esse considerandam. 3. Certissimum ergo teneo *Deum in se & sibi Vivere*, *se Intelligere*, & *se Velle seu Amare*. 4. Ideoque *Relationes* hasce in Deo inveniri, 1. Fundamentalem, *viz.* sibi *Vivendo* & *Agendo*, *Intellectionem* generare, & *Volitionem* seu *Amorem-sui* producere. 2. *Intelligendo* item cum *Vita Volitionem* producere. 3. Velle seu Amare seipsum: Vel *sibi Vivere*, *se Intelligere*, & *se Amare*; ut ex priore prodire sequens, 5. Distingui has Relationes ex proprietatibus, ut dicunt Scholastici. 6. Quamvis quæ eadem sunt cum uno tertio sunt eadem inter se, & ita hæ Proprietates & Relationes & Actus fundamentales Immanentes, sunt Idem quod Essentia, & inter se in Essentiæ Unitate idem sunt, ab invicem tamen ratione nobis ignotâ magis distinguuntur, ex natura rei ante actum nostri Intellectus. 7. Quod Trinitas *Essentialitatum* sit eadem quæ Trinitas Personarum ego numquam vel verbis vel mente affirmavi, neque affirmandum puto. Hoc solum assero, Dum Trinitas hæc Essentialitatum seu Primalitatum, per totam rerum naturam sua vestigia ostentat, si non est Trinitas Personarum eam tamen facile credibilem mortalibus reddit. Nulla enim ratio reddi potest, dum Trinitas una in Essentiæ Unitate ex lumine Naturæ in Deo notissima fit, quare altera ullo modo incredibilis maneat. Non igitur eandem esse assero, sed *alteram-revelatam* ex *altera-naturali* ratione certissimâ credibilem probo: Et aliorum notiones, quas non intelligo, non ideo nego. 8. Certum habeo Deum tripliciter (inadæquate) à nobis concipiendum

esse, 1. In esse *Virtutis* seu *Potentiæ Vitalis Activæ Intellectivæ, Volitivæ*; 2. In Actu triplici Immanente, vel ad se; 3. In Actione Transeunte ad extra, quatenus *Agentis* est. 9. Certum est in S. Literis, opera *Potentiæ* sæpissime quodammodo ascribi Patri, opera *Sapientiæ* Filio, opera *Amoris* Spiritui Sancto: Operum *Effectio Patri*, operum *Directio Filio*, operum *Perfectio* Sp. Sancto: *Creatio* Patri, *Redemptio* Filio, & *Sanctificatio* Sp. Sancto. Et ita *eminenter* Pater est Author *Naturæ*, *Filius Medicinæ*, *Spiritus Sanctus Salutis*, & omnes simul *Gloriæ*. 10. Firmissimè teneo doctrinam *Trinitatis fœderalem* ad salutem necessariam, esse *Practicam*; & qui Salvus erit, ita Deum *Patrem*, *Filium* & Spiritum Sanctum Tres Personas in Una Essentia credet, ut simul in Deum Patrem Creatorem (*Dominum, Regem, Amicum*) *Redemptorem & Sanctificatorem* se totum dedat & dedicet, & fiduciam & spem totam collocet: Et hæc est salvifica in Trinitatem fides. Hactenus *de Re*.

II. De *Nomine* autem teneo, 1. Nomina *Personæ* & *hypostaseωs* & *subsistentiæ*, non inepta, nec devitanda esse; non tamen simpliciter ad salutem necessaria, utpote non in Sacris Literis scripta. Et Chemnitii nostri, & Dion. Petavii Jesuitæ non-indocti neque immodesti, rationes non contemnendæ sunt, quibus probare nituntur nomen *hypostasis* ad Heb. 1. Non *Patris Personam*, sed *Essentiam Divinam* significare; Et *Posewitz* plura dicit de inconvenientia nominis *hypostasis* & *subsistentiæ*; At Hieronymus & alii Patres (à Petavio copiosè citati) adhuc plura.

2. *Proprietatibus* & *Relationibus Personarum* nomen libenter tribuo; An autem inclusivè etiam *Primalitatibus* sit tribuendum nescio.

3. Non enim mihi certum est, aut *Proprietates*, aut *Personarum nomen*, à *Primalitatibus-Essentialibus* ita *separatim* considerandas esse, quasi *Primalitates* neque *Personæ* essent, neque ullo modo *Personarum Fundamenta*; sed *Conjunctis* potiùs nomen tribuendum probabile videtur. Cuiquam autem contradicenti ego inscius non resisto.

4. Quin aliquid hic inscrutabile sit, de quo distinctio pleniſſime posthac nobis patebit nullus dubito.

5. Quin Pater, Filius & Spiritus Sanctus ab æterno Tres Personæ fuerint neque dubito; & æternam Generationem, & Processiones & Spirationem non nego.

6. At præter has *æternas Proprietates*, non dubito, quin Deus sæpe dicatur *Pater*, quâ *Creator*, & *Filius*, quâ *Incarnatus*, & inde Generatus, & Spiritus Sanctus *spirari*, quia donatur per Christum hominibus. Et has esse *Personalitates* nobis maxime apparentes: Et Filium & Spiritum Sanctum ideo quandoque à Patre *Procedere* dictos esse.

7. Et quanquam cum Scholasticorum plurimis teneo, *Immanentes Actus Dei ad seſe*, esse *Proprietatum fundamenta* primaria, tamen ab æterno etiam & *Vitalitatem*, & *Intellectum*, & *Voluntatem Divinam*, & *Patrem* & *Filium*, & *Spiritum Sanctum secundarium* nullum Respectum denominantem habuisse ad *Creanda*, ego talium inscius asserere non audeo. Scientior fortè audacior esset.

8. Radæ Rationes quibus probat non hæreticum esse *Personas* in *Attributis absolutis* ponere, validissimas esse judico. Et ipse quidem eas proferendo, ita credere videtur, quanquam id profiteri contra plurimos non auderet.

9. Sicut ob defectum nominis nemo condemnabitur qui *rem totam* credit, Trinam scilicet & Unam *Virtutem*, & *Actum Immanentem*, *Proprietates*, *Relationes ad intra*, *Actiones transeuntes*, & *Relationes ad extra*, (quæ omnia firmissime teneo) Ita nullus ideo salvabitur quia de *Nomine* tantùm *Tres Personas asserit*, & terminis Scholasticorum utitur, cum unus per *Personas* intelligit *tria Absoluta*, alter *tres Relationes*, tertius *tres Modos*, quartus *tres Formalitates*, & ipsi nesciunt quid nomen *Personæ* significat. *Unitas nominis* diversimodè intellecti, non facit *Unitatem Fidei*. Et *Unitas Fidei* in *rebus*, per *nominum* diversitatem non destruitur. Et hæc de Trinitate: Quæ si prolixiora sint, expectatio hominum ingenii suspicacis & contentiosi mecum culpanda est.

Siquis

Siquis Deitatis Unitatem (uti Perkinſius in Catechiſmo) in tribus, Patre, Filio & Spiritu Sancto, fatetur, & diſcriminis perſonalis incomprehenſibilitatem agnoſcit; ſi [*Perſonæ*] & [*hypoſtaſeos*] ſignificationem formalem ſe minimè capere humiliter fateatur, an ſcilicet *Quid abſolutum*, an *formalitatem*, an *modum*, aut *relationem*, aut quid ſit hoc abſolutum, quid hæc formalitas, quid modus, quid relatio, ſe neſcium eſſe non negat, Ego hunc ut hæreſeos reum non inſimulabo. Imò mallem ingenia hæreticantia in Controverſiis Neſtorianis, Eutychianis, Monothelitarum, &c. hanc ignorantiam profeſſa eſſent, quàm Eccleſias Chriſti contentionibus, ſchiſmatibus, cæde & ſanguine fædaſſent, & infidelibus ſcandalum immane poſuiſſent.

Qui verò animis pacatis Infidelium objectiones contra Religionem Chriſtianam à Trinitate ſumptas ſolvere conantur, & mirandam in Unitate Trinitatem in *Attributis*, & ejus veſtigia in *operibus Divinis* cernentes, hinc Trinitatis Perſonarum myſterium non impoſſibile, non contra rationem, ſed valdè credibile probare profitentur, non tamen *Perſonalitatis quidditatem* definire præſumentes, utrum ſcilicet, ſit quid *Abſolutum*, *Virtus*, *Actus immanens*, *Modus exiſtendi*, *relatio*, *proprietas*, *formalitas*, utpote agnoſcentes conceptum *Perſonalitatis Divinæ formalem* & *proprium* intellectui mortalium minime competere, (ſicut nec Eſſentiæ aut Attributi alicujus Divini Eſſentialis) Hos mecum ſentire, minime diffiteor.

Uno Verbo; (exceptis, aut modeſtè expoſitis, ſententiis damnantibus) ſymbolum vulgo dictum Athanaſii ut optimam Trinitatis explicationem amplector: At Athanaſii & Patrum aliorum ſententias de Trinitate explicatorias à Dionyſ. Petavio de Trinit. notatas & culpatas, quibus Eſſentiæ Divinæ Unitatem, per Unitatem ſolùm *Specificam Animæ* in tribus hominibus explicant, ut periculoſas rejicio: Et vereor ne ex ſententia illa malè intellecta [*Quod ſicut Anima & Corpus unum conſtituunt hominem, ita Divinitas & Humanitas ſunt unus Chriſtus.*] Eutychiani & Monothelitæ ſuam doctrinam ſtatuminent, de unica Natura, Voluntate & Operatione. Laudatiſſimi etenim Philoſophi unicam Naturam, Voluntatem & Operationem hominis, quâ hominis, audacter prædicant: Quin autem Perita terminorum ambiguorum, [viz. *Naturæ*, *Voluntatis*, *Unius*, *Diverſæ*] explicatio, per diſtinctiones neceſſarias, totam ferè litem inter Neſtorianos, Eutychianos, Monothelitas & Orthodoxos dirimere potuiſſet, & pleroſque de nominibus tantum variè vel confusè intellectis litigaſſe, de *reipſa* conſentientes, monſtrare, ego quidem nullus dubito.

Lector qui plura & accurata de Trinitate vellet, Legat Alcuinum alias Albinum (Caroli Magni præceptorem) de Trinitate, breviter, & ſane diſſerentem, in Monument. Patrum Orthograph. Vol. 2. p. 1730. & ſeq. Et Meuriſſe Scotiſtam de Trinitate. Legat item Scholaſticum acutum & pium Henricum de Haſſia in ſoliloq. de Anima, verè docto & pio: (in Monument. Patr. Vol. 2. p. 1607, &c.

De CREATIONE Creante conſideranda veniunt.

I. CAUSÆ Antecedentes; *viz.*

I. EFFICIENS,

I. Prima; *viz.*

1. ESSENTIA: DEUS.

2. PERSONÆ TRES, *viz.*
   1. Pater creavit per Se & per Filium & Spiritum Sanctum.
   2. Filius creavit per Se & per Spiritum Sanctum.
   3. Spiritus Sanctus ab utriſque per Se.

3. Principia:
   1. Potentia-Actus creavit per Sapientiam & Amorem,
      1. In Actu, Ideam concipiente.
      2. In Actione, per Verbum emiſſum.
   2. Sapientia creavit per Voluntatem ſeu Amorem.
   3. Voluntas ſeu Amor æqualiter etſi ab utriſque; & omnes immediatè.

II. Secunda ſeu inſtrumentalis:
   1. Creaturæ primæ nulla fuit: Quia illi ſolus Deus antefuit.
   2. An in creando Elementum Activum Deus uſûs eſt miniſterio cauſali Intellectualium, aut an in creando Elementa Paſſiva, miniſterio activi vel Spirituum uſus eſt, nobis ignotum eſt.
   3. Quòd in ſeparatione Paſſivorum, & formatione Vegetabilium & Animalium, miniſterio Ignis uſus eſt, veriſimile videtur, at certum non eſt (neque de Angelorum miniſterio.)

II. MATERIALIS; objectiva:
   1. Creaturæ primæ nulla eſſe potuit: Quia primæ nil niſi Deus antefuit.
   2. Quòd Subſtantia aliqua communis primò facta ſit ex qua & immateriales Spiritus, & materialia corpora fierent, non eſt veriſimile: neque ex ſubſtantia ſpirituali corporea fieri: ſed horum notitia clara & certa, quia non revelata ſunt, humanum intellectum fugit.
   3. Mixtorum partem paſſivam ex *præexiſtentibus Elementis* fieri certum eſt, ſicut & partem Activam Igneam: Mens autem humana ex nihilo fit, immediatâ Creatione. De Animabus autem ſenſitivis aliorum animalium, res omninò nobis incognita eſt.

III. FINIS intentus: *viz.* VOLUNTATIS DIVINÆ COMPLACENTIA in IMAGINE Suæ SUBSTANTIÆ & VIRTUTIS, *viz.* POTENTIÆ, SAPIENTIÆ & AMORIS, GLORIOSA.

II. EFFICIENTIA ipſa;

1. In ſe: eſt Exertio Virtutis Divinæ ad Rerum productionem.

2. In Ordine operandi, *viz.*

1. Perſonarum:
   1. Cooperantur autem communiter, 1. Inſeparabiliter: 2. Immediatè: 3. Æqualiter.

2. Modus operandi diſtinctus eſt:
   1. Patris Modus eſt à Se per Filium & Spiritum Sanctum: unde CREATOR eminenter dicitur, quia *Origo* rerum eſt ab ipſo.
   2. Filii Modus eſt à Patre per Spiritum Sanctum: Rerum *Ordinatio* ejus eſt.
   3. Spiritûs Sancti Modus eſt à Patre & Filio per Seſe: Rerum *Perfectio* ejus eſt.

2. Principiorum.
   De Potentia-Activa, Sapientia & Amore (ſeu Intellectu & Voluntate) eadem dicenda ſunt.
   1. Potentia efficit Imaginem, & Sui & Sapientiæ & Amoris: ſed eminenter Sui.
   2. Sapientia efficit Imaginem Sui & Potentiæ & Amoris: ſed eminenter ſui.
   3. Amor facit Imaginem Sui, & Potentiæ & Sapientiæ: ſed eminenter ſui.

DEUS Prima
- 1. Subſtantia,
- 2. Vita vel Virtus,
- 3. Perfectiſſimus,

Per Virtutem ſuam
- 1. Activam,
- 2. Intellectivam,
- 3. Volitivam

Mundum, id eſt, Omnia
- 1. Fecit,
- 2. Ordinat,
- 3. Perfecturus eſt:

ſive

Prægnantiſſima
- 1. Omnipotentia,
- 2. Sapientia,
- 3. Amor

1. Agendo, 2. Intelligendo, 3. Volendo,

1. Pater per 2. Verbum & 3. Spir. Sanct.

Mundum univerſum creavit,

Ut Imaginem ſuam integram,

Et Hominem ut Imaginem particularem.

Viz. In Imagine ſua

1. Phyſica: ubi eſt in
   - Unitate Subſtantiæ
   - Virtus formalis triplex: id eſt,
     1. Vitalis-Activa.
     2. Intellectiva.
     3. Volitiva.

2. Ethica: quæ eſt Sanctitas: *viz.* Sancta
   1. Vitalitas ſeu Potentia.
   2. Sapientia; (id eſt, Cognitio Dei & Divinorum.)
   3. Amor, (*viz.* Erga Deum in ſe & in Imagine ſua.)

3. Relativa, id eſt, erga Inferiora; Quæ eſt Majeſtatis,
   1. Sub-proprietas (in omnibus à Deo nobis donatis.)
   2. Sub-gubernatio.
   3. Sub-amicitia: id eſt, nos eſſe ipſis ſub-benefactores, & ſub-fines.

III. MODUS

III. MODUS Creandi Relativus; *viz.* Quoad Rerum Creatarum

I. ORDINEM: ubi ſicut Ratio humana veriſimile judicat, Deum primò creâſſe Naturas ſibi proximas ſimilitudine, & dignitate, *viz.* Activas; & inter has, 1. Intellectuales puras ſimplices, 2. Animales (ſenſitivas,) 3. Ignem, & deinde Naturas ſive elementa Paſſiva; *viz.* 1. Aerem, 2. Aquam, 3. Terram; & denique ex hiſce Mixta: Ita ex S. Scriptis certum eſt Deum, ut opera ſex dierum diſtincta, feciſſe Mundum & omnia ordine ſequenti.

1. In Principio Deus creavit Cœlum (ſeu partes Mundi nobis ſuperiores) & Terram (ſeu partem hanc inferiorem:) At materia hæc paſſiva, jam Terra dicta, erat Chaos & Abyſſus humida, ſine forma, (ordine & venuſtate,) ſine luce & ſine incolis, (abyſſus ſcilicet humoris tenebroſa:) Et Spiritus Dei (actione & effluxu formativo) motitavit ſuper faciem aquarum: Et Verbo, Potentiæ, Sapientiæ & Amoris, Deus dixit; Fiat LUX, & fuit LUX; Ignis ſcilicet, Elementum nobiliſſimum Activum, quod in Materiam Paſſivam poſſet operari. At LUX finita fuit & limitata, & à tenebris ſeparata; & volatilis: Et ideo ex hac & tenebris rectè diviſis, prima dies & nox ſunt conſtitutæ.
2. Activo Elemento primùm facto (Chaos paſſivo item jam facto,) Deus deinde (fortaſſe per Ignis miniſterium) partem aliquam Materiæ paſſivæ attenuavit in AEREM, Elementorum Paſſivorum ſupremum, Ignis conjugem; & ſurſum illum longiſſimè expandit, & Cœlum ſeu Firmamentum vocavit. Et hæc ſunt opus diei ſecundæ.
3. Tertio die Elementa reliqua paſſiva ſeparando, Aquam & Terram formavit & limitavit, & Vegetabilia ſpeciatim fecit, cum virtute ſeminativa & fructifica, & Terræ Virtute nutritiva.
4. Quarto die, Ignis Elementum priùs factum, in Luminaria diverſa Deus ordinavit (At qualem cum Igne Materiam in compoſitione commiſcuit, ignoramus:) Et (in Aere (ut videtur) vel Æthere) ad uſus inferiorum ſtatuit (Uſus ſuperiores à nobis celavit.)
5. Die quinto Animalia fecit Aquatilia & Volatilia; cum Virtute item multiplicativa.
6. Die ſexto primò fecit ſenſitiva Animalia Terreſtria, & poſtremò HOMINEM in Imagine Divina (ante deſcripta) Marem & Fœminam, cum Virtute multiplicandi.
7. Deus Mundum videns in Imagine ſua BONUM factum eſſe, AMAT ſe in operibus ſuis (ſive GLORIAM Sui-ipſius Imaginis in illis) & in omnium intuitione *Complacentiam* habet: Et Diem ſeptimam ut ſanctam, ad CREATIONIS commemorationem & CREATORIS Cultum, ab hominibus obſervandam, ſeparavit.

II. LOCUM: (Qui nil aliud eſt niſi Relatio Rei ad Rem, Partis ad Partem, aut veræ ſcilicet aut fictæ, per poſitiones & diſtantias.)

Ubi notandum,
1. Quod Mundus non factus eſt in *Loco* (ſeu *ſpatio*,) quaſi Locus vel Spatium Mundo antefuiſſet: Nil enim antefuit præter Deum; in Quo ſunt Omnia; etſi non propriè ut in LOCO.
2. Neque *Spatium* cum Mundo factum eſt, 1. Quaſi vel Mundi pars, 2. Vel res à Mundo & rebus locatis realiter diſtincta:
3. Sed cùm concreari *Locus* dicitur, Rerum tantùm Quantitates, Poſitiones & Diſtantiæ dicuntur ad invicem Relative.

III. TEMPUS (Quod cùm ſit tantùm Rerum Duratio, à Re durante Reale diſtinctum nihil, ſed Relationem tantùm dicit.)

Ubi Not. in Genere,
1. Mundus non factus eſt in Tempore; (Quia Tempus non antefuit) ſed in Æterno;
2. Nec Tempus concreatur, 1. Quaſi Mundi pars, 2. Vel Res à Mundo diſtincta:
3. Sed concreari dicitur, ut Relatio à rebus finitis reſultans, in earum durationibus.

Specialiter,
1. Certum eſt Creaturam primam non Æternam fuiſſe quoad Naturæ ordinem, id eſt, non fuiſſe ſui Principium, vel Cauſam, nec ſine Cauſa.
2. Certum eſt Mundum hunc Viſibilem, non fuiſſe Æternum à parte præterita: neque 6000 anni (ſed circa 5670.) adhuc ab ejus Creatione ſunt emenſi.
3. Quid autem de Intelligentiis primi ordinis, *&c.* quoad durationem præteritam ſtatuendum eſt, inter incerta (ut ſequitur) relinquendum eſt.

Not. item, Quòd illi qui quærunt de ſpatio imaginato ultra Mundum, aut de æternitate durationis ante Tempus, Intellectus ſuos in abyſſo Infinitatis demergunt & perdunt, dum tranſcendentia & incomprehenſibilia comprehendere ſatagunt.

Cap.

Cap. III. *De Creatione Elucidationes & incerta.*

Incerta.

1. UTrum Natura aliqua nobiliſſima Intellectualis creata, fuit (ut Baſilius & alii quidam Patres putarunt) æternus Voluntatis Divinæ Effectus?

2. An plures fuêre Mundi hunc Mundum antecedentes?

Lege Iſidori, Peluſio. li. 2. ep. 100. de Igne.

3. An Mundi partes quædam ſyſtematicæ (quales Tellus & planetæ ſunt) oriantur per vices ſæpe & intereant, partibus principalibus non mutatis?

4. An aliæ Univerſitatis partes extitêre, ante & quando hic Mundus viſibilis eſt creatus?

Mr. Jurien Theſ. de Caball. Coroll. dicit [Cœlos ſeu Materiam æternam eſſe negamus: ſed diu ante Mundum viſibilem creatam eſſe probabile eſt. Et Cœlum Empyreum Angelos & Mundum intelligibilem huic Mundo ſenſibili præextitiſſe diu, ex Moſe probabile eſt.]

5. An Moſes deſcribit Creationem Univerſitatis? an tantum viſibilis hujus particularis ſyſtematis?

6. Utrum Angeli creati ſint ante hunc Mundum? an in primo ſex dierum facti?

7. An verſ. 1. Gen. 1. loquitur de [*Principio*] ſex dierum tantum? an de præſuppoſitis?

8. An [*Cæli*] v. 1. ſint idem quod [*Cæli*] v. 8. & ſeq.

9. An Chaos v. 2. deſcribitur ut opus primi diei? an ut præſuppoſitum?

10. Et (ſi ita) an ſit reliquiæ ſyſtematis alicujus prioris perditi?

11. An Spiritus Dei motitans ſuper Aquis, v. 2. ſit Increatus an Creatus?

12. An Lux quoad totam ſpeciem, ſit facta primo die? Aut Lux illa individua tunc creata fuit, Luce aliâ alibi præexiſtente?

13. An Lux, ſeu Ignis Lucens, ſit Corpus? an ſubſtantia dicenda ſpiritualis? an quiddam medium inter Corpus & Spiritum?

14. An per Ignem primo factum, Elementa paſſiva fuêre poſtea formata, in ſpeciebus, per activitatem ſcilicet ſuam ſeparantem?

15. An *Mundus Mentalis* ſit omnium *ſubſtantia prima*, ex qua (in progreſſu deficiente) *fit ſenſitiva*, ex qua *Ignea*, ex qua *Aer*, ex quo *Aqua*, ex qua *Terra* quibuſdam incertum dicitur? (Quod tamen non eſt veriſimile.)

16. An tantum *Spiritus* & *Materia prima Paſſiva*, ſint diſtincta-creata *ſimplicia*? Vel etiam omnia Elementa diſtincta facta ſint ab initio, ſine materia communi priùs exiſtente?

17. An Univerſalis aliqua Anima ſenſitiva ſaltem hujus ſyſtematis ſit creata?

18. Et an omnes ſpecies *ſenſitivæ*, ex illa quaſi ex ſubſtantia prima factæ ſint? vel potiùs Anima ſenſitiva unaquæque individua, ſeorſim ex nihilo creata ſit?

19. Item an Omnes Animæ *Vegetativæ* ſint ſeorſim diſtinctæ ex nihilo creatæ? vel potiùs ex univerſali præcreatâ factæ?

20. An Dies ante Solis Creationem, ejuſdem fuêre menſuræ ſeu durationis cum ſequentibus?

21. An Ignis ſit Anima Univerſalis vegetativa, ex qua individuæ fiunt?

22. An Aer extenditur ad Solem & Sydera?

23. An Aquæ aliquæ ſint longè ſupra Nubes?

24. An Tellus ſit Animata? aut Igneam habeat formam? (quod veriſimile eſt.)

25. An Sol & Sydera alia puriora, ſint compoſita? & ex quibus?

26. An Sol, Sydera ſeu Planetæ aliquæ ſint habitabiles? & quibus incolis?

27. An Sol & Sydera tunc primo facta ſint die quarta quoad exiſtentiam (quod ſaltem maximè probabile eſt quamvis inter incerta à quibuſdum numeratur) vel tunc primùm facta ſint *Luminaria Terris*?

28. Quibus præterea uſibus altioribus Sol & Sydera facta ſint?

29. An *Vegetabilia* ſpecificentur, (ut ad invicem) per animarum (vel formarum) diverſitatem primordialem; ſcilicet per ſpecificam differentiam Virtutum formalium naturalium? An potiùs per materiæ variam texturam, animas unius ejuſdemque ſpeciei excipientis?

30. Idem

30. Idem de ſenſitivorum (ad invicem) ſpecificatione quæritur.

31. An ſyſtema unumquodque (Sol, Luna, Planetæ) ſuam habet Animam, aut formam Activam? & qualem?

32. An Animæ aliquæ ſenſitivæ creatæ ſint, præter incorporatas haſce inferiores?

33. Quomodo Animæ generando ſe multiplicant, ſine diviſione & diminutione ſui? & ſine nova materiæ metaphyſicæ creatione? & an Deus continuâ emanatione creativâ materiam talem Metaphyſicam ad Animas generandas præbeat?

34. An *Animæ ſenſitivæ* è corporibus excedentes, individuæ manent? aut in Animam aliquam univerſalem revertendo, convolvantur? (Non enim annihilari certum eſt.)

35. An tales Animæ ſenſitivæ è corporibus excedentes aliquandiu ſine omni corpore maneant? vel potiùs materiâ aliquali incorporentur?

36. An tales Animæ in alia corpora terreſtria revertantur, & animalia denuò fiunt, cum materia nova? & ita per ſecula revolvantur?

37. An poſt Mundum hunc perditum, aut diſſolutum, alii Mundi ſucceſſivè ſint orituri; & per æva propria duraturi? & quamdiu ſucceſſio illa duratura ſit?

§ 1. *Elucidationes. De incertis.*

1. DE certis dubitare ignorantis eſt; de Incertis certitudinem aſſerere, & ignorantis & ſuperbientis & protervi ingenii eſt.

2. Incerta cum Certis confundere, ſcientiis omnibus inimicum eſt; & diſcentium profectui impensè præpedit, confuſionem ſcientiæ loco generando.

3. Dum generis humani ignorantia inevitabilis in confeſſione fuit, & fideles in certis & neceſſariis concordes, & in incertis & non-neceſſariis ſe libere gerentes, diſſentientes ſine charitatis aut pacis detrimento ſe mutuo tolerarent, bene ſe res humanæ quomodocunque habuere: Quando verò inſurgente ſpiritu Antichriſtiano, ſuperbia ignorantiæ ſe miſcuit & ignorantia non fuit ſuperata ſed negata, Charitas cum pace à Clericis præcipue fugata eſt.

4. Inter plurimas inſtantias, opiniones Patrum de Animarum ſubſtantiâ, & origine, & de natura Ignis & Stellarum formâ præſto ſunt. Auguſt. c. 58. Enchir. ait "[*Nam nec illud quidem certum habeo; utrum ad eandem Angelorum ſocietatem pertineant Sol & Luna & cuncta Sydera; quamvis nonnullis lucida corpora eſſe, non cum ſenſu vel intelligentiâ videantur.*] Vide & quæ ex Hieron. dicit Fromondus de "Anima, li. 1. c. 1. art 8. p. 24. & Aquin. cont. Gent. l. 2. c. 70. [*Hoc enim quod di-*"*ctum eſt de Cæli Animatione, non diximus quaſi aſſerendo ſecundum fidei doctrinam,* "*ad quam nihil pertinet, ſive ſic ſive aliter dicatur*] Et Scotus in 2. d. 14. q. 1. [*Breviter ſi Cæli non ſunt animati, hoc eſt creditum, non ratione concluſum: Quia nulla eſt Conditio in corpore illo ita perfecto manifeſte apparens, repugnare animationi.*] De opinione Ariſtot. Theophraſti, Platonis, Stoicorum, item Tychonis & Dav. Origani, Bodini, lege ibid. in Fromondo. At V. Synodus an. 553 rem determinando & novum fidei articulum condendo, indifferentem prius materiam, fecit diſſidiorum fomitem.

De Creatione.

1. DEus omnia Creavit per eſſentiam.
2. Deus omnia Creavit per Potentiam, Verbum, & voluntatem.
3. Deus omnia Creavit Libere.
4. Deus omnia Creavit per ἐνέργειαν, ſeu Virtutem aut vim effectivam.
5. Deus

5. Deus non omnia Creavit per ἐνέργειαν, in notione secunda, id est, Actione transeunte quæ est quid Medium inter Creatorem & Creaturam, ut pluribus (frustra, ni fallor,) probare conatur Aureolus; At per Actionem transeuntem quæ significat, 1. vel rem creatam, 2. vel Essentiam Divinam à rebus denominatam, dici potest creasse.

6. Dei igitur *Essentia*, *Potentia*, *Verbum*, *Voluntas*, etiam *Libera*, *Virtus* & *Actio* quâ *Agentis*, sunt *Idem Realiter*.

7. At omnia hæc non sunt ejusdem significationis nomina; sed quoniam ex imperfectione humanâ fit necesse, nos Unum Deum per conceptum non unum, sed plures partiales cognoscere, & nominibus de Deo uti necesse habemus, quæ primò ad res humanas significandas formata sunt; hinc per conceptus inadæquatos, de Uno plures notiones, & plura nomina adhibemus, de Deo non aliter dicturi.

8. In Divinis igitur Posse, Scire, Velle, non idem significant quod *Esse*: Neque *Libere Velle* idem quod *Velle* simpliciter; neque *Agere* significat *idem* quod aut *Esse* aut *Velle*: Ratio quippe objectiva nominum alia atque alia est: Et hæc à Scotistis dicitur distinctio *Formalis*, ab aliis *Rationis Ratiocinatæ*.

9. Non igitur dicendum est Deum creasse per *Essentiam* absque Potentia, Intelligentia, Voluntate, Actione, neque sine Libertate Agendi.

10. Neque dicendum est Deum *Libere esse* (si Libertas à necessitate distinguatur) quamvis *Libere Creavit*, vel Creare Voluit. Quia *Libertas* non attribuitur Voluntati Divinæ, ut Essentia est, aut ut Voluntas aut Volitio in se; sed ut ad creandum seu creatum refertur; nil aliud igitur significat, quam Volitionem, & ita Voluntatem & Essentiam Divinam, Libere ad Creandum seu Creatum hoc terminari; ideoque referri.

11. Quamvis Voluntas Dei in se, ab æterno est, non tamen dicendum est Voluntatem esse *Creantem* ab æterno: Quia Creare connotat effectum: Et Denominatio Voluntatis tunc temporaria est quando Relatio illa est temporaria quæ denominationis ratio est. Vid. Petavium Theol. Dogmat. li. 5. c. 13. p. 383, 384.

12. Dei *Velle Creaturam*, non est *Conceptus* adæquatus *Creandi*, sed addenda est notio *Agendi executivè*, seu *Potentiæ-Sapientiæ-Voluntatis-exertæ*.

13. Quamvis igitur difficultatem hanc quasi leviorem expediunt Scholastici, (inde quòd *Deus ab æterno Voluit Mundum esse statu tempore*,) & cum iis Petavius ibid. p. 383. reverâ tamen captum humanum omnino superat, & mysterium merè credendum est; scilicet, *Quomodo* positis omnibus ex parte Causæ totalis ab æterno, effectus tamen nisi in tempore non fieret? Et quomodo tunc effectus de novo ortus sit, cum nil aliud ad ejus productionem additur, præterquam quod sine effectu fuit ab æterno.

14. Ipsa autem Ratio rem ita se habere concipere potest, quamvis modum non concipit, neque ad objectiones plene respondere potest: Ab uno scilicet esse plura, ab immutabili mutationes, & ab æterno temporaria, rationi congruum est.

15. Rerum universitas concipienda est quasi ab Essentia, & Liberâ Voluntate Divina emanatione continuâ, vel quasi continuatâ Creatione profluens: Non autem ut quid factum, & à Deo separatum, & tantum per potentiam ejus in natura aliter independenti præservatum, sicut artifex conservat machinam, cujus Essentialis materia ab ipso non causatur: Si effluxus Divinus rerum Essentiæ Causativus vel per momentum temporis cessaret, universitas statim in nihilum rediret; Quia cessante Causâ cessaret effectus.

16. Non magis Agit Deus ex parte sui quando res existunt, quam egit ab æterno; neque Actio ejus creativa ullam implicat in agente mutationem.

17. Agere ad extra improprie de Deo dicitur, quia de Deo loquenti apta vocabula desunt. Nihil enim *extra Deum* est: At Creatura est *præter* Deum, & aliquid ab, & in Deo & ad Deum.

18. De opinione Aureoli Actionem esse egressum ab Agente in passo, & Actionem Dei creantem esse quid medium inter Creatorem & Creatum postea plura dicentur; ubi liquidò patebit, Litem priorem esse de nomine ambiguo *Actionis*; & in secunda Aureolum errare.

19. Plu-

19. Plurimi Philosophiæ interest expositio Heb. 11. 3. an cum versionibus pluribus antiquis legatur [*ex invisibilibus visibilia fieri* ;] Imò & an Calvini expósitio sit recipienda, [visibilia fieri invisibilium quasi specula.]

Cap. 4. *Elucidationes*, viz. Ὀυλολογίας.

§ 1. QUÆ de DEO in hoc Schemate dicuntur, quia sub Cap. 2. explicantur, ut, præter notas Marginales, non pluribus hic Elucidanda prætereo.

Lectorem autem de ordine hanc tabulam legendi paucis monitum volo. Post titulum ad sinistram, & Conceptus omnes Deitatis, (quorum ordo perspicuus est) cum suis titulis explicatoriis ad dextram, proximè nomen [MUNDUS] legendum est, cum sua periphrasi seu paraphrasi marginali. Deinde post nomen [*simplicia*] legenda sunt in Linea transversa, 1. Quæ dicuntur de [*Naturâ Activâ triplici*] viz. 1. *De Natura Mentali*; 2. *De Natura Animali*; 3. *De Natura Ignea*, (cum notis marginalibus.) Posthæc legenda sunt quæ de [*Natura triplici Passiva*] dicuntur: Deinde quæ de *Actione Virtutum in materiam Passivam*; & posthæc quæ de [*Mixtis*,] ab exterioribus incipiendo; & tandem quæ dicuntur de [*Operibus Creatorum.*]

2. Per MUNDUM intelligenda est rerum UNIVERSITAS: Mundus enim est *Unicus*. *Individui* & *unius* nomen non ita strictè creaturæ alicui tribuendum est, quasi omnino ab aliis omnibus separata esset & independens, & non esset *Totius Mundi Pars* cæteris verè conjuncta; si *Poma*, aut *Pyra*, aut *Folia*, *individua* diceres, nihilominus arboris *partes* dependentes æstimanda sunt: Plantæ omnes & arbores item Telluris *partes* sunt, ei verè inhærentes & ab ea nutrimentum vitale recipientes, sicut capilli à capite humano. Et quamvis *Animalia*, quia liberè vagantur, & in sese vitale principium retinent, individua omnino separata & independentia quibusdam videntur, longè aliter se res verè habet: Per substantiam quippe invisibilem suam vitalem inter se uniuntur: Et invisibilium & spiritualium Unio arctior & constantior est quam crassorum materialium: Et multò difficilius concipitur quomodo Spiritûs seu Luminis (aut Ignis) veræ *Partes* sint, & *Numeri*, quam partes illas & numeros in *toto unitos* esse. Et Aer quidem quem continuò haurimus, & Solis influxus motivus, illuminans, calefaciens, vivificans, quem continuò recipimus, satis demonstrant nos omnes cum superioribus & præstantioribus communionem colere: Et cum Solis radios luminosos totum Aerem seu spatium ad Tellurem usque implere videmus, & in inferiora potenter operari percipimus, conceptu quidem difficile non est, ipsam Tellurem cum cæteris inferioribus cum cœlestibus habere communionem & unionem.

3. Opera Divina, scilicet (*Mundus*,) quamvis liberè à Deo facta, Perfectionis tamen ejus Naturalis habent Vestigia, ideoque *Creatoris substantiæ*, *Virtutis*, *Perfectionis*, *Potentiæ*, *Sapientiæ*, *Amoris*, *Imago-Gloria* verè possint, nominari.

4. UNITAS autem est Imaginis hujus pars, in qua Unitatis Divinæ Gloria resplendet: Neque opinandum est tantum splendere Gloriam Creatoris, in singularium præstantissimo, quantum in rerum compaginatarum Universitate.

5. Analogica rerum SUBSTANTIA cum VIRTUTE per modum Creationis communicata, est *Imago* hæc Glorioſa Dei in Creaturis relucens.

6. Imaginis hujus Partes nobilissimæ, in Creaturis *primis* seu *supremis*, utpote Deo quoad præstantiam proximis, inveniuntur.

7. *Simplices Naturas* tum *Activas* tum *Passivas* reverâ existere indubitabile mihi videtur. Quomodo enim nisi ex *simplicibus* fieret *compositio*? Utrum verò alicubi omnino extra compositionem inveniuntur, si non mortalibus omnibus, mihi saltem incertum est: Probabile tamen videtur Spiritus supremos, quamvis Mundi partes, neque Corporum, neque Spirituum aliorum *formas* esse.

8. Simplicium Activorum SUBSTANTIA & VIRTUS non sunt partes componentes, sed *conceptus inadæquati*, seu partes intelligibiles.

9. SUSTANTIA est eorum Conceptus *fundamentalis*, qualis est MATERIA in materialibus. Et VIRTUS est Conceptus *Formalis*.

10. VIRTUS hæc Formalis est *Principium agendi*, & hos porro conceptus inadæquatos continet, *Potentiam activam*, *Vim* & *Inclinationem*.

11. Quid nomen SUBSTANTIÆ (*viz.* Spirituum) significat inter Philosophos aut Theologos non convenit & difficile quidem intellectu est. Nonnulli nomen SUBSTANTIÆ *relativè* tantum quoad accidentia intelligunt, & ipsam VIRTUTEM totam Spirituum *Essentiam* significare dicunt: VIRTUTEM autem illam quia *subsistat accidentibus* SUBSTANTIAM nominari; & ita VIRTUTEM dicunt Essentiæ spiritualis conceptum adæquatum. De DEO Infinito Incomprehensibili quid in hac re dicendum sit inquirere vix audeo, nedum definire. Et de *Creatis* quidem per cæcutientes nos nil temere asserendum est: VIS autem seu VIRTUS quæ *rei Nullius* VIS aut VIRTUS est, sed individui *Conceptus adæquatus*, humanum (meum saltem) intellectum fugit. De VI seu VIRTUTE seu POTENTIA ACTIVA ut rei alicujus aut FORMA aut QUALITATE cogitare solemus. Quid autem sit VIS, VIRTUS aut POTENTIA *sola*, totaliter rem per se subsistentem denominans, non facile concipitur.

Alii igitur dicendum putant, SUBSTANTIAM non tantum dicere VIRTUTIS *Relationem* ad accidentia, vel *subsistentiam* per se, & *non in alio*; sed Conceptum etiam *Essentialem primum fundamentalem inadæquatum* Spiritûs. Et VIRTUTEM non esse Conceptum totalem, sed partialem, id est, *formalem*, ut prius dictum est.

12. Hoc autem recepto (*Spiritus* esse *fundamentaliter veras substantias*, & *formaliter Virtutes*) non minus difficile erit SUBSTANTIAM à MATERIA distinguere. Si per MATERIAM enim seu CORPUS rem *visibilem* aut *sensibilem* solùm intelligimus, SUBSTANTIA *Genus* esset, & *Materia substantiæ species*: Et ex notatione nominis nil obstaret quominus MATERIÆ nomen & SUBSTANTIÆ sint Synonyma, & MATERIA distingueretur in *Spiritualem* seu *Insensibilem*, & *Corpoream* seu *sensibilem*: Et proculdubio in hoc sensu *Tertullianus* asserit Spiritus esse *quædam Corpora* (imò & ipsum Deum) id est, *substantias*; & cum Tertulliano antiquorum plurimi à Fausto Rhegiensi citati, (quem Claud. Mammertus confutat.) Et in hoc sensu à Damasceno dictum est, *Spiritus* (seu Animas) ad Deum comparatos, esse *Materiales*, ad Corpora autem (seu sensibilia) immateriales.

13. Haud minimi quidem momenti rem esse mihi videtur, *positivum* quendam *verum* habere *Spirituum Conceptum*: Ne scilicet, quid sit *anima* nostra, quid *homo*, plane ignoremus; & deinde quid sit *Spiritus*, quid *Angelus*, quid *Deus*. Nisi enim *nosmetipsos* sciendo, *Spiritus* scire non possumus; neque *Deum* Patrem Spirituum, spiritibus ignoratis: Ex Nudo quippe nomine sine rerum *similitudine* seu *specie*, aut *perceptione sensitivâ*, intellectui nil verè innotescit.

14. Qui de Spirituum Conceptu fundamentali nil dicunt, nisi quod sint *Immateriales*, Invisibiles, Incorporei, &c. Cum solum quid *Non-sint* dicunt, non autem *Quid sint*, nullam nobis præbent Spirituum notitiam: scire solùm *quid non sit*, non est *rem scire*: Et si Spiritus scire non possumus, Deum scire non possumus: Et qui Deum *scire* non potest, eum *amare* non potest.

15. Spirituum autem FORMA nobis clariùs innotescit, quam eorum *substantia*. Ex Actibus nempe VIRTUTES Formales intelligimus: Qui *intelligit* & *Amat*, *Potentiam* seu *Virtutem* habet intelligendi & amandi: Nemo *facit*, id quod facere *non potest*.

16. Insolubile etiam videtur esse dubium, *Utrum substantiarum spiritualium sit discrimen aliquod in instanti naturæ formas antecedens, quod Spirituum in specie sit conceptus inadæquatus seu partialis necessarius*? sicut in corporeis tria semper inveniuntur principia, *viz. Materia*, *Materiæ Dispositio receptiva* (quam *Privationem* vocant) & *Forma*, quæritur *An res Analogice se habeat in spiritibus*? e. g. In Igne hæc tria distinguenda sunt: 1. Substantia; 2. Substantiæ Dispositio, *viz.* tenuitas & puritas inscrutabilis; 3. Virtus formalis (de qua postea:) Præter *Virtutem*

tutem activam enim *Ignis* ab Aere, Aquâ & Terrâ distinguitur, per *substantiæ Puritatem.* An ita etiam se res habeat in *spiritibus*, dubitatur. Spirituum quidem in genere, *substantia*, à rebus corporeis tantum distat, ut inde *Immaterialis* dicitur. Utriusque tamen (*Spiritûs* scilicet & *Corporis*) verè *substantia* est. Quomodo autem *Substantia Spiritûs* à *Materia Corporea* differt antecedenter ad *Virtutes*, nisi ineffabili quadam puritate? sicut Ignis seu Ætheris substantia ab Aeris? Et si Spiritûs uniuscujusque substantia ita differt à Substantia Corporea etiam purissima, dubitatur utrum etiam Spirituum *inter se*, sit tale aliquod *substantiarum* discrimen? Et haud improbabile videtur *animarum humanarum*, aut saltem *Dæmonum*, aut crassiorem aut aliquatenus *viliorem substantiam* esse quam *Angelorum* aut Intelligentiarum supremarum: Operum quippe omnium Divinorum est Symmetria; & *formæ* seu Virtutes præstantiores, in *substantiis* præstantioribus inveniuntur; etiam Cartesius ad *motus* impares *substantias* imparis finxit tenuitatis. Sin autem nulla detur Spirituum *substantia realis fundamentalis*, sed eorum conceptus adæquatus est *Virtus-activa per se subsistens & non in alio*, tunc quæstionis ipsum subjectum eliminandum est.

17. Simplicium *Activorum* præter *substantiam*, quâ *talem*, & *actum*, datur proculdubio VIRTUS ACTIVA. Delirant igitur qui in tota rerum naturâ præter *Materiam* & *Motum* nil aliud esse contendunt.

18. Si non daretur *Virtus-Activa* ab ipso actu distincta, unde *Actus* seu *Motus* oriuntur? unde Motus remissus intenditur, & intermissus renovatur? unde homo sedens aut cubans surgit? & silens loqui incipit, quandocunque vult? & nisi *in Deo* sit *Virtus Activa* unde motus in rerum natura invenitur? Quod autem in *ipso Deo* sine dubio invenitur, omnino *Esse* non est negandum.

19. Obj. *Deus est actus purus; & à Deo-actu motus omnes oriuntur.* Resp. Quando dicimus *Deum* esse *purum actum*, negamus in eo potentiam passivam? negamus corporeitatem; negamus compositionem ex *actu* & *potentia:* At *merum Actum* esse conceptum Dei adæquatum non volumus: Quando Deum esse *Actum* dicimus, *Potentiam-activam*, seu *Virtutem semper agentem* intelligimus: Non autem quod in Deo *Virtus actum* ut quid aliud à se causaret, sed quod per conceptum utrumque & Virtutem & Actum, non autem ex unico, Deum scire nobis opus est.

20. Deum autem *Virtutem-primam* non solum *Materiam* & *Motum*, sed *Virtutes* etiam Motivas creasse certissimè probatur, per experientiam: Qui negant hoc, ipsam *Naturam* negant: Natura enim est *principium motûs:* Vitam omnem negant: Non vivit enim ille qui principium motivum vitale non in se essentialiter continet: Projectum aut vi pulsum non ideo vivit quia ab alio projiciente aut pellente movetur. Et quis sanæ mentis per effectus non percipit, præter actum seu motum, in homine & omni animali, esse *Potentiam*, *Virtutem* seu *Vim* activam, quæ diversè quoad modum & gradum operatur? Quis non agnoscit in *Igne*, præter *Actum*, *Virtutem* seu *Potentiam* motivam, illuminativam, & calefactivam? Anne Sol inferiora *movet*, *illuminat*, *calefacit*, sine *Potentia*, seu *Virtute* hoc agendi? Anne parem esse in luto aut lapide potentiam, quis non insanus unquam somniabit?

21. Et antecedenter quidem ad experientiam hoc probantem, rationi maxime congruum videtur, Deum non solum *materiam passivam inanimatam* creasse, sed vitam etiam & *Virtutem activam:* Ex operis enim dignitate operantis præstantia patefit, & honor oritur: Et opera Divina proculdubio perfectionis ejus aut similitudinem aut vestigia saltem seu umbram continent; & ex ipsis creaturæ intellectuali Deus notus est. Quânam verò ratione ducti, de operibus Divinis adeo vilitèr & contemptim cogitaremus, quasi nil nisi *materiam inertem* creasset, & nunquam aut *vitale* aut *motivum* aliquod principium aut *virtutem* in rerum natura produxisset? Unde autem hæc mundi paupertas aut inertia? etiam Spirituum, Solis & Ignis? An quia Creator meliora, *viventia*, scilicet, facere *non potuit*? aut quia *non voluit: Potuit* quidem quia *Omnipotens* est: *Voluit* autem quia *Optimus*; & *fecit*, quia maximè *communicativus*, & Activus; sicut Chaos

non est Imago perfectissima Divinæ *Sapientiæ*; ita & *Materiæ pondus iners* haud perfecta Imago est Divinæ *Vitalitatis*, seu *Activitatis*, & *Amoris*.

22. Porro *Virtutem Motivam* & *Vitalem* negare, nil minus est, quam & Deum ipsum, & Spiritus omnes, & hominem, & rerum formas seu principia activa, & præstantissimam totius mundi partem essentialem negare. Quod inde oriri videtur, quia de Deo secundum mensuram humanam lutosi ingenii homines dijudicant: Quia opera nostra artificialia sunt inanimata, & per materialium oppositionem, compositionem & motum violentum (seu accidentalem) fiunt, excelsiùs nihil de Omnipotentis operationibus hi imaginantur. Imò quod *ipsi* ut Causæ secundæ in *Generando* præstant, *vitam* scilicet producere, hoc idem de *seipsis*, de *Creaturis* omnibus, & de *Deo ipso* hi Athei negant: Generare est vitam seu viventem Generare. Imò *semen omne* negat, qui *Virtutem activam* negat: Præmia itidem & pœnas, totam Religionem, totam Moralitatem negat. Absque *Virtute* enim *Activâ* à *Materiâ* & *Motu* distinctâ, horum nullum verè consistere potest.

23. Sicut in unica Divina οὐσία Unica VITA seu VIRTUS formalis est, quæ tamen certissimè quamvis modo incomprehensibili, etiam *Trina* est; *Potentia-Activa* scilicet *Intellectus* & *Voluntas*, idque sine compositione & in summa reali simplicitate; Ita & in omni Naturâ Activâ hæc Imago Trinitatis in Unitate invenitur, idque sine compositione, in derivativa simplicitate.

24. Superior nulla nobis nota est VIRTUS *formalis* seu *Natura*, quam MENTALIS, (*Vitalis-Activa*, scilicet, *Intellectiva Volitiva*.) Et si superiores aliæ nobis *ignotæ sunt*, eas nominare non possumus: Ex Animæ ipsius enim Notitiâ tota Spirituum superiorum Notitia nobis oritur: Et ex nudis nominibus nulla vera notitia est; sed solum ex *similitudine* intellectâ ut prius dictum est.

25. Quod autem Anima plerumque dicitur *Rationalis*, aut meliùs *Intellectivâ*, quasi ex *unica* solum *facultate* denominanda sit, hoc ex vocabulorum penuriâ fit: Reverâ enim *Potentia-Vitalis-Activa*, & *Virtus Volitiva* non minùs Animæ humanæ sunt essentiales, quam *Intellectiva*: Nomen autem unum invenire quod tres has essentiales Virtutes simul significet, haud facile est: Aptioris loco, ego MENTALIS nomine hic utor.

26. Quod VIRTUS hæc non propriè (ut volunt Thomistæ) *Accidens* dicenda sit, sed FORMA Essentialis (ut Scotistæ,) pluribus postea suo loco disputatione peculiari probo.

27. Quicquid per SPECIEI nomen voluit Aquinas cùm probare conatur ne duos quidem Angelos esse ejusdem speciei, sed tot species Angelorum esse quot individuos, nulla tamen mihi obvia est ratio, quæ prohibere videtur ne Naturam totam Mentalem nobis notam, Angelorum scilicet & Hominum ad unam *Speciem* in sensu generaliore, quasi in classem unam bene redigam.

28. Utrum Virtus hæc *Una-trina* distinguatur à *substantia*, & unaquæque ab invicem, *ratione ratiocinatâ*, an *formaliter*, an *relativè* & *connotativè* solum quoad objecta, & ex *denominatione extrinsecâ*, an *modaliter*, jamdiu in Scholis satis superque litigatum est: Quod *essentialiter* & *realiter Unica* sit, inter omnes convenit: Quod *denominatione extrinsecâ* ex *relatione objectiva Tres sint*, item omnibus convenit: Quod *Actus* item Vivendi, Intelligendi, & Volendi, ut ab objectis diversis specificatis diversi quodammodo realiter sint, non negatur: Ideoque facultates non malè diversas nominari *Virtualiter* & *respectivè* quoad *actus* hos diversos: Et hæc de *Unitate* cum *Diversitate*, id est, Trinitate facultatum, consistente, modestis satis esse possint.

29. Miranda hæc *Trinitas* in *Unitate Essentiæ*, adeo in omnibus Naturis Activis certissimè invenitur, ut doctrinam Christianam de S. S. Trinitate in Divinis mihi longè faciliorem creditu reddat. Opera enim Divina ad extra suam perfectionem ad intra nobis spectantibus patefaciunt.

30. De Angelorum Natura nil aliud in *Ontologia* hac dicendum judico, quam quod ipsis cum animabus humanis commune est; ejusdem scil. eos esse Naturæ Mentalis seu Intellectualis: Præterquam quod eximii magis sint ordinis, dignitatis, virtutis, gloriæ & fælicitatis: De ignotis non temere dicendum est.

31. Utrum

31. Utrum verò sint *Spiritus absolutè simplices*, an potiùs ex Spiritu simplici & Corpore quodam purissimo spirituali compositi, mortalibus (mihi saltem) haud certò constat: Et quorsum de ignotis conjecturas faceremus? Qui cum plerisque eorum simplicitatem tenent, hisce præcipuè nituntur argumentis. 1. Quia de *compositione* eorum aut *corporeitate* nihil aut ex S. Literis aut Naturæ lumine nobis constat: De *spiritualitate* autem certissimè constat: Non autem fingendæ aut imaginandæ sunt res probationis & evidentiæ omnino expertes. 2. Probabile videtur inter creaturas genus aliquod dari præstantissimum, & Creatori ut proximum ita & simillimum: At simplicia compositis sunt præstantiora. 3. Composita sunt, dissolubilia, ideoque mortalia: At Angeli non sunt mortales, aut dissolubiles; ergo neque compositi.

32. Qui autem eorum compositionem tenent, hisce ducti sunt rationibus. 1. *Simplicitatem absolutam* Deo propriam esse judicant, non minùs quàm *Immutabilitatem*, & *Æternitatem*. 2. Quia experientiâ nullâ nobis constat dari naturas aliquas simplices extra compositionem per se existentes: non igitur fingi debet quod probari non potest. 3. Quia Christus glorificatus Angelis omnibus præstantior est: At Christus non est Naturâ simplex extra compositionem, sed (præter Naturam Divinam quæ haud proprie compositionem constituere dicitur) ex Anima & Corpore (spirituali) glorificatis constat. 4. Quia nosmetipsos Angelis aut similes aut æquales fore post resurrectionem dicit Christus: At non simplices, sed ex Anima & Corpore spirituali *nos* compositos fore, certum est.

33. Quid ad partis utriusque rationes responderi possit, non est quod dicendo Lectorem morarer, cum res aliquatenus explicare, non hic *disputare*, mihi animus sit. Hæc autem de quibus satis convenit tenenda sunt: 1. Naturam spiritualem in se consideratam (ut Elementa in Corporeis) esse simplicem, quamvis incertum sit an extra compositionem inveniatur. 2. *Unitas* seu *simplicitas* non perfectissima sed *Analogica* Imaginis Divinæ in Creatis præstantioribus pars est. 3. Compositionum maxima & inexplicabilis est diversitas: Et quomodo Spiritus superiores Corporibus conjunguntur, captum mortalium fugit: neque ex distinctione *formæ informantis* & *assistentis* intellectui satisfit. Angelos corpora visibilia assumpsisse & in eis cum hominibus familiariter versatos esse, credendum est: Quomodo autem hæc eorum incorporatio à nostra differt, plene intelligere non possumus: Nec quomodo Moses assumptum suum corpus animavit, quando in Monte cum Christo transfigurato collocutus est? Nec quale fuit hujus Mosis incorporationis ab Eliæ (qui suum corpus in Cœlos secum sustulit) discrimen. 4. Quamvis autem viliora quæ per compositionem exaltantur, per dissolutionem pessundari videntur, & compositum, quâ tale perditur, præstantiora tamen neq; per compositionem aliquid à vilioribus acquirunt, neque per dissolutionem aliquid amittunt; *e.g.* si radii solares plantæ sint partes essentiales, ex separatione Planta interit, at Solis radii nihil amittunt: Et ita cum Angelus corpus suum assumptum deposuit, separatione hâc nihilo pejor factus est aut infælicior: Et ita quando anima humana à corpore recedit, *compositum* perit, at *anima* nihilo pejor fit. 5. Cum Mundi totius sit *compaginatio*, *Unio* & *Communio*, non opinandum est aut *Angelum* aut Intelligentiam aliquam præstantissimam, à Creaturis cæteris existere *separatam*, aut cum cæteris *communionem* non habere, aut in inferiora non operari: Quin probabile est, quod quò præstantior aliqua Natura est, eo cæteris *arctiùs unita sit*, & eo potentiùs & constantiùs in inferiora operetur: Sicut ipse Deus est nobis intimus, & in nos omnes operatissimus: Intelligentiæ igitur & *Angeli* proculdubio sua habent officia, & suas operationes præstantissimas & constantissimas in inferiora: Quomodo autem hæ differunt ab operatione animæ humanæ in suum corpus, & quale inde *unionis* seu *informationis* discrimen colligi possit, & quænam sint istæ operationes, & quibus limitibus circumscriptæ, non est mortalium clarè aut distinctè intelligere. 6. Sin autem certum esset, Angelos esse Animales, compositos, & corpora quædam informare, hæc etiam itidem certa essent. 1. Ea corpora esse *spiritualia*, *cælestia*, & *præstantissima*, & loco & spiritibus ea animantibus congrua. 2. Cum nulla sit utriusque naturæ corruptibilitas,

bilitas, neque ad ſeparationem propenſitas, ex *compoſitione* non colligi poſſe diſſolutionem futuram aut mortalitatem: Ipſe Ariſtoteles compoſitiones æternas credidit, cum Mundi æternitatem credidit. 3. Si fieret ſeparatio, ſubductis eis corporibus quibus Intelligentiæ ſeu *Mentes Angelicæ* uniri jam ſupponuntur, nil inde detrimenti hiſce ſpiritibus accideret, ſicut nec *Soli* ſi tellus ſubduceretur in quam influxus ſuos vivificantes continuo emittit.

34. Græci illi Eccleſiæ antiquæ Doctores quidam qui Angelis dabant corpora ignea, & eos Stellarum eſſe Animas putarent, compoſitos eos eſſe exiſtimabant.

35. Et videtur eos qui Animarum & aliorum Spirituum *corporeitatem* ſeu materialitatem maximè negarunt, *compoſitionem* maximè credidiſſe. Illi etenim qui ſpiritibus omnibus *corporeitatem* quandam puram (id eſt, *ſubſtantiam*) tribuebant, non tantum de compoſitione dicunt, quantum eorum opponentes: Ipſe Claud. Mammertus dum Fauſtum Rhegienſem confutat, *compoſitionem* tamen Spirituum immaterialium cum corporibus quibuſdam igneis magis aſſerere videtur. Ingeniis autem ſobriis & modeſtis ſatis erit, unionem, communionem, operationem Spirituum in corporea tenere, modi autem ignorationem promptè & palam fateri, quæ diſſimulari non poteſt.

36. An autem detur Spiritus aliquis creatus univerſalis, Deo quoad præſtantiam proximus, qui cauſarum omnium creatarum prima eſt? & ſi talis, An cauſa tantum *Motûs*, aut etiam *Entitatis* & Perfectionis & Ordinis ſit cæteris? Et ita ſit Mundi Anima una univerſalis, & Monarcha? de hoc neque inter Philoſophos, nec Theologos bene convenit: *Ariſtotelis* quidem doctrinæ de *primo motore* & *primâ Intelligentiâ*, nec non *Averrois*, talis *Anima univerſalis* bene quadrat: Et qui affirmant hâc ratione præcipuè ducuntur, Quia maxima Creationis Perfectio ſupponenda eſt: At unio per *Animam univerſalem*, magis *perfecta* eſt quam per *compaginationem*. Deinde probabile ipſis videtur Deum unam talem præſtantiſſimam feciſſe creaturam, quæ ſui Imaginem eminenter contineret, & perfectionem ſuam ſupra omnes alias repræſentaret. Denique *materiæ primæ Unitati*, *Spiritûs Univerſalis Unitatem* optimè convenire judicant. Sed reverâ periculoſum eſt ingeniis noſtris incapacibus hiſce de rebus ignotis quærendi libertatem nimiam permittere: Ubi neque affirmare, neque negare, neque utilem aliquam Conjecturam facere, verè aut tutè poſſumus. Non deſunt tamen quidam Novatores Theologi qui *ipſum Chriſtum* talem *Spiritum* eſſe *univerſalem* autumant*, *viz.* Et *Arrianos* culpant qui Chriſti negantes Deitatem, hanc *primam* in eo naturam agnoſcunt; & *Catholicos* etiam qui nihil in Chriſto agnoſcunt præter *Deitatem* & *Humanitatem*: Et in Chriſto quidem tres naturas eſſe ſtatuunt, *viz.* 1. *Divinam*, 2. *Super-Angelicam*, ſeu Creaturam primam Deo proximam, quæ cæteris creatis eſt quaſi Anima & Cauſa Univerſalis, cui Sapientia Divina in unione incomprehenſibili ſe conjunxit; 3. *Humanam*. De hiſce autem hic non eſt diſſerendum.

* Lege D. Sterrii de Libert. Concluſ.

Neutra pars autem, neque aſſerentes ſcilicet, neque negantes, probatione ullâ, aut certitudine gaudent. Deum enim Animam mundi univerſalem facere non poſſe, aut non feciſſe quod poteſt, quis ſobrius aſſerere audet? Deum tamen hoc feciſſe nemo unquam probabit. Et maximum quidem ad contrarium perſuadendum argumentum eſt, quod Deus ipſe eſt loco animæ univerſalis toti univerſitati, & rerum omnium Unitio proculdubio primò fundatur, in Deo uno, Cauſâ primâ & ultimâ, ex quo, per quem & ad quem ſunt omnia: Et verendum eſt ne creaturæ alicui ejus prærogativam ſeu proprium honorem tribuamus.

37. Neque de Deo quidem aptiorem aut meliorem conceptum analogicum habere poſſumus (quantum mihi adhuc conſtat) quam quod ſit *ANIMA MUNDI QUID MAJUS*, ſeu, *Eminenter* (non formaliter) Anima Mundi: Quandoquidem enim analogicè ſolum Deum ſcire poſſumus; & ex nulla creatura aptiores conceptus analogicos de Deo poſſumus mutuari, quam ex anima humana, nomen *Animæ* igitur metaphorice ipſi tribui bene poteſt: Et quoniam *Anima* eſt nomen relativum, & aliquid *animat*, neque quid Mundo-majus animandum eſt, Mundi igitur Anima metaphoricè dici poteſt: At *Eminenter* ſolum, non *formaliter*; Quia

Anima

Anima eſt *pars conſtitutiva*; Deus autem utpote infinitus *Pars* eſſe non poteſt. Cùm ſæpiſſime igitur à pius quæſitum audimus, *Quomodo de Eſſentia Divina* poſitivè concipiendum ſit, Reſpondendum eſt, *DEUM ESSE ANIMA MUNDI QUID MAJUS*, ſeu *ANIMAM MUNDI* metaphoricè eminenter. Quamvis enim eum Animum Mundi formalem ſeu propriè & conſtitutivè Informantem eſſe, verè negamus, Cavendum eſt ne ideo eum *quid Minus eſſe* colligamus, aut à Mundo remotiùs quàm Anima à Corpore: Multò enim *Major* eſt, & majora præſtat quàm Corpori Anima.

38. Et quamvis omnium conſenſu dicitur, In Deo nulla eſſe *Accidentia*, ſed *ſimplicem ſolàm Eſſentiam*; Qui Mundum tamen Dei quaſi Accidens eſſe metaphoricè diceret, & rectiùs ejus ad Deum relationem vix concipi poſſe, quam ſub ſimilitudine accidentium, non peſſime is de hiſce ſentiret. Quod fortè patebit difficilem iſtam quæſtionem diſcutienti, *An Entitas Dei & Mundi ſit Major quàm Entitas Dei ſolius ante Mundi exiſtentiam?* Quæ proculdubio neganda eſt; At negationis ratio non protinùs aut unicuique patet.

39. Nihil quidem à Creaturis Deo reale *accedit:* At tota Creaturarum ſubſtantia *Dei* eſt [quamvis non *Deus:*] Et cum creata non Deo aliunde adduntur, ſed à Deo profluunt, (non ſicut effluvia ab odoriferis, aut capilli à capite, ſed per Volitionem & Verbum creans) ut *à Deo*, & *in Deo*, & *Dei* omnia ſunt conſideranda: Et Deo per Creationem plus Entitatis aut Subſtantiæ, haud magis additum eſt, quàm odoriferis per ſua effluvia, aut homini ex ſuis capillis, aut ex *Verbo* quod locutus eſt.

40. Non deſunt qui omnem *ſubſtantiam Activam* vocant *IGNEM* & omnem ſubſtantiam Paſſivam *Atomos:* Et ſicut triplicem Naturam *Paſſivam*, dicunt *Atomos* per triplicem contexturam factas *Aerem*, *Aquam*, *Terram*; Ita triplicem Naturam *Activam* dicunt eſſe, *IGNEM* purum, puriorem, puriſſimum, per triplicem *VIRTUTEM* Eſſentialem formaliter diſtinctum, *viz. Ignem puriſſimum Mentalem*, *Ignem Puriorem ſenſitivum*, & *Ignem Purum* (in *compoſitione* ſæpe *Vegetativum*,) extra compoſitionem ſolùm *Motivum*, *Illuminativum* & *Calefactivum*. Et quod hi vocant *Ignem*, alii potiùs *Ætherem* nominare volunt. At hæc ut plurimum de nomine lis eſt.

Patres Græci ſæpe ſpiritus dicunt Ignes, & Auguſtinus dubitavit an Sol, Luna & Sydera ſint Angeli. vid. Citata Elucid. c. 3.

41. Contra ſimplicium Activorum *VIRTUTES FORMALES* à quibuſdam objicitur, Inconveniens hoc ſecuturum, *Formarum dari formas* *, *e. g. Anima humana eſt forma hominis*, & *Virtus illa Vitalis-Intellectiva-Volitiva eſt forma Animæ.*

* Animæ quâ Formæ non datur Forma, ſed quâ Subſtantiæ.

Reſp. *Forma* nomen eſt ambiguum: *Forma* eſt vel *Rei ſimplicis*, vel *compoſitæ*: *Forma rei ſimplicis* eſt vel *Activæ* vel *Paſſivæ*: Forma ſimplicium Activorum eſt Virtus Activa ſpecifica, quæ non eſt res altera à Subſtantia, ſed Subſtantiæ conceptus inadæquatus: Forma compoſitorum duplex eſt: 1. Subſtantialis vel Phyſica: 2. Reſpectiva. 1. Forma *Subſtantialis* eſt *Subſtantia* in compoſito principalis, maximè activa, prædominans: Talis eſt Anima humana in homine, & Anima brutorum in brutis, (Quicquid contra hoc nonnulli ogganiant.) Hæc eſt Res altera à corpore; & non eſt inconveniens hujus *Formæ* utpote Subſtantiæ ſpiritualis ſeparabilis, dari *Formam* ſuam ſpecificam. 2. Forma *Reſpectiva* eſt *ORDO* ille partium componentium diſpoſitarum, unde ad compoſitionis fines per motum obtinendos adaptatæ ſunt: Hujus *ORDINIS UNIO* pars prima eſt. *ORDO* hic eſt *compoſiti*, quâ talis, pars *Eſſentialis*; Quoad *Subſtantiam* tamen eſt *Accidens: Compoſitio* enim eſt *Subſtantiarum accidens*, non autem *Subſtantia*. Machinarum inanimatarum *Ordo partium* eſt *Forma denominans: Pondus* enim ſeu aliud principium motûs eſt tantum forma rei, quâ *moventis* in genere; vel quatenus modo hoc vel illo movetur; ad finem autem machinæ partium *Ordo* magis conducit. *Nobiliſſima* autem vel *virtuoſiſſima natura* in compoſitis eſt *principium activitatis.*

Themiſt. in Ariſtot. li. 3. de Anim. à Fred. Bonavent. tranſl. p. 36. A ſolo Intellectu agente mihi Eſſe provenit, cum hic ſolus ſit exactè ſpecies; vel potius ſpecierum ſpecies; cæteræ verò & ſubjecta ſimul & formæ ſunt: Hoc namque pacto natura progreditur, ut formis ipſis, ſi eas ad ignobiliores comparaveris, veluti formis utatur, ſi verò ad nobiliores veluti materiis: Porrò ultima & ſuprema ſpecierum ejuſmodi agens eſt intellectus & adhunc uſq; progreſſa natura ceſſavit, utpote quæ nullam aliam nobiliorem haberet ſpeciem, cui ipſum ſubjectum faceret. Nos ergo Intellectus Agens, ſumus, &c.

42. Forma

42. Forma Subſtantiæ ſimplicis non poteſt eſſe *Ordo*, *Unio*, ſeu *temperamentum* partium.

43. Formæ cernuntur in operationibus.

44. Virtus Activa communis eſt omnium formarum activarum: Differentia tamen ſpecifica eſt inter Activitatem *Mentis*, *Animæ-ſenſitivæ*, & *Ignis*; quamvis nobis haud clarè ſatis & diſtinctè intellecta, neque ex nominum penuriâ clarè ſatis exprimenda eſt.

45. Forma *Mentis* eſt Virtus ſpecifica Activiſſima-Vitalis, *Intellectiva Volitiva.*

46. Forma Animæ ſenſitivæ eſt *Virtus-Vitalis Activa-ſenſitiva*, *Perceptiva-ſenſitiva*, *Appetitiva-ſenſitiva.*

47. Forma Ignis (ſeu Ætheris) eſt Virtus *Activa*, *Illuminativa*, *Calefactiva.*

48. Utrum Anima Vegetativa ſit ipſe *Ignis*, aut Anima quædam Igne nobilior, mortalibus certò ſciri non poteſt.

49. Si nil niſi Ignis ſit, tunc *motus*, *perceptio*, & *appetitus* analogicus in Vegetabilibus, fiunt per Ignis Motum, Illuminationem & Calefactionem. Sin aliter ſe res habet, tunc Ignis eſt elementum ſeptimum, & copula inter Animata ſeu Vitalia & Inanimata. (De quibus plura poſtea ſuo loco.)

50. Forma Activa unaquæque conſideratur, 1. Radicaliter in primo conceptu, ut *VIRTUS* (id eſt, *Potentia-Vis-Inclinatio:*) 2. In ſecundo conceptu, ut *Actus Immanens:* 3. In tertio conceptu, ut *Actio ad extra*; non tamen ut recepta in paſſo, ſed ut eſt *Agentis modus*, ſeu, ex parte agentis *ſolùm* conſiderata.

51. Fruſtra conantur quamplurimi probare *Actionem* eſſe ſolùm in patiente; & ita Actionem confundere cum ſuis effectis: Aut enim diſcrimen aliquod invenitur ex parte ſui inter *Agens* & *Non-agens*, *Movens* & *Non-movens*, aut non: ſi diſcrimen nullum eſt, 1. Unde *Nomen Agentis* & *Actionis* ortum eſt? 2. Unde *Effectus*? Anne *Effectus realis* eſt à *Cauſa nulla*, vel *non-reali*? Sin autem diſcrimen aliquod eſt, quodnam illud eſt? & quomodo nominandum? Agens à non-agente modaliter differt? Et modus hic à nobis *Actio* dicitur: & quomodo rectiùs ſit nominandus, non adhuc nobis conſtat.

52. Omne *Movere* eſt *Agere*; At non omne *Agere* eſt *Movere* (niſi *Motus* impropriè ſumatur:) *Motus*, paſſivè & ſtrictè ſumptus, eſt *Migratio à loco in locum:* In *loco* autem *eodem* & *agere* & *agi* poſſibile eſt. Deus agit ſine migratione locali: Et *Mens agitur & agit* ſine migratione locali.

53. Primus *Motor* (Deus ſcilicet) non-motus alia movet: Naturaliter *mota*, primò moventur deinde movent: Ultimum *motum* nil aliud movet.

54. *Liberè mota* non ſine Cauſæ ſuperioris vi motivâ moventur: At motum ſuum quandoque *ſuſpendere* poſſunt, Cauſis ſuperioribus ſuos conatus ſeu actiones non ſuſpendentibus; & ſuſpenſionem ſuam itidem removere

55. D. Pitcarne, cum aliis qui *Ignem Elementum* eſſe negant, aut *Subſtantiam* eum eſſe volunt, aut *Accidens.* Si *Subſtantiam*, aut *ſimplicem* aut *compoſitam:* ſi ſimplicem, habetur quæſitum: Per Elementa enim volumus ſubſtantias ſimplices non in diverſas ſpecies diviſibiles ex quibus mixta componuntur: (ſin autem eum ſubſtantiam ſimplicem eſſe volunt, quæ tamen nullum compoſitum ingreditur, caveant ne Ignem deificent.) Si Subſtantiam mixtam eum eſſe volunt, Ex quibus Elementis componitur? At reverâ Ignem eſſe *merum Accidens* opinantur: At 1. quodnam eſt illud *Accidens* quod *Ignis* vocandum eſt? Anne *motus*? Quis autem omnem *motum* eſſe *Ignem* dicere auſus eſt? Anne *Lumen*? Nonne *Calor* etiam *Ignis* index eſt, æquè ac *Lumen*? Anne *Lumen*, *cum Calore*, & *Motu*? At *Motus*, *Lumen* & *Calor*, tria ſunt: Anne verò ex tribus accidentibus componitur *Ignis*?

D. Petavius Theol. Dogm. To. 3. de Opif. 6 dier. c. 7. p. 252. inquit [Plerique priſcorum arbitrati videntur Lumen eſſe ſubſtantiam aliquam & corpus] & citat Theodoretum, Auguſtinum, & Albinum Flaccum.

Theodoret. in Geneſ. 1. q. 9. Quod

2. *Lumen* & *Calor* conſiderantur aut ut qualitates receptæ in patiente, aut ut emanationes ſeu actiones agentis. Et quidem per Ignem nil aliud hi intelligere

Tenebræ non ſint Subſtantiæ, ſed res quædam accidentaria; facile eſt intelligere: Lumen autem Subſtantia eſt, & ſubſiſtit, & quum occiderit rurſum oritur, &c.

videntur

videntur præter *Corpus Ignitum*; id est, *Motus*, *Lumen* & *Calor* conjuncta in eodem recipiente. At 1. Unde quæso sunt hæc accidentia, *Motus*, *Lumen* & *Calor* (*e.g.* in flammâ aut prunâ?) *Causam Efficientem* habere non negandum est. Hanc autem *Causam Efficientem* nos *Ignem* nominamus. Ex Actione quippe Potentiam novimus, & ex Potentia substantiam: Quodcunque *movet*, *illuminat*, *calefacit*, hæc facere *potest*: Quod potest hæc facere substantia est: *Potentia* est *Substantiæ*, non nihili potentia.

2. Et quidnam est *Lumen* in illuminato? quid *Calor* in calefacto? Dicunt, sunt *Qualitates*? At per nomen illud ambiguum Intellectus nullatenus informatur: Per, *Quale*, fere omnia accidentia describi possint, Quod bene monuit Gassendus. *Lumen* & *Calor* sunt vel in *sentiente* vel in *objectis*, vel in *agente exteriore*: *Lumen & Calor in sentiente*, sunt *quædam sensationes*, sentiendo solum notæ. In *Agente exteriore*, nil aliud esse videntur quam ipsius Agentis *Actiones peculiares*; *Actiones* autem illæ, non sunt *res* ab ipso Agente separatæ, sed *Agentis modus*: Ubicunque igitur est *Actio* (ut ex parte Agentis nominatur) ibi est *substantia Agens*: *Qualitas* enim ab agente emissa, quasi quid ab ipso agente omni separatum effluvium, figmentum est. Ipsa substantia *Calefaciens* & *illuminans* id omne quasi attingit quod actione suâ Calefit & illuminatur. Objectum autem duplex est, 1. *Mere objectum*, scilicet terminativum; Ab hoc autem substantia Luminosa & Calefaciens (viz *Ignis*) solum ad sensus *reflectitur*. 2. Et *terminativum* & *Activum* & hoc est *ipse Ignis* quatenus agendo in sensus percipitur.

Inquit Polanus Syntag. li. 5. c. 15. p. 288. Ignis à Deo creatus est ad hunc finem ut concurreret cum aliis elementis ad corporum concretorum constitutionem. Ut Calore suo cætera elementa fæcundaret, & velut Pater generationis illis esset, cum summa vi agendi generandique sit præditus.

55. Non desunt autem qui (nil nisi *Materiam* & *Motum* in creatis saltem agnoscentes) dicunt *merum motum* simul causare & *Motum*, *Lumen* & *Calorem*, & ita Ignem facere. Et *Motum* quidem *Calefacere* experientiâ notum est: Nec non *Calorem movere*: Ideoque *Telesius* & *Campanella* Calorem *motûs* causam dicunt. At & ipsi & *Patricius*, qui *Lumen* itidem decantat, conciliari potuissent, si rem accuratè pensitassent: Substantia scilicet eadem quæ virtute motivâ prædita est, virtute etiam *illuminativâ* & *calefactivâ* gaudet: Imò una eademque Virtus est: Spiritus superiores *Mentales* & *sensitivi* Igne ad Motum ordinarium utuntur. Non mirum est igitur si Motum, Lumen & Calorem simul eadem Virtus causet: Imò si per *Motum* causat *Lumen* & *Calorem*, cum *Motus* est Actus primus, & aliorum quasi principium, qualis & *Actus Vitalis* ad *Intellectionem* & *Volitionem*.

Obj. *At sæpe fit motus* ubi non fit *Lumen aut Calor*.

Resp. Substantia eadem Virtuosa semper emittit suos radios Motivos, Illuminativos & Calefactivos: Non autem emissione sensationem operantur, nisi in sensibus receptivis: (Solis Lumen non videtur per digitum, sed per oculum:) Neque ullos producunt Effectus nisi in passivis dispositis. Dispositio materiæ ad formam omnem recipiendam necessaria est. Objectum aliquod *moveri* aptum est, quod *Illuminari* seu *Lumen* reflectere non aptum est: Et aliquod *Illuminari* aptum est, quod non æquè *calefieri* aptum est: Et *calefieri* aliquod, quod non *illuminari*.

Motus autem quâ motus, nisi cooperante Virtute *Illuminativâ* & *Calefactivâ*, neque *Lumen* produceret, neque *Calorem*: Motus veloces fiunt per Ventum non calefacientem sed infrigidantem.

56. Alii autem *Motum Ignem* generare dicunt, non *omnem* autem, sed *materiæ cujusdam subtilis*, aut *globulorum æthereorum Cartesii*. At iidem tamen *materiæ differentias Motui* ut Causæ Efficienti attribuunt: Et ita cum prioribus coincidunt. Qui Motu autem rapidissimo sine Igne Aquam Lutum aut Aurum in Ignem convertet, virum quidem se præstabit: Imò etiamsi in alcohol subtilissimum hæc pulverizet. Qui motûs velocitate Terram seu Aquam fieri Ignem putant, fortasse ulterius delirando asserent, mero motu etiam Lutum fieri *Animam sensitivam* primò, deinde *Intellectivam*, & tandem *Angelum*.

57. Qui Ignem nullum agnoscunt præter Culinarem, flammam scil. & prunam, & nil nisi qualitatem & corporis Igniti accidens, eum esse opinantur, Solem ipsum & Ætherem nesciunt, mirandum illud elementum Activum negant, quod omnia inferiora penetrat & agitat, & Telluris & omnium terrestrium & aquatilium mixtorum, vel forma vel vita est; vel vitalis animæ princi-

pale instrumentum. Et totam fere orbis inferioris machinam quasi mortificant & dehonestant, suâ mortuâ Philosophiâ. At de Igne plura adhuc postea.

58. *Elementa passiva* etiam suas habent formas, seu differentias specificas.

59. Eorum formæ sunt tales Atomorum seu partium constitutiones speciales, unde Dispositiones speciales receptivæ oriuntur. Materia, qua talis, omnium communis est: Materiæ contextura specialis elementi uniuscujusque formam seu differentiam specificam constituit: Ex forma hac physica oritur *forma relativa* quæ est *Dispositio* materiæ Receptiva, scilicet, Influxus seu actionis causarum superiorum, præcipuè Ignis.

60. Forma hæc physica uniuscujusque elementi, non verbis, sed sentiendo rem ipsam solùm dignoscitur: Quid sit Aer, quid Aqua, quid Terra, differentias specificas sentiendo, at nullo nomine, nulla definitione sine sensu innotescit.

61. An detur elementorum passivorum transmutatio? an Aer fit Aqua? Et Aqua fit Aer aut Terra? incertum est. Nec multum nostrâ interest certò scire, An Aer scilicet incrassatus fiat Aqua; aut Aqua incrassata fiat Terra? An Terra attenuata fiat Aqua, & Aqua rarefacta fiat Aer? An in primo instanti omnia concipiantur sub forma *Humoris* (qui postea fit Terra per incrassationem, aut Aer per rarefactionem;) vel potius sub forma *Aeris*, (primò mutati in Aquam, deinde majore incrassatione in Terram;) vel, sub figura Atomorum sine forma specifica: Et utrum Deus primo fecit Materiam informem, & inde species formatas? vel potiùs omnem primò materiam fecit sub formis hisce diversis, & informem nullam?

62. Improbabile autem omnino videtur, Naturas passivas in *Activas*, aut activas in passivas unquam transmutari: Aerem scilicet in Ignem aut Animam; aut Ignem aut Animas in Aerem. At maxime monstrosum est eorum figmentum, qui dicunt, omnia à Deo primo exeuntia esse Mentes; & deinde progressu à Deo deteriorata esse; Mentes scilicet fieri Animas, & Animas fieri Ignem, & Ignem fieri Aerem, & Aerem Aquam, & Aquam Terram; & motu circulari iterum ad statum primum & optimum revertere. Hæc omnia delirantium somnia & præter & contra rerum evidentias finguntur.

63. Quamvis realiter distinguuntur elementa passiva ab invicem, an tamen uspiam omnino pura seu separata inveniantur, vix constat: An scilicet sit Terra sine Aqua, aut Aqua sine Terra & Aere, aut Aer sine Aqua.

64. Naturæ superiores Activæ in passivas inferiores operantes, & mutationes earum faciunt, & compositiones.

65. Dum agunt in passiva, suâ substantiâ præsenti & passiva quasi attingente agunt. Substantia Agentis à patiente non abest: (ut priùs dictum est.)

66. Activorum autem attingentia & operatio 1. Quandoque passiva solùm leviter aut transitorie afficiunt; & ita *Accidentia* solùm producunt, *e. g.* Solis influxus in parietem, aquam, saxum, *&c.* calorem accidentem efficit; & motus projicientis motum accidentem causat in projecto: 2. Quandoque autem majorem
A 5 efficiente mutationem, materiam *disponunt* ad formam Essentialem recipiendam; Ita *e. g.* Anima per spiritus Igneos agit in Chylum & sanguinem crudiorem: 3. Quandoque etiam Agens operatur ad unionem arctissimam cum patiente, & ejus fit *vita* & *forma*: Ita Sol ex materiâ dispositâ facit vermes; & Anima se unit sanguini & materiæ spermaticæ, & in corpus organicum operatur, donec absumpto vel cessante pabulo, & vehiculo seu recipiente idoneo interitu animalis separetur.

67. Prædicamentum Aristotelicum *Qualitatis* est Heterogeneorum Cothurnus: (ut jam dictum est.) Et quia eodem nomine *Lumen* & *Tenebræ*, *Calor* & *Frigus*, *Humiditas* & *Siccitas*, dicuntur *Qualitates*, ideo rerum imperitis ejusdem esse naturæ videntur.

68. *Quies*, *Tenebræ* & *Frigus*, ut contraria *Motui*, *Lumini* & *Calori*, in primo Activo conceptu, scilicet ut sunt *Agentis*, non sunt positivæ qualitates, aut accidentia, sed priorum privationes seu negationes.

69. *Lucere* est Actus realis Lucentis: cujus contrarium est, *Non lucere:* (quod nihil

nihil est. Lumen emissum est Luminosi Radius substantialis emissus; cujus contrarium quoad *substantialitatem* est *Nihil*; & quoad Luminis speciem, seu naturam, est *opacum*; id est, *Non-Lucens*, quod negativum est: Lumen ut *sensatum* in oculo videntis, est Radius seu Lumen emissum ut *sensu receptum*: Cujus contrarium est nihil reale: *Tenebræ* igitur sive ut *Luci* sive ut *Lumini* aut ut *emisso*, aut ut *sensato* contrariæ, verè *Nihil* sunt.

70. *Frigus* ut Caloris (qui Agentis est Actus) contrarium, itidem negativum est, seu nihil; nisi ex *effectu actum alium* ita velis denominare: *Frigus* autem vulgò ipsam *sensationem* significat, & omnia hæc suo ambitu comprehendit: 1. Caloris privationem; 2. Objecti seu materiæ frigefacientis peculiarem quandam contexturam; 3. Materiæ hujus aut motum peculiarem aut quietem; 4. Horum omnium conjunctorum sensus, (quandoque *placidus*, cum sentientis spiritus ignei refrigerari desiderant,) plerumque autem *molestus*.)

71. Quamvis ex aliorum mente hic *Materiæ refrigerantis contexturam* addo, non omnino hoc mihi ipsi videtur esse necessarium. Primò enim hoc certum est, Ignem seu *Calorem* esse sentientium quasi *vitam*, id est, Animæ pabulum seu vehiculum immediatum: 2. Ideoque Animam calore plurimum gaudere; & ejus debito modo ordinati & moderati sensum esse *placidum*; Calorem scilicet Spirituum sentientium gaudere calore congruo objecti; & horum concursu fieri sensûs delectationem: 3. Et notandum est sensum doloris, *e. g.* vulneris aut morbi, vehementiorem esse quam sensus sanitatis: 4. Ideoque mera Caloris necessarii privatio in objecto, dolorosum potest excitare sensum in spiritibus: 5. Neque potest probari dari aliquid positivum in objectorum frigiditate quod hujus dolorosi sensus causa sit; cum ex mera Caloris privatione fieri possit: 6. Absentia autem tepiditatis non probat privationem totalem: Sicut enim in maximis noctis tenebris privatio luminis homini videtur esse totalis, quia lumine necessario orbati nostri oculi nihil cernunt; cum tamen privatio *totalis* non sit. (Bubones enim & Feles vident; non autem sine lumine) ita etiam ante frigoris sensum molestum caloris absentia *videtur* esse *totalis*, quia calor aut tepor non *sentitur*; Reverâ autem Caloris gradus aliquis adest, donec frigus fit maximum: Et unius Cutis frigus sentit molestum, ubi alterius nullum sentit. Quamvis autem Caloris privationihil est, *dolor* tamen ex spritibus malè affectis hinc ortus, non nihil est.

72. *Quies* Motui contraria quidem rei quiescentis *Modus* est, & *Motus* itidem ejus *Modus* est: At *Motus* est Modus *positivus*; *Quies* autem seu *Non-moveri* est modus negativus: De quo statim plura.

73. Humiditas nil aliud sonat quam aquositatem: Et Aquam dicere humidam, idem est, quod Aquam dicere Aquam: *Siccitas* autem nil aliud est quàm negatio humiditatis.

74. De Globis eorumque incolis & appendicibus, de eorum Systematibus, eorumque unione, quâ unicus fit Mundus; de mixtorum generatione & corruptione; & cæteris ad physicam pertinentibus, hic copiosè disserere, aut Tabulam hanc distinctiùs explicare, non est animus in Tractatu scilicet Theologico, ubi de physicis aut obiter aut breviter agendum est, ob Genes. cap. 1. & Creationis explicationem: Pauca solum contra neotericorum quorundam errores de *Motu* adjicienda putavi.

Virtutum activarum ignoratio & negatio Epicureos alioſque Philosophos novatores in multiplices errores præcipitârunt: Et doctrinam de Motu & ejus effectis, Cartesiani inde precariis quamplurimis assertionibus, & turpissimis hallucinationis maculis fœdarunt.

75. Non dicimus Potentias hasce seu Virtutes formales è *Potentia Materiæ* eductas esse; sed ex Creatoris Voluntate & benedictione, esse principia activa & generativa, & substantias spirituales & activas cum suis virtutibus formalibus, se ipsis corporibus quasi communicare, & in illa operari.

76. De Anima humana, & animorum generatione seu creatione, postmodo dicendum est: Hoc solùm de ejus definitione jam addendum judico, Qui, *Quid sit Anima humana*? Solliciti quærunt, & in hac descriptione non acquiescunt, Quod

[*Spiritus est, Virtute unâ-trinâ formali, præditus, scilicet, Vitali-Activâ, Intellectivâ, Volitivâ*] (& dum *Anima* sit seu *Pars compositi, per unionem corpus Organicum animans,*) hi vel dicta non intelligunt, vel sensibus ita sunt mancipati & sensibilibus immersi, ut nil sibi scitum esse judicant, quod non est aut visum aut aliter sensatum, aut sub corporis aut sensati similitudine imaginatum.

77. Qui mirandam *sentiendi* facultatem vilipendunt, & Animas brutorum nil nisi temperamentum evanidum esse autumant, ad sui & aliorum deceptionem de Animæ humanæ Naturâ & Immortalitate, hisce falsis conceptibus viam sternunt.

78. Anima bruti substantia est, eaque verè nobilis & spiritualis, virtute formali Una-trinâ, (*Vitali-activâ, Perceptivâ, Appetitivâ*) prædita: Substantia autem nulla, quantum nobis liquet, annihilatur: Utrum verò post mortem sit *individua*, an individuationem deponendo cum Anima universali aliquâ (aut *mundi*, aut hujus *Systematis*, aut *Globi alicujus*) unita sit, otiosi & nimis audacis ingenii est disputare, cum talia non revelata necessariò nobis sint ignota.

79. Sin autem *individua* post mortem non sit, non ideo aut otiosa, dormitans, aut minùs nobilis æstimanda est: Pars enim animæ universalis parem etiam ejus operis partem præstat. Sicut arboris anima tempore æstivo fructus ejus omnes individuos quasi partes sui animat; quando autem eos ad maturitatem perduxit, se subducit, & cadere eos sinit; subducta tamen *arborem* animare non desinit, quamvis *fructus* non animat. Et sicut ignis Candelæ extinctæ ignis communioris adhuc pars est, quo Aer est ignitus & illuminatus; ita si poneretur cum Philosophis quibusdam Animas brutorum esse partes Animæ Telluris, aut Lunæ, aut Solis, *partem* operis ejus præstarent.

80. Quod autumasse videtur Augustinus de Animabus humanis, scil. nec solùm *unicam* esse nec solùm *plures*, sed & *unam* (communem) & *plures*, id tutiùs multò de *Animabus brutorum* à *quibusdam conjicitur*; scilicet, sicut ignis *Candelæ simul* ignis *aeris communis* est *pars unita*; & sicut principium vegetativum uniuscujusq; folii & fructûs immaturi est pars formæ seu animæ ipsius *arboris*, ita animas brutorum simul *Animæ cujusdam communis partem* hi opinantur.

81. Qui *Partem Animæ communis* audire non ferunt, ne Animæ fiant corporeæ, dum *Partibiles* dictæ sunt, hisce pauca hæc propono pensitanda: 1. Etiam rei impartibilis conceptus inadæquatus seu partialis objectivus, dicitur *Pars intelligibilis*. Sicut facultates Activa, Intellectiva, Volitiva, dicuntur Animæ partes; & *Pars* animæ dicitur esse in pede, pars in manu, pars in ventre, *&c.* quia tota ibi non totaliter operatur. 2. Quandoquidem Anima, ut *corporis forma*, in partibus corporis diversis per totum diversimode operatur, à corporis pariter partibilitate conceptus animæ analogicos, quamvis non formales, formare licet. 3. Quædam ex partibus per Potentiam Divinam separabilibus constant, quæ tamen ex rerum ipsarum naturâ tenaciter adeo adunata cohærent, ut per causas nullas naturales inferiores separari possunt; neque expectanda est separatio, quamvis Deo possibilis sit, ubi rei partes naturaliter inseparabiles sunt, per operationes scilicet aliquas ordinatas naturales. 4. Patres Græci plerique & Latini antiquiores non pauci Animas ex *materia* tali spirituali esse opinati sunt, quæ per Potentiam Divinam partiri possit. 5. Diutiùs & summâ subtilitate & industriâ à pluribus sudatum est, ut *substantia Spirituum infima, à Materia Corporea subtilissima & purissima, ante differentias formales*, intelligibiliter distingueretur; (non ex differentia graduali aut formali, sed) ex *non-extensione molis, indivisibilitate, &c.* Utinam verò Brutistis & Sadducæis magis dubitandi ansam non præbeant, dum illud minime præstent quod præstandum in se recipiunt, & rem tanti ponderis post magnos conatus, ausus & promissa, minime intelligibilia aut probata relinquant: Mihi quidem sufficit, (dum aliorum ausibus nihil oppono, nec contradico) ex *Virtute-Formali in substantia Purissima fundata* (sine compositione) *Spiritum* à *Materia* passiva distinguere: Qui plus præstare potest, præstet. 6. Et qui *Quantitatem* omnem corporibus esse propriam volunt, videant ne aut *numerum* animarum negent, aut sibimet contradicant: *Quantitas discreta* enim, id est, numerus, est *Quantitas*, & ejusdem Prædicamenti cujus est *Quantitas continua.* Juxta omnes autem fere

datur

datur *numerus animarum*; & Petri, Johannis, Judæ, Abelis & Caini animæ *diversæ* sunt; *Angelorum* etiam datur *numerus:* Infiniti autem non est numerus: *Finitum* autem omne ex limitatione suæ essentiæ *finitum* dicitur. 7. Et si *plures numero* sint Animæ, quis probandum in se recipiet, non posse Deum has *plures* facere *unam*? Et qui *unam* facere potest ex *pluribus uniendo*, quis probabit eum non *plures* iterum easdem reddere posse, *dividendo*? Et si *possibile* hoc sit, *Spiritus* per Potentiam Divinam est *divisibilis*. Dictorum summa & scopus est, ne incerta & omnino incognita asserendo, & res maximi ponderis super hisce arenosis fundando, necessaria & certissima perdamus & pessundemus, & Religionis fundamenta subruamus: Et si hisce Gassendus & Hobbesius Somatistæ contenti essent dum *larvas contundere satagunt*, non esset quod litem ipsis moveremus. Ex *formis* est *specificatio*; & ex *formis denominatio:* Et proculdubio Spiritus cum Corporibus in *Genere aliquo* conveniunt (aut *Substantiæ* aut saltem *Entis.*) Ex *formis* igitur (saltem præcipuè) distinguendi sunt. Non nego tamen ipsas substantias Spirituum & Corporum puritate quadam ab invicem differre, cujus conceptum propriè verum nos habere non possumus, & de qua igitur disputandum non est; De hoc autem jam alibi plura dicta sunt.

82. Probabile saltem est, Potentias Activas (Animam, scilicet, & Ignem) *semper Agere*, quamvis non semper efficiant ad extra, aut effectus non sentitur & nobis non innotescit. Ignis in *flamma* rem inflammabilem & mobilem movendo percipitur in effectis: In *Silice* verò agit, sed in materiam non inflammabilem nec adeo mobilem; ideoque per effectum ejus actus non percipitur; sicut neque Actus manus dum rem immobilem movere conatur.

83. Omnia *Elementa Passiva* æquè (in natura sua simplici) Virtutis *Activæ*, *Luminis*, & *Caloris* sunt expertia: Non autem omnia influxus earum æquè incapacia.

84. Causa *motus Gravium descendentium* quamvis sub conjecturis aliquibus cadit Verisimilibus, non tamen certò mortalibus dignoscitur: Hoc tamen patet, quia Motus eorum est tantum ad *statum Quietis*, igitur *Naturam* eorum esse *Quiescentem*, non autem *Moventem*; & Motum hunc esse fugam à Motu; & fortasse esse à Causis, (Elementis tribus passivis) extrinsecis. Undecunque autem sit, est *Motus* tantum *Aggregativus*, quâ partes separatæ tendunt ad totum, & *Unitatis* & *Quietis* gratiâ.

85. Turpissime hallucinari videntur quidam Neoterici, qui dicunt, *Quietem non esse motus negationem tantùm, Verùm non minus Actionis esse in Quiete, quam in Motu, neque minore potestate, Virtute, aut Vi opus esse ad Quietem seu non agendum, quam ad Motum.* Neque citò id credendum est, quod experientiæ & communi hominum sensui ita contradicit. Videmus scilicet quod ignobiliora cuncta maximè vis moventis expertia; & quod Vitales & nobiliores tantum naturæ vi motivâ præditæ sunt; Potentias quidem *Naturaliter Activas, frænare*, Potentiæ est: At quis credet non Majore Potentiâ opus esse ad Rupes & Tellurem movendas, quam ad earum quietem? Et ad lapidem projiciendum, quam ad non projiciendum? Et Solis & Globorum motum, non Majorem Potentiæ effectum esse quam non motum? Et Dei ipsius Omnipotentiam non magis apparere, in motibus naturalibus, vegetativis, sensitivis, rationalibus, solis, plantarum, brutorum, hominum, quam si nullus daretur motus in rerum natura? Nonne motûs, quam non-motûs mirabiliores & nobiliores sunt effectus? Alii autem Neoterici (non minus hallucinantes) dicunt, ad omnes sensibiles & cognoscibiles effectus, *Materiam* & *Motum*, sine forma seu Virtute movente (ut modestiores loquuntur, *Præter Deum*) sufficere. At effectus adeo mirabiles, qui à motu proveniunt, majore indigent Potentiâ seu Virtute ad suum esse & existere, quam nudum nihil. Fatemur quidem *ejusdem Omnipotentiæ* effecta esse, & Materiam passivam se non moventem, & Spiritus seu principia motiva: At non sunt Effectus ejusdem *præstantiæ* seu *Virtutis* in se; Nec inde sequitur *Motum* non magis *Aliquid* esse quam *non-motum.*

A. M. de Mot. pag. 4, 5, 6. Ita & Cartes. & nuper Antonius le Grand. O si equum aut servum talem haberem, qui semel motus, semper ad Motum æque propensus esset ac ad quietem!

86 Obj. *Si Quies dicenda est Cessatio à Motu, Motus item dici potest Cessatio à Quiete.* *Resp.*

Resp. Quies (sicut jam sumitur) non est Cessatio à motu, sed simpliciter, *Non-Motus*; & *mera Negatio* in Nomine & in Re: At si *Motum* dicis *Negationem Quietis*, ineptè rem positivam per vocem Negativam exprimis.

Pag. 6. ib. Guil Camerarius Scotus Sel. Disp. Phil. par. 2. qu. 24. p. 157. Experientia patet Motum localem non producere Motum localem: Ut cum quis aperta manu defert huc illuc lapidem: Non enim cernitur motus receptus in manu impellere ipsam manum ad novum motum. 2. Quia Motus localis est Ens successivum; in quo non est una pars simul cum alia: Quomodo ergo secunda producitur à prima quæ non est: nil effectivè dat esse alteri, quod non existit.

87 Obj. *Utrumque est quid Positivum*; viz. *Motus est status per quem Corpus locis pluribus successivè respondet*; seu, *Præsentia transiens*; aut *sequela præsentiarum diversarum in locis diversis: sicut Quies est status per quem corpus eidem loco semper correspondet*; seu *eadem Præsentia in eodem loco.*

Resp. Ineptissimæ hæ sunt definitiones, à decepto ad decipiendum adaptatæ: *Præsentia, & loco eidem* aut *diversis correspondentia* (ut loqueris) est tantum *Relatio* rei *Motæ*, vel non Motæ ad locum, vel ad aliud corpus. Quis sobrius autem putet hanc Relationem esse formaliter *Motum* aut *Quietem*?

88. Obj. *Rem præservare est eam continuò producere: Ergo eandem præsentiam*, seu *eundem rei quiescentis statum præservare, non minor potentiæ effectus est, quam rem movere.*

Resp. Rei Præservatio, & *statûs* Præservatio distinguendæ sunt. Ejusdem Omnipotentiæ effectum est præservare *rem moventem*, & *rem quiescentem*: Non autem eâdem indiget potentiâ (Rei ipsius conservatione suppositâ) conservare *statum Negativum* & *Positivum*, seu Rei *non-motum*, qui est Nihil, & rei *Motum*, qui est aliquid: *Nihil* enim non habet Causam.

89 Obj. *Quando rei præsentia in primo instanti producta est, non minore opus est potentiâ eam quasi de novo producere in secundo instante.*

Resp. Productio ipsius *Rei-quiescentis*, & in primo & in secundo instante, *Præsentiam* ejus sufficienter producit; At non ita de re mota: Productio *rei* non sufficit ad *Motum*, & præsentiam *mutatam*, sine *actione* etiam movente.

* Ita & Cartes. & Gassend. ut postea.

90 Obj * *Si res semel in motu posita est, in æternum movebitur nisi impediatur.*

Resp. Contra: Si Materia passiva simul moveatur, non amplius movebitur, quam Causatio vis moventis continuatur. Cessante enim Causâ cessat effectus: Neque possibile est Motum diutiùs protrahi, quam vis motiva operetur. Si Motus est *aliquid positivum*, necesse est ut habeat *Causam continuatam*: Si enim de *Quiete* dixisti (falso) opus esse *Causalitate quæ eam* (*in primo instanti productam*,) *producat etiam in secundo*, nonne tibi ipsi asserendum restat, opus esse Potentiâ, quæ Motum etiam producat in instante secundo? sine Causa continuata effectus nullus continuatur.

91 Obj. *Sicut res à quiete ad Motum non mutatur sine Causa, ita res à Motu ad Quietem etiam sine Causa non mutatur.*

Resp. Prior Mutatio fit *Efficientiâ*: secunda *deficientiâ*, seu *Causandi cessatione*, quæ non est *Causare*. Eâdem ratione dicere potuisses, [*Sicut à nihilo ad aliquid non fit transitus sine Creatione, vel Causatione; vel à Morte ad Vitam*, &c. *ita neq; ab aliquo ad nihil, vel à Vita ad Mortem.*] At negatur; quia in casu posteriore *Causandi cessatio* sufficiet.

92 Obj. *Concede tantum Motum inceptum, vel per unum momentum continuari, & inde probabo continuatum iri, nisi impediatur in æternum*, (sicut Vasquez *agnoscit.*)

Resp. Ne uno momento continuatur sine causationis continuatione: Cessante Causatione cessat Motus: Non datur enim Effectus sine Causa. *Non-Causari* sufficit ad Effecti *cessationem* sine impeditione positiva: Tantum *Motus Causatus*, quamdiu causatus, frænatione seu impeditione positivâ indiget, ad Causam scilicet resistendam.

Ib. p. 10.

93 Obj. *Causa finita potest Effectum producere in æternum duraturum.*

Resp. Principia per se nota negas: Daretur tunc Effectus, cessante causatione, id est, Effectus qui non est Effectus.

94 Obj. *Si Corpus in quiete pono, semper ita duraturum est, nisi ab alio mutetur.*

Resp.

Resp. Etiam: quia *Non-motus* est *nihil*, & *Motus* non potest produci sine Causa (supponitur Causa rem ipsam sustentans:) At si *Corpus in Motu* ponis, cessat Motus cessante Causa.

95 Obj. *Si figuram quandam in Cera faciam, me mortuo manebit donec per alium destruatur.*

Resp. Etiam; Quia figura illa nihil est, nisi locatio partium Ceræ in quiete; Ideoque non mutantur partes quiescentes sine Motu; neque Motus causatur sine opere potentiæ motivæ: sin autem lapidem, sagittam, &c. in *Motu* ponis, non ita cessante Causâ Motus continuatur.

96 Obj. *Lapis Motus in vacuo moveretur in æternum.*

Resp. Ne per momentum, cessante Causâ: Causatio Motûs projectorum ab ingenio humano ad satisfactionem non est investiganda (Tantilla captum Philosophorum superant!) At utrum sit *Vis impressa*, aut *Aer propellens*, aut *Ignea Vis* & in *projecto* & in *Aere* simul suscitato; aut quodcunque aliud sit, proculdubio cessante Causatione cessabit Effectus. Et manifesto decidit projectum, non tantum ob impedimenta Motûs (quæ eadem sunt in initio quæ in progressu) sed præcipuè ob languescentem vim motivam, & ob Causationis cessationem.

97. Dicendum est igitur, 1. Naturam seu Potentiam intrinsecam requiri *ad se movendum* (*e. g. animis* & *igni*) quæ in Materia merè passiva non invenitur; 2. Et ad migrationem seu motum passivorum, Potentiam Activam requiri in agente extrinseco, quæ ad Non-motum non requiritur.

98. At inquit Cartesius (Princip. Phil. p. 29.) *Non modo conatu nobis opus est ad movenda Corpora externa, sed sæpe etiam ad eorum motus sistendos.*

Resp. Scilicet, quia per potentiam nostrâ fortiorem moventur, vel saltem quam resistendo superare necesse habemus. Ad *quietem* autem rei *non motæ* vel per naturam suam activam vel per extrinsecum agens, nullâ opus est actione; cum ad Motum ejus actione opus sit.

99 Obj. Cartes. *Motus & quies nil aliud sunt, quam duo diversi corporum Modi.*

Resp. At *Motus* est modus *positivus* Causatione indigens; *Quies* seu *Non motus* est *Modus Negativus* Causâ nullâ indigens, propter se, quamvis *res quiescens* suam habeat Causam. Equidem captum meum superare fateor, quomodo Actio necessaria sit ad materiæ passivæ naturaliter quiescentis *Non-motum*, id est, *Actio necessaria* ne *agat res* ad agendum nunquam disposita vel mota: Multò magis quod non plus Actionis requiritur ad Motum, quam ad Non-motum, sicut Cart. ib. p. 29.

100. Cartesii fundamentum, [*quod ab Immutabilitate Divina sequitur eandem Motûs quantitatem* (ita *gradum* vocat) *semper in tota rerum universitate esse,*] gratis dictum, non probatum; & si daretur, nihil ad Causam est. Deus enim non operatur ut *ignis*, per modum meræ naturæ, ad ultimum posse; sed ad *Intellectus* & *liberi arbitrii* delectum. Neque mutabilis est si ea operatur post mundum conditum, quæ non operatus est ab æterno: Neque mundi æternitas vel à parte ante vel à parte post, ab immutabilitate Dei sequetur. Et quare mutatio motûs in *Universitate* magis Deum mutabilitatis reum perageret, quam mutatio motus in rebus *particularibus*? At id falsum quod oppugnamus est, *Deum solum* esse *Virtute Motivâ Naturali* præditum, & ita (quasi *Anima Mundi* esset) omnia movere *solum* per *seipsum*, & *nullam rebus Conditis Naturam Activam* seu *Virtutem* se & alia movendi communicasse; Quod Cart. quidem non asserit, quia *Animos humanos* esse concedit; at pag. 33. & passim hoc vel innuere vel supponere videtur, saltem quoad motum omnem naturalium. Non est opinandum totum Mundum esse *Corpus inanime passivum*, quibuscunque ex particulis subtilibus & diversæ figuræ conflatum; & Deum Viventem suæ Vitæ vel Potentiæ Activæ aliquid nulli omninò creaturarum concessisse: Sed sicut ipse omnia movet ut *Causa prima*, ita *Mundum Spirituum*, sive *Spiritus Virtute formali naturali Vitali Activâ præditos*, sub se constituit; qui sunt *Causæ secundæ Motûs* passivorum; & *Ignem ipsum* (non tantum Motu actuali, sed Vi naturali motivâ præditum) organum fecit

ad

ad motum inertis corporeæ molis, sive trium elementorum passivorum. Hypotheses igitur omnes quæ Virtutem hanc *formalem Activam* aut *Spirituum* aut *Ignis* negant, & ejus exercitium in movendis Corporibus, telas araneas sub nomine Philosophiæ nectunt, & lectores imperitos ludificant, dum opera Divina *explicare* satagunt, *partes nobilissimas negando*, & *effectus* per somnia exponunt, *Causarum principalium negatione.*

Pag. 33. Ita & Gassendus, li. 5. de projectis.

101. Prima Lex Naturalis Carteſii ex hoc fundamento falsa est; [*Unum quamque rem, quatenus est simplex & indivisa, manere quantum in se est in eodem semper statu, nec unquam mutari nisi à Causis extrinsecis---Ita si pars materiæ-- moveatur, nulla ratio est cur putemus ipsam unquam sua sponte, & à nullo alio impeditam, motum illum suum esse intermissuram.*

Resp. Sicut nullum Ens creatum manet in *Esse*, nisi per continuatam *essendi* causationem (Annihilatio enim non eget *Causâ*, sed tantum non-sustentatione existentium,) Ita *Motus* nullus diutiùs manebit, quam motûs *Causa* eum efficiet. Et Naturæ *Vitales* & *Activæ* (Spiritus & Ignis) sunt Causæ sub Deo inferiores: si materia igitur per Causas hasce moveatur, cessante causatione cessabit motus: Materia igitur passiva iners, quantum in se est, semper quiescit; & non movetur diutiùs quàm Vim motivam Causa activa in eam exercet. Naturæ quidem *Activæ* quantum in se est, *semper Agunt*; quia Agere ipsis naturale est: *Passiva* autem nisi vi vel impressione ab extra moveantur, non movent; & cessante impressione cessat motus. Neque fingendum est Deum, Angelos aut Animas, omnes motus passivorum semel inceptos æqualiter & necessariò continuare ad modum agentium merè naturalium; inde enim Hobbesii doctrina sequeretur, de actus uniuscujusque Necessitate; & cum libertate, omnis Moralitas, & Religio negaretur: Et Dei Regimen ejusdem plane generis esset, cujus est molæ motus per ventos, per aquam aut jumenta, aut navis in mari; & Legum operatio foret necessaria tantùm ut instrumenti *naturalis*: Cùm tamen quotidiè experimur rem aliter se habere; & corpora nostra non moveri sicut movetur lapis projectus vel sagitta; neque necessariò, neque æqualiter ex motu motum proportionaliter procurante; sed inæqualiter, & variabiliter, & inconstanter, prout à voluntate liberâ imperata sunt. Plurimas Carteſii precarias & erroneas de motu assertiones prætereo.

102. At periculosius adhuc est Commentum Gassendi, quod ["*Causis secundis* " *primum agendi principium est Atomorum varia mobilitas ingenita; non Incorpo-* " *rea aliqua substantia---& capere non licet quomodo si Incorporeum sit, ita applicari* " *Corpori valeat, ut illi impulsum imprimat; quando neque ipsum contingere, carens* " *ipsa tactu seu mole qua tangat, potest---Physicæ actiones Corporeæ cum sint,* " *nisi à principio Physico, Corporeoque elici non possint---Quod Anima autem humana* " *incorporea cum sit, & in ipsum tamen Corpus suum agat, motumque ipsi imprimat,* " *dicimus, Animam humanam, quâ est Intellectus seu Mens, atque adeo incorporea,* " *non elicere Actiones nisi Intellectuales, seu mentales & incorporeas: Et quum est* " *sentiens, Vegetans, præditaque vi corporum motrice, atque adeo corporea est, eli-* " *cere actiones corporeas, &c.---Captum omnem fugit ut quippiam aliud moveat si in* " *seipso immotum maneat.*] Hactenus Gassendus.

Resp. 1. Non quæritur quas actiones *Elicit* Mens humana, sed quas *causat per actus elicitos, imperando* facultatibus inferioribus. 2. Si Spiritus Corpora movere non possent, planè sequitur omnes nostras actiones Corporeas esse merè Naturales & necessarias, ideoque neque moraliter bonas vel malas (nisi nomen Moralitatis ad brutorum, ignis & aquæ actiones item applicaveris:) sequitur enim omnes nostras actiones *corporeas* esse sicut brutorum, neque per Voluntatis imperium, vel potentiam Animi Rationalis executivam causatas, neque sub Intellectûs regimine specificatas. Sin autem Animus humanus Intelligendo, Judicando, Volendo, Nolendo, Exequendo, nihil omninò agit in animam sensitivam, vel in membra Corporea, neque eorum actionum ullo modo est causa; Quare quæso in corpore talis Anima inutilis à Creatore sapientissimo posita est, & quare vel laudatur, vel vituperatur Animus ob actiones quascunque Corporeas? Et quare Homines magis quàm

quàm animalia bruta, ſub Legibus vivunt, ſub præceptis, comminationibus, exhortationibus, &c. & quare judicantur, puniuntur, aut præmiis donantur? Quare non æquè beſtiæ ad mores rectè formandos, & peccata devitanda erudiuntur? Quid enim homini prodeſt ad morum probitatem erudiri, ſi Mens erudita & Voluntas juſtiſſima, nullam habent corpus movendi poteſtatem? Anne Philoſophi iſtiuſmodi credunt præmium cœleſte, aut pœnam infernalem, aut animarum ullam Redemptionem per Chriſtum, Sanctificationem per Spiritum Sanctum, aut pravitatem per peccatum? aut animi rationalis tentationes per Diabolum, aut obligationem ullam per Rationem, ſenſus, appetitum, concupiſcentiam, iram, ſuperbiam, &c. frænandi; & ab homicidio, adulterio, aut ulla nequitia abſtinendi? Quare enim ego magis obligandus ſum ad *mei-ipſius* libidinem frænandum, quam *Papæ* aut alicujus alîus, cum Animus meus rationalis non majorem habeat potentiam mei-ipſius quàm alîus aut corpus movendi, aut cupidines frænandi? Duram quidem & ingratam provinciam hi ſcriptores, Lectoribus ſuis aſſignant, ut cenſendum neceſſe habeamus, ipſos aut adeo *Mentis inopes eſſe*, ut qui reverâ judicent, Deum Mente tali hominem informaſſe, quæ neque forma informans ſit, neque aſſiſtens, neque ullo modo Corpus aut Animam ſenſitivam poſſit movere, & talem reverâ eſſe in homine Mentem ſpiritualem incorpoream, aut adeo *malos* eſſe, ut qui non credant in homine eſſe *Animam ullam*, niſi *Corpoream*, ex atomis ſcilicet conflatam, & tamen hoc ſe credere hypocriticè fingant, ad odium frangendum, quia dogmata ſua lumen Naturæ, & Chriſtianis & Ethnicis ſobriis commune, ferre non poſſunt.

Neque per inſipida Gaſſendi Sophiſmata, imò inſomnia, unqàm ego inducar, ut credam, Mundum nobiliſſimum *Spirituum*, aut Intelligentias, Angelos, aut Dæmones, à Mundo Corporeo in tantum ſeparatos eſſe, aut adeo infeliciter impotentes eſſe, ut ne pilum quidem aut feſtucam omnes unitis viribus, movere poſſint ſcilicet *quia Corporeâ mole & tactu careant.* O quantum poteſt Gaſſendus in Corporibis movendis, præ maximo Angelorum! ſed proculdubio Gaſſendus non fuit Papiſta (quamvis inter Papiſtas Prælatus) utpote qui neque Angelos neque Dæmones aliquìd poſſe in res Corporeas credidit, ideoque Angelis neque confidere potuit, neque eos adorare.

103. At, inquit Gaſſendus, [*Per fidem tantum ſcitur Angelos aut Dæmones eſſe incorporeos; & fortaſſe illis Deus dedit corpora extraordinaria, quando corpora movere & in ea agere voluit.*]

Reſp. 1. Quod per *fidem* noſcitur, multo certiùs noſcitur, quam quod ipſe fingis à te demonſtrari. 2. At, quæſo, mi Gaſſende, quomodo Angeli illi & Dæmones ſua corpora *extraordinaria* movent, per quæ *alia* movent, ſi *nullum Corpus* movere poſſint? Apage Gaſſende cum tuis næniis: Ipſe tibi dabo honorem quem Hobbeſius noſtras tibi tribuit, ſicut nobis *Sorberius* tuus rem tradidit, [*Qui Heroem te nunquam majorem apparere pronunciabat, quàm in retundendis larvis, tenues in auras tam facilè diffugientibus, gladio imperviis, nec ictum clavæ excipientibus: Ita enim ſentiebat Vir Emunctæ Naris* (Hobbeſius infamis Infidelis) *de Meditationibus Carteſii & de illa Gaſſendi diſquiſitione*, &c.]

104 At parva ſunt hæc omnia præ conſequentia illa Atheiſtica: Si *Incorporeum non poteſt corpori impulſum imprimere aut movere* (quod aſſeris) tunc Deus ipſe (niſi Corporeum Deum fingas) hoc facere non poteſt: Et unde tunc motûs omnis Corporeorum ortus eſt? Cætera prætereo.

105. At, *inquis*, *De Deo alia ratio eſt, quoniam infinitæ virtutis cum ſit & ubique præſens, non ullo ſui motu, ſed nutu ſolo agere & movere quidlibet poteſt.*

Reſp. Si Deus, Spirituum Pater, Corpora movere poteſt, tunc ratio tua fallax & futilis eſt, quod Spiritus Corpora movere non poſſunt, quia ipſi non ſunt Corpora. Nonne ipſe inter ſcribendum hoc percepiſti? Nota quæſo tui-ipſius contradictionem. Vol. 1. pag. 337. [*Et certe captum omnem fugit, ut quippiam quantumvis ſit alteri præſens conjunctumque ipſum moveat, ſi in ſeipſo immotum maneat---Itaque neceſſe omnino videtur ut cum in ſerie moventium, quorum moventur alia ab aliis, procedi in infinitum non poſsit, perveniatur ad unum primum* [*non quod*

immotum moveat, sed quod ipsum per se moveatur.] Quare igitur Deum excepisti? Anne Deus est hoc *Unum primum* quod ipsum movetur? scilicet *Corpus motum à seipso?* Aut adhuc eum exceptum esse velis?

106. At, inquis, *Unum omninò supponere par est*, viz. *Quantacunque fuit atomis mobilitas ingenita, tantam constanter perseverare.*

Resp. Concedatur, si de mobilitate passiva hoc intelligeres: At quæstio est de *Vi Movente* sine quâ mobilissima passiva non moventur.

107. Et proculdubio de hac loqueris cum dicis, [*Atomos à motu impediri posse, non autem à Conatu se movendi---Et Non Motus, sed Impetus ab initio perseverat, vel nisus perpetuus*] lib. 5. c. 2. Per quæ & Cartesiana & tua distruis. Non igitur idem gradus motus semper perseverat. Et motus impeditus & cessans ex *Nisu* isto iterum renovari potest. Et *quid*, & *unde* est iste *Nisus*? Si tantum à *Deo* Corpora impellente, tunc 1. Aut Deum fingis esse *Corpus se semper movens* & *alia*; aut Spiritum Corpora movere agnoscis: Si prius, Unde Deus se semper movit? Non ex ficta sua Corporeitate, quia Corpus est *passivum*, & se movere non potest. 2. Si Conatum illum velis esse à *Virtute aliqua movente*, Corpori moto, Naturali, non tantum Causam perdis, sed easdem Virtutes *corporibus passivis* cum Campanella & Clarisſ. Glissonio nostro tribuis, quas nos *spiritibus* & *naturis activis.* Et motum ab immotu per vim suam ingenitam oriri concedis. Sed tecum diutiùs immorari non licet. Ne Gassendo autem vel Hobbesio sim iniquus, hoc addo, Quamvis malè loquantur, si tamen hoc sentiant, *solam Virtutem*, seu *Vim activam* sine *substantialitate* fundamentali non esse Dei aut Spiritûs conceptum adæquatum, sed omnem Virtutem seu Vim esse *substantiæ* Virtutem aut Vim; & non solùm ipsam dici *Substantiam relativè*; si porrò per *Corpus* & *Materiam* idem volunt quod Tertullianus, & quod Patres non pauci per nomen *Substantiæ*, per Puritatem inenarrabilem Spirituum à Corporibus crassis passivorum discriminatæ, si denique Spirituum *Vim* seu *Virtutem Vitalem Essentialem formalem* agnoscant, Mitiorem tunc de illis censuram esse volo.

108. Non ineptè (quamvis Metaphoricè) dicit Marsil. Ficinus cum suis Platonicis (in Comment. & arg. in Plat. Conviv. de Amore Orat. 2. c. 3.) [*Centrum omnium Deum esse: Circulos quatuor circa id assiduè revolvi:* scilicet MENTEM, ANIMAM (sensitivam,) NATURAM (ignem,) MATERIAM: MENS *stabilis circulus: Anima per se Mobilis: Natura Mobilis in alio, non ab alio: Materia ab alio & in alio Mobilis.*]

109. *Actus Spiritus immaterialis* non est propriè *Motus localis*, aut *migratio* à *loco* in *locum.*

110. Datur *Inane*, seu *Vacuum*; Quia datur *Nihil.* Mundus enim non est Infinitus: Ultra Mundum igitur præter Deum nihil est: Per Vacuum autem non intelligimus absentiam *Dei* aut *Spirituum*, sed *Corporum.*

111. Datur etiam *Vacuum* Corporibus *interspersum*, (nisi Corporum sit penetratio) Aliter enim motus non esset possibilis, nisi ab ultimo Mundi termino Corporum motorum cessio inciperet: aut saltem nullus Motus particularium, sed tantum universitatis simul; nedum motus diversorum diversi & contrarii: Corpus enim aliquod contiguum prius cedere necesse habet, & locum suum deserere, antequam aliud Corpus ejus locum occupare potest. Neque capere equidem possum quomodo vel *Materia* Cartesii *subtilis*, vel *Globuli ætherei*, vel emitti, vel transmitti, vel remitti possunt, in perfecte pleno. Quomodo suos angulos amisêrunt Globuli ætherei in pleno ubi omnia perfectè fuêre contigua? Et quomodo Materia subtilis pertransit Globulos, cum spatium omne eâdem materiâ subtili jam plenum sit, nisi seipsam penetret? Omnis autem motus non est circularis (quo nodum ille solvere conatur:) neque motus omnis circularis æqualis & universalis: Pars enim sine toto, vel parte aliâ celeriùs moveri non potest in pleno.

112. Neque capere possum quomodo aliqua in Mundo sint Individua, quin omnia Corporea sint compositione saltem Unum: Quid enim diversificat, ubi perfecta est contiguitas? Non partium differentia qualitativa: Hæc enim in eodem individuo invenitur.

113. Neque

113. Neque intelligo quomodo ulla poteſt eſſe, quam fingunt, partium differentia: Aut mole, aut figurâ; Aut atomi ullæ, aut Globuli, aut hamuli, aut materia ſubtilis. Ubi enim perfecta contiguitas eſt, ſine ulla vacuitate, ibi Unitas; Ideoque nulla partium figurarum varietas. Sicut non ſunt Atomi, quæ angulos habent, quæ eradi poſſunt (Eraſio enim illa eſt diminutio, quæ Atomis non obvenit;) Ita ubi nulla eſt diſtantia, nulla realis partitio, ibi nulla poteſt eſſe figurarum partium diverſitas. Imaginariæ fateor Partes eſſe poſſunt; & ita imaginaria figurarum diverſitas, & partitionis talis poſſibilitas. At de Mundo exteriore, non de Mundo imaginario in Cerebro inquirimus: Neque quid eſſe *poteſt*, vel *potuiſſet*, ſed *quid eſt*.

114. Neque adhuc intelligo quomodo ſine Vacuitate, aut rerum extenſione ad ſpatium non ante occupatum, Rarefactio ulla Corporum poteſt obvenire. Quomodo enim id *rarum* fit quod ſpatii plus non occupat, ſed tantum locum diverſum, aut cujus partes interpoſitam habent materiam tam intimè ipſis contiguam, quam fuêre partes jam diſtantiores?

115. Sophiſma luſorium eſt iſtud Carteſii Phil. par. 2. § 18. pag. 27. [*Si Deus auferat omne corpus quod in aliquo vaſe continetur, & nullum aliud ad ablati locum venire permittat, vaſis latera ſibi invicem hoc ſore contigua---ac manifeſtè repugnat ut diſtent, & tamen illa diſtantia ſit nihil, quia omnis diſtantia eſt modus extenſionis, & ideo ſine ſubſtantia extenſa eſſe non poteſt.*

Reſp. Tales ſcilicet ſunt *Claræ* Carteſii *perceptiones*, ſomnia nimirum audacter pronunciata: Ubi autem probatum dedit, *omnem diſtantiam eſſe modum Corporeæ extenſionis*? Quaſi cum adhuc nihil eſſet non potuit Deus ſubſtantias in nihilo ſeparatas creare! & quaſi manifeſta contradictio eſſet duo Corpora realiter ab invicem ſeparari, tertio nullo interpoſito! Et tamen materia ejus ſubtilis Globulorum diſtantias tranſire poteſt, & anguli Globulis fuêre motu eraſi, ubi nulla unquam fuit diſtantia, vel materiæ diverſitas, præter magnitudinis & figurarum diverſitatem, ideo impoſſibilem; quia omnimoda contiguitas Corporum homogeneorum facit unum idemque Corpus. Neque intelligo juxta doctrinam Carteſianam, an tempore nocturno ſubſtracto lumine, (imò vel Candelâ extinctâ) ſubtrahatur etiam ab Aere noſtro pars aliqua Materiæ ſubtilis: Et hâc ſubſtractâ quid locum ejus replet? Non Globuli ætherii; multò minus materia craſſior; Quia horum ſupponitur eſſe partialis quædam diſtantia, quæ à nihilo niſi materiâ ſubtili, qualis eſt ſolaris, repleri poſſit. Nonne igitur in tenebris datur vacuum, juxta ipſius negantis principia?

116. Gaſſendi deſcriptio ſpatii, *Spiritui* melius convenit, *viz.* [*Si quippiam ità extenſum eſt quoquoverſum, ut ipſius Partes concipi non poſſint à ſe invicem diſtrahi, neque eſſe capaces contactus & reſiſtentiæ, appellatur ſpatium.*]

117. Spatium eſt nihil reale à rebus locatis & ab Ente rationis diſtinctum: (niſi *Deum* vocabis ſpatium) ſed eſt *Diſtantia Corporum Realium*, aut *poſſibilium imaginatorum*, ut ſumitur *Relativè ad alia Corpora:* Ut *abſolutè* autem nomen ſumitur, merum nihil eſt. Quamvis verum eſt (nobis non cogitantibus) Corpora diſtare; Diſtantia tamen illa nihil *reale eſt*, quâ talis, ſed tantum *relatio Corporum diſtantium inter ſe, & capacitas* vel *poſſibilitas* in nihilo Corporis alius tantæ dimenſionis interlocandi. Sin autem reverâ diſtantia hæc jam aliis Corporibus repleatur, hoc ad *Diſtantiæ* notionem accedit. Finge tantùm duo Corpora in Nihilo ita ſeparata creari, ut tantæ dimenſionis corpus interponi poſſit, & res ipſa patebit, neque ulla omninò apparebit contradictio.

118. Eadem ferè de *Tempore* dicenda ſunt quæ de *ſpatio*; ideoque non repetenda. Gaſſendi igitur hæc duo *prædicamenta realium* in nihilum evaneſcunt.

119. Certiſſimum eſt, experientiâ abundantiſſimâ teſte, in unaquaque operum Divinorum parte, quamplurima eſſe mortalibus inſcrutabilia; & nolle Deum artificii ſui myſteria nobis aperire; Quia ſcilicet ipſi nunquam fuit in mente, nos homunculos *Creatores* aut Naturæ Gubernatores facere; ideoque nec in arte ſua inſtruendos. Quæcunque ad nos pertinent ſufficienter nobis patefacta ſunt: Alia verò ſecreta reſervantur. Horologii *uſum* emptorem docet automatarius; non item artem ſuam fabricandi aut emendandi.

120. Quamplurimis igitur erroribus mundum replent istiusmodi homines, qui patefacta à non-patefactis minimè discernentes, errare mallent, quam ignorantiam fateri, ubi inevitabiliter ignorare necesse habent: Et ita dum de ignotis garriunt, vel dum paucula vident, se omnia videre præsumunt; dumque omnia, inde naturæ phænomena se aperire ostentant, omninò nesciunt de quo loquuntur, & ex plurimorum ignoratione paucula nota malè locantur, & doctrinam erroribus fœdissimis scatentem, ut Philosophiam eximiam decipiendis obtrudunt. Quis autem sobrius unquam somniavit, se in Physicis non plurima ignorare? aut plurima ignorantem Phænomena vel omnia vel plurima posse sanè aperire? Nisi idem etiam somniet, se plurimis in unoquoque verbo literis omissis, verè tamen posse & legere & intelligere; aut Imaginis partibus plurimis & præcipuis nunquam spectatis, se totam tamen posse imaginari rectè & delineare; aut Arithmeticum sine literis numeralibus plerisque posse rectè numerare?

121. Hinc etiam errores particulares non cernenti, certissimum esse potest Cartesium errorum farraginis posuisse fundamenta, quando dicit (Phil. p. 2. § 64. pag. 45.) [*Nam planè profiteor me nullam aliam rerum corporearum materiam agnoscere quam illam omnimode divisibilem, figurabilem, & mobilem---Ac nihil planè in ipsa considerare præter istas divisiones, figuras & motus*---&c.] Quis autem credet, nullas alias materiæ qualitates esse, aut accidentia nulla Cartesio incognita? Aut tam multa ignoranti, in cæteris non solidè probatis, credendum esse?

122. Plurima proculdubiò de differentia, *e. g.* substantiali Spirituum & Corporum, de Corporum qualitatibus, de Elementorum passivorum differentiis, de natura gravitatis, de ratione motûs & descendentium & projectorum, de penetrabilitate, de ratione individuationis, *&c.* mortalibus ignota sunt; de quibus etsi modestè conjecturas quasdam facere liceat; non tamen conclusiones assertas, imò Systemata struere super istas ut præmissas & fundamenta quibus fidendum est.

123. Si Principia Cartesiana vera sint, si lapides & lutum satis subtiliter pulverizentur & moveantur, aut Sol fierent, aut Lux, aut Animæ; & Anima (sensitiva) aut Lux aut Sol per solam *incrassationem* fierent lapides aut lutum. Et quare non particulæ illæ omnes incrassantur, quæ per arctissimum contactum uniuntur?

124. Ex talibus item præmissis asserit (pag. 39. ib.) [*Corpora divisa in multas exiguas particulas, motibus à mutuo diversis agitatas, esse fluida: Ea verò quorum omnes particulæ juxta se mutuò quiescunt, esse dura.*] *Resp.* Quomodo autem potest probare aut aquam marmore inclusam, aut aerem in vesicâ, tam durum esse quàm ipse Marmor? aut etiam earum particulas non juxta se mutuo quiescere?

125. Subjicit Cart. [*Neque profecto ullum glutinum possumus excogitare quod particulas duorum Corporum firmius inter se conjungat, quam ipsarum quies*, &c? *Resp.* Quam multa sunt certissima in se quæ tu non potes excogitare? Qualitas Corporum glutinosa nobis ignota est. Nos lanam non æquè duram dicimus ac adamantem quamvis particuliæ quiescunt. Anne totus passivorum Mundus dum particulæ quiescunt inter se, ideo unus est? & nulla earum partium subordinata individuatio est? Quid autem de Sole & totâ Materiâ tuâ subtili dicendum est? Quia particulæ semper moventur, & nunquam mutuo inter se quiescunt, an ideo Sol non unus est & Individuus? aut tot sunt Soles quot Atomi subtiles, aut quodnam est gluten particularum nunquam quiescentium. At si vel Theologicè vel Platonicè magis saperes; & substantias spirituales cum Virtutibus suis formalibus magis agnosceres, principia individuationis rectiùs teneres.

126. At quando objicitur, Quare igitur non clavum ferreum aut aureum tam facilè manu dividimus quam Alcohol auri aut ferri impalpabile, si nullum sit præter quietem gluten? Ad *manum mollitiem* fugis? Quasi per forcipem aut Chirothecam ferream tu ferrum aut aurum aut saxa, sicut pulverem (æquè quiescentem) divellere & dispertire possis.

127. Sed tandem te, Carteſi, dimittendum puto, quando in mentem venit, te Copernici Hypothesin Tychonis clariorem esse judicare, [*adeo ut Tycho non habuerit occasionem illam mutandi, nisi quia non hypothesin tantum, sed ipsam rei Veritatem explicare*

explicare conabatur : Tuam autem te pro hypotheſi tantùm, non pro rei veritate haberi velle.] pag. 47. Et nil mirum ſi ex falſo falſum, & ex vero verum ſequatur. Quod tu modeſtus non pro vero venditas, ego cautus non pro vero recipiam. Et fateor me ſcripta illa non multi æſtimare, nedum avidè ſitire, quæ rei *Veritatem* aperire ne quidem præ ſe ferunt.

128. Natura Activa ſuperior operari poteſt in omnia inferiora at non contra.

129. Non ſequitur igitur Naturam *ſuperiorem* ejuſdem eſſe generis cum *inferiore*, quia *in eam operatur.*

130. Non ſequitur igitur *Animam* eſſe *Materialem* ſeu *Corpoream*, quia in *Materiam* operatur. *Deus* ipſe movet *Materiam*, & tamen non eſt *Materialis*. *Anima* Corpus & *Movet* & *Intelligit*, & *Vult* at non tamen eſt *Corpus*. Anima ſenſitiva & Movet, & ſentiendo percipit, & appetit, merè Vegetabilia & inanimata ; Attamen non eſt merum Vegetabile aut inanimatum.

131. Hinc patet argumentum illud Achilleum & unicum pro Animarum triplicitate in homine, eſſe Sophiſticum, *viz.* [*Operationes Immateriales & Materiales non ſunt ejuſdem Animæ : At in homine ſunt operationes materiales & immateriales.*] *Materia* enim neque eſt cauſa conſtitutiva *Agentis*, neque *Actus* qua Actus, id eſt, ſicut eſt *Agentis* ; ſed tantum eſt *Objectum* Actus, & inde cauſa conſtitutiva *Actus* qua *Paſſionis*, id eſt, quâ recipitur in Objecto, & ſpecificatur ex iſta receptione. Anima igitur Intellectiva, immortalis poteſt ita agere in *Materiam*, & actus habere ita materiales. Quæſtionem de pluralitate Animarum in homine non hic reſolvo ; ſed tantum argumentum hoc Sophiſticum retundo.

132. Ignis *Subſtantia* quâ *Subſtantia*, aut *Virtus*, quâ *Virtus* non videtur; ſed Ignis *Subſtantia* quatenus *Lucida*, (non *Virtute* tantùm, ſed & *Actu*) viſibilis eſt. Lumen enim eſt *primum Viſibile*, (vel, primum viſus objectum.)

133. Lumen ſimplex nobis nunquam viſum eſt, ſed aere mixtum. Neque enim per aeris poros penetrans ad oculos omnino ſimplex pervenit ; nec tamen aere veſtitum tantum ſe oſtendit, quaſi in ſe omninò diſtans & inviſibile ; ſed ſicut Vinum, Aquâ permixtum ejus partes diviſas ita permeat, ut nuſquam ſolum Vinum, aut ſolam Aquam videamus aut guſtemus ; & ſicut in Flamma, neque fumum videmus ſeparatum ab Igne, neque Ignis Lumen ſeparatum à fumo, ſed tantùm Ignem fumo permixtum, vel quaſi incorporatum ; ita non Lumen videmus ſimplex ſine Aere, neque Aerem ſine Lumine ; ſed Lumen Aere permixtum.

134 Aer igitur non tantùm Viſibilis eſt, ſed eſt *ſecundum Viſibile* ; Prius ſemper Viſibile quàm Corpora craſſiora : Neque terrena aliqua unquam videmus, niſi per Aerem illuminatum, ut medium. Lumen quippe nobis viſum, eſt *Aer accenſus*, vel tenuis quædam flamma, ex Igne & Aere conſiſtens. Et ſicut Aer non eſt Viſibilis niſi per Ignis Lumen, ita craſſiora non ſunt Viſibilia nobis niſi per Aerem illuminatum.

135. Si Ignis eſſet ſolus in vacuo, naturaliter ſemper Ageret, effundendo ſubſtantiam ſuam Motivam, Illuminativam, Calefactivam ; Nil tamen moveret, illuminaret, Calefaceret, quia deeſſet Receptivum.

136. Probabile eſt ipſam Ignis ſeu Solis *ſubſtantiam*, eouſque penetrare & pervadere, quouſque ejus Lumen aut Calor ſe extendit : Virtutem enim à Subſtantia ſeparatam, ſe communicare & extendere, non eſt exiſtimandum : Et quomodo Effectus diſtantes omninò & à Subſtantia & à Virtute cauſaret, intellectus noſter capere non poteſt.

137. Mirandæ igitur omninò naturæ & extenſionis Sol * eſt ; & quaſi Imago Divinæ Immenſitatis ; dum ab ejus centro ad nos uſque quaſi momento temporis

* Ignis (de imaginario illo Peripateticis ſub Lunæ concavo nil agimus) à Solis orbe, non à peculiari aliquâ ſphæra, indeſinenter fluens, & Mundi fons eſt effluentiſſimus, unicus in ſe, at in Lucis & Caloris radiis infinitus, tanquam agens primordiale, cunctas res producit, & maſculi vicem ſubiens cunctis ſeminibus & humori immixtus una cum ſpecifica unius cujuſque rei Idæa, generationi initium præbet, Globumque hunc ſublunarem colluſtrat, calefacit, vivificat, & cunctis Entibus accedente Aſtrorum influxu (coeleſtis roris inſtar pro cujuſque rei merito) virtutem infundit : Hinc multi Animam Mundi Ignem, & ejus Aerem ſpiritum, vehiculum ſtatuerint : Hermes eundem patrem vocat omnis Theleſm : Non eſt enim, teſte ſeniore Philoſopho, agens in mundo, niſi Calor: Quo ceſſante, ceſſat omnis & motus & actio: Hic vivificus lucidus & internus Ignis, uniuſcujuſque corporis organa è mundi ſemine, ovo, corruptibilive materia excitat, fabrefacitque; Qui dum liber eſt lucet ; Coactus autem condenſatus, & rebus conjunctus ad mundi uſque finem in eis operatur. Claud. Deodat. Panth. Hygiaſtici, lib. 2. p. 40.

tranſire

transire potest, & per omnes Mundi plagas se extendere, & ad omnium oculos illuminandos sufficere, &c. Et quando quidem à terra impeditus, quasi sistitur, & reflectitur, quousque ultra se extenderet, si nulla ipsi opposita esset impeditio, mortalium nemo potest determinare.

138. De cæteris sub Tabulis sequentibus dicendum est. Quæ scilicet ad institutum nostrum Theologicum pertinent. Non enim Physicen totam scribendam molior; sed utilia seligenda duco, præcipuè de Anima humana. Cum Isidoro Pelusiota etenim dico, Lib. 2. Epist. 100. "Desine quæso ea scrutari, quæ nec comprehendi possunt; nec si possent magnum aliquod momentum ad virtutem afferre possent. Quid enim ad Virtutem allaturum est, siquis Solis cursum, & Lunæ orbem, & Stellarum situm, & Terræ figuram ac spatium inquirendum suscipiat, aliaque omnia quæ homines suo judicio sapientes & eruditi, curiosè indagantes, à veritate quidem & verâ sapientiâ exciderunt; in nugis autem & sermonum ineptiis vitam consumpserunt.

"Et inquit Theodoretus in Gen. 1. superfluas hujusmodi quæstiones existimo: "Nam quid juvabit nosse quando conditi sint Angeli, &c?

139. Et ut verum fateor, nisi hæreticorum, errantium, & Christiani nominis inimicorum subtilitas cum superbia, & sibi ipsis & plurimis aliis periculum strueret, & ad studia Philosophica (non omnes, sed) quosdam (utpote per accidens inde necessaria,) urgeret; simplices illos, & meros Theologos sacras literas solas fere callentes, easque planè & seriò prædicantes, & vitæ piæ exemplo greges præeuntes, ego plurimi quidem facerem, & ingeniis Philosophicis plerisque longè anteferrem.

140. At (proh miserandum Ecclesiæ statum!) si Philosophica negligentes, peritiâ nos omnes defensoriâ careamus, 1. Ingenia juvenilia Sciolorum, in rebus Philosophicis, vel leviter versata, passim exsiliunt, & ostentatione superbâ, suas nugas, quasi pretiosas & ante inauditas veritates venditant, & perversa prædicando, sibi discipulorum catervas colligunt. 2. Hæretici etiam & omnes veritatis oppugnatores, quasi irresistibiles triumphant. 3. Et Infideles ipsi & Athei suis subtilitatibus irretiti, contra Religionem Christianorum, & Immortalitatis fidem, obdurantur; & nisi adsit aliquis in rebus etiam Philosophicis, saltem æquè versatus, veritatis Gloria & animarum salus & honor Ecclesiæ, Satanæ & mendacibus ejus servis, erunt prodita.

141. Et nihil quidem inter opera Divina scrutabile est, quod idem summâ studiorum industriâ dignum non est. Deus ipse enim in omnibus suis operibus se nobis quasi in speculo spectandum præbet: Magna quidem & pulchra sunt omnia ejus opera, & admiratione & voluptate ab omnibus Deo studentissimis debito ordine investiganda: Neque ideo verbum magis intelligibile & perspicuum nobis protulit Redemptor, ut Verbum visibile Creatoris seu Naturæ signa, inde susque deque haberemus: Sed Redemptoris opus est, & Creatorem clariùs revelare, & per *librum Scripturæ* nos docere *libri* Naturæ veriorem & expositionem & usum: Imò præter *Scripturam*, etiam *Luminis* & doctrinæ *Naturalis* per media Naturalia Christus Lux Mundi propagator est; Eorum scilicet Magister qui eum minimè nôrunt; utpote cui omnia in Cœlo & Terris jam tradita sunt, & qui super omnia caput est Ecclesiæ.

142. At vita brevis, & doctrina longa est, & inter discenda magnum est discrimen; quoad usum & necessitatem. Ideoque sapientiæ pars minima non est, res maximas & maximè necessarias primâ & maximâ diligentiâ studendas eligere; & potiùs plurima Philosophica ignorare, quam vel unicum fidei articulum: Et omnibus Naturalibus ita solùm studere, ut Dei Gloriæ & saluti animarum, & bono publico, ut media verè adaptata, ea subserviant; & omnia sanctificentur, ad sanctitatem & salutem nostram promovendum.

143. Et quamvis ex S. Scripturæ brevitate in rebus Physicis tractandis, colligere non licet, non debere nos de talibus copiosiùs disserere, (quia Revelationum supernaturalium tabulæ consignatæ, scientiam Naturalem ex mediis Naturalibus quærendam præsupponunt,) Tamen hoc non diffitendum est, S. Scripturæ prolixitatem,

lixitatem, diligentiam & vehementiam in rebus fidei & ſanctitatis explicandis & urgendis, nos etiam in rebus ſacris, & de ſalute animarum, ſupra omnia & ſerios & diligentes eſſe docere; & longè plurimas & cogitationes & horas in hæc eximia & ſummè neceſſaria eſſe impendendas.

144 Cætera igitur hic præteriens, in ſequentibus ea quæ ad *Animæ* naturam explicandam pertinent, tractabo; De quibus ſi prolixior videar ſcio hoc Lectores illos mihi ignoſcituros, qui, quantum ad res fidei & Religionis hæc Phyſicæ pars pertineat, intelligunt.

145. De reliquis autem Philoſophiæ apicibus hoc ſolum hic addendum duco; *Omnes ſcientias* ad duas debere reduci; *Realem* ſeu ὀντολογίαν, & *Organicam* ſeu *Verbalem*; quæ ſunt quaſi *Anima* & *Corpus*, ſeu *Corpus* & *Umbra:* Et *Verba rebus aptare* eſt optimi Magiſtri, & ſummæ peritiæ & utilitatis opus: Verba ſcire, rebus ignoratis, eſt *Patinam* habere ſine cibis: Hic autem non *Verborum* ſed *Rerum* tibi ſummulam in Schemate antecedente exhibere conatus ſum: At ſi *verba rebus* hic mediocriter adaptavi, etiam *Scientiæ Organicæ* hinc luminis nonnihil orietur: Et Schema hoc ideo eatenus *Logicum* erit, quia *Ontologicum:* Quamvis ut verum fatear, Prædicamentorum & notionum Logicarum ineptitudo & confuſio vulgaris, animum jam diu ad accuratiùs aliquid tentandum ſtimulavit, ſed frænante temporis penuria, & mordaces ingratorum cenſuræ deterrent.

Cap. V. *De Homine.*

HOMO eſt MENS INCARNATA: vel Animal Intellectuale: Cujus conſideranda ſunt,

I. PRINCIPIA in ſe: Quæ ſunt,

- I. ACTIVA, *viz.*
  - I. Natura MENTALIS,
    - Quæ eſt
      - 1. Quoad Materiam Metaphyſicam fundamentaliter { Subſtantia, Puriſſima, vel Spiritus,
      - 2. Quoad formam VIRTUS Eſſentialis; *viz.* { 1. Virtus Vitalis Activiſſima: 2. Intellectus: 3. Voluntas:
        - Quæ ſunt
          - 1. In Virtute Radicaliter; Quæ eſt { 1. Potentia { 1. Ad Robur, *viz.* { 1. Promptitudinem. 2. Fortitudinem. 3. Conſtantiam. 2. Inclinata { 2. Sapientiam. 3. Amorem. 3. Habituata
          - 2. In Actu Immanente objectivè; *viz.* In Actu { 1. Vitali, 2. Conſcientiâ (vel ſui perceptione.) 3. Amore ſui.
          - 3. In Actione Tranſeunte. { 1. Objectivè { 1. Ad ſuperiora. 2. Ad inferiora. 2. Effectivè, ad extra, Regendo inferiora.
  - II. Natura ANIMALIS ſenſitiva: Quæ formaliter eſt { VIRTUS { 1. Activior, 2. Apprehenſiva ſenſitiva, 3. Appetitiva ſenſitiva: Quæ ſunt
    - 1. In ipſâ Virtute, radicaliter.
    - 2. In Actu: Qui eſt { 1. Vitalis. 2. Senſus ſui. 3. Amor ſui.
    - 3. In Actione,

    Viz. { 1. Sentire appetenda (& nociva.) 2. Appetere congrua: (& odiſſe nociva.) 3. Quærere & uti appetitis, } *Viz.* { 1. Ad bonum individui; 2. Ad propagationem ſpeciei; 3. Ad uſum Rationis, } ſub regimine Mentis.
  - III. Natura IGNEA Vegetativa:
    - Quæ eſt
      - 1. Subſtantia Pura.
      - 2. Formaliter VIRTUS, *viz.* { 1. Activa, 2. Diſcretiva, 3. Appetitiva,
        - Movens. { 1. Ad Operationes Vitales, 2. Ad Generationem, 3. In ſubſidium ſenſûs,
        - Lucida.
        - Calida.

        } In Naturam Paſſivam, Vires exerendo: Et Animæ ſubſerviendo.

II. PASSIVA:

II. PASSIVA: Quæ considerantur,

I. In prima differentia & Receptivitate Elementari: Et sunt
1. AER, Conjux Ignis.
2. AQUA, Conjux Aeris.
3. TERRA, Conjux Aquæ.

II. In compositione: ubi sunt

1. Partes similares; *viz.*
1. Primæ compositionis: AER Ignitus: SPIRITUS.
2. Secundæ compositionis Humores, Spirituosi, *viz.*
1. Perfectè: Oleum spermaticum; Nervorum, masculinum.
2. Minus perfectè: Sanguis, & lympha spirituosior.
3. Imperfectè: Chylus, cum Bile & fermentis instrumentalibus.
3. Tertiæ compositionis, *viz.*
1. Vasa; 1. Venæ, 2. Arteriæ, 3. Nervi.
2. Partes; Coagulatæ Glandulæ: Parenchymata, Caro, Membrana, Cutis, Ossa, Cartilago, Fibræ, *&c.*

2. Dissimilares, magis compositæ: *viz.*
1. Primi Ordinis (post musculos)
1. Viscera Vitalia: Cor, Pulmones, cum Diaphragmate.
2. Sensitiva: Cerebrum cum sensoriis, & spinali medullâ.
3. Naturalia: Ventriculus, Hepar, Lien, Intestina, *&c.*
2. Secundi ordinis, *viz.*
1. Regio Media, vel Thoracis, (ubi *Motus* incipit.)
2. Regio suprema; Caput; (ubi *Sensûs* sedes principalis.)
3. Regio infima: sub Diaphragmate: (ubi sedes *appetitus naturalis.*)
3. Tertii Ordinis: Membra executiva, & Habitus Corporis.

III. In Officiis & usu: & sunt Organa

I. Ignis, vegetativi immediatè, *viz.*
1. Activitatis,
1. In Agitatione Materiæ,
2. In Discretione utilis & noxii;
3. In Assimilatione Nutritiva, *viz.*
1. Partes Vitales,
2. Attrahentes, *&c.*
3. Concoquentes,
In alimentum triplex, *viz.*
1. Aerem.
2. Potum.
3. Cibum.
2. Luminis,
3. Caloris,

II. Animæ sensitivæ mediatè
1. Activitatis Vitalis.
2. Apprehensionis sensitivæ, *viz.*
1. Phantasticæ
2. Communis
3. Particularis
Quorum omnium organa sunt
1. Primaria *Spiritus Ignei.*
2. Secundaria, *Humores.*
3. Tertia, *Partes Officiales.*
3. Apppetitus sensitivi & Passionum.

III. Mentis, ut agentis primi; scilicet
1. Activitatis Vitalis
2. Intellectus
3. Voluntatis
1. Potentiæ,
2. Sapientiæ,
3. Amoris,
1. Naturaliter,
2. Directivè,
3. Imperativè, & Inclinativè,
1. Ad intra, propter se.
2. Ad extra; communicativè propter alios.
3. Ad supra, propter Deum

II. Ex hisce Principiis Compositi-totius Hominis:
1. Forma *Substantialis*, est MENS, REX substantia, suâ prædita etiam Formâ Virtuosâ.
2. *Relativa*, est Unio vel *Ordo* Regiminis, in composito; scilicet Mentis ad inferiora.

III. FINIS
1. Proximus: *Sui-ipsius Perfectio*,
1. In Virtute,
2. In Actu,
3. In Actione,
Ex Receptione à Deo, & in Reditu per Deum, ad Deum, & in Fruitione Dei.
2. Remotior: *Bonum Plurimorum*; Mundi; Ecclesiæ; utpote bono privato melius & amabilius.
3. Ultimatus: Deum scire, Amare, Glorificare & Ipsi-placere in æternum.

N. B. Motus humanus est circularis, à *Deo*, per *Deum*, ad *Deum*; & ita facultates ad motum hujusmodi adaptantur, *viz.* 1. *Intellectus* est *primò Passivus* vel *Recipit* à *Deo*; 2. *Voluntas* recipit directionem ab *Intellectu*, & ad *Deum*, ut *Bonum*, *Amabilem*, *Finem* naturaliter tendit; 3. Et *Potentiam executricem*, ad *Bonum* hoc determinativè (oppositis spretis) *quærendum* & prosequendum voluntas imperando suscitat. Quæ tamen *Potentia* etiam *Intellectum* & *Voluntatem* ad *actum* in *genere* prius suscitavit, *Influxum Vitalem* à *Deo* semper Recipiens. Perfectissimo Artifici ex mirandis suis operibus sit Gloria.

Elucidationes Generaliores.

1. ALiqualis sui notitia est omnis quidem Intellectûs: Nihil enim certiùs scire possum, quam *me actu scire*, seu *cogitare* (dummodo *scire* quâ *scire*, non quâ *rectè scire*, objectum statuas.) Et per *Actus* etiam *Potentias*, *Inclinationes*, & *Habitus* nostros certè percipimus.

2. Prima veræ sapientiæ pars est, verè scire nosmetipsos. 1. Quia inde certò & finem & Officia nostra, pleraque colligimus: Qui verè novit quid sit Homo, novit

novit etiam vel ad noſcendum paratus eſt, quorſum eſt conditus? quo tendit? quid amare? quid ſperare? quid agere? oportet. 2. Quia in ſeipſo Dei Creatoris Imaginem inveniet? & in ſpeculo hoc Deum ipſum pro modulo noſtro hic videre, ſeu noſſe, neceſſe habemus. Et Deum plerique non norunt, quia ſeipſos non norunt.

3. Doctrina igitur de Homine, præcipuè de *Anima humana*, inter omnes Phyſicæ partes eſt maximè neceſſaria; & inter Theologiæ non tantum *præcognita*, ſed *partes* aliquatenus, numeranda eſt.

4. Plurima autem de Animarum ſubſtantia, de forma, de propagatione, de actibus & accidentibus, adeo ab ipſius Animæ notitiâ ſunt recondita, ut mortalium captum planè ſuperent.

Sicut autem ſapientiſſimus Creator, diſtinguendo, Naturam noſtram in tantum notam (ſi non notiſſimam) nobis fecit, in quantum ea notitia, officio & beneficio noſtro inſerviret, cætera verò noſtra, ut opificii ſui arcana, à nobis abſcondit; Ita ſapientiæ alumnos decet cautiſſimè hic diſtinguere, & utilem omnem & practicam naturæ noſtræ notitiam avidè ſitire, at ſpeculationes inutiles negligere, & abſcondita reverentiâ debitâ præterire. Plurimorum enim infælicium ingeniorum inde orta eſt ruina, quod dum nota & neceſſaria planè negligunt, aut ſenſualitate & vitiorum mole obruunt, & abſconditis inutilibus enixè ſtudent, idque ingenio ſuperbiente, caliginis ſuæ non ſatis conſcio, quando fruſtra ſe non-patefacta quæſiviſſe comperiunt, fatigati & deſperantes, de certis etiam & neceſſariis dubitant, & ipſam animorum immortalitatem negant: In tanta ſcilicet mala ſtultos, perverſus ſtudiorum ordo præcipitat.

6. Acerbè igitur nimis (ut paſſim) Ludov. Vivem reprehendit Jul. C. Scaliger Exerc. 307. n. 2. p. 878. quaſi verba proferentem iniquiſſima & ineptiſſima, *&c.* quia dixit [*Has facultates Deus potius ad uſum conceſſit, quam ad notitiam.*] Ipſius etenim *Vivis Liber de Anima* teſtis eſt, eum, illam notitiam minimè excludere quæ ad uſum verè pertinet, imò nullam quam poſſumus obtinere: Scientia autem omnis verè Chriſtiana & humana ad *praxin* adaptata eſt; & ſicut plurimi navibus fæliciter utuntur, qui navim fabricare neſciunt; & corpóris valetudine quotidiè utimur, dum nutritionis, ſenſûs, imò partium, motuum, *&c.* utplurimum ſumus ignari; Ita & Animarum Conditor, non tam arcana artificii ſui nobis voluit aperire, quam de debita ipſi obedientiâ & gratitudine nos inſtruere, & de fælicitate obtinenda nos dirigere. Inquiſitionis igitur ſobriæ, neque ſpes, neque diligentia, obtundenda eſt; ſed Ignorantia inevitabilis humiliter fatenda; & ſcientia inutilis, vel ſaltem impoſſibilis, aut nulla, ut neceſſaria & multa minimè mentienda eſt.

7. Cognitionis ſui-ipſius neceſſariæ, maximum impedimentum eſt ſtatus Naturæ humanæ vitiatus. Dum enim homines vitioſi naturam ſuam ad terrena tantum & corporea proclivem, ad ſpiritualia autem & cœleſtia ignavam, cæcam & nolentem percipiunt, hinc protinùs colligunt, hominem ad terreſtria tantùm fuiſſe conditum, & aſtutiæ tantum gradu brutis præcellere: Haud facile enim credunt id de Natura humana cujus contrarium in ſemetipſis radicatum inveniunt.

8. Sicut igitur vitiorum natura & uſus eſt, hominem ferè in beſtiam mutare, & quod ipſe Homo ſit, ignorantem facere; ita neceſſariæ huic ſui-ipſius cognitioni, maximum, gratia Divina, & virtuoſa animi rectitudo, præbent adjumentum.

9. Dum Antiquorum Eccleſiæ Doctorum plerique Animam vel *Corpus* eſſe vel *Materiam* aſſerunt, quod nunc hæreticum eſſe reputatur; fortaſſe, magis in nominibus quam in mentium conceptibus diſcordant: & patres illi per *Corpus* & *Materiam* intelligunt ὑσίαν ſeu *Materiam*, ut jam loquuntur, Metaphyſicam. Et reverâ (quicquid præ ſe ferunt præſumentes) diſcrimen inter corpora puriſſima (quale eſt Ignis æthereus) & ſpiritus infimos (niſi quod per actiones, in *formis* eſſe invenitur) vix clarè ſatis innoteſcit: Et qui ſubſtantias ſpirituales à materialibus per *penetrabilitatem* & *indiviſibilitatem* ſufficienter diſcernendas aſſerunt, præſumpta ferè & incognita loquuntur.

10. Multò minùs clarè mortales percipiunt, quomodo Spiritus à Spiritibus, præterquam per Virtutes formales, distinguuntur: Plurimorum enim de eorum specificatione, gradibus, actibus, &c. inscii sumus.

11. De Corpore & ejus partibus non est mihi animus vel plura vel accuratè dicere; cum Anatomiam elucidantes & novis inventis mirè promoventes, Authores ubique ferè suppetant.

12. Quamvis Spiritus & humores (sanguis & sperma) ab authoribus plerumq; Corporis *Partes* esse negantur, non tamen sine ratione mihi videor me *Partis* nomen hic largiore sensu usurpare; utpote qui mihi persuadere non possim, cuticulam aliquam magis ad Corporis integritatem pertinere, quam spiritus omnes & humores, sine quibus homo nec homo, nec animal, nec vivens est.

Cap. V. *Elucid. De Anima humana & actibus ejus, Theses Generales practicæ.*

1 QUemadmodum Deus Universitatem ex nihilo creando, per *Potentiam-Vitalem, Intellectum & Voluntatem*, Imaginem suæ *Omnipotentiæ, Sapientiæ, & Bonitatis* illi spectatissimè impressit; ita infrà Angelos, pars nulla nobis nota, Imagine Creatoris tam splendidè & luculentè donata est, quàm Microcosmus Homo.

2. Triplicem scilicèt Imaginem Divinam (sive Imaginis Divinæ partem) habebat Natura integra humana: I. Naturalem ESSENTIÆ: II. PERFECTIONIS: III. SUPEREMINENTIÆ Relativæ vel *Majestatis.*

3. Imago ESSENTIÆ *Divinæ* consistit, in *Unitate Substantiæ*, & in *triplici Virtute formali* (triplici scilicet vel *formalitate* vel *denominatione* ab *objectis* & *actibus*, etsi unicâ in se:) *viz.* In substantia una pura spirituali, est, 1. *Virtus-vitalis-activa*, 2. *Intellectus*, 3. *Voluntas:* Non ut accidentia in subjecto, sed ut *natura formalis*, quæ est *Principium* agendi.

4. Imago hæc est *Hominis Essentia*, & ideò *inseparabilis*, & in omni homine semper reperta; neque per ipsum peccatum aboletur.

5. Secundum hanc Imaginem quamvis Homo non fit Deus, neque attributorum incommunicabilium particeps, & ideò non *Ens-primum*, *Independens*, *Causa-prima*, vel *ultima finalis*, &c. Tamen *sub Deo*, quoad reliqua Creata, est sibi Principium Agendi, Intelligendi, Volendi; & in *Libertate* & *Potentiâ* suâ Imaginem quandam refert Deitatis, dum quasi *Causa prima* est secundum quid, sese *determinando* in actibus moralibus, id est, in actuum suorum *ordinatione.*

6. Naturalis hujus præstantiæ hominis, vel negatio vel obscuratio, sub prætextu humilitatis, pœnitentiæ aut peccatum & naturæ corruptionem aggravandi, est *Creatoris vituperatio*, & adversus ejus *Gloriam* (quæ finis Creaturæ est) injuria; & opus Diabolo, Calumniatori maligno, non pio alicui, congruum; & reverâ humiliationem quam prætendit, unà cum omni pietate, destruit: Qui enim *Naturam* ita deprimit, docet homines, eos non ad spiritualia & æterna fuisse Creatos, neque culpabilitèr peccare, non amando Creatorem, & æterna non quærendo, quia aliter facere non possunt; & ita hominem jam à Deo miserrimè delapsum adhuc magis dejiciunt; dumque Naturæ nobilitatem & potentias negant vel abscondunt, objecta item nobilia & sublimia detrahunt, & abscondunt; & quò brutis similiorem Naturam humanam quoad potentias describunt, eò efficaciùs vitam, brutorum similem, hominibus suadent; quasi dicerent [Edite, bibite, Cras moriemini: Quæ supra nos, nihil ad nos.]

7. Cum etiam Diaboli, potentiis naturalibus, fortasse mortalium sanctissimis præstent, hinc patet naturalium potentiarum præstantiam, non tantum cum peccatis turpissimis consistere, sed ea etiam aggravare.

8. II. PER-

8. II. PERFECTIONIS Divinæ *Imago Moralis* consistit in Animi *Sanctitate, viz.* * 1. In *Potentia, vivaci, promptâ, forti* ad Spiritualia. 2. in Spirituali *Sapientia* vel *lumine Intellectûs.* 3. In *Amore Spirituali* seu *Divino*, qui est *Bonitas Voluntatis.*

* Then With our Trinity of Light,
Motion and Heat let's take our flight,
Unto the place where thou
Before didst bow. G. Herbert Temple. The Star. pag. 66.

9. Imago vel Sanctitas hæc, non est aliquid post Creationem Naturæ superadditum; sed ipsius Creatæ Naturæ *Sanitas* vel *perfectio.* Et qui Deum fingunt *Naturam* in instanti primo *insanam* seu *non-sanctam* fabricâsse, & deindè in secundo instanti *sanam* & *sanctam* per Gratiam fecisse, cerebri vix sani mihi esse videntur.

10. Sanctæ igitur & sanæ facultatum dispositiones, quæ per Gratiam jam in fidelibus restaurantur, & *Habitus infusi* vocantur, in Adamo fuêre Naturales, non super-naturales; id est, per Creationem Natura ipsi sana & sancta est indita, etsi Naturæ hæc sanitas non sit *essentialis*, neque *inseparabilis.*

11. Quoniam in Logicis nomen [*Accidentis*] reverâ est ambiguum (& ineptè ab Aristotele in novem prædicamenta, loco sanioris divisionis, distribuitur) concedi potest quòd sensu laxiore hæc Sanctitas Originalis potest [*Accidens*] vocari: At non est quiddam ab extra Naturæ additum; sed *ipsa Natura* ut in statu integritatis & rectitudinis. (Neque omne quod ab *Essentia separari* potest, est *Accidens: Pars* enim *Integralis* ab *Essentia* potest separari; & tamen non est *Accidens:* Et quamvis *Spiritualium* non propriè sunt *Partes,* (quia *Spiritus* non est in *Partes* divisibilis :) *Gradus* tamen varii sunt *Virtutum* naturalium, & *Actuum* & *Actionum*, secundum quos distinguendi sunt Spiritus ferè sicut *materia per partes*; Et qui sensu tantùm laxiore [*Accidentia*] sunt dicendi: sed hæc obitèr & ad Logicos.

12. III. SUPEREMINENTIÆ Divinæ vel *Majestatis Imago* in homine est, illud quod nomine angusto nimis, à Theologis vocatur [*Dominium supra Creaturas inferiores:*] Et reverâ continet *Relationum trium* Divinarum ad Creaturas *Imaginem, viz.* 1. *Sub-domini* sumus inferiorum, & ea *possidere, uti* & *alterare* seu *disponere* possumus, jure hujus sub-dominii. 2. Eorum item sumus *sub-gubernatores*; & juxta *nostram Voluntatem* (ad Divinam subordinatè) hunc usum & dispositionem possumus jure ordinare. 3. Eorum item sumus *sub-Benefactores* (plurima enim sine providentia humana perirent) & *Fines*; (nostrî enim gratiâ & *sunt*, & *agunt*, & *patiuntur.*)

13. Sed jam ad *naturalia* aliquantùm retrospiciendum est, ut ad *Ordinem Essendi* & *Agendi* progrediamur. Non tantùm ex triplici Facultate vel Virtute Intellectuali antedicta, sed etiam ex triplici *Facultatum specie*, hominis natura activa consistit: Ex *Intellectivâ* scilicet, & *Sensitivâ* & *Vegetativâ.*

14. Utrùm triplex hoc *Principium Activum*, *tres facultates* ejusdem *Animæ* sint, an *tres Animæ*, an *duæ* facultates, (Intellectiva & Sensitiva) & duæ *Animæ* (*viz.* una has facultates *Intellectivam* & *Sensitivam* habens, altera, natura Ignea vel Ætherea, merè Vegetativa) &c. humanum, nî fallor, ingenium haud certò dijudicare potest. Quamvis unicam saltem esse animam sensitivam, & rationalem mihi maximè probabile videtur; quicquid de anima dicatur Vegetativâ.

15. Quando *Inanimata Substantiam* habent sine *Vita*, & *Vegetativa* insensata *vitam* habent sine *sensu*; Et *Animalia bruta sensum* item habent, sed sine Intellectione; Omnia hæc soli Homini donare Optimo Creatori placuit: *Substantiam* ipsi *dedit*, (& *Spiritualem*, & *Corpoream*) quæ *Virtutis* & *Perfectionum* sit quasi *Basis* vel *Subjectum*; & cætera antedicta quasi substantiæ hujus *facultates* vel *perfectiones.* Etsi enim *inferiorum* unumquodque sine superioribus constitutivè esse potest (ut *Substantia* sine Vita, & Vita sine *Sensu*, & *Sensus* sine *Intellectione*,) superiorum tamen nullum in terris potest sine inferiore inveniri: Vita scilicet sine *Substantia* non est, neque *Sensus* sine *Vita*, neque *Intellectio* sine *Sensu.*

Supremum igitur omnia ſupponit inferiora : (Etiam in cœlitibus eminenter.)

16. Sicut ad extra *Inanimata* ſunt *Animatis* inferiora; Et deinceps ; Et omnis natura inferior eſt quodammodo propter ſuperiorem ; Ita etiam in ipſo homine eodem ordine, cætera ſunt facultati Intellectuali inferiora: *Corpus* ſcilicet ejus (ſeu materia) eſt immediatè propter *Vitam*, & *Vita* propter *Senſum*, & *Senſus* propter *Intellectum* (ſeu Rationem.) Sicut igitur Intellectûs humani officium eſt, Senſitiva, Inſenſata & Inanimata ad *extra* diſponendo, utendo, agitando gubernare; ita etiam & ad *intra* ejus officium eſt facultatibus inferioribus imperare; & ad uſum ſuum quantum poteſt applicare, & ſenſationes regere, iiſque uti.

17. Eodem etiam ordine à Creatore ſapientiſſimo locati ſunt appetitus varii: Appetitus ſcilicet *Naturalis* ad *præſervationem Vitæ*, & ad *Uſum Senſûs* factus eſt: Appetitus autem *Senſitivus* ad *præſervationem Naturæ Senſitivæ*, & ad *Uſum* Naturæ *Intellectualis*, factus eſt; *viz.* ut occaſio vel medium quoddam ſit, objecta ſuperiora & Intelligendi & Volendi.

18. Per Viam enim ſenſuum & Phantaſiæ, objecta extrinſeca ſenſibilia ad Intellectum & Voluntatem devenire oportet. Præcipuus ergò Naturæ Senſitivæ in homine uſus eſt, ut Imagini Divinæ exterioribus impreſſæ ad intellectum & Voluntatem introitus pateat. Quando etenim ſapientiſſimo placuit Creatori, nos corporeos & ſenſitivos inter corporea & ſenſibilia vivere, & in ſpeculo viſibili hominibus ſe oſtendere, quomodò niſi per corpus corporea, per ſenſus ſenſibilia, & ita in illis Imago Divina, ad intimiorem & altiorem apprehenſionem & appetitum, devenire potuêrunt (mediante ſcilicet Phantaſiâ cum aliis ſenſibus interioribus?)

19. Etſi igitur facultas ſenſitiva jam corrupta & inordinata, facultatibus ſuperioribus rebellis & inimica ſit, & prima peccandi & perditionis Cauſa; non ita fuit tamen ab initio, ſed ad Intellectûs ſervitium & auxilium facta eſt; & ut talis per Rationem regenda & utenda fuit.

20. Quamvis etiam Evæ & Adamo hic *Appetitus* occaſio ſaltem peccandi fuit, & oſtium mortis; quippe qui naturaliter delectabile iſtud cupivit, quod à Creatore (non *ordinatè appeti*, ſed *ſumi*) prohibitum fuit ; non tamen *neceſſariò* peccatum cauſavit, neque peccatum fuit, dum ordinatus & rectus erat: Quia Homini etiam facultas *ſuperior Regens*, quæ ſenſitivum appetitum, bene *regere* potuiſſet, à Deo data eſt ; & *Regiminis* hujus debiti *omiſſio* fuit peccatum, & inordinati appetitûs Cauſa defectiva.

21. Neque eo culpandus eſt Optimus mundi Moderator, quod appetitum homini dedit, qui rationis fræno & imperio, in ipſo etiam innocentiæ ſtatu, indiguit ; ſicut neque culpandus eſt qui equum dat ſeſſori qui & fræno & calcare indigeat. Rationis enim *præſtantia* & *poteſtas* in uſu, & apparere, & exerceri debent; & qualis quæſo, Rex eſt ſine Regno; aut Herus abſque ſervis ?

22. Quinetiam ad maximum ejus commodum Deus homini naturam hanc donavit ſenſitivam ; Per ipſam Scilicet homo potuit ſi voluiſſet, cum Deo in Creaturis apparente quotidiè quaſi verſari, & per oculos, ejus pulchritudinem & gloriam videre, per aures, ejus doctrinam, & præcepta & laudes, audire, per guſtum Benignitatis ejus dulcedinem guſtare, *&c.* Atque ita quo fortiores fuêre apprehenſiones hæ ſenſitivæ, auxilia eò majora habuit Intellectus ad Deum in Imagine ſua apparentem diſcernendum, & Voluntas, in ipſius Amabilitate ſe delectandum: Tantum abeſt ut ſenſuum Creator Naturam Intellectivam injuriâ affecerit; (ut fingunt Manichæi.)

23. Et Adami quidem innocentis opus fuit, hunc librum mundi quotidiè legere, perlegere & meditari: At non ſicut jam Phyſici nugaces, & impii & mundani homines, Divina opera meditantur: Qui ſicut pueruli librorum velamina, & literarum formas & ordines tantùm, delectatione luſoriâ aſpiciunt, ſenſu interim & uſu omninò ignoratis & neglectis; Ita operum Divinorum externas tantùm ſpecies, figuras & corticem, Mente fortaſsè avidâ, at cæcâ & ineptiente contemplantur, homines eò miſeriores, quo luſûs hujus & ineptiarum, plerumque ſuperbiores ſunt oſtentatores. Verum autem Creaturarum (ſive Naturæ) ſtudium

ſtudium eſt, cum Deum in ipſis ſedulò, quærimus, cumque illas ut libri literas, ſyllabas & voces ſcrutando, Deo ſemper ut ſenſui ſtudemus; & ipſius Imaginem in omnibus cum admiratione & delectatione animi inſpicimus; Deumque ſemper ut finem, Creaturam verò ut medium practicè & ſeriò æſtimamus. Et in uſum hunc *ſenſus* præcipuè facti ſunt.

24. Non omnes ſenſitivæ Paſſiones aut Affectiones ſecundum ordinem naturalem ſunt Appetitûs Rationalis actus imperati, neq; ejus ſemper Conſequentes: Deus enim Naturæ res ita ordinavit, ut quædam paſſiones internæ poſitivæ, utilia eſſent media ad intellectum, Voluntatem & Potentiam ſuperiorem, adactum ſuſcitandum; quædam verò Intellectionem & Volitionem ſequerentur, ad meliorem ſcilicet decretorum executionem, & finis deſiderati proſecutionem. Non igitur ſemper pervertitur ordo naturalis, quando paſſiones Intellectum & Volitionem antecedunt; ſicut neque quando antecedunt etiam *ſenſationes exteriores* & *Phantaſmata*. Oratores igitur & concionatores non malè paſſionibus hiſce uruntur, ad veritatis faciliorem Receptionem procurandum, ſicut & ad finis & mediorum proſecutionem conſtantiorem.

25. Quando verò Paſſiones iſtæ judicium antecedunt, quæ conſequi debent, & ad executionem Volitionum tantùm ordinatæ ſunt; vel quando Paſſiones antecedentes ſunt inordinatæ quoad gradum & animum ita perturbant, ut ſe recolligere ad rerum juſtam penſitationem non poſſit, tum verum eſt quod dicitur, *Perit omne judicium, cùm res tranſit in affectum.*

26. *Paſſiones* iſtæ quæ *effectus* ſunt *antecedentis* Intellectûs & Voluntatis Actûs, *ſequentis* poſſunt eſſe *media ordinata.*

27. Agentes Cauſæ externæ, *ſenſationes* noſtras poſſunt procurare, etiam nolentibus nobiſmetipſis: Poteſtatem ideò deſpoticam inſenſus non habet Voluntas, ſed tantùm Politicam.

28. Idem etiam per omnia de *Paſſionibus* aliquibus, præcipuè *Timore*, dicendum eſt.

29. *Objecta* tamen non ſunt propriè *Cauſæ Efficientes*; neque Actiones vel in Genere vel in Specie *Efficiunt*; ſed tantùm eas terminando quaſi Materialitèr, occaſiones neceſſarias facultatibus præbent actiones diverſificandi; atque ita denominativè ſpecificant: Et potiùs dicenda ſunt *Cauſæ Materiales*, vel *ſine quibus non*, quam *Efficientes*; *e.g.* Nec paries nec Albedo agit in oculum, vel viſum efficit: Neque cibus vel potus agendo efficit appetitum, vel guſtum; neque objectum tactûs tactum propriè efficit: Sed *paſſiva materia* eſt tantùm *objectum ſine quo non*; & *principia Activa Interna* (Anima & Spiritus Ignei) unà cum *principio Activo externo* (*Igne* vel *Æthere* per *Motum, Lumen* & *Calorem*) ſenſationes propriè *efficiunt*. De quibus latiùs poſtea dicendum eſt.

30. Paſſiones per ſenſus aliquando *facultatem Loco-motivam* ſuſcitare, & *Motus corporales* procurare poſſunt, non tantùm *abſque*, ſed etiam *contra* actionem Intellectûs & Voluntatis: ut patet in palpebrarum motu, & in motibus quibuſdam ex ſubitaneo terrore, & in ejulatu & motibus in Cruciatibus intolerabilibus; & ſæpè in mentis alienatione.

31. Aliquando motus tales non ſunt omninò *Actus humani*, id eſt, *Morales*; & ideò neque ſunt *moralitèr Boni* neque *Mali*; *viz.* Quando nulla adeſt *Voluntatis* vel *Actualis Conſenſus*, vel *Omiſſio privativa*, ſed tantùm *Omiſſio negativa*: Aliquando verò ſunt *moralitèr mali*, id eſt, *peccata*; ſcilicet quando *Voluntas* eos frænare vel ordinare & potuit & debuit; nec tamen quod potuit & debuit, fecit.

32. Non minimæ difficultatis res eſt, quid facultates inferiores, & quid ſuperiores, præſtant ſemper in peccando, aperire; & quantum in peccando ſæpè valet quaſi bruta ſenſualitas.

33. At certum videtur, in Peccando Partem activam eſſe aliquando & facultatem inferiorem & ſuperiorem; aliquando verò ſolam inferiorem.

34. In quantum tamen Peccatum eſt, in tantum eſt *Voluntarium*: ſed *Voluntarium* non tantùm dicendum eſt illud, quod fit ex voluntatis conſenſu poſitivo, ſed illud etiam quod fit per voluntatis *defectum*, vel *omiſſionem privativam*: Et ita

qui

qui ratione non utitur quando potuit, vel ratiocinandi facultatem culpabiliter obtuit, peccat tamen cum sine ratione postea agit.

35. At utrum etiam *contra Rationem* appetitus aliquando peccat, difficilioris videtur esse determinationis. Dicitur autem aliquid esse [*contra Rationem*] Vel, 1. Quoad Rationis habitum; 2. Vel actum: Et quoad *actum*, vel 1. Præteritum, 2. Vel præsentem. Et quod homines sæpissimè peccant contra *habitum scientiæ* qui in actum non tum educitur, atque etiam contra *actum scientiæ, præteritum*, inter indubitata quidem numerandum est. At de *Actu* scientiæ *præsenti* restat dubium.

36. Et hoc etiam Mihi asserendum sine hæsitatione videtur; Quod facultates scilicet inferiores culpabiliter ad objecta sua inordinatè feruntur, quando Intellectus etiam in eodem temporis instanti, scit eorum appetitum esse culpabilem; ☞ Imò quòd facultas *loco-motiva* sæpissimè, juxta *appetitum hunc inferiorem* agendo, peccat, dum intellectus ipsam peccantem jam cernit: Quia scilicet actus illi Intellectûs, *Voluntatem*, ad suum officium præstandum non suscitant: *Agente* scilicet *Intellectu* contra peccatum, & *non agente-Voluntate*, sæpissimè peccant facultates inferiores.

37. At hoc Philosophis istis non placet, qui putant Voluntatem per actum Intellectûs nunquam non pro tempore determinari: Et magni Cameronis argumenta de Voluntatis determinatione per Intellectum, non minimi ponderis esse videntur; At non difficilis admodùm solutionis: Quorum præcipuum est, *Voluntatem non aliter esse Appetitum Rationalem: Resp.* Si *Voluntas* contra Rationis *dictamen præsens*, simplex vel absolutum, positivè aut vellet aut nollet, *Rationalis* tunc non iste esset dicendus Appetitus: At si tantùm actum suum *suspendit*, & neque *vult* neque *non vult*, etiam quando *Intellectus* Volendum esse cernit, nihilominus Appetitus Rationalis est; Potentia scilicet est *liberè Volendi* juxta Rationem, etsi non Potentia jam in actu; Quia videlicet Actum suum suspendere potest; & non per modum Naturæ, nec (semper saltem) necessariò ab Intellectu movetur: ita Voluntas principium Culpabile est peccandi. Facultates scilicet in- ☞ feriores sensitivæ sunt *principium Activum*, at *Voluntas* per *omissionem* est *principium primò defectivum.*

38. Nondum tamen difficultas maxima soluta est, *viz.* Utrum etiam *nolente Voluntate*, Appetitus sensitivus & facultas Locomotiva unquam peccant? *Resp.* Diversæ hic conjunguntur Quæstiones: Una de pravo appetitûs habitu; Altera de culpabili appetitûs actu; & Tertia de actu facultatis Locomotivæ.

Ad primam dico, 1. Manent proculdubiò *habitus inordinationis* in *Appetitu sensitivo*, eodem etiam tempore dum *Voluntas* eos *positivè nollet*, inefficace & molli nolitione. 2. Imò *nolitio vehemens* non sufficit statim nec per se, ad *habitûs* talis *sensitivi* mortificationem, sine *Potentia* item spirituali roboratâ, & sine propriorum remediorum usu & sedulo & diuturno. 3. Sensitivi tamen *habitus* isti Voluntarii dicendi sunt, in quantum culpabiles, 1. Quia ex Voluntatis vel commissionibus vel omissionibus ortum & robur obtinuêre. 2. Et quia ex Voluntatis *mala dispositione*, & *omissionibus* saltem, si non & *actibus*, insuperati adhuc manent.

39. Ad secundam dico, Quod etiam *Actus Culpabiles* & *inordinati* Appetitus sensitivi, consistere possunt cum *præsenti nolitione aliquali Voluntatis*: Imò Nolitio ignava, somnolenta vel debilis, eos non efficaciter vel extinguere potest, vel ☞ frænare. *Voluntarii* tamen & *Actus* isti sunt dicendi, ob rationes antedictas. Facultas enim non quovis modo, sed modo & gradu debito ad objectum applicanda est ut operetur.

Voluntas autem non habet in sensus, Passiones, Phantasiam vel Appetitum sensitivum, potestatem *despoticam*, sed quam vocant *Politicam*; vel saltem non habet potestatem hos nuto unico, vel facilè, in ordinem, redigendi & regendi, sed tantùm per vigilantiam, industriam & constantiam.

40. Ad tertiam quæstionem dico, si Appetitus sensitivus & phantasia possunt *sine Voluntate* facultatem locomotivam ad actum excitare, & si & *habitus* & *Actus*

Actus pravi hujus Appetitûs & Phantaſiæ, manere poſſunt, etiam actualitèr *Nolente Voluntate*, omninò non video quare etiam manûs, linguæ, gulæ, &c. actus, cum *præſente* aliquali *Nolitione actuali*, non poſſint conſiſtere : Et ni fallor, ſæpiſſimè conſiſtunt. Quia non quævis Nolitio ad motus hoſce frænandos eſt efficax; ſed tantùm *Nolitio intenſa*, cum *Sapientiæ* uſu & *Potentiâ* ſuperiore corroboratâ.

41. At quæſtio adhuc reſtat difficillima, Utrùm ſcilicet, etſi *Nolitio Voluntatis* ſit abſque mixturâ aliquâ *contrariæ* corruptæ *Volitionis*, vel ſi *Nolitio* hujus actûs, *Volitione major ſit*, procedere tamen poteſt *Appetitus ſenſitivus & facultas Locomotiva ad actum*? *Reſp.* Quando Voluntatis *Volitio* (ſub una conſideratione) eſt *fortior ad actum* peccati, quàm *Nolitio* ejus *contra actum*, peccatur ex dominio vel præſenti ſuperioritate malitiæ in ipſa Voluntate: Quando verò Voluntatis *Volitio* ad actum peccati eſt *præſens* quidem, ſed *debilior* in ſe, quàm ejus *Nolitio*; ſi tamen *Nolitio illa non multum Volitione* major ſit, non video quin conjunctio *Appetitûs ſenſitivi volenti* cum *Violitione corruptâ*, etſi minore quam *Nolitio* eſt, contra *talem Nolitionem* valere poſſit, & actum prohibitum procurare. Quod ubi fit, peccatur & *commiſſione* & *omißione Voluntatis* ſimul. Et ſi Appetitus ad actum procedere poteſt, etiam *Voluntate* non *omninò-Volente*, ſed tantùm actum ſuum *omittente*; non video quare etiam quando *actualis Volitio*, etſi *debilior*, cum Appetitu conjungitur, contra *aliquantò majorem Nolitionem* prævalere non poſſit.

42. Adhuc autem difficillimæ hujus Quæſtionis pars reſtat difficillima: Utrùm ſcilicet ubi *Nolitio* peccati *Volitione* major eſt, & tamen fit peccatum ex violentia Appetitûs, peccatum iſtud ſtatum mortis denotat? aut potiùs cum ſincera ſemper conſiſtit Sanctitate? *Reſp.* Quod verum mihi videtur in gravi & difficili caſu dicam: 1. Diſtinguendum eſt inter Voluntatis *Nolitionem Habitualem & Actualem*: Ni fallor per accidens aliquod, etiam *in irregenitis*, *Nolitio hujus actûs* prohibiti *major* eſſe poteſt quàm *Volitio*. (Imò *Nolitio* in talibus *ſæpe* & *plerumque* valet ad multos peccati actus *non committendos*:) 2. Diſtinguendum eſt etiam inter *minora* peccata (materialitèr) & *majora*: 3. Et inter *actum particularem*, & *vitæ ſcopum* & *tenorem*: Et deindè dicendum, quod in quocunque homine invenietur, 1. *Nolitio peccati habitualis*, & non tantùm nolitio *actualis*, 2. Et contra *totam impietatem* & *malitiam* (quantum illam ſcire poteſt) & non tantùm contra *pauca quædam* peccata, 3. Et *habitus* hic apparet in *actibus* vitæ *ordinariis* & *conſtantibus*, etſi non in *omnibus*; Talis poteſt peccare, at non (dum talis) ad damnationem; Quia Spiritus Chriſti regnat in ipſo. At prætereà dicendum eſt, Quod etſi talis ſæpe *peccat*, non tamen vivit in notioribus & gravioribus peccatis, neque in *flagitia* ſæpe incidit: Quia fieri non poteſt, quin Spiritus Potentiæ, Sapientiæ & Sanctitatis qui in corde ejus habitat, non tantùm peccandi *Nolitiones* quaſdam *ignavas* & *inefficaces*, ſed *fortes & efficaces* excitaret; quæ non tantûm *Volitionibus aliquantò* ſint *majores*, ſed etiam contra omnes Appetitûs ſenſitivi Cupidines etiam *Potentes*. Et vincentibus corona dabitur.

43. Arcta adeò, atque miranda Unio eſt *Animæ* & *Corporis*, ut nihil omninò ab *Anima* in *Corpore*, ſine *Corporis cooperatione*, id eſt, ſine *Spirituum miniſterio* perficiatur. Anima hic nunquam ſola operatur, (in actu ſaltem aliquo circa objectum extrinſecum, aut intrinſecum qui diſtinctus aut perfectus eſt.)

44. Plurima quidem ſunt in Intellectu quæ nunquam fuêre in ſenſu; & quorum ſpecies per ſenſus ad Intellectum non advenêrunt: (aliter enim nemo Intelligere unquam potuit, quid ſit *Intelligere*, quid *Velle*, quid *Amare*, quid *Nolle*, & *odio habere*, vel quid ſit *Animus intelligens*, quid *Spiritus*, quid *Deus*?) Actus tamen hi ipſi, immanentes, & maximè ſpirituales, (Animi ſcilicet circa ſeipſum, & circa Deum,) (quantum nobis liquet) non fiunt ſine motu & ſuboperatione Spirituum: Et à perceptione ſenſatorum incipit Intellectus dum ad ſui-ipſius intellectionem progreditur. De hiſce plura poſtea.

45. Omnes igitur Animi in Corpore actus perfecti, ſunt quodammodo *mixti*, partim *ſpirituales*, partim *ſenſitivi*, partim *Corporales*; Quia quandocunque, agit

Animus

Animus Intellectivus (etsi *in se*,) ex arctissima unione partem etiam commovet ☞ *sensitivam*; & pars sensitiva *Spiritus* commovet; quæ omnia ut actus unicus à nobis percipiuntur quamvis reverâ non unicus sit.

46. Quamvis igitur [Intellectionem] & [*Volitionem*] ipsam *formaliter*, non propriè *sentimus*, sed tantùm *Intelligimus*; verè tamen & propriè satis, dicimus [*Sentio me cogitare, Intelligere & Velle*,] Quoniam quodcunque *cogitamus*, *Intelligimus*, aut *Volumus*, *Spirituum motum* in actu cogitandi, &c. *sentimus*. Quis enim Cogitans & Intelligens non *sentit*, se potiùs *in Capite* quàm in ventre, manu vel pede *Cogitare* & *Intelligere*? Quis *Volens* non *sentit* se in *Corde* cum *Capite*, potiùs quàm in *Crure* vel *brachio velle*?

47. Ad magnam igitur Quæstionem, [*Utrum Animi in Corpore operationes, sint* ☞ *Organicæ*?] dico, Quod objectivè *Organicæ sunt*, id est, in & per Organa præstitæ, quoad *Modum Cogitandi*, *Intelligendi*, *Volendi*, animo incorporato proprium; & ut sunt Actus compositi continentes etiam *Motus sensitivos* & *corporeos* conjunctos vel consequentes: At *non sunt Organicæ* quasi per Organa Anima efficeret *puram formalem Intellectionem* & *Volitionem*: Etsi enim Animus per unionem cum spiritibus, quando *Intelligit* & *Vult*, ita *Spiritus* semper *agitat*, ut *Actio Corporea Spirituum* in tantùm Actui Intellectuali unita sit, in quantum *Corpus* cum *Animo* unitur; atque ita quâdam mixturâ & instrumentalitate Actûs intellectualis, *modificatur*; Nullam tamen *Vim* aut *Virtutem* aut *aptitudinem* ad ipsum *Intelligendi* aut *Volendi* actum, *purum*, *formalem*, *in se*, à *Spiritibus* aut à *sensu*, Animus recipit. Quomodo enim inferius & vilius & passivum, Virtutem activam nobilem Naturæ superiori, præstantiori & Activæ communicare potest? Nisi Terra Solem movet, illuminat, calefacit, nisi pars Corporis *Aquea* & *Terrea Spiritus ipsos* movere dicenda est, proculdubiò *Spiritus Animum* non agunt, neque ejus formales operationes efficiunt.

48. Quoniam tamen Spiritus sunt Organa ad *modum*, etsi non ad *formam* actus, & *occasiones* item agendi Animo præbent, uniuscujusque etiam ad Animi salutem plurimùm interest, ipsum *Corpus*, & *Spiritus Corporeos* in temperamento idoneo & conveniente conservare. Morbi etenim Corporei, præsertim ex Ebrietate, Crapulâ, Socordiâ, Venere & aliis peccatis orti, operationibus Intellectualibus & Spiritualibus admodùm sunt inimici; sicut & Corporis mundities & sanitas, & Spirituum Eucrasia & activitas, utilitèr Animo in operationibus nobilissimis subserviunt.

49. Corporis igitur morbi & vitia sunt pœnæ, non tantùm Corporales, sed etiam per accidens animales vel spirituales.

50. Dum parentes item intemperantes & Luxurioši, posteris suis morbosum temperamentum propagant, nimis evidens manet, talium liberos, ob peccata etiam proximorum parentum pœnas luere.

51. Porrò sensu hoc duplici Operationes Animi Intellectualis Organicæ verè dici possunt: 1. Ut Anima ipsa in operando Dei organum est (Quanquam organum Naturâ *Vitali & Intellectuali* ad proprias operationes adaptatum.) Sicut enim Anima nostra operationis suæ nescia, nutritionem, sanguificationem, & cætera naturæ opera in Corpore quotidiè præstat, dum omnia hæc certissima indicia nobis præbent Sapientissimi operatoris; ideoque (ut animæ plantarum & brutorum) sunt numinis vera instrumenta; ita etiam in actibus ipsis elicitis *Intelligendi & Volendi*, Dei organa quodammodo agnoscendæ sunt facultates: Et ita *Activè* organicæ earum operationes dicendæ sunt, respectu ad Deum cujus influxum patiuntur.

2. *Passivè* item, ut dictum est, organicæ dici possent hæ operationes, quoad spiritus seu facultates inferiores; Facultas enim superior in inferiorem operatur; & nexu adeò arcto Intellectus & Voluntas Phantasiæ & sensibus alligantur, ut in omni eorum operatione (ni fallor) sicut spiritibus semper utuntur, ita plus minùs sensationem quandam internam comproducunt; quæ ab ipsis Animi Intellectivi actibus non *dividitur*, neque clarâ & distinctâ perceptione, (vel intuitiva vel abstractiva,) *plenè* distinguitur: Et hinc oritur Physicis difficultas statuendi, utrum

Memoria

Memoria facultati Intellectivæ an Sensitivæ animæ, numeranda sit: Et fortasse hinc Gassendo visum est, Ideas non in Intellectu, sed in *Phantasia* tantùm ponendas esse: Et, ni fallor, quia sibi videntur, Potiùs *sentire* quàm *intueri* se *Intelligere & Velle*, non pauci ad Sadduceismum lapsi sunt, dum putant Intellectiones & Volitiones esse meræ intimæ sensationes. Et erroris hujus ansam, præbuere plurimi, qui dum sibi-ipsis Orthodoxi maximè videntur, nullam omninò compositionem agnoscere volunt, in actibus illis Animi superioris, quos experientiâ in nobis percipimus; sed purissimas & omnimodò simplices & inorganicas Animæ Intellectivæ operationes esse declamitant, & quasi necessarium contra Sadducæos hoc dogma, zelo majore quam scientiâ, defendunt. Adversarii autem eorum se sæpe introspicientes, (utpote qui non ex aliorum verbis, sed suâ experientiâ quid ipsis intimum est quæsituri,) cùm *sentiunt* se Intelligere & Velle, & in omnibus animi actibus, Spiritus agitari & commoveri, & eorum actionem & sensationem intimam ab Intellectione & Volitione perceptione suâ distinguere non possunt, hinc toti ferè ab orthodoxia in Sadduceismum ruunt.

52. Sapienti autem, qui utrinque ab erroribus cavet, satius est agnoscere hanc duplicem antedictam operationum Instrumentalitatem; & secum pensitare, quam arcto vinculo Deus Animam hic Corpori ligavit; & sicut Anima est forma Corporis, ita per modum formæ hic agere; ideoque in materiam passivam; & nullum nobis innotescere Animi actum, cui sensatio intima non arctè adeò conjuncta est, ut quamvis ex *causis*, *ratione* distingui possent, per subtilissimum tamen Intellectum, ut *realitèr distincti actus* in se & immediatè percipi non possunt: Et in hoc sensu Animi Actus & *Compositi & Organici* quoad *passum* dici possent.

At sensu etiam duplici *inorganici* dicendi sunt, 1. Quatenus etiam quoad Deum Animæ nostræ non sunt sicut *mera Instrumenta naturalia*; sed in sese suorum actuum principium Vitale & Intellectivum continent. 2. Quia (ni fallor) à naturis inferioribus quasi Causis Efficientibus non patiuntur; sed tantùm ut ab objectis terminantibus, aut occasionaliter, aut per accidens afficiuntur. Et quia principium Intellectivum & Volitivum non est in sensu, sed in Animo: Neque sensus vel phantasia in Animum propriè operantur, multò minùs per Animum Intelligunt & Volunt: Animi igitur facultates non sunt organa sensuum aut facultatis alicujus inferioris; sed phantasia, sensus & spiritus sunt organa passiva Animi (ut cithara Citharædi) *in modo & adjunctis* tantùm ejus actionis, quamvis in suis actibus activi sunt.

53. Et hinc dicendum puto, *Intellectionem* quidem & *Volitionem* quoad *Essentiam* primariam, ejusdem speciei fore in Anima *separata* cujus in Anima Corpus informante sunt: Tantùm verò quoad *modum* & *adjuncta* discrimen futurum esse, quantum à nobis jam clarè intelligi non potest.

54. Et actuum intellectualium quidem impeditio & fere cessatio in apoplecticis, & attonitis, & eorum imperfectio in infantibus & fatuis & delirantibus, nolenti concessionem hanc extorquebit, modum intelligendi & volendi in hac vita in tantum esse organicum & mixtum quantùm antea descriptus est.

55. Quod autem hæc anima suo modo (aut formaliter aut eminenter) intelliget & volet in statu separato, & quod neque suum esse, neque speciem, neque Potentias seu Virtutes formales, neque Actiones amittet, imò nec Individuationem, hæc alibi ut spero pleniùs probabo. Inter alios videat Lector quæ de hisce disserit Cardinalis *Contarenus* contra *Pet. Pomponatium de Immortal. Animæ.*

56. Falsum autem est quod voluit *Pomponatius* diversos agendi Modos diversas innuere animarum species, & animam separatam non ejusdem futuram speciei si non eodem modo sit operatura: Diversitas quippe modalis ab objectis & conjunctis, & cooperantibus & recipientibus oritur; ideoque non est differentia specifica: Et cum eadem anima & eadem (radicaliter) *Virtus* seu Potentia, ad plures tendat actus principales, scilicet ad *Motum-vitalem*, *Intellectionem* & *Volitionem*, & eadem Anima sensitiva plures habeat sensus & passiones, quid ni etiam Anima rationalis eadem, eademque Virtus diversimodè & hic & separata operetur?

57. Diligentissimè notandum est, 1. Animi actus, *e. g. Intellectionem* usita tissimè dici *specificari ab objectis:* 2. Deficientibus igitur seu absentibus *Objectis*, nulla datur Intellectionis *species*; Actus quippe in *specie* sine objecto non est. 3. Genus extra species & actus individuos nihil reale est, sed notio tantùm universalis. 4. Nulla igitur daretur Intellectio si nulla forent objecta intelligibilia. 5. Ideoque non Intelligimus in utero, in Apoplexia, in oblivione, &c. & deficientibus organis sensationis & sensibus, deficit *Intellectio* quia objecta amoventur, seu deficiunt. 6. Modus diversus *objecta proponendi* seu præsentandi facit *intelligendi* modorum diversitatem. 7. Sin autem omnia amoverentur objecta, *Potentia* Animæ *Intellectiva* non *Agere* cessaret: Naturaliter quippè *Activa* est, & ad Activitatem necessariò propendens seu inclinata: Et objectum, quâ tale (*e. g. saxum* apud Antipodes) nil agit in intellectum, (aut sensum) sed *Terminando* solùm Actum *specificat* (sicut paries vel planta Illuminationem Solarem.) 8. Ex quibus liquidò patet nomen *Intellectionis* jam nobis significationem habere *compositam*, & *facultatis Actum* & *Objectum* terminando specificans includentem. Quicunque enim *Intelligit, Aliquid* (objectum) intelligit: Qui *nihil* intelligit (aut vult) *non intelligit* (aut vult.) 9. Hinc patet quomodo Animi Actus dicendi sunt, & *compositi* & organici; scilicet ut *objecta specificantia* includentes; (sicut &, ut Spirituum & Sensuum actibus conjuncti, etiam compositi dici possint.) 10. Hisce tamen non obstantibus, sicut Sol si *luceret* aut existeret solus in vacuo, Radios tamen suos *Motivos, Illuminativos, Calefactivos* ex parte agentis ex virtute sua formali perfectè emitteret; At nihil *moveret, illuminaret*, aut *calefaceret*; ita & *Animus*, si omnia circumstantia objecta cessarent, nil *extrinsecum Intelligeret* aut *Amaret*; at Virtutis formalis Actus continuò exerceret, qui tamen in sensu jam usitato (composito) *Intellectio* & *Volitio* non forent dicendi; at ex parte sui ut à potentiis suis profluentes ita dici *Generice* & Reali significatione potuissent. 11. Et sicut Sol nihil Virtutis, Lucis propriæ glorioſæ, aut activitatis amitteret, deficientibus objectis: Ita neque Anima suum perfectionis, & activitatis bonum amitteret, deficientibus objectis extrinsecis, *seipsum* quippe *in se intelligeret* & *amaret*. 12. Et sicut *ipsum Vivere* & *sanum esse*, foret *Volupe*, si pro tempore *nihil cogitaremus*, (& mori timeremus,) ita & profundam in sua perfectione Complacentiam haberet anima absentibus aliis objectis, & de nihilo plenè cogitans: Natura quippe Intellectualis non sensûs expers est, sed sensationem continet, quâ in seipsa delectari possit. 13. At ne Animis separatis objecta deficerent, nequaquam timendum est: In Mundo quippe visibilium & intelligibilium perpetuò mansuræ sunt, ubi & ipsæ & totus Mundus & Deus ipse objecta ipsis sunt futura, quorum Essentia Intellectualis omninò nescia manere non potest.

DISPUTATIO.

Q. *Utrum Animæ Facultates, vel Potentiæ Naturales, (Activa Vitalis, scilicet, Intellectiva, & Volitiva) sint ipsa Animæ forma Essentialis?* Affir.

Tamdiu ab ingeniis subtilissimis controversia hæc in Scholis fuit agitata, ut vix aliquid novi à me huc afferri expectandum sit. A plerisque status quæstionis ita profertur; *An Facultates distinguantur re, ab ipsa animæ substantiâ?* Negant Scotus & ejus Sectatores; & Occhamus, cum Greg. Ariminensi & Nominalium cohorte. Affirmant Th. Aquinas, cum ipsius sequacibus; qui facultates nil aliud esse volunt, quam qualitates accidentes per quas Anima suas operationes edat.

11. Thomistarum opinio hisce argumentis à Zabarella * recitatis, fulcitur, 1. Potentia Naturalis, seu aptitudo ad operandum ponitur ab Arist. in secunda specie qualitatis: At Potentiæ Animæ sunt aptitudines Naturales ad operandum: Ergo sunt essentialiter in secunda specie qualitatis.

* Lib. de rebus natural. pag. 687.

2. Si

2. Si Anima eſſet idem quod ſuæ Potentiæ, ipſæ quoque Potentiæ inter ſe eſſent idem: Quia quæ alicui tertio ſunt idem, etiam inter ſe ſunt idem: Igitur Potentia Viſiva erit idem quod Potentia Motiva, Olfactiva, &c. At Potentiæ plures non ſunt unica. Vid. Auguſtinum citatum per Lombardum in ſect. 1. diſ. 3. cap. 8. Et Bernard. ſuper Cantic. ſerm. 11. Et Iſidor. Etymol. c. 1. li. 11. Et Hug. de Victor. de Spir. & Anim. Et Guil. Camerarium Scotum ſelect. Diſput. Par. 2. q. 28. p. 289, &c. Phil. Faber. Philoſ. Natur. Theorem. 74. Rada Contro. To. 2. Cont. 13. art. 2. Piccolom. de Mater. l. 1. c. 10. ſed omnium clariſſimè (ſicut in omnibus) Rada.

3. Anima eſt Subſtantia Virtuoſa: Ergo (inquit Zabarella) non eſt Virtutes ipſæ: quia neque Concretum poteſt prædicari de ſuo abſtracto, neque abſtractum de Concreto: Si anima eſt ipſæ Virtutes, non rectè dicitur *Potens*.

4. Potentia operandi reſpicit actum, id eſt, operationem ipſam; ſed ſemper nobilior & perfectior eſt actus Potentiâ ipſum reſpiciente: Ergo ſi Potentia eſſentialiter, & ſecundùm internam rationem eſſet Anima ipſa, operatio quæ eſt accidens, eſſet perfectior quàm Anima quæ eſt Subſtantia.

5. Sicuti ſe habet poſſe ad eſſe, ita Potentia ad Eſſentiam: Sed in Anima differt *Poſſe* ab *Eſſe*: Ergo & Potentia ab Eſſenita: Nam Anima ſecundùm ſuum eſſe reſpicit totum Corpus à ſe formatum--at ſecundùm ſuum poſſe reſpicit operationes, & diſtinctas ejuſmodi Corporis partes tanquam inſtrumenta quibus utitur--Aliquis oculos habens cæcus eſt: in ejuſmodi ergo oculo eſt anima ſecundùm ſuum eſſe, quia oculus animatus eſt, & habet ſubſtantiam Animæ in ſeipſo: non eſt autem Anima ibi ſecundùm ſuum poſſe, quia non poteſt videre--Cætera Thomiſtarum Argumenta ut infirmiora Zabarella dimittit. Ipſe verò etſi diſtinctionem realem tuetur, tamen facultates eſſe agentia media inter Animam & operationem negat, & ſolummodò conditiones & aptitudines quaſdam Animæ ad operandum eſſe aſſerit.

Rem autem ita Zab. ſatis explicare ſibi viſus eſt. 1. Potentia operandi eſt quid poſitivum, ſed notat privationem actûs. 2. Potentia hæc præſupponit aliam naturam priorem in eadem re, quàm inſequatur. Quia omnis operatio fit ab actu: Ergo Potentia operandi præſupponit aliam actualem naturam à qua provenit--3. Tales Potentiæ non alio modo pendent à Cauſa priore, quàm ut à Cauſa Effectrice; ſed ea non eſt effectrix propriè dicta per tranſmutationem, ſed per ſolam emanationem; emanatio enim dicitur quando abſque ulla reſiſtentia patientis, & ſine ullo efficientis conatu, effectus ipſum inſequitur ſponte quaſi ſuâ, ſicut umbra Corpus. 4. Potentia Naturalis, licet modo quodam Media inter Cauſam quam inſequitur & operationem, non tamen eſt *Cauſa media*, ſed Cauſa illa prior eſt Cauſa immediata operationis: Ut ſiquis currat, potentia currendi non eſt currendi Cauſa proxima, Anima verò remota; ſed Anima eſt Cauſa proxima & immediata. Potentia enim non eſt Cauſa operationis, ſed aptitudo Cauſæ ad operandum. Operatio enim fit ab Actu non à Potentia. Ad hæc aptanda eſt reſponſio antequam Veritas ſtatuminetur.

Ad primum dico, Authoritas Ariſtotelis Potentias naturales numerantis inter accidentia, ſcilicet Qualitates, nobis pro nihilo habetur; utpote quibus doctrina ejus de Qualitatibus tenebricoſa valdè & erronea videtur.

Ad ſecundum; *Potentiæ* ſeu *Virtutes* ſunt, & *plures* & *unica*; *viz.* Unica Realiter in Eſſentia ut Forma Animæ, & Plures aut formaliter aut ſaltem Relativè ad plures actus; & per denominationem extrinſecam ad plura objecta. Relationes plurium effectuum ad Cauſam unicam occaſionem præbent eam Cauſam ut multiplicem & variam denominandi. Et ſicut Univerſalis conceptus eſt de pluribus ſingularibus confusè & in ſimilitudine cognitis, & non de *uno reali*; ita *virtualis*, *fundamentalis*, *rationis* diſtinctio oritur ex conceptu partiali vel imperfecto (quia Intellectus totum *objectum* non ſimul apprehendit) & ex diverſitate *effectuum*, vel quorundam connotatorum. Et receſſus primus ab unitate ad multitudinem, difficultatem hanc objectam quidem continet: ſed à vobis non minùs quàm à nobis neceſſariò ſolvendam. Forma ſcilicet uniuſcujuſque ſubſtantiæ Activæ, eſt quædam Imago Sacro-Sanctæ Trinitatis. Certiſſimum autem eſt Deum

esse Essentiâ unicum, in tribus Personis, & tribus Principiis activis, Vitâ, Intellectu, & Voluntate. Et quamvis in Deo non est *Materia & Forma*; de eo tamen concipere non possumus, nisi inadæquatè, utque Animæ incorporatæ innotescit quasi in speculo, per imaginem suam in Anima humana, quæ substantiam habet quam sub notione Materiæ Spiritualis Metaphysicæ, & formæ virtuosæ concipere necesse est. Nonne autem Pater, Filius & Spiritus Sanctus sunt unicus Deus? Nonne tres Personæ sunt? Nonne Potentia-Actus, Intellectus, & Voluntas sunt unica Essentia Divina? Nonne ab invicem tamen quodammodo distinguuntur? Distinctione saltem *virtuali*, & *Relativâ*, per *denominationem extrinsecam*, si non *formali* Scotistarum. Multitudo creaturarum ab unitate Divina, per Potentiam, Intellectum & Voluntatem suam, originem ducit. Effecta sunt reverâ multiplicia: Causa est aut *Unica* dicenda aut *Trina*: Si *Unica*, non implicat contradictionem, *Causam Unicam* effecta *multiplicia* producere: Sin *Trina*, non implicat contradictionem Trina principia operandi esse Unicam eandemque Essentiam.

Captum fateor superat humanum quomodo diversitas fieri potest in effectis sine ulla vel minima diversitate in causatione (activè sumptâ) videtur enim nihil diversum esse posse in effectis, quod non fluit à modo causandi diverso: Quia *ipsam diversitatem* habere Causam necesse est: At idem eodem modo operans, & in iisdem circumstantiis, non diversâ & dissimilia, sed idem, vel res uniusmodi, producturum esse verisimile videtur. At simul fatendum est, ipsius *Actionis* & *Causationis* Essentiam seu Naturam captum humanum ferè fugere. Substantiæ, formæ, Potentiæ causantis aliqualem, etsi tenuem & lubricum, habemus conceptum; & effecta causis nobis notiora sunt: Unde Logici Actionem dicunt esse in Patiente; (quasi nihil omninò esset ut *Agentis*, sed tantùm ut *Recepta* & in effecto:) At proculdubio non tantùm *Agens* & *Opus* sunt aliquid, & *Actio* ut *Recepta*; sed & *Actio* ut *Agentis*, vel ab *Agente* est: Non tantùm *Causa* & *Causatum* & *Passio* sunt aliquid, sed & *Causatio*: sicut Actus immanens est *modus Agentis in se*, quo differt à *non-agente*; ita Actio *transiens* est *Modus Agentis* per *virtutem suam operantis in aliud*; quo differt à non operante. Quæ meliùs per *sensum* & *experientiam* nobis, innotescit, quam per definitiones. Dicere autem cum Hervæo, Javello, & aliis, Actionem transeuntem nil aliud esse quàm *effectum*, à quo res *agens* dicitur solùm per denominationem extrinsecam, sicut paries dicitur visus ab actu oculi, est meo judicio, tantùm non delirare.

Non nescio Bradwardinam nostrum cum plurimis Thomistis asserere, simplicem & unicam Dei *Volitionem* creaturas & earum diversitatem & mutationes omnes causare; & ut Capreolus & alii dicunt, Essentiam Divinam per hanc Volitionem, non (relatione rationis) referri ad creaturam, sed tantùm creaturam ad Deum: Sed (præterquam quod eâdem ratione quâ Voluntatem sine Potentia operativa sufficere asserunt, etiam *intellectum* sine *Voluntate* sufficientem statuere possent) Volitio illa quæ *Unica* est ut Essentia Divina, quodammodo multiplex est in multiplicium productione. Quod *multiplex denominanda* sit ab effectis, (*e. g.* Volitio incarnationis Christi, Volitio salutis Petri, Volitio damnationis Judæ, & Volitio Gloriæ Divinæ, diversæ dicendæ sunt Volitiones) à nemine ferè negatur; Utrum verò sicut effecta creata sunt diversa, ita diversitas aliqualis *antecedens* sit in *effluxu* sive *Actione Causante*? Utrum Cœlum, & Terra & Gehenna, salvatio & damnatio, Volitione unicâ, omnimodò antecedenter ad effectum eâdem, & modo eodem operante, efficiantur? Utrum in esse cognito Cœlum & Terra, Petrus & Judas, salvatio & damnatio, in mente Divina fuêrunt *res unica*, vel Idea omnium fuit unica Idea, sine minima diversitate, antequam res ipsæ productæ extiterunt? Et ita an ab æterno dum nihil creatum adhuc extitit, Velle Angelum, Velle Christi incarnationem, Velle Petri salutem, & Judæ damnationem fuêre unicum Velle sine ullo vel minimo discrimine? hæc inter Theologos Scholasticos disputantur. Si dicas Volitiones hasce *diversas* denominari ab æterno extrinsecè, ex Relatione ad res Volitas diversas. *Resp.* Res Volitæ in se ab æterno non fuêre *Res*; ergo non ad Volitionem Divinam Relatæ sunt: Non existentis enim nullum est Accidens. Neque *in se* ut *existents*, quando nondum

extite-

extiterunt, fuêre *Termini* Divinæ Volitionis. Si dicas, *Diverſæ* fuêrunt creaturæ ab æterno in eſſe cognito priùs, & inde in eſſe Volito. *Reſp.* Quando nihil ad huc præter Deum cognoſcibile extitit, *eſſe Cognitum*, & *eſſe Volitum* nihil erant præter ipſam Divinam Eſſentiam, diverſitate nullà imperfectam: Ubi autem nulla omninò eſt diverſitas, vel in re, vel in modo, vel actione, quomodo poteſt eſſe ulla Relatio? Anne idem eodem reſpectu poteſt eſſe & Relatum & Correlatum, fundamentum & Terminus? Et ubi nulla eſt Relatio, unde dari poteſt *Denominatio extrinſeca*? quæ ſemper in Relatione (Rationis ſaltem) fundatur? Et (ſicut jam dictum eſt) Thomiſtæ tenent, Relationem rationis eſſe tantùm Creaturæ ad Deum, non autem Dei ad creaturam. At ſi *Perſonarum* diverſitas in Deo, cum *Simplicitate* & *Unitate* ejus certiſſimè conſiſtit, quare non item & diverſitas *principiorum activorum*, ſeu Virtutum Eſſentialium, & diverſitas *actuum*, Intellectionum ſcilicet & Volitionum.

Et cum dicunt Scholaſtici quidam Dei *ſe Intelligere* eſſe Filium, & *ſe Amare* eſſe *Spiritum Sanctum*, quomodo hic perſonarum diverſitatem probant, ſi inter Dei *Intelligere* & *Velle* nullum omninò ſit diſcrimen? Sin autem diſcrimen qualecunque inter Dei *Potentiam*, *Intellectum* & *Voluntatem*, concedatur, ut unitati ejus nullo modo contrarium; quare item de diverſitate aliquali Intellectionum, Volitionum, & Actionum creantium, idem dicere non liceat?

Prolixiùs hæc dicta ſunt, ut melius intelligatur, quomodo Facultates ſeu Virtutes diverſæ, ſicut & Actus, cum Unitate Animæ humanæ conſiſtunt. Hiſce non obſtantibus dicendum eſt à Deo ſimpliciſſimo immutabili omnem oriri in (creatis) diverſitatem; & nullam in ipſo Realem eſſe multiplicitatem, Realitatem ſcilicet ſtrictè ſumendo: Multiplicitas omnis eſt ab Unitate: Unica proculdubio eſt Eſſentia Divina, quæ à nobis apprehenditur per inadæquatos conceptus, & *Subſtantiæ* ſeu *Entis*, & *Formæ*. Tres autem ſunt Perſonæ, & Trina *Primalitas Eſſentialis* (ut à Campanella vocatur) vel quaſi *Facultas* ſeu *Virtus*, *viz.* Potentia-Actus, Intellectus & Voluntas. Ita etiam in Imagine Divina in Anima humana, Triplex Virtus ſeu Facultas eſt, in Unica Subſtantia; Unica eſt ut Subſtantia (& *Materia* ſcilicet *Metaphyſica* & *Forma*:) Ipſa *Virtus* ſeu *Potentia* ſeu *Facultas* ita *Unica* dicenda eſt *introrſum* ut *Eſſentia*: At *ad extra* proſpiciens *triplex* dicenda eſt; Dicenda triplex, dico, proculdubio per denominationem relativam, quia Potentia ſeu Virtus eſt ad triplicem Actum & Effectum; ſed an etiam in ipſa Virtute, præter *Unitatem Eſſentiæ*, ſit item Formalis ineffabilis quædam *Principii* ipſius operativi triplicitas, in medio relinquo. Ego quidem veſtigia Divinæ Trinitatis in Animis Creatis veneror; & quamvis cum Scotiſtarum libros de *formalitatibus* lego, filum valdè ſubtile & tenue eſſe percipio, doctrinam tamen eorum negare non audeo: Difficultatem hujus Controverſiæ non in hujus vel illius argumentatione poſitam eſſe cerno, ſed in altitudine & ſpiritualitate rei: Et quamvis difficultates haſce pars diſputantium unaquæque ad Cauſam propriam tuendam, in adverſarios intorquere ſolet; omnibus tamen æquè ferè incumbit, explicare, quomodo *pluralitas* procedit ab *Unitate*, & quomodo *Forma Activa* omnis ſit Unica ut Forma, & tamen Diverſitatis quoddam initium Virtualiter in ſe contineat, & ut Virtus ad communicationem inclinata, eſt triplex.

Vid. Radam ubi ſupra de Imagine Dei in Anima ubi tamen male ex Auguſtino Memoriam ponit loco Potentiæ Activæ Vitalis.

Inquit Scaliger Exerc. 307. n. 15. " Dicimus (Intellectum & Voluntatem) non " eſſe Accidentia, neque abſoluta, neque relativa; neque realiter ut loquuntur, " differre à ſe invicem, neque utrumvis ab Eſſentia Animæ: Decet enim Animam " propter ſuam dignitatem fungi ſuis officiis, ſuaſque exercere poteſtates abſque " ullius accidentis aut inhærentis, vel præſidio vel adminiculo; ſed ſine ullo me- " dio ſtatim per Eſſentiam ſuam--Intellectus autem & Voluntas etſi una res, di- " ſtinguuntur ratione; ſunt enim affectus Animæ proprii, non accidentales, ſed " una res cum ipſa, ſicut, *Unum*, *Bonum*, *Verum* ſunt affectus ipſius Entis, una ſane " Res, atque eadem cum ipſo Ente; ſed & ab eo, & inter ſe diſtinguuntur, per " definitionem ad hunc ſane modum: Quia in prima Natura ſtatuitur ipſum Ens: " Quæ Natura quodammodo ſeipſam profert atque efficit ut ſit unum, bonum, verum; " quæ eſt alia Formalitas, ab illa prima formalitate--Sic una res, Anima, Intel- " lectus, Voluntas.] Vide cætera.

Sed

Sed objicit Zabarella, cum aliis, [*Aptitudines illæ potentiarum ad varias operationes, vel sunt aliquid, vel nihil: si nihil, nulla est potentiarum differentia: si aliquid, sunt substantiæ, vel accidentia: si substantiæ, diversæ essent formæ substantiales: sin accidentia, in quânam Catagoria*, &c.]

Resp. 1. Reverâ Aristotelis sive Porphyrii decem Prædicamenta, non ad rerum naturam concinnè satis adaptantur, vel quoad eorum genera, vel ordinem, vel numerum: Et tam ad intellectus deceptionem quam ad informationem ejus sunt idonea. Parum igitur nostrâ refert ad quam Categoriam pertinere dicantur Potentiæ naturales.

2. Dum Spirituum natura extra sensum & imaginationem posita, haud clarè satis nobis innotescit, ut Spirituum Accidentia magis nota sint, minimè sperandum est. Et ni fallor, Aristoteles prædicamenta sua ad res corporeas & ad Physicen adaptavit, potiùs quàm ad naturam Spirituum: Et quamvis eandem Animam ut formam hominis incorporatam, cum omnibus suis Potentiis & Actibus ad Physicen pertinere putavit, & tamen ut in se & separatam, cum iisdem potentiis & actibus, ad Metaphysicen tantum; Anima tamen in corpore, & à corpore separata una eademque est, & in substantia & Virtutibus Essentialibus & actibus, (quamvis non in actionibus ad extra.) Et rerum ordinem secundum Aristotelis placita confundere & perturbare non oportet.

3. Quomodo objectionem tuam de Personis & Proprietatibus Divinis tu ipse dilues? Id scilicet quo Personæ & Proprietates inter se differunt, aut aliquid est, aut nihil: si nihil, nulla est differentia: si aliquid, aut substantia est aut accidens, &c. Responde ut responsionem habeas.

4. *Accidentis* nomen adeo ambiguum est, (non *genus* novem specierum accidentium, sed nomen generale plura *rerum genera*, idque *vix univocè*, significans) ut donec per notius aliquod explicetur, ad statum controversiæ exprimendum ineptum sit.

5. Virtus ipsa seu Potentia est *forma* substantiæ, ideoque substantia: Forma hæc Animæ Unica, est Virtus, Vis, Inclinatio Unica Realiter, at triplex ad triplex objectum. Illud quo altera Inclinatio seu Virtus ab altera differt, est *propria* Relatio saltem si non *Formalitas illius Virtutis*. De nomine non nimis litigandum. Si *Proprietatem* dicere mavis quam *Formalitatem*, per me licet. A Potentia Divina minimè alienum putandum est, Formam activam Vitalem creare in sua Imagine, unicam radicitùs, at in triplicitatem progredientem, sine Essentiæ divisione. Et quamvis Anima utpote non corporea, partes non habet extra partes, neque discerptibilis est; *extensionem* tamen sicut & *Materiam* suam habet *Metaphysicam*, seu *Spiritualem*; & ita Metaphysicè in partes Spirituales, id est, facultates diversas quasi divisa est: Non tamen dicimus *facultatem unumquamque* suam *habere formam*, sed potiùs *esse formam* seu *formalitatem*; dum forma unica in trinitatem vergit: Neque dicendæ sunt formæ, illius unicæ Formæ; sed Virtus formalis quasi prægnans vel se multiplicans. Similitudo nimis crassa esset utpote à materiali partibili, si dicerem, sicut manus mea *unica* est in palma, at in digitos plures statim divisa, &c. In semine vel minimo latet Virtus multiplex, quæ *unica* tamen seminis *forma* est. In Sole vel Igne (quicquid de *qualitatibus* suis dicant contrasentientes) est *forma unica*, quæ continet essentialiter *Potentiam* seu *Virtutem*, *Motivam*, *Illuminativam*, & *Calefactivam*, formaliter inter se distinctas, id est, ut diversas formalitates, quamvis non ut diversas substantias: Neque *sensus* & *appetitus sensitivus* sunt *Animæ sensitivæ Qualitates accidentales*, sed *facultates essentiales*: Dic autem per quid Visus primario differt à gustu? & ab olfactu? &c. & per quid pars *apprehensiva* differt à parte seu facultate *appetitivâ*? Non tantùm per organa, media, & objecta; sed prius & intrinsecus in *Natura* seu *Virtute* & *Inclinatione* uniuscujusque propriâ. Quid verò dicenda est peculiaris illa Virtus seu Inclinatio qua facultas altera sensitiva ab altera differt?

Sin autem *distinctio* hæc *formalis* non placeat, accipe Occamistarum priorem responsionem, facultates non esse realiter plures, sed tantùm respectivè & denominatione extrinsecâ.

Obj.

Obj. *At animo non cogitante habemus potentiam, videndi, movendi,* &c. *diſtinctas?*

Reſp. At (aiunt Nominales) diſtinctas tantum in *eſſe cognoſcibili* ſuppoſitis objectis, organis & mediis diverſis, ut connotatis in eſſe item intelligibili.

2. Objicit Zabarella [*Nulla eſt magis intima ſeu eſſentialis conſideratio quàm quæ ſignificatur per hanc duplicationem* [quatenus.] *Ergo nulla eſt intimior ratio potentiæ viſivæ quam quæ ſignificatur dicendo* [*Potentia viſiva quatenus potentia viſiva:*] *Sequitur igitur Potentiam viſivam quatenus viſivam eſſe olfactivam; Quod abſurdum eſt.*

Reſp. Nulla Ratio quidem diſtinctionem potentiæ melius exprimit, quam quæ proprietatem eſſentialem illius potentiæ ut ab aliis differentis nominat. At in rei ipſius natura ratio alia communis & profundior & intimior & prior eſt, *viz. Potentia ſenſitiva, quà ſenſitiva* in ordine Rationis prior eſt, quam eadem potentia quatenus *viſiva.* Et Potentia *viſiva, quatenus ſenſitiva* eadem eſt cum potentia quæ ſecundario olfactiva dicitur. Cum dicis [Potentia viſiva quatenus viſiva] relationem ad objectum connotatum includis; At in hac connotatione conſiſtit diverſitatis ratio: Non igitur dicendum eſt, *Potentia quatenus viſiva,* ſed *Quæ viſiva* cum olfactiva realiter eadem eſt: Quod verum eſt. Unica facultas ſentiendi diverſimode ſentit per organorum, objectorum & concauſarum diverſitatem: Qui ſenſu hoc aut illo particulari orbati ſunt, eandem tamen ſentiendi facultatem animalem retinent.

Ad Arg. 3. Reſp. Inadæquatè animam concipimus ſub notionibus diſtinctis *Rei* ſeu *Materiæ Metaphyſicæ*, & *Differentiæ Formalis*; Quamvis reverâ compoſita non eſt. Et quando de Anima loquimur ſub conceptu inadæquato *Materiæ Metaphyſicæ* (quam *ſubſtantiam* vel ἐσίαν nominare ſoleo) tunc *Virtuoſam* illam ſæpè dicimus; ita enim ipſa forma uſitatiſſimè de Materia prædicatur in concreto: Et ita Deum ipſum dicimus, *Bonum, Sapientem, Potentem.* At ubi *Formam* ipſam primariò ſignificare ſatagimus, locutione potiùs utimur abſtrahente: Et propriè dicimus, *Anima eſt Subſtantia-Virtus,* ſeu Potentia, Intellectus & Voluntas.

Ad 4. 1. Actus eſt *Potentia nobilior* ſecundum quid, quando Medium eſt ad effectum aliquem ut finem: Et *Potentia in Actu* quando agere oportet nobilior eſt quam *Potentia* tunc non *agente.* At in eſſe Conſtitutivo, & Phyſice, Potentia ſeu Facultas, quâ talis, ſemper nobilior eſt quam *Actus*, quâ talis, à præſtantia Potentiæ per Rationem abſtractus. 2. Potentia *Activa* non eſt cum Potentia *Paſſiva* confundenda: *Actus* quidem potentiæ *Activæ* nobilior eſt quam Potentia *Paſſiva:* At probè notandum eſt quod nomen *Potentiæ* in controverſia noſtra defectivum eſt: Quia id de quo loquimur eſt quid majus quam *Potentia:* Nomina ſcilicet *Potentiæ, Virtutis*, ſeu *Vis*, & *Inclinationis* omnia ſimul poſita, hanc unicam Animæ formam ſignificant: Neque ſuppetit unicum aliquid nomen ad naturam ejus aptè & plenè ſignificandum, ſufficiens.

Ad 5. Reſp. Si per *Eſſe* intelligatur *Eſſe ipſius Animæ*, & per *Poſſe* intelligitur non *Poſſe Eſſe*, ſed *Poſſe Agere, cum Vi & Inclinatione* ut jam dictum eſt, tunc *Poſſe* eſt tantum partialis, vel inadæquatus conceptus ejuſdem *Animæ* quæ dicitur *Eſſe.* Eſſentia quâ Eſſentia, & Eſſentia, qua potens, &c. ſunt diverſi conceptus inadæquati, etiam objectivi: At non ſunt aut Eſſentiæ aut res diverſæ; neque differunt ut ſubſtantia & Accidens; ſed ut Genus & Differentia, ſeu Natura Spirituum, qua Spirituum, & qua formaliter Virtuoſorum. Ad rationem illuſtrantem dico, Reſpectum Potentiarum Animæ in operando ad diverſas corporis partes ut inſtrumenta, non probare earum realem diverſitatem inter ſe. Animæ enim Potentiæ ſunt eædem in ſtatu ſeparato, quando nullo corporeo utuntur inſtrumento. In oculo cæco *Anima* non tantum ineſt ſecundum eſſe, ſed etiam ſecundum *Poſſe:* Quod enim obcæcatus oculus non videt, cauſa non eſt Impotentia Animæ, ſed defectus *organi* utpote non debitè diſpoſiti. Tota ſcilicet Anima poteſt videre, tota poteſt guſtare, tota audire, non autem totaliter.

Quod ad Zabarellæ concluſiones dico; 1. Prima conceditur. 2. Si per *Naturam* nil aliud ſignificatur quam *Materia Animæ* Metaphyſica ſeu Anima qua Eſſentia,

tia, vel hoc aliquid, ut conceptus inadæquatus objectivus, concedo quod Anima, quâ Res prius in mentem nobis venit, quam Anima ut *Potens*, seu *Virtuosa*. At non alia *natura* est, & alia res. Omnis *operatio* quidem est ab *Actu entitativo*, id est, *nihil* non operatur: quodcunque *operatur*, *est*: Imò omnis operatio est à *Potentia Activa*. At *Potentia operandi* non est *operatio*: Neque dicenda est *Potentia* hæc *provenire* ab Essentia Animæ vel à natura priore, sed esse ipsam Animæ Essentiam qua Potentiam; sicut in Physicis simplicibus, forma non rectè dicitur à materia provenire.

Ad 3. Nego Animam suas Potentias efficere; ut per transmutationem aut per emanationem. Hic autem summè notandum est quam proximè accedit Zabar. ad verum: Et quantula jam restat lis decidenda: Concedit enim quod Potentiæ ita per emanationem ab Anima proveniunt, ut effectus naturales, constantes & necessarii, absque ulla scilicet resistentia patientis, & sine ullo efficientis conatu. Sin autem hic nullum esse *patiens* notasset, & *Conatum* quidem sed naturalem concessisset, & de *Actu* tantum per Potentiam, & non de ipsa *Potentia* loquutus esset, à verò minimè aberrasset. Sicut dicimus à Sole quidem Lumen emanare (& si vis Lucem,) non autem Lucendi *Potentiam*; quæ Soli *inest* ut virtus ejus formalis, & non ab eo emanat aut provenit.

4. Ad 4^m. Perverse quidem Potentia negatur esse Causa operationis; cùm de Potentiis Animæ activis, quæ sunt Virtutes etiam & Inclinationes, loquimur. Anima quidem non dicenda est Causa remota, & Potentia Causa proxima, quasi diversæ res & Causæ essent. Sed Anima qua Potens & Virtute inclinata est Causa totalis & proxima: Et potentia hæc dici potest quidem Aptitudo ad agendum, sed Aptitudo formalis Essentialis, & plus quam Aptitudo.

II. Facultates autem Animæ esse ipsam ejus Essentiam seu Formam ita probatur.

I. Ex natura communi Activorum. Omnis natura Activa (ut à natura Passiva distinguitur) est *Essentialiter Activa* (sicut natura Passiva est essentialiter passiva.) Anima est Natura Activa: Ergo Anima est essentialiter activa.

Natura Passiva (Terra scilicet, Aqua & Aer) non agit naturaliter (nisi ad *Unitatem* & ad *Requiem:*) Ideoque utrum actus ejus sit per essentiam, aut per accidentia dubitatur. At Natura Activa (qualis est Spirituum & Ignis) non agit ad requiem, sed quasi quiescit agendo, & agere est status ejus maximè naturalis. Non agit igitur per accidentia tantum sed per essentiam.

Natura est Principium Motûs: Forma est Activorum Natura: Ergo Forma Activorum est Principium Motûs.

II. Status Naturæ Activæ *perfectissimus*, potius ab ipsa Natura est quam ab accidente. Agere est status Naturæ Activæ perfectissimus: Ergo potius ab ipsa Natura (seu forma) est, quam ab accidente. At proculdubio Agimus ex Potentia: Ergo Potentia potiùs Natura seu Forma, quam Accidens dicenda est.

III. Naturæ præstantiori præstantior agendi Modus imputandus est: Anima est Natura præstantior, & agere per formam seu virtutem essentialem, est præstantior agendi Modus, quam agere per accidens: Ergo agere per formam potiùs Animæ ascribendum est, quam agere per accidens.

IV. Simpliciori Naturæ simplicior agendi Modus ascribendus est: At Anima est simplicior Natura, & agere per Virtutem formalem est simplicior agendi Modus, quam agere per Essentiam, & per accidentia simul: Ergo agere per Virtutem formalem potiùs Animæ ascribendum est, quam agere per Essentiam & per Accidentia. Frustra enim fit per plura, quod æquè fieri potest per pauciora.

V. Rationalitas est Forma Animæ: Rationalitas est Potentia seu Virtus Ratiocinandi seu Intelligendi: Ergo Potentia Ratiocinandi est forma Animæ. Major probatur ex communi Hominis definitione: Homo est Animal Rationale: Rationale est Hominis differentia specificans: Differentia specificans non est Accidens, sed ipsa forma: Et dicitur, *Prædicari in quale quid essentialiter*. Et si de tali *Qualitate* loquerentur adversarii, quæ non est Accidens, sed ipsa quidditas, seu forma substantialis, de nomine non litem moveremus.

Vel

Vel Optima Animæ Definitio est per Virtutes seu facultates ejus operativas: At optima Animæ definitio, non est per Accidentia, sed per *formam*, seu differentiam specificam: Ergo Potentiæ operativæ sunt Forma. Major probatur, quia nulla clarior aut melior Animæ definitio datur, quam quod sit [Spiritus, Vitaliter Agendi, Intelligendi & Volendi facultate seu Virtute præditus, seu informatus:] sive, ut Aristoteles mavult, Entelechia seu actus Corporis Physici Organici, quo vivimus, sentimus & intelligimus. Essentia igitur optimè definitur per Potentiam seu Virtutem ad hosce actus: Sed non optimè definitur per accidentia. Non omninò dignoscitur Anima nisi per Actus: At secundum adversarios, non Anima, sed tantum ejus qualitates accidentales per hosce actus dignoscuntur: Ergo secundum ipsos Anima omninò non dignoscitur.

VI. Si forma Animæ est Causa principalis Vitalis-Actionis, Intellectionis & Volitionis, tunc aliquid principaliter in ipsa forma est, unde Causa talis diceretur: Et hoc erit aut Potentia-Virtus-Inclinatio, aut quiddam aliud. At aliud dari non potest. Neque Animæ Accidentia sunt magis Activa quam ipsa Animæ forma: Alias essent nobiliora. At etiam adversarii dicunt Animæ formam esse Causam horum actuum principalem: scil. ut Thomistæ dicunt, Remotam, at ut Zebarella, Proximam: Sin autem Anima ut Essentia seu forma, nulla est Potentia, nulla Vis vel Virtus, ad hosce actus, Inclinatio nulla, quomodo est eorum Causa principalis?

VII. Si facultates quas dicunt esse Accidentia, sunt Formæ effectus, tunc nihil ipsis inest nisi quod vel formaliter vel eminenter inest Formæ: Quia nihil dat quod non habet, aut formaliter aut eminenter. At secundum adversarios, facultates hæ sunt formæ effectus.

VIII. Quando Forma seu Essentia Animæ dicitur efficere suas Potentias accidentales, aut id facit quod potest facere, aut quod non potest: At posterius nemo dicit: Sin prius, 1. Aut hoc potest per Potentiam aliquam Potentiâ effectâ priorem, aut per Potentiam effectam: Posterius à nemine dicetur: Sin prius, aut prior hæc Potentia est ipsa Animæ Virtus formalis, aut Accidens. Si posterius, quæstio iterum recurret de ejus causatione, & ita in infinitum. Sin prius, habetur quæsitum. 2. Item Animæ Potentia efficiendi hanc fictam Potentiam Accidentalem, aut est unica, aut triplex: Et si dissentientes possent sibi ipsis explicare, quomodo Potentia efficiendi diversas Potentias, sit vel unica, vel triplex, vel & unica & triplex diversis respectibus, ad ipsorum objectiones etiam contra nos possent respondere.

IX. Facultates hæ accidentales dictæ, vel sunt *separabiles* ab Animæ *Essentia* (& à se invicem) vel *inseparabiles*: Prius à nemine contra sentientium dicitur. Si enim seperentur, aut *Anima* manet adhuc *Potens* ad *hosce actus*, (Intelligendi, Volendi, &c.) aut ad *alios*, aut ad *nullos*. Non ad nullos: tunc enim Anima non esset Anima; sed aut Materia passiva, aut nihil. Non ad *alios*: Alii enim non dantur, aut à nemine nominari possunt. Sin ad hosce, datur quæsitum.

Sin autem dicantur *inseparabiles*, tunc dicentes [Animæ Essentiam seu formam emanatione necessariâ perpetuâ efficere, facultates inseparabiles in se, Vitaliter-Activam, Intellectivam, & Volitivam,] (nisi velint Animam in se efficere alteram Animam,) ferè idem illud dicunt cui contradicere videntur.

X. In re tam difficili à notioribus ad ignota non est fugiendum; sed apertis, certis & simplicibus adhærendum est, potiùs quàm *rem* totam in tenebras deportare. Hæc autem certissima sunt; Animam esse Naturam essentialiter Activam; & per Actus suos sibi notam esse; & Actus hos non alios esse (præter vegetationis & sensationis) quam Vitales, Intellectivos & Volitivos: Certum item est non aliam *Animæ* dari *definitionem* quam quæ ab *actibus hisce* respectivè desumitur: Ideoque *formam Animæ*, aut *talem Virtutem*, aut omninò *nullam*, à nobis designandam esse. At qui *nullam* designare possunt, Brutistas confirmant qui nullam esse à brutorum anima differentem autumant: Cùm tamen operationes ejus unde definiri potest, liquidò omnibus ferè innotescant. Quando autem ad doctrinam de Animarum *Accidentibus* deventum est, quantæ nos adoriuntur difficultates? Quis enim novit quænam sint Spirituum *Accidentia*

realia? Utrum ipsæ Essentiæ, sicut per generationem *multiplicantur*, (& *numerus* simplicium Essentiarum nihil est *realiter* ab *Essentiis numeratis* differens:) ita *majores* fieri, & Essentiæ ipsius *incrementum* recipere possint? Et utrum *gradus Essentiæ gradui* additus, sit *Accidens* appellandus? Dum etiam de materialibus dubitatur, utrum *Corporis extensio* seu *quantitas*, sit aliquid reale præter rem quantam seu extensam: Quid mirum, si quantum Spirituum *Gradus*, & *Modi*, etiam & *Actus*, & *Habitus*, ab Essentia differant, sapientissimi mortalium vix aut ne vix quidem vel demonstrare vel clarè intelligere possint? Non igitur à certis ad dubitata hæc accidentia fugiendum est.

Argumenta jam Scoti & Ariminensis proferam, cum Zabarellæ responsionibus, & ad easdem breves dabo Replicationes.

Arg. Scoti 1. est: *De quo dicitur Definitio, de eodem dicitur & nomen definiti: Atqui de Forma prædicatur definitio Potentiæ Activæ: Ergo & nomen.* Minor probatur ex Defin. Aristotelis 9. Met. [" Potentia Activa est principium transmutandi aliud quatenus est aliud: Atqui forma est hujusmodi principium: "Ergo forma est Potentia Activa.]

Respondet Zabar. Aristotelem ibi definire, nec formam solam, nec potentiam solam, sed totum conjunctum: Vel per [*Principium*] significari tantum *Rationem agendi.*

Replic. De Aristotelis sensu & authoritate, litiget cui vacat: At ut de re ipsa loquar, Potentia Activa rectè definitur, esse Principium Actionis per quam aliud transmutatur: Et eadem est formæ qua Causæ efficientis (non qua formæ) definitio. Et quis accuratè loquens Causæ aptitudinem (quæ secundùm Zabar. ipsa Causa non est) appellaret *Principium transmutandi aliud.* Affectio vel Modus Principii Activi non est *Principium.* Saltem Potentia hæc *vere Causa* facile probatur.

Arg. 2. Scoti. *Sicut se habet Potentia Passiva ad patiens, nempe ad Materiam primam, ita & Potentia Activa ad agens; nempe ad formam: At Potentia Materiæ passiva est Materia ipsa: Ergo etiam Potentia Activa est ipsamet forma.* Prob. Min. Si Potentia Materiæ esset aliquid diversum à Natura Materiæ, esset accidens: Ergo aliquod accidens reciperetur in materia ante formam substantialem, quod absurdum est.

Resp. Zabar. non esse absurdum Materiam habere Accidens *indeterminatum*, etsi non *terminatum.*

Replic. At omne Accidens est substantiæ Accidens. Et quamvis ad formam secundam, vel *forma prior*, vel materiæ quædam *dispositio*, sit necessaria; nondum tamen probatur ad formam primam accidens aliquod Materiæ requiri. Et concedit quidem Aquinas Potentiam passivam esse ipsam substantiam materiæ. *Accidens indeterminatum nihil est.*

Arg. 3. *Sicut se habet forma merè naturalis ad suas operationes, ita etiam Anima ad suas: At forma merè naturalis est immediatum principium suarum operationum absque ulla potentia Media.: Ergo & Anima.* Non debet esse Anima minoris perfectionis quam forma inanimata: Forma substantialis est Natura: Natura est principium motus: Calor (forma accidentalis) est Causa immediata calefaciendi, &c.

Resp. Zabar. concedendo Formas substantiales & accidentales esse Causas immediatas suarum operationum; At neutram agere sine *Potentia* ut Ratione agendi seu *Aptitudine:* Et Thomam rejicit qui *Causam* agendi intermediam ponit in formis *substantialibus*; at non in *accidentalibus*, quia ipsæ sunt intermediæ causæ.

Replic. At *Potentia Activa* quæ *Vim* seu *Virtutem* & *Inclinationem* ad agendum continet, majus sonat quam Rationem seu Aptitudinem agendi: Aliqualem scil. imò proximam agendi Causam. Ex ipsa Vi, Virtute, seu Potentiâ activâ fit Actio: Et ipsa *Potentia Virtus* habet suam Aptitudinem seu Rationem agendi: Quæ *firma* scilicet & *valens* est, apta est; Quæ infirma, inepta. At non datur aptitudinis aptitudo: Et dum Zabarella formam animæ esse causam operationum immediatam asserit, reverâ eam esse *ipsam Virtutem agendi* concedit, dum idem in terminis negare videtur.

Arg.

Arg. 4. *Natura nihil fruſtra facit : At ipſa forma ſufficit ad actus : Ergo*, &c.

Reſp. Zabar. Negando minorem, 1. Quia anima eget Corporeis inſtrumentis, ſine quibus operari non poteſt. 2. Quia eget Potentiâ activâ.

Replic. 1. Anima à Corpore *ſeparata* operari poteſt ſine corporeis inſtrumentis; aliter aut *materia mortua*, aut *nihil* eſſet. 2. Anima in Corpore non utitur inſtrumentis propriè dictis, ſcilicet, efficientibus, in opere Intellectionis & Volitionis, ſed tantum inſtrumentis objectum debito modo præſentantibus: Quibus eget, non quatenus eſt Spiritus *Intellectualis*, ſed quatenus Anima Corpori adunata. 3. Fatemur, Animam ad rectè agendum opus habere rectitudine, ſeu aptitudine; at dum concedis non opus habere Cauſâ aliquâ intermediâ, concludimus igitur *Potentiâ Virtute* intermediâ non opus habere, quæ Cauſa eſt.

Arg. 5. *Agens nunquam agit in extremum, quin prius agat in medium; ſi medium habeat : Itaque ſi Anima efficit operationes per medias potentias, neceſſe eſt ut agat in ipſas potentias, quod abſurdum eſt.*

Reſp. Zabar. Antecedens verum eſſe de *Cauſis Mediis*, non autem de Cauſarum *aptitudine :* Et animam quidem & *potentias* & *operationes producere*, non autem in *ipſas agere.*

Replic. Non aptè quidem dicitur, Animam agere in ſuas operationes; ſed ſi Potentiæ ejus eſſent Cauſæ Mediæ ut Volunt Thomiſtæ, quare non diceretur eam agere primò in Cauſam Mediam, & per illam in objectum remotum? Et ita in potentiam ageret vel *ſine potentiâ*, vel per *potentiam aliam*? Aptitudo autem tua quæ non eſt Cauſa, relinquit nobis conceſſum quæſitum, ſcilicet, Omnem Virtutem, facultatem & Potentiam Cauſalem ſeu Effectricem eſſe ipſam Animæ formam ſeu eſſentiam: De potentia ſeu facultate non cauſante (qualem haud novimus) non contendimus. Qui dicit Cultrum ſecare per aciem, non dicit illum ſecare per Accidens ſeu Qualitatem accidentalem; Acies enim eſt Cultri forma: Una tamen acies poteſt aliâ eſſe acutior; & ita forma una aliâ præſtantior : Et eadem acies acutior fieri poteſt: Non tamen *magis* forma Cultri fit, ſed *major* ſeu potius *melior* forma; additione ſcilicet non alicujus accidentis heterogenei, ſed Eſſentiæ ejus gradûs præſtantioris. Sin autem *Gradum* hunc *Eſſentiam* an *Accidens* appellare mavis, dum conſtat de *re*, de nomine non multùm contendo.

Arg. 6. *Si potentiæ ſint diverſæ ab Eſſentia animæ, & ab ea manant, ergo ab ea pendent ut à Cauſa: non autem ut materiâ, non ut fine, non ut formâ, ergo ut ab efficiente : Ergo anima aliquid immediatè producit*, viz. *Potentias : Et ſi per alias potentias, procedimus in infinitnm.*

Reſp. Zabar. Per *Emanationem* effectus aliquis ab agente provenire poteſt immediatè; & ita potentiæ ab eſſentia animæ.

Replic. At anima quæ facultates illas efficit, non efficit id quod efficere non poteſt; nec id ad quod efficiendum Virtute nullâ valet. *Lucis emanatio* ab Igne Solari à *Potentia* & *Virtute lucendi* fit. Nihil vel per *emanationem* id facit, quod non *potens* & *aptum* eſt efficere: Ergo velis nolis concedendum eſt Potentiam & Virtutem aliquam eſſe formam ipſius animæ, & non accidens.

Res naturales ſecundum formam Eſſentialem ſuam ex natura operantur : Artificiales autem, &c. Polanus Syntag. l. 5. c. 15. p. 288.

Arg. 7. *Potentia ipſa poteſt operationem producere ſine alia potentia media : Ergo aliquod agens poteſt actum producere ſine potentia media.*

Reſp. Zab. Concedendo argumentum valere contra eos qui facultates dicunt eſſe *Cauſas* medias ad quod replicare iterum non opus eſt.

Arg. 8. *Anima non requirit potentias à ſe diſtinctas, vel ob perfectionem ſuam, vel ob imperfectionem: Ergo non omninò: Non ob imperfectionem; quia formæ accidentales quæ ſunt imperfectiores non requirunt hujuſmodi potentias*, v. g. *Calor : Non ob perfectionem, quia ſubſtantiæ ſeparatæ à materia, & Deus, eas minimè requirunt.*

Reſp. Zabar. Potentias neceſſarias eſſe ob animarum *imperfectionem :* Nam formæ *à materia abjunctæ* agunt per Eſſentiam: Ideo & *potentia* & *ipſa operatio* in eis idem eſt quod *Eſſentia:* at formæ *materiales* ob ſuam imperfectionem agunt per potentias ab Eſſentia diſtinctas, quum non *poſſint* agere per Eſſentiam:

Ideo quando dicunt, Ergo formæ ignobiliores agunt per potentias medias, hæc omnia concedimus.

Replic. Hic totam ſuam Cauſam deſerere Zabarella mihi videtur, niſi animæ immortalitatem negaverit. Quis enim ſobrius ei credere poteſt, animam ſeparatam operari per Eſſentiam, & ejus Potentias & operationes eſſe ipſammet Eſſentiam; & tamen in eâdem animâ incorporatâ, rem omninò aliter ſe habere? Anima quidem in corpore in corpus operatur, & in ſtatu conjunctionis, ex ſenſuum & ſpirituum cooperatione, Intellectio, Volitio & Executio ſonant actiones quodammodo compoſitas, connotando ſcilicet actiones cooperantium. At tantum eam differre à ſemetipſâ in ſtatu ſeparato, eſt omninò incredibile. Neque talis Imperfectionis ratio ulla redditur; Quod jam etiam per Eſſentiam non agere poteſt: Et quod ipſius animæ potentiæ & operationes ſint merè accidentia in ſtatu incorporationis, & tamen ipſam Eſſentiam in ſtatu ſeparato: Clariſſimâ hæc ficta alteratio egebit probatione. Imò utrum tanto agendi diſcrimine Anima operans, dicenda ſit reverâ *Eadem Anima*? Et utrum ipſa ejus Eſſentia mutari non ita infertur, videat lector. Et dum Zabarella hic concedit potentias accidentales, *e. g.* Calorem, requirere potentias medias ad agendum, in magnas abſurditates ſuam Cauſam conjicit: Non enim notam facere poteſt Potentiam eam per quam Calor calefacit, præter ipſum Calorem, & præter Potentiam Activam, quæ in Igne non eſt Calori ſubordinata ſed coordinata: Nec magis calefacit Calor per Potentiam Activam, quam agit Potentia Activa per Calorem. Et quæro utrum etiam hæc Potentia ſubordinata per quam Calor calefacere fingitur operetur per ſe, an per aliam etiam potentiam intermediam? Et ſic in infinitum. Siſtendum eſt igitur in aliqua potentia ſine potentia media operante.

De hiſce porro notandum eſt, per duas haſce propoſitiones Radam Scoti "mentem aperire: 1. Quod continentia Unitiva non eſt eorum quæ omninò "ſunt unum: Quæ modis omnibus Idem ſunt, non dicuntur *Uniri.* Idem ſibi "non Unitur: Nec eſt eorum quæ manent diſtincta eâdem diſtinctione quâ "prius diſtinguebantur: Sed eorum quæ fortè erant diſtincta realiter, at unita, "idem ſunt *Realiter*, ſed diſtincta *formaliter.* Horum quædam ſunt de Natura "& Eſſentia ipſius continentis; ut Albedo, Color, qualitas in Albedine. Alia "ſunt contenta in aliquo unitivè quaſi poſteriora; quia ſunt quaſi paſſiones ip"ſius continentis, non tamen *res* aliæ: Ita Unum, Verum, Bonum diſtinguuntur "ab Ente, & ab invicem quidditativè & formaliter. Sic Ipſe vult Animam "continere ſuas potentias: Quia non continentur in aliquo Unitivè quæ ſine "Omni diſtinctione continentur; neque quæ ſimpliciter realiter diſtincta ſunt. "Concludit ergo quod hoc vocabulum *Unitivè* includit aliqualem diſtinctionem "contentorum, quæ ſufficit ad Unionem quæ repugnet omni compoſitioni & ag"gregationi diſtinctorum.

2. "Potentiam ut Principium *operandi* (vel Activum vel Paſſivum) diſtinguit "à Potentia ut diſtinguitur ab *Actu*, (id eſt, *eſſe in Potentia* eſt *eſſe Poſſibile*, & "eſſe in *Actu eſt Exiſtere.*) Hæc dicitur *Potentia objectiva.*

At reverâ Virtus Animalis eſt *Una Eſſentialiter*, *viz.* Animæ Forma ſeu Differentia ſpecificans; & cùm dicitur Triplex *formaliter*, ſenſus eſt quod Triplex de ea datur Conceptus objectivus inadæquatus, ſeu fundamentum in objecto triplicis conceptus formalis inadæquati. Ex anguſtia & imperfectione Intellectus, non poſſumus omne illud uno conceptu comprehendere quod in objecto unum eſt: Attamen aliquando diverſitatis conceptus noſtri ſubjectivi quædam Ratio ab objecto ſuppetit: Et ita diſtinctio quorundam *Rationis Ratiocinatæ* Guiliel. Camerario Scoto Diſp. Philoſ. eadem videtur eſſe cum Scoti diſtinctione *Formali:* præter diſtinctionem enim Formalem negat ullam dari diſt. Rationis Ratiocinatæ. Et dum conceptus diverſi fundamentum in re agnoſcitur, vix niſi de nominibus dignoſcuntur ab invicem, Diſtinctio *Rationis Ratiocinatæ*, & Scoti *Formalis*, & Nominalium *Virtualis.*

Et tota difficultas oritur à rerum præcipuè inviſibilium, & ſpirituum) & Actionum naturâ abſtruſa & ingenio humano ferè imperceptibili, *e. g.* Clarè percipimus

mus Naturæ Igneæ (Solaris) triplicem dari Influxum; Ideoque ejus triplicem esse Potentiam, *viz.* Motivam, Illuminativam, Calefactivam. Clarè item ex effectis percipimus Motum, Lumen & Calorem, non esse idem; Ideoque Vim seu Potentiam Motivam, Illuminativam & Calefactivam, non esse idem. At clarè percipere, *quid vis motiva* est, *quid vis Illuminativa*, *quid Calefactiva*, & *quomodo Vis* seu *Virtus* agentis transit in effectum, mortalium captum (quicquid ab ingeniis se nescientibus præsumatur) longè superat. *Quid sit* quod à *Virtute Agentis* emanat seu procedit ad passum? Et ad *Motum*, & *Illuminationem* & *Calefactionem*? An Substantia, an Accidens? si Substantia, an *Corporea* an *Incorporea*? si Accidens, *viz.* *Qualitas*, *Quid Reale* est quod per *Qualitatis nomen* significatur? Quicunque enim in nudis nominibus non acquiescet, per nomen *Qualitatis*, utpote incertissimæ significationis, Intellectûs quietem nullam obtinebit. Et sicut planè desperandum est, de apprehensione satisfactoria circa Quidditatem istius Influxus, qui ab Agente transit ad effectum in patiente, ita & de *subjecto* ejus in transitu, si Qualitas, seu Accidens aliud dicatur: Quomodo enim *Substantia* (etiam spiritualis) operaretur in *rem distantem* per Influxum seu attingentiam Virtutis, sine attingentia ipsius Substantiæ in qua Virtus immediatè Efficiens est, intellectu ferè impossibile est: Si Virtus illa est substantia emanans, tunc Effluxus Virtutis est Effluxus Substantiæ: sin Accidens sit, à subjecto separatum, interit: Sin autem aliud Accidens operativum univocum generat, (*e. g.* in Lapide projiciendo) aut in Corpore contiguo, (scilicet aut Lapide aut Aere, aut utrisque) illud generat, vel in distante. Ut fiat in Corpore distante sine medii receptione aut causatione, quicquid Guil. Camerarius Scotus & alii Scotistæ dicunt, mihi adhuc non intelligibile videtur: Ni dicamus Effectum fieri per Causationem, quæ nihil est. Sin autem in Medio prius recipiatur, & per Medium Causæ primæ influxus operatur, tunc Naturam primæ agentis videtur Medio communicari; & Medium per Vim receptam solùm immediatè efficere. At Rada (To. 1. Cont. 28. Art. 2. p. 450, 451.) Et alii dicunt, *Quod Virtus ab Agente non Passo aut Medio communicatur*, *vel ibi est*, *sed tantum ibi ad effectum terminatur.* Quomodo autem id ibi *terminatur*, quod ibi *non est*? Rem explicant per Actum Volendi; fingendo Deum efficere merè Volendo: At 1. Hoc nihil præstat ad Naturam Motus, Illuminationis & Calefactionis aperiendam: 2. *Velle*, sine *Agere ad executionem*, est actus Immanens quoad Effectum, & aliquid id solum efficere, non probant.

Et sicut se res habet de Natura Virtutis & Influxus Solaris seu Igneï, ita & in Animis de Virtute Activa, Intellectiva, & Volitiva: Triplicem esse Actum, ideoque triplicem Virtutem certè intelligimus: At *quid sit* ista *Virtus*, & *quomodo Agat*, imò *quid ipse Actus*, describere vix aut ne vix possumus: *Sensu* quodam *interno*, seu *immediatâ perceptione*, vel (ut aliqui volunt, *Intuitivè*) quid sit, *Intelligere*, *Velle*, *Agere* ita ferè percipimus, sicut & quid sit, *Gustare*, *Audire*, *Videre*, &c. At sicut *sensationes*, ita & *Animæ Actus*, quando *suo modo* ex se immediatè sentiendo percipiuntur, non tamen sub notionibus intellectualibus secundis; neque illud possumus definire, aut scire per verba, quod experientia & incomplexe notum est.

MENS

MENS humana consideratur, 1. Ut SUBSTANTIA Fundamentalis: 2. Ut FORMA: Quæ est VIRTUS Essentialis, 1. Una in se, 2. Triplex quoad Actus, *viz.* 1. Virtus Activa Vitalis, 2. Intellectiva, 3. Volitiva: Quæ considerandæ jam sunt, 1. Distinctè, 2. Ut conjunctim operantes in executione. Et 1. De *Virtute-Activa-Vitali.*

VIRTUS-ACTIVA-VITALIS consideranda est,

I. In se: ut Principium Agendi: Et ita est vel
- 1. Nuda Potentia Activa.
- 2. Potentia naturaliter *Inclinata*, *viz.*
  - 1. Ad Activitatem.
  - 2. Ad Actiones naturæ congruas.
  - 3. Ad Agendum secundum Volitiones.
- 3. Potentia habitu prædita: *viz.*
  - 1. Ad promptitudinem
  - 2. Ad fortitudinem
  - 3. Ad constantiam

  } agendi.

II. In ACTU: ubi considerantur,
- 1. Objecta; Quæ sunt
  - 1. Mentalia, *viz.*
    - 1. Proxime: *Intellectus.*
    - 2. Secundario: *Voluntas.*
  - 2. Animalia: *viz.*
    - 1. Sensus: Quos modo non uno excitat.
    - 2. Phantasia.
    - 3. Passiones: ut *excitandæ* & *frænandæ.*
  - 3. Naturalia: Spiritus primariò, & Membra secundariò.
- 2. Actus ipse; Qui est
  - 1. Essentialiter agere in se sine objecto.
  - 2. Facultates cæteras movere in primo instanti.
- 3. Ordo agendi: ubi observanda sunt:
  - 1. *Inceptio Activitatis* à Virtute hâc Activâ Vitali.
  - 2. *Circulatio* & *Concomitantia* mirabilis ad intra: dum *Virtus hæc* suscitat *Intellectum* & *Voluntatem* ad Agendum; & *Intellectus dirigit Voluntatem* ad *Specificationem*; & *Voluntas* imperat *Intellectui* & Potentiæ Activæ ad exercitium Actûs particularis hic & nunc, *viz.* executivi.
  - 3. Quod opera trium facultatum ad extra sunt indivisa: At conjunctio *Voluntatis* & *Virtutis-Activæ* ad extra est maximè notabilis (sicut & *Activitatis* & *Caloris* in Igne.)

III. In Effectis; Quæ sunt
- 1. In Mente:
  - 1. Ipsa Vita ut primariò in Actu considerata; vel Actus primò-Vitales.
  - 2. Cogitationes Intellectivæ; *viz.* — Quatenus sunt Actus Vitales: Quæ tamen *formaliter* à Virtute Intellectiva & Volitiva proveniunt.
  - 3. Volitiones.
- 2. In Anima sensitiva,
  - 1. Ipsæ sensationes ut à principio primo nobilissimo oriuntur.
  - 2. Cogitationes Phantasticæ.
  - 3. Passiones, & earum restrictiones.
- 3. In Naturalibus: Primus motus & Regimen Spirituum & Membrorum.

Sed quia Operationes *primò-Vitales* sunt nobis obscuræ valdè ad intus; & Potentia seu Virtus hæc Vitalis & Activa apertissimè cernitur in Actionibus Executivis, ubi cæteræ facultates concurrunt, plura ibi postea ut loco proprio sunt dicenda.

Elucidationes: Ubi de Potentia Naturali & Morali.

De Trinitate facultatum lege Suarez, Scheibler. Metaphys. Alsted. Encycloped. Grotii Catechismum de Trinit.

Vide Fernelium Physiol. de function. & humor. cap. 13. pag. 146, 147. probantem Voluntatis imperium non sufficere ad motum sine potentiâ motivâ.

1. QUamvis POTENTIA hæc Naturalis *Activa-Vitalis*, non adeo facilè, ut ab *Intellectu* & *Voluntate* distincta, concipitur; reverâ tamen ut ab illis distincta concipienda est.

2. Nominari potest vel, *Vita*, vel *Potentia Vitalis*, vel *Activa*; quæ nomina hic ut Synonyma accipiuntur.

3. Nomen idem sæpissime datur *Formæ* Animi humani in genere consideratæ, & *Principio huic primo* in Virtutis Trinitate: Ipsa scilicet *Forma* dici potest *Vita*, *Potentia* vel *Virtus.*

4. Hujus ratio est, Quia *Vita* vel *Potentia* in *Genere* considerata, non est Res alia à *principiis* distincta, sed *Notio universalis* in quâ Principia conveniunt, & quæ de *Principiis omnibus* dici potest; sed primariò de

de *Primo*: & sicut alibi, ita hic penuriâ quidem nominum laboramus.

5. Principia hæc nunquam separantur aut in esse aut in operationibus: Alia tamen & alia est eorum operatio.

6. Sicut in Divinis *Pater* dicitur *Persona prima* communicans, per generationem & spirationem; & nomen [*Deus*] & [*Pater*] sæpius ut Synonyma usurpantur: Ita etiam hic *Potentia Vitalis Activa* est principium primum Communicans *Potentialitatem* Intellectui & Voluntati.

7. Intellectus quidem est *Potentia Activa*; sed tantum in specie Actûs *Intelligendi*: Et Voluntas est *Potentia Activa*; sed tantum in specie Actus *Volendi* aut *Nolendi*: Suntque *Potentia secunda* & *tertia* (sicut in Divinis Persona *Generata* & *Procedens*) non autem prima. At *Potentia* Vitalis ab Intellectu & Voluntate distinctum principium est; hæc est prima (ut dicitur) & *Principium primum Vitale* qua *Vitale*, *Actionis* quatenus *Actio* est; Unde dicimur *Vivere* & *Agere* in primo instanti, sicut ab Intellectu dicimur *Intelligere*, & à Voluntate *Velle*.

8. In motibus item executivis *Potentia* hæc ut *Executiva* & *Motiva* maximè conspicua est.

9. Quamvis brutorum etiam est *Vita* & *Potentia Vitalis Activa*, non tamen *ejusdem speciei*, cujus est *Vita* & *Potentia Humana*, sed tantum *Analoga*; sicut & brutorum *Apprehensio* & *Appetitus* sunt quoad Intellectum & Voluntatem humanam. Nobilioris scilicet speciei est hominum *Potentia Activa Vitalis*; & *inde* est, æquè ac ab *Intellectu* & *Voluntate*, quod nobiliores quam brutorum edit operationes; (dum ædificia condit, libros scribit, regna format, & per leges gubernat, &c.) Neque magis obstat quod per idem *Vitæ* vel *Potentiæ Activæ nomen*, & brutorum & hominum facultas appellatur, quam si nomen *Apprehensionis* & *Appetitus* utrisque sit commune, & nomen distinguens minime suppeteret.

10. *Actionem Vitalem Motivam* ad Animum humanum Rationalem pertinere hinc patet, Quia talis *Actio* neque ut *infra* neque ut *supra* animum æstimanda est. Non *infra animum*, Quia etiam ad Deum ipsum primariò pertinet: Nisi enim ille causa motuum prima foret, nullus in rerum naturâ motus daretur. Neque *supra* animum est; Quoniam in specie inferiore, etiam brutis convenit.

11. *Potentia* Animi superioris facilè movere potest *Corpus*, vel Potentias quascunque inferiores: Potentiæ autem inferiores superiorem nec movere nec agere possunt; etiamsi illi objecta vel actionis termini esse possunt. Adeo vero Contrarium est quod scribit Gassendus [*Causis secundis primum agendi principium esse atomorum variam mobilitatem ingenitam; non incorpoream aliquam substantiam:*] Et quod [*Capere non licet quomodo si incorporeum sit, ita applicari Corpori valeat, ut illi impulsum imprimat; quando neque ipsum contingere carens ipso tactu seu mole quæ tangat, non potest.*] Quum è contra captum quidem omnem superat, quomodo *Corpus passivum* in animum spiritualem propriè agere possit; facilime autem concipimus quod & Deus & Angeli & Animi humani in Corpore agere possunt, & ea movere; Quoniam per *virium præstantiam*, quodcunque potest agens seu natura inferior, idem præstare potest superior, vel formaliter vel eminenter; Emissione *scilicet* vel *Virtutis*, vel *substantiæ suæ virtuosæ*; (Spiritus enim substantia est, etiamsi non *Corpus*.)

12. Potentia hæc *Vitalis* non est *nuda potentia* vel *indifferens*, sed triplicem habet naturalem inclinationem; 1. Magis inclinatur ad *Agendum* quam ad *Non agendum*. 2. Magis inclinatur ad *Actiones Naturæ congruas*, quam ad *incongruas*. 3. Inclinatur ad *Volitiones exequendas*.

13. Non tantum Intellectus & Voluntas, sed & Potentia hæc Activa & Executiva *habituum* Capax est; Minime enim opinandum est facultatem unam Animæ Intellectivæ esse habituum Capacem, alteram vero incapacem, cum ejusdem Animi sint virtutes essentiales.

14. Per habitus bonos roboratur inclinatio triplex antedicta; & Potentia acquirit *Promptitudinem*, *Fortitudinem* & *Constantiam agendi*.

15. Omnes Animi facultates sibi invicem & objecta sunt & opitulantur: *Potentia Vitalis* primò cæteris *Vitalitatem communicat*, & ad Actionem in genere *suscitat*:

Dr. Glissonus de Vita Naturæ potentiam Motivam ponit ordine tertio post Perceptivam & Appetitivam: & ita plurimi: & revera ad extra ultimè operatur; At ad intra ut Vitalis in operando prima est.

☞ Athanas. cont. Gent. si autem Anima movet & Corpus, multo magis necesse est, ipsa se moveat. Ea vero si ab ipsa movetur, necessario & post mortem corporis vivet. Quippe motus Animæ nil aliud est quam vita ipsius. (Hoc Platonicorum & Ciceronis Argumentum fuit.)

ſuſcitat: Sicut *Intellectus* Potentiam hanc & Voluntatem intelligit, & ad actuum determinationem *dirigit*; & *Voluntas* Intellectui & Potentiæ vitali executivæ *imperat* ad Actionum ſpecificationem moralem.

16 Quamvis etiam facultas *Intellectiva* ut & *Volitiva* in *Exequendo* & facultates inferiores movendo, concauſæ ſunt, non tamen exiſtimandum eſt quod ſine *Potentiâ hâc executivâ* hoc faciunt; & quod *ſolâ Volitione* facultates inferiores (*Locomotiva* ſcilicet, &c.) ad agendum impelluntur; 1. Quia facultas *Intellectiva* & *Volitiva* executionibus non ſufficiunt: utpote quarum officium eſt *dirigere* ad agendum, & *Velle* ſeu *Eligere* Actionem inferiorum: Præter hæc autem neceſſaria eſt ad actionem efficax *ſuſcitatio*. 2. Si natura ſenſitiva inferior ſuam habet Potentiam executivam (ut *Locomotivam*) præter Apprehenſivam & Appetitivam, ſequitur Naturam itidem ſuperiorem (Intellectualem) ſuam potentiam executivam habere: Aliter *minùs vitalis, activa,* & *nobilis* eſſet quam natura ſenſitiva, & magis manca & imperfecta: Sin autem Naturam Rationalem ſuam habere Potentiam executivam conſtat; haud minus conſtat Potentiam hanc non eſſe *inanem* & ſine uſu. Reſtat igitur facultates inferiores per *potentiam hanc* ſuperiorem ad actus præmoveri.

17. Niſi ſenſus, phantaſia, paſſiones, locomotus aliquo modo ſubeſſent *Potentiæ huic executivæ*, Rationis ductui & Voluntatis imperio minime ſubeſſent.

18. Quoniam diſtinctio Potentiæ in *Naturalem & Moralem*, maximi quidem & frequentiſſimi uſus eſt, ejus ratio hic perpendenda eſt: Potentia dicitur *Naturalis*, 1. Quia in Natura eſt, & à natura ortum ducit. 2. Quia etiam Naturæ eſſentialis eſt. 3. Quia per modum naturæ neceſſariò & quantum in ſe eſt, operatur: Omnibus hiſce modis Potentia Vitalis Activa naturalis eſt.

De Potentia Naturali & Morali, & *Habitu*. Vid § 42. & 57. 59. hic ſequent. ut Potentiæ Moralis natura intelligatur.

19. Potentia *Moralis* dicitur, 1. Quia *ipſa Ethica* eſt, id eſt, aut moraliter Bona vel Mala. 2. Quia *ad Mores*, id eſt, ad Bonitatem ſeu Malitiam moralem actionum, eſt Potentia. 3. Quia non ſtrictè ſed *Moraliter* ſeu Reputativè dicitur *Potentia*: Et omnibus hiſce modis una eademque dicitur *Potentia Moralis*.

20. Moralitas potentiæ primo fundatur in *Voluntate*, & inde ad cæteras facultates derivatur.

21. Moralitas hæc fundatur in *Voluntate* quâ *Libera*, & actuum ſuorum Domina & determinatrix eſt.

22. In ipſa Voluntate eſt & *Potentia Naturalis* & *Moralis*: Prima eſt *ipſa Voluntas* ut *facultas*, ſecunda *Voluntati ineſt*.

23. In unâquâque item facultate, (*Potentia Vitali* ſcilicet & *Intellectu*) conſideranda & diſtinguenda eſt *Potentia Naturalis* à *Morali*. Nulla enim Animi humani facultas eſt, quæ *Virtutis* & *Vitii Moralis* non eſt capax, (ſicut de *Habitibus* eorum jam dictum eſt;) quamvis *Moralitas primariò Voluntati* ineſt.

24. *Quod* objiciunt quidam *Potentiam non fundari* in *Potentia*, Moralem ſcilicet in Naturali, quia accidens non fundatur in accidente, fruſtra eſt. 1. Non verum eſt nullum accidens fundari in accidente (ſicut de Relatione patet.) 2. At periculoſiùs falluntur dum Potentias Animi Naturales inter *Accidentia*, (ſcilicet *Qualitates*) collocant, cum Virtus hæc Vitalis, una in trinâ, eſt *ipſa* Animi *forma eſſentialis*. Ideoque *Potentiæ Moralis ſubjectum* eſſe poteſt.

25. *Potentia enim Moralis* nil aliud eſt quam *Potentiæ Naturalis Sanitas*, ſeu *Recta diſpoſitio*, vel *Inclinatio* quoad actum: Vel Potentia Naturalis, quâ ſana, ſeu ad rectè agendum bene-diſpoſita.

26. Voluntatis *Inclinatio* quædam eſt *Naturalis*, *neceſſaria*, inſeparabilis, & neceſſariò ad actionem propendens: (qualis eſt Inclinatio ad *Actum* quâ *actum*, & ad *Bonum naturale* ſimpliciter conſideratum:) Altera autem *Inclinatio* eſt ſeparabilis, *amiſſibilis*, ſub dominio liberi arbitrii quoad actum, & indirectè in ſe, quem per modum *habitus* ſe habere concipimus; Et 1. hæc dicitur *Potentia Moralis*; vel *propter hanc*. 2. Ipſa *Potentia Naturalis*, *Moralis* dicitur.

N B. Quod Voluntatis hæc *Diſpoſitio* dicitur *Potentia* Moralis, in quantum ex ea dicimur *Poſſe agere*: Dicitur autem *Habitus*, quando per illam *prompte* & *facile*

facile agere possumus: Omnis igitur *Habitus* est *Potentia*, sed non omnis *Potentia* Moralis est proprie dictus *Habitus*. Quicunque ita dispositus est ad bonum, & non in tantum inclinatus ad contrarium, quin in eo statu sine alia Potentia superaddita, Bonum velle vere potest, is potentiam moralem Volendi habet, quamvis non Habitum.

27. *Habitus moralis* in *voluntate* est *dispositio recta*, e. g. ad amandum Deum propter se, & Dei Imaginem, seu Sanctitatem, vel omnia creata propter Deum scilicet ut à Deo, per Deum & ad Deum sunt. *Habitus Moralis* in *Intellectu* est Recta ejus Dispositio, *e. g.* ad sciendum Deum, & ejus Imaginem, seu omnia creata prout à Deo per Deum & ad Deum. *Habitus Moralis* in *Potentia Vitali Activâ Naturali*, est recta *ejus dispositio* ad actus *immanentes spirituales*, & ad *transeuntes operationes* à Deo, per Deum & ad Deum recte præstandas.

28. *Habitus Moralis* hic in *Voluntate* dicitur *Amor Divinus* & *Sanctitas habitualis*. *Habitus Moralis hic* in intellectu dicitur *Illuminatio* (passivè) *Scientia Divina*, *Sapientia*, *Fides*, &c. *Habitus Moralis* hic in *Potentia Vitali* dicitur specialiter, *Vita spiritualis*, vel *Divina*, ad *Promptitudinem*, *Fortitudinem* & *Constantiam* actionum spiritualium seu moralium.

29. Ex parte operationis divinæ, *collatio Habitus Moralis* in *Voluntate dicitur* plerumque *Sanctificatio* specialiter, & *donatio Spiritus Sancti*, & *Amoris Divini* diffusio, & nostri incensio: *Habitus Moralis* in *Intellectum* collatio, dicitur *Illuminatio*. Habitus Moralis collatio in *Potentiam Vitalem* dicitur, *Vivificatio* & *Corroboratio*.

30. Sæpe tamen totum opus ex parte unâ speciali, in genere dicitur vel *Sanctificatio*, vel *Illuminatio*, vel *Vivificatio*; sicut & vitium humanum dicitur, vel *Inimicitia* adversus Deum (seu *Aversatio*, seu *Impietas*) vel *Cæcitas*, vel *Mors in peccato*, & *ad Deum* & *Divina*.

31. Adami dispositio Originalis erga Deum, fuit *Moralis* sicut & nostra; Quamvis quoad Modum collationis fuit *Naturalis*; nostra vero *supernaturalis*.

32. Potentia naturalis non propriè (sed æquivoce vel hypothetice) dicitur potentia, nisi *respective ad ea quæ potest*.

33. Potentia nulla creata est infinita; neque dicenda est Potentia *ad omnia*, sicut non *omnia posse* dicimur, sed est Potentia tantum *ad quædam*, quæ ideo respective *Possibilia* dicuntur.

Quæ Potentiam constituunt.

34. Quæ Potentiæ fortiori (Divinæ scilicet vel Angelicæ) possibilia sunt, Potentiæ infirmiori sunt impossibilia.

35. Potentia Igitur fieri potest *nulla*, vel non potentia ad hoc aut illud sine aliquâ sui imminutione; alteratione scilicet objecti quâ fiat impossibile. Qui librarum tantum centum pondus tollere potest, potentiam non habet ad pondus augmentatum elevandum: Posse hoc unum, non est posse aliud.

36. Potentia item supponit objecti revelationem & debitam propositionem; nobis enim potentia nunquam data est aut *volendi* incognita aut *cognoscendi* non revelata aut non cognoscibilia.

Potentia secunda quæ.

37. Supponitur etiam ad *Potentiam primam* vel *superiorem potentia secunda* vel *inferior*, id est, *dispositio necessaria organorum sensus & Imaginationis*. Potentia quidem superior (e. g. Volendi, intelligendi, exequendi) est verè *Potentia* in *genere*, & *ad aliquid* sine organis; & nulla fit facultatis immutatio per organorum vel præsentiam vel absentiam: Non autem verè dicitur esse *Potentia ad hoc aut illud sensibile Cognoscendum aut Volendum* sine organorum debita constitutione. Nunquam scilicet nobis data est Potentia cognoscendi Lumen sine oculo, aut sine oculi debitâ dispositione, aut sine medio: Nunquam nobis concessa est Potentia sciendi aut credendi Testimonio nunquam aut lecto, aut audito, aut sine oculis, sine auribus, aut imaginatione; sicut enim facultas superior circa sensibilia sine sensibus exerceri non potest, ita ad *tale exercitium* non est *verè Potentia*, quia *nomen respectivè* dicitur ad *possibilia*.

38. Ad Potentiam item supponitur *supportatio*, *influxus*, & *concursus necessarius*

Causæ primæ, prout est Naturæ & Potentiarum Causa. Nunquam enim alicui concessa est Potentia, quâ Aliquid potest independenter à Deo, aut sine causalitate necessaria causæ primæ.

39. Causa quæ tantum *voluntariè socia* vel *partialis* est, per actus sui suspensionem, & non ex defectu potentiæ, dicenda est *Posse agere* vel causare sine aliis: At causa quæ ex *impotentia* & *imperfectione socia* est & *partialis*, dicenda est *Non posse* hoc aut illud sine Concausarum debitâ cooperatione. Reverâ enim *Causa partialis* non est *Causa* (etiamsi haud aptè ita usitate dicatur) sed tantum *Causæ pars:* Et *partes conjunctæ tantum*, *Causam* constituunt: Et *Potentiæ* itidem earum *Conjunctæ*, *veram Potentiam* ad effectum, formaliter loquendo constituunt. Nulla igitur in homine aut est aut unquam fuit *Potentia Naturalis* ad hoc aut illud, formaliter sic dicta, quæ non supponit *Causalitatem necessariam Causæ primæ*, *Objectum*, & ejus necessariam *positionem* & *Revelationem*, *potentiæ secundæ naturalis*, seu *organorum* (ad sensibilia saltem) necessariam *dispositionem*, & Concausarum omnium necessarium concursum.

40. Potentia formaliter & relativè sic dicta, est vel *Immediata* vel tantum *mediata*. E. g. *Velle non possum* bonum non intellectum immediatè ante intellectionem: Mediate illud, *Velle* possum, quia illud *Intelligere* possum: Intelligere non possum immediate conclusionem quâ talem non intellectis præmissis; Mediate tamen hanc *Intelligere* posse dicendus sum, quia *præmissa* etiam possum intelligere: Appetitum & passiones inordinatas immediate frænare non possum sine conside ratione: Mediate tamen frænare possum, quia possum considerare. Testimonio inaudito, aut non considerato, immediate credere non possum: Mediate autem possum, quando *audire possum*, & veritatem debitè considerare. Qui ab intemperantiâ & libidine & irâ difficilè abstinere potest inter illecebras & maximas provocationes; mediate tamen facilius abstinere posse dicendus est, quando illecebras & incitamenta facile potest devitare.

41. Sicut objectum, organon, medium, *&c.* non est *Potentia*; attamen *sine illis* Potentia non est verè & formaliter *Potentia ad hoc*; Ita & Potentia *Intelligendi* non est formaliter Potentia *Volendi*, aut exequendi, & vice versâ: Attamen sine Potentia *Intelligendi*, facultas *Volitiva* non est verè & formaliter *Potentia ad hoc*; & ita de cæteris: Potentiæ enim se invicem ut Concausas supponunt.

42. *Potentia Moralis* (præter rationes ante memoratas) ni fallor, etiam ideo ita dicitur, quia per *causas*, *media*, & *operationes morales*, sine proprie dictâ *Creatione*, in quantum deperdita est in homine lapso, per gratiam restitui & dari potest: Sicut enim Deus non novam creat *facultatem naturalem* (intelligendi, volendi, exequendi) in animâ per regenerationem, ita *novæ qualitatis* seu *dispositionis*, vel *habitûs* productio, non videtur esse *proprie*, sed *metaphorice*, vel *analogicè* tantum dicenda *Creatio ex nihilo*; sed potiùs *suscitatio Potentiæ Naturalis in actum*, & ita ad *habitualem* rectitudinem: Qui tamen *Habitus infundi* dicitur, quia non fit à causis *merè naturalibus*, nec à Deo tantum ut est *causa naturæ*, sed à Deo ut *donatore* per *gratiam*, & per *modum* operationis *supernaturalem*. Etiamsi quoad *Media* & *conatus humanos*, iidem Scholastici qui habitum hunc dicunt *infusum*, etiam dicunt *Habitus infusos se habere ad modum acquisitorum:* Quod etiam de eorum ad actum producendum *Causatione* verum est.

De causatione morali Sanctificationis.

43. Certissimum enim est post lapsum *facultates* seu *Potentias* Naturales easdem manere (Aliter non idem maneret homo:) Et certum est harum ipsarum Potentiarum *Actus* esse in Evangelio (sub nomine fidei & *pœnitentiæ*) præceptos: Et certum est *media moralia* (Revelationem scilicet, prædicationem, suasiones, promissiones, comminationes, pœnas, beneficia, rerum mutationes, *&c.*) à Deo instituti & ordinari ad actus hosce præceptos promovendos; Certum item est hæc media moralia habere Congruitatem seu aptitudinem ad usum & finem hunc cui inserviunt: Neque dubitandum est quin Deus in, cum, & per hæc media sua instituta, operatur: Neque dubitandum est quin Author *Naturæ*, in operibus *Gratiæ*, ad *Naturæ* Conservationem respiciat; & agat in homine juxta *Naturam hominis*, & agat per media juxta *naturam mediorum*; etiamsi ipse ut Causa prima *supra Naturam* agat.

44. Certissi-

44. Certissimum etiam mihi videtur, & Deum per hæc Media per Spiritûs Sancti internam operationem applicata, Potentias Naturales *suscitare posse* immediatè ad actus sciendi, credendi, volendi, resipiscendi, & per hos actus (per Spiritus Sancti efficaciam ita productos) *Dispositionem* aut *Habitum* inducere, ut ita *Actus* (per Spiritum Sanctum operantem per Media Moralia) præstetur per *Potentiam Naturalem* ante *Novum* ingenitum *Habitum:* Et è contra, *Posse* etiam Deum si modo velit, hujusmodi *Habitum Creare immediatè, ante Actum, & sine Mediorum ulla cooperatione.* At quænam harum usitata via & ratio operationum divinarum æstimanda sit, ad Lectoris studiosi & cordati considerationem remitto.

45. Quamvis magnum est discrimen inter *Potentiam Essentialem formalem constitutivam, creatam,* & *Potentiam accidentalem habitualem,* quæ nil aliud est quam facultatum *debita Dispositio* vel *sanitas amissibilis,* & per Spiritum Sanctum *modis & mediis Moralibus reparabilis,* per facultatis scilicet præexistentis *suscitationem,* ad actum & per hunc actum ad habitum; Quidam tamen *Habitus,* & ita *quædam Potentia Moralis,* ipsius *facultatis,* seu *Potentiæ Naturalis* Naturam ita *æmulatur,* ut non rarò per nomen *Naturæ* indigitatur: Quod etiam de *Impotentia,* & de *malis habitibus* dicendum est. Et ita radicata facultatum & prædominans malitia, sæpe dicitur, *Vetus homo, & Natura maligna, &c.* Et prædominans & radicata sanctitas, dicitur, *Novus homo, & Natura Divina:* Quia Habitus tales prædominantes & radicati non tantum operantur per modum Naturæ, sed & in Voluntate ad ipsius facultatis *Inclinationem naturalem necessariam* quam proximè accedunt: Et talibus Habitibus vel Inclinationibus rarò in actu contraitur.

46. *Habitus* autem hi Morales multo propiùs accedunt ad Naturam *Inclinationis Naturalis* (*e.g.* ad sui fœlicitatem) quam ad Naturam *ipsarum facultatum* seu *Potentiarum* naturalium: Reverâ enim sunt *Inclinationes,* & propriè sic dicti; *Adventitiæ* scilicet, à *Naturalibus* & *immobilibus* distinctæ; & ita sub ipsius hominis seu liberi arbitrii potestate: At dicuntur *Potentiæ* non adeo propriè, sed *moraliter* & *reputativè,* vel analogicè, quia ad naturam Potentiarum naturalium accedunt.

47. Quandoquidem igitur & *Potentia Naturalis* (seu facultas) & *Inclinatio Naturalis* immobilis, per nomen [*Naturæ*] sæpe vocitantur; quando itidem *Habitus* seu *Dispositio* adventitia (aut infusa aut acquisita) *Natura* vocatur, 1. Intelligendum est, eam Analogicè tantum, non univocè, dici *Naturam;* 2. Et primariò hic intelligi, per nomen *Naturæ, Inclinationem Naturalem,* secundariò autem & remotiùs tantùm, *Potentiam Naturalem,* quia illam æmulatur.

48. Inter Habituum seu Dispositionum *Gradus* diversos magnum notandum est discrimen: Quidam enim sunt intensi & fortes; quidam verò superficiarii & debiles: Quidam sunt radicati & vix aut ne vix per causas vel media ordinaria mobiles: Quidam autem sunt facilè mobiles. Habitus autem soli intensi, fortes & radicati per nomen *Naturæ* appellari solent, non autem debiles & fugaces.

49. *Habitus* (seu *Dispositiones adventitiæ*) *Intellectus* & *Potentiæ Vitalis Executivæ,* sunt *Morales* tantùm quatenus aliquomodo *Voluntarii* sunt, vel in quantum *liberæ Voluntatis imperio,* vel *potestati* subsunt; at aliter quoad *modum agendi* sunt *Naturales;* necessariò enim & ad modum Naturæ operantur: (Imò habitus ipsius Voluntatis per modum *Naturalis appetitus inclinat,* quamvis Liberè tantùm *agit* (Quia Voluntas est *potentia libera,* & domina suorum *actuum*:) In quantum igitur *habitus illi* Potentiæ Vitalis & Intellectus operantur *necessariò* & per *modum Naturæ,* in tantum nomen & *Naturæ* & *Potentiarum* illis magis convenit.

50. Privationes itidem horum habituum (*viz.* Ignorantia, error, stupiditas) quamvis morbosæ & adventitiæ, in tantùm *Naturales* dici possunt, & ad *Impotentiæ Naturalis* speciem accedunt, in quantùm Voluntati liberæ non subsunt.

51. *Potentia Naturalis,* & *Inclinatio Naturalis* non sunt *in se Morales,* id est, aut *Virtutes Morales,* aut *Virtuosæ;* aut *Vitia moralia,* aut *vitiosæ;* sed per *Virtutes & Vitia Virtuosæ* aut *Vitiosæ fiunt.*

52. *Impotentia naturalis* quâ talis in tantum excusat agentem à reatu culpæ: Impotentia autem vitiosa moralis, pravæ dispositionis, culpam auget, & est ipsa culpa.

53. Lex justa non pœnam minatur ob *impotentiam naturalem* quâ talem, neque ob ejus necessarios effectus: At contrarium de impotentia hac morali dicendum est.

54. Nemo ut Rector beneficus præmia proponit aut promittit ob effecta vel potentiæ vel impotentiæ *Naturalis* quâ talia, quia libero arbitrio non subsunt: At de potentia hac morali contrarium verum est.

55. Nemo judex reum justificat aut condemnat ob effecta impotentiæ merè naturalis, sed moralis.

56. Conscientia rectè instructa ob effectus *impotentiæ naturalis* qua tales, neminem accusat aut cruciat; sed contrarium de impotentia hac morali dicendum est.

57. Sed præter jam dictam *Potentiam Moralem adventitiam,* tres ipsæ facultates essentiales naturales, *Potentiæ Morales dici* possunt, in quantum *Libero arbitrio* in agendo subsunt; & in quantum moralitate adventitiâ ornantur.

58. Quoniam igitur nomen *Potentiæ vel Impotentiæ Moralis*, est analogicum & ambiguum, plerumque in docendo & disputando tutius devitatur, aut parcè-eo utendum est; & nomina notiora, 1. *Facultatis* vel *Potentiæ Naturalis*; 2. *Inclinationis Naturalis* necessariæ; 3. *Inclinationis, Dispositionis,* & *habitus moralis* adventitii; 4. Actus Naturalis & Moralis, tantum usurpanda sunt.

59. Qu. *An Facultas Naturalis sit verè & formaliter dicenda Potentia ad hoc aut illud Morale, aut posse hoc agere, absque Potentiâ Morali, ut dicitur, hoc est, Absque Morali Inclinatione, aut contra pravam inclinationem?*

An Potentia Naturalis sine morali dispositione sit vere potentia ad moralia, & ita Potentia moralis dici possit?

Resp. De *Nomine* Potentiæ non est litigandum: De re considerabimus. Ad hanc autem difficultatem discutiendam, ut pedetentim procedamus hæc sequentia probe notata, rem totam, quantum à me expectandum est, conficient.

60. 1. Nemo aliquid facit, quod facere non potest, in agendi instante.

61. 2. Unusquisque *Potentiam* habet *Naturalem* plura *sciendi, Volendi, faciendi*, quam actu *scit*, *vult*, & *facit*. Aliter Hobbesii doctrina de necessitate, recipienda esset, & tota Ethica & Religio eliminanda.

62. 3. Omne autem id *volumus*, si objectum sit *oblatum* & *apprehensum*, ad quod volendum *plenè dispositi* sumus. Ergo plura velle *possumus*, quam ea ad quæ volenda *plenè dispositi* sumus.

63. 4. Inclinatio naturalis necessaria ad *Bonum quà bonum*, & ad sui *fælicitatem*, est quasi fundamentum, & Habituum & Actuum moralium, & ad eorum productionem plurimum confert.

64. 5. Plurima volumus & facimus sine *præeunte habitu* vel *inclinatione morali*, ex subitaneo impulsu, vel causis adventitiis, etsi non sine *inclinatione naturali* fundamentali prævia. Potentia igitur hic vere potentia est sine habitus moralis adjutorio.

65. 6. Nemo malorum est omni planè potentiâ seu bonâ dispositione morali denudatus.

66. 7. Unusquisque etiam per Potentiam moralem plura scire, velle & facere potest, quam actu scit, vult aut facit.

67. 8. Plurima facimus non tantum *præter*, sed & *contra* præcedentem *Potentiam, habitus*, seu *dipositiones morales*, (& quod facimus, facere *possumus*.)

68. 9. Plurima etiam & facere possumus, & facimus, contra *præsentem* etiam Habitum, seu dispositionem aliàs *potiorem*, per deceptionem, negligentiam, &c. tentatione scilicet & causis contrariis prævalentibus.

69. 10. Dispositiones quædam adeo debiles sunt, ut non rarò tentationi cedunt: Quædam autem adeo fortes, ut rarò & difficilè in agendo superentur: Quædam autem adhuc fortiores, quibus rarissime aut nunquam donec debilitantur, contraitur; nisi ex causis supernaturalibus.

70. 11.

70. 11. Hoc vix intelligendum est de actibus aliquibus externis, sed de internis tantum, & præcipuè de ipsâ volitione, delectatione & Amore.

71. 12. In hoc casu usitatè & rectè dicimus, hominem *non posse hoc aut illud Amare, Velle, conari*, &c. id est, Morali carere potentiâ, non tantum in quodam gradu, sed in gradu etiam denominante & prævalente.

72. 13. Hoc tamen non evenit ex privatione *Facultatis Naturalis*; sed ejus debitæ sanitatis seu dispositionis: Adest *Facultas* dum abest *sanitas*.

73. 14. Natura & usus nos docuêre *Potentiam* à *Voluntate* distinguere, & ex illa dicere *Hoc possumus*, & ex hac dicere, *Hoc Volumus*; & nollet D. Augustinus hæc nomina confundenda esse; Ideoque quod non facimus quia *Nolumus*, vel quod non Volumus quia non rectè Voluntas dispositа est, Hoc *nollet* dici [*Impossibile*,] vel Nos illud *non posse*; sed [*Non-Volitum*] seu nos illud *Non-Velle*; & ita nollet Pravitatem Moralem per nomen *Impotentiæ* sed *Malitiæ* vocitari.

74. 15. Sicut gradus plurimi sunt Pravitatis seu Impotentiæ Moralis, ita in gradibus diversis-Divinâ homines egent gratiâ supernaturali; & uni minime sufficeret, quod alteri sufficit seu valet (Quamvis ab eodem Omnipotentiæ fonte gradus uterque provenit.)

75. 16. Quando Malitia vel Pravitas Moralis tanta est ut sine gratia supernaturali non evenerit Voluntatis mutatio, Facultas tamen ipsa ad actum non-futurum, non tantum *est* Potentia *Naturalis*, sed & dici potest Potentia *Moralis* in primo sensu, ubi *Moralem* eam dicimus, quia ad *Mores* obligata est, & aut Boni aut Mali Moralis subjectum est.

76. 17. In hoc sensu, Potentia Moralis, non tam propriè opponitur *Impotentiæ*, quam Potentiæ-non-obligatæ, & non-Potentiæ.

77. 18. In secundo autem & pleniore sensu, in hoc Casu, Potentia Naturalis, & ad *Mores* obligata, non est Potentia *Moralis*, id est, ad bonos mores non est dispositа. In quantum tamen adhuc est Potentia Naturalis, & ita *Obligata*, & *Rea*, dici potest Homo id posse quod non Vult; Quamvis etiam & *non-posse* dicendus est.

78. 19. Quoniam plurima possumus in statu Moralis Impotentiæ, quibus ut mediis *Gratia* ad Potentiam seu *Sanitatem* obtinenda est; ideo *mediatè* illa Posse dicimur (quia Media non inutilia possumus,) quæ tamen *Immediatè* dicimur *Non-posse*.

79. 20. Nisi Potentia *Naturalis* esset verè & formaliter Potentia ad hoc aut illud, absente recta dispositione, ita ut Homo dici posset *Hoc posse Velle, Scire, Agere*; non posset aut Potentia hæc (aut Anima ipsa) esse *obligata* seu *Rea*, & *Moralis* in *primo sensu*; si neque *Immediatè* scil. neque *mediatè* sit Potentia formaliter ad actum. Et ita dum hanc quæstionem absolvimus, ad alteram deventum est.

80. Qu. *Utrum Impotentia Naturalis hominem in tantum à peccati Reatu justificat?* An obligamur ad Naturaliter Impossibilia?

Resp. Quamvis hæc ad alium locum magis pertinent, Lectoris tamen gratiâ hic breviter ea perstringam. 1. Distinguenda est *Impotentia Legem antecedens* ab Impotentia eam *consequente*. 2. Distinguenda est *Obligatio Mediata* ab *immediata*. 3. Distinguenda sunt, *Impossibile* qua tale & *Involuntarium*, quâ tale. 4. Actus Morales primarii & Actus secundarii distinguendi sunt. Et ita concludendum est.

81. 1. Lex nulla Divina aut Justa, obligat *immediatè* ad Naturaliter-Impossibilia, quæ talia fuêre ante Legem Latam, & subditi peccatum.

82. Lex justa obligare potest *mediatè* ad antecedenter-naturaliter impossibilia; *e. g.* Impossibile est indoctum immediatè Legere; Quia tamen possibile est eum discere, obligari potest ad Legendum, ut mediatè possibile.

83. Homines aliquando *convincendi* gratiâ ea *jubent* quæ per peccatum prius facta sunt impossibilia: Deum ita feciſſe difficile probatu est.

84. Obligatio Legis cessat cum res fit consequentèr Impossibilis sine culpa subditi.

85. Omne

85. Omne peccatum est *prohibitum-voluntarium:* Et in quantum *Impossibile* potest esse *prohibitum-voluntarium* (sensu positivo aut privativo) potest esse peccatum.

86. Lex Dei *futura* jubet, ad vitæ finem usque perficienda: Qui igitur se impotentem consequenter per peccatum & voluntariè reddit, ad finem vitæ peccat materialiter ea non faciendo, quæ ipsi prius potenti fuêre præcepta. Si herus servum ad fodiendum mittit per totum diem ad vesperam usque, & servus manè ligonem voluntariè frangit ne fodiat, totius diei laboris omissio est materialiter peccatum, quia labor totius diei antecedenter jussus erat.

87. Extra controversiam igitur positum est, omissiones hasce Impotentium esse peccata contra obligationem impotentiam antecedentem. At peccata sunt secundaria & materialiter non primaria formaliter: Peccatum etenim, quo se Impotentem reddidit peccator, fuit primarium.

88. Non propriè retrahitur hæc obligatio antecedens (de obediendo ad finem vitæ,) sed formaliter cessat, cessante potentiâ peccatoris. Quamvis post Impotentiam non fit Lex nova ad Impossibile obligans, nullo tamen jure tenetur Legislator priorem abrogare.

89. Quoniam autem obedientiæ possibilitas & expectatio cessant, Lex jam in naturam *sententiæ judiciariæ* transit.

90. Si idem quod *Impossibile*, sit etiam adhuc *Nolitum*, peccatum est, & quia *jam Nolitum*, & quia à principio & *Nolitum* & *possibile*.

91. Sin autem peccator post Impotentiam mutat etiam *Voluntatem*, peccatum est tantum consequenter & secundariò, quia *Voluntarium* fuit *in Causis*, quando mediatè res possibilis erat.

92. Quoniam verò Lex non obligat ad Impossibilia, nisi in quantum possibilia fuere (vel mediatè vel immediatè) subditum igitur nullum ad impossibilia obligat, cui nunquam ea possibilia naturaliter fuêrunt; sed eum tantum cui semel fuêre possibilia. Imò propriè loquendo Lex solùm subditum capacem formaliter obligavit, sed tunc eum mediatè ad constantiam ad vitæ finem obligavit; & ita dum capax erat obligatus erat, etiam mediatè ad futura: Quando autem incapax fit, non obligatus est ad obedientiam sed ad pœnam cujus capax est: Futuræ tamen omissiones sunt materialiter peccata, quia sunt materia peccati subditi antea capacis: Formaliter autem non postea peccat: *e. g.* si, ne obediret, se necaret, mortuus non peccat omittendo; sed non-agere etiam mortui est loco-materiæ peccati adhuc viventis. Relatio autem cessat cessante termino; id est, obligatio cessat cessante capacitate subditi: Quod non fit per Dei mutationem aut legis abrogationem.

93. De Impotentia autem & impossibilitate *morali*, quæ in dispositione pravâ ipsius Voluntatis consistit, res longè aliter se habet: Etiamsi enim nobiscum nata sit, impotentia talis non excusat à reatu.

Hæc de Potentia quamvis heterogenea, contruduntur, ne Lector ea passim quærendo fatigetur.

II. INTEL-

II. INTELLECTUS conſideratur

- I. In ſe; *viz.* ut eſt
  - I. VIRTUS vel Principium agendi; & ita eſt
    - 1. Potentia vel Virtus, nuda, *viz.* ad ſcibilia, id eſt, ad ENS
      1. Exiſtens (vel Unum.)
      2. Verum.
      3. Bonum.
    - 2. Potentia naturaliter inclinata; *viz.*
      1. Ad Actum; ſcire.
      2. Ad Objectum; ſcibile, ut ſupra.
      3. Ad finem; Dirigere Voluntatem.
    - 3. Potentia habitu prædita, *viz.*
      - 1. Ad Actum; *i. e.* ſcire, *viz.*
        - 1. Potenter, id eſt
          1. Facile & promptè.
          2. Intenſe & vivacitèr.
          3. Conſtanter.
        - 2. Sapienter, id eſt
          1. Plurima (etiam magna & neceſſaria.)
          2. Claré.
          3. Methodicé.
        - 3. Prudenter, id eſt
          1. Bona & mala ſimpliciter.
          2. Meliora comparaté.
          3. Modum proſequendi.
      - 2. Ad Objecta: Quæ ſunt
        1. Particularia & Univerſalia.
        2. Interna & Externa.
        3. Finalia & Media.
      - 3. Ad Finem ut Effectum
        - Voluntatem (moraliter, dirigendo) determinare; *viz.*
          1. Expeditè.
          2. Efficacitèr.
          3. Conſtantèr.
  - II. In ACTU; *viz.*
    - 1. Intelligente vel Informante: Quo
      1. Apprehendit ſimpliciter, 1. Rem ſimplicem; 2. Terminum ſimplicem.
      2. Componit & dividit: Propoſitiones faciens.
      3. Ratiocinatur: Conſequentias nectit.
    - 2. Memorativo: Quo
      1. Retinet intellecta.
      2. Repræſentat retenta.
      3. Reparat ex alio, deperdita.
    - 3. Communicativo: Quo
      1. Format Verba Mentis (ut apta communicationi.)
      2. Formata connectit.
      3. Connexa proferre paratus eſt.
  - III. In Actione Communicativa: de qua poſtea dicendum, in actionibus conjunctis executivis.

- II. Ut ad Actum adjutus: *viz.* per
  - 1. Naturam: 1. Animæ, 2. Corporis: In utriſque enim ſunt Juvantia & Impedientia.
  - 2. Diligentiam; *viz.*
    - 1. Docentium; *viz.*
      1. Parentum; Domi.
      2. Præceptorum; in Scholis.
      3. Paſtorum & Rectorum Eccleſiaſticorum.
    - 2. Diſcentium: *viz.*
      - 1. Recepti vè; *viz.*
        1. Per auditum & Lectionem
          - Id eſt per Actiones quæ ſunt Receptionis media; *viz.*
            1. Agendo ad extra.
            2. Ad intra.
            3. Ad ſupra.
        2. Per Meditationem.
        3. Per Preces ad Sapientiæ largitorem.
      - 2. Expreſſivè per exercitationes,
        1. Dicendo:
        2. Scribendo:
        3. Agendo, in praxi:

        Quibus ſuſcitantur facultates, & vera priora inventa, ſecunda inferunt: Et meditatio ſeriò & ordine exercetur.
  - 3. Gratiam: Quæ eſt
    1. Adjutorium Commune.
    2. Illuminatio ſanctificans ſpecialis, ſed ordinaria.
    3. Inſpiratio, vel Revelatio Prophetica, extraordinaria.

- III. Quo-ad Finem: *viz.*
  - 1. Proximum: *viz.* Jam
    1. Scire DEUM ut EX QUO omnia ſunt; & OMNIA ut ex illo.
    2. Scire DEUM ut PER QUEM omnia; & OMNIA ut PER Illum.
    3. Scire DEUM ut AD QUEM omnia; & OMNIA ut AD Illum.
  - 2. Remotiorem: *viz.*
    1. Ad Intellectum ipſum perficiendum
    2. Ad Voluntatem Dirigendam & Delectandam
    3. Ad Praxin actionum rectè peragendam

    Per Habitus & Actus,
    1. Scientiæ.
    2. Prudentiæ.
    3. Artis.
  - 3. Ultimum: *viz.*
    1. Ut DEUM tandem perfectè
       1. Intueamur in Gloria.
       2. Amemus cum ſumma Delectatione.
       3. Laudemus, & Serviamus in æternum.
    2. Ut DEUM ita GLORIFICEMUS: dum Imaginis ejus GLORIA in nobis reſplendet.
    3. Ut VOLUNTATI ſeu AMORI DIVINO (Creatorum ut Principio, ita & Fini) PERPLACEAMUS.

Elucidationes.

Elucidationes.

§ 1. QUamvis Hominem à Brutis plerumque distinguimus, per nomen *Mentis*, Intellectus, vel Rationis, potiùs quam per nomen Potentiæ Vitalis, vel Voluntatis; hoc tamen non fit ex facultatis hujus specificante aliquâ præeminentiâ, quasi homo non æque in duabus reliquis facultatibus à brutis differret; sed partim ex penuria nominum, & partim quia in ipsa apprehensiva facultate, differentiam facillime deprehendimus.

2. Quandoquidem verò *Ratiocinari* est verbum angustioris significationis quam *Intelligere*, & *Mens* plerumque non tantum *Intellectum* significat, sed & Animum cum omnibus suis facultatibus; ideo melius dicitur homo, *Animal intellectuale* quam *Animal Rationale*; & *Animal Mentale* melius * dicitur quam *Animal Intellectuale*; nisi forte *Mens incorporata* rectiùs adhuc dicendus est.

* Falluntur autem qui dicunt Intellectum esse propriprium Intelligentiis cælestibus, & hominem Rationem habere non autem Intellectum.

3. Intellectus humanus est Animi facultas seu Virtus *essentialis*, non *accidens*, neque pars integralis tantum, sicut jam probatum dedimus.

4. Ejus *tota scientia* à Deo *supremo Intellectu* derivata est.

5. Priùs igitur ordine naturæ passivus est quam activus, dum Lumen suum à Patre Luminum recipit, priusquam illuminatus aliquid actu intelligit.

6. Non tamen facultas merè passiva est; sed *Intelligendo* merè agit.

7. Deus quidem est quasi *Intellectus Primus Universalis*, in omnes creatos Intellectus *Agens*; sed non sicut *Lux in speculum*, quod Lucis nullius in se est particeps, sed Luminis radios tantum recipit & reflectit: Sed potius sicut *Sol in Oculum*, qui *Lucis essentialis* priùs naturâ possessor, *Lucis universalis* ideo radios modo vitali recipit, eisque videndo activè utitur.

8. De usitato Peripateticorum dicto, quod *Intelligere* (*sicut & videre*) *est* [*Pati*] dicendum est: Quod sicut in *Visione* sex distinctè veniunt consideranda; 1. Anima videns. 2. Spiritus visivi ejus instrumenta nobilissima. 3. Et organa corporea; ad intus: Et ab extra, 1. Spiritus agens universalis. 2. Lumen. 3. Objecta corporea. Et tenendum est, 1. Objecta corporea non agere. 2. At Lumen objectum primum nobilius, quidem agere. 3. Et multò magis Spiritum universalem. 1. Et organa corporea quidem pati. Et 2. Spiritus visivos instrumentales & pati & agere. 3. At *Animam videntem* tantum agere, non pati ab objectis, (sed tantum à Deo & animâ vel facultate superiore); Ita etiam in intellectione distinctè considerandæ sunt, 1. Anima seu facultas *Intelligens*. 2. Facultatis sensitivæ Phantasia & sensus. 3. Spiritus instrumentales. 4. Organa corporea. Et ab extra, 1. Deus Intellectus universalis communicativus. 2. Aut * Deus, aut Anima creata quædam hujus Systematis, influxum universalem ad *sensationem* necessarium emittens. 3. Solis & Cœli influxus naturalis per *Motum*, *Lumen* & *Calorem*. 4. Objecta & corporea & incorporea quâ objecta: Et tenendum est, 1. Intellectum non pati ab objectis vel corporeis vel incorporeis quatenus objecta sunt. 2. Intellectum non pati à Solis *influxu naturali*, motu, Lumine, vel calore. 3. Sed objecta corporea patiuntur, & variè repræsentantur ex hoc influxu naturali. 4. Et organa corporea, & Spiritus interiores instrumentales patiuntur item ex hoc influxu. 5. De animæ sensitivæ passione sentiendo, postea plenius dicendum est. 6. Intellectus patitur solum à Deo, (& fortè à spiritibus ipsi superioribus) at neque à sensu, neque à phantasiâ imaginante, seu rerum specie imaginariâ, neque à spiritibus suis organicis patitur; sed in ea omnia intelligendo agit.

* ut Suessanus.

Verè tenet Jo. Baccon. & ejus sequaces, Intellectionem esse tantum Actum, non passionem.

Aristotelis mentem de Intellectu, Potentia & Actu, inseparabili & separabili, perituro & non perituro, & de Intellectu communi perituro, & possibili non perituro, Vide per Themistium explicatam in Arist. li. 3. de Anima. Nunquam autem ejus interpretes de sententia ejus concordabunt.

9. Intelligere igitur est formaliter (non pati sed) Agere, in objectum ritè adaptatum, sed ex influxu supremi Agentis intellectûs.

10. Objectum Intellectûs, vel *Intelligibile*, non est tantum *Verum*, sed ENS

in

in sua triplici affectione essentiali, *viz.* ut *Existens* (seu *Unum*) *Verum*, & *Bonum.*

11. Sicut *Bonum* est objectum & *Intellectus*, & *Voluntatis*, ita in utriusque circa *Bonum* operatione, arcta admodum & miranda est conjunctio; adeo ut facultates hic difficulter distinguantur, (& inde Doctiss. Pembleus post alios, eas unam eandemque facultatem fore autumavit:) Et nexu quidem tantùm-non unitivo Judicium Practicum cum Volitione coit.

12. *Veritas Intellectionis* (ut & dictionis) est exacta ejus congruitas seu convenientia rei intellectæ.

13. Sicut voluntas, ita & intellectus suam habet naturalem inclinationem, & ad actum, & ad objectum, & ad finem.

14. Præter *Inclinationes Naturales*, Intellectus *Habituum* notabiliter capax est.

15. Habitus intellectuales sunt, 1. *Scientiæ ad speculationem.* 2. *Prudentiæ*, ut ad *rectas volitiones.* 3. *Artis*, ut ad *praxin exteriorem*: Qui posthac latius explicandi sunt.

16. *Potentiam* quandam seu *robur habitus* debiti addunt intellectui; Quæ se prodit, 1. Promptitudine & facilitate intelligendi. 2. Intensione & vivacitate apprehensionis. Et 3. Constantiâ judicii.

17. Sapiens is solus est qui scit *necessaria*, *magna*, *plurima*, eaque *clarè* & *methodicè*: Et insipiens æstimandus est qui novit tantum parva, inutilia, pauca, vel maxima hæsitanter, obscurè & confusè.

18. Prudentia consistit non tantum in cognitione *Boni* (& Mali) *simplicis*, & in se; sed in cognitione etiam *comparata Melioritatis* bonorum, sine qua electio nulla recte peragi potest.

19. Ad pleraslque *electiones* & *actiones* debitè præstandas, tanta circumstantiarum multitudo consideranda est, & accidentia tot ponderanda, ex quorum comparatione res bona vel mala judicanda est, ut nemo non ampli & multiscii intellectûs, ad plurima respiciens, & omnia deliberatè pensitans, & in praxi hâc ex usu diuturniore versatus, verè *Prudens* audire meretur.

20. De modo intelligendi per *species* plura dicuntur à Philosophis, diversitate, contentione & tamen præsumptione quidem nimiâ; sed æquali obscuritate, & quæ meo intellectui nunquam satisfactionem aut quietem præbuerunt. Acriter scilicet à pluribus disputatur, utrum species ab objectis sensibilibus continuò emanant? An species illæ operantur in sensus? An species illæ per sensus exteriores receptæ operantur in Phantasiam? An phantasmata movent intellectum? An species phantasiæ sufficiunt ad intellectionem, vel potius necessariæ sunt species in ipsum intellectum impressæ? An specierum receptio sit ipsa intellectio, vel tantum quid prævium? An species impressæ movent Intellectum ad Intelligendum, vel tantum eum in actu terminant? Cum pluribus hujusmodi. Ego vero nullam agnosco à materiâ objectâ passivâ specierum emanationem: Neque lapidem aut montem aliquid agere ad specierum emissionem deprehendere omninò possum, & quod non est, non operatur.

Leg. Fracastorii carm. de speciebus in Sennerti Physicâ citat. li. 2. c. 2. pag 189.

Sennert. Physic. li. 7. c. 1. p. 562. species sensibilis seu objectum speciem sensibilem emittens, non est agens, vel activum sensationis principium: Sentire enim est opus Animæ; & quidem immanens, nec rei externæ & quidem accidenti tribuendum est: Sed ut objectum proximum rem sensibilem sensui repræsentat & offert. Nec sensatio est tantum Receptio; Quod præter alia ex eo liquet, quod sæpissimè dum species sensibilis in organo recipitur, nulla tamen fit sensatio quia anima aliis rebus intenta, species sensibiles non cognoscit. Sed sensatio etiam est quædam actio. Sentienti enim facultati actio quæ nobilior est quam Passio, deneganda non est; cum vegetanti & accidentibus ea competat. Non tamen duo sensus (Agens & Patiens) constituendi sunt, &c. *Recipere speciem* sensibilem est Organi; *Receptam judicare*, Animæ: Quia tamen vim recipiendi species anima organo tribuit, ipsaque est ratio recipiendi, etiam passio ipsi adscribitur. Sensatio itaque hoc modo fit: Species spirituales ab objecto materiali productæ in Organo animato recipiuntur: Receptas Anima cognoscit & judicat, atque ita sentire dicitur. Denique actio in organo recipitur, totique communicatur. Ita Sennert. ubi doctrina de speciebus reformanda est.

21. Neque probè unquam intelligere potui, quid vellent per naturam specierum, quam dicunt, *Spiritualem* aut *Intentionalem*: Utrum scilicet per hæc attributa substantiam aliquam, an Accidens (& quodnam) aut rei modum intelligunt, aut tantum Ens Rationis? &c.

22. Motum equidem seu Actionem quandam Luminis agnosco; Agnosco Lumen objectum passivum illustrare; Agnosco hoc Lumen ad oculum pertingere; & ibi sibi congenerem quasi socium invenire, & Lumen hoc exterius cum lumine interiore conjungi: Et ex hac conjunctione lumen internum oculi per lumen externum objectum illustratum itidem attingere: Et per Lumen hoc anima visivam suam facultatem exercet; cujus actus fluit ab animæ ipsius essentiâ (à facultate scilicet essentiali;) & non aliter dignoscitur quam in se immediatè; videndo scilicet percipimus quid sit videre, sicut & sentiendo quid sit sentire, melius quam per nomen metaphoricum *imaginis* vel *speciei* receptæ: Ab extra nullum agnosco objectum præter *Lumen*, & *rem visam:* Neque in aere ullas esse species à rebus emanantes: Et quod non datum est, non receptum est. Ad intra autem nihil agnosco præter actum videndi, per animæ facultatem essentialem, per Spiritus & Organa corporea, præstitum: Et ad actum hunc nihil ab extra receptum esse, præter triplicem solis influxum, *Motum*, *Lumen* & *Calorem*: (nisi forte effluvia illa spiritu sensitivo universali, sensitivo nostro congenere, quasi animentur.) Visum autem ut & cætera sensata, sunt objecta sensus communis & phantasiæ; continuatâ scilicet ad intra Animæ activitate apprehensivâ: Ubi nullum agnosco objectum actûs interioris præter actum exteriorem; Qui simul est & objectum interioris, & fortasse modo aliquo efficiens, motu scilicet sensitivo ad intra progrediente. (Sicut aquæ pars mota proximam movet.) Ni fallor enim *Animæ* motus primarius naturalis est à centro ad extra emittendo; progrediendo scilicet donec objectum attingendo ab illo terminetur; & inde reflexo motu revertendo in seipsam ad intra animam operari; & ex contrariis hisce motibus passiones plurimas ortas esse: In quibus operationibus triplex influxus igneus ab extra, & triplex activitas ignei spiritus ad intra, sunt organa activa, & media maxime notanda. A nomine autem *Speciei* aut *Imaginis* non abhorreo, modo per illud effluvium nullum ab objecto passivo intelligatur, neque imagines aere depictæ, nec aliquid præter triplicem influxum solarem, receptum, & sensationis ipsum actum, & dispositionem aut habitum inde ortum in sensibus scilicet internis præcipue phantasiâ & memoriâ. Et sicut objectum passivum nihil operatur in sensus, sed tantum animæ operationem terminat (sicut etiam ædificia & montes non movent ventos sed terminant tantum & quasi sistunt) Ita nondum mihi probabile videtur, inferioris naturæ aliquod agens, operari posse in superius, sed tantum ejus motum aut actionem sistere aut terminare, & inde actûs reflexi occasionem præbere: Si anima igitur *sensitiva* & *Intellectiva* non sint *eadem*, nondum video quomodo sensitiva per phantasiam aut passiones in Intellectivam possit operari, sed tantum operandi objectum & occasionem præbere: Sin autem unius ejusdemque Animæ Sensus & Intellectus duæ facultates statuantur, res aliter forte se potest habere: Quia per facultates diversas eadem anima in seipsam potest operari. Quomodocunque autem se res habeat, entitatem nullam aut *Spiritualem* aut *Intentionalem*, *Speciem* dictam, agnosco, præter *ipsos Animæ Actus*, ab essentia ejus progredientes, & ab objectis terminantibus (cum influxu triplici igneo (vel solari) mediante delatis,) *specificatos*, & ex ipso sensu, & Intellectûs intuitu optimè notos.

23. Ambiguè item à pluribus quæritur, An Intellectio sit operatio materialis, an immaterialis? Et respondendum est, 1. Si de *Substantia*, vel facultate agente quæritur, *Immaterialis* est, & Actus inde immaterialis nominandus; sin autem de *Objecto* quæratur, & de Actu ut inde denominato, & *materialis* est & *Immaterialis*. Substantia scilicet Immaterialis (seu incorporea) potest agere in objectum & spirituale & corporeum.

24. Non sanè igitur infertur, Intellectum & sensum non esse ejusdem animæ facultates, quia sensus est objectivè Materialis; Quandoquidem etiam ipse *Intellectus* talis est.

25. Nec minus errant qui concludunt Intellectum esse substantialiter materialem, quia in phantasmata & alia objecta materialia operatur. Omne enim superius operari potest in inferius: At non contra.

26. Pluri-

26. Plurima item absurda dicuntur de Intellectu, ex falsa suppositione, quod *Phantasmata* sunt *substantialiter materialia*, id est, Quod *anima sensitiva* (aut *hominis* aut *brutorum*) est *res corporea*; & (ut ait Doct. Burgersdicius) non minus *Phantasmata* à *materia* dependent, quam *simitas* à *naso*: Quod falsum esse nullus dubito. Phantasia quidem (seu *Anima sensitiva*) est *objectivè materialis*, sed *substantialiter* reverâ *spiritus immaterialis*; quamvis naturæ Intellectuali inferior.

Ita & Zibarella ex quo desumpta sunt. Non errat autem Aquin. ut vult Zibar. dicendo, Colorem in medio non habere Esse reale, sed Lumen tantum. Zibar. autem dicit errare omnes qui speciem intellectui impressam ab intellectione distinctam asserunt.

27. Nihil est in Intellectu exterius corporeum per modum objecti, quod non prius fuit in sensu & phantasiâ suo modo peculiari, Id est, Res externæ corporeæ prius à sensu & phantasiâ percipiuntur quam ab intellectu.

28. Probabile (at non certum) est, ordinarios omnes intellectûs actus, à sensatis occasionaliter ut prærequisitis, ortos esse. Inspirationes autem divinas quasdam extraordinarias excipiendas judico.

29. Non desunt qui opinantur dicendum esse, Nihil esse reverâ, formaliter aut numericè, in Intellectu, quod fuit prius in sensu: Quia *Intellecta* & *sensata* non sunt eadem formaliter; & Intellectio & sensatio non possunt esse idem numero actus, quià non ejusdem speciei; ideoque non idem numero habere Objectum.

30. Tenendum est tamen facultates superiores ad inferiorum etiam objecta se extendere. Scimus enim imaginata, qua talia; scimus visa, audita, & sensata alia, qua talia; & scimus res ipsas quæ sentiuntur & imaginantur; & hæc sunt objecta Intellectionis.

31. Non pauca tamen sunt objectivè in Intellectu, quæ nunquam fuere *objectivè* in sensu: *viz.* 1. Omnes actus Phantasiæ & aliorum sensuum interiorum; sicut enim non videmus visionem, sed tantum visibilia, nec gustamus gustum sed tantum sapores, *&c.* Ita non imaginamur imaginationem, sed tantum imaginata: Ipsam autem Imaginationem intelligimus. 2. Actum ipsum intellectionis intelligimus, qui nunquam fuit in sensu. 3. Objecta autem intellecta formaliter quatenus intellecta. 4. *Potentia* intelligendi ex actibus à seipsa intelligitur. 5. Et inde *alias tales* etiam existere Potentias. 6. Et inde spirituum nota est natura. 7. Volitiones item & Nolitiones intelliguntur, quæ nunquam in se fuere sensuum objecta. 8. Et inde etiam facultas seu virtus volitiva. 9. Potentia item vitalis activa per operationes ejus intellectui innotescit. 10. Et ex hisce aliquatenus Deus ipse spirituum Pater notus est.

32. Obj. *At dum Actus ipsi intellectus & Voluntatis quos cognitos per actum posteriorem dicis, fuêre objectivè materiales, nonne dicendum restat nil non materiale, vel sub conceptu materiali analogo intellectum esse? Resp.* 1. Sicut unio arctissima ita & communio miranda est inter *Animam* & *Corpus*; ita ut vix aliquid per Animam intelligitur sine omni Corporis & Corporeorum Commercio: Distinguenda tamen sunt quæ non sunt separanda. 2. Quamvis *Objectum Intellectionis prioris* sit materiale, non ita tamen est *ipse actus intelligendi* (imo neque *objectum* ut *jam intellectum.*) Sed nos non *objectum* tantum, sed & *actum ipsum spiritualem intelligimus.* 3. Et cum inde scimus Potentias, Spiritus, Deum, *&c.* neque actus neque objectum est materiale. 4. Quando *Volumus spiritualia*, (ut Amorem Divinum, *&c.*) *Volitionem hanc intelligimus*, ubi item nec *actus* nec *objecta* sunt *materialia.*

33. Infantium intellectus est rasa tabula quoad cognitionem aliquam actualem; neque primorum Principiorum *notitia* aliqua *actualis* nobiscum nata est: Ab Infante enim ea principia minime nota sunt.

34. At Intellectus humanus adeo per naturam aptus & dispositus est ad principia illa cognoscenda quamprimum ex organorum debitâ preparatione, cognitionis actualis capax evaserit, ut etiam sine doctore ea citò tenebit: Ideoque ea à pluribus *Principia Connata* dicuntur; quod verum est tantum quoad *dispositionem sciendi*, non autem quoad *ipsam* illorum *scientiam.*

35. Intellectio est singularium.

36. Objectum *primum* cognitionis est *Ens reale incomplexum* dictum ut *sensatum imaginatum.*

37. Objectum intellectionis secundum est *ipse Intellectionis actus*; sive *Cogitatio.*

38. Clariùs Cognosco me *cogitare* seu *modo* quodam cognoscere, quam *Ens complexum cognitum*, scilicet *quid sit.*

39. Singularia omnia à nobis imperfecte tantum nota sunt.

40. Qui aliquid tantum *Confusè* vel *partialiter* de re singulari novit, is confusum vel *partialem Conceptum*, & *verba mentis* de eâ sibi format.

41. *Conceptus plures partiales inadæquatos* de re unica formare, ob intellectu imperfectionem nobis sæpissimè necessarium est.

42. *Conceptus universalis est*, vel *Conceptus inadæquatus partialis de re singulari*; vel *notio secunda*, seu *Ens rationis*, seu *mentis instrumentum*, ut ad plura ejusmodi singularia adaptatum.

43. In primo sensu, *universale* est *nihil reale*, nisi ut reperitur in *existente individuo*: Et ita *scire universale* est *partialiter* seu *inadæquatè* scire *individuum.*

44. In secundo sensu *universale* est realiter *actus*, seu *mentis operatio* ad *intra*; & ad *extra* est ejus *expressio*, seu *nomen Instrumentale* Logicum.

45. Quatenus conceptus Universalis est *Inadæquatus* & *mancus* circa singulare, conceptus ab intellectus *Imperfectione* provenit: Et ita qui Hominem procul ambulantem, tantum *Corpus* vel *Animal* agnoscit, imperfectè & parùm objectum intelligit.

46. Quatenus autem *Intellectus* potest *universalia* ex singularium cognitione *colligere*, & ad plura eandem notionem applicare, & instrumenta Logica sibi formare, ex præstante intellectûs potentiâ hoc provenit, & facultatis sensu nobilioris est effectum.

47. Qui dicunt *singularia primò nota* esse, verum dicunt; sed non perfectâ cognitione; sed tantum aliquid de hoc singulari.

48. Scientia igitur *Universalis* priore sensu, (ut est inadæquatus conceptus rei singularis,) neque est prior neque posterior scientiâ individui, neque altera ab ea, sed unus idemque intellectûs actus: scientia autem *Universalis* in sensu secundo, ut notio ad plura applicata, est *posterior* cognitione primâ *singularium.*

49. De *singulari* primò cognitum est id quod maximè *sensus ferit.* Inadæquatus igitur *Universalis conceptus* hinc primò desumitur.

50. Cognitio *generis* plerumque prior est cognitione *speciei*; Quia *cognitio imperfecta perfectiorem* antecedit: Et quod *facillimum* cognitu est *prius cognitum* æstimandum est. Hoc autem de *Originali cognitione* intelligendum, non autem de arbitraria illa quæ ex *habitu* oritur.

51. Aut fallor, aut Intellectus, vel Anima Intellectiva (ut & omnis natura Activa) semper agit, etiamsi non semper in *aliquod objectum*: Et quamvis ab *objecto Actus specificantur*, seu *distinguuntur*, & nullam habent sine *objectis moralitatem*; videtur tamen naturalem quandam activitatem, seu conatum, Animæ esse adscribendum, completum actum circa objecta antecedentem: Et ita Animæ *triplicem actum* dicendum esse: Primum Vitalem perpetuum *In seipso*; non *in aliud*; (sicut (ut jam dictum est) Sol aut Ignis si fingatur esse simplex in vacuo, radios tamen emitteret, etsi nihil eos recepturum esset:) Secundum *Immanentem*, *in seipso*, & *in seipsum*, at non *in aliud* (Qualis est *se scire*, &c.) Tertium transeuntem (objectivè saltem, si non effectivè) *in objectum* extrinsecum. Et primo quidem modo etiam in infantia & in somno, & in apoplexia operatur; ubi adhuc per nullum objectum ejus actus specificantur aut dividuntur.

52. Falluntur igitur & fallunt, qui plurimas hinc consequentias inferunt, (de causis & ordine actionis animalis,) quod, ut dicunt, Anima in Potentia non potest se ad actum determinare: Quia semper in Actu est; quamvis non semper in objectum agit (sicut ni fallor, Ignis etiam in Silice aut Chalybe, semper agit, quamvis non semper fomes adsit.) Non minùs etenim naturale est Naturæ Activæ Agere, quam Materiæ Passivæ, non agere.

53. Qu. *An detur Intellectus Agens?* *Resp.* Non datur Intellectus, non-agens: 1. Intellectus humanus agit Intelligendo: Intellectio est actus Immanens (quam-

(quamvis objectivè transiens quando extrinseca intelliguntur.) 2. Proculdubio Deus Influxum continuò præbet intellectualem, ad omnem creaturæ Intellectionem necessarium, quatenus est Causa prima & naturæ principium. 3. An verò Intellectus aliquis Universalis sub Deo, ut causa secunda, sit Agens ad actus humanos, sicut Sol est Agens universalis ad actum videndi (& cæteros sensitivos) inter arcana opificii Divini numerandum est, quod menti humanæ non probè innotescit.

54. Qu. *An detur Intellectus Passibilis, vel Recipiens? Resp.* Intellectus Influxum Divinum proculdubio recipit (& sicujus secundæ causæ superioris Influxus datur, quod incertum est.) Quando etiam per actum objectivè Immanentem in sese agit, à se quodammodo Recipere dici potest. Ab objectis autem Passivis materialibus nil propriè recipit; sicut neque (ni fallor) ab agente a liquo sibi inferiore.

55 Obj. *Nonne Intellectus qui Infantis quasi rasa tabula fuit, & studio & experientiâ multâ fit sapiens, scientiam, sapientiam, prudentiam, artem, recepisse dicendus est? unde autem eas recepit? Resp. Sciendi Actum* non aliter Recepisse dicendus est, quam quia Influxum ad hunc actum ab Agente superiore recepit: Nil autem ab objecto passivo recipit, dum in illud terminatur: *Scire lapidem,* non est aliquid à lapide *recipere. Habitum* verò scientiæ recipit per Actus: Ideoque à causis actuum, *Deo,* scilicet, *seipso*; (& impropriè à *Causis moralibus*, & ab *Influxu solari* ut sine quibus non.)

56. Obj. *Si speciem negas Intellectualem, eâdem ratione neganda est species phantastica & sensibilis. Resp.* Si nudum Intelligendi Actum ut in objectum terminatum, *Speciem* vocitare velis, *de nomine* non litem moveo (sicut jam dictum est.) *De re* autem nihil agnosco etiam in sensu præter nudum sentiendi Actum ex Influxu Divino, & triplici Influxu, solari (motu, lumine & calore) & ex vitali sua potentia productum: Et quid sit *Videre, Gustare,* &c. rectiùs percipitur videndo, gustando, &c. quam per notionem *receptionis speciei* vel *imaginis objectivæ:* Neque aliquid in *Phantasia* agnosco præter sensationum interiorem perceptionem & inde Activam Imaginationem; non autem Imaginum aliunde Receptionem; nisi quatenus Influxum causarum superiorum activarum ut ad actus suos necessarium recipit. Causæ maximè Activæ sunt minimè Passivæ. Anima sensitiva non minùs Activa est quam Ignis vel Natura Vegetativa: Sicut nec Mens minùs Activa quam natura sensitiva. Quando autem Sol emissione radiorum, vel influxu luminis, caloris, motus, in passivum aliquod operatur, parietem, *v. g.* Illustrando, Calefaciendo, nihil per actum illum ab objecto recipit, sed tantum suo modo in illud terminatur; & actum ab essentia denominatum in illud exerit. Ita etiam Intellectus (& Voluntas) humanus, sese activè ex Virtute essentiali exercet in objecta materialia sine speciei alicujus ab illis receptione.

Obj. *At Intelligere significat additamentum alicujus perfectionis Intellectui: Illuminatio autem non tale aliquod additamentum soli illuminanti significat. Resp.* Ut res per similitudinem aptè illustretur, ex altera parte non ponendus est Sol, qui est *Imago Dei* ut *Intellectus Universalis,* à *nullo recipientis*; sed potius *Candela* aut *Lucerna* aliqua, quæ à Sole illuminatore universali influxum sustinentem recipit. Finge autem lucernæ lumen emissum esse simul essentialiter *illuminans, videns & intelligens*; & (hoc supposito) ratio nulla reddi potest, quare actus ejus *videns,* aut *intelligens,* non sit æquè à Receptione liber, ac actus ejus *illustrans.* Sicut *lucere in vacuo* non *tantum* est, *terminativè, respectivè & denominativè, quantum illustrare parietem*; Ita *Animæ Intellectivæ nudum Agere,* non *tantum* est, quantum *in hoc vel illud* intellectivè agere. Etsi *Lucere* non necessario significat *in aliquid lucere*; at illustrare est aliquid illustrare: Ita *scire* est aliquid scire. Et triplicem quidem perfectionem intellectui ex intelligendi actibus advenire fateor; 1. Ex actu uno oritur actus secundus priore fortior & perfectior: 2. Ut etiam agendi, *viz.* intelligendi *Habitus,* id est, *dispositio* ad promptitudinem, & constantiam: 3. Et ex utrisque agendi, id est, intelligendi *constantia:* Et tale per actum activitatis incrementum in lucerna etiam fingi potest,

test, sine receptione aliqua ab objecto illustrato: At triplicis hujus additamenti pars nulla ab objecto ut efficiente oritur, sed tantum *à Deo*, & ab ipsius Animæ naturâ activâ communicativâ, quæ ad sui perfectionem naturaliter *activitate intensivâ* & *extensivâ* tendit: Sicut *Ignis* sive *Lumen* augetur, *occasionaliter* (& ex causa sine quâ non) ex oleoso fomite, & *efficienter* ex Influxu Solari & naturâ suâ activâ extensivâ. At nomen ipsum (nimis usitatum) *Speciei* & *Imaginis*, & præcipuè *speculi* inepta similitudo, plurimos in hac re fefellit. Speculum enim est tantum materia passiva, radios recipiens & reflectens; at *intellectus* est natura seu forma *Activa*, ad *agendum*, non ad *recipiendum* (nisi ab agente superiore vel æquali) naturaliter dispositа. Similitudo igitur Lucernæ seu oculi minùs inepta est. Negare tamen nollem, Hominem sat propriè recipientem dici in actu Intelligendi: Quia sicut ex activis & passivis principiis constat, ita quoad *Organa Passiva*, *h. e.* secundum quid, est Receptivus.

57. Qui cum Aristotele (Zabarella, Cardanus & plurimi alii) Intellectum dicunt intelligendo *fieri rem intellectam*, ineptè loquendo ad errorem fœdissimum legentes pelliciunt. Objectum quidem à quibusdam non ineptè causa materialis dicitur (non Intellectus sed) Intellectionis: At non à materia sed à forma fit apta denominatio. Malè igitur *Intellectio*, pejùs autem *Intellectus* & pessimè *Anima*, dicitur esse *res intellecta:* Quippe peccatum intelligere non fit peccatum; serpentem intelligens non fit serpens; & Deum aliquomodo sciens non fit Deus: Neque *Intelligere Deum* dicendum est, *Deus*, sed *Dei intellectio.*

58. At inquit Zabarella, hâc phrasi non vult Aristoteles *objectum materiale*, sed *spiritale*; e. g. *Intelligere equum est esse equus intentionalis, non materialis. Resp.* At *Equus intentionalis* seu *spiritalis* non est Equus, nisi æquivocè: Quare autem Physicus dum intellectum informare præ se fert, æquivocis ludendo intellectum illuderet?

59. Neque efficaciore medelâ Aristotelis dicta excusare & sanare conatur, Jul. C. Scaliger (& post eum Sennertus & alii) qui dicit ea non materialiter, sed *subjectivè* intelligenda esse. Sive enim de *subjecto locutionis de quo*, an *subjecto inhæsionis*, *in quo*, loquatur, inepta erit appellatio. *Intelligere albedinem, malitiam, sanitatem, longævitatem*, non est esse actu *album, malum, sanum, longævum:* Neque est ipsa *albedo, malitia, sanitas, longævitas:* Neque verò objectum ut accidens aut *actui* aut facultati propriè inhæret.

60. *Papicolæ*, qui & *Panicolæ*, dum sensibus omnium sanorum, circa objecta propria, in debita distantia, *&c.* fidem detrahunt, Intellectionis omnis certitudinem penitùs subvertunt: Et ita dum Articulum fidei facit Can. 2. & 3 Concil. Lateran. sub Innoc. 3. sanorum omnium sensus circa *realitatem Panis & Vini* judicantes, certissimè decipi, vel falsos esse, reverâ omnes articulos & fidei & scientiæ omninò incertos esse inferunt; si sensuum omnium sanorum *Perceptio*, & Intellectus de eodem objecto ita Percepto *judicium*, sint incertæ, certitudo nulla in actu aliquo humano inveniri potest. Sensibile enim nil aliter verè intelligitur quam ut (si in debita distantia, & per debitum medium) per sensus sanos percipitur. Sensus quidem omnis est imperfectus & finitus; nec ultra lineam suæ potentiæ ut aliquid percipiat, ab eo expectandum est: Et in objectum distantiùs debiliùs & imperfectiùs agit. Et ubi ex tali imperfectione sensus deficit, Intellectus tamen, ex causis aut effectis, aut ex sensationibus perfectioribus comparatis argumentando, ulteriùs multò procedere potest. Immaterialia item & insensibilia quædam objecta intellectûs sunt, de quibus sensus omninò non judicat; (*e.g.* utrum Deus, aut Angelus, aut Corpus Christi spirituale, hic adsint.) At si sensuum omnium perceptio objecti proprii, *e.g.* Panis & Vini, in debita distantia positi, & per debitum medium, falsa sit, profectò nil verum ab homine certò pronunciari potest. Sicut enim *homines* sumus priusquam *Christiani*, vel *fideles*, & Lumen naturæ (sicut & ipsa natura) & Revelationi supernaturali & Gratiæ præsupponitur; Ita Deus ut *Author Naturæ*, nos instruxit per sensus judicare, & sensuum sanorum perceptioni debitæ fidendum esse ordinavit, priusquam nos Revelationi supernaturali credere præcepit: Et certitudo sensationis ad certitudinem fidei præ-

prærequisita est; si tales enim sensationes sint incertæ, necessariò incerti fuère Apostoli, an Christus unquam vixit, loquutus est, resurrexit, aut aliquid operatus est: Et nos incerti sumus an aliqua Sacra Scriptura, homo aliquis, aut mundus extiterit. Frustra igitur dicunt Panicolæ se sensuum perceptioni in omnibus fidem habituros exceptis iis de quibus aliter pronunciat Revelatio. Revelationem enim ullam esse incerti sunt, sine sensuum certitudine: Et si *primam & fundamentalem* perceptionis *certitudinem* subvertant, *superstructam* omninò ruituram necesse est.

61. Inhumanæ huic fidei optimè subservit methodi Cartesianæ pars illa, quæ docet discipulos suos sensus omnes falli supponere. Quasi unquam aliter ad certitudinem intellectionis de sensibilibus pervenire possemus, quam per sensuum perceptionis certitudinem.

62. Et instantiæ eorum de *turre quadrata* quæ videtur *rotunda*, & de *Solis magnitudine non apparente*, &c. ad rem minimè pertinent: omnes enim sunt de objectis indebitè distantibus; & plerumque sunt tantùm negativæ, quantæ, vel quales res *non sunt*, & non quantæ vel quales *sunt*.

63. Qui *Memoriam* Animæ intellectuali adimunt,& sensitivæ propriam faciunt, ipsam etiam Intellectionem ut plurimum adimunt. Apprehensiones enim sine memoria nullam habent connectionem rationalem; neque vltra subitam, evanidam & inutilem simplicium apprehensionem progrediuntur; neque unquam ad comparationem, ratiocinationem aut usum humanum pertingere possunt. At si talis sit Animus humanus, sensitivæ naturæ ut cedat necesse est; & si quando à corpore separatus erit, nullius erit rationis aut usus, aut potentias essentiales amittet, aut frustra possidebit: Quæ absurda à nemine sobrio ne per somnium quidem fingi par est.

64. Neque probabile est facultatem superiorem homini propriam non tantum posse quantum canis aut anseris memorativa facultas, perceptiones scilicet proprias retinere; præcipuè quando Intellectum *habituum* capacem esse experientiâ constat; & sine *memoria habitus* nulli sunt.

65. Quoniam perceptiones sensuum sunt vividæ, particulares, distinctæ, claræ, at Intellectûs cogitationes sæpe obscuræ, generales, tenues, evanidæ, vix cohærentes, &c. nonnulli inde sensum ratione præstantiorem esse concluserunt. At 1. Proximitas & materialitas objectorum multùm huic differentiæ confert. 2. Notandum est quicquid per sensum percipitur, per intellectum etiam percipi. 3. Et sensuum perceptionem ordinatam esse ut medium ad Intellectus cognitionem; & sensum sine Intellectu inferioris admodum esse usûs & commodi, & nihil sensatorum scire. 4. Ideoque comparationem instituendam esse, non tantum inter sensum & intellectum, sed inter sensum sine intellectu, & Intellectum cum sensu: Nullus enim Intellectus (humanus) sensu caret. 5. Intellectum plurima, remota, spiritualia, magna & utilissima scire, quæ sub sensus perceptionem non cadunt. 6. Et qui hisce non acquiescunt, suis canibus & porcis ut serviant par est, dum eorum (utpote magis sensitivorum) præstantiam agnoscunt.

66. Mentes etiam separatæ habent sensum aut formaliter aut eminenter: Non minùs enim potest Anima nobilior quam ignobilior.

Cætera Tabulæ ut clara prætereo.

Qu. Hic porrò quærendum est, *Quomodo Intellectus suas intelligit intellectiones? An per actum reflexum? Et quinam est hic actus qui dicitur reflexus? Quomodo etiam actus vitales & volitiones intelliguntur? Utrum abstractivè ex aliis? an Intuitivè in se? Et ita quomodo Anima Humana sibi nota est?*

Resp. Ex sæpe dictis,quid de quæstione hâc difficili nec inani sit dicendum sentio, satis constat.

1. Qui de actu intelligente reflexo loquuntur, aut actum *alterum præteritum*, aut *jam præsentem* ejus objectum esse statuunt. Si *præteritum*, hic nihil est: Actus nullus nisi præsens habet aliquam existentiam: Qui fuit, non est: Et qui non est, non scitur, neque objectum veræ scientiæ est: ut memoriâ tenetur sciri dicitur

dicitur: Non autem id Reminiſcimur, quod non priùs novimus. Et de prima actûs noſtri intellectione, non de reminiſcentia jam quæritur. Memoria retinet rerum imagines ſeu notitias quas intellectus percipiendo prius fabricavit. Primò intelligere actum præteritum qui jam non eſt actus, non eſt intelligere. Reflectere non poteſt intellectus in nihilum. Sin autem actus objectivus actui reflectenti jam præſens eſſe dicatur, tunc duo intellectûs actus in eodem inſtante adeſſe finguntur, quorum alter alterius eſt objectum. Quandocunque ſcilicet aliquid intelligimus, eodem inſtanti per alteram intellectionem hanc intellectionem etiam intelligimus: Nonne autem & ſecunda hæc intellectio per aliam etiam intelligenda eſt, & ita infinitæ intellectiones eodem inſtanti præſentes fingendæ ſunt, (niſi poſterior intellectio non omnino intelligatur?)

Anne autem in ſentiendo ita proceditur? Anne per viſum, auditum, guſtum, &c. ſecundum, primò percipimus priorem? Minime ſane; Neque propriè loquendo viſum videmus, auditum audimus, guſtum guſtamus.

Dubium igitur longe aliter ſolvendum eſſe mihi videtur: *viz.* 1. Natura ſeu Potentia omnis directe ſuperior, in ſe continet inferiores, eminenter quamvis non formaliter: Hoc eſt, *talis Potentia* eximior eſt, cujus inferior eſt analoga; & quæ vel eadem vel nobiliora non abſimilia præſtare poteſt.

2. Natura igitur ſeu potentia mentalis, eſt eminenter, quamvis non formaliter ſenſitiva, & Eminentiore quadam ſenſatione percipit.

3. Unaquæque facultas vitalis eſt ſui quaſi conſcia, & dum alia percipit ſe ea percipere percipit, non alio ſed eodem actu; qui ſenſui Communi vulgo attribuitur, ſed reverâ eſt ejuſdem facultatis ſenſitivæ idem actus, quamvis ex reſpectu diverſo diverſi nominis: Quia Potentiæ ſunt ipſius animæ Virtus (objectivè diverſificata) eſſentialis (formalis) earum actus ſunt ipſa anima ut in actu: Quando autem hi actus habent objecta extrinſeca ab objectis, quaſdam ſpecies, diverſa nomina ſortiuntur: Quando autem ſibi ipſis quaſi objecta ſunt, ratio nominis ab ipſis ſolis, non aliunde ſumitur. Cum Carteſius ponit [*Cogito*] pro primo cognito, non vult hoc [*Cogito*] ſciri ſolum per [*Cogito*] ſecundum, & ita ad finem: Sed *Cogitando percipio me cogitare*, ſicut videndo, audiendo, ſentiendo percipio ſenſibiliter me videre, audire, ſentire.

4. Idem actus hic etiam ſibi loco objecti eſt: Sin objectum pro re diverſa ab actu & agente ſumatur, hoc ſenſu nullum habet hic actus objectum.

5. Anima humana eſt Imago Divina: Deus ſeipſum intelligendo, & amando eſt Actus eſſentialis, ſenſu ſtricto ſine objecto, ſenſu laxiore ſui-ipſius objectum; ubi inter *actum & objectum* diſcrimen nullum eſt reale: id eſt, quale datur inter rem & rem. Ita etiam (modo noſtro inferiore) Intellectus, & Voluntas & Vita ipſa humana in ſimplicitate hac agendi Dei quadantenus ſunt Imago.

6. Diligentiſſime igitur diſtinguendi ſunt actus Intellectûs hi diverſi. Actus primus (uniuſcujuſque potentiæ) eſt ſui-ipſius intima & eſſentialis perceptio: Vivens vivendo percipit ſe vivere: Videns videndo percipit ſe videre; Intelligens intelligendo percipit ſe intelligere; Volens volendo percipit ſe velle; &c. 2. Ad extra objecta proxima percipit immediate (& non per objecta mediantia.) 3. Remota autem per media diſcurſive percipit.

Plurimum igitur differunt Animæ actus hi diſcurſivi, qui artificialem quandam ſcientiam conſtituunt, ab actibus illis intimis, eſſentialibus, quâ unaquæque potentia perceptiva agendo ſe eſſentialiter percipit.

Magna ſi non maxima pars generis humani, per ſcientiam diſcurſivam artificialem ſeipſos haud nôrunt: Quid Anima ſit, (ne dicam quod ſit) quid intellectus, quid voluntas, quid ſenſus, quid viſus, &c. ita neſciunt; fortaſſe item per verba ſeductorum ſuorum actuum veritatem negabunt: Cum illi ipſi tamen per intimam hanc eſſentialem (actûs) perceptionem, verè percipiant quæ aliter neſciunt & negant: ſentiendo & intelligendo percipiunt ſe ſentire & intelligere, & percipiunt *quid ſit ſentire & intelligere*; cum ſcientia artificiali diſcurſivâ fortè Philoſophi vix hæc intelligere & deſcribere poſſint.

Optimè

Optimè igitur à Deo Opt. Max. cum genere humano actum est, quod primæ hæ & necessariæ perceptiones & notitiæ, non artificiosæ sunt, neque labore acquirendæ, sed innata quædem sui consscientia, & perceptio: Et quod homo suam Animam, suum Intellectum, Voluntatem liberam negare non potest, donec ipsam suam humanitatem quoad actum ferè exuet & neget. Et ipsi Sadducæi cùm discursivè & artificialiter se in bestiarum classem laboriosè disputent, tamen intimam & naturalem hanc humanitatis consscientiam, deponere & superare, vix aut ne vix omninò queant.

7. Hanc primam & intimam sui perceptionem Ockamus *intuitivam* vocat; & Animam se nosse asserit scientiâ tum abstractivâ tum intuitivâ: Ipse autem cum non *libros*, sed *animam meam* ipsam inspicio, experientiâ ductus fas esse judico dicere [*sensu quodam eminenti sentio me intelligere, velle & vivere; sicut sensu inferiore sentio me sentire.*] Maximè propriè autem dicendum judico, [*Per ipsum actum intelligendi & volendi in sua essentia, ipse intellectus & voluntas suo proprio modo se intelligere & velle percipit.*] Quod fortasse voluit Pemble noster cum (Vindic Grat.) scribit, non malè dici, *Intellectum velle Verum, & Voluntatem percipere bonum*] Vel saltem aliquid huic non multùm absimile.

An Anima novit suam substantiam aut facultates perceptione hac immediata; An solum Actus?

8. Sin autem adhuc quæratur, *An facultates hàc primariâ & quasi sentiente perceptione, seipsas quâ potentias, seu animæ substantiam percipiant? an tantum actus; unde Potentiæ & Substantia discursivè solùm natæ sunt?*

Resp. 1. *Actus est Agentis modus; & non res quædam ab agente diversa: Actus immanens est Agentis maximè intimus; & Actus essentialis* (id est, *quo ipsa essentia suam naturam agendo exercet, sicut Ignis lucendo & calefaciendo*) est *immanentium omnium ab agente minùs distinguibilis.* Qui igitur Animæ Actus hosce agendo percipiunt (*viz.* Vitam, Intellectionem & Volitionem) eo ipso etiam *Animæ facultates* percipiunt: Et qui Animæ *facultates* (seu Potentias essentiales) percipiunt, ejus *Substantiam* etiam simul percipiunt: At primum perceptum non est *Substantia*, quâ *Substantia*, nec *facultas* qua *facultas*; sed *facultas* & substantia ut *Agentes primo* & immediatè percipiuntur.

2. Hæc difficultas non omninò absimilis est ei de objectis sensibilibus, *e.g.* visûs aut tactûs? Utrum scilicet *colorem* solum, *seu quantitatem videmus*, seu sentiendo *percipimus*; & *substantiam* solùm discursivè novimus? Proculdubio (quicquid ogganiant defensores Transubstantiationis) *ipsam substantiam quantam & coloratam* videmus; at primario, quâ *coloratam* & *quantam.* Vel si quæratur an *Ignis substantiam aut Potentiam illuminativam videmus, calefactivam sentimus? Respondendum* est, Ignis consistit ex duplici conceptu inadæquato, seu parte intelligibili, scilicet *substantiâ fundamentali, & Virtute* (seu Potentiâ activâ) *formali.* Videtur ipse Ignis; At non immediatè & primariò, quâ *Potentia*, vel quâ *substantia*, sed quâ *Actu lucens:* Lux enim est ipse Ignis in Actu suo essentiali; ut & Calor: Ita etiam de Anima humana dicendum est: Primò eam percipimus, quâ *Agentem* in actu vitali, intellectivo, volitivo: Non autem Actum sine *substantia potente* percipimus, sed *substantiam Potentem ut Agentem.*

9. Inde autem discursivè certissimè colligimus Animam esse *Potentem* & *Substantiam.* Nihil enim non agit: Nec agit quicquam quod agere non potest: Ab Actu ad Potentiam, & à Potentia & actu ad substantiam probandam certò valet consequentia.

Quomodò probanda est Animæ Immortalitas mediis naturalibus.

10. Via igitur rectissima ad animæ naturam, indeque immortalitatem juxta naturæ principia probandam, hæc est, 1. Facilè probatur Animæ Actus esse, Vitales-Motivas, Intellectivas, Volitivas.

2. Inde probatur Animam *posse* agere quæcunque agit.

3. Facilè probatur hanc Potentiam esse *Substantiæ Potentiam:* Neque difficulter probatur hanc Potentiam esse Substantiæ hujus differentiam formalem, non autem merè accidentalem.

4. Probari facilè potest, Substantiam hanc simplicem & spiritualem esse, non autem crassam aut compositam.

5. Ideoque nihil esse in sua natura unde dissolutionem partium metueremus.

6. Deum (qui ne vel atomum unum annihilat, quantum nobis *liquet*) Animas haſce ſpirituales & nobiles non annihilare; ſaltem eas annihilaturum nullam dari probationem aut probabilitatem ; (quamvis proculdubio totum mundum annihilare poteſt.)

7. Neque probabile videtur Deum Animorum facultates eſſentiales deſtructurum, & animas in res alias converſurum. Quis ſapiens talia timebit, magis quàm hominem factum iri bovem aut cucurbitam?

8. Minùs autem probabile eſt naturam animæ ſpecificam, id eſt, potentias formales durantes non agere. Natura etenim activa ſpiritualis ſemper aget niſi impediatur, ſicut natura paſſiva, (*e. g.* lapis) niſi ab alio mota non movebitur. Et quorſum, quæſo, Sapientia Divina infinita, ſuſtineret Potentiam activam eſſentialem, quæ non ageret? id eſt, quam ab agendo ipſe continuò impediret, dum ad agendum ipſe Deus Naturæ eam ſemper inclinet & impellat. 1. Potentiæ erunt ſemper ad agendum inclinatæ. 2. Non deerunt objecta. 3. Aut organa & media non ſunt neceſſaria, aut non deerunt. 4. Neque deerit influxus Divinus conſervativus & motivus.

9. Et quamvis Agendi modus animæ ſeparatæ adeo à modo incarnatæ diverſus erit, & ejus formalem aut plenum ſaltem conceptum jam habere non poſſumus, (Actus ſcilicet animæ incarnatæ ſunt quaſi compoſiti ſicut Citharedæ,) eminenter tamen ſi non formaliter iidem erunt actus, *viz.* Intelligere, & Velle idem erunt ex parte agentis à cujus eſſentiâ formali profluunt, & cujus non minor neque alia erit intelligendi volendique potentia) quanquam ex parte recipientis, & inſtrumenti (ſpiritus corporei & organorum) nonnulla fortaſſe futura eſt diverſitas, *viz.* ſicut Solis emanatio illuminativa eſt eadem, quando ex diverſitate contexturæ recipientium colorem, (id eſt, luminis ex reflexione apparentiam,) eundem non efficit: Modum quidem Intelligendi, Volendi, Amandi, Gaudendi, animæ ſeparatæ, ut à modo noſtro præſenti diverſus eſt, per conceptum adæquatum formalem jam ego quidem concipere haud poſſum: Quicunque autem modus ille fuerit, non præſente ignobilior fuerit: Quamvis Citharedа ſuam Citharam non poſtea pulſaret, opus tamen non minùs nobile facere ex facultatum perfectione poteſt.

10. Reſtat ſola de animarum *Individuatione* continuandâ quæſtio, de qua plura poſtea ſuo loco. Hic breviter dico: 1. Deum rerum multiplicatione delectari experientiâ ſatis notum eſt. 2. Spirituum etiam dari Individuationem & Multiplicationem probatu haud difficile erit (etiam ex apparitionibus ſeu ſpectris, lamiis, &c.) 3. Partes unitionis capaces unitæ erunt eædem. 4. Quoniam Unio rerum perfectio, & diſſolutio deſtructio eſt, ne Unione deſtruatur Individuatio non timendum eſt. 5. Auguſtinus (de Anim.) judicare videtur, dicendum potiùs Animas eſſe *tum plures tum Unam*, quam *plures & non Unam*, *aut Unam & non plures*. Et de Animi ſui notitia hæc hactenus.

II. INTEL-

III. VOLUNTAS consideranda est,

- I. VIRTUS: *viz.* ut est
  - 1. Potentia, vel *Facultas libera*,
    - 1. Volendi Bonum Intellectivè apprehensum
    - 2. Nolendi contrarium; & nolendo,
    - 3. Actum suum suspendendi (ut postea dicetur)
    - vel 1. Agendi { 1. Volitione. 2. Nolitione.
    - 2. Non agendi, id est, non necessariò agit.
  - 2. *Facultas Inclinata*, scilicet,
    - 1. Ad Actum, Amandi, Sperandi, Gaudendi, &c
    - 2. Ad Objecta; *viz.* { 1. Ad DEUM. 2. Ad FÆLICITATEM. 3. Ad quædam Media utriusq; *viz.* { 1. Bonum Honestum. 2. Bonum Jucundum. 3. Bonum Utile.
  - 3. *Facultas Habitibus Prædita*
    - 1. Intellectus dictamen practicum, sequendi.
    - 2. Seipsam expeditè determinandi, & Bono adhærendi.
    - 3. Facultatibus subditis rectè & efficaciter Imperandi.

I. In se: ut est,

II. In Actu: Actus autem Voluntatis considerandi sunt vel

II. In specie quæ variatur ut Bonum ejus objectum variatur; *viz.*

- 1. In Genere; *viz.* { 1. Velle Bona, 2. Nolle Mala: (ubi { Circa Objecta, { 1. Simpliciter / 2. Comparatè } considerata. & Actum suspendere, activè: Nolendo agere, ut malum.) Nuda omissio est, *non-agere.*
- I. Actus Voluntatis simplex, est { 1. Directus; Ad Bonum qua tale, & est, Amor, vel Complacentia. 2. Reductivus; Ad Malum; *viz.* Nolitio, seu Aversatio.
- II. Actus respectivus, est
  - *viz.*
    - I. *Ad Ordinem Rerum*: Et ita Amandum est, sive Volendum
      - 1. Bonum unicum Amore uno.
      - 2. Bonum multiplex Amore diviso multiplici.
      - 1. Bonum simplex Amore simplici.
      - 2. Bonum compositum Amore mixto variegato.
      - 1. Bonum primum Amore primario.
      - 2. Bonum secundum Amore secundario.
      - 1. Bonum non-causatum, propter se.
      - 2. Bonum Causatum, propter Causas.
      - 1. Bonum Universale Totale, totaliter & integraliter.
      - 2. Bonum Partiale, partialiter & in tantum.
      - 1. Bonum Perfectissimum, perfectissimè.
      - 2. Bonum Imperfectum & secundum quid, imperfectè & limitatè.
      - 1. Bonum necessarium, immutabile, quasi necessariò & immutabiliter.
      - 2. Bonum contingens, mutabile, contingenter & mutabiliter.
    - II. Ad *Ordinem Causandi*: Et ita Voluntas,
      - I. A Causa { primâ & secundâ { Efficiente, Potente, { Vult / Recipere { 1. Naturæ continuationem. 2. Dispositionem suppositi. 3. Influxum ad Activitatem.
      - II. Sub Causâ { Primâ / Secundâ { Gubernante, Sapiente, { Vult / Agere { 1. Per Scientiam, 2. Per Amorem. 3. Per Praxin, } scil. ad Finem.
      - III. Finem
        - 1. Ex Amore appetit.
        - 2. Intendit & Quærit; id est, { 1. Media Vult invenire. 2. Media inventa eligit. 3. Mediis electis utitur: Imperando scilicet facultatibus subditis.
        - 3. Adhæsione perfectâ *Amat* & Amatur; Placetur & Placet: Quando scilicet ad perfectam deventum est fruitionem, & Unionem appetitam.
    - III. Ad *Ordinem Temporis*, & ita Volumus.
      - 1. Bona præterita cum delectatione, ut memorata: (Præterita enim in se non jam existunt.)
      - 2. Bona Præsentia cum delectatione, ut jam existentia & possessa:
      - 3. Bona futura
        - 1. Ut absentia Desiderio.
        - 2. Ut possibilia & impetrabilia, 1. Spe, 2. Intentione, 3. Conatu.
        - 3. Ut sperata aut certa, delectatione.

A B

Schema Nolitionum brevitatis gratiâ omitto, quia ex hisce facilè colligi potest.

A | B

III. In modo proprio; *viz.* Libertate Naturali: (De Morali enim aut Politicâ non hic agendum est.) Ubi inquirendum est,

I. Quid sit? Et est Libertas,

1. In ipsa Voluntate; *viz.*
1. Esse sub Deo, Principium propriæ determinationis, & actuum suorum Dominam Potentem se determinare sine prædeterminatione, divinâ vel humanâ, vel ullius creaturæ.
2. Imperare cæteris facultatibus (sed diversè.)
3. Absolutè, directè & propriè, nulli subjici, præter Deum.

viz.
1. Ab extra,
1. Non Angelis vel Dæmonibus.
2. Non Hominibus, imperantibus, suadentibus, *&c.*
3. Non Objectis, (more Appetitûs brutorum.)

2. Ab intra,
1. Non sensibus, vel Phantasiæ, dum objecta præsentant.
2. Non intellectui; Qui Dirigit; non Imperat.
3. Non Passionibus; etsi molestiam ei præbeant.

Hinc nihil potest
1. Imprimere malas Inclinationes; nec auferre bonas necessariò.
2. Efficere malos Habitus; nec auferre bonos necessariò.
3. Determinare Voluntatem ad Actus malos necessariò.

2. In Persona; *viz.* Liberum Arbitrium Personæ est
1. Non posse nisi Volentem, mereri vel commereri.
2. Neque fælicem esse, neque infælicem, nisi per Voluntatem.
3. Non cogi, invitum, ad Malum vel Bonum Morale.

II. Qualis sit?

1. Ut Conjuncta cum Necessitate conveniente,
1. In Amore, seu Volitione simplici propriæ fælicitatis.
2. In Amore seu Volitione simplici boni sensibilis.
3. In Volitione Medii Unici fælicitatis, ubi nihil repugnat, (Saltem quoad specificationem actus.)

2. Ut separata à Necessitate Causali, Naturali; sicut est
1. In Subjectione & Amore erga Causam primam (Creatorem.)
2. In Volitione simplici Boni spiritualis, vel Dei ut Finis.
3. In Electione Finis, ubi plures præsentantur.
4. In Electione Mediorum, ubi diversa offeruntur.
5. In Actu Intendendi Finem electum, quoad exercitium.
6. In Usu Mediorum; & in Imperando facultatibus subditis.

III. Quotuplex sit; & Libertas Voluntatis est, vel
1. Contradictionis; Velle aut Non-Velle; Nolle aut Non-Nolle.
2. Contrarietatis; Velle aut Nolle.
3. Comparationis & Competitionis; Velle aut Hoc, aut Illud.

III. In Actione Imperatâ; *viz.*

1. In facultatibus mentalibus; *viz.*
1. Intellectu: Quoad actus Exercitium tantum: Partim objecta subministrando, vel submovendo: Et partim cogitationibus imperando.
2. Potentiâ Activâ; Quoad speciem: præcipuè in executione ad extra.

2. In facultatibus sensitivis,
1. Sensibus particularibus; Quoad exercitium; in quantum potest media, objecta & organa disponere & ordinare.
2. Passionibus; & immediatè, & per objecta; Non autem perfectè, sed difficulter & cum luctu in statu hoc imperfectionis.
3. Membris, & facultate Locomotiva, Despoticè: secundum Organorum varias dispositiones: De quibus posthâc de Executione.

II. In Agendi CAUSIS: ubi considerandæ veniunt,

I. Causæ ipsæ: Quæ sunt

I. Propriè Efficientes; *viz.*

1. Supra nos; *viz.*
1. Suprema DEUS.
2. Inferiores: 1. Angeli Boni, 2. Mali, vel Dæmones (suo modo)
2. Infimæ: Sol & Influxus Cœlestis: Qui per accidens aliquatenus hic afficiunt.

2. Intra nos: In Mente; *viz.*

1. Principia Volitiva,
1. Potentia, seu Virtus Essentialis Volendi.
2. Inclinatio Naturalis Voluntatis, ante descripta.
3. Habitus; Acquisitus, vel Impressus.

2. Actus priores; *viz.*
1. Potentiæ Activæ Vitalis.
2. Intellectus; circa finem, media, *&c.*
3. Ipsius Voluntatis; circa finem, media, *&c.*

3. Infra Mentem: Instrumentales ad actus imperatos,
1. In Anima Sensitiva,
2. In Anima Vegetativa,
3. In Materia Passiva,
de quibus omnibus posthâc suo loco plenius dicendum est.

II. Terminativè specificantes & individuantes: (Reverâ enim non efficiunt:) sunt que,

I. Quasi *Materiales Terminantes*, viz. *Objecta*; Quæ sunt quasi Oleum Igni) hæ sunt
1. Remotiores; *viz.* Objecta sensus, (ut ad Voluntatem referuntur.)
2. Propriores; *viz.* Objecta Phantasiæ.
3. Proximæ; *viz.* Objecta ipsius Voluntatis, *viz.* Bona apprehensa per Intellectum.

II. Objecta ministrantes: *viz.*
1. Qui Objectum faciunt in se.
2. Qui Objectum Physicè præsentant.
3. Qui Objectum moraliter præsentant; *viz.* vel
1. Ad Sensus.
2. Ad Phantasiam.
3. Ad Intellectum, docendo, suadendo, passiones suscitando.

II. Singu-

A. II. Singularum Modi Causandi; ubi sequentia notanda sunt,

- I. Supra
  - 1. Deus efficiens Causa suprema Voluntatem movet
    - 1. Immediatè; Agendo, in Substantiam, Virtutes, Actus Actiones Voluntatis.
    - 2. Mediatè; Agendo in & per omnes Causas inferiores.
  - 2. Angeli & Dæmones
    - 1. Probabiliter Immediatè causant; sed non Determinativé.
    - 2. Mediatè causant, per inferiora.
  - 3. Sol & Influxus cœlestis, universaliter & instrumentaliter; vitam & spiritus alendo.
- II. Intra Mentem,
  - 1. Virtus Volitiva movet & determinat, ut Vitale formale Principium; & Domina sui actus.
  - 2. Inclinatio Naturalis, ut pondus, per modum Naturæ (sed ad actum liberum,) 1. Necessariò determinat ad Amorem sui-ipsius, *&c.* 2. Ad quædam inefficaciter movet, non determinat (ut ante dictum.)
  - 3. Habitus per modum Naturæ actum facilitat; sed non necessariò nec semper determinat.
- III. Infra Mentem,
  - 1. Actus Potentiæ Activæ Mentis, ut Causa (efficienter-movendo) necessaria, coadjuvans.
  - 2. Actus Intellectûs, ut Causa (efficienter dirigendo) necessaria coadjuvans.
  - 3. Actus priores Voluntatis (præcipuè circa finem) ut Causa per Viam habitus inducens & facilitans.
  - Actus Sensitivi & Vegetativi, non sunt propriè Instrumentales ad ipsas Volitiones immediatè: sed 1. Mediatè Voluntatem sollicitant; 2. Instrumenta sunt actuum imperatorum.
  - Objecta & finalia & mediata, non efficiunt, aut operantur; sed Bonum sensibile mediatè, & Bonum Intellectum immediatè, sunt Volitionis & occasiones & termini, & quasi materia specificans & individuans, ut oleum ad ignem, & cibus ad appetitum: Et ad *Bonum aliquod Voluntas* se movet Necessariò; etsi Liberè; ad aliud non ita; prout in sese inclinatur, ut jam dictum est: Voluntas enim est quædam Natura, ut dicunt Scholastici.

III. Actuum & Voluntatis & Concausarum Ordo; qui sic procedere videtur.

1. Voluntatis *Potentia*, *Inclinatio*, *Naturalis* (ad fælicitatem, *&c*) & *Libertas* supponuntur.
2. Sensus objectum sensibile percipit; & inde Phantasia Bonum imaginarium sensatum.
3. Intellectus Bonum (aut Malum) intelligendo, Voluntati proponit.
4. Inde Voluntas Bonum (vel Malum) intellectum complacentiâ amat (vel odit) simpliciter.
5. Alia item bona competentia Intellectus percipit, & comparanda esse dicit.
6. Voluntas Intellectum comparationem facere jubet; nisi abusu libertatis vel ignaviâ actum hunc omittit, vel adhæsione ad unum impediatur: Et in hisce peccatum incipere videtur.
7. Intellectus cogitando comparationem seriò & fideliter instituit (nisi ignaviâ vel malo motu Voluntatis, ejus excitatio impediatur vel omittatur, ut jam dicitur.)
8. Intellectus Objectum præferendum Voluntati clarè & sine dubitatione proponit.
9. Voluntas (nisi errore jam dicto præpedita) Optimum tenaciter amplectitur.
10. Et simul (nisi libere adhærendo peccans) bonum inconsistens rejicit vel negligit.
11. Passiones sæpissimè Voluntatis hos actus, vel promovent vel impediunt præveniendo.
12. Voluntas Amore Finis mota, Intellectui de Mediis inquirere imperat.
13. Mediorum aptissimum Intellectus invenit, nisi errore & peccato impeditus.
14. Inventum Medium Voluntas eligit, nisi ignaviâ, morbo, vel errore impedita.
15. De Mediis recti utendis consulere Intellectum jubet (nisi peccans ut jam dictum est.)
16. Consilio Intellectûs (nisi peccando deficiens) Voluntas consentit.)
17. Potentiam executricem, ad hunc Mediorum usum suscitat.
18. Opponentibus & impedientibus cunctis adversatur.
19. Ad executionem & contra oppositionem passiones suscitat (nisi inordinatè se ingerant.)
20. In Fine comprehenso, Amore delectatur, eoque, Amore adhærendo, fruitur.

III. Quoad Finem; Qui est vel

- I. Intrinsecus: Perfectio & ita finalis,
  - 1. Sui, *viz.* 1. Virtutis, 2. Actus, 3. Actionis ipsius Voluntatis.
  - 2. Suppositi seu personæ, 1. Per Potentiam, 2. Sapientiam, 3. Amorem.
  - 1. Agens est Amans; 2. Virtus est Amor; 3. Actus est Amor.
- II. Extrinsecus: Qui est I. *Creatoris Voluntas*; cui *Creata Voluntas* totaliter aptanda est.
  - 1. Ut Primo efficienti: Volenter *Recipiendo*,
    - 1. A Proprietario *sua*, & eorum *dispositionem.*
    - 2. A Rectore, *doctrinam* & *leges.*
    - 3. A Benefactore *Beneficia* & *Amorem.*
  - 2. Sub Causa Gubernante; Agere ad finem; reddendo & redeundo, ut antedictum est.
  - 3. BONUM INFINITUM, ut Finem ultimatè ultimum, & Objectum Absolutum.
- 1. Amare propter seipsum cum *summo Desiderio*,
  - 1. Ut in Imagine sua Creata.
  - 2. Ut in se, per Imaginem cognito.
- 2. *Quærere* per Media, 1. Inventa, 2. Electa, 3. Adhibita.
- 3. Amare propter seipsum *cum summa Delectatione.*

II. IPSE DEUS ut SUBSTANTIA-VITA-PERFECTIO; in omni scilicet suo ESSE, & in omnibus suis PERFECTIONIBUS, in quantum eum cognoscere possumus: 1. DEUS enim ut *Objectum finale:* 2. Et AMOR noster ut *Actus finalis:* 3. Et AMARI à DEO, seu *Deo placere* ut Amoris nostri *Receptio*; Finem Voluntatis creatæ ultimum perfectum perfectè constituunt.

N. B. Igitur, Quòd sicut in *Arboribus, Brutis,* &c. Natura non est primò & statim *fructifera*; Ita *Natura humana* non est *perfecta* in *Finis Intentione,* antequam ad *rationis usum perfectum* adolevit: Neque *perfecta futura* est in *finis fruitione,* antequam *præparatio Gratiæ moralis* pro vitæ hujus statu perficiatur.

Cap. VIII. *Elucidationes.*

1. VOluntas, ut Facultas, est Animi Intellectualis *Virtus*, vel *Potentia Essentialis.*

2. Difficile admodum est discernere, utrum Voluntas, aut Intellectus, aut Potentia Activa, sit principium primum in operationibus humanis. Voluntas ☞ enim quatenùs naturaliter inclinata ad fælicitatem, per modum ponderis, vel naturalis appetitûs necessariò agit: Ideoque principio nullo antecedente, excitante nullo, nullo dirigente, ad primum suum actum opus habere videtur. Sed reverâ harmoniâ mirabili Virtus, seu facultas unaquæque quoad objecti respectum sibi proprium, primum est. *Ens* omne est, *Existens* (seu *Unum,*) *Verum* & *Bonum:* Quatenùs ad *objectum Existens,* principium motus est à *Potentia Vitali Activâ:* ☞ Quatenùs ad *Verum,* principium motus est ab *Intellectu:* Quatenùs ad *Bonum* principium motus est à *Voluntate.* Vel *Motus,* quâ *Motus* est primò à Potentiâ-Activâ-Vitali: Motus quâ *Rationalis* & *directivè specificatus,* est primò ab *Intellectu:* Motus quâ *Practicus* & *Moralis* & ad *Bonum,* quâ tale est primò à *Voluntate.* Quoniam autem objectum priùs consideratur ut *Unum* vel *Existens* quàm ut *Verum,* & priùs ut *Verum* quàm ut *Bonum;* ideo dicendum est *Potentiam Vitalem* esse facultatem primam in agendo, & Intellectum secundam, & Voluntatem tertiam.

3. Sicut autem *Bonitas* est in Objecto *præstantissima* affectio, potius quàm *Existentia* aut *Veritas;* ita *Voluntas* est Facultas animæ quasi *Perfectiva;* Quamvis reverâ Facultates sunt *Pares,* & nulla est altera *major* aut *melior.*

4. Quamvis & *Voluntas* & *Appetitus sensitivus appetere* rectè dicuntur, non tamen sunt *Unus idemque Appetitus,* diversos scilicet sequens ductores. Sicut enim *Duces* (*Sensus* & *Intellectus*) sunt diversi, ita etiam & *Facultates appetentes:* Ex actibus hoc patet; quoniam *Velle bonum Intellectum,* & *sensitivè appetere* bonum sensibile, tota specie inter se discrepant.

5. Cum dicunt Scholastici Voluntatem esse *quandam Naturam*; per *Naturam* intelligunt *Substantiæ Virtutem,* vel *Facultatem inclinatam:* Facultas scilicet unaquæque non tantum est *Potentia,* sed Potentia ad *Objectum proprium* naturaliter inclinata.

6. Quamvis Voluntas *liberè agit* quando agit, tamen ad agendum, scilicet ad amandum, sperandum, gaudendum, &c. *naturaliter inclinata* est.

7. Voluntatis inclinatio quoad Objectum, non est ad Bonum Logicum Universale, ut est notio secunda, & non Ens reale; sed est ad Bonum reale universaliter ut in partibus, vel rebus singularibus existens: Bonum scilicet, quâ Bonum appetit, & nihil nisi sub ratione Boni; sed semper ut in hoc vel illo subjecto realiter invenitur, vel inveniri potest. Objectum scilicet Voluntatis *Formale* (*Bonum*) nihil est nisi ut in objecto *aliquo fundamentali,* scilicet *subjecto bonitatis:* Objectum autem Volitum est, vel ut *Finis* (vel saltem simpliciter bonum) vel ut *Medium:* Ut *Finis,* 1. *Naturæ:* Subjectum Boni & Objectum materiale Volitionis est ipse Volens, & objectum formale est Fælicitas. 2. *Rationis*; & ita subjectum Boni, & (ut impropriè dici potest) objectum quasi materiale Volitionis est ipse Deus; & objectum formale ejus Bonitas. Ut *Medium,* subjectum boni & objectum materiale Volitionis est Res particularis: Objectum formale est Aptitudo ad Finem.

8. Voluntas

8. Voluntas ad Vitam & fælicitatem & earum continuationem, amandas, naturaliter & neceſſariò inclinatur.

9. Inclinatur etiam radicaliter ad Bonitatem ſimplicem vel præſtantiam in alio, amandam, ſimpliciter & propter ſe, etiamſi à ſeipſo diſtantiſſimam ; & non ſub ratione medii ad ſui-ipſius fælicitatem. Et ita naturaliter, ingenioſiſſimos, doctiſſimos, pulcherrimos, fortiſſimos, optimos diligimus, quamvis per famam tantum cognitos, & nobis ipſis nunquam profuturos

10. Voluntas igitur naturaliter & neceſſariò aliquâliter inclinatur ad Deum agnitum amandum: Neque poſſibile eſt aliquem, Deum reverâ agnoſcere, Optimum ſcilicet in ſeſe, & Mundo Optimum, (& qui Optimum eum non agnoſcit, Deum non agnoſcit) & ad eum amandum non omninò inclinatum eſſe.

11. Inclinatio hæc ad Deum ut optimum Amandum, Voluntati integræ fuit naturalis, & ita erit maximè Voluntati reſtitutæ & perfectæ; Voluntatis enim ſumma perfectio eſt.

12. Sicut homo naturaliter eſt membrum Univerſitatis, & generis humani; & ſocialis; ita naturaliter ab bonum Univerſi, & generis humani inclinatus eſt.

13. Voluntas ad *bonum ſenſuale* inclinatur, non primariò & ex ſua natura; ſed ſecundariò, & quatenus vel animæ vel facultati ſenſitivæ conjuncta eſt.

14. Non omne illud *ſincerè amatur* per Voluntatem, ad quod amandum *inclinatur* hypotheticè, id eſt, ſi ut Bonum ab Intellectu ſit apprehenſum. Quia ſi Intellectus vel malum, vel non bonum illud æſtimat, Actum amoris præpedire poteſt.

15. Cum dicimus autem Voluntatem naturaliter ad Deum & Bonum publicum amandum inclinatam eſſe, includimus *Bonitatem Dei* & *Boni publici* ut *Veram* Intellectui naturaliter notam eſſe; non ita tamen quin lumen hoc extinguere poſſibile ſit.

16. Et qui ad Bonum aliquod & agnoſcendum & amandum (*e. g.* Deum) naturaliter inclinatus eſt, ab actu Amoris tamen averti poteſt, per objecta divertentia; & ad alia *magis* amanda Voluntas ſæpe præceps fertur, per apprehenſionis & appetitus ſenſitivi præpotentiam, vel per Intellectûs circa bona inferiora deceptionem: Et ita dum aliud diligitur ut *optimum* (per hanc deceptionem vel diverſionem) Deus non ut *Optimus* verè diligitur; ideoque non ut Deus.

17. Impii igitur, quâ *Homines*, ad Deum amandum aliqualiter inclinantur, & aliqualiter ſæpe actu amant; & tamen *Carnem*, & bona inferiora *magis* amant; imò & Deum *magis odio habent* uno reſpectu (ut *ſanctum*, *juſtum*, & eorum punitorem) quàm alio reſpectu ut *bonum* diligunt. Non igitur ſimpliciter *Dei Amatores* dicendi ſunt, ſed potiùs *Oſores*; *ſecundum quid* eum diligunt, & *ſecundum quid* eum *odio* habent.

18. *Bonum honeſtum*, ſive *Virtus*, ſicut naturaliter ab Intellectu approbatur, ita & aliqualiter à Voluntate diligitur; neque quiſquam adeo malus ab ortu per peccatum originale invenitur, qui bonum & malum morale omninò exæquat, & qui Virtutem non laudabit.

19. Attamen quia ſenſuum delectationem magis diligit, Virtutem ei contrariam ut ſibi inimicam odit: Etiam illam quam in aliis probat, ut ſibi inconvenientem fugit.

20. Ad *Jucundum*, qua tale, Voluntas omnis humana inclinatur: At non ad illa omnia quæ nobis jucunda eſſe debent. Placeri ſcilicet vult omnis Voluntas: At *verum* & *ſummum bonum* plurimis non placet. *Boni ſenſualis*, *viz.* perceptionem habent; *intellectualis* & *ſpiritualis* non item.

21. *Bonum utile* nil aliud eſt, niſi *Medium*, *quâ tale*, ad finem optatum conducibile. Sicut igitur homo carnalis & ſpiritualis diverſos habent fines, ita & media diverſa & plerumque contraria. Diverſa itidem & contraria iſta ab ipſis reſpectivè *Utilia* æſtimantur.

22. *Inclinatio Naturalis* non eſt *Habitus*, ſed neceſſariò ab Habitibus diſtinguenda.

23. Inclinatio Naturalis nobiſcum orta eſt; imò eſt ipſius Voluntatis vel natura

vel

vel integritas seu perfectio. Quædam enim *Inclinatio* à Voluntate est inseparabilis; quædam verò *diminui* potest, etiamsi *naturalis* sit; & quævis ab agendo impediri. Voluntas scilicet non potest ad fælicitatem sui desiderandam non esse inclinata: Ad *Deum* autem & *Virtutem* Inclinationem ut plurimum amittere potest: Et ab actuali *fælicitatis* suæ *Volitione* seu desiderio sæpe impeditur.

24. *Inclinatio* Naturalis (sicut Appetitus in brutis) actum omnem antecedit: *Habitus* autem sicut actus *sequentes antecedit*, ita ex actibus *antecedentibus* ortus est. *Habitus* item magis *amissibilis* est quam *Inclinatio* Naturalis.

25. Omnis Voluntatis *Habitus* est *quædam Inclinatio*; Voluntatem quippe aliqualiter inclinat; sed non omnis *Inclinatio* est *Habitus*.

26. Cum dicunt Scholastici quod [*Habitus infusi se habent ad modum acquisitorum*] non tantum volunt eos ejusdem naturæ esse cum generantur in facto esse, sed etiam quoad nostros conatus iisdem mediis & actibus obtineri, ut in fieri. In hoc autem differunt inter se, quòd actus nostri quamvis plerumque necessarii, ad habitus tamen qui *infusi* dicuntur, non sunt sufficientes, neque per se, neque cum Auxilio Divino universali & ordinariò tantum; sed præter hæc operatione Spiritûs Sancti speciali opus est; unde *Infundi* dicuntur. Habitus *Infusi* igitur plerumque sunt etiam *Acquisiti*; sed omnes Habitus *Acquisiti* (aut plerique) non sunt *Infusi*.

De habitu infuso.

27. Imò *Habitus* tantum *Acquisiti* per *Actus plures* & *longo plerumque tempore* acquiruntur: At *Habitus Infusus* vel per *unicum actum* obtineri potest: Et Actus ille *unicus* est ab ejusdem Spiritûs operatione, qui habitum operatur: Modus scil. vel ordo operandi talis esse videtur; Quòd Spiritus Sanctus primo Actum fidei & pœnitentiæ sinceræ excitat, & per Actum illum suâ Virtute Habitum imprimit. *Verbum* aut *Veritas Divina* est quasi *sigillum* instrumentale: *Voluntas* humana est quasi *Manus* pueri imbecillis sigillum tenens: *Spiritus Sanctus* est quasi *Manus fortis* manum imbecillem tenens, & robore proprio impressionem faciens. Et ita sanctitas Habitualis, Imago Dei, imprimitur in Voluntatem.

28. Utrum verò *Gratia Sanctificationis* sit *Habitus*, an potiùs *Inclinatio Naturalis* restituta, (Divinæ enim *Naturæ* simus participes,) aut *utriusque particeps*, difficilis quidem solutionis quæstio est; sed suo loco, non hic discutienda.

29. Voluntas læsa & depravata Intellectûs dictamini aliquando resistit, aliquando negligit, aut tardè sequitur: Habitûs igitur rectificantis usus est, voluntatem promptam & facilem reddere, ad sequendum dictamen Intellectus.

30. Voluntas item depravata, *Bono superiori* aliqualiter apprehenso, non firmè satis & tenaciter adhæret: Neque ad *rectam sui determinationem* satis *prompta* vel fidelis est: Ad *promptitudinem* igitur hanc *se rectè determinandi*, & ad tenacem hanc *adhæsionem*, Habitibus opus est.

31. Voluntas morbosa *facultatibus Inferioribus* non strenuè, expeditè, & fæliciter *imperat*; sed ab illis quasi imperio suo dejecta & deturbata est. Ad Imperium igitur Voluntatis restituendum, habitibus salutaribus opus est.

32. Dictamen Intellectûs, quamvis *aptitudinaliter Practicum* dici potest, quando res *Agendas* percipit, non tamen *plenè & propriè practicum* dicitur, nisi à *Voluntate* praxin intendente.

33. Plurimum inter se distant *Volitio simplex*, & *Volitio comparata*: Et qui Bonum aliquod *simpliciter* vult, *comparatè* tamen sæpissimè id vel *negligit* ut *minùs Bonum*, vel *odit*, ut *Bono majori contrarium*, & ita ut *comparatè malum*. (Et ita *Deum* & *Virtutem*, & *amant*, & *odêrunt* mali.)

34. Primus actus Voluntatis erga Bonum est *Complacentia*, quæ *Amoris forma* est: Et primus actus erga malum est *Displicentia* quæ est *Odium* vel *Aversatio rationalis*: Et actus cæteri omnes nil aliud sunt, quam horum *modi* diversi, vel ex adjunctis, & circumstantiis diversis diversa exercitia.

35. *Complacentia* & *Displicentia* plerumque primò fluunt ab Agentis *Inclinatione Naturali*; scilicet à congruentia facultatis & objecti: Qualis enim quisque est, talis est ejus *Amor* seu *Complacentia*, & *Aversatio*. Quandoque verò non à Natura, seu *Inclinatione Naturali*, sed ab Intellectus diversis apprehensionibus oriuntur.

36. Amoris

36. Amoris seu Volitionis actus unusquisque est verus & rectus, quando ad objecti naturam omnimodè adaptatus,& exactissime congruus est: Malus autem est ubi falsus est, & objecto incongruus, per Intellectus deceptionem vel omissionem seductus.

37. Quamvis unaquæque Animi facultas & *Recipit à Deo Efficiente*, & inde *reddit* & *revertitur* ad *Deum Finem*; Voluntas tamen in reddendo & redeundo est facultas maximè notabilis; utpote cujus est *Deum Finem* velle, intendere, eoque frui.

38. Voluntatis *Receptio* Physica à Deo efficiente, semper antecedit ejus *actus*. Receptio igitur ejus Physica *non est Velle*, quia *Velle* est *Agere*, Recipere autem est pati.

39. Quando autem per Receptionem antecedentem *Agimus*, per *Actum hunc Receptionem* pleniorem subsequentem, *Velle* & possumus & debemus: Et prius *Velle Recipere*, quàm *Velle agere*. Et per actum sequentem *Velle* debemus, per modum *gratitudinis*, etiam *receptionem præteritam*.

40. Voluntas *naturaliter* vult suppositi continuationem seu *Vitam*: non tamen necessitate immutabili: Quia ad malum intollerabile devitandum, etiam *annihilationem* Velle potest.

41. Voluntatis est rectam suppositi, & facultatis ipsius dispositionem, vel sanitatem cum primis Velle; Quam tamen ex morbosa dispositione facilè nimis nolle potest.

42. Voluntas ad suum actum se gerere debet, ut Causa, etsi Libera, non tamen Independens, sed subordinata; Ideoque auxilium Divinum ad omnem suum actum petere & expectare.

43. Voluntas *suum Actum Velle* potest & debet; Actus scilicet posterior, prioris objectum esse potest: Et (ut verè loquitur Amesius) *dicimus omnium gentium consensu, Volo Velle*; sicut enim (ait Scotus) Intellectus suam Intellectionem potest Intelligere, ita Voluntas suam Volitionem potest Velle. Unde piorum est rectas Volitiones, desideria, & Amorem Dei vehementer desiderare & à Deo petere.

44. Non tamen hic in infinitum procedere aut opus est, aut possibile. Quamvis enim sæpe *Velle*, *vollumus*, *possumus* tamen *Velle*, quando non ante Velle voluimus; neque ad *actum omnem Volendi* ejus Volitionis Volitio aut necessaria est, aut possibilis.

45. Scientia Intellectûs perfectissima, *quâ Scientia*, est objectum non infimum Voluntatis; est enim naturaliter delectabile *in se*, & ut est *Perfectio* suppositi.

46. At *Scientia* ut est *summi Boni Scientia*, & medium tum ad illud assequendum, tum fruendum omninò necessarium, magis adhuc Voluntati appetibilis est.

47. Qui *Finem* Vult, at *Conatus necessarios* & *media* cognita non-vult, Finem ipsum non *rectè vult*, ideoque *frustra* vult.

48. Qu. *An possibile est eandem Voluntatem in eodem statu, eodemque tempore duos contrarios vel inconsistentes habere fines ultimos?* *Resp.* Finis denominatur, vel ex Relatione ad Principalem & prævalentem Animi intentionem, curam, affectus & conatus, & ad vitæ cursum & tenorem; vel ex Relatione ad intentionem & affectus quosdam non dominantes sed subditos, & ad actiones quasdam vitæ particulares. Non solum omnis Regenitus, sed plurimi etiam carnales, duplicem habent *Finem ultimum*; sed non duplicem *finem principalem*, & *prævalentem*, quoad Animi habitus & statum, & vitæ tenorem.

49. Quicunque ex *contrariis principiis* operatur, ad contrarios etiam operatur *fines*: At omnis Regenitus ex contrariis principiis operatur---Ergo--Nemo adeo spiritualis est, quin etiam ex carnalitate & sensualitate non pauca culpabiliter agat.

50. Si Regeniti unicum habent finem ultimum, tunc nunquam peccant, neque peccare possent, nisi per *Apostasiam*, vel ex *mediorum mala electione* vel *omissione*, vel *pravo usu*: At falsum est Consequens: Ergo & Antecedens. Quando Noah peccavit per ebrietatem, Lot per ebrietatem & incestum, David per adulterium, Petrus per Christi abnegationem; quis sobrius dicere ausit, eos crimina hæc perpetrasse,

petrasse, non ultimatè ad carnales cupidines satisfaciendas, sed tantum ut media ad Gloriam Divinam malè electa? aut peccatores hos finem ultimum habitualiter deserendo, totaliter Apostatas factos fuisse? Anne omnis regenitus qui edendo, bibendo, concupiscendo peccat, hæc facit tantum ut *media* ad *salutem*, aut ad *Gloriam Divinam*? Minime quidem! sed ad Carnis delectationem.

51. Lucta inter Spiritum & Carnem hinc oritur, quod in eodem homine *principia* contraria, ob *fines contrarios*, ad contraria adigunt, & sibi invicem confligunt & colluctantur.

52. *Electio* non est tantum *mediorum*, sed & *finis*; ubi scilicet Fines *diversi* in *competitionem* veniunt, vel *contrarii* præponuntur.

53. Fælicitas propria sempiterna ut consistit in Vita & Vitæ deliciis, & gaudio, non habet competitorem oppositum; ideoque hujus non datur electio.

54. Finis semper intenditur antequam media eliguntur.

55. Quia Voluntas est facultas intendens, & Amor est Animi operatio perfectiva, Finis *Hominis* est *Finis Amantis*.

56. Finis *Amantis* est *Unio* quædam *Moralis cum Amato*.

57. Amor Amicitiæ, non semper tenet *æqualitatem* inter amicos ad invicem: sed quandoque *Amatus* est Amante *Inferior*, & tunc magis propter seipsum quàm propter Amatum eum amare oportet; vel seipsum principaliter intendere: Quando verò Amatus est Amante superior & melior, propter *Amatum* magis quàm *seipsum* eum amare oportet, & amatum principaliter intendere.

58. Hominis summa fælicitas est Deum perfectè & summo gaudio Amare & ab eo Amari.

59. Notio *fælicitatis nostræ* non est notio præcipua Finem explicans; Quamvis enim in Amore bonum Amantis & Amati conjungantur, quoniam tamen infinita est inæqualitas, inter *Deum* & *Hominem*, respectus Amoris nostri *ad Deum*, præcipuum est in fine hominis.

60. In Fine ultimatè ultimo continentur; 1. *Amari à Deo*, ut *Receptio finalis*. 2. *Amare* ut *Actus finalis*; 3. *Deus* ut *Amatus*, *Objectum finale*, Deus scilicet *Optimus* & ut *Amans*, & *Communicatione* se *Glorificans*, & in *Gloria* & *Amore* suo *complacentiam* habens, qui in summo hoc & ultimo respectu, *sibi-ipsi* etiam Finis est dicendus.

61. Invento & intento fine, Voluntatis proximum opus est media aptissima invenire: Ideoque Intellectum ad deliberationem & consilium vocare.

62. *Inventis mediis*, Voluntatis opus est, ea *rectè eligere*, & de iis utendis propositum figere.

63. Opus autem huic proximum est, mediis electis *rectè uti*, modo ad finem obtinendum aptissimo.

64. Bonum quatenus *Amatum*, non est *Causa finalis*, sed tantum *Amoris objectum*, & *Finis terminativus*.

65. Quando gratiâ boni Amati obtinendi, *media eligimus*, hoc bonum amatum dicitur *Electionis* hujus *Causa finalis*.

66. *Operatio* aut *Actio Causæ Finalis* (quâ talis) nulla est. Nil aliud est *Finis* quam objectum principale ad Naturam Voluntatis aptissimè dispositum; ideoque *Amabile* propter se. At objectum qua objectum nihil operatur. Sicut liber vel penna tacta & tractata non agit in tactum, neque cibus vel potus qua objectum agit in appetitum (Fortasse enim cibum non visum; imò non existentem, appetam) Ita & Bonum amatum non agit in Voluntatem. Lumen quidem *agit* in *oculum*, (at non item *paries* per lumen apparens,) & *aer agit* ad *sonum*, & *vapor* ad *odorem*, non autem quatenus *nudum objectum*, sed quâ per *Causam agentem efficientem* defertur ad organum ut objectum fiat, vel quatenus ab extra efficit. Objectum Phantasiæ potest esse Chimera, vel res distantissima, quæ nullo modo in Phantasiam agere potest. Si dicis, *non rem, sed speciem rei operari*, Respondeo, *Species* illa nihil reale est à *re ipsa* & à *facultate* apprehendente, & ab ejus *actione* & *modo*, distinctum: Realem igitur actionem præstare non potest. Reverâ istud quod *species* vulgò dicitur, est tantum *Actionis* apprehensivæ facultatis quidam *modus*.

De Causa finali.

modus. Siqua igitur ad Appetitum boni *actio* requiritur præter ipsius appetitûs actum, necesse est ut sit facultatis apprehensivæ actio. Si hisce contradicendo dicas, *Speciem esse Rem Intentionalem, & actum præstare Intentionalem*, nomen [*Intentionalis*] nihil verè significare potest, præter actum facultatis apprehensivæ modificatum; & siquid aliud reale intelligis, per nomen obscurum & ferè insignificans, intellectum tantum ludificare conaris. Cum amicum amo quia bonus est, vel quia doctus est; cum librum amo quia scientificus & clarus est; neque Amicus neque Liber agunt aliquid in meum aut Intellectum aut Voluntatem; cum fortasse ambo procul absint.

67. Sicut finis non agit ut *objectum* in actu *amandi*, ita neque in *Electione* quando gratiâ ejus media eliguntur. Nihil enim agit ad *Electionem*, si nihil ad *amorem*. Quia reverâ ad utrumque rationem tantum habet objectivam.

68. Si finis non *agit*, proculdubio non *efficit*: Omnis *effectio* est per actum vel actionem.

69. Si finis non *agit* aut *efficit*, non stricto sensu *Causat*. Operatio igitur Causæ finalis rectè dicitur operatio Metaphorica, quia reverâ non est operatio Physica, id est, realis & vera. Sanitas medicinæ finis non adhuc existens, realiter operari non potest. Quod non est, non operatur.

70 Obj. *Salus ut possibilis & futura operatur.* *Resp.* Ergo *nihil*, vel *quod non est*, operatur: quod impossibile est? Nonne ex responsione istâ tuâ facile percipis, etiam juxta teipsum, non *salutem*, sed *salutis possibilis* spem, operari? id est, Intellectum & Voluntatem sperantis circa hoc objectum operari?

71 Obj. *Finis movet agens ad agendum, alliciendo & excitando scilicet ad actum* *Resp.* Quod non agit, non movet agendo: Movere dicitur Finis metaphoricè, ut objectum congruum appetitui, & (sicut oleum igni) sine quo non seipsum movet appetitus. Ipsa facultas igitur (suppositâ operatione causarum superiorum) est solum Agens in causatione dictâ finali (& in amando & eligendo) utpote quæ ad Actionem potens & inclinata est: At per naturam ita dispositа est, ut *non omne*, sed objectum solum congruum, *Bonum* scilicet seu *Amabile* amet.

72. Et quando dicitur [Bonum Amoris motivum est; Et media eligo quia finem amatum intendo; & Amatum hujus electionis ratio vel causa est:] nil aliud verum hæc verba significant, quam ordinem actuum humanorum, & eorum rationem objectivam, *viz.* Actum priorem animi esse posterioris causam, vel antecedens necessarium: sicut res amata non est causa electionis ut *in se* (quia ut dixi fortasse non existit,) ita in *esse Cognito* & *Volito* nihil est realiter ab actu Intellectus & Voluntatis distinctum: Et in actibus illis locum nullum habet nisi objecti: Objectum autem qua objectum non *agit*, sed facultatis actum terminando specificat, quasi materialiter, id est, modificat. Et ita sapienti rem seriò pensitanti apparebit, *facultatem*, non autem *objectum* vel *finem*, verè & realiter, movere, excitare, agere.

73. Quia vero notio *operationis magneticæ* & *attractricis* meipsum diu decepit, addendum duco, *Attractio* quæ dicitur est vel per *congruitatem* tantum, vel Amabilitatem objectivam, vel per *emissionem virtutis* operativæ attrahentis: si prius, dicitur, nulla operatio finis asseritur; sed est objectum sine quo non; sin posterius dicitur, tunc *effectio* propria asseritur: Per virtutem enim *operativam attrahere*, est verè *efficere*.

74. Causa igitur finalis, non strictè *Causa* est; sed ne de nomine litigemus concedo, quod nomen *Causæ* in sensu laxiore sumi potest, & ita æquivocè, metaphoricè, vel Analogicè & finis & objecta appetitus causæ dici possunt.

75. Sicut præsentia & futura, ita & præterita Voluntatis objecta sunt; quatenus scilicet recordata vel grata vel ingrata sunt.

76. Libertas Voluntatis haud facilè quidem definitur: & vix alibi adeo acerbè inter Theologos & Philosophos contenditur, de *re* non definitâ, vel de nomine, de cujus sensu inter ipsos contendentes omnino non convenit; cui modesto non pudor oboriatur & dolor, audienti & legenti partèm unam Liberum arbitrium vehementer oppugnantem, & alteram defendentem, quando per nomen *Liberi arbitrii* De Libertate Voluntatis.

bitrii non explicatum altera hoc intelligit, & altera illud; & plurimi omninò nesciant quid sit liberum arbitrium; neque tamen se de nudo nomine, vel de re ignotâ contendere; & Ecclesiam litibus inanibus perturbare, fatebuntur.

76. Libertas est vel *Personæ*, vel *Voluntatis* solius ut facultatis. *Libertas Arbitrii*, de utrâque dicitur, sed plerumque de *Libertate Personæ*: & tunc ad *utramque* facultatem Intellectum & Voluntatem pertinet.

77. *Libertas Personæ* est quando quis, 1. Agere, 2. Recipere, 3. Habere potest, quicquid *Vult*, aut eligit: & ita cum hæc ad Arbitrium ejus referuntur.

78. Libertas *Personæ* est, vel 1. Physica, 2. Ethica, 3. Politica vel Civilis.

79. Libertas Physica est, Libertas ab impedimento vel coactione Physicâ. Libertas Ethica, est Libertas ab impeditione vitiorum. Libertas Politica, est Libertas ab impeditione Legum vel Voluntatis superiorum.

80. At harum libertatis specierum nulla ad caput hoc directè pertinet; sed tantum *Libertas ipsius Voluntatis*, quâ facultatis naturalis; eaque non *Ethica* (quæ de sanctificatione dicenti tractanda est:) neque *Politica* (cujus descriptio ad doctrinam de Regimine pertinet;) sed tantum *Physica*, quæ ad ipsam Voluntatis pertinet naturam: Et inde Libertas Personæ ob Voluntatis hanc libertatem.

81. Libertas quædam Physica Voluntatis est ei essentialis, neque ab ea demoveri potest sine voluntatis interitu. (Libertas verò & Ethica & Politica sunt amissibiles)

82. Libertas hæc non consistit in nuda spontaneitate. Bruta enim sponte agunt, absque hâc libertate.

83. Neque consistit in Libertate à *Coactione* prout vulgò sumitur *Coactio*, pro vi, quâ aliquis *invitus* agere cogitur. *Invitus* quidem ad actiones *corporeas* cogi potest; At *invitum velle* est contradictio, & idem significat quod nolentem velle seu velle & nolle (circa idem scilicet eodem respectu.) Si igitur Voluntatis Libertas hæc naturalis nil aliud sit, quam Liberam eam esse à tali coactione, tunc sequitur ipsam *Volitionem*, quâ *talem* esse hanc libertatem; & Voluntatem *Velle*, & *Liberè Velle*, idem significare: Et ita si Angelus aliquis vel Diabolus posset Voluntatem ad actum Volendi vel Nolendi prædeterminatione Physica efficiente irresistibili movere, sicut manus calamum movet, hoc Voluntatis libertatem minimè destrueret; Quia quicunque *vult*, eo nomine *quod vult*, *Liberè vult*. Et ita si necessitate naturali peccare *vellemus*, sicut Ignis urit, *liberè* tamen *vellemus*, quia *vellemus*.

84. Libertas hæc naturalis non est tantum *Spontaneitas Rationalis*, vel *lubentia secundum rationem* (ut plurimi asserunt.) Hoc enim idem est, quod jam confutavi. Si verum hoc sit, idem foret *Velle* & *Liberè Velle*: Et libertas sita foret in *Intellectu*, & non in Voluntate. Voluntas quâ Voluntas est Appetitus Rationalis: At quamvis Libertas quædam est Voluntati Essentialis, notio tamen *Libertatis*, & notio *Voluntatis*, non sunt eadem. Si fingamus Voluntatem per omnem Intellectûs apprehensionem vel dictamen, tam naturaliter & necessariò determinari ad malum, quàm brutorum appetitus per sensus determinatur, fingeremus amissam *Libertatem*, non autem *Voluntatem*: (Nisi quòd & *ipsam Voluntatem* hæc opinio fingit, à *brutorum Appetitu*, non *in se*, sed *in Intellectus apprehensione* & *ductu* differre.) Et si fingeremus Diabolum posse Intellectum primò decipere, & deinde per Physicam prædeterminationem Voluntatem efficaciter & irresistibiliter movere ad deceptum intellectum sequendum, hic tamen restaret *Lubentia secundum rationem* non autem vera Libertas Voluntatis. Imò & si homo sanctæ & justæ Voluntatis, antecedenter omninò impiam & injustam Volitionem exosus, & mutationis inimicus, per Diaboli motionem Physicam efficaciter in malum verteretur, & per mutationem irresistibilem Intellectus & Voluntatis, ad impias Volitiones flecteretur, hic tamen restaret *lubentia secundum rationem*, etiamsi persona antecedenter *invitus* esset, ideoque etiam cogi non malè dicatur, dum contra præsentem Volitionem, fit malus, & ex nolente malum, fit volens. At hoc cum Voluntatis libertate non consistit.

85. Intellectus non est Liber (ideoque nec sedes Virtutum moralium) nisi quatenus

tenus est sub imperio *Voluntatis:* sed movetur per modum naturæ, & per necessitatem naturalem. Cogi scilicet quis potest per objecta, ea intelligere, quæ intelligere nollet. Indeque conscientiæ cruciatus oriuntur, qui minimè cessant quando eos cessare cruciati vellent. Qui igitur Libertatem in [illegible] ponunt, Libertatem negant. Et in Voluntate, *necessitate naturali Intellectum* sequi, non magis *hæc Libertas* est (de qua jam quæritur) quam *necessariò Phantasiam* sequi. *Nobilitas* quidem relativa est tam nobilem habere ducem; at *Libertas* hæc non est.

86. Libertas hæc non est *Potentia Voluntatis* se determinandi, ut *causa independens*, vel *absolutè prima*, absque sustentatione, influxu, concursu aut auxilio Divino: Hoc enim est supra creatæ facultatis sortem.

87. Neque est Potentia se activè determinandi *sine objecto*, id est, nisi *ad bonum*, vel *adversus malum:* Hoc enim est *contra naturam* Voluntatis.

88. Neque potest Voluntas se determinare ad actum in specie, sine apprehensione aliquali prævia *intellectus.* Hoc enim est Appetitus sensitivi, non Rationalis: Et hoc esset agere sine objecto, id est, Velle aut Nolle nihil: Objectum enim Voluntatis est Bonum aut Malum *intellectum.* Et Voluntas suum objectum non intelligit.

89. Neque *Inclinatio naturalis* Voluntatis ad *Bonum*, quâ *Bonum*, aut ad *Vitam*, aut ad *propriam felicitatem*, est Libertati naturali huic contraria. Voluntas enim & *Inclinata* & *Libera* est; nec *minùs Libera* quia *Inclinata.*

90. Neque *Habitus Boni*, infusi vel acquisiti, hanc veram *naturalem Libertatem* destruunt aut minuunt: Neque ideo minùs Liberi sumus quia ad bonum spirituale *propensi* & *prompti.*

91 Qu. *An Habitus malus*, i. e. *peccatum Originale*, *Libertatem hanc Naturalem perimit?* *Resp.* Libertatem *Moralem* (de qua posthac) *destruit*; & *Naturalem vitiat*; non autem destruit. Sicut *Habitus Boni Libertatem Naturalem* non *dant*, sed ad usum rectissimum disponunt; ita *Habitus Mali* Libertatem non *adimunt*, *naturalem*, sed malè disponunt. Si eum adimerent, hoc facerent, vel quâ *Habitus*, vel quâ *Mali:* Non qua *Habitus*; quia Boni Habitus eam non adimunt: Neque quâ *Mali:* 1. Affectio enim *Moralis* non destruit facultatem naturalem, sed tantum contrariam affectionem Moralem: 2. Et Habitus *Boni* non adimunt, Libertatem Naturalem *ad Malum*, sed Moralem tantum: Ergo Habitus mali non adimunt Libertatem Naturalem ad Bonum, sed Moralem tantum.

92. Neque perditur Libertas hæc per suasionem etiam vehementissimam, aut per boni sensibilis promissionem aut allicientem oblationem.

93. Neque per minas aut damni, aut noxæ, aut necis impendentis periculum, Libertas hæc amittitur; neque necessariò ab actu impeditur.

94 Qu. *Nonne metus aut cruciatus acerbissimi Libertatem adimere possunt.?* *Resp.* Libertatem *facultatis* non possunt adimere: *Agendi libertatem* quandoque adimunt. Quamvis enim fortes vel maximum cruciatum tolerare possunt sine agendi libertatis jacturâ, plurimæ tamen mulieres (præcipue) inveniuntur, quæ vel per metum subitaneum aut magnum, multo magis per cruciatus exquisitos & immanes à libertatis exercitio necessariò & inevitabiliter impediuntur: Non autem quod Intellectus & Voluntas suos actus plenè sine Libertate exercent, sed quia imperfecte & turbatè agunt, & ab *ipso actu* & non tantum ab *actûs libertate* coercentur.

In hoc casu vere fidelis potest ad malum aliquod dicendum cogi.

95. Quæstio enim fere ejusdem Commatis est cum his, *An dementia*, *an phreneſis*, *an ebrietas*, *an infantia*, *Libertatem agendi destruant?* *Exercitium* quidem Libertatis impediunt, quia exercitium ipsius Intellectus & Voluntatis impediunt.

96. Ita etiam passiones omnes inordinatæ aptæ sunt Libertatem *impedire*, in quantum scilicet Intellectus & Voluntatis *exercitium* impediunt per *violentiam sensationis*; non autem plene *Libertatem excludunt*, nisi quando *Rationis usum* etiam excludunt.

97. Libertas igitur hæc naturalis in tribus illis in Tabulâ memoratis consistit:

1. *Viz.*

1. *Viz.* & præcipuè, ut *Voluntas, ut pars imaginis Divinæ naturalis sit prima quædam causa*, quamvis (dependens & Deo subordinata) *suorum actuum; vel sit, Potentia se determinandi ad actum exercendi, sine causâ aliquâ physicè, & efficaciter [illegible] antecedante:* Ubi supponitur eam esse Potentiam quoad Actum *non* adhuc *determinatam*; & Potentiam esse *creatam*, ideoque *finitam* & *imperfectam*; ideoque quamvis *potest se determinare*, tamen non *semper agere* quod *potest*; sed possibile esse eam se non *determinare*, vel non agere pro tempore. 2. *Ut potestatem habeat facultatibus cæteris imperandi.* Sed diversimodè juxta facultatum imperatarum diversitatem. 3. Ut *absolutè, directè & propriè nulli potestati creatæ sit ita subdita, ut ab ea efficaciter motione physicâ determinari possit; aut se-determinandi necessitatem effectivam recipiat.*

98. Qui ex ignarâ Gloriæ divinæ Zelotypiâ, contra Voluntatis hanc Libertatem vociferantur, quasi sacrilegam, & Deo propriam, ratione etiam pari *omnem Dei Imaginem* à rerum naturâ, præcipue ab anima humana obliterare, vel negare eos opportet; & dicere, quia Dei habemus similitudinem, nos sacrilegos Dei propria nobismet attribuere. Et ita Deum Gloriâ suâ justissimâ spoliabunt, ne spolient; dum non tantum Imaginem ejus dehonestant & vituperant, sed etiam Omnipotentiam Divinam blasphemant, dum negant eum facultatem liberam se-determinantem facere posse.

99. Omnis actus ipsius Voluntatis est *elicitus* (Quamvis cum *Volo Velle, secundum-velle, partim etiam imperatum* esse videatur.) *Imperati* autem sunt actus *subditarum* facultatum, qui & *Voluntatis* actus Imperati dicuntur, quia dum Voluntatis imperium sequuntur, ejus Actus mediatè & impropriè dicuntur.

100. Deum Voluntatem efficaciter prædeterminare posse ad Bonum non negamus, etiam salvâ hâc libertate de quâ jam loquimur. Quamvis enim Voluntas est *Potentia se primò vitaliter determinandi* ad actus suos humanos; determinari tamen potest per causam superiorem, sine *Potentiæ* hujus diminutione vel detrimento, imo ad maximum nostri commodum per juvamen summe desiderabile.

101. Sed ad *Malum peccati* Deus nullius Voluntatem prædeterminat; Quia hoc est contra Divinæ Naturæ perfectionem: & contra *Personæ* saltem *Libertatem* foret, ita ad peccandum prædeterminari.

102. Boni Angeli Voluntatem *juvare* multum possunt; *prædeterminare* autem *motione necessitante* (ni fallor) non possunt.

103. Suggestiones & sollicitationes *Diaboli* etiam ad malum *pellicere* possunt Voluntatem: Motione autem *necessitante determinare* non possunt.

104. Voluntati etiam *imperare* possunt *superiores*; *minari* possunt *tyranni*, suadere possunt & *amici* & *seductores*: *Causali* autem *necessitate determinare* non possunt.

105. *Objectum* potest esse *terminus* & *occasio* determinationis; & aliquando tale esse, & ita præsentatum, ut voluntas ad id *infallibiliter & semper in tali statu* sese determinet: Non tamen eam *necessitate causali* seu *efficiente* objectum determinat.

106. *Intellectus* item Voluntatem dirigit, & sine ejus apprehensione objecti, Voluntas se non determinabit. Dum autem *Objectum* Voluntatem non necessariò vel certò determinat, neque *Intellectus* eam ita determinare potest; utpote qui *Objectum* tantum apprehendit & præsentat; ideoque ultra *Objecti* potentiam causare minime potest.

107. Quando verò Objectum tale est, & ita & ab extra & intra præsentatum, ut Voluntas ad illud se infallibiliter determinet, tunc etiam Intellectus est Causa sine qua non illius determinationis.

108. *Sensus* item & *Phantasia* & *Appetitus sensitivus*, Libertatis exercitium quoad gradum possunt *impedire*; *auferre* autem non possunt, necessitatem causalem inferendo. De passionibus antedictum est.

109. Sicut Voluntas per libertatem suam non potest aliunde determinari ad malos actus, ita multò minus ad malos *habitus* aut *inclinationes.*

110. Libertas Personæ in Libertate hâc Voluntatis existens vel fundata est triplex

plex illa in Tabula nominata; neque ad bonum nolendum, vel malum volendum, neque ad pœnam commerendam, aut infelicitatem subeundam pœnalem adigi posse per causas exteriores, nec nisi per Actus vel Omissiones Voluntarias.

112 Qu. *An Indifferentia, (& qualis) sit Libertas hæc? vel pars aliqua Libertatis.* *Resp.* Indifferentia refertur, vel ad *Potentiam*, vel ad *Inclinationem Naturalem*, vel ad *Habitum.* Indifferentia aut *Inclinationis* aut *Habitus* non est de *ratione*, multò minùs de *Essentia* Libertatis. Neque *malus* habitus, neque *bonus* tollit Libertatem Naturalem, sed Moralem tantum, ut ante dictum est. *Inclinatio Naturalis Indifferentiæ* contraria est; *Libertati* non contraria est, nisi esset Inclinatio *necessariò* determinans ad actum malum.

113. Porrò *Indifferentia* significat vel æquipondium, seu æqualitatem aut Inclinationis aut *Potentiæ*, vel tantum *Realitatem Potentiæ* ad utrumque objectum materiale & *Indeterminationem.* Posterior est de ratione Libertatis; at prior non item. *Gradus* quidem diversi *Potentiæ*, *Libertatis* etiam *Gradum* diversificant, sed non *speciem*; neque Potentiæ diminutio Libertatem tollit, sed diminuit.

114. Indifferentia item dicitur vel respectu ad *Objectum Voluntatis Formalis*, vel ad *Objectum Materiale:* Objectum *formale* est *Bonum*, quâ *Bonum*; Objectum Materiale est *Subjectum Boni* (vel realis vel concepti.) Voluntas non est Indifferens ad *Objectum Formale*, & ejus *contrarium*; ad *Bonum* scilicet aut ad *Malum*, neque quoad *Potentiam*, neque quoad *Inclinationem.* *Malum* enim qua *Malum*, quia Objecto contrarium, non potest esse ipsum Objectum Volitionis. At *nolitionis Objectum Formale* est: Objectum autem formale unicum est. (Unicum scilicet *Volitionis*, & unicum *Nolitionis*;) ideoque hic Indifferentiæ non est locus.

De Libertate, vid. plura in Disput. de Prædeterminatione.

115. Ut clarius hæc intelligantur observandum est, quoad terminum à quo, Libertatem esse,

I. Propriè dictam; & ita semper est Libertas ab aliquo Malo; *viz.*

- I. A malo *effecto*, { 1. A Peccato, 1. Actuali, 2. Habituali: (de qua tantum hic insequentibus.) 2. A miseria, 1. Privativâ, 2. Positivâ (Quam prætereo.)
- II. A Mali efficiente,
  - I. Physicè
    - I. Supra nos: Deus quia Optimus malum peccati nunquam efficit.
    - II. Intra nos: Ab Inclinatione ad malum Naturali determinante.
    - III. Extra nos: *viz.* A { 1. Personis, { 1. Angelis, { 1. Bonis. Qui nolunt si possunt. 2. Malis. Qui volunt, sed non possunt. 2. Hominibus: Qui non possunt. 2. Rebus: Objectis, vel aliis ne malum efficiant.
  - II. Moraliter,
    - I. Supra nos: Deus peccatum moraliter non causat.
    - II. Intra nos, { 1. Ab ipsius Voluntatis, { 1. Mala Inclinatione. 2. Malis Habitibus. 3. Actibus, malum majus inducentibus. 2. Ab Intellectus errore & ignorantia. 3. Ab inferiorum facultatum sensibus, phantasiæ, passionum tentatione.
    - III. Extra nos; *viz.* { 1. Angelis, { 1. Bonis, Qui non sunt seductores. 2. Malis; Quoad tentationem species, 2. Vel gradus. 2. Hominibus; *viz.* { 1. Ne falsâ doctrinâ corrumpant Intellectum. 2. Ne Tyrannide, 1. Bona vetant, 2. Mala præcipiant. 3. Ne practicè nos tentent, 1. Illecebris, 2. Nocumentis. 3. Rebus tentantibus, allicientibus scilicet & terrorem incutientibus, *&c.*
- III. A Causa mali Deficiente, imputativâ; *viz.* { I. Deficientiâ Physicâ; II. Deficientiâ Morali; } Quæ ut supra nos, intra nos, extra nos, ut priùs distribuenda vel distinguenda est.

II. Impropriè dictam: cum illud Libertas dicitur, vel { I. Quod majus quid est, ut Dominatio.' II. Minus; *viz.* Quod Boni nihil continet; *viz.*

I. Ad

- I. Ad supra: Libertas à Dei, 1. Gubernatione per Leges; 2. Determinatione actuali, per Gratiam, *&c.*
- II. Ad intra: Libertas
  1. A Voluntatis Inclinatione naturali determinante ad Bonum naturale.
  2. A Voluntatis Habitu confirmato, vel Inclinatione determinante ad bonum spirituale, Deum scilicet & sanctitatem & cœlestia.
  3. Ab Intellectus Lumine specificante per irresistibilem Boni intuitum.
- III. Ad extra; *viz.*
  1. Libertas ab Angelorum Gubernatione & Auxiliis.
  2. Libertas ab hominum,
     1. Doctrinâ & Pastorali inspectione.
     2. Legibus & Præceptis justis.
     3. Castigationibus necessariis.
  3. Libertas à determinatione objectiva occasionali, per objecti scilicet magnam & clarissimè exhibitam, vel omnimodam Bonitatem.

116. Ex hisce satis liquet quam malè à pluribus disputatur de *Libero Arbitrio* sine distinctione & explicatione prævia terminorum: Cùm *Libertas* sit nomen æquivocum, multiplicis significationis.

117. Hinc etiam constat Liberum arbitrium in sensu principali non consistere in Indifferentia propriè sic dicta, quamvis Potentia supponatur esse Indeterminata.

118. Ex dictis etiam patet non omnem Prædeterminationem Libertatem veriſſimam auferre, neque impedire; At si (per impossibile) Deus ad malum morale Voluntatem prædeterminaret, libertati hoc contrarium foret; Liberi enim non dicimur à *Bono*, sed à *Malo.*

119. Sin autem *Creaturæ*, præsertim nobis *Inferiores* aut *æquales*, Voluntatem nostram possent, vel *ad bonum* prædetermimare, *Libertati* contrarium esse videretur: Non quatenus *ad bonum* determinamur; sed quatenus ab *alterius usurpatione*, seu *Dominio* inordinato non liberamur, sed contra Voluntatis nobilitatem *naturalem* simus subditi.

120. Ex dictis etiam patet (ut Rada & alii probârunt) quamvis *Inclinatio* ipsa *Naturalis* non est *Libera*, (sed *ad Libertatem*) *Actum* tamen omnem Voluntatis esse *Liberum*; etiamsi mortalium Actus nullus est *omnimode*, vel *ab omni malo* liber. Actus enim omnis est, 1. A Voluntate ut actuum suorum Dominâ, & potente sine alterius prædeterminatione se determinare; 2. Et à Voluntate ut nulli creaturæ determinanti subditâ; 3. Neque per Creatorem ad malum determinatâ.

121. Hinc patet igitur *necessitatem multimodam* consistere cum *Libertate*, at non *peccandi* necessitatem ullam *extrinsecè* à *Creatore* vel *Creaturâ* causatam.

122. *Necessariò* volumus *propriam Fælicitatem* ut & *Vitam, volitione simplici*; id est, ut *Bonum simpliciter & in se.* Et in hoc sensu verum est quod dicitur *Finem necessariò* volitum esse; non verum autem quod ideo non *liberè volitus* sit.

123. In sensu autem *comparato*, possibile est & *Vitam nolle*, & *Annihilationem velle*, ut medium scil. necessarium ad liberationem ab intollerabili miseria. (Quicquid dicat Dr. Twissus ut probet melius esse miserum esse quàm non esse.) Quandocunque enim *malum miseriæ* majus est quàm *Bonum Vitæ* & in esse, & in spe Nolitio miseriæ volitionem vivendi necessariò superat; & eligibilius multo est *Non esse* quàm *summè miserum* esse, *quoad nos: Vita* enim magis amatur propter Vitæ fælicitatem, quàm propter se.

124. *Bonum sensibile* non tantum necessariò appetitur ab *Appetitu sensitivo*, sed etiam *necessariò Volitum* est à *Voluntate*, *Volitione simplici* quàm dicimus *Complacentiam*; Quod evenit à nexu necessario facultatis Rationalis & sensitivæ.

125. At Bonum hoc *simpliciter Volitum comparatè nolendum* est, & ab omni fideli *nolitum*, quando Bono superiori fit oppositum & inimicum.

126. Medium unicum ad fælicitatem cognitum, necessariò volumus, quia fælicitatem ita volumus.

127. Quodcunque habet evidentem & cognitam rationem *solius boni*, & nullo modo videtur malum, necessariò item volumus.

128. In omnibus hisce casibus loquor tantum de *Necessitate specificationis*, non autem de *Necessitate exercitii* (de qua postea.)

129. Volun-

129. Voluntas non necessariò (in via) Deo Creatori sese subjicit & devovet.

130. Neque necessariò Complacentiâ simplici vult Bonum spirituale, vel Deum ut Finem; Quia non *necessariò* semper intelligit *Deum* & *Bonum spirituale existere*: Atheoi quippe nonnulli sunt in mundo.

131. Ubi plures Intellectui Fines præsentantur, *sensualis* scilicet & mundana *fælicitas*, & *cælestis Gloria* in Visione & Amore Dei, Voluntas non necessariò *hunc* aut *illum* eligendo præfert.

132. Neque necessariò Medium hoc aut illud eligit ubi plura offeruntur.

133. Neque necessariò Medium electum ad usum suum applicat, vel facultatibus subditis rectè imperat.

134. Neque *necessariò* semper *Actum exercet*, quem *necessariò specificat* quando exercet. Quamvis, *e. g.* Fælicitatem non amare non potest, cum de fælicitate *cogitat*, de fælicitate tamen hic & nunc *non-cogitare* potest, & ita non *actu amare*, notabili saltem aliquâ mentis operatione.

135. Libertas à plerisque dicitur esse vel 1. *Contradictionis*, vel 2. *Contrarietatis*; vel, (quod idem est) 1. *Exercitii*, 2. *Specificationis*. Libertas contradictionis seu *exercitii* est, ad *Velle* aut non Velle, ad Nolle, aut ad non Nolle. Libertas Contrarietatis vel specificationis est ad Velle aut Nolle. Ego hic superaddo Libertatem *Competitionis*, seu Comparationis, ad actum Voluntatis exprimendum, quo ex duobus volitis, magis volitum alterum est præ altero, & in comparatione eligitur; altero tamen non nolito simpliciter sed tantum minùs volito.

136. Rob. Baronius noster Scotus (vir cultissimi ingenii & eruditionis exquisitæ) duplicem facit (in suis Metaphysicis) Libertatem, Contradictionis & Contrarietatis; unam scilicet denominatam ab *Actu*, alteram ab *Objecto*: Ab *Actu*, *Libertas Contradictionis* est *Velle* aut *Non-Velle*; Libertas *Contrarietatis* est *Velle* aut *Nolle*: Ab *Objecto* Libertas Contradictionis est, *Velle hoc*, *e. g.* ambulare, & *Non hoc*, e. g. *non ambulare*. Ab *Objecto* Libertas Contrarietatis est *Velle hoc*, *e. g.* calidum, & *velle contrarium*, *e. g.* frigidum.

137. Ego autem (salvo tanti viri honore) potius dicendum judico, voluntatem *actum nullum* habere sine *objecto*; & *nihil* non esse *Objectum* Volitionis, sed *Nolitionis* tantum (nisi *Nolle* confundas cum *Velle*, & idem esse reris quod *Velle-non*:) *Non-ambulare*, aut *non-loqui*, est nihil: Ergo non est *Volitionis* objectum. Quando igitur dicis, te *Velle non ambulare* idem est ac si diceres, *Nolo ambulare*: Et si propriè loqueris, *Voluptas quiescendi* est objectum verum *Volitionis*, non autem merum *Non ambulare*, quod *nihil* est. At si diceres, [*Nolo ambulare*,] *non-Ambulatio* quia talis, sed Ambulationis aliqua *molestia* vel *incommodum*, *Nolitionis* hujus est objectum. Imò *nihil negativum*, vel quâ *nihil* non est ipsius *Nolitionis* objectum, (quia non *malum* est) sed *Nihil-privativum* tantum. Aut si instes, Voluntatis Actum esse Unicum, *viz.* Velle, & Nolle (*e. g.* mori) idem esse ac *Velle-non*; de re non equidem contendo; de nomine verò, mos gentium nos docuit Voluntatis aversationem à malo, potiùs vocare Nolitionem, quàm *Volitionem-non*: Sicut *Boni privationem* potiùs dicimus *Malum*, quàm *non bonum*, quod de Boni *negatione* item dicimus: Et sicut dicimus potiùs, [*Odi peccatum*, aut annihilationem,] quàm [*amo non-peccatum*, seu *non-annihilationem*.]

138. Sin autem in *Nolitionis Libertate Contradictionis* quoad *objectum* instes, incongruè omnium judicio dicitur, [Nolo ambulare, loqui, bibere, & Nolo non-ambulare, non loqui, non bibere.] Idem est igitur dicere, [Volo loqui, & Volo non-loqui,] ac dicere, [Volo loqui, & Nolo loqui.]

139. At dices, *Quamvis*, *non loqui*, *non irasci*, &c. *sit nihil naturale*, est tamen *aliquid morale*, *aut bonum*, *aut malum*, *quatenus aut præceptum*, *aut vetitum est*. *Resp.* Moralitas est rei naturalis modalitas. Quod verè nihil est, non *bonum* est; *Malum* autem est, si *Privatio-Moralis est*; non autem si negatio tantum: *Nolitum* ergo esse potest, non autem *Volitum*. Quando autem *Negatio* (ut *non loqui*) videtur esse materia virtutis, reverâ non ita est (*Lapis* enim, *infans*, & *dormiens* non loquuntur;) sed virtutis materia est, *Voluntaria*, linguæ vel *iræ frænatio*, quæ est *Actus verè positivus*. *Non-loqui*, *nihil est*; sed dispositionem mendacem vel garrulam *frænare*, est *aliquid*.

140. Ex antedictis præcipuè notatum vellem, *Libertatem veram perfectionis*, distare plurimum à *Libertate viatoris*, ex imperfectione & impropriè ita dictâ. Nimirum *Indeterminationem* & *Indifferentiam*, inter *bonum* & *malum*, vel *bonum inferius* & *superius*, vel inter *agere* & *non agere*, *Velle* & *non Velle*, quando *jure Volendum* est, esse quidem *Libertatem Viatoris*, sed impropriè sic dictam, & potiùs *Imperfectionem* Voluntatis dicendam esse.

141. *Confirmatio* enim, & ad bonum firmissima adhæsio, & bene Volendi immutabilis constantia, perfectionis & fælicitatis nota est: Cum incertitudo, fluctuatio, mutabilitas, vacillatio, inconstantia, nota sit imbecilitatis. Et Liberrima est illa Voluntas, quæ ab hac imbecilitate, & mutabilitate, & periculis inde sequentibus est liberrima.

142. Angeli igitur & beatorum Animi confirmati, qui Divinam & cœlestem Gloriam intuentur, necessariò & immutabiliter adhæsione indissolubili Deum & sanctitatem amant, pleniſſimam habent Voluntatis libertatem.

143. Et supra omnes creaturas Voluntas Divina perfectissima & immutabilis, est omnium Liberrima.

144. Neque tamen dicendum est *nudum Velle*, vel *spontaneitatem rationalem* esse hanc Libertatem, sed actuum suorum dominium, & à dominio inordinato, & à malis Libertatem.

145. Quo magis in statu Gratiæ ad Glorioſam hanc constantiam accedimus, & per influxum Divinum, & sanctitatem habitualem, & objectorum optimorum clarissimam apprehensionem, ad bonum sumus determinati, & in Amore Divino confirmati, eo magis Libertatis præstantissimæ sumus participes.

146. Et quis sobrius non mallet ad bonum immutabiliter determinari, quàm in statu mutabilitatis & incertitudinis manere, si ipsi sua daretur optio?

147 Obj. *At Natura vegetativa & sensitiva quæ ad unum determinatæ sunt, ignobiliores multò sunt quàm Natura Rationalis indeterminata. Resp.* Ignobiliores sunt quatenus *vegetativa* & *sensitiva*, ad usus inferiores creatæ, & circa inferiora tantum exercitæ: At in statu *constantiæ* & determinationis, Rationi imperfectæ præstant. Non quidem in *modo* se movendi, sed in *certitudine* & *constantiâ* motus: Et in suo genere inferiore, hanc obtinent excellentiam præ Naturâ Rationali superiore. Et Ratio est, quia Natura vegetativa & sensitiva *determinantur* per *Intellectum & Voluntatem Divinam*; dum *Voluntates humanæ* ad seipsas determinandas in statu hoc imperfectionis sunt relictæ, per Legum notitiam ut plurimum movendæ.

148 Obj. *At Deus ipse Liberrimus non determinatur ad unum, per Naturæ suæ perfectionem, sed Mundum*, e. g. *potuit vel condere vel non condere, unum vel plures*, &c. *Resp.* Liberrima quidem est Voluntas, Divina, & maximè immutabilis; neque unquam voluit quod ab æterno non voluit; quamvis multa facit, quæ ab æterno (quoad effecta saltem) non fecit. Liberrimus quidem est Deus ab omni coactione, & ab omni malo, & ab omni imperfectione, neque necessitas ulla in ipsum cadit, præter necessitatem Perfectionis. Quando autem dicitur *Deum contrarium potuisse Velle, vel facere*, *Potentia Dei* in tribus instantibus seu respectibus considerandæ est; 1. Quoad omnia in se Possibilia, id est, quæ nudæ Potentiæ sint objecta: 2. Quoad omnia ab Intellectu Divino judicata, vel ut bona, congrua, vel indifferentia: 3. Quoad omnia Volita. Et in primo Instanti dicimus Deum plura & voluisse & fecisse potuisse quàm voluit & fecit; quod nil aliud est quam si diceremus, non esse ex *Potentiæ defectu*, quod aliter Deus non voluit aut fecit: In secundo instanti Deus omnia fecit bona & bene, & nil malum vel incongruum facere aut velle potuit, non ex imperfectione Potentiæ, sed ex perfectione Naturæ: Sin autem in Intellectu Divino possibilia plura æquè congrua sita sunt, ita ut reverâ aliud alio non sit eligibilius, (de quo tenebricosum hominis ingenium, nil temere statuere oportet) hic ex *objecti* natura dum Voluntas Divina ab Intellectu ejus non determinatur ad unum, à seipsa sola liberrimè determinatur. Et ita non negamus *beatos perfectissimos ad res Indifferentes indifferenter* se habere posse. In tertio autem instanti; Deus omnia Volita

necessariò

necessariò & velle & facere dicitur, etsi *liberrime*; ex necessitate scilicet vel existentiæ vel immutabilitatis.

149. Ita etiam Sanctus & Beatus, in primo Instanti (in statu confirmato) habet *Potentiam* ad utrumque, id est, ad *actum* qui *bonus* est, & ad actum qui malus est, (quamvis non quâ malum.) Hoc est, non est ex *Impotentia* quod Malum non vult: Potentia enim activa vitalis hunc actum malum qua *Actum* præstare potuit; sed in secundo & tertio instanti ex *perfectione Intellectus*, & Voluntatis, ad Bonum cognitum Volendum determinatur per *liberrimam necessitatem*, & ad Bonum volitum constanter adhærendum, ex liberrima *necessitate Immutabilitatis*.

150. Quando igitur quæris, *An Deus* [aut *Beatus confirmatus*] *potest hoc malum, aut incongruum velle, aut etiam hoc jam Volito contrarium?* Respondeo, Quatenus *Actus* vel *aliquid naturale* est, & *Potentiæ verum Objectum*, *Velle* potest; id est, non stat per *Potentiam Dei*, neque ex *Impotentia* venit, quod hoc non velit. At quatenus *incongruum* aut *malum*, aut *jam Volito contrarium*, non est *Potentiæ Objectum*, ideoque id neque posse, neque non posse (quoad Potentiam) dicendum est; sed quia perfectioni contrarium esset, dicendum est, Impossibile esse ut hoc eveniret; Quia Potentia nulla extrinseca Deum malum, insipientem, aut mutabilem facere potest, qui suâ naturâ est sapientissimus, optimus, & immutabilis.

151. Viatoris item *Potentia Volendi* à propria *Libertate* distinguenda est. Non enim ex *Impotentia* aliqua oritur quod bonus malum non eligit; Actum enim qua *actum agere potest*; & qua *malum* non est *Potentiæ opus*. At posse *malum velle* culpabiliter, ideo dicimur, quia *fieri potest*, ut *hoc eveniat*: At hoc posse facere, id est, posse deficere, haud propriè *Libertas* dicitur.

152. Quamvis Indifferentia seu Indeterminatio Voluntatis, (nisi circa res indifferentes) est effectus *Imperfectionis*, *Libertas* tamen *Viatoris*, (quamvis minùs propriè) dici potest; ex respectu ad partem alteram, & comparata ad statum pejorem, quia scilicet ad malum & miseriam non determinamur ab agente aliquo extrinseco, & quia bonum Velle possibile est, & Felicitas vel Miseria dependet à nostra (in causis) electione. *Posse enim Velle, & agere & habere ea quæ verè volumus*, est Pars Libertatis Viatoris Naturalis, quamvis per Gratiam liberiores adhuc fiamus.

153. Et de statu hoc Imperfectionis & Indeterminationis, in qua Libertas Viatoris Physica consistit, non est quod de Optimo Creatore quæramur: Diversos etenim Creaturarum gradus, diverso bonitatis gradu præditos, Deo creare fas esse quis sobrius dubitat? si *Inanimata* & *bruta* facere jure potest, fælicitatis æternæ rationalis omninò incapacia, quare item & homines fælicitatis illius *capaces tantum* at non certos ante probationem de possessione, facere non potest? si *animalia nobis inferiora* faciat, cur itidem & *nos Angelis inferiores* non faceret?

154. Imò Sapientia Divina sese eximie demonstravit, dum Viatores Libertate hâc Physicâ imperfecta tantum donavit. Quoniam in mundo hoc vita tantum probationis & præparationis ad fælicitatem æternam vivenda est: Et quomodo fieret *probatio* hæc (vel ut loquuntur Patres & Scholastici, *Meritum*) si nulla foret possibilitas defectionis? Et quorsum ille ad perfectionem tenderet qui jam perfectus esset? Status igitur Imperfectionis, cum Libertate hâc imperfectâ, & indeterminatâ, est aptissimus ad vitam hanc militarem probationis; ut ad Opem Divinam confugiamus, & Gratiam liberantem à Deo flagitemus; & in die Judicii Justitia Retribuens coram mundo glorificetur. Ne tamen hanc indifferentiam vel statum vacillationis, esse summam hominis libertatem, autumet fidelis aliquis: sed statum illum beatæ confirmationis ardenter sitiamus, in quo liberabimur ab ista libertate.

155. Libertas *exercitii* seu *contradictionis*, in Viatoris statu imperfecto est maxime notabilis; quia ad omnia objecta se extendit. Actum scilicet Volendi etiam ipsam *fælicitatem*, pro hic & nunc, ut loquuntur, Voluntas potest *suspendere*, vel saltem *non agere*.

156. Tametsi hoc *non-agere*, vel *non-velle* non est propriè *Potentiæ* opus, sed *cessatio operis*, (& quando actus est debitus, *Deficientia*) hinc tamen peccatorum

& miseriæ humanæ filum sæpissime orsum est: Peccant scilicet & puniuntur homines quia *non agunt* quod agere *possunt*; quia *non-volunt* cum volendi habent *potentiam:* Et verè dicimus de peccatore, *Non voluit, quando velle potuit*; & Imperfectio Voluntatis non determinatæ, non talis est quæ *Potentiam volendi* adimat: Et verè dicimus, *Non voluit*; quando verè & propriè non dici potest, *Non potuit velle.*

157. Tantum est Voluntatis Imperium in actibus humanis, ut verè dicatur, *Quod non est Voluntarium non est peccatum, aut meritum.*

158. *Voluntaria* dicitur *Voluntatis omissio,* quando *non vult quod Velle potuit*; & non tantum prava Actus specificatio. *Culpabilis* enim est *Voluntas* quia Potentia sua aut *non utitur cum debuit,* aut quia *malè utitur.*

159. In actibus humanis *Exercitium* est primò à Potentia Vitali Activâ, deinde à Voluntate; *specificatio* autem est primò ab Intellectu.

160. Quoniam autem Potentia seu facultas *specificans* plurimùm pendet in actu à facultate seu Potentia *exercitii,* & Voluntas potest per *actus debiti omissionem, cogitationes* eas suspendere, quæ ad officium suum rectè præstandum, (id est, Volitiones rectè *specificandas*) sunt necessariæ; hinc sequitur, Intellectum verè dici (quoad *exercitium directè,* & quoad *specificationem consequenter*) esse *facultatem imperatam*; & *Actus* ejus esse Actus (non plene quidem sed partim vel secundum quid) *imperatos.*

161. Hinc etiam sequitur Intellectum esse (non *in se,* sed) quatenus *imperatum, Liberum,* id est, Libertatis per Voluntatis imperium participem, & actus ejus & habitus, esse secundariò & participativè liberos & *morales*; (quamvis Voluntas sit primaria sedes moralitatis.

162. Sequitur etiam peccati initium esse Voluntatis abusum *Libertatis exercitii*; seu *non Velle* quando Velle potuisset.

163. Obj. *At omissio hæc Voluntatis est vel deficientia merè Naturalis, aut Moralis: si Naturalis, non est peccatum, quia naturaliter necessaria; & Potentia Naturalis ad actum unicum, non dicenda est Potentia ad actus plures: sin autem sit deficientia moralis, tunc ductum alicujus actus Intellectus sequitur; Aliter non esset Appetitus Rationalis; & quando non agit, ex ratione non agit.*

Resp. Deficientia hæc *moralis* est, (quamvis *posse deficere* est imperfectio Naturalis;) *potuit* enim etiam *non deficere.* Voluntas dicitur *Appetitus Rationalis,* quia & *Animæ Rationalis* facultas est, & quia sine ductu Intellectûs nihil appetit: Est tamen facultas imperans & libera, & non eget Intellectus factu prævio ad *non-agendum:* ad actum sirum positivè frænandum per alium actum, ratione quidem opus habet; non autem ad nudam omissionem.

164. Obj. *At non debet agere, quando non habet agendi rationem; Aliter ejus actus esset inanis & de nihilo: Ergo actum omittere quando Intellectus agendi rationem non offert, non est culpabile.* *Resp.* At Voluntas potest pro tempore *non agere,* quando Intellectus *agendum esse* dictitavit: (Præcipuè si non *clarè,* sed *hæsitanter,* non *vehementer,* sed *languidè* hoc dicat.) *e. g.* 1. Intellectus in genere dicit [*Activitatem circa magna & bona, esse socordiâ & ignaviâ meliorem:*] Voluntas tamen potest *ignavè* se gerere. 2. Et quando Intellectus infallibiliter dicit (de gradu) [*Deum amandum esse toto corde, tota mente, & totis viribus, & cælestia flagrantissimo affectu desideranda esse, & Leges Dei perfectè observandas, & peccatum summo odio prosequendum;*] Voluntas tamen hos actus omittere (proh nimiùm certò!) per impotentiam potest. 3. Imo & de bono particulari idem dicendum est. Quando dicit Intellectus ebrio [*Hoc poculum esse repudiandum;*] Voluntas tamen (si potest repudiare, at certò) *non-repudiare impotenter-potis est.*

165. Obj. *Quandocunq; Voluntas non agit, ratio aliqua reddi potest non agendi: nulla autem ratio dari potest, nisi vel ex defectu Potentiæ, vel objecti propositi & intellecti: Sin autem sit ex Impotentia, tunc Potens ad hic & nunc agendum, minimè dicenda est.*

Resp. Impotentia hæc non est Potentiæ *totalis defectus,* sed *Imbecillitas:* Et veram tamen retinet *Potentiam* (etiam sine causæ alicujus juvamine quod non jam habet) ad hic & nunc agendum: Alacritas autem & fortitudo illa Potentiæ deest, quâ certò & necessariò ageret: Non tamen ex impotentia *Necessariò* jam *non agit;*

agit; sed tantum ad agendum non prompta & parata est; & *non-agere potest*. Impotentia est causa non-agendi sine qua non; sed non est causa necessitans. Dico igitur quod quandocunque Voluntas non agit cum agere debet; *nulla reddenda est ratio necessitans non agendi*; sed non vult quia non vult, vel quia seipsam non suscitat ad actum. Voluntas enim est actuum suorum moralium causa quædam, secundum quid prima, & ita Dei Imago; Ideoque ratio *non-agendi* in eam ipsam *ultimò* resolvitur; neque ultra Causam primam de Causâ inquirendum est.

166. Qui Voluntatem sub necessitate causatâ vel impositâ ad peccandum ponunt (aut à supra, aut ab extra) reverâ aut peccatum omne negant, aut in Voluntatem Divinam & peccatum & miseriam damnatorum resolvunt; & Deum fingunt tam verè Malum & Velle & causare quam bonum, (at alio tantum & alio modo ea producere.) At ultimatè dicendum esset, ideo homines & Diaboli sunt mali & miseri, quia Deus rem ita fore voluit.

167. Nec quicquam interest, utrum hoc fiat, per Dominicanorum necessitantem Prædetermitationem Physicam, aut per magni Cameronis (& aliorum) necessitantem determinationem Voluntatis per Objecta per Intellectum apprehensa, cum Deus sit causa & Legis prohibentis & Voluntatis, & Intellectûs & objectorum: Utroque modo Hobbesii Infidelis nostratis doctrina de *Necessitate Volitionis omnis* asseritur.

168. Qu. *Quid autem tibi-ipsi judicandum videretur, si Hobbesii & talium argumenta necessitatem Volendi inevitabilem à Deo impositam probare viderentur? Anne igitur omnem Religionem esse merè lusum & deceptionem, & retributionem nullam, nullam Glorificationem aut damnationem expectandam esse judicares?*

Resp. Minimè quidem; sed primò quamvis ad eorum argumenta respondere non possem, conclusionem negarem; Quia *incerta ad certissima* sunt reducenda, & non contra: Ego autem Argumenta & plura & multò fortiora contra conclusionem afferre possum, unde concluderem argumenta Hobbesii, Dominicanorum, &c. fallacia esse. Sin autem supponas me doctrinam eorum de *Necessitate* recipisse, aperte dico, tunc judicandum esse existimarem, quod sicut Deus voluit absolute diversos facere creaturarum gradus, & Angelum plurimùm distarè à bufone vel araneâ, & solem à fimo, ita absolute voluit bonum distare à malo, & Glorificatum à Damnato; & ordinationem Legum, & Bonum & Malum in actionibus humanis, esse media æqualiter à Deo absolute volita, ad fines hosce obtinendos: At in tribus hisce sequentibus judicium meum mutatum foret. 1. De malo peccati multò levius & mitiùs judicarem; utpote quod Legem Dei quidem violat, at ideo violat, quia ipse voluit, & fecit ut ita violaretur; ideoque non aut naturæ aut Voluntati ejus reverâ contrarium esset. Ideoque si à peccato abstinerem, hoc minimè facerem ut Deo placerem aut ne Deo displicerem, neque bonum facerem ut Deum Glorificarem, sed tantum ex meiipsius amore, ne signum futuræ miseriæ prognosticon haberem; & quod Deus absolute vult, ego haud valde malum existimarem. 2. Et leviùs mulo judicarem de *Pœnis damnatorum*; & nunquam crederem eas tantas futuras esse, quæ hominem conjicerent in statum annihilatione deteriorem, aut cane aut angue miseriorem redderent. 3. Et de certitudine verbi Divini non parum vacillarem, si crederem Deum Bonum & Malum æquè velle, & mendacium omne efficaci voluntate producere; Nescirem scilicet anne etiam Prophetas & Apostolos ad mentiendum præderminaverit.

169. Potentia naturalis sese libere determinandi, manet etiam in voluntate non-renatorum, & ad Deum & bona spiritualia. Peccator enim liber est à prædeterminatione fatali ad malum, & à Dominio causarum creatarum in ipsius Voluntatem, & à necessitate peccandi aliunde impositâ; & Voluntas ejus est principium se determinandi.

170. Et gratia regenerans non novam producit in homine facultatem naturalem: Neque peccatum speciem humanam destruit, facultatem essentialem destruendo; neque Gratia speciem humanam, restituit, facultatem essentialem restituendo.

171. Neque inclinatio omnis ad bonum, ad felicitatem, ad Deum, ad Animæ salutem, ad virtutem, amissa est (nisi dicamus eam per Christum in omnibus reparatam) ut jam dictum est, & plenius postea dicetur.

172. At

172. At per peccatum Potentia activa fit languida, & Intellectus ad superiora intelligenda male-disposítus, & Voluntas contra bonum spirituale; & ad bonum sensuale, habitibus pravis dispósita vel inclinata.

173. Peccatum habituale igitur non est vel ipsa facultas naturalis, vel privatio ipsius facultatis seu Potentiæ: sed Facultatum seu Potentiarum naturalium ægritudo seu depravatio, & prava dispositio (ut sæpe jam dictum est.)

174. *Potentiam* igitur ad bonum volendum & agendum *Regeneratio* dare dicitur, quia Potentiam naturalem ægram & languidam sanat vel vivificat, & pravam dispositionem tollit.

175. Obj. *At (ut prius objectum erat) quis unquam audivit Potentiam fundari in Potentiâ. Resp.* Potentia hic est nomen æquivocum; *Potentia naturalis* est Animæ facultas seu virtus essentialis. Potentia per gratiam datam est tantum Potentiæ naturalis *sanitas, vivacitas*, & à prava dispositione liberatio. Non malè autem dicitur sanitatem esse in facultate, & per sanitatem hominem fieri *potentiorem.*

176. Voluntas peccatoris Libertatem amisit Moralem, in quantum mala est; Libertas autem Moralis, est Potentiæ naturalis sanitas & recta Dispositio. Per amissionem igitur Libertatis Moralis, Potentia & Libertas Naturalis vitiata est.

177. Ad quæstionem igitur, *An homo lapsus habeat Liberum Arbitrium.* Distinctio multiplex ante sanam & sobriam responsionem necessaria est: At responsionis pars principalis in quatuor hisce consistere debet. 1. Libertas naturalis etiam ad spiritualia & omnia Voluntatis objecta, manet unicuique ratione prædito. 2. Libertas Moralis in tantum amittitur, in quantum homo peccato vitiatus est; Ideoque Potentia Libertásque Naturalis *vitiatæ* sunt, quamvis non amissæ. 3. Renovatus unusquisque in tantum à vitio Voluntatis liberatus est, & ad Libertatem *Moralem* restitutus, in quantum renovatus est. 4. Viator omnis rationalis *Personæ* liberum Arbitrium habet, quod consistit in bene agendo sincere ad salutem si *sincere* vult, & perfecte si perfecte vellet, & in non agendo malè ad pœnam nisi vult; & quod nemo nolens est *aut bonus* aut malus; sed uniuscujusque felicitas vel miseria suam mediorum vel electionem vel rejectionem sequitur.

☞ Quænam nobis Arbitrii Libertas est.

178. Habitus Voluntatis & boni & mali operantur per modum *Inclinationis Naturalis*; at non tam potenter quàm quæ libertatem naturalem aufert, & necessitatem infert; sæpe enim contra Habitûs inclinationem volumus.

179 Qu. *An docens & suadens operatur in genere Causæ finalis, vel materialis, vel efficientis. Resp.* Qui docet & suadet, Objectum Voluntati proponit: Objectum qua tale non efficit; sed semper est Causa *Materialis specificans*; subjectum enim & objectum diversis respectibus dicuntur *Actûs materia*, (quamvis materiam propriè non habet;) & quando Finis est objectum, dici etiam potest Causa finalis, quoad media. Qui autem objectum (aut finem aut media) proponit, est *Causa Efficiens propositionis* illius, at (quicquid dicant Logici de causa sua procatarctica) non est *Causa Efficiens Volitionis* in recipiente (nisi fortè dicas *vocis sonum* movendo *spiritus*, & per eos aliquid in Phantasiam efficere, & inde in Voluntatem, quod tamen non propriè dici potest.)

180. *Libertas Politica* (quæ est, non prohiberi aut cogi per Leges) supponit *Libertatem Naturalem*, sed non *Moralem*, ut neque Legum obligatio aut coercitio. Frustra enim Lex agenti merè naturali & necessario datur; at non frustra *male-dispósito.* 181. Qui Libertate caret Naturali à culpa immunis est; neq; mereri enim potest, neq; commereri. At qui per vitiosam voluntatis suæ dispositionem malus est; & Libertate orbatus Morali, tanto magis pœnas & odium commeretur, quanto pejor est & vitiosior. 182. Natura humana omnes seculorum omnium gentes docuit, actiones voluntarias dicere *actiones humanas*, & tum personarum tum actionum laudes aut vituperia, merita vel culpas, in voluntatem ultimate resolvere; & in judiciis tam publicis qnam privatis, involuntariè nocentem excusare vel absolvere, voluntariè nocentem verò condemnare; neq; ultra procedendum esse, nec per malitiam aliquam intrinsecam Voluntatis personam esse excusandam, quasi necessariò delinquentem. In disputationibus hisce igitur, de rebus aliter satis obscuris, dictamini huic naturæ universalis quamplurimum tribuendum est, & in lumine hoc clariore potiùs quàm in Physicorum tenebris, de moralibus difficilioribus

cilioribus judicandum est. 183. Sicut virtutum & vitiorum, ita pœnarum & præmiorum præcipua sedes est Voluntas. 184. Quodcunque placet, quâ placet non nocet. 185. In quantum igitur Voluntas est sana in tantum homo est bonus & fælix. 186. Pœna quâ pœna est Voluntati displicens. 187. Qui mortem, carceres, &c. revera vult, in tantum eorum malitiam & noxam vicit. Volens quâ volens non sentit malum.

Cap. VIII. *De trium facultatum conjunctarum Actibus Executivis.*

Tantum de MENTIS facultatibus distinctis: Facultatum conjunctarum Actus EXECUTIVI sunt;

I. Primo-Activitatis NATURALIS; ubi scilicet hæc inter facultates conjunctas est Eminentissima; *viz.*

- I. Propter ipsius Personæ,
  - 1. Vitam
    1. Alendam: Edere, bibere, dormire, se vestire, vires exercere, &c.
    2. Contra hostes defendendam; pugnare, fugere, &c.
    3. Contra morbos præservandam, & resarciendam; Diætâ, exercitiis, medicinâ, &c.
  - 2. Vitæ delicias sensitivas
    1. Per sensus exteriores, tactum, gustum, odoratum, visum, auditum.
    2. Per imaginationem; scilicet, Honoris, Divitiarum, sensualitatis.
    3. Per Rationem sensibus servientem; ut inventione delectabilium.
  - 3. Utriusque media; *scil.*
    1. Vitæ; *viz.* parare
       1. Cibum, potum, aerem salubrem, vestes, domos, &c.
       2. Arma, adjutores, perfugia, præsidia, &c.
       3. Diætam, medicinam, exercitia, &c.
    2. Delicierum; parare
       1. Delectantia omnes sensus.
       2. Potestatem, Imperia, laúdes.
       3. Divitias.
- II. Ad speciem propagandam; *viz.*
  1. Conjugio, & Generatione (ut gubernatâ per rationem.)
  2. Prolis nutritione, & tutelâ.
  3. Fælicitatem ejus sensitivam quærendo, per media ante enumerata.
- III. Ad Bonum publicum; *viz.* societatum, plurimorum, totius mundi,
  1. Ex Amore sui-ipsius, ut partis societatum.
  2. Ex Amore Amicitiæ erga alios.
  3. Ex Amore Rationali, qui inter Bona, Optimum præfert.

II. Primo-vel eminenter-INTELLECTUALES (etsi facultates cæteræ cooperantur:) Qui sunt

- I. In Genere,
  1. Discendo Recipere.
  2. Exprimendo communicare
     1. Sensationes & Phantasmata,
        1. Per vultum & oculos.
        2. Per vocem.
     2. Conceptus Mentis,
     3. Appetitus, Passiones & Volitiones,
        3. Per membra operativa (ut scribendo.)
- II. In Specie; ubi
  - I. Artes propter naturalia; *viz.*
    - 1. Ad Vitæ conservationem;
      1. Contra famem, frigus, &c. Agricultura, pastoralis, piscatoria, aucupatoria, venatoria, pistoria, coquinaria, sartoria, &c.
      2. Contra hostes: Ars militaris; & contra feras, &c.
      3. Contra morbos: Ars medendi, pharmacopeia, spagyrica, &c.
    - 2. Ad Vitæ delicias,
      1. Ars epularis, cantica, musica, pictoria, odoraria, &c.
      2. Ars Lusoria multiplex; ornandi; commediæ, spectacula, &c.
      3. Mercatura navigandi, mechanicæ plurimæ, ut Lanariâ, vestiaria, aurigaria, equestris, architectonica, metallica, hydragogia, hydranuica, &c.
    - 3. Ad bonum publicum: Ars præliandi, scribendi, excudendi, nummos cudendi, sculpendi, &c.
  - II. Disciplinæ: ipsum Intellectum perficientes: ubi
    - I. Artes instrumentales, quæ semi-scientiæ sunt; *viz.*
      - 1. Loquendi; *viz.*
        1. Significanter---*Lexica* (& parentum instructio) & usus, &c.)
        2. Purè---*Grammatica.*
        3. Ornatè---*Rhetorica.*
      - 2. Dicendi; *viz.*
        1. Sane & cum judicio---*Logica* (huc pertinet pars Metaphysices.)
        2. Potenter ad affectus movendos---*Oratoria* (solutè.)
        3. Suaviter ad delectationem, (ligatè) ---*Poetica,*
    - II. Scientiæ speculativæ; *viz.*
      1. De DEO---*Theologia,* quâ *speculativa* (Quæ tamen semper *Affectiva-practica* esse debet.)
      2. De *spiritibus*---*Pneumatologia.*
      3. De *Corporibus*---*Somatologia,* *viz.* vel
         1. De ipso Corpore---*Physica*
            1. De Elementis.
            2. De mixtis.
         2. De Corporis quibusdam Accidentibus---Mathematica---
            1. Pura
               1. Arithmetica.
               2. Geometria.
            2. Media: Multiplex.
    - III. Scientiæ Practicæ; quæ sunt
      1. Ethica,
      2. Oeconomica,
      3. Politica: Quæ est
         1. Scholastica,
         2. Ecclesiastica,
         3. Civilis,

      } Quæ omnia conjuncta constituunt Theologiam quâ Practicam.

III. Primo-

III. Primo-Morales seu Voluntatis: Actus humani perfectissimi: Qui sunt Opera

- I. Amoris sui-ipsius: Ad Animæ { 1. Ædificationem, defensionem, medelam. 2. Solamen, perfectionem, fælicitatem. 3. Media utriusque.
- II. Amoris Aliorum { 1. Cœlitum { 1. Erga Animas { 1. Ob Bonum publicum { 1. Opera publica: Oeconomica, Scholastica, Ecclesiastica, Civilia. 2. Vel privata: multiplicia. 2. Vel privatum; Et sunt } } } 2. Hominum { 2. Erga Corpora } }
- III. Amoris Divini: Erga; { Omnipotentem, Omniscium, Optimum } { Patrem, Creatorem; Filium, Redemptorem; Sp. Sanctum, Renovatorem } { Efficientem, Dirigentem, Finem } { Naturæ, Gratiæ, Gloriæ } Authorem beatissimum: Quæ sunt

viz.
- I. Domino proprietario devotè vivere.
- II. Rectori credere, Discere, obedire.
- III. Patrem Optimum Amorem Amare, viz.
  - 1. Ut Fontem EX QUO; viz. { 1. Gratè recipiendo. 2. Gratè agnoscendo. 3. Gratè referendo in operibus.
  - 2. Ut Gubernatorem PER QUEM; 1. Media ordinata amando. 2. Optima eligendo. 3. Electis utendo.
  - 3. Ut Finem AD QUEM { 1. Amanter Velle summo Desiderio. 2. Intendere & quærere summâ Diligentiâ. 3. Fruendo cum summo Gaudio perfectè Amare: Cui Gloria in æternum. *Amen.*

Elucidationes.

1. FAcultates (ut jam dictum est) mirâ concomitantiâ (ex radicali unitate) ita cooperantur, ut nunquam agit Voluntas sine Intellectu & Potentia activa, neque Intellectus sine Potentia Activa: Et ad intra Actu immanente, saltem profundo & confuso, plerumque simul agunt. Attamen ut Actus ab objectis speciem & individuationem accipiunt, ex diversitate & separabilitate objectorum, diversificari & separari possunt facultatum actus: In utero & infantiâ *Actus vitalis* ad intra est maximè notabilis. Intellectiones autem multiplicantur & variantur pro objectorum intelligibilium numero, varietate & variâ præsentatione: Quorum non omnia sunt (plena saltem) objecta Voluntatis. Nil volumus quod non intelligendo percipimus: Quædam tamen intelligimus, quæ nolumus, & quædam quæ neque volumus neque nolumus, quamvis ipsam eorum Intellectionem volumus; & quorundam etiam notitiam nollemus; inviti enim multa scimus; & quorundam notitiam habemus quam neque volumus neque nolumus, in specie aut individuo.

2. Scientia, Sapientia, Prudentia, Artes, & omnes Habitus acquisiti ex actibus frequentibus oriuntur: Ex agendo ad agendum peritè, promptè & facilè dispositi sumus.

3. Actus autem validus & multùm nos afficiens & passiones suscitans, ad habitum plus confert, quam torpidi plures: Et aliquando ex Actu unico potest Habitus oriri; (præcipuè infusus ubi Spiritus Sanctus specialiter nobis opitulatur.)

3. Infantes sunt juvenibus minus scientes, & juvenes senibus (cæteris paribus) & ignavi studiosis quia pauciores sciendi actus exercuêrunt: Pauciores autem exercuêrunt, ex objectorum penuria, ex defectu scilicet temporis & demonstrationis.

4. Sicut scintilla in flammam suscitata, ita Animæ facultas in actum excitata, non novam essentialem acquirit Potentiam seu Virtutem; Potentiam tamen & virtutem accidentalem, secundariam, perficientem, & agendi aptitudinem novam acquirit.

5. Animæ Rationalis præ brutorum animabus præstantia, non in utero nec infantiâ, nec in fatuis, aut minùs exercitatis, quærenda & cernenda est; sed in maturis, exercitatis & perfectioribus: Quodcunque enim natura humana aliquo tempore facit, hoc facere etiam ab origine mediatè potuit: Nunquam agit (nisi per miraculum) ultra naturalis Potentiæ vires. Et quæ excitata apertè viget, à primordiis fuit excitabilis: Flores & fructus non inveniuntur in planta primum virescente, sed in matura: Uniuscujusque rei naturæ & potentiæ in maturitate se produnt.

produnt. Fungus nunquam Rosam profert, & bruta etiam matura diligentiâ nullâ, nullo usu ad rationem & sapientiam humanam ascendunt; quia Potentiâ Intellectuali eorum natura caret: Neque quispiam sapientûm ad culmen scientiæ unquam evehi potuisset, vel ex Doctorum peritissimorum summâ diligentiâ, nisi ad talia ejus *natura* à Creatore *potens* & *inclinata* facta esset.

6. Adeo iners & torpidum, imò merè passivum, est corpus humanum, & omnis materia in sese; ut summæ esse stultitiæ, inde pateat, Animi humani operationes nobiles, illius fabricæ primò attribuere: Neque talis Anatomis ulla apparet differentia inter corporis humani & brutorum texturam, unde operationum discrimen præcipuè possit oriri.

7. Si M. Chambre aut alius quispiam probare nobis posset, Brutorum animas Rationis, non tantum analogicè, sed & propriè sic dictæ esse participes, hinc tamen differentia specifica Animi humani & brutorum, negari non posset; nedum Animi nostri immortalitas: Ratio etenim data ad corporis & vitæ hujus custodiam & officia, & quæ supra terrena nunquam elevatur, non ejusdem speciei est cujus est Ratio seu anima ad Deum cognoscendum, amandum, colendum, fruendum & ad futuræ vitæ spem & fælicitatem condita & inclinata. Et veritati & animæ humanæ non mediocrem injuriam fecêre plurimi eruditi, dum ex mera Ratione. potiùs quàm ex Rationis fine, inclinatione & operibus, differentiam specificam descripserunt.

8. Quanquam Animi tres facultates *simul* in operibus plerisque humanis operantur, non æquè tamen; sed in quibusdam maximè eminet Potentia *Activa*, in quibusdam autem Intellectus, in quibusdam denique Voluntas: Unde *ordinis primi* opera vocanda judicavi [*primò Activitatis Naturalis*] (quæ *finaliter* etiam ad usus naturales sunt, quanquam *realiter* etiam Rationalia & Moralia sint;) secundi ordinis autem, [*primò Intellectualia*] & tertii ordinis [*primò Moralia*;] ab infimis ad suprema & perfectissima ascendendo.

9. In classe secunda Artes omnes quæ semi-scientiæ sunt, & scientiæ, delineandæ essent, si hæc accuratè & plenè hic tractandæ essent; sicut & in prima classe Artes item ad usus naturales: Quæ tamen in opere Theologico parciùs & leviter sunt attingenda; imo quædam nominare ad finem nostrum sat est.

10. Nec mirandum est quod Theologiam, Pneumatologiam, Ethicam, Oeconomiam, Politicam in secunda classe posui, quia ut *scientias* tantum Intellectum perficientes, ea classe hâc collocavi; cum eadem quâ moralia & voluntatem, & praxin voluntariam perficientia, ad classem tertiam potiùs pertineant.

11. Opera *moralia* sunt hominis perfectissima; ad quæ merè *Naturalia* & *Intellectualia* sunt media, & initialia & imperfecta. Actus autem omnium trium facultatum in moralibus inveniuntur, & ad eorum non perfectionem tantùm, sed & essentiam concurrunt, quamvis primariò à Voluntate Moralitatis forma oriatur.

12. De actibus merè Naturalibus non hic sed antea dicitur, (*viz.* de concoctione, de formatione fœtûs, & ejusmodi aliis, quæ sine Ratione & Electione nostrâ, per Deum naturæ authorem peraguntur, & necessariò & per modum naturæ à nobis recipiuntur,) sed de *executivis* tantum, qui sunt omnium, quanquam non æquè operantium facultatum.

13. Sicut rerum Universitas consistit ex plurimis modo incomprehensibili unitis, & omnia sunt simul *plurima & unum*, ita & de rerum scientiâ, si perfecta esset, dicendum est: Res enim *scire*, est eas intelligendo percipere quales sunt, seu verè earum naturas & accidentia intelligere: Quâ plurimæ sunt ut plurimæ, & quâ unum ut unum, cognoscendæ sunt: scientiæ igitur & plures sunt, & una. At solus Deus, vel saltem nemo mortalium ita res omnes perfectè intelligit.

14 Si per *scientiam* intelligimus actum intellectûs rebus adæquatum, verè dicitur (à *Sanchez*, &c.) *Nihil scitur: Ne muscam quidem*, aut gramen, aut arenulam aliquam adæquatè scit doctissimus Philosophus: *Aliquid rerum* seu *de rebus* scitur; & *Res ipsas sciri* dicere licet, modo perceptionem tantum *imperfectam, inadæquatam*, ideoque partim (defectivè saltem;) falsam, intelligamus. Quantilla igitur,

igitur, est sapientia humana! Et proh qualis doctissimorum *scientia!* & quàm pudendam superbi isti produnt ignorantiam, qui adversus errores communes & tolerabiles quasi monstra quædam næfanda furiosè vociferantur, & fratres hæreticando igne & gladio eos persequuntur, *quum Sapientissimi aut Philosophi aut Theologi* ne rei minimæ vel notissimæ habent *scientiam* quæ non sit defectivè saltem falsa? Et, ut *Seneca, Qui errorem omnibus communem alicui exprobrat, generi humano exprobrat*, sicut *falsa* est hominis Imago, si monoculus, aut sine naso, sine manu, *&c.* pingatur, quamvis nil positivè falsum distinguatur; ita & conceptus rerum omnis defectivè falsus est, quo rei concipiendæ pars aliqua omittitur. Pessime autem iste ignarus est & errat, qui errorem & ignorantiam suam nescit, & sub larva sapientiæ, & fortasse orthodoxiæ aut pietatis, adversus minùs errantes, sævitiâ ferâ & immani furit. Quis rerum exemplar aliquod cognoscendo intellectu suo perfectè describit? Falsò autem is describit, qui vel lineam vel verbum unum prætermittit: Multò magis qui plurima: Pauca autem sunt de rebus quæ à doctissimis sciuntur præ pluribus quæ nesciuntur.

15. Animæ actus illi præstantissimi æstimandi sunt, qui fini objectivo proximi sunt, & qui ipsi sunt finis activus: (ex *objecto* enim *ultimato*, & *Actu ultimato* fit hominis fælicitas, & finis ultimatus.) At Actus eminenter Morales sunt proximi objecto ultimato; cæteris tamen conjunctis: Frustra inter Scholasticos disputatur, utrum Actus *Intellectûs* an *Voluntatis*, *Dei* scilicet *Visio*, an *Amor* sit præcipuus, & hominis perfectio & fælicitas: Sicut enim non ex unica sed triplici facultate seu virtute, animæ forma consistit, Vitali-Activâ scilicet, Intellectivâ & Volitivâ, ita & in triplici harum perfectione habituali & activâ, perfectio & fælicitas animæ consistit. At *Dei Intuitio est Amoris Divini medium*, & si actus hosce inter se comparare fas est, Gratiæ & Gloriæ *Intuitio* est quasi *Oculus*, at *Amor* quasi *Cor*, facultas Imperans, Delectationis sedes; & *Amor Mutuus* (*Dei receptus & noster exercitus*) *per Intuitionem accensus & summâ delectatione in Dei Laudes erumpens, & voluntatem ejus obedientiâ alacritèr exequens, est hominis vera perfectio & fælicitas.*

16. Actus *Morales* benè *Humani* à Scholasticis dicuntur: Homini enim inter omnia animalia sunt proprii.

Qu. *An nullus detur actus verè humanus præter Morales? Resp.* Nullus simpliciter & plene humanus, sed tantum secundum quid. Actus quidam Intellectus qui non sunt Voluntarii, sed ex mera necessitate, (sicut insomnia quædam ubi ratio bene valet) fortasse neque moraliter Boni neque Mali sunt; at *Imperfectè & secundum quid humani* dicendi sunt, quia Brutis non competunt, sed soli homini. Qui autem voluntarii sunt, aut ex Voluntatis culpabili omissione sunt Morales. Quando artifices ingeniosè sua opera perficiunt, quæ imitari nulli brutorum datur; & quando Philosophi argumentantur, scribunt, *&c.* opera artis *secundum quid humana* præstant, quatenus Intellectu utuntur; at eadem hæc opera, aut sunt Fini, objectis, morum regulæ congrua, & ita sunt moraliter *boni*; aut incongrua (positive vel privative) & ita moraliter mali. Nihil enim ab homine *liberè* agendum est, quod non ordinate, id est, juxta Legem Creatoris, & ad ejus voluntatem complacendam agendum est.

17. Qui igitur Artis & inventionis subtilitate, & ingenii acumine, aut potentiâ & opibus solis alios superant, honore propriè humano haud digni æstimandi sunt; quamvis (sicut embrio ad hominem) tales ad opera verè humana appropinquantes, actus quidem suo genere laudabiles præstare dici possunt: Et ita non pauci Nobiles Philosophi, Philologi, Medici, imò & merè speculativi Theologi, Milites, Principes, *&c.* quamvis haud pii, sobrii aut justi, suam laudem mereri minimè negarem: Non autem Laudem propriè & plenè humanam: Nec omninò tantam quanta avibus quibusdam nidificantibus, aut apibus mellificantibus debetur. Nil ultra enim ab hisce requiritur; Boni moralis non sunt naturaliter capaces: At homini Finis debiti intentio, Legis Divinæ obedientia, & ordinis moralis observatio in omnibus ejus actionibus liberis ipsius Naturæ lege à Creatore imperatur: Et Boni privatio negatione pejor est: Et profectò qui ingeniosissime & potentissime inter homines se gerunt, urbes condunt, regna subigunt, artes inveniunt,

niunt, &c. & tamen non Deo pie & obedienter vivunt, cœlestia non quærunt, &c. dum ingenii aut potentiæ laudes merentur, simul vituperium & pœnas etiam sempiternas & merentur, & summâ stultitiâ sibi accelerant.

18. Damnabilis enim est Animæ humanæ dejectio, Dei Creatoris, & Gloriæ cœlestis contemptus, terrenis hisce umbris, & nœniis adhærere, & ludicris & nugis vitam, cogitationes & affectus impendere, cum ad altiora, sanctam cum Deo & Sanctis communionem scilicet, & cœlestem fælicitatem, à Creatore optimo hæ Animæ omnesque earum facultates conditæ sint.

19. Qui Deum autem & cœlestia negligunt, non multum ad ipsorum peccatum aut pœnam refert, utrum hoc faciant epulando, bibendo, ociando, an Philologicè, Philosophicè, poeticè, artificialiter nugando; Nisi quod hæc materialiter & aliis sunt meliora, & suo genere laudabilia; ideoque etiam ad mentes sensualibus nobiliores irretiendas, divertendas & corrumpendas aptiora; & qui per ignominiam à bestialitate præservantur, per ingenii, aut potentiæ laudes decepti, eo certiùs & sine suspicione intoxicati pereunt. Et à viris Doctis & potentibus tantò vigilantiùs à Diaboli tentationibus cavendum est, & pietati eò enixius studendum est, quanto subtiliores iis retia struuntur: sicut *Opes* ita & *Literæ* ad finem hominis verum & ultimum sunt referendæ: Arator aut verna Deo serviens, & cœlestia fide quærens, Philosophis, Theologis & Imperatoribus carnalibus, & impiis millies est honorabilior. Id inter creata nobis optimum est quod sanctissimum, & ad Communionem Divinam (nostram & aliorum) maximè conducit: Et nobis id pessimum quod à Deo mentem divertit & alienat.

20. Artes autem & scientiæ verè sanctificatæ, & Deo dicatæ, eo ædificiis, opibus & epulis meliores sunt, quo nobiliores sunt facultates illæ quas ornant, & quibus ad majora præstanda & quærenda auxiliantur.

21. Viles igitur, & noxiæ sunt scientiæ profanæ, cum sacræ utpote Pietati, Charitati, Justitiæ & bono publico nostroque subservientes, utiles, verè jucundæ, & honorabiles sunt; *e. g.* Philologia sacra est Theologiæ organicæ vera pars, quâ ipsum Dei verbum, quâ signum intelligitur: At Philologia profana est puerilis verborum lusus.

Rhetorica & *Oratoria* sacra sunt phrasis sacræ intellectio, & artis suasoriæ verus & utilissimus usus: At Rhetorica & oratoria profana sunt inania, imò peccata, & plurium peccatorum fomes & instrumenta.

Sacra *Poetica* & *Musica* ad cœlestia animos elevant & accendunt: Profanæ autem eos deprimunt & corrumpunt.

Sacra *Dialectica* ad cogitationes nostras & dissertationes de Divinis & necessariis methodicè & rectè ordinandas multùm prodest: Profana autem homines docet ingeniosè delirare, & de verbis litigare, & veritatem garrulitate artificiosâ obscurare & impugnare, dum res ipsæ & rerum ratio vera negliguntur.

Physica & *Mathematica* sacræ sunt Dei & Voluntatis ejus, & debiti nostri, ex Divinis operibus cognitio; vel Mundi ut Libri sacri vera intellectio. Profanæ autem sunt Lusus cum foliis & Literis hujus Libri Divini, vero sensu & usu non-intellectis aut neglectis.

Pneumatologia sacra nobilissima Dei opera cum reverentia & fide, & delectatione contemplatur: Profana autem temerariò cœlestia scrutatur, & ad Idolatriam, aut superstitionem ducit, aut sine fide altiora prospiciens in ima infideles dejicit.

Sacra *Ethica* est ipsa sanctitatis doctrina; Profana autem non homines ad Deum amandum & obediendum, sed ad usus communes quasi Canes ad venandum, aut Boves ad aratrum instruit.

Sacra *Oeconomica* domos Deo dedicatas ad Deum colendum ordinat; Profana autem mundana & corporea tantum curat.

Sacra *Politica* Gloriam Divinæ Majestatis, Sapientiæ & Amoris ad plurimorum bonum temporale, spirituale & æternum, eximiè demonstrat, & Regni Divini in terris jura, & ordinem conservat. At profana & carnalis est, aut pernicioſa ty-

rannis & pestis, aut vilis saltem utpote ad vilia sola ordinata. Eadem ferè de *Scholastica* sacra & profana dicenda sunt. Estne verò *Ecclesiastica* aliqua profana? Imo quæ per plurima secula, & per orbis terrarum partem non parvam superbiam, avaritiam, perfidiam, vitia, bella & strages miserandas aut peperit aut enutrivit: Et quæ Pastores & Christianos Laicos fidelissimos persequendo, cultum & vitam spiritualem maligne oppugnando, & ficta & picta eorum loco substituendo, ad Religionis corruptionem, Evangelii pietatis, amoris & pacis impeditionem, & animarum plurimarum miserrimam ruinam, proh quantum contulit!

Imò & *Theologia* suâ quasi naturâ sacra in profanam à non paucis vertitur; & in Tertii (Decalogi) præcepti violationem. Libri sacri scilicet eodem animo & modo, & ad finem eundem quo profani evolvuntur; & inania, & falsa & mala ut Divina sub Theologiæ, fidei & orthodoxiæ titulis à pluribus venditantur: Et utinam non contra Evangelium ipsum Evangelium à quibusdam prædicaretur; & Satanas non Ministros suos in Ecclesias misisset; qui eo majore successu, quia in Christi ipsius nomine, ejus doctrinam malè docendo, & ejus Regnum malè regendo, malignè impugnarent; Divina, Evangelica & Ecclesiastica adversus Deum, Evangelium & Ecclesiam obvertentes & vibrantes. At tandem Christus omnia offendentia, & omnes iniquitatem operantes, è Regno suo penitus eradicabit.

22. Quoniam in omni *actu humano* seu *morali* proprie & plene sic dicto, tres facultates semper conjunctim, nulla autem sola operatur, Fides igitur in Christum quâ dicimur justificari non unicæ, sed triplicis facultatis actus æstimandus est; *Activa*, scilicet, *Intellectualis* & *Voluntaria fiducia*; Et *fidei opera genuina*, & Potentiæ, & Sapientiæ, & Amoris opera esse necesse est. Quantum autem *Amoris* seu *Voluntatis* in actu aliquo *cognitionis* aut *assensus* deest, *Boni Moralis* etiam tantum ei actui deest; sine Voluntate enim nulla est proprie dicta moralitas. Unde Bucerus cum aliis Scholasticorum quorundam distinctionem [*Fidei informis*, & *Charitate formatæ*] recipiendam voluit: Per Charitatem, seu Amorem enim, Voluntatis complacentiam seu consensum intelligunt, sine quo *Intellectûs* assensus verè quidem assensus est, at spirituale & morale bonum non est; ideoque nec conditio fœderis Divinæ, neque Deo amabilis aut acceptus, aut ad justificationem recipiendam valens.

23. Quanto plus Voluntatis, id est *Amoris*, erga Deum ipsum & Divina in studiis, precibus, cultu, eleemosynis, aut aliquibus humanis actibus invenitur; tanto meliores, nobiliores, perfectiores, & ad summam perfectionem magis conducentes actus illi judicandi sunt. Plurimum igitur Amor Divinus seu pietas scientiæ præstat, sicut per Apostolum, 1 Cor. 8. verè concluſum est.

Tantum

Tantum de MENTE vel Animâ qua Intellectuali: II. Anima quâ SENSITIVA facultatem habet

I. ACTIVAM Vitalem, Principium Actuum sensitivorum, & Actionum ad extra, ubi præcipuè se ostendit.
Quæ consideratur { 1. Ut *sub Virtute Activâ Mentali*, & nobilitate & operatione. 2. Attamen ut Natura seu *Principium agendi in se.* 3. Ut *supra Naturam Vegetativam* Igneam; quâ utitur.

II. APPREHENSIVAM: Quæ { I. In *Principio*, est *Virtus sentiendi Essentialis*, Necessariò patiens & agens. II. In *Actu*, est ipsa SENSATIO: Et hic dicendum est de SENSU. (III. De *Actione* dicendum in conjuncta facultatum operatione.)

QUID est, & unde
- I. In *Genere*: Sensus in Actu primo est *Unicus*, qui omnibus speciebus inest. Et quæritur
  - I. Formaliter in se; non *primò intelligitur*; sed *sentiendo sentimus nos sentire*; & *inde* aliquantulum, *Quid sit sentire intelligimus*: Ad *ipsum sentientem* igitur, *quâ talem*, notificatio *sensus* remittenda est; ut qui hoc ab aliis intelligere non potest, nisi priùs & meliùs à seipso.
  - II. Causa *Efficiens propriè* sic dicta, { 1. Superior Universalis: 1. Deus, 2. Influxus triplex cœlestis. 2. Proxima, est Anima qua *Virtute Essentiali sentiendi* prædita.
  - III. Materialia requisita subservientia ad sensum, sine quibus non sentimus (etsi non propriè efficiunt) Sunt { 1. Terminus specificans primus; Passivus ad Animam; Activus ad infra, *viz. Spiritus Igneus, Vegetativus.* 2. Terminus secundus (ad sensus plerosque) *Medium Passivum*; in quod *Spiritus* operantur, (vulgò *Organa.*) 3. Terminus tertius (vulgò *Objectum.*)
- II. In SPECIE: Quotuplex est SENSUS; & hic dicendum est de SENSUUM

I. Diversitate à Causis & Requisitis: Quæ sunt
- I. Triplex Actus interior Naturæ Igneæ, Spirituum---Motus, Lumen & Calor, & horum conjunctiones;
- II. Medium Passivum, seu organa; & ita
  - *Viz.* { 1. *Motus Spirituum* in genere facit (suo modo) sensum generalem Tactus; & diversus diversos; pro diversitate humorum qui sunt Spirituum vehicula; & pro usuum varietate. 2. Motus Spirituum *Lucidorum, quâ talium*, facit 1. Visum, 2. Sensum communem, 3. Phantasiam. 3. Motus Spirituum, quâ *Calidorum*, facit sensum, 1. Gustus, 3. Olfactus, 3. Hilaritatis, *&c.*
  - 1. Genus Nervosum est medium commune sensationis; (quia spermaticum & spirituosum.)
  - 2. Auris est medium sensus Auditus (ut Organa interna comprehendit.)
  - 3. Oculus est medium Visionis.
  - 4. Nervus appropriatus est medium Odoratus.
  - 5. Nervi appropriati sunt medium Gustus (vel membrana generis nervosi.)
  - 6. Spiritus ipsi, vel sine medio passivo, vel Spiritus in Humoribus agentes in Spiritus fixiores in partibus spermaticis, sufficiunt ad Hilaritatem, Passiones, *&c.*
- III. Objectum, & sunt objecta
  - 1. Phantasiæ; sensibile sensatum ut imaginabile.
  - 2. Sensûs communis; sensata particularia & communia.
  - 3. Sensuum particularium animalium; *viz.* { 1. Auditus: Aer ut collisione motus, vel per plagam, *&c.* 2. Visus: Aer ut Luminosus: vel Lumen Aeri incorporatum; & illustrata. 3. Olfactus: Aer ut vaporibus calidis diversimodè infectus.
  - 4. Passionum interiorum: Phantasmata.
  - 5. Sensus *Vitalis Medii*: Varietas vehiculorum, & motuum ipsorum Spirituum.
  - 6. *Vitalium particularium*; *Tactibilium* diversæ qualitates & motus.
  - 7. Sensus Naturalis intimi: Ciborum, *&c.* convenientia & inconvenientia.
  - 8. Naturalis medii; Spirituum fames per inanitionem, & oppressio per repletionem, *&c.*
  - 9. Naturalis exterioris; Gustus: Calor in materia variè mixtâ.

II. Diversitate secundum usuum varietatem: Et ita sunt
- I Sensus simpliciter Animales; { 1. Intimus; Phantasia (cum sua memoria) imaginum formatrix & retentrix. 2. Medius; dictus Communis: Sensûs pulchritudinis, harmoniæ, *&c.* 3. Externi particulares; *viz.* 1. Auditus, 2. Visus, 3. Olfactus.
- II. Sensus etiam Vitales; *viz.* { 1. Intimi; Passiones quâ sensationes; Amor, odium, cupido, gaudium, timor, *&c.* 2. Medii; sensus valetudinis & invaletudinis, infirmitatis, perturbationis, hilaritatis, *&c.* 3. Exteriores: Substantiæ motæ, mollis, duræ, lævæ, asperæ, humidæ, siccæ, calidæ, frigidæ, levis, gravis; sensus distensionis, contractionis, contusionis, vulneris, pruritus, titillationis, veneris, lassitudinis, quietis, *&c.*
- III. Sensus Naturales; *viz.* { 1. Intimus; Oris ventriculi sensus convenientiæ ciborum: Quo gallina discernit hordeum & bos herbas, & omne animal cibum proprium (concurrente Odoratu aliquando.) 2. Medius: famis, sitis, refectionis, languoris, ægritudinis, *&c.* 3. Externus; Gustus, & Odoratus (qui capiti, cordi & ventriculo servit.)

A B

III. Hinc

A | B | III. Hinc sensuum diversorum Descriptio talis est

1. *Phantasia*, est sensus Intimus in Capite; quo per Spiritus lucidos ex sensatis format imagines anima sensitiva spiritibus incorporata.
2. *Sensus Medius in Cerebro* est, quando sensata communia, & etiam particularia, in centro Anima percipit & distinguit; & pulchritudinem, harmoniam, *&c.* primo sentit.
3. Sensus *Animales exteriores particulares* sunt, Animæ in spiritibus animalibus sensitiva perceptio Aeris ut collisione moti, Luminosi, vaporibus calidis infecti, media nervosa diversimodè tangentis, Spiritus ut Mobiles, Lucidos, Calidos, diversimodè afficientis.

viz.
1. *Auditus* est sensus Animalis exterior particularis; qui est Animæ in spiritibus animalibus sensitiva perceptio Aeris ut collisione moti, nervum auditorium in aure pulsantis, & Spiritus ut Mobiles modo proprio afficientis.
2. Visus est sensus Animalis exterior particularis, qui est Animæ in spiritibus animalibus sensitiva perceptio Luminis in Aere, Colorum, & inde substantiarum, per Luminis aerii appulsum in Spiritus lucidos in organo visorio, eos modo proprio moventis & afficientis.
3. Olfactus est sensus Animalis exterior particularis; Qui est Animæ in spiritibus animalibus sensitiva perceptio aeris ut vaporibus calidis (diversimodè) infecti, Spiritus calidos in nervo appropriato appellentis, & modo proprio moventis & afficientis. (Qui & naturalibus usibus inserviens est, & participativè sensus Naturalis.)

1. Sensus Vitalis intimi (Passiones) sunt Animæ in spiritibus Vitalibus sensitivæ perceptiones Phantasmatum, Spiritus in Corde (& partibus Vitalibus) modo proprio afficientium.
2. Sensus Vitalis Medius est Animæ in spiritibus Vitalibus sensitiva perceptio spirituum ipsorum rectæ vel morbosæ constitutionis, & motus in corde, ex occasione juvantium & lædentium.
3. Sensus Vitales externi particulares, sunt Animæ in spiritibus Vitalibus sensitivæ perceptiones rectæ vel pravæ constitutionis & motus ipsorum spirituum in ramis nervorum per corpus dispersis, ex occasione vel inopiâ pabuli, vel appulsu substantiarum diversæ qualitatis, vel distorsione, vulnere, contractione, obstructione nervorum, diversimodè spiritus moventibus, & modis propriis afficientibus.

1. Sensus Naturalis intimus est Animæ in spiritibus Naturalibus perceptio sensitiva propria, congruentiæ vel incongruentiæ ciborum, in ventriculo, operans ex apprehensione sensuum animalium.
2. Sensus Naturalis Medius est Animæ in spiritibus Naturalibus circa ventriculum perceptio propria sensitiva, famis, sitis, ingestorum placentium & displicentium, *&c.* ex ipsorum spirituum languore, fame, refectione, motu ordinato vel inordinato, *&c.*
3. Gustus est sensus Naturalis exterior particularis; qui est Animæ in spiritibus partim Naturalibus, partim Animalibus, perceptio sensitiva propria materiæ calidæ, humidæ, & siccæ variè mixtarum, & Spiritus in nervis appropriatis variè afficientium tactu; in ordine ad ventriculi receptionem vel rejectionem.

III. FINIS Virtutis Apprehensivæ ex jam dictis satis intelligi potest.

Tantum de *Animæ Sensitivæ* Virtute, I. *Activâ*, II. *Apprehensivâ*; sequitur ejus,

III. Virtus APPETITIVA: Quæ (ut objectis connaturalis) distinguitur ut est & operatur,

I. *Propter ipsam Personam*, vel suppositum Appetens; estque

II. *Appetitus Animalis*; viz.

A | B | C
1. Exercitii Phantasiæ per placentes Imaginationes.
2. Exercitii sensus Medii Animalis, in sensationum collectione & distinctione { Pulchritudine. Harmoniâ, *&c.*
3. Activitatis & hilaritatis Spirituum in cerebro, ut per Vinum, gratos odores, *&c.*
4. Sonorum convenientium.
5. Luminis convenientis, & variorum colorum & coloratorum, *&c.*
6. Odorum gratorum: (& in hisce omnibus ipsorum sensuum exercitii.)

II. Appetitus

A | B | II. Appetitus Vitalis: Qui est vel
- I. Intimus Radicalis; *viz.*--vel--
  1. Appetitus Vivendi.
  2. Appetitus Voluptatis sensibilis.
  3. Appetitus Valetudinis, & mediorum imaginatorum;
- Qui quoad *Actus* distinguitur in Appetitum & Passiones,
  - 1. Concupiscibiles; *viz.*
    - 1. Ad Bonum; *viz.*
      1. Amare, vel Complacentiam habere.
      2. Concupiscere.
      3. Gaudere.
    - 3. Contra Malum,
      1. Odio habere.
      2. Fugere.
      3. Tristari.
  - 2. Irascibiles; *viz.*
    - 1. Erga Bonum,
      - 1. Positivè
        1. Confidere.
        2. Audere.
        3. Sperare.
      - 2. Privativè
        1. Diffidere.
        2. Animo despondere.
        3. Desperare.
    - 2. Adversus Malum,
      1. Ira.
      2. Timor.
      3. Pudor.

    Plurimæ item sunt Passiones *Mixtæ*; ut superbia, humilitas, contentatio, inquietudo, patientia, impatientia, cura, reverentia, admiratio, zelus, contemptus, pœnitentia, obstinatio, *&c.*

- II. Appetitus Cordialium, spiritus roborantium & exhilerantium, & activitatis Spirituum.
- III. Appetitus placentium per Tactum in nervis, *&c.* & quietis & incolumitatis à nocentibus.

III. Appetitus Naturalis; *viz.*
- 1. Primus Appetitus
  1. Cibi quâ talis.
  2. Cibi quâ congrui naturæ.
  3. Cibi quâ gustui dulcis & grati.
- 2. Secundus; *viz.* Appetitus exonerationis
  1. Per Venerem (in quantum Alleviatio tantum.)
  2. Per Egestionem.
  3. Urinam.

II. Propter Alios (Ipsa enim Anima sensitiva tales habet Appetitus, & non tantum Rationalis.) *Viz.*
1. Appetitus *Generativus*, & Prolis Amor; ad speciei propagationem.
2. Appetitus *Indicativus* sensationum; *viz.*
   1. Per Vultum, ut in Ira, Gaudio, *&c.*
   2. Per Vocem: Loquendo, ejulando, ridendo, *&c.*
   3. Per Membrorum actiones; ut ferire per iram, *&c.*
3. Appetitus *Operativus* ad Bonum Prolis, & Amatorum; unde Gallina propter pullos laborat, pugnat, *&c.*

Cap. X. *De Anima qua* SENSITIVA. *De ejus* FINE *& operationibus perfectis.*

Tantum de Animæ Sensitivæ *Virtutibus in se*, & in *Actibus distinctis*: sequitur dicendum de ejus FINE, & inde de Operationibus trium facultatum conjunctim.

I. FINIS Naturæ SENSITIVÆ in triplici ordine positus est; *viz.* est FINIS.

- I. Proximus: Qui est, sui-ipsius perfectio,
  1. Naturam suam Activam exercendo, per communicationem sui *Naturæ Vegetativæ*, ipsam per incorporationem quasi animando, & agendo, & exaltando.
  2. Naturâ Vegetativâ utendo ad sui alimentum, exercitia & delicias.
  3. Mentibus serviendo, tutelam, honorem & delicias ab ipsis participare.
- II. Superior: Bonum Naturæ Mentalis; *viz.*
  1. Dum Mentes *Animis Sensitivis* quasi proximâ unione conjunguntur; & in ipsis Naturam suam superiorem communicatione quâdam delectabiliter exercent.
  2. Dum sensibus utitur *Naturæ Mentalis* in propriis operationibus.
  3. Præcipuè ut *Deum* in *sensibilibus* percipiat, & per eorum auxilia ipsum adeat.
- III. Supremus; est Gloria Divina; *viz.*
  1. Ut in sensibilibus Imago ejus perfectionis impressa, mentibus appareat.
  2. Ut per sensus proprios Homo bona hæc sensibilia percipiat, & iis ad Deum utatur.
  3. Ut mens cum Natura Sensitivâ harmonicè & sensibiliter Creatorem laudet.

II. Hinc

II. Hinc operationes *Conjunctarum Virtutum Sensitivarum* (quæ nobiliſſimæ) cerni poſſunt,

1. Naturæ Vegetativæ ſe communicare; { 1. In ortu ipſius ſuppoſiti. 2. In generatione prolis.
2. Vegetabilibus uti: *viz.* { 1. Intra ſuppoſitum poſt unionem. 2. Extraneis; ut herbis, fructibus, floribus, *&c.*

1. { 1. Ad Vitam; edendo, bibendo, & remotè, laborando, quærendo, ſervando. 2. Ad Delicias; ludendo, epulando, ornando, *&c.* ut ante recitantur.

{ 1. Propter ſuppoſitum: ad ſui alimentum, tutelam, medelam, ornamentum, *&c.* 2. Propter prolem: nutrire, tegere, defendere.

3. Naturæ ſuperiori mentali libentèr ſerviendo, perfectionem ſuam quærere & expectare.

2. 1. Activitate congruâ diſponi ad Mentis operationes recipiendas.
2. Sub Regimine Mentis ſine reluctatione, & agi & agere.

3. Ut Menti ſubſerviat, & { Intromittendo per omnes ſenſus Bonitatis Divinæ perfectiones; & applicationem Amoris ejus ad noſmetipſos promovendo. Extramittendo; ut faciliùs Deum & ſenſibiliùs Amemus; & cum ſumma delectatione & gratitudine Laudes Optimi, Sapientiſſimi, Potentiſſimi, Creatoris ſemper celebremus.

Cap. X. *Elucidationes.*

1. SPiritus Ignei ſunt quaſi Corpus proximum Animæ Senſitivæ.

2. Nullus ſenſus eſt primariò *Paſſio*; ſed Actio Animæ Senſitivæ.

3. Anima agit in Spiritus, & non Spiritus in Animam: omnis enim ſuperior agit in inferiora *.

* Siquis autem probaret Animam Senſitivam non ſolari Naturâ Igneâ potiorem eſſe & ſuperiorem, cito faterer etiam ab influxu ſolari eam pati. Neque negandum eſt Animam omnem Pati à Deo Causâ Primâ efficiente, in omni ſuo actu. At objecta quâ talia non agunt in animam; ſed actus ejus terminando materialiter ſpecificant: Ideoque nec Deus per objecta, quâ objecta; quamvis Deus effectivè per ſe in omnem cauſam ſecundam agat.

4. Senſationes *placidæ* ſunt meri Actus Animæ in Spiritus.

5. Senſationes doloroſæ ſunt *ſecundariò* Paſſiones: At non in Anima *ab extra effectivè*: ſed Anima Senſitiva agit in ſeipſam, ſicut Lumen reflexum à pariete; vel aqua fluvii impedita tumultuans.

6. In omni ſenſu *Spiritus Ignei* & *Agunt* & *patiuntur.*

7. In pleriſque ſenſibus eſt *Paſſio Spirituum* triplex; prima ab intra, *ab Anima Senſitiva*; ſecunda à *ſe ipſis*, dum Spiritus agunt in *proximos Spiritus*: tertia *ab extra*, dum movens exterior ſenſoria ſpirituoſa percutit.

8. Congreſſus agentis *exterioris* (*e,g.* luminis) & *interioris* in actione, ſpecificat ſenſum.

9. Si agentes invicem ſint *ſimiles* & *congrui*, agunt *harmonicè*, & faciunt ſenſum *placidum*, (Animâ agente in *Spiritus* ſine impeditione:) ſin autem *diſſimiles* & *incongrui*, ſenſum faciunt *doloroſum.*

10. In ſenſu *inanitionis* & *defectus*, Spiritus agunt in *ſeipſos*, & agunt langüidè; & ideo doloroſè.

11 Spiritus aliqui (etſi ſunt naturæ activæ) magis *fixi ſunt in genere nervoſo*, & in ſubſtantia cerebri, cordis, *&c.* ut partes conſtitutivæ illius ſubſtantiæ: Et alii ſpiritus in *humoribus mobilibus*, ſunt magis *moti*; & hi Spiritus *moventes*, agentes in Spiritus magis *fixos in nervis*, ſunt *occaſio* præcipua ſenſationis.

12. Senſus nulla habent *organa effectiva*, quæ ſenſationem inſtrumentaliter *efficiunt*; ſed tantùm *organa impropriè dicta.*

13. Et ita partes nervoſæ appropriatæ, dicuntur *Organa corporea paſſiva*, quia patiuntur & à *ſpiritibus* ab intra, & ab *extra-agentibus*: Et ſunt *locus* ubi *agentes ambo* cogrediuntur.

14. *Spiritus* dicuntur *Organa activa*, non quia ſenſationem propriè *efficiunt*, ſed quia tantum in convenienti eorum *actione*, *Anima Senſitiva* in illis operatur.

15. *Objecta* non ſunt *cauſæ efficientes* ſenſûs, quâ ſenſus; ſed tantum *termini ſpecificantes*,

cificantes, & occasiones; *e. g.* Paries visus nec *efficit*, nec agit: Lumen *agit & efficit* passionem in Spiritus; Spiritus agit & efficit passionem in alios Spiritus: At nullum horum, verùm *Anima* tantum immanenter *efficit sensum.*

16. Partes nervosæ, post cerebrum & Spinalem Medullam, sunt media passiva (vel si mavis organa receptiva) sensûs, quia spiritibus maximè repleti sunt, idque fixè & constitutivè.

17. Sicut influxus igneus, *v. g.* Solis, est aliquando tantum *accidentalis*, (ut parietis superficiem calefaciendo, vel porosi alicujus interiora penetrando) aliquando verò *Essentialis* in recipiente, quando materiæ præparatæ arctissimè unitur (ut in semine vegetativo;) & aliquando est neque *merè accidentalis*, nec tamen *Essentialis*, sed *Integralis* (ut in ramis arboris:) Ita in corpore humano, Spiritus in *semine* & partibus *spermaticis* arctissimè & intimè & fixè uniuntur; in partibus *essentialibus, essentiales*, & in partibus *integralibus integrales*; At *humoribus* & aliis partibus insunt modo *laxiore* & *mobiliter* magis; & ideo non est *sensus æqualis* ubicunque adsunt *Spiritus.*

18. Nam ita etiam *Anima ipsa sensitiva* diversè influit & agit, in *ipsos Spiritus:* Aliquibus *arctissimè* incorporata est; aliquibus verò *integraliter*, & aliquibus quasi *accidentali attingentiâ* tantum inest.

19. Inter omnes humores *sperma* maximè spiritibus abundat, estque humor perfectissimus.

20. *Cerebrum & nervosum* genus ex spermate vel succo nervoso masculino super partes reliquas conficiuntur.

21. Succus nervosus est oleum ferè spermaticum, & humor spirituosus perfectissimus.

22. Ideò in rebus venereis sensus est exquisitissimus, quia succus nervosus in spermate dominatur, & in transitu.

23. Virtus triplex formalis *naturæ Igneæ* una cum *substantiæ puritate*, est ejus *aptitudo* in subserviendo *Animæ Sensitivæ*; quæ agit etiam per *suam* triplicem *formalem virtutem*; *Activam*, scilicet, *Apprehensivam*, & *Appetitivam.*

24. Spiritus igitur ut *Agiles*, ut *Lucidi*, & ut *Calidi*, sunt respectivè media *diversitatis sensuum*, vel magis *simplicium*, vel *compositorum*; prout virtutes illæ magis simpliciter vel conjunctim agunt.

25. Omnis sensus est per *Spirituum Activitatem*, quia virtus *Activa* est aliquo modo *primaria.*

26. Anima ad exercitium *Apprehensionis, Spirituum Lucidorum* sedem peculiarem fabricavit in *Capite*; & ad exercitium *Appetitûs & Motûs*, sedem specialem *Spirituum Calidorum & Activorum* fabricavit in Partibus *Naturalibus & Vitalibus.*

27. Effectus Spirituum, ut *Activorum & Calidorum, apparent* maximè in conjunctione.

28. Nullus tamen est sensus in quo Spirituum *Virtus Activa, Lucida & Calida*, non *indivisim* cooperantur: etsi non *æqualiter*; sed una aliis causalitate præcellit.

29. *Specificatio* sensuum *Formalis*, est à *triplice Virtute Animæ sensitivæ*; & in actu à *triplice aptitudine Spirituum* per eorum *triplicem Virtutem*, & à *triplice Virtute Igneâ* ut *ab extra agente*; (& à *triplice fine & usu*, ut antea explicatur:) Omnis autem alia diversificatio est *accidentalis*, vel ex horum compositione.

30. Numerus sensuum vulgaris *quinarius*, est fictitius, sine fundamento in re.

31. Nullus sensus est *formaliter Tactus.*

32. Omnis sensus est *per Tactum.*

33. Sensus exteriores & interiores sunt ejusdem generis.

34. *Phantasia* est verè *sensus*, & *sentiendo* imaginamur, & *sentimus* Nos imaginari.

35. *Memoria* non est sensus à Phantasia distinctus.

36. Phantasiæ tria sunt officia; *Apprehendere* res simplices, *Receptivè & Memorativè*,

Controversiam Philosophorum de Biolychnio ita decidendum judico: Spiritus omnes potestate lucidi sunt; At actu lucent, & flamma eminenter sic dicta fiunt in cerebro, præcipuè parte anteriore circa oculos; Ideoque organa sensus ibi aperta sunt, ne ex privatione aeris flamma extingueretur. In oculo felis flamma visibilis est: Et si nobis invisibilis sit, non mirum est: Sulphuris & Spirituum quorundam flamma tantum non invisibilis est.

moativè, & *Æstimare* vel judicare (ut Lepus æstimat canem sibi inimicum;) & *Practicè colligere* * quid agendum est (ut Lepus judicat Canem fugiendum esse.)

* Quamvis non propriè ratiocinando.

37. Sensus *hilaritatis vinosæ* in cerebro, est ex *Activitate congruâ Spirituum* in humoribus & vaporibus, in Spiritus cerebrum inhabitantes: Et idem dicendum de *hilari agilitate* animalium in juventute, dum Spiritus agiliter & congruè se movent.

38. In *Auditu*, *Motus quâ talis* (*Spirituum* & *Aeris* congredientium) præcipuè spectatur; magis quàm *Lumen* aut *Calor*.

39. Etsi *sonus* in se habet aliquid inscrutabile, tamen dicendum videtur, quod in primaria significatione sit *sensus ipse auditûs*, & sit in *aure*; at *sonus* in *aere* metonymice tantum ita nominatur; & nihil est aliud quàm aeris ille motus proprius, qui aurem sono (id est, sensu auditûs) aptus est afficere.

40. Ut aer liberè & naturaliter motus sine violentia & obstaculo, nullum edit sonum, at maximum, in motu violento & impedito; Ita etiam est in *Spirituum motu* quoad sensum doloris.

41. Auditus est sensus mirandus, & maximè necessarius ad hominum communionem.

42. *In visu*, *Lumen Spirituum internum*, *cum Lumine externo* amice congrediens, est occasio maximè notabilis.

43. In *Oculis*, *Anima*, cætera ferè abdita, ad *exteriora* proximè appropinquat, & quasi per fenestras prospicit & se ostendit.

44. *Lumen* non tantum *alia* ostendit, ut *medium* visûs, sed etiam est *ipsum primo-visum*, & falsum est quod â Zabarella & aliis dicitur, Lumen non videri per se, ut Quod, sed tantum, ut Quo, dum colores facit visibiles; Lucem autem videri quia ipse color est. At Lumen nil aliud est quam Lux emissa & in aere sparsa; & Lux nil aliud est quam Lumen in centro contractum, & experientiâ notum est nos aerem illuminatum videre posse, quando nullum aliud objectum videmus; Primum igitur & maxime proprium visibile Lumen est.

45. *Lumen simplex* nunquam humanis oculis apparet; sed ut *aeri* quasi incorporatum, & mixtum.

46. Quær. Utrum ipse *aer* etiam non videtur quando *Lumen* in eo videmus? Et ita aer (qui invisibile quiddam putatur) est semper *secundo-visum*?

47. Aer est *Luminis conjux*; id est, naturaliter & primò ejus receptivus.

48. Ideò *spiritus animales* sunt compositio prima, *viz. Ignis* & *Aeris*.

49. Et ideò *sperma* est supra omnes humores alios, maximè *aereum*.

50. *Lumen* est *substantia virtuosa* oculos attingens.

51. Lumen à *Motu* & *Calore* nunquam totaliter separatur.

52. Etsi in *Coloribus* sit aliquid inscrutabile, tamen dicendum videtur, quod *Color* in principali significatione, sit *in oculo*, ipse *visus specificatus*: Et metonymicè seu analogicè dicitur esse in *substantia extrinseca*: Et quod *Color extrinsecus* sit *Lumen* diversimodè *reflexum* à substantiis diversimodè compositis ad ejus reflexionem & Luminis interioris objectum inhærendo constituentis diversam apparentiam.

53. Probabile enim videtur quod *Ignea* natura in *objectis*, ut diversimodè *apparens*, vel magis *abdita*, in materia sit *aptitudo* illa in *rebus*, ad luminis varias reflexiones; Præcipuè in *vegetabilibus*, ubi in floribus varietate colorum elegantibus, Spiritus interiores ut *Lucidi* videntur se ostentare; & efflorescentia hæc interioris luminis, est primus Color.

54. Miranda, & omninò inscrutabilis est *Communio Luminis interni* & *externi*; (& *Spirituum Mentalium Communionem* repræsentando ostendere videtur:) *viz.* Quomodo Potentia visiva per Lumen in oculo Solem & Stellas in *tanta distantia* videre possit? Utrum radii aliqui ab oculis ad Solem usque pertingant? Aut radii Solares, vel *Lumen emissum*, non tantum *ipsum* videatur, sed *figuram* ipsius *Solis* deferat usque ad oculos? Et ubi radii oculares & Solares congrediuntur? An potius dicendum cum quibusdam quod *virtus* ab utrisque emittitur sine substantiâ (Quod si crederetur, proximè credendum foret Lumen esse Spiritum & *Spiritus*

omnes

omnes esse Virtutes sine realibus substantiis.) At quomodocunque fit, probabile mihi videtur ex *connaturalitate* & contiguitate sive *continuitate* luminis nostri interioris visivi cum Lumine exteriore illuminante rem totam fieri: Sicut per continuitatem chordæ motum partis distantissimæ percipit qui partem alteram extremam tenet; vel sicut principium sensationis in capite puncturam sentit in pede: Quod fieri per Virtutem sine ipsâ substantiâ probabile non est: Neque quid sit illa Qualitas seu Virtus quæ non est *substantiæ* alicujus *Virtus* intellectum meum omninò fugit. Et faciliùs quidem crederem Ignem luminosum esse substantiam spiritualem (Spirituum, scilicet infimum) quam esse qualitatem sine substantiâ, aut aerem merè motum, aut qualitatem per Ignem aeri impressam, & non ipsius Ignis inseparabilis actus.

55. In materia olfacta *Calor* præeminet; at variè pro varietate materiæ mixtæ.

56. Odor etiam in principali significatione est in ipso *sensu specificativè*: Et in aere est *vapor variè mixtus*, á corpore odorifero ut à centro emanans.

57. Odoratus est sensus *primariò*, usui *animali cerebri* serviens; at *secundariò naturali*, ventriculi.

58. Etsi Passiones Cordis præcipuè spectantur ut *sensiones Appetitûs*, tamen sunt etiam *sensiones apprehensivæ*; sentiendo enim *apprehensivè* gaudemus, tristamur, concupiscimus, &c. & gaudere tristari, &c. nos, sentimus: Idem igitur sensus est & *apprehensivus*, & *appetitivus*.

59. In *Cordis hilaritate Spiritus in humoribus* incurrentes in *Spiritus in substantia Cordis*, magis fixos, congruè operantur.

60. Notandum est quod *internè* (in *Cerebro* & *Corde*) *placida* sentiuntur æquè ac *displicentia*; quia sensus iste est animali necessariùs: At in *nervis cute* & aliis Corporis membris, (præter calorem & mollitiem & refrigerantia,) *congrua* vix sentiuntur; at *nocentia* exquisitissimè: Fortè quia sicut partes *externæ* non sunt primarium & necessarium animæ domicilium, sed usibus particularibus servientes; ita eorum *sensus jucundus* non est necessarius ad usus principales, animales, vitales, naturales; sed *sensus doloris* est necessarius ad Corporis totius tutelam, scilicet ut solicitè noxia depellamus & evitemus.

61. Sicut in aere Ignis æquabiliter dispersus non urit, at urit contractus in prunâ vel candelâ; Ita Spiritus æquabiliter per Corpus dissipati, non anguntur; At contusione, vulnere, apostemate, &c. confluentes, & in sese irruentes, conturbantur & angore dolent.

62. *Voluptas* tamen *Medelæ* & *exonerationis* etiam in partibus vilioribus sentitur: Ut Scalpendi in pruritu, exonerationis urinæ, stercoris, &c. Quia liberatio omnibus partibus est necessaria & grata.

63. Titillatio est displicens & intolerabilis motus sine dolore, & cum aliquali partis voluptate sicut & pruritus.

64. *Agere*, *Illuminare*, *Calefacere*, sunt effluxus *virtutis-formalis nobilis activæ naturæ*; At *Desidia* (vel *Non-agere*) *Tenebræ* & *Frigus* non sunt alicujus naturæ omninò effluxus positivi; sed privationes, aut non entia.

65. Illud autem quod *Frigus* appellatur *in sensu* est *quid positivum*; *viz. Motus Spirituum doloroſus* (vel aliquando *placidus*) à frigore externo (sic dicto secundariò.) At *Frigus externum* nil aliud esse videtur quàm privatio Caloris una cum motu quodam, & attingentia Corporum, quæ partim ex privatione Caloris, & partim ex magnitudine, figurâ propriâ, &c. Corpus vel potiùs *Spiritus*, tali frigoris sensu afficere sunt apta. Adeò necessarius enim est *Calor spiritibus* (& *essentialis*) ut ejus magna *privatio* & *extinctio*, ut mors ipsa ab illis evitetur; & ideò *infrigidantia* nociva illos dolore afficiunt: Multo magis quando motus prædicti dolorifici etiam ab extra concurrunt.

66. Aeris autem frigefacientis *Motus* fortasse fieri potest ex *Ignis* Influxu seu *Activitate*: Neque incredibile est Ignem semper à se emittere virtutis *Motivæ*, *Illuminativæ* & *Calefactivæ* simul radios, at effectus tamen non æquos inde fieri, sed aliquando *Lumen* recipi sine *Calore*, aliquando *Calorem* sine *Lumine*, & aliquando *Motum* sine *Calore* aut *Lumine*: Receptio enim fit juxta capacitatem recipi-

entis: Et varietas *Dispositionum materiæ Receptivæ* non minima Causa dicenda est mirandæ illius rerum mundanarum variegationis. At ad *Motum* (*e. g.* ab Influxu Solari) Recipiendum dispositio Receptiva altera est; altera autem ad Lumen, & altera ad Calorem Recipiendum: Ideoque ex influxu Ignis triplici æquali, fortasse duplex, aut simplex, aut triplex-inæqualis effectus orietur, ob objectorum hanc Dispositionis Receptivæ varietatem. Et ita etiam Ignis seu Solis *virtus motiva* sine Calefactivâ recepta, potest etiam *Frigoris* esse Causa.

Quibus hoc vero improbabile videtur, fortasse hoc magis arridebit; *viz.* Motum Ignis (Solaris scilicet) a motu Aeris distinguendum esse; & Frigus fieri per cessationem motus Ignis, quamvis Aeris motus continuetur: Ubi Solis enim est absentia vel maximus recessus, ibi frigus esse maximum experientiâ satis notum est: Et sicut Sole recedente pariter *Lumen* ejus & *Calor* recedunt, ita & de *Motu* ejus dicendum est; Influxus enim sive emanationes sunt inseparabiles, quamvis earum *Receptio*, ut dicitur, sit diversa. Privationem igitur Influxus triplicis Solaris seu Ignis (*Motûs, Luminis* & *Caloris*,) motu Aeris continuato, Frigoris sensum efficere non est improbabile (sed de hisce priùs dictum est in elucidat. Tab. 4.)

67. Reverâ hæc omnia Dei opera nobis, utplurimum, arcana manent; quæ reverenter ad opificis Gloriam contemplari, & quantum tenebricosis & cæcutientibus nobis concessum est, investigare & licet & oportet: Et *de hisce aliquid sciri* non est negandum: At *aliquid rei* scire, ut dicitur, non est propriè *Rem ipsam* scire; & proh quantillum etiam doctissimis verè notum est? Verissimè autem à D. Paulo dicitur, 1 Cor. 8. 2. *Quod si quis videtur aliquid scire, nondum quicquam novit sicut oportet nosse.* Artificium suum nobis *aperire Deus noluit*; at operum suorum usum nobis largitur, & perfectiones suas in illis splendentes monstrando, se in illis mirandum & amandum exhibet: Ipsius quidem *sensationis natura & ratio* mortalium ingenio de cætero inscrutabilis est, præterquam quod sentiendo quid sit sentire percipimus, & naturam seu virtutem hanc à Deo creatam & sensitivis inditam esse, minimè dubitamus.

68. Quia sentiunt animæ brutorum, ideo de sensatione indignè plurimi philosophantur; quasi scilicet ex merâ materiæ texturâ & motu ejus vera ratio reddi posset; & effectûs incendii, aut explosæ bombardæ, aut motum horologii, aut sonum cytharæ harmonicum, sensationi assimilant, & ferè æquiparant: quasi ipsi, quanquam viventes & sentientes, quid sit aut vita aut sensus omninò nescirent. Animæ autem sensitivæ, etiam brutorum, sunt Dei creaturæ valdè nobiles, & ut alibi jam sæpe dixi, non nudæ qualitates, temperamenta, aut alia accidentia, sed verè Spiritus, & in corpore formæ substantiales; neque somniandum est eas morte omninò perituras; non annihilatur (quantum mortalibus constat) una materiæ atomus; nedum animæ sensitivæ nobilior substantia: Neque fingendum est eam in quid aliud transmutari; præcipuè ab illis qui etiam elementorum transmutationem negant: Nobis quidem ignotum est an post mortem maneant individuæ, an in unam aliquam animam sensitivam (formaliter aut eminenter) coincidant; & ad quem usum à Creatore post mortem applicentur: Quæ nosse nostrâ minimè interest.

69. Adeò non contemnenda est sensatio, ut consideratione dignum est, utrum ipsa *Intellectio* non sit aut eximia & sublimior quædam sensationis species, aut *eminenter sensatio.* Sentimus enim nos velle quæ volumus, imò & Intelligere quæ intelligimus, & *Velle* est Animæ rationalis actus; & *Velle* & *rationabiliter amare* & *appetere* sunt idem. Talis autem Amor vix nobis notus est, qui non est quædam sensatio. Et *Deus ipse* AMOR à Spiritu Sancto dicitur: Imò & *gaudere* sæpe dicitur in Sacris Literis: Anne verò animis humanis omninò inferius & indignum id æstimandum est, quod ipse Deus quamvis analogicè de Essentia sua prædicat? *Amor etiam* in actu primo est *Voluntatis Complacentia*, & *Complacentia* habet in sese quid *delectationis* seu voluptatis: Quis autem *delectationem* novit, quæ nullo modo sensationis particeps est? Quid, quod status noster cœlestis ut *Amor* & *gaudium* perfectum sempiternum in Evangelio per Christum sæpe describitur? Et ipsi *Angeli* de peccatorum conversione & salute *gaudere* dicuntur?

Imò

Imò & *ipse Deus*? An fallor igitur? an sicut *sensus vitam* in se continet, ita & *Intellectio sensum:* Non quasi *quid aliud*, aut ut *partem componentem*; sed ut natura inferior & vilior in superiore & nobiliore essentialiter continetur. *Sensatio* est *Nobilior* quædam *Vita: Intellectio* (& *Volitio* & activitas intellectualis) est nobilior quædam *sensatio.* Nec inde Animos humanos ad humilem brutorum statum dejicimus, (sicut neque animas sensitivas dejicimus, cum *vitales* seu *vegetativas* eas esse asserimus:) sed etiam eadem quæ in genere sentiendi conveniunt, specie tamen sensationis plurimum differre possunt: Sicut qui bruta Rationis participes esse asserunt, ea tamen ab anima rationali humanâ totâ specie differre minime diffitentur. Alium enim altiorem animæ humanæ habent finem (ipsum scilicet Deum amandum;) cui idoneas habent facultates & actus: Deum ratione suâ analogicâ non norunt bruta; Deum non amant, non laudant, non ei aut propriè obediunt, aut fidunt: Ita etiam & sensus nobiliores intellectivi sublimioris sunt *speciei* quàm brutorum sensus: Dei Leges intelligere, Dei Amorem delectabiliter sentire, & sperare possunt; & Deo placendo, eumque laudando summe gaudere: Hisce autem impares sunt brutorum sensus, quippe inferioribus & corporeis solum adaptati.

Sensus interni ab externis multum differunt: Phantasiam seu imaginationem, affectus & passiones omnes (admirationem, Amorem, gaudium, desiderium, spem, tristitiam, metum, Curas, &c.) à nemine ferè esse qualdam sensationes negatur: Quæritur igitur (sepositio objecto) an quoad ipsam rei naturam tantò majus est discrimen inter Intellectionem, aut Volitionem & sensus hosce internos, quàm inter sensus internos & externos, ut Intellectio & Volitio etiam quædam eminentes sensationis species vocari non possint?

70. Et reverâ ego nihil adeò vile aut contemnendum in sensatione percipio, unde animo intellectivo fiat opprobrium, si nobilis quædam sensationis species ei competere dicatur: Et fideles omnes ejusdem esse sententiæ auguror, cum divinorum, spiritualium, cœlestium sensum vegetiorem & sitire & à Deo fervide eos petere percipio. Et profectò nihil ab animæ meæ fælicitate decedere aut derogatum esse existimarem, si aut Angelum, aut cum Stephano aut Paulo cœlestia viderem, aut amore gaudioque cœlesti maximè sensibili, perfusus essem! Imò fælicitatem sine omni sensatione ego concipere non possum.

71. Male igitur omnem sensuum usum in rebus Divinis ut noxium aut inutilem, quidam se nescientes prohibent. Quasi sensus ipsi & nobis ex natura sua inimicos Creator optimus nobis indidisset! sicut non sine *Vita*, ita neque sine *sensu* Intellectiones, Volitiones & opera sancta peraguntur. Sentire quidem sine ratione bruti est, & sine fide & ratione sanctificata infidelis & impii est: Et sensibilibus sentiendo finaliter adhærere carnalis est. At per sensibilia ad Deum ascendere, & ex illis de cœlestibus magis sensibiliter cogitare, perfectiorum est: τῶν δὲ τελείων ἐστὶν ἡ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἔχόντων πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ, Heb. 5. 14.

72. Inania igitur sunt eorum Fratrum Phanaticorum Papistarum consilia, qui ad vitam perfectam & cultûs spiritualem sublimitatem pertinere existimant, ut sensus omnes occludamus, & insensibiliter contemplemur; Imò ut ipsos Intellectûs actus suspendamus, & in silentio merè passivi Dei gratiam expectemus: Cum malorum socordiâ quam belle hæc consilia conveniunt.

73 Neque sanè (ni fallor) à plurimis concluditur, animam rationalem morientis omnem sensum statim amittere: Et dum plures in homine animas fingunt, Rationalem solam supereresse, autumant: Et quia ad usus corporeos quidam sensus hic adaptantur, ideo morienti omnes sensus perituros asserunt; sentiendi autem potentia ipsius animæ essentia est: Et sensus externi mediatè, sensus autem interni immediatiùs ad ipsius Animæ bonum pertinentes, exercendi sunt: Neque plura principia, aut plures facultates sensitivæ, sed potius plura & diversa organa, objecta & usus, pluralitatis & diversitatis sensuum causæ æstimanda sunt. Et quanquam post mortem aut *gustûs* aut olfactûs (*e. g.*) nullus usus nobis notus est, non sequitur igitur omnem sensum inutilem futurum esse aut periturum. Quot & quanti

ipsius

ipsius Intellectûs ut formæ hominis, usus corporei & mundani citò desinent? Non inde tamen Intellectionem omnem cessaturam colligendum est.

74. Si damnatorum animæ omni sensu privatæ sunt, quinam & quales sunt gehennæ cruciatus? At si ipsarum sensatio est, non sequitur eam ab anima abesse merè quia à corpore separata est: Neque probari potest animas damnatorum à beatorum in ipsis naturalibus, in essentialibus tantum differre, ut sensatio hisce negata sit istarum propria: Et quare sensus Gaudii beatis tam congruus non sit, quam sensus doloris damnatis? Qui autem utrisque sensum omnem ante Resurrectionem denegant, cum Socinianis fortè, aut Sadducæis, non autem cum S. Scripturis concorditer loquuntur.

75. Quis autem ipsis dæmonibus damnatis sensum pœnæ omnem adimendum opinabitur? Anne isti etiam sine sensu cruciantur? Quis autem probabit malos Angelos istos naturæ aut consistentiæ esse, nostri tantò crassioris aut magis corporeæ, ut istis, non nobis autem sentire competat? Imò si (cum Psello & aliis) magis corporeos eos putaremus, non inde eos sensibiliores esse sequeretur.

76. Et fortasse qui Intellectionem & Volitionem, sensationem quandam eminentem seu speciei nobilioris esse existimat, faciliùs & fæliciùs quædam dubia de hisce solvet, quàm possunt contrasentientes; *viz. Quomodo Actus Intellectûs & Voluntatis nobis noti sunt*, & ita *Quomodo anima sui conscia est*, &c. Quæ de actibus *reflexis* de hisce vulgò dicuntur, mihi fateor nunquam bene fuisse intellecta: Quid enim ab actu reflexo percipitur? An actus *alius*, an ipse *reflexus*? si ipse *actus reflexus* per seipsum noscitur, tunc etiam dicendum esset omnem Intellectionem esse actum reflexum, & à se ita percipi: Quare enim actus unus se perciperet, & non alii? Et quid esset illa reflexio nisi sensatio, aut sensibilis sui-ipsius perceptio? Sin autem *actum priorem* per *actum* reflexum intellectum volunt, ubinam est iste prior actus? Actus præteritus nihil est, ideoque non percipitur: Ejus autem *Memoria* supereſt: Per actum autem reflexum non *Memoriam*, neque memoriâ recordata intelligunt: At sicut videndo percipimus nos videre, & appetendo percipimus nos appetere, ex ipsa sentiendi natura quæ seipsam semper percipit alia percipiendo; ita mihi videtur quod *Intelligendo* & *Volendo* percipimus nos *Intelligere* & *Velle*, ex ipsa actuum naturâ, sensatione quâdam eminente seipsos percipientium dum alia percipiunt.

De hisce plura jam dicta sunt Disp. sub cap. 7. de Intellectu.

77. Quibus hæc (non assertivè, sed conjecturaliter dicta) non placent, experientiâ tamen concedere ii cogentur, Animam seu facultatem Intellectivam cum sensitiva arctè adeò conjungi; ut per actum Intellectionis & Volitionis semper sensus quidam interni afficiuntur, aut cum eis semper cooperantur; & ut actus iidem à nobis percipiuntur.

78. Qui igitur actus Intellectuales rectè exercere vult, ut sensus etiam ejus interni rectè afficiantur & ordinentur necesse habent: Præcipuè si verum esset quod Gassendus opinatur, Intellectionem fieri percipiendo Phantasiæ solius ideas; & Phantasiam esse sensum internum à nemine ferè negatur.

79. Memoria videtur esse duplex, Intellectûs scilicet, & sensitiva: At ut distinctas eas quis exercendo in se percipit, non novi.

80. Habitus etiam moralēs in Intellectu, Voluntate, & facultate sensitivâ, Phantasiâ, memoriâ, appetitu, affectionibus, ita conjunctim inveniuntur, ut quomodo distinctè in utrisque subjiciuntur, experientiâ percipere vix possible est.

Cap. II.

III. Natura VEGETATIVA, *viz.* IGNEA conſideratur, vel I. Ut in ſe, II. Ut incorporata in mixtis.

I. Ut in ſe, { I. In SUBSTANTIÆ PURITATE, Quæ ſenſus fugiens per ſenſus non dignoſcitur. II. In FORMA ſeu VIRTUTE Eſſentiali; *viz.* 1. Motivâ, 2. Illuminativâ, 3. Calefactivâ. Quæ conſideratur, I. In ſe, ut eſt Potentia Activa, II. In Actu, III. In Actione; Deinde

II. Ut eſt Principium Activum in Animali, præcipuè in Homine (cæteris omiſſis:) Et hic,

- I. *Efficientibus* hiſce Paſſivè ſubeſt, { 1. Deo, Agente primo. 2. Menti (in Homine) 3. Animæ (in Animalibus) } { 1. In Motu. 2. In Regimine. 3. In uſu ad ſuos fines. }
- II. In ACTIONE conſideranda ſunt
  - I. Ipſa Actio: quæ eſt ſe communicare; *viz.* { 1. Ut Subſtantiam { 1. Movendo. 2. Illuminando. 3. Calefaciendo. } 2. Virtute; *viz.* }
  - II. Materia in quam; Paſſiva; 1. Aer, 2. Aqua, 3. Terra.
  - III. Ordo Agendi { 1. Quoad Materiam: Primò operatur in Aerem; 2. In Aquam; 3. In Terram. 2. Quoad Actionem { 1. Materiam tangit & accidentaliter afficit. 2. Materiam diſponendo aptum ſibi domicilium facit. 3. In materia adaptata operatur ad finem. }
- III. EFFECTUS in Animali: Qui quoad finem diſtinguuntur; ut ſunt

I. Propter Compoſitum (vel Suppoſitum) *viz.* NUTRITIO (1. Ad maturitatem, 2. Ad operationes, 3. Ad propagationem.)

Ubi { I. Alimentum ex Quo; *viz.* 1. Aer, 2. Potus, 3. Cibus craſſior. II. Operatio quæ; *viz.* 1. Materiæ agitatio; 2. Agitatæ analogica diſcretio; 3. Appetitus analogicus. III. Opus quod fit; *viz.*

I. Primarium; *viz.*
- 1. Generale { 1. Aggregatio; per Attractationem, & Retentionem amicam. 2. Concoctio; per Attenuationem & fermentationem & ſeparationem debitam. 3. Aſſimilatio; per Virtutem communicativam & unitivam.
- 2. Particulare: ubi obſervandum
  - I. Quid fit { 1. Ex alimento maſticato & ingeſto per animam & ſpiritus fit, Chylus, ſanguis, & Oleum nervorum. 2. Ex hiſce humoribus uberius fit pabulum ſpiritibus. 3. Ex humoribus per ſpiritus agitatis & perfectis, nutriuntur partes ſimilares & diſſimilares.
  - II. Quomodo; quo ordine, loco & quibus organis; *viz.*

1. In *Ventriculo* incipit *Chyloſis* (cooperante cerebro per ſpiritus & ſuccum nervorum maſculinum; nec non & inteſtinis operatione propriâ.)
2. In primis Inteſtinis, glandulis, ductibus thoracicis, & venis quibuſdam, Chyloſis perficitur, & ſanguificatio incipit (cum ſuccis quibuſdam ſociis.)
3. In Hepate, Liene, & Pulmonibus additur, Major colatura, fermentatio & rubor.
4. In venis, in corde, & arteriis, exaltatur adhuc per motum & aſſimilationem (ſanguis enim facit ſanguinem juvante ſucco maſculino;) & elaboratur ad majorem ſpirituoſitatem, & vitalem calorem.
5. In cerebro per ſpiritus Lucidos & animales, convertitur in Oleum ſpermaticum.
6. In nervis hoc Oleum motu, & aſſimilatione ex præexiſtente theſauro perficitur.
7. In partibus nutritis, per omnes cauſas præparatum nutrimentum aſſimilatur. Opificium autem hoc Divinum nobis plerumque incognitum eſt.

II. Secundarium; *viz.* Purificativum; Quod fit,

1. Inconvenientia repudiando.
2. Inutilia recepta ſegregando.
3. Noxia & inutilia expellendo: Ubi ſunt,

A
- 1. Expulsio specialis
  - 1. Regionis infimæ
    - 1. Ordinariò & naturaliter
      - 1. Per inteſtina, ſeu alvum.
      - 2. Per veſicam.
      - 3. Per uteri venas in fœminis.
    - 2. Præternaturaliter
      - 1. Per Vomitum.
      - 2. Per Hæmorrhoides.
      - 3. Per uterum & penem.
  - 2. Regionis Mediæ
    - 1. Per exſpirationem.
    - 2. Per Tuſſim.
    - 3. Per motum cordis ſe exonerantis per detruſionem ad partes viliores.
  - 3. Regionis ſupremæ
    - 1. Naturaliter
      - 1. Per Os vel Fauces.
      - 2. Per Nares.
      - 3. Per Inteſtina deorſum mediatè.
    - 2. Præternaturaliter
      - 1. Per Oculos.
      - 2. Per Aures.
      - 3. Per Cutim (ut tumoribus.)
- 2. Communior; Habitus Corporis & Vaſorum; per tranſpirationes & ſudores.

II. Propter ipſam Animam Vegetativam (in quantum enim unaquæque natura eſt Actuum ſuorum Principium, in tantum etiam eſt eorundem Finis; ſcilicet, non ultimus nec precipuus, ſed proximus & ſubordinatus;) *viz.*
1. In *Actione* naturæ ſuæ congruâ (*Virtus* enim eſt propter *Actum* & *Actionem.*)
2. In pulchritudinis ſuæ & præſtantiæ oſtentatione.
3. In exaltatione per unionem, & participationem cum naturis ſuperioribus, dum ipſis per actiones proprias ſubſervit.

III. Propter alia altiora; (Prima enim *Efficientia*, & *Optima*, ſunt *intentione Ultima*;) viz.
- I. Ad Intra
  1. Senſationes, (ſubſerviendo modo priùs deſcripto) ſpecificare.
  2. Menti ſervire, ſubſerviendo animæ ſenſitivæ.
- II. Ad Extra
  1. Ad aliorum Bonum
     1. Suppetias præbendo.
     2. Cooperatione in actionibus.
     3. Harmoniâ.
  2. Ad mundi continuationem, per ſpeciei propagationem.

In Generatione autem conſiderandæ ſunt Actiones hæ ſequentes,

II. Formativa: ubi conſideranda ſunt

I. Seminativa: ubi ſunt
1. *Seminis formatio*; eſt humor perfectiſſimus, ſpirituoſiſſimus ex oleo nervorum elaboratus (& *ſpiritibus*, *Anima unitur.*)
2. Seminum commixtio; per coitum: Dum maris ſemen in uterum injectum, inde citò in loca penitiora trahitur, & ſemini muliebri conjungitur (Uterus enim poſt coitum inanis invenitur.)
3. Seminum coalitio; quâ unum fiunt ſemen, integrum, prolificum, diſtinctæ animæ domicilii initium.

I. Partes Agentes
- 1. Univerſaliter; *viz.*
  1. Suprema: DEUS; ſine quo nihil eſt aut agitur.)
  2. Inferiores; *viz.*
     1. Sol.
     2. Forma propria Telluris (ignea.)
     3. Anima Vegetativa Matris.
- 2. Specificativè; *viz.*
  1. Deus (qui efficit & univerſaliter & ſpecificativè.)
  2. Anima in ſemine.

II. Partes Paſſivæ; *viz.* 1. Aer, 2. Aqua, 3. Terra, ut ſunt
1. In Semine.
2. In alimentis allatis.

III. Operatio; *viz.*
1. Operatio Operans; *viz.* Diffuſio ſpirituum
   1. Calidorum.
   2. Moventium
   3. Lucidorum.
2. Operatio Operata, cujus Ordo talis eſt
   1. Ex alimento in Semine *Spiritus* faciunt *humorem ſanguineum*, ipſorum vehiculum futurum.
   2. Ut Calidi & Activi faciunt *punctum ſaliens*, cor futurum.
   3. Per Motum & Calorem ſe diffundendo, *Vaſa* fabricant.
   4. Per Vaſa Spiritus Calidi-activi-lucidi ex materia ſpermatica puriſſima *cerebrum* ſimul & *oculos*, domicilii ſui Cameram & ſedem principalem faciunt.
   5. Deorſum per plura Vaſa ſe diffundendo, *hepar* faciunt.
   6. Et tandem gradatim *cætera viſcera*, & *partes continentes.*
   7. Et ultimò *Ventriculum* & *Abdomen* (Quia antea ſemen & uterus ſunt horum loco: Leg. Harvæum de Gen. Animal.

A B

III. Perfectiva

A | III Perfectiva { 1. In Retentione debita. 2. In Nutritione ad Augmentationem & Robur. 3. In Partu opportuno.

III. Ad supra { 1. In se, 2. In fructu, } Gloriam ostentare { 1. Activæ-Omnipotentiæ 2. Sapientiæ ordinantis 3. Bonitatis & Amoris } Divinæ.

Cap. XI. *Elucidationes.*

1. AN in rerum natura sit Spiritus aliquis *merè Vegetativus ab Igne* distinctus, mortalibus omninò ignotum est.

Qualitatem hujus substantiæ auctores Igneam esse dixerunt, &c. —Lumen aliquod substantiale animas habere haud improbè videmus advertere — Cassidor. de Anima, cap. 10.

2. Probabile mihi videtur Ignem esse Principium Vegetationis; 1. Quia efficacissimum & potentissimum influxum, Ignem Solarem habere, ad Vegetationem experientiâ quotidianâ satis habemus perspectum, unde Sol, mundi vegetabilis Vita, ab Ethnicis pene omnibus pro Deo (sub diversis nominibus) habitus est & cultus (de quo leg. Le Grand Gallum.) 2. Quia nulla videntur in vegetabilibus Phœnomena, quæ Ignis effectus esse non possint, aut quæ potentiam ejus effectivam transcendunt. 3. Quia Ignis effectus in omnibus vegetabilibus evidenter prostant; *e. g.* 1. In plantarum augmentatione apparet materiæ passivæ per *Ignem, Motus.* 2. In pluribus, pulchris, variegatisque coloribus, foliorum, scilicet, florum, & fructuum, videntur effectus naturæ *lucidæ.* 3. In plantarum odoribus, saporibus & operationibus medicinalibus, *Calor* se patefacit.

Imago Dei simplex est, & omnis compositionis expers, cum sit Ignis Natura. Concil. Nicæn. 1. juxta Pisan. in Binnio. To. 1. p. 332.

3. Sin aliter se res habeat, & Spiritus Vegetativus ab Igne distinctus supponendus sit (quod tamen probari non potest), Ignis saltem erit organum nobilissimum per quod Spiritus ille in Materiam passivam operatur; & nexus naturæ spiritualis & corporeæ.

Claud. Mammert. de statu Anim. Bib. Par. To. 4. p. 608.

4. Neque satis omnibus constat, utrum Ignis dicendus sit *substantia spiritualis*, an corporea? an natura inter utramque media (ut Patricius & alii Platonici loquuntur?)

Supremum in universo corporeo elementum Ignis dicitur. Hinc est quod etiam in corpore humano, principalem præ omnibus sensibus locum visus accepit: Ab interno scil. calore cordis & jecoris, igniculi quidam indefesse scintillantes, in cameram capitis, quasi in coelum nostri corporis, subvolant. Ex quibus radii per oculorum media profusi, ac lumini extero commixti, corporum in quæ inciderint repercusso, retroversum cedentes, eorundem colores, & formas hauriunt. Animadvertis igitur summum in elementis Ignem, pulcherrimam in coloribus lucem, præcipuum in sensibus visum: De Tactu verò dubitari non existimo, infimæ fæci elementorum, hoc est Terræ agi simillimum. Vid. pag. 612. ubi Angelos facit ex duplici substantia; scilicet Corporeâ, quæ est Ignis, & spirituali: Jul. C. Scaliger Exerc. 9. p. 41. Ignis non minus naturâ, quàm regionis terminis Coelo affinis est. Namque & lucis in seipso principia continet, & admodum mobilis est, & corruptibilium corporum purissimus: Et parum abest ab essentia formæ cujuspiam. Itaque pro forma vera fuisse acceptum ab Antiquis, ex Aristotele non uno loco potest colligi.

Id. Exercit. 365. n. 4. pag. 1070. Plutarchus ait Zoroastrem nuncupasse, summum Deum, *Lucem*; sane bene, Dominus enim noster Jesus sese appellat *Lucem*: Et in linguis Igneis descendit Spiritus Dei: Et in rubo Dei ardoris præbuit speciem. Et cum Pythagoras Deum ψύχωσιν, id est, Animationem nominavit, quid aliud quàm authorem Vitæ faciebat? Hæc autem & in Luce & à Calore constituitur ex sententia sapientum sic enim, ζωῦα, quæ vox affinis est fervori, ζεῖν veteres cognominârunt.

Ergo Trismegistus è Chaldæorum libris Ignem quoque Deum innuit. Quando Igni attribuit aliorum elementorum creationem, scribit ille sic [Aerem ex aqua factum per defecationem; cujus Author Ignis sit.]

Vita corporis susceptæ Animæ præsentia est: Mors autem ejus abscessus: sic diem dicimus lustrante Sole; qui cum discesserit, nox vocatur: Vivit ergo Corpus Animæ præsidio, & ex ipsa probatur accipere unde se prævalet movere. Cassiodor. de Anim. c. 5. Simplic. in Phys. Com. 51. inquit Ignem propter Agendi vim, magis respondere formæ quàm materiæ. Vid. Voss. de Orig. Idololat. l. 2. c. 63.

5 Obj. *Quod sensibile est, non est Spiritus: At Ignis est sensibilis:* Ergo. Resp. 1. Major probanda est, non concedenda. Quandoquidem omnium sobriorum consensu (præter somatistas) non *Corpus*, sed *-Anima sensitiva* in corpore sentit (ne nervi quidem spiritibus orbati, sed facultas sensitiva in spiritibus & nervis;) Quare igitur non potest *objectum* esse naturæ ejusdem cum *facultate*? Quare non possit natura seu anima sensitiva, in corpore, naturam eandem, saltem vegetativam incorporatam percipere? Sicut Anima Rationalis naturam Rationalem per-

cipere potest. Non tamen dico, Animam sensitivam in corpore, & per corpus, eandem Animam *extra Corpus* positam, percepturam ; sed tantum *quæro* de Anima Vegetativa in Corpore, & per Corpus ut Objecto ad Animam Sensitivam præsentato? Certè Anima Sensitiva in Oculis tantum non, se foris prodit; Et dum per vitream tantum fenestram prospicit, per tenue admodum velamen se ostendit, & Amicorum & Inimicorum Animæ per Oculos prope ad invicem accedunt, & tantum non immediatè conversantur.

6. 2. Ad minorem autem dico, Animæ incorporatæ, Ignis substantia, quâ substantia, non est sensibilis in se, & sine Corpore; Supponatur hic me cum doctis, non cum idiotis disputare, qui nihil dicunt Ignem præter flammam, aut materiam candentem visibilem : Ex *Effectis*, scilicet, nota est *Ignis Potentia*, (Quia nil facit quod facere non potest;) Et *Potentiam* illam esse *substantiæ alicujus*, & non *nihili potentiam*, per se notum est : *Substantiam* autem *Virtute Motivâ, Illuminativâ, Calefactivâ* præditam, *Ignem* voco. In Igne igitur est, 1. *Substantia*, 2. *Virtus triplex Formalis*. *Substantia* adeo pura est, ut ab Anima Sensitiva incorporata in se nuda, quâ substantia, non videatur, non gustetur, non sentiatur : An Animæ extra Corpus positæ substantia Ignis, quâ substantia, sit sensibilis; nos nescimus. Et *substantiæ* hujus *Virtus formalis*, quâ talis non nuda in se sentitur, sed in *Effectis*. A numine scilicet, *Ignis* ideo factus est (quoad nos) ut in corpora immediatissimè operetur : Et ita ut in *corporibus operans* sentiatur. 1. *Motus Ignis in effectis* continuò à nobis percipitur : Quæcunque ferè mota videmus, ab *Igne* moventur : Non autem videmus *nudum Ignem se moventem*, aut a se *Motum*, sed per *Ignem corpora mota*. De Sole tantum & Syderibus dubium restat, sed procul dubio Solem, nisi per Aerem, non videmus ; & an Sol *simplex Ignis* sit *sine Corpore* aut *Compositione* omninò nescimus. 2. *Ignis* quidem *Lumen* non tantum est *Visibile*, sed *primarium Visus Objectum:* At *Lumen nudum* sine *Corpore* nobis in Corpore nunquam visum est ; sed tantum *Lumen aeri incorporatum* ; Non per Aeris foramina, vel per globulorum cœlestium, & materiæ crassioris distantias, nudum & solum nobis transiens, & oculos feriens, sed Aere vestitum & mixtum nobis visum est. 3. Ignis item *sentimus Calorem :* Sed non solum aut nudum, sed aut Aere primò, aut materiâ aliquâ humidâ aut terrenâ secundariò incorporatum.

7 Obj. *At secundum Responsionem tuam ad Prop. majorem, Ignis etiam esset sensitivus, quia sensibilis. Resp.* Negatur : Quæro tantum, An omnis facultas sensitiva possit sensitiva etiam aut incorporata sentire ; & si ita, tum multo magis vegetativa: ubi supponitur Quæstio, An omnia *sensitiva* incorporata sint sensibilia? Non autem, An omnia sensibilia sint sensitiva ?

8. *Ignis* (materia) non tantùm subtilitate partium, & figurâ, & motu actuali, ad effectus suos perficiendos, est præditus : sed *Virtute formali*, quâ Naturaliter *Potens*, & *Inclinatus* est, *ad Movendum, Illuminandum, Calefaciendum :* Ita ut *non solus Deus* sit *Virtus Motiva*, & motùs omnis causa virtuosè efficiens, sed etiam *Natura Creata Activa* ; Quæ non alia ideo movet quia violenter ipsa mota, ea percutit (sicut Globus ligneus aut lapideus Globum alium percutiendo movet, dum ipse tantum violenter movetur, & ab extra :) sed intrinsecum principium naturale movendi, à Deo quibusdam donatur creaturis, per quod ad movendum æquè aptæ sunt, ac terrena ad quiescendum ; & inde motus *Naturalis* distinguitur à *Violento*.

9. Qui *Virtutem* hanc *Motivam Naturalem* in Mundo negant, *Naturam omnem Activam*, quæ est *Principium motûs* negant. At quales æstimandi sunt Philosophi Naturales, qui dum Naturæ mysteria nobis aperire præ se ferant, *ipsam Naturam*, aut partem ejus præstantissimam planè tollunt ?

10. Cum autem *Natura* dicitur *Principium motûs & quietis*, neque plena ejus definitio est, neque ad eandem Naturæ speciem applicanda. *Natura* scilicet *Activa*, est *Principium Motus*, (non tamen *solius motûs*, sed triplicis semper *Actionis* :) Et *Natura Corporea Passiva* est *Principium quietis*.

11. Totam suam Causam inevitabiliter somatistæ jugulant, dum necesse habent

bent *Potentiam*, *Virtutem* seu *Vim* in Deo ipso causâ primâ fateri; *Virtutem* scil. *Motivam* à *Motu ipso distinctam*, & ejus Causam, ideoque ordine naturæ antecedentem; si enim *talem Virtutem in Deo* non agnoscant, *unde Motus* est in rebus? Anne *Deum* facient *Corpus motum ab æterno*, idque sine potentia se movendi? At Cartesius, Gassendus & alii, Materiam à Deo primum suum motum accepisse fatentur. Quodcunque autem Deus facit, hoc facere potis est. Velint, nolint, igitur fateri coguntur, in *Deo* esse *Virtutem motivam* præter actualem Creatorum motum. Et quando talem Virtutem dari in Deo in confesso sit, quare quæso non *omnem entitatem*, *substantialitatem*, &c. *Deo propriam* fingunt, æquè ac *omnem potentiam motivam*? Quid aliud satagunt, quam ut Deum fingant esse *Unicum Intellectum Agentem*, & *Unicum Mundi Appetitum*, & totum Mundum esse inertem atomorum corporearum congeriem à Deo Animâ Mundi motam? Et quomodo asserere possunt creaturam aliquam habere *Potentiam sentiendi*, aut *Intelligendi*, aut *Volendi*, aut *Appetendi*, quæ nullam habet *Potentiam* se *movendi*: Hæc igitur opinio (nisi quod *Cartesius* excipit *Animum humanum*) vitam ipsam planè tollit, & Mundum mortificat, nisi quod Deum solum Mundi sensibilis, & vegetativi Vitam aut Animam facit. Quis autem sobrius hunc Mundum intuens, & in eo impressiones Divinæ Omnipotentiæ, Sapientiæ & Bonitatis, tamen credere potest, inter tot spectabiles & mirandas pulchritudines, Deum Creatorem ne minimum quidem aut *Vitæ* aut *Potentiæ Virtuosæ*, ad *Motum*, *sensum* aut *appetitum* creaturis ullis (aut saltem *exceptis mentibus*) indulsisse? Aut quis unquam credet, aut sagittam, aut lapidem aut globum projectum ideo *Vivere* quià *Movetur*? aut *Vitam* nil aliud esse quam *motum violentum*, ab extra tantum causatum sine principio virtuoso movendi naturali?

12. Nomen *Spiritûs Vegetabilis*, ut sumitur pro materiali in corpore humano, tria significat. 1. *Ignem ipsum* in composito (qui tamen nullibi separatus invenitur, sed *per Intellectum* separabilis est:) 2. *Ignem cum Aere Solo*, primò ejus recipiente; penitus tamen ei incorporatum: In duobus hisce sensibus *Spiritus* nunquam ab operatoribus hermeticis ad usum separantur & servantur: Ignis enim & Aer separati ab aliis, non arte ullà retinentur. 3. *Ignem cum Aere & humoris parte purissimâ*; & hi sunt *Spiritus* qui per chymicos extrahuntur, & ad usum reservantur.

13. Probabile igitur est operationes Chymicorum, per Ignis violentiam partes optimas, & utilissimas, & vegetabilium, & sæpe mineralium, dissipando & expellendo perdere, dum Ignem & Aerem elementa nobilissima dispellunt. Et nisi partes quasdam terrenas & noxias à cæteris separando aliquando proficerent, laborem ad medicinam plerumque noxium impenderent. Illa igitur est optima Chymicorum operatio, ubi partes noxiæ separantur, sine Spirituum & partium utiliorum dispendio.

14. Ignis Solaris ejusdem naturæ est cum Igne Culinari. Ignis enim omnis est ejusdem substantiæ & Virtutis, sæpe descriptæ: Sicut Solis Radii, vel effluvia, vel substantia secundaria ad Telluris omnem superficiem pertingit, & omnia vegetabilia vivificat, ita & in Telluris penetralia eandem penetrare, aut saltem, Ignem ejusdem naturæ Deum terrenis omnibus immiscuisse, plus quam probabile est. Et experientiâ sumus edocti Ignem etiam Culinarem ad vegetationem sæpe plurimum prodesse (ut in pullorum generatione, & generatorum fotu, *&c.*)

15. Ignis omnia permeans est quasi Telluris totius Anima, id est, Principium omnis Motus, Luminis, & Caloris in omnibus, eorundemque effectuum.

16. Probabile est Ignem modo intimiore se immiscuisse Telluris visceribus, & modo præstantiore ibi operari, quam in luto & lapidibus extrinsecis; sicut Anima aliter operatur in Animalis visceribus, quam in unguibus & crinibus.

17. Aliter item se conjungit Ignis in Generatione cum materia passivâ, & in ea modo nobiliore operatur quam fuit, & operatus est in illa materia ante generationem: Et cessante hâc intimâ & speciali communicatione & operatione, id est, *Vitâ*, non tamen *totaliter* à materia corporeâ *Ignis* separatur; sed manet in ea sicut ante generationem; & capacem eam reddit alterius formæ viventis per secundam generationem.

18. *Natura Vegetativa* non est *primum*, nedum *solum* Generandi *principium* in Animalibus; sed *Natura Sensitiva* est primum principium in brutis. 1. Deus enim *Animalibus* benedicendo dixit, *Crescite* & *Multiplicamini*; 2. Non minùs saltem potens & apta est *Natura Sensitiva* ad sui communicationem, & ad *Sensitiva propaganda*, quàm *Natura Vegetativa* ad propaganda vegetabilia. 3. Aliter dicendum esset, *Naturam Sensitivam*, quâ talem, non *generari*, sed *creari* tantum, aut per *Naturam Vegetativam* ignobiliorem generari.

19. Ex iisdem rationibus concludendum est, *Naturam Intellectiva m*nobilissimam, id est, propriè *humanam*, esse *Principium* primum in *Hominis* Generatione; & non Naturam aliquam inferiorem.

20. Homo generat hominem: Corpus solum non est homo: Anima Sensitiva sola cum Corpore non est homo: Forma denominat: Ergo forma generatur; scilicet non tantum forma *Relativa* quæ est Unio & Ordo partium; sed *Forma Substantialis*, quæ est Pars ipsa nobilissima prædominans.

21. Generare non est tantùm materiam Passivam ad Animi receptionem disponere: Anima quippe Sensitiva in brutis non tantum materiam disponit, sed & Animam ipsam generat.

22. Si homo generaret solum *Corpus cum Anima Vegetativâ*, minus faceret quam bruta, utpote quæ *Animam Sensitivam* generant.

23. Nisi Hominis *plures sint Animæ*, aut *Homo* generat *Intellectualem*, aut non generat *Sensitivam*.

24. Sin autem *plures sint Animæ humanæ*, qui generant Sensitivam & non rationalem, non *hominem*, sed *bestiam* generant: Neque ullâ ratione constat unam, *viz.* sensitivam generari, alteram verò, scilicet rationalem non generari: Et argumenta ferè omnia quæ militant adversus generationem Animæ Rationalis, æquè valent etiam adversus generationem Animæ Sensitivæ.

25. Si Anima Sensitiva foret materia merè passiva, non poterat esse Principium primum intrinsecum Activum in generando. Materia passiva etenim tantum *Recipit*, & non *Agit*, nisi ut violenter, seu præter naturam Acta: (de motu gravitationis jam non disputo:) Sin autem sit forma vel *principium Activum*, se generare ideo potest *Anima Rationalis*, quæ principium activum nobilius est, multò magis, aut æquè saltem, generare potest.

26. *Modus* quo *Naturæ Activæ* se communicant, & in generatione *individua multiplicant*, captum mortalium longe superat. Nescimus scilicet vel quomodo lucerna una mille-millenas accendere potest sine minimâ sui diminutione aut divisione. Nescimus quomodo Sol se terrenis per totum hunc orbem, sine dispendio suæ substantiæ, aut novâ Creatione, quotidie communicat: Et quomodo in unaquâque vegetabilium & animalium specie, natura seminalis in primo individuo se ad innumerabilia individua sine diminutione itidem communicat. Non autem neganda est *res* experientiâ & testimonio Divino comprobata, quia *modum* ejus aut nescimus, aut explicare non valemus.

27. Generare non est substantiam spiritualem aut Activam, è Passivarum potentia educere; sed est substantiam Spiritualem aut Activam, se Passivis elementis intimè communicando, novas formas & individua procreare.

28. Animæ igitur Virtualiter tantum præfuere, in Potentia Animarum generantium; Non autem *præexistunt*; neque virtualiter præsunt in potentia Materiæ passivæ.

29. Ignis generat Ignem, id est, ut formam vegetativam individui; Anima generat Animam (Sensitivam,) Mens generat Mentem: Corpora autem neque Mentes generant, neque Animas, neque Ignem, neque sese; quia activa & communicativa non sunt, sed receptiva tantum. Neque plus materiæ passivæ jam mundo inest, quam fuit ab initio, aut saltem ante actum generantium.

30. Utrum autem dicendum sit, Majorem Ignis vegetativæ quantitatem jam in mundo existere, quàm fuit ab initio, & per quotidianam plantarum generationem incrementum accipere; aut potiùs eandem quantitatem quæ primò creata fuit, durare, & per vices diuersa individua constituere, (quod probabilius videtur) vel denique,

denique, nova effluvia à *Sole* quotidiè promanare & perire; ingenium mortalium pro certo determinare minimè valet.

31. Idem ferè de Animarum Sensitivarum substantiis dicendum est: Quod omnes suæ inscitiæ conscii fatebuntur.

32. De Animarum autem *Intellectualium* substantiâ res aliter se habet. 1. Quia *Natura* seu *Anima nulla Universalis*, aut totius mundi, aut unius Systematis seu Globi, à Deo facta est, unde *Animæ singulares* suam *individuationem acciperent*. 2. Quia cum *Natura Intellectualis sit Deo proxima, immediatè substantiam* suam, & existentiam à Deo ipso, non autem ab Intellectu aliquo creato intermedio recipit: At hoc notabilissimo discrimine; quod Deus à creaturis infinitè distans, sui-ipsius Essentiam non ipsis communicat, neque sicut finitæ, impotentes, & steriles creaturæ, se passivis aut aliis immiscet; sed modus ejus productionis ad extra est per *Creationem*: Novos etenim Deos, exoriri impossibile est; & Deum generare aut producere Deum alterum, est contradictio. Productiones igitur ejus necessariò sunt æquivocæ, & non univocæ; At quodcunque in Deo est, est Deus: Si igitur Deus se nobis substantialiter communicaret, Deos etiam nos faceret, quod impossibile est. *Deus* igitur *à se immediatè substantiam novam Mentibus generandis & multiplicandis in opere generationis communicat*, per modum *talis emanationis*: quæ eadem sit quæ *continua Creatio*.

33. Animorum igitur propagatio dici potest, esse & per *Generationem* & per *Creationem*; aut quasi modo quodam ex utrisque conjunctis denominando. Idemque dicendum est de propagatione *Animarum Sensitivarum* nisi quod incertum est, *an Deus Animæ alicujus Universalis mediatione utatur*. Totius etenim Creaturæ sustentatio, est per *continuam quasi Creationem*, seu *essentiæ & existentiæ efficacem causationem*. Existentia enim semel creata cito deficeret, cessante *Causatione*, & *causatio continuata* ad *effectum continuatum* necessaria est. At *Causatio* hæc non quoad naturam *Causationis* seu *Influxus*, à *Creatione* differt, sed tantum relativè quoad terminum à quo; Quoniam est *à Nihilo ad aliquid* ideo Creàtio dicitur. Si igitur continua essentiæ & existentiæ causatio à Deo necessaria est, ad mundi totius continuationem, quæ reverâ est in se ejusdem generis cujus est Creatio, fateamur quæso nos non esse Deos, neque in nostri ipsius continuatione, neque in aliorum procreatione. Fateamur quoque omnem Generationem etiam brutorum esse principaliter per operationem Divinam productivam; Fateamur tandem nos discrimen Divinæ Causationis in *Creando*, *Continuando*, & *Generando* adeo nescire, ut fundamentum litium aut talium conclusionum, quæ sæpe in hac controversiâ inferuntur, nemo modestus illud facere debeat.

34. Certissimum autem est Deum *Animarum*, & *Sensitivarum*, & *Intellectivarum potentiis uti* ut *instrumentis* suis in opere *Generationis*; quamvis omnis *substantia*, & *Virtus generata* sit primitùs ab ipso Deo: Et per hoc *procreatio* differt à propriâ *Creatione*.

35. Semen primò generatur; & ex seminibus maris & fœminæ conjunctis homo.

36. Deus est Causa Universalis totius Naturæ generatæ; & Causa etiam specialis prima.

37. Sol est Causa Universalis, Naturæ saltem Vegetativæ, Instrumentalis scilicet sub Deo: An autem Naturæ Sensitivæ etiam, ignotum est.

38. Parentes sunt Causæ speciales.

39. Semen utriusque Parentis seorsim est Animatum, sed non est Animal. Animâ scilicet tantum Parentis, non adhuc aliâ animatur: Pars enim Parentis est.

40. In semine humano sunt, 1. Trium elementorum passivorum flores: præcipuè verò Aeris plurimum; at speciali operatione, per concoctionem perfectissimam ita præparata sunt omnia, ut dispositionem peculiarem obtinent ad Ignem vegetativum recipiendum retinendum & fovendum. 2. Ignis in hoc peculiari suo vehiculo modo speciali hospitatus: Unde sperma maximè spirituosum est. 3. Anima Parentis (quâ Sensitiva & Rationalis) in Igneo suo vehiculo modo item peculiari hospitata. Ita ut principia omnia & Activa & Passiva semen constituant.

41. Sicut Animæ primum opus Generativum est semen ita fabricare ut peculiariter

liariter disposítum & aptum fiat vehiculum in quo postmodum habitet & operetur; Ita etiam intimiùs & arctiùs semini unita est, quàm sanguini & cæteris humoribus & spiritibus.

42. Cum semen Paternum separatum transit in uterum, ita *animatum* transit, sicut antea fuit in corpore Paterno: Non magis enim transeundo emoritur quàm sanguis transeundo è venis in arterias.

43. Per separationem hanc Anima Patris non magis partita aut divisa est, quàm Anima Matris tempore conceptionis & partûs; aut Lucerna per alterius lucernæ accensionem.

44. Non tamen per hanc separationem semen Paternum fit statim animal; magis quàm fomes igniarius jam accensus ut per eum lucerna accendatur, fit illa lucerna.

45. Obj. *Si semen Animatum est, cum perditur, Anima humana perditur: Et cum transit in uterum, anima humana illuc transit; & si fiat conceptio, duæ Animæ fiunt una: sin aliter, iterum Anima perit: Quomodo autem est Anima perdita immortalis?*

Resp. Fatemur hanc objectionem maximam rei difficultatem attingere. At probè considerandum est, 1. Difficultatem oriri, ex inscitia mortalium circa substantias spirituales, & circa opus Generationis, de quibus caligine inevitabili impediti perexiguum perspectum habemus: Et ex ignotis contra nota non est disputandum. 2. Ad quæstionem hanc difficilem, *Quo vadit Anima seminis deperditi? ex diversis hypothesibus diversimodè respondetur?*

1. Quorundam hypothesis est, (Quæ est Veritas certissima) *Animas* omnes, ut & omnia, à Dei effluxu quasi creativo dependere, scilicet, in fieri, ab effluxu primo producente; & in facto esse ab effluxu continuante, conservante; Quorum prior dat esse in primò instanti, & alter dat esse continuatum; Effluxus autem Divinus idem est ac in primâ rerum creatione; nisi quod creaturâ ut instrumento quodam utitur, in quibusdam productionibus, (quod itidem feciſſe in quorundam creatione, maximè probabile est.) Ubi autem Instrumentis utitur, non modo iis utitur humano, (*e. g.* sicut non manus mea, sed calamus literas immediatè pingit & attingit:) Deus enim non minùs effectui vel rei productæ proximus est, quàm si nullo usus esset instrumento. In generatione igitur *totum esse generatum* à Deo *proximè*, quamvis *non solo* provenit: Juxta Legem scilicet ab ipso Mundi libero conditore stabilitam; ubi effluxum suum productivum principiis activis modo debito disposítis, *se ordinariò* concessurum, ut *Naturæ fontem*, decrevit: Lex autem ejus de Generatione hæc est, *Actionibus* principiorum *seminativis*, se effluxum suum conjuncturum, ad *semen* in tantum vivificandum seu animandum, quantum ad *perfectionem seminis* necesse est; non autem quantum ad *animal* perficiendum: Actionibus autem Parentum *procreativis*, & seminibus conjunctis, & in naturæ seminarium receptis, se effluxum etiam suum concessurum, quantum ad *Animam humanam* & *hominem* faciendum necesse est. Et ita respondetur, Quamvis *semen* deperditum non fuit omninò *inanimatum*, non tamen fuit aut *Homo*, aut *Animal*, aut *perfectè*, sed tantum *præparativè Animatum*. Perit autem per modum annihilationis, sed naturalis; Quia cessat secundum Leges Naturæ *Divinus effluxus*, *cessante Entis creati dispositione receptivâ*; Ideoque necessariò cessat effectus.

2. Et sub hâc hypothesi secunda difficultas venit consideranda; *viz. Utrum Animarum sit quoddam quasi semen, vel gradus adeò imperfectus, ut non magis dici possit, Anima univoce, quàm semen Homo?* Quidam putant *Spirituum*, seu *Naturæ Animalis*, nullum esse *incrementum*, vel quoad *esse in fieri*, vel quoad *substantiæ* vel *Virtutis* gradum; sed Spirituum naturam esse ab initio perfectam; quia augentur tantum *composita*, per partium additamenta. Alii verò dicunt, Spiritus quidem non augeri per partium additionem, at novos tamen recipere & *substantiæ* & *Virtutis* gradus. Et sicut *semen* non est *Homo*, vel *Corpus humanum*, ita *gradus ille* Naturæ Animalis qui in semine est, non est propriè *Anima*, sed *Animæ* quasi *semen*. Quia enim *Animæ multiplicantur*, hi putant non magis esse Naturæ

Animalis

Animalis indignum, recipere *novos gradus substantiæ* & *virtutis* in eodem individuo, quàm *nova individua* quotidiè producta esse: *Plus* enim & *Substantiæ & Virtutis* esse *in omnibus animabus ab Adamo & Evâ generatis*, quàm fuit in *duâbus ipsorum animâbus:* Et sicut ex una lucerna plures per accensionem fieri possunt, ita & *una major* fieri possibile est. Qui hanc verò hypothesin sustinent, dicunt *Non Animam perire, sed semen Animæ*, seu impediri Divinum influxum ne Anima in fieri, sit Anima reverâ in facto esse; & ne scintilla fiat lucerna, & semen fiat vel Homo, vel Anima. Prioris autem hypotheseos defensores respondent, cessante vel impedito Divino influxu productivo (vel quasi creativo) per indispositionem recipientis, cessare etiam *Animam veram seminis*, non autem *Animam hominis.*

3. *Controversia* item alia non minimæ difficultatis, hic se interponit; scilicet, *Quid Animas individuat?* vel *quomodo Animarum dignoscitur individuatio?* Quidam enim dicunt, Animam neque esse in loco, neque per membrorum corporis distantiam fieri partitam aut multiplicatam: Ideoque ad difficultatem respondent, Animam seminis perditi, in uterum nondum recepti esse *Animam Patris*, & ab *Anima Patris* nunquam separatam fuisse, quamvis seminis corpus à corpore separetur; sicut Sol, qui quoad centrum, est in Cœlo, quoad radios substantiales, ad innumera inferiora extenditur sine partitione, & Lucernæ radii per totum cameræ spatium sine divisione se extendunt; & in speculum rerum imagines seu species imprimunt, quæ remoto speculo disparent sine ullâ substantiæ aut Virtutis luminaris diminutione. Impropriè enim dicitur, *Quod Anima est in Corpore, aut Corpus in Anima*; sed *Anima ita Corpori unita est*, sicut Ignis unctuoso Corpori lucernæ, qui tamen suis radiis per spatium multò largius se extendit. Et ita judicandum est de Anima Patris, quoad semen; quæ se extendit ad seminis Corpus dum vivit; cum autem materia ineptum fit receptaculum, se retrahit, sicut lumen per opaci interpositionem. Et quæritur à dubitante, non tantùm quid fit de *Anima vivificante membrum integrale excisum*, sed & *membrum essentiale*; viz. si *Caput* decollati per spatium plurimarum ulnarum rapiatur, antequam moriatur, utrum *Anima* nondum aut à capitè, aut à trunco, & corde separata, sit una eademque Anima, an plures, an nulla? Imò possibile est per Divinam potentiam caput nondum mortuum, per plurium milliarium spatium forè direptum: sin autem ante mortem capitis, & trunci aut cordis, separatorum eadem adhuc indivisa manet anima; quidni semen etiam separatum Paternâ Animâ indivisâ animatum esse judicandum sit? & cum perit semen, Animam ejus retrahere communicationem: Sin autem quæras, An spatium etiam Aeris intermedium replet? & utrum in matrice etiam in semine recepto sit Anima Patris? respondeo, 1. Sicut Christus Sadducæis, *Erras Scripturas nesciens & Potentiam Divinam*, addo, & *Naturam Animarum. Animæ* scilicet non *spatio* distinguuntur, sed *individuatione ineffabili Spirituali*; & ibi sunt ubi animaliter operantur: Non operantur autem in Aerem interpositum, sed in *Patre* ut in *Centro*, & in *semine secundariò.* 2. Et quando uniuntur semen *Paternum* & *Maternum*, per conceptionem, (quod fit per paucarum horarum spatium) tunc fit novi individui plenior originatio: At Anima jam individua est tantum in fieri, nondum à *fonte* (*Parentum Animis*) (maternâ saltem) planè separata; sed sicut lucerna, cujus accensio tantum incepta est, si subito à lucerna accendente amoveatur, non accenditur; sed flamma incipiens ad accendentem visibiliter revertitur; vel sicut fructus arboreus nondum maturus, habet quidem Animam *vegetativam*, *partim* (id est, *immaturè*) *individuam*, partim autem adhuc *eadem* cum Anima ipsius arboris; Ita Anima *seminis* statim post conceptionem, est individua *immaturè* vel in *fieri*; & si mulier abortiret, Anima conceptus abortivi nondum plane separata ab Anima Materna, operationes suas retraheret, & Matris sola maneret. Quot autem dierum spatio Anima seminis constituit distinctum Animal, vix accuratè potest definiri.

Obj. *At ita Anima Patris in semine Paterno, in utero fieret Anima Matris: Anne enim ad Patrem retrahitur an ad Matrem per abortionem?*

Resp. Minutula hæc obscura rem claram, dubiam reddere non debent: Non omninò

omninò incommodum videtur asserere jam totam forè Animam *Maternam*, magis quam unam flammulam fieri ex duabus: Neque enim Anima Patris ex hoc diminuitur, neque dividitur, neque Anima Matris augetur; (sicuti neque fit ex vivis devoratis aut novâ inventione transfundendi sanguinem ex uno corpore in aliud.) Neque ex hoc fit Anima una ex duabus composita: Quia ubi non sunt partes, nec divisibilitas, ibi neque est ex partibus compositio.

Hæc igitur responsio rem totam mihi absolvere videtur, sine suspicione justâ perituræ alicujus Animæ.

4. Sunt etiam qui putant quandam esse Animam universalem, aut universitatis, aut hujus Solaris systematis, ex quâ fiunt omnes Animæ particulares, sicut Lucernæ per contractionem Ignis Aeris prius dilati: Et hi respondent Animam seminis reverti in animam hanc universalem; sicut Candelæ extinctæ Ignis in tenuiorem dilatum communem Ignem, à quo nunquam separatus fuit. At hoc non probatur.

5. Sunt etiam qui opinantur, *Animam unam esse universalem* (hujus Systematis saltem) *Sensitivam*: Et hanc esse quasi *Materiam Spiritualem* Animarum omnium & Sensitivarum & Rationalium: Deum autem, ut principium Naturæ cum generantibus concurrendo, non novam *Substantiam*, seu *Materiam Metaphysicam* addere, sed novam *formalem Virtutem Intellectivam*; & ita *speciem* mutando, Animam *Sensitivam* in *Rationalem* vertere; Virtutem autem hanc fieri *non Accidens*, sed *Animæ rationalis formam*: Et hi respondent, Deum ab Anima seminis pereuntis in fieri, subtrahere (cessante recipientis capacitate receptivâ) non influxum ad *Substantiam* quâ talem, sed *influxum ad virtutem*; & ita *Virtute formali* tantum *interceptâ* aut *pereunte*, Animam in *Sensitivam Communem* relabi: At hoc etiam minimè probatur.

6. Nec desunt qui autumant *Ignem Æthereum* esse quasi *Materiam omnium Animarum* & *Spirituum*; & sicut ex materia una *passivâ corporeâ* fiunt tria Elementa, *Aer*, *Aqua*, & *Terrâ*; ita *ex Substantiâ unâ Activâ Igneâ Æthereâ*, fieri tres species *Animarum* seu *Spirituum* non *novæ Substantiæ* additione, neque tamen *accidentium* tantum; sed quod ex triplici Virtute formali discriminantur; & ita *Ignis* vel *Spiritus*, est, 1. Vel Vegetativus, 2. Vel etiam Sensitivus, 3. Vel porrò Intellectivus. Et hi respondent, Animam (sicut putasse Aristotelem à pluribus judicatur) esse primò tantum actu *Vegetativam*, & *Potentiâ Sensitivam*, deinde *Actu Sensitivam* & *Potentiâ Intellectivam*; & denique *Actu Intellectivam* quamvis ab Anima Intellectiva generatam; Quia scilicet Influxus Divinus cum Anima generante non concurrit, ad Virtutes formales differentes introducendas, nisi hisce gradibus, & in Materiam Spiritualem (ut vocant) præparatam. Et ita non *Animam seminis rationalem* perituram, sed tantum aut *Vegetativam*, aut *Sensitivam* in communem *Animarum Substantiam* reverti: Quando autem *ultimam formam*, seu *Virtutem* à Deo recipit, & fit *Intellectiva*, tunc, aiunt, eâ nunquam postea orbatam esse. At hoc etiam, non probatum est.

Obiter autem notandum est quod si probaretur *Omnem Animam esse Ignem* (sicut *Patres* plurimi, præcipuè Græci, per annos à Christo 300, si non 400 putasse videntur) non tamen sequeretur *omnem Ignem esse Animam*; nedum *Animam rationalem*: sed tantum *omnem Ignem ejusdem Naturæ & Virtutis* esse, cujus Anima Vegetativa est. At sicut Ignis in Aere non est *lucerna*, donec materiæ seu pabulo idoneò conjunctus, per contractionem fortiùs operetur; Ita & *Ignis* non esset *actualiter Anima Vegetativa*, donec in *fomite adaptato* ad *Vegetationem* sit receptus: Multò minùs esset *Anima Sensitiva*, *aut Rationalis*, donec per *Influxum Divinum* virtutes hasce formales reciperet.

At fateor ipsam hypothesin mihi non tantùm non probatam, sed non probabilem videri: Quia rationi magis congruum est, in re obscura opinari, Deum à *Natura nobilissimâ influxum suum Creativum & productivum incipere*; & per *hanc Naturam* producere *inferiora*; quàm ab *infimis incipiendo*, ad *præstantiora* pergere, & infima in *Naturas sublimiores* exaltare; (nisi fortè circulariter res agatur:) Quamvis opera humana contra ab imis ad perfectionem tendunt.

7. Sunt

7. Sunt denique qui cum Origine opinantur, *Animas omnes humanas ab initio* individuas creatas esse, & corporibus suis individuas præexstitisse: Et hi respondent, Animas nullas perituras, sed in statum separationis individuas redituras: Semen autem animatum esse Animâ humanâ plerumque negant.

44. Difficultati huic maximæ eò prolixiorem & variam adaptavi solutionem, ut dum tot modis Animæ Immortalitatem defendi posse clarè pateat, ansa omnis de eâ dubitandi præscindatur. Et profectò inter tot & tantas obscuritates, nemo sobrius rem claram, certam & necessariam negabit, quia obscura non capit; præcipuè quando ipsa etiam obscura clariori testimonium suum præberè videntur.

45. Obj. *At per responsionem ex prima hypothesi, uniuscujusque etiam Animæ Immortalitatem & durationem suspectam reddis: Quandocunque materia receptiva incapax est, cessante effluxûs Divini receptione, cessabit effectus, scilicet anima, & ita naturaliter annihilata fuerit.*

Resp. 1. At *Anima humana* jam facta, est ipsa naturaliter *subjectum capax* Influxûs Divini; Ideoque non ex ordine Naturæ eam cessaturam opinandum est. 2. Animam autem nullam *necessariò Immortalem* esse, nisi supposito conservante effluxu Divino, & dependenter ex ipsius volûntate, fatentur omnes Christiani; & nimium ferè probavit Arnobius cum aliis veteribus contra Platonicos; Nihil enim omninò diutiùs duraturum est, quàm Divinâ fruatur conservatione. 3. At Voluntas Dei de Animæ duratione tripliciter declaratur; 1. *Probabiliter*, ex *Substantiæ Puritate*; Quod enim Naturâ suâ ad dissolutionem non *tendit*, ut dissolvatur non intendi à Creatore probabile est. 2. At certiùs ex *Virtutis formalis Naturâ*, quæ ad *superna* & *æterna adaptata* est; & non frustra à Creatore facta 3. At certissime ex sacrarum literarum revelatione, *ubi vita & Immortalitas in lucem clariùs proferuntur.*

Cap. XII. *De Regni Naturæ constitutione, Passivè: ubi de DEI & Hominis Relationibus ad invicem.*

De partibus Regni Naturæ constitutivis, & etiam de Constitutione Activa, jam dictum est: Dicendum restat de statu Regni constituti, vel constitutione passivâ Formali: Quæ consistit in *Relationibus Dei ad Creaturas*, & *Creaturarum* (*Hominis* præcipuè) ad *Deum* (& ad invicem:) Quæ ex Creatione, & Naturâ Divinâ, & Humanâ comparatis, resultatione nudâ oriuntur.

I. DEUS HOMINUM CREATOR est inde eorum α
- I. DOMINUS seu Proprietarius: cujus jus est
  - 1. Habendi
  - 2. Utendi
  - 3. Disponendi
  - } sua absolutè ad libitum
  - } Ad Voluntatis suæ complacentiam ut finem ultimum. (ACTOREM in Domino comprehendo.)
- II. RECTOR Supremus: cujus est
  - 1. Intellectum docendo informare
  - 2. Voluntatem (& Actiones) regere Legibus
    - 1. Authoritativè Imperando
      - 1. De Agendis, per præcepta.
      - 2. De non-Agendis, per prohibitiones.
    - 2. Finaliter movendo
      - 1. Præmia promittendo.
      - 2. Pœnas minando.
  - 3. Secundum Relationes & Leges exequi
    - 1. Protegendo
    - 2. Præmiando
    - 3. Puniendo
    - } 1. Per Judicium (ubi lis decidenda.)
    - } 2. Per sententiæ executionem.
- III. BENEFACTOR & FINIS ultimus: AMOR seu Amicus
  - 1. Qui Benefecit.
  - 2. Qui Benefacit.
  - 3. Qui Benefacturus est
  - } Et ultimatè AMANDUS PROPTER SE ω.

Homo ad Deum est

I. SUUS cujus est
1. Seipsum Deo absolutè dedere vel resignare.
2. Voluntati & Operi Divino se totaliter devovere.
3. In dispositionibus & operibus Dei placidè acquiescere.

II. SUBDITUS cujus est
1. Ut Discipulus: Attendere diligenter. Discere libenter. Credere humiliter.
2. Ut Regendus:
1. Præceptis obedire.
2. Pœnas timere.
3. Promissionibus fidem habere: id est
1. Promittenti credere.
2. Promissa sperare.
3. Promissorem amare.
3. Consequenter: ut obediens, præmia gratè accipere, & ut inobediens, pœnas ferre.

III. BENEFICIARIUS; AMATOR cujus est
1. Omnipotentissimum
2. Sapientissimum
3. Optimum
Patrem Filium Spiritum Sanctum
1. Efficientem, ex Quo
2. Dirigentem, per Quem
3. Finem; ad Quem
Authorem: Naturæ Gratiæ Gloriæ
Totum Totaliter Constanter
AMARE videlicet.

1. Ut Fontem ex quo
1. Gratè Recipiendo.
2. Gratè Agnoscendo.
3. Gratè Referendo in operibus.

2. Ut Dirigentem per quem
1. Media ordinata quâ talia, Amando.
2. Media optima eligendo.
3. Mediis electis fideliter utendo.

3. Ut Finem ad quem
1. Amantèr Velle desiderio.
2. Amantèr Intendendo quærere.
3. Gaudio fruendo-perfectè-Amare.

Quæ omnia summatim continentur in nominibus Relativis PATRIS & FILII. *v.*

Tantum de Relationibus constitutivis *Essentialibus:* sequuntur Integrales & Accidentales.

II. Relationes Integrales sunt Hominis ad Hominem; *viz.*
I. Imparium:
1. In statu Oeconomico
2. In statu Civili
3. In statu Ecclesiastico
Et Relationes mixtæ & subordinatæ. (*Qy.* An Relatio ad Angelos; ut Dei Oeconomos huc pertineat?)
II. Pariurn: Proximorum: 1. Ejusdem Naturæ, 2. Habitationis, 3. Operis.

III. Relationes Accidentales; sunt
1. Ad *utensilia & possessiones,*
1. Ad Animata
1. Sensitiva: Bruta:
2. Vegetabilia:
2. Ad inanimata fundum, marè, mineralia, *&c.*
Quibus omnibus Homo est
1. Sub-dominus.
2. Sub-gubernator.
3. Sub-benefactor & Finis.
2. Ad Hostes: Dæmones.
3. Ad Amicos: cœlites, Angelos; ut adjutores, benefactores, & ministros Dei eximios.

N. B. Brevitatis causâ sub *Dominio* Dei, ejus ACTIONEM seu Motionem Physicam includo: & fateor hic distinguendi opus ita accuratiùs procedere, *viz.*

DEUS Refertur ad Hominem ut
I. In Esse; & ita est
1. Efficiens Essentiæ, seu ejus Creator & Conservator.
2. Efficiens Ordinis, seu Ordinator.
3. Est ejus Benefactor, seu Efficiens perfectionis (ut omnium.)
II. In Actione; & ita est
1. Ejus ACTOR seu MOTOR (sicut & totius Naturæ motæ) ut Causa prima.
2. Ejus RECTOR, (sicut & omnium Gubernator) ex Principio Intellectivo.
3. Ejus FINIS, summè AMANDUS; ut ipse Amor & Bonitas.

Quoniam autem hic Relationes Politicas seu Morales tantum tractare statui, Relationes merè Physicas prætereo, vel potiùs in aliis includo: siquis autem rem aliter fieri mallet, hic tantùm eum duco monendum ut semper per DOMINUM, MOTOREM etiam intelligat.

Cap. XII.

Cap. XII. *Elucidationes.*

1. OMnis Moralitas naturalis ad hasce Relationes ut Principia reducitur,& in hisce summatim continetur.

2. *Tota Moralitas*, vel *Obligatio moralis*, non est *subditi formaliter quâ talis, à jussu superioris.*

3. Etsi Obligationes oriantur *à Dominio*, & *Beneficiis*, & *Bono quâ tali*, *Leges* tamen quâ tales sunt tantummodò *Rectoris.*

4. Priores igitur sunt obligationes *Naturales Rectitudinis*, *Congruitatis*, *Perfectionis.*

5. Etsi Relationes tres *Essentiales* formaliter distinguantur, earum tamen Opera Antecedentia mirabiliter adeò sunt contexta, ut semper ferè indivisa inveniantur.

6. In hisce Relationibus *Familiæ* seu *Regni Divini Forma* continetur ; *materiâ* scilicet ante explicatâ.

7. Siquandò *Deus* vel *Materia*, vel *Pars Constitutiva Regni sui* vocatur, non *physicè* & *strictè* hæc nomina sumenda sunt, sed *politicè*, ut *omne Regnum*, ex *parte Imperante*, & *parte subditâ* consistit ; Et ut *Deum* ab *homine* distinguere necesse est.

8. De veritate harum Relationum mutuarum nemini sano dubium esse potest: Qui creavit scilicet CREATOR est; Qui proprietatem habet DOMINUS est; Qui jus habet Imperii RECTOR est; & qui omnibus (& solus primò) benefacit, BENEFACTOR est. At Natura & S. Scriptura sæpissimè hæc omnia de Deo asserunt. De *proprietate* sive *Dominio* Dei, lege, Ezek. 18.4. *Ecce omnes animæ meæ sunt*, &c. & 16. 8. Mal. 3.17. Exod. 19.5. Lev. 20.26. Job 41. 11. Psal. 50. 10, 11, 12. Cant. 2. 16. & 6. 3. & 8. 12. Isa. 43. 1. Joh. 10. 14. & 17. 10. 1 Cor. 6. 20. De *Deo ut Rege*, & *Benefactore*, loci sunt, (ut tædium devitemus) non numerandi, nec citandi.

9. [CREATOR] est Relatio fundamentalis, ab ipsâ Creatione resultans; At *Dominium*, *Regnum*, & esse *Benefactorem*, secundo loco ex hac simul exsurgunt & sequuntur.

10. *Domini* sive *Proprietarii* est Jus, 1. *Habendi ut sua*, 2. *Utendi ad suos usus*, 3. *Disponendi ad libitum.*

11. *Rectoris* est *Jus Regiminis*, & *opus Regendi.*

12. *Regere* est *Intellectum docendo & ducendo informare* ; *Voluntatem Imperando obligare*, & *præmiis* & *pœnis* ad obedientiam movere, & tandem *executione* actu *protegere*, *præmiari & punire.*

13. Relatio Benefactoris dicitur vel ad beneficia *præterita*, *præsentia*, *vel futura*, vel *omnia.*

14. Tres hæ Relationes Divinæ etsi immediatè ab operibus Dei resultant, & præcipuè à *naturâ Creaturæ cum Creatore comparatæ* ; tamen fundamentum earum profundissimum est triplex Principium activum in *Essentia Divina* (sæpè memoratum,) utpote quod in operibus ejus ut in effectis & Imagine suâ, maximè eminet.

15. Dominium scilicet ex Creatoris *Omnipotentiâ* specialiter oritur, & *Regimen* à *Sapientia*, & *Beneficientia* ab *Amore* ; etsi nunquam non inclusis cæteris attributis, etiamsi non pari eminentiâ manifestationis.

16. Ideò sicut Deus ut *Amor*, est & *Principium* & *Finis ultimus* Creaturis; ita ambæ hæ causalitates in hâc ultimâ Relatione includuntur; in illâ scilicet notatur, Deum esse & *Originem*, seu *primum Efficientem* omnis boni; & esse *causam finalem*, ut Optimum & *Amabilissimum*, & Voluntatum, (seu Amoris) omnium, attractivum.

17. Idem igitur intelligimus cum Deum dicimus AMICUM, id est, qui *summè nos amat*, & *summè* à nobis *amandus est.*

18. Et hic semper includitur Deum esse *hominis fælicitatem*, scil. ejus *Amorem* antedictum.

19. Et cum Deum dicimus PATREM, vel omnes tres Relationes includimus, ultimam autem principaliter, vel ultimam solum cæteris suppositis. Nam Pater sicut dat *esse filiis* (ut *Deus Creando*) ita inde est eorum, 1. *Dominus* aut *Proprietarius*, 2. *Rector*, & 3. *Benefactor* aut *Amicus*; At homines respectu Dei, tales sunt tantum subordinatè, defectivè, & secundum quid.

20. Etsi Relationes hæ omnes sint æquales, tamen ut est objectum actuum humanorum, ultima nobis est finalissima & quasi perfectissima, & [*Paternitas*] eam principaliter exprimit.

21. Qui de *sufficientia* hujus enumerationis Relationum dubitant, rem propiùs & attentiùs considerent, & videbunt eam ex *naturæ principiis*, & *Divinis operibus* desumptam esse, & *omnes alias* relationes esse, vel in hisce *inclusas ut partes*, vel ex hisce *conflatas*, vel hisce subordinatas, *e. g. Maritus* ex omnibus, at non æqualiter conficitur: *Herus vernæ* est *Dominus* & *Rector*; *servi liberioris* est *Dominus secundum quid*, & *Rector ad quid*, id est, ad usus quosdam definitos: *Præceptor* est *Rector* ad finem item singularem. *Doctor* est & *Rector* in parte primâ & introductoriâ regiminis, & *Benefactor* quoad beneficium quoddam particulare. *Dux* Militum est *Rector* ad usum item particularem. Et sic de cæteris.

22. Et ita cum dicimus, nos esse SUOS, SUBDITOS, & AMICOS (seu *Beneficiarios*, vel *Filios*) Relationes nostras ad Deum primarias sufficienter enumeramus.

23. In tribus præcipuè operandi speciebus à *Deo gubernati* sumus; *viz.* vel in *discendo*, vel in *Bona opera præstando*, vel in Dei & nostris *inimicis resistendis*; Et ita ut *subditi*, vel *Gubernati* sumus, 1. *Discipuli*, 2. *Operarii*, 3. Milites.

24. Quia Relationes hæ sunt *Constitutivæ*, imò *ipsa forma* Regni seu Familiæ Dei, Tanta est eas sciendi necessitas (si non distinctè & *clarè*, saltem *verè*, etsi *confusè*) ut *Deum* non agnoscat, qui *illas* non agnoscit, & *Deum* neget, (etiam directè) qui *illas* (ita) negat.

25. DEUS enim est nomen quod cum ad homines respectivè dicatur, id est, *Theologicè* seu *moraliter* & *Naturam* & *Relationem* supremi numinis *Essentialiter* exprimit: Non ejus *Naturam solam*, ut aliqui, neque *Relationem solam*, ut alii falsò opinantur, sed *simul ambas*.

26. Qui Deum (juxta fœderis utriusque sensum) ut DEUM SUUM sumit consensu fœderali, *Omnibus hisce Relationibus constitutivis consentit*.

27. *Consensus hic*, & *non alius*, ut participes nos fœderis & omnium ejus primorum beneficiorum de jure facit, ita *vera est Pietas in primo statu*; & ejus *præstatio* in vita sanctâ & fideli, est pietas in *secundo statu* seu progressu.

28. E tribus igitur partibus principalibus, juxta triplicem Relationem, vera & necessaria *sanctitas* (vel *pietas*) consistit: 1. In nostri *Deditione*, vel *Resignatione* ad Deum, ut ejus jure Propriorum; 2. *In subjectione* & *obedientiâ subditorum*; Et 3. *In Gratitudine* & *Amore Beneficiariorum* & *Amicorum*, vel Filiorum.

29. Pars prima item consistit ex tribus in Tab. Enumeratis; sicut enim Dominus jus habet *Possidendi, utendi* & *disponendi*, ita Pius omnis consentit, & *possessioni & usui & dispositioni* Dominicæ.

30. *Gubernatum* primò *Discipuli* partes agere oportet: Cujus est, *attendere, credere, discere*, humiliter, libenter, diligenter, doctrinam scilicet cœlestis præceptoris: Quoad *Leges* verò 1. Præceptis eum oportet obedire, 2. Leges pœnales timere; Et 3. Quoad promissiones, 1. Promittenti *credere*, 2. Promissa *sperare*; Et 3. Promissionem gratè *diligere*. Et quoad consequentem executionem præmia gratè accipere, & pœnas submissè ferre.

31. *Deum Authorem Naturæ, Gratiæ, Gloriæ, totâ mente, toto corde, totis viribus Amare gratè propter nos, at principaliter & ultimatè ob primam Bonitatem, & propter se*, est sanctitatis veræ pars principalis, & cæterarum quasi perfectio;

&

& quando AMOR ille ipse perfectus est, ut in cœlis; est hominis *summa fælicitas & Finis*; 1. AMARE scilicet Deum est *Actus Finalis*; 2. AMARI à Deo est *Receptio Finalis*; Et 3. *Deus Optimus* & AMANS & AMABILIS est *Objectum Finale.*

32. Etsi Divinam hanc Politeiam, aliquando *Regnum*, aliquando *Familiam*, aliquando *Dominatum*, nominamus, & aliquando omnia innuimus per *Theocratiam*; semper tamen *Definitio* mente tenenda est, & *quocunque nomine* utamur, rem definitam per illud significari intelligendum est.

33. Et semper item memoriâ tenendum est, quod *Regnum* hoc Dei de quo loquimur, est tantum *Pars Universalis Regni*, quod super Angelis, Intelligentiis & Orbibus nobis ignotis, & dæmonibus etiam exercetur: quod sensu nobilissimo REGNUM DEI vocatur. Sicut *Societates particulares*, ut Civitates, &c. sunt Regni humani alicujus partes.

34. Societates humanas inferiores, *Oeconomicas*, *Civiles*, *Ecclesiasticas*, *Partes* appello *Integrales*, quia sine illis Regnum Dei *esse* potest, at *integrum* esse non potest.

35. In *uno Adamo* fuit originaliter Potestas *Oeconomica*, *Civilis*, & *Ecclesiastica*; at non ad *opera eadem* exercenda, quæ postea hominibus multiplicatis præscribenda fuêrunt.

36. Quoniam. Utensilia, possessiones, inanimata, animata, vegetabilia, sensitiva, amici, hostes, sunt tantum Regni terrestris hujus *Adjuncta*, Relationes ideò nostras ad hæc *Accidentales* tantum voco. Qualis est hominis ad Bruta, ut 1. Subdominus est; 2. Subgubernator; 3. Subbenefactor & finis.

37. Qualem præterea Relationem ad *Angelos* habemus, non liquidò & plenè mortalibus notum est. *Amicorum* opera, ut servi Dei ad nostrum Bonum, proculdubio multis modis præstant. Ad conversionem peccatorum suo modo operam suam impendunt: In eorum conversione item plurimum gaudent: Ad conversorum protectionem & salutem vigilant; ad ipsos è periculis & necessitatibus liberandos & relevandos, lubenti animo ministrant; Decedentes eorum Animas ad Christum alacriter conducunt: At utrum præter hæc *Amicitiæ* opera, sint etiam humani generis subrectores, etsi non improbabile est, Dan. 10. legenti haud planè tamen & liquidò constat: Multò minùs quibus modis in mundo hoc regendo exercentur.

Heb. 1. 14. Luc. 15. 8. Luc. 16. 19, 20. Heb. 9. 1.

I. *Plurà de Dominio Divino.*

1. *Dominium* Dei, inter Relationes Ortas (post primam scilicet (CREATORIS) prima, fundatur in *Esse Creaturæ* (non in *tali esse*) ut ad *Deum Existentiæ Creatorem* relato. Nec justius nec firmius fundamentum Dominii plenissimi & absolutissimi, per humanum ingenium excogitari potest, quàm esse *Creatorem.*

2. Ab *errore* igitur excusari non possunt Theologi quidam, cætera præstantissimi, qui Dominii Divini, jus omne fundant, primariò & principaliter in Naturæ Divinæ transcendentissimâ excellentiâ. Neque ipsâ causâ meliores sunt eorum ad eam probandam ratiocinationes. Quando etenim dicunt, Naturas præcellentes jure Naturali viliorum & inferiorum esse dominas. *Resp.* In hâc naturarum præcellentiâ inter Creaturas, *aptitudo* tantum ad Jus Dominii, (non *ipsum Jus* immediatè,) sita est. *Ordinatio* Divina quæ per naturales aptitudines creaturas primò distinxit, Dominium aptissimis supra inferiora, immediatè ex Dominii sui *Potestate* donat. Qui inter omnes in Regnis humanis sunt maximæ præcellentiæ, non ideò sunt aliorum Domini; Neque sunt omnes Reipublicæ opes, illius, qui vel maximus, vel sapientissimus, vel optimus est: Neque Regni jus à Rege etsi virtutis minoris, ad subditum vel alienum præstantissimum deveniat. Quamvis enim prætextu speciosiore præstantissimus aliquis *Imperii* quàm *Dominii* (seu *Proprietatis*) jus sibi arrogare vel vendicare potest; absque collatione tamen authoritativâ summi Imperatoris & Domini, neutrius jus verum ipsi continget.

3. Et ubi contra alios asserentes [*Divina Beneficia seu Donationes esse Dominii ipsius*

ipsius fundamentum] Theologi hi respondendo dicunt [*Quod donatio proprietatem non causat, sed alienat; & Beneficia data, nisi amisso jure, non posse auferri.*] *Resp.* 1. Non alius Beneficientiæ Actus est, quàm ipsa *Creatio & preservatio, Existentiæ*, scilicet causatio totalis, in quo fundatur *Dominium* hoc Creatoris: & aliorum beneficiorum collatio Divina, ad ipsa & eorum usum-fructum, jus Benefactoris item probat. 2. At Deus per nullas vel amplissimas donationes, jus suum proprietatis, vel juris sui partem minimam, aut unquam abalienavit, aut abalienare quidem potest. Omnia quæ jam donata *nostra* sunt, non minùs Donatoris manent, quàm si nunquam illa donavisset. Ipsi etenim *Recipientes* sunt *toti ipsius*, & ideò omnia quæ sunt *eorum*. 3. Et, nisi quòd promittendo vel prædicendo declarat, se nunquam beneficia data ablaturum esse, proculdubiò non minùs justè ea auferre possit etiam ab Angelorum sanctissimo, quàm primùm non-dedisse. Quicunque omninò ex absoluto Dominio & nullitate obligationis arbitrariò, & ex mero beneplacito donat; arbitrariò etiam potest vel ad tempus longissimum vel brevius donare. Et ita potest Creator omnium post annos vel 20 vel 40, vel 60, vel 70, ab hominibus vitam tam justè auferre, quàm ipsis illam nunquam concessisse.

4. Omninò impossibile est Deum omnium absolutissimum Dominum in primo hoc instanti, ante promissiones vel alias beneplaciti sui manifestationes injuriâ ullam Creaturam afficere: Ubi enim Dominium absolûtum ibi nullum Creaturæ debitum habendi esse potest; & ubi nullum Jus, ibi nulla est injuria.

5. Non magis homini, quàm bruto injuria esset, vel vitâ vel voluptate privari, vel doloribus cruciari, si Deus hominum esset solùm Dominus, & aliâ nullâ quàm ad bruta Relatione referatur.

6. Jam verò quandoquidem idem qui *Dominus*, est etiam & *Rector*, & *Benefactor*, & ut *Rector* per Leges suas, se subditos recturum, & judicaturum publicè declaravit, neminem timore hoc terreri oportet, ne scilicet Deum secundum absoluti Dominii Potestatem, sepositò juris & justitiæ respectu, secum ageret; Quia aliter se acturum jam mundo significavit.

7. Deus tamen, neque ut *Rector*, neque ut *Promissor*, Dominii sui absoluti Jus aliquod vel amisit, vel abjecit. *Suorum* scilicet non *aliorum Rector* est. Relationes autem ipsæ sunt diversæ; & quod in *unâ Relatione* facere potuisset, sine injuriâ, in alterâ se primò nunquam facturum esse declaravit, & inde, quia verax & justus, facere non potuit: Sicut etiam dum Amoris utitur *Attractione*, (ut Pater, Benefactor & Finis,) neque *Dominium*, neque *Rectoratum* eo vel amisit vel deposuit.

8. In omnibus illis, ubi neque per rerum naturam, neque per revelationem supernaturalem, Deus se obstrinxit (id est, Voluntatem suam non significavit) ad agendum cum Creaturis juxta ordinem, limites, vel Leges Regiminis, vel benevolentiam benefactoris, & agere adhuc potest, & actu agere æstimandus est, secundum *Dominii* sui jus absolutum, faciendo scilicet de suis quodcunque ipsi libitum erit, ita ut aliter agere possit si vult, & aliter agere *velle* possit.

9. Actiones eædem quæ *quoad finem*, & *quoad effecta* sunt partes *Regiminis*, & à Deo in tantum fiunt, quâ Rectore, fieri tamen possunt ex *jure Dominii*, & per Deum ut per *Dominum & Benefactorem*; viz. quoad *Originem*, & obligationum absentiam, & modum etiam agendi. Et ita, cum Deus peccatoribus aliquid ultra & leges & promissiones suas donat, & *Dominii*, & *Regiminis*, & *Benefactoris* jura exercentur. Absolutum scilicet exercetur Dominium in eo quod Recipiens, & Donatum absolutè *sui* sunt, & ad donandum lege nullâ tenebatur. Et in beneficio gratis dato Benefactoris partes exercentur: Et ut Rector hisce donis Recipientem ad obedientiam obligat, & peccandi audaciam, & voluntatem reprimit, & ad alia beneficia promissa viam sternit, & etiam publicæ saluti prospicit.

10. *Personarum acceptio* quæ in S. Scripturis ut vitium sæpè notatur, non est *Absolutè Domini*, sed *Rectoris*, præcipuè *Judicis* actus & error; (& ita *privatim* etiam *judicantium*.) Lex enim est norma & *officii* & *judicii*, & qui per normam hanc æquitatis, ad æquitatem aliquam in judicando & exequendo est obstrictus,

&

& tamen propter personarum, vel *potentiam*, vel *opes*, vel *honores*, vel aliud, præter justitiam & injustitiam discrimen, ab hâc æquitatis regulâ recedit, injustus iste est, & acceptor personarum. *Inæquales* autem Dei ut *Domini* distributiones, tantum abest ut injustæ reputandæ sint, ut sapientissimæ ipsius orbis constitutionis & ordinis sint indicia; & miranda creaturarum, in substantia, temperamento, quantitate, virtute, qualitate, &c. varietas, ad universitatis pulchritudinem conducit, & *Domini Benefactoris* libertatem & mirandam sapientiam exprimit.

11. Ex jure hoc Dominii sequitur, posse Deum sine ullâ, vel injuriâ, vel injustitiâ, vel benignitatis defectu; creaturas merè sensitivas inculpabiles vel destruere, vel annihilare, vel doloribus aut passionibus suis cruciare; ut quibus jure nullo ad contrarium est obstrictus: Quæcunque enim eum quotidiè facere videmus, proculdubio jure facere potest. Imò cœlum & terram, & rerum Vniversitatem, sine injuriâ in nihilum redigere potest.

12. Hinc etiam Potestatem dedit homini, ut inferiorum sub-domino animalia bruta laboribus, doloribus & morte afficiendi: Et dum ob nostram utilitatem ea fatigamus, cruciamus, & plurima necamus, & carnes eorum devoramus, ut injuriæ tamen, vel crudelitatis nosmetipsos minimè accusamus: Quoniam scil. Deus absolutissimus Dominus, jus tale nobis concedendo, Dominii proprii jus nobis declaravit.

13. Quandoquidem igitur toti sumus Domini-Creatoris proprii, nil ipsa natura clariùs eloquitur, quàm quòd Proprietario nos totos concedere, resignare & devovere debemus, & ut *suos* ipsi fideliter servire, & quodcunque nobis facit, submisè & patienter illud *tolerare*.

14. Etsi enim Domini, quâ talis nulla est vel justitia vel injustitia, sed [*Justus*] est *Rectoris* attributum; per vincula tamen justitiæ cujusdam *proprietario proprius-rationalis* obligatur; & injustus est si non sua Domino concedit.

15. Hinc secundum justitiam propriè-commutativam (quâ commodum unius per alterius commodum rependitur) impossibile est Deum homini esse obstrictum ad bonum vel minimum retribuendum, vel hominem à Deo ullatenùs mereri.

16. Hinc etiam sequitur nullam Creaturarum Deo aliquid posse propriè *donare*: Quia nihil plenè nostrum, & nihil quod non absolutè Dei est, possidemus: Et suum Deo dare, non propriè *dare* est, sed *reddere*.

17. Id tamen faciunt fideles, quod analogicè *dare* vel *donare* dicitur, dum se & sua omnia Domino devovent; sicut Canis tibi chirothecam *dat*, quàm detulit; vel sicut puer gratè patri donum nuper datum reddit; & ita Deus suorum indolem & gratitudinem exercet; At hoc est nihil aliud, quàm debitum reddere, & ad officium nostrum præstandum consentire.

18. Hinc etiam sequitur, neminem esse propriè *suum* (nisi sensu diminuto, & & Proprietati Divinæ subordinatè, & ut aliorum jus excludit, & contra eorum injurias ipsum tuetur:) De seipso igitur non quicquid vult facere debet, sed quicquid proprietarius voluit.

19. Multò minùs habent vel Angeli super homines, vel Reges super populum, vel parentes super filios, vel Domini super vernas, Dominium aliud quàm improprium & subordinatum jam descriptum.

20. Nec aliud habet, vel homo, vel Angelus super aliquod à se possessum; Ne una quidem Mica panis, nedum opes, fundi, honores, dotes aliter *nostra* esse sunt dicenda. Nihil igitur omninò à Deo est avertendum, excipiendum vel reservandum; sed quicunque se Domino suo fideliter devovet, absolutè item omnia sua possessa devovet.

21. Hinc fidelium infantes sancti esse in S. Scripturâ dicuntur; & ita ad baptismum admittuntur; Qui scilicet à parentibus ut *sui* Deo redduntur, dedicantur & devoti sunt; & in præsenti capacitate à Domino accepti.

22. Hinc item nullus inter Deum & homines contractus fœderalis commutativus fieri potest: Quia homo qui nihil habet *suum* quod concedat, nihil item suum habet quod abalienet.

23. Quia autem nihil magis *hominis* est, quàm *actus* ipsius liberi, ad quorum deter-

determinationem potestas ipsi à Creatore concessa est, ideò actus hosce & operationes inde sequentes, nos *Deo promittere*, & convenit & necesse est; ipsius scilicet auxilio fidentes.

24. Et præter hos actus, nil magis nostrum videtur quàm *nosmetipsi*, ut actuum talium liberi actores; nos ipsos igitur Deo reddere & vovere nos oportet, ad actus hos præceptos & debitos præstandos.

25. Et ita hisce modis & rationibus, fœdus inter Deum & homines fieri potest; Quod reverâ est pietatis omnis initium & summa.

26. Ex omnibus hisce item sequitur, nil magis à verâ pietate alienum esse, quàm *Philautiam* istam (quàm *Suitatem* voco;) quâ homines se, & à Deo, & à proximis abstrahunt, & ex amore privato inordinato *sibi solis vivunt*; & omnes suas curas & labores propter seipsos ferè solos impendunt; & ad proprias tantum utilitates & cupidines, & opibus, & ingenio, & viribus abutuntur, & quasi absolutè *sui* essent, erga Deum & homines alienâ mente vitas transigunt.

II. *Plura item de Imperio Divino.*

1. Jus Divini *Imperii* in homines non oritur (ut Dominium) immediatè ab *existentiâ* ut *creatâ*; sed fundatur in *hominis* Creati *specie*, & ad *Deum relatâ*, & *inter proximos*, & *objectâ positâ*. Quando enim Deus hominem fecisset intellectulem, liberè agentem, inferiores habentem facultates sensitivas & locomotivas necessariò regendas, sociabilem, inter objecta varia locatum, & extra Creatoris invisibilis sensibilem præsentiam, necessariâ resultantiâ sequebatur, Creaturæ regendæ Creatori ipsi soli Imperii Jus competere; ut qui solus esset Creaturæ Dominus, & solus ad hoc Imperium aptus.

2. Solus enim Deus habet Potentiam illam ad tuendum & coercendum, Sapientiam illam ad perfectè Regendum, & Amorem illum ad finem beatum assequendum, quæ Universitatis Rectori omninò necessaria sunt.

3. *Regnum Divinum est Monarchia absoluta Paterna ex pleno Dominio in personas & res.*

4. Deus non fuit *Dominus*, *Rex*, *vel Benefactor* ab æterno: Quia Rex nullus est sine subditis, *&c.* At *aptus* fuit ad Regimen futurum.

5. Theocratia hæc non fit sicut Reipublicæ humanæ, *viz.* primò per contractum inter partem imperantem & partem subditam; quo scilicet pars imperans potestatem suam obtinet, & quo pars subdita ad obediendum imperanti primò obligatur: Si Deo enim (ut infideles quidam apostatæ dicunt) authoritatem vel Regnum daret consensus humanus, rectè diceretur, homines Deum facere Deum esse: Esse Deum etenim est esse supremum Mundi Regem.

6. Sequeretur item homines Atheos, aut impios non consentientes Regimini Divino, ad nullum officium, sub nullo criminis reatu, & ad pœnam nullam, vel esse, vel nisi velint, posse esse obstrictos. Non-subditi enim nulla est ad obediendum obligatio.

7. Deus igitur jure Dominii ex Creatione est Rex Universalis ante consensum subditorum; & subditi quoad obligationem obediendi nati sumus; non facti per nos ipsos ut liberè consentientes: *Consensus* autem ut officium fundamentale primarium à summo Rectore nobis imperatur, & *Non consentire*, nullatenùs nos ab obediendi debito excusabit; sed maximum ipsum erit peccatum.

8. Dubium tamen non minimæ difficultatis nonnullis videtur, An primus hominis consensus ad Dei Imperii & nostri subjectionem, sit actus veræ formalis obedientiæ? aut tantum obedientiæ prærequisitum fundamentum? Aliquem enim Rectorem eligere, vel accipere, videtur esse obedientiæ antecedens? Non possum illi ut Rectori obedire, quem adhuc Rectorem meum esse non agnovi.

Resp. Si tam latè (nec impropriè) sumatur [*Obedientia*] ut *Omnes* omninò actus contineat, qui Authoritatis prius agnitæ gratiâ præstantur, tunc ipse consensus ad Relationem est Obedientia. Primò etenim (lumine naturali & supernaturali) Deum scimus esse *de jure Mundi Regem* & totum genus humanum, quâ tale

tale per naturam ad ipsi absolutè obediendum esse obstrictum ; & quia *obstrictos nos esse agnoscimus, consensum præbemus.* Quoniam igitur *Authoritas imperantis agnita* est *Obedientiæ* omnis *Formale objectum*, necessariò sequitur, consensum primum, quia fit ob *Authoritatem Divinam* jam *agnitam*, esse formalem seu veram *Obedientiam.* Etsi fatendum est quod inter homines in Regnorum constitutione, res ita se non habeat, Quia ibi Rex non est Rex, neque subditus (in primâ *dico* constitutione) verè obligatus aut subditus, ante consensum proprium. Hic autem *Creatio ante consensum obligationem* causat.

9. *Primus* autem hic ad obediendum *Consensus*, ab obedientiâ sequenti diligenter distinguendus est. Hic enim est omnis sequentis fundamentum, & ab ipsa tantum differt, quantum *Nasci* à *Vivere*, & ab actionibus totius vitæ sequentis ; (& ita jam fides in Christum (seu fieri Christianum) ab obedientia sequenti Evangelicâ differt)

10. Deus igitur primò nos vocat ad *Consensum* hunc, seu *fœderationem* (sicut milites vocantur ad Sacramentum militare , priùs quàm ad militiam actualem ; ut ita futuræ obedientiæ fundamentum rectè ponatur. Et inde obedimus sub duplici obligatione, ex præcepto scilicet Regis absoluti, & ex Consensu voluntatis propriæ.

11. Consensus ideò per Regem Universalem ab hominibus primò exigitur, quia est primus obedientiæ actus, ad omnia sequentia *sine quo non*, seu naturaliter necessarius. *Nemo* enim nolens potest obedire. Velle obedire igitur, constante & devoto animo, primò præceptum est.

12. Quoniam autem *Authoritas* est *formaliter* [*Jus Imperandi*] & *subjectio* est *formaliter* [*debitum obedientiæ*,] & *subditus* est, qui *de jure* obedientiam debet, haud congruum, sed tautologicum esse videtur quod vulgò dicitur, [Authoritatem aliquam esse *justam* (nisi *justa* dicatur quæ *vera* sit) id est, quod aliquis *Jus habeat* ad *authoritatem*] aut [*subjectionem esse debitam.*] Idem enim est ac si dicant, [*Jus habet ad Jus regendi*] & [*Debitum obediendi debitum est*,] quæ est propositio merè identica.

13. Sicut Ἐξουσία divina Δύναμιν præsupponit, *jus* scilicet Regendi Naturalem præsupponit *aptitudinem*, id est, *potentiam*, *sapientiam & bonitatem.* Ita in subditis ante obligationem ad obediendum, naturalis præsupponitur *aptitudo*, *Potentia* scilicet *naturalis activa*, *Intellectus Divinorum capax*, & *Voluntas* ad obedientiam naturaliter libera seu determinabilis.

14. Objecta item necessaria, in lumine scilicet, vel statu objectivo supponuntur ; naturaliter enim impossibile est, actum esse sine objecto.

15. Sustentatio item *naturæ agentis*, & *Concursus Divinus Universalis* necessarius est ad subditorum Dei obligationem. Qui enim neque *obligatur*, neque potest esse *homo*, seu *omnino agere*, non *rectè* & *ut homo* agere tenetur. At sine *Concursu Universali* & necessario, & naturæ *sustentatione*, nec *homines* nec *agentes* esse possumus. De hisce plura priùs § de Potentiâ Animæ humanæ.

16. At potentia illa *Moralis* quæ in rectâ vel congruâ Voluntatis *dispositione* consistit, vel in dispositione illâ *Intellectûs*, vel *Potentiæ Executivæ*, quæ ex *Voluntate* pendet, non omninò necessaria est *ad obligationem* seu *debitum*, sed ad *debiti* rectam præstationem, *e. g.* Quicunque hominem jubet esse solem, aut ut solem lucere, ad cœlum corpore ascendere, aut digito illud tangere, aut quæ facta & dicta sunt apud Antipodes videre, vel audire, aut non existens, ut existens noscere, aut promissioni nunquam factæ credere, aut donum nunquam donatum aut oblatum accipere, &c. hic illum minimè obligat, (nisi jubendo Creatoris partem agat, & omnem impossibilitatem amoveat :) At qui peccatori, *e. g.* fornicatori, ebrio, &c. concupiscentiæ vinculis obstrictissimo, & habitualiter maximè nolenti, pietatem, temperantiam, castitatem, jubet, jubendo ipsum non minùs obligabit, quàm si voluntatem haberet ad obediendum paratissimam.

17. In Ipsâ [subditi] Relatione, ut obligatio ad *obediendum in genere* continetur, etsi non ad officia *particularia* (quia ista per Leges particulares instituuntur ;) Ita sine ullâ comminatione particulari [*Pœnæ in genere*] ex peccato aliquo *debitum* orietur.

18. In ipsâ item *Relatione hâc fundamentali*, obligatio continetur, ad omnia Decalogi præcepta officia in instanti primo præstanda, *viz.* ad Deum ut Dominum nostrum, & Regem reverendum, honorandum, colendum, diligendum, *&c.* Quia totum hoc nil aliud est, quàm Deum ut Deum nostrum contentiendo accipere, & juxta hunc Consensum vivere.

19. Ex responsione superiore etiam quæstioni eorum satisfit, qui quærunt an hæc Relativa constitutio sit per verè dictam *Legem*, an modo aliquo Legibus profundiore & magis eximio? Quia (aiunt) Lex est *Administrationis*, non *Constitutionis* instrumentum. Resp. Ex Lege nullâ *Deus Jus recipit Imperii*, At ex Lege primariâ *fundamentali rectè* dictâ, *obligati* nos sumus ad *Consensum*, & *in tantum* facti *subditi*. Et plurimum differt hæc Lex fundamentalis à Legibus administrationis, hanc consequentibus etsi (ut post dictum est) & hæc sit ipsius Administrationis initium.

20. Natura rerum est à *Deo Creatore* ut causâ primâ Efficiente: *Ordinatio* & *Regimen* est à Deo ut causâ *principali Gubernante* seu *Dirigente*; *Perfectio & fælicitas est in Deo* ut in *Fine ultimo:* Et ita *Ex illo, Per illum,* & *Ad illum sunt omnia*, Rom. 11. 36.

21. Quandoquidem *Regimen* divinum est *Opus Morale Eminentissimæ Sapientiæ*, quæ in rerum *harmoniâ ex dispositione* naturarum, objectorum, legum, circumstantiarum, *&c.* præcipuè spectatur; à Theologis quibusdam magis cavendum est, ne tale *Divinum* fingant *Regimen*, in quo præter *Omnipotentiam* ferè nihil causalitatis celebratur: Deus enim si hominem sicut aut lapidem aut brutum movere & gubernare voluisset, & non per modum *sapientialem* & *moralem*, neque *Intellectum*, neque *Voluntatem liberam* ipsi dedisset, neque *Leges ullas* ob regimen condidisset. *Robur* ex *robore*, sicut *sapientia* ex *sapientiâ*, & *bonitas* ex *bonitate* oritur. *Bruta* plurima sunt *hominibus* multo *robustiora*. Christus Legislator & exemplum sanctitatis, non primò ex *robore humano*, Sampsonis robur superante, neque ex *Magnificentia Regis temporalis*, se mundo venerandum commendavit; neque ut miracula faciens, etsi verè ea fecit, se primò nobis exemplar præbuit; sed ut sapientissimus & optimus in doctrinæ, & vitæ, lumine & sanctitate, & omnimodâ præstantiâ. Non igitur per inæqualem & imprudentem *Omnipotentiæ* ferè solius observationem, SAPIENTIA REGENS, vel deprimenda, vel obscuranda est.

III. *De Deo Benefactore, plura.*

1. Ex fundamento *Creationis cum omnibus naturæ dotibus*, & ornamentis & fælicitate majore humano generi in Adamo oblatâ, Deus Mundi *Benefactor*, seu *Pater Universalis*, æstimandus & dicendus est.

2. At præter *Universalia Antecedentia* beneficia, ex pluribus & majoribus *consequentibus specialibus*, Deus Adami si vicisset, & in innocentiâ stetisset, *Benefactor*, *Pater & Amicus* nominandus fuisset: (ut & consequenter in Christo fidelibus, jamjam sub fœdere gratiæ est.)

3. Sicut *Bonum*, quâ *Bonum* objectorum animi humani *Modus* omnium perfectissimus est; & ita *Voluntatis*, *Amor*, *Gaudium*, fruitio, est Actus humani animi perfectissimus; sic etiam inter Relationes ad hominem, Theocratiam constituentes, *Amicitia* (seu *Bonitas*,) est nobis maximè *Amabilis*, & ita (ubi nulla realis est inæqualitas) *Præstantissima* dici potest.

4. Totus Mundus & omnes ejus Partes Divinam homini demonstrant *bonitatem*, & *Deum Benefactorem Universalem* prædicant. Maximæ igitur *cæcitatis*, & *Malitiæ* est, Deum *Optimum*, & *Benignissimum* non *Amare*?

5. *Bonitas* (quæ est AMABILITAS) Divina ab hominibus, (per conceptus inadæquatos) in triplici statu seu instantiâ consideranda est: 1. Ut est ipsa *Divina Essentia*, (in *substantialitate* scilicet, & in *triplici Virtute* & *Personâ*.) Et hæc est notio omnium celsissima: Et in triplici Virtute, *Voluntati Bonitas* eminentissimè adscribitur: Et *Bonitas Voluntatis* præcipuè per *sanctitatis* nomen designatur; & est ad Creaturas quasi *fons moralitatis*, sive Bonitatis Moralis.

2. Scilicet

2. Scilicet ut est *in Actu*; *viz. Divinus Amor sui* (unde & Deum Amare est sanctitas nostra, per Spiritum Sanctum Amorem inspirata) Qui excellentius quiddam significat, quàm *Amare mille Mundos* Etsi Deus *se Amans*, & *nos Amans* sit idem, & Essentia & principium Amans idem sit, ut ab objecto tamen denominati Actus hi infinitè differunt.

3. Ut in *Actione transeunte*, 1. Effectivè, 2. Objectivè; & ita Creaturis Benefactor & Amator est.

6. Ex quibus haud obscurè innotescit, quibus gradibus Deus ab homine sit Amandus, 1. *Principaliter* scilicet ut *Essentiâ optimus*; 2. Et inde ut *seipsum Amans*; 3. Et tandem ut *Benefactor & Amicus Creaturis*; & proculdubio priùs & potiùs, ut *Mundi*, *Ecclesiæ* vel *plurimorum* quàm ut nostri ipsorum Benefactor.

7. Homo autem jam peccator plerumque ab infimo gradu incipit, & Deum prius Amat propter *seipsum* quàm propter *plurimos*, & propter Benignitatem communicativam, quàm propter perfectionem Actualem & Essentialem.

8. Deus igitur per multiplicata Beneficia Amore naturali nostri utitur ad Amorem suipsius per viam Gratitudinis promovendum.

9. Sicut igitur Ingratus, etiam omnibus quasi monstrum videtur, ita contra Benignitatem Divinam ingratitudo exosum maximè peccatum est.

10. Et prudentiæ humanæ non minimum opus est, Beneficiis omnibus Divinis, ut cibo quotidiano seu fomite Gratitudinis & Amoris uti: Et optimus is est, & fæliciſſimus, qui in hâc arte peritiſſimus, & in hoc opere exercitatiſſimus est.

11. Ideò ea Beneficia præcipuè æstimanda sunt, quæ Deum menti præcipuè demonstrant, & Amorem ejus summè communicant: Et non ea quæ carni præcipuè placent: Et maximopere cavendum est, ne carnaliter Deum, ut carnis amicum vel Benefactorem, sub Gratitudinis prætextu præcipuè amemus.

12. Etsi *Amor Dei* est obedientiæ nostræ pars primaria in Decalogo præcepta, & ita idem est *Rector* & *Amicus*; *Amor* tamen quâ *Amor* respectum habet ad Deum in *Relatione aliâ*, præter illam *Rectoris*, & inde quasi ad classem vel gradum altiorem exaltatur, supra *meræ obedientiæ formalis naturam*: vel si comparatio non est instituenda, discrimen tamen non est diffitendum.

13. Amoris Actus Essentialis est *Complacentia*: sed ex effectis & concomitantibus, sub aliis plurimis nominibus vulgò agnoscitur.

14. Amandus est Deus, 1. Ut *Optimus* in *Efficiendo*; 2. Ut *Optimus* in *Gubernando*; 3. Ut *Optimus* in *Fælicitando*, & ut *Finis ultimatè ultimus*.

15. Ut *Optimus Efficiendo* amandus est, 1. Amore promptè *Recipientè*; 2. *Gratè* agnoscente; 3. Devotè & totaliter *Referente*.

16. Ut *Optimus Gubernando* amandus est, 1. Amore fiduciali; 2. In omni ejus Regimine complacentiâ; 3. Amore alacriter obediente.

17. Ut *Optimus Fælicitando*, & *finis ultimus* amandus est; 1. Amore *desiderante* & esuriente; 2. Amore *quærente* & laborante, (& *mærente* quando negatur desiderium;) 3. Et tandem Amore puræ adhæsionis, & jucundæ complacentiæ.

18. Hujus etiam tres sunt gradus; 1. In *exercitio fidei & spei*; 2. In ipsius *Amoris præguſtantis gloriam* exercitio; 3. Tandem in beatificâ visione, & pleno exercitio in cœlis.

19. Finis hominis ultimatus est *Finis Amantis*, ubi mutua complacentia & quasi Unio includitur; At non æqualiter; sed gratiâ *Amati* ut *Boni infiniti*, & quasi magnetis animorum.

20. *De fine* hominis *ultimo* vix clariùs aliquid dici potest, quàm *Amorem* esse *Actum finalem*, & *Deum* esse *Objectum finale*, circa quod, & ex cujus attractione, & cujus præcipuè gratiâ, per *Beatificam Visionem*, & per Divini *Amoris*, & *Potentiæ Vitalis* continuam effusionem & communicationem, Amoris Actus in æternum exercendi sunt.

21. Quodcunque *Optimum* est, Amabiliſſimum est, & quod maximè Amatur, id Finis ultimus est: At neque nos-ipsi, neque ulla creatura, sumus *Optimi*; sed solus *Deus*, ergo non nosmetipsi, sed solus Deus, est Hominis finis ultimatè ultimus.

De hisce autem quia plura alibi scripsi (in Tract. de Ration. Relig. Christianæ)

& quædam etiam postea sunt dicenda, ulteriùs jam differere supersedeo

1. Sicut tres illæ jam memoratæ Relationes, sunt *Theocratiæ forma*, ita omnium simul *exercitium*, est *Regimen Dei actuale*.

2. Et quando *Regimen* dicimus, omnium simul exercitium, intelligimus; etsi *Regimen strictè* dictum, sit *Rectoris* tantum opus. Attamen potiùs *Regimen*, quàm *Dominationem*, aut *Amorem*, hoc opus nominamus, quia Regiminis actiones, sunt in *Theologiâ* & *Moralitate* viatoris, eminentes maximè, & observandæ.

3. Siquandò *Administrationis* nomine utamur, cum actiones Divinas solas describimus, in conformitate ad hominum morem hoc facimus; & nihil aliud quàm *Regimen actuale* intelligimus; non-nescientes *Administrationem* strictissimè dictam, esse partem istam regiminis, quæ per *ministros* exercetur.

4. Etsi *Benefactor* non omnis *sit* persona *publica*; & *Beneficia* sæpè *sint Privata*; Deus tamen est *Mundi*, & præcipuè Ecclesiæ, *Benefactor Universalis publicus*; & ejus *Beneficia* & *donationes*, non minùs inter *actiones* & *res publicas* enumeranda sunt, quàm ipsæ *Leges* & *Judicia*.

5. In pluribus ergò hæc *Theocratia* seu *Dei Regnum*, à *Regnis* & *Regimine humano* discrepat: & ideò cavendum est, ne per *Analogiam* seu *Metaphoram* in errores vel locutiones ineptas, seducamur.

6. Per totam sacræ doctrinæ, seriem diligentissimè semper pensitandum est, quid facit Deus ut *Dominus*, quid ut *Rector*, & quid ut *Amicus* & *Benefactor*: Etsi enim sæpissimè, si non semper, relationum harum Opera Connectuntur, & inseparabiliter cohærent, *formaliter* tamen, & *modaliter* inter se differunt: Et qui ex inscitia vel incuriâ ea confundent errores multos, confusiones, & inanes litigationes item invehent.

7. Quod facit Deus ut *Dominus absolutus*, suis utendis, alterandis, disponendis, struendis, hoc facit *diversimodè* & *ad libitum* seu arbitrariè; neque ullam intellectui Creato rationem de eo reddere tenetur. *Nonne de meis quodcunque volo, faciam?* Matth. 20. 15. *Nonne figulus in lutum habet potestatem?* Rom. 9. 21.

8. Quodcunque item *donum* seu *Beneficium* dat Deus non ut *Rector* per modum *Præmii*, sed ut *merè Benefactor*, liberè item & ad libitum potest *diversificare*. Et inde donorum varietatibus Mundi partes diversas ornavit. Non omnia sydera fecit soles; Non omnes (aut ullas) nubes, aquas, animalia, fecit sydera; Homines non fecit Angelos; & bruta non fecit homines; & lapides non fecit animalia; & terræ glebas non fecit lapides: Et differentias quas liberè primo posuit in creatione; in generatione, & concursu & cæteris providentiæ operibus continuat.

9. Quod autem facit Deus ut *Rector*, aliter, juxta ordinem scilicet à se stabilitum & publicatum, facit. Et ideò quæ facit per Leges universales antecedenter, uniformiter, ὁμοειδῶς, & erga omnes ejusdem descriptionis æqualiter, facit. Et quæcunque facit ut *Judex* & *Judicii executor*, æqualiter item juxta legis suæ tenorem facit. Et rationem judicii sui ab hominum actionibus semper reddit; *e. g.* 1. Ut Dominus absolutus, Deus Adamum in Eden locavit; & opus hortense ipsi assignavit, & Tentatorem permisit: 2. Ut benefactor, horti amœnitate & commodis, super Creaturas inferiores dominio, Spiritûs Sancti auxiliis, *&c.* eum donavit. 1. Et omnia hæc ex beneplacito, quia liberè (at sapienter) voluit. 3. Et in legibus merè positivis Dominium in Regimine notabiliter exercetur; At in cæteris ordinem rerum naturæ congruum stabilivit, & in judicando legis regulam justè observat; ut & in *exequendo*, nisi quando ut *Rector supra leges*, donat vel condonat.

De Volitionum Divinarum distinctione: Et de Voluntate Legislativâ seu Antecedente, & executivâ seu consequente.

1. Voluntas Divina ut Dei essentia seu *facultas* (*analogica*) est Unica: At Volitiones, seu Voluntas ut *actus* ex objectis denominata, multiplex est.

2. Qui optimum potest effectuum, id est, creaturarum & actionum, *&c.* Schema describere, is optimè Dei Volitiones distinguere potest.

3. Quoniam

3. Quoniam Actiones Dei ex Relationibus seu juxta ipsas exercentur, distinguitur rectè Voluntas Dei I. In *Voluntatem Creantem & Conservantem*; & II. *Voluntatem Ordinantem*; & hæc est triplex. 1. Voluntas Domini disponentis; 2. Rectoris Regentis; & 3. Amici benefacientis. (Vel in Volitiones, 1. De rerum *existentiâ*, 1. Creandâ, 2. Conservandâ. 2. De rerum existentium per providentiam *Ordinatione*, 1. Ut per dominum, 2. Ut per Rectorem, 3. Ut per benefactorem. III. Et in voluntatem finem Attractivum)

4. Volitiones Creativæ sunt, 1. Circa Res, 2. Circa rerum modos: *Res* sunt, 1. Substantiæ, 2. Accidentia: Substantiæ sunt, 1. Corporeæ, 2. Spiritus, & ita deinceps.

5. Volitiones *providentes* seu *ordinantes* sunt, vel circa rerum *Naturas*; 2. Vel circa *Jus* vel *Debitum* Creaturæ rationalis; Quæ sunt *Ethices* vel *Moralitatis* caput seu radix, sicut priores omnes Physices.

6. Etsi actus *Dominatûs* & *Amicitiæ* ut dictum est, suo loco ad *Regimen* pertinent, tamen *Juris* vel *Debiti institutio*, *judicatio* & *redditio*, sunt *Regimen ipsum* morale, strictè dictum: Et ita Voluntas Dei, seu ejus *Volitiones*, ab hoc Regimine dicendæ sunt, *Regentes*.

7. Voluntas *Regens* est *primariò Legislativa*, Debitum instituens, *secundariò Decisiva*, Debitum dijudicans, & tandem *executiva*, debitum retribuens.

8. Voluntas *Legislativa* non malè dicitur *Antecedens*; quia proculdubiò *Legislatio*, ejus actio, est Regiminis pars *Antecedens*, & ita nominanda

9. Voluntas *Judicans* & *Exequens*, est *Voluntas Consequens* dicta ab effectu: Quia *Judicium* & *Executio*, *hominis obedientiam* aut *peccatum* sequuntur.

10. De hâc Regiminis distributione, nemo divina vel humana intelligens, dubitat. Et quare *hîc*, sicut & *alibi*, Voluntas Dei ab *effectis* non potest denominari?

11. Si Scholastici ita, ut res ipsa jubet, *Voluntatem Antecedentem & Consequentem* explicâssent, Protestantium nulli de illâ distinctione litem movissent; neque dixissent, (ut optimus & doctissimus Amesius in loco ante citato) perfectioni Divinæ eam minimè competere. Non etenim à Divinâ perfectione alienum est, *Leges & Donationes*, seu *Promissiones* facere *conditionales*; & bona illa per hæc instrumenta, dare *sub conditione*, quæ conditione non præstitâ, nunquam recipientur. Neque Deo facit injuriam, qui dicit, ipsum ea *Velle* quæ *facit*; & *Voluntatem* ejus esse *Legum* & *Donationum* conditionalium, verum authorem: Quæ sub conditione donat, ita donare aut condonare voluit, & vult.

12. Voluntas Dei non dicitur hic Antecedens tantum quia consequentem antecedit, neque consequens, quia Antecedentem sequitur; sed respectu ad Actiones subditi morales (vel ut antiqui dixerunt, *Meritorias*) quas *Legislatio* & *donationes quædam* Antecedunt, & *Judicium* & *Executio* sequuntur.

13. Nullibi igitur locum habet hæc distinctio, hoc sano sensu, præterquam in Voluntate Regente creaturas rationales moraliter distribuendâ; propriè etenim ipsius Regiminis Partitio est.

14. Si cui verò hæc distinctio displiceat, meminisse oportet totam litem esse de *nomine*; Dum verò rem ipsam agnoscat, priora æquipollentia nomina retineat; & *Voluntatem Legislativam debitum subditorum instituentem*, distinguat à *Voluntate judicante & exequente*, juris scilicet *decisivâ & retributivâ*, & res in tuto erit, & liti non erit locus.

15. De horum autem terminorum sensu per totum hunc Tractatum, ex dictis Lectorem judicare volo: Antecedens scilicet mihi (*Regiminis*, & Voluntatis, (seu Volitionis) *Regentis* pars) est, *Normam* subditis dare, & Actionum suarum & *Expectationum*: Pars autem *Consequens* est, juxta *Normam* hanc subditos *Judicare*, & *Judicia hæc* exequi. Et inter partes hasce duas *Media* sunt *Opera* subditorum, ut Legi vel conformia vel inconformia.

16. Qui Voluntatis Divinæ quâ essentialis, Unitatem, agnoscunt, & distributionis ejus necessitatem *Relativè* & *denominativè* ab *objectis*, hisce claris & certis hi acquiescere debent, & non ex alienis aut ignotis distinctiones fingendo,

Theo-

Theologiam litibus non-necessariis, ideoque pernicioſis, turbare.

17. III. Præter *Voluntatem* (ſeu *Volitionem*) Dei *Efficientem* (per Creationem & Conſervationem & Motum) & *Dirigentem* (per *Leges*,) nobis ſemper proſpicienda eſt *Voluntas*, quâ *Finis*, cui ſcilicet *perplacere* in æternum, & hominis (& omnium) *Finis ultimus* eſt, quem in omnibus vitæ actionibus nos ſincerè intendere oportet.

18. At quia *Volitiones* Divinæ ex *Naturæ ejus perfectione* proveniunt, eamque demonſtrant, *Amabilitas*, id eſt, *Optimitas Dei* eſt *Actûs* noſtri *Finalis objectivum* ultimatè ultimum finale: Et ita tota notio Finalitatis in hiſce exprimitur [*Perfectam naturam Voluntati Divinæ perfectè placere, & Optimum Deum perfectè Amare in æternum*] ([*Amari*] autem in [*Placere*] continetur.)

19. Et quamvis in hiſce *Fælicitas* noſtra etiam poſita ſit, & *Finis* etiam noſter ultimus hæc dici poſſit; non tamen ultimatè ultimus, ſed finis ultimi conceptus quidam ſecundarius ſeu ſubordinatus.

20. Anne verò aut *Voluntas* aut *Optimitas* Divina, quâ *Finis* verè *Agat*, attrahendo, aut Voluntatem noſtram vere movendo, vel tantum objectivè Voluntatem ſeu Amorem noſtrum terminat, mei non eſt definire; De Creatis autem alibi dixi, Finem eſſe tantum objectum: Et objectum quâ tale non propriè *agere*, aut *movere*, aut *efficere*; ſed primò *Terminare*, & deinde ſtatum finalem conſtituere.

Cap. XIII. § A. *De Regimine Divino Antecedente, in Regno Naturæ.*

Tantum de Regni Naturæ Conſtitutione: Sequitur ejus Regimen Antecedens; *viz.*

Pars NATURALIS: Quæ eſt vel

- I. Fundamentalis; Generalis; *viz.* Relationes & Officia generalia, in Regni conſtitutione jam deſcripta: Hîc enim Regnum Dei quam plurimum differt à Regnis humanis; Quod horum conſtitutio non ſit per Creationem, ſed per Conſenſum jamjam exiſtentium, Conſtitutio igitur ab Adminiſtratione magis diſtinguenda eſt: At Deus creando Naturam Rationalem, liberè-volentem, potentem, Regnum ſimul conſtituit, & fundamentaliter adminiſtrat. Quia ipſa Creatio, eſt prima fundamentalis adminiſtratio; At formaliter & reſpectivè diſtinguuntur. Per Relationes conſtitutivas obligamur, ut jam dictum eſt.
- II. Secundariò particularis; Quâ continentur,
  - I. Actus DOMINII: 1. Locatio Hominis in Eden. 2. Aſſignatio operis in horto. 3. Permiſſio Tentationis.
  - II. BENEFICIA donata; *viz.*
    - 1. Interna: Spiritûs Sancti auxilium efficax, ad Poſſe, Sapere, Amare, & perfectè obedire.
    - 2. Externa; *viz.*
      - 1. Inferna: 1. Inanimata: 2. Vegetabilia omnia: 3. Animalia: præcipuè in horto: *viz.* Ad uſus 1. Naturales, 2. Senſitivos, 3. Mentales.
      - 2. Superna
        - 1. Poſſeſſio, 1. Amicitiæ Creatoris; 2. Amicitiæ Cœlitum; initæ.
        - 2. Spes; 1. Continuationis, 2. Perfectionis; fælicitatis, in Amore perfecto.
  - III. REGIMEN Paternum; Per quod Deus Hominem, Modo Naturæ & ſtatui congruo.
    - I. ERUDIVIT:
      - 1. Extrinſecus per Librum Naturæ, id eſt, per cætera creata homini cognita.
      - 2. Intrinſecus
        - 1. Per Naturam ſuam humanam, ut ſignificantem & objectivam.
        - 2. Per auxilia Spiritûs Sancti (Diſpoſitione Naturali præſuppoſitâ.)

II. IMPERA-

II. IMPERAVIT, *viz.* Instituendo Officia
- I. Erga DEUM immediatè; *viz.* Particularia cuncta, Resignationem, Obedientiam, & Amorem necessariò exprimentia. (Quæ non sunt hoc loco enumeranda; sed in Decalogi explicatione posthâc.)
- II. Circa seipsum; *viz.*
  - 1. Ut Totum: quærere, *&c.* 1. Se Deo devovere; 2. Seipsum Amare; 3. Fælicitatem
  - 2. Distinctè
    - 1. Quoad Animam ut
      - 1. Rationalem
        1. Facultates sanctè exercere, sine omissione culpabili, erga Deum.
        2. Non pravè iis uti erga Creaturas, nec contra Deum.
        3. Perfectè regere facultates inferiores.
      - 2. Sensitivam; *viz.* ut 1. Sensationes, 2. Cogitationes, 3. Appetitus & Passiones per Rationem sub Deo perfectè gubernentur.
      - 3. Vegetativam
        1. Sese nutrire, defendere, præservare.
        2. Errores & excessus circa alimenta, *&c.* devitare.
    - 2. Quoad Corpus
      1. Organis sensuum apprehensivis, Rectè, prudenter
      2. Linguâ, membro expressivo, Obedienter
      3. Membris omnibus operativis, Diligenter

      } Uti.
- III. Circa alia; *viz.* circa
  - 1. Personas
    1. Cœlites: Eos Amare, secundum amabilitatis eminentiam.
    2. Terrestres; *viz.*
      1. Impares
        1. Inferiores; Docendo, Regendo, Amando.
        2. Superiores; Discendo, Obediendo, Honorando.
      2. Pares; Amare, & Justitiæ & Charitatis opera præstare.
  - 2. Res
    1. Animatas
      1. Sensitivas
        1. Uti iis ad Dei honorem, & commodum humanum.
        2. Rectè eas ad fines eosdem gubernare.
        3. Propter Deum eas diligere, & iis benefacere.
      2. Vegetabiles: sanctè, sobriè & justè iis uti.
    2. Inanimatas: modis antedictis eas possidere, iisque uti.

III. SANCTIONE ad officia instituta MOVET, scilicet, prædicendo,
1. Obedientiæ commoda, sequutura per modum, scilicet
   1. Naturalis effecti vel consequentis.
   2. Legalis Præmii determinati.
2. Peccandi incommoda; per viam
   1. Naturalis effecti, & consequentium.
   2. Legalis pœnæ, determinatæ à Legislatore.

II. Pars superaddita, per REVELATIONEM supernaturalem; *viz.* Lex de non edendo fructum arboris scientiæ, Gen. 2. 17.

III. Pars mixta ex naturali & supernaturali Revelatione; Quæ est,
- I. Lex
  1. De Sabbato (Gen. 2. 2, 3.) *viz.* sanctificando; jucunda Creationis commemoratione & cultu, spirituali, puro, alacri, Omnipotentissimi, Sapientissimi, Optimi, Creatoris.
  2. De Laborando; Gen. 2. 15. ad Corporis & Animi exercitium obedientiale & salutare.
  3. De conjugio; Gen. 2. 24. ad regularem prolis sanctæ propagationem.
- II. Sanctio Pœnalis; Gen. 2. 17. de morte propter peccatum obeundâ.

N. B. Quod Lex Naturæ *Pœnæ Debitum*, etiam perpetuæ, peccatori, instituit. At sanctio hæc superaddita Positiva, *Eventum* etiam mortis spiritualis & temporalis prædixit, & non *Debitum* tantum; *viz.* illud omne quod postea inflictum est.

Cap. XIII. *Elucidationes. De Moralitate, & Legislatione.*

1. QUoniam *Legislatio* est Actio Imperii eminentissima; & *Lex Naturæ* est Legum Divinarum nobilissima; & Lex Naturæ per Creationem ipsam conditur; sequitur Creationem esse tum *Constitutionem*, (activè sumptam) tum *Administrationis* Regni Divini partem primariam & Fundamentalem.

2. Tota *Moralitatis* Natura consistit *formaliter in Relatione.*

3. *Moralitas* est duplex; in *Personis*, & in *Lege* ut Regulâ.

4. Moralitas in *Personis* est vel Relatio earum resultans à *Lege antecedenter*, (vel ut simpliciter obligante;) vel Relatio resultans à *conformitate ad Legem*, vel si mavis, à Legis impletione, & officii præstatione.

5. Divinæ Naturæ, sanctitas vel Perfectio, est *Fons Moralitatis* in Creaturis.

6. Divina Sanctitas, sive Voluntas, in se nobis minimè innotescit: Lex igitur nobis hæc non est ut in se, quamvis impropriè dicta à pluribus *Lex Æterna.*

7. Attamen ejus *Voluntas* de hominum officiis & jure, ut significata nobis, est ipsissima Lex Divina; ubi *signum* est quasi *Corpus*, & *Voluntas* significata quasi Anima Legis.

8. *Moralitas derivata*, est in *Lege* ut in *Regula*, *viz.* ut *Instrumento significante* Voluntatem Divinam, & *regulante* Voluntatem humanam illâ significatione.

9. *Moralitas nostra primaria* est nil aliud nisi *Relatio Debiti* erga Deum & alios, resultans ex Legis obligatione vel constitutione; vel ex Voluntatis Divinæ de Debito nostro, significatione. Et hujus Moralitatis tota formalitas consistit in *Jure* vel *Debito*; *viz.* vel in *Jure* Essendi, vel Agendi; vel Habendi, vel Pœnas ferendi consequenter.

10. *Moralitas nostra secundaria* est Relatio *qualitatis inhærentis*, vel *Actionis præstitæ*, & inde *Personæ*, ad Regulam, *i.e.* ad Voluntatem Divinam Lege significatam (vel ad obligationes Dominii & Beneficiorum.) Et hæc Relatio est *Rectitudo*, vel ipsa *Conformitas* ad regulam (ut malum è contrario est *Disconformitas*, vel aberratio.)

11. Ut *Relatio primaria* ad regulam est nil aliud nisi [*Debitio* vel *Jus*] ita *secundaria* nil aliud est quàm [*Justitia* vel *Injustitia.*]

12. Etsi *notissima* est *obligatio Legis imperantis*, tamen Debitum quoddam oritur à *Proprietate Domini*, & ab *Amore beneficii*, & *Amabilitate boni* & *Benefactoris*, formaliter quâ talibus: Et hæc obligatio etiam est *Moralis.* At nunquam hæc Jura dividuntur, etsi formaliter distinguuntur.

13. Plurima hîc quærenda sunt ad sensum prædictorum eruendum, & primò, *Utrum pertinet ad Rectorem docere subditos?* *Resp.* Etiam; Ad Rectorem *Paternum* infantum vel insciorum; Et etiam *Reges* humani subditos erudiri curant, de Legum & Mandatorum sensu per præfationes; & rerum & causarum descriptiones: Præterquam quod de Parentum & Præceptorum officiis in juvenum eruditione præstandis, curare debent.

14. Q. *In quo formaliter consistit Rectoris Authoritas? Resp. Rectoris* absolutè *supremi*, & *Rectoris simpliciter quâ talis*, *Authoritas* consistit formaliter in *Jure Regendi*, sine *obligatione* strictè sic dictâ: At *Rectoris subordinati* Authoritas est formaliter *mixta* ex *Jure* & *Obligatione*: Jus habet ad *honorem*, & *obligatur* ad *officium.* Et Deus ipse etsi non strictè *obligatur*, tamen est sibi ipsi in perfectione Potentiæ, Sapientiæ & Bonitatis, quasi transcendens obligatio: Et Rectores supremi contrahentes, etiam per consensum proprium obligantur.

15. Q. *Utrum Legislatio, Judicium & executio, sint totum opus Rectoris? R. Eruditio Intellectûs*, *Imperium Voluntatis* (sive Jurisdictio largè sic dicta) & *executio per Potentiam*, sunt totum opus Rectoris. *Judicium* non est necessarium nisi tantum ad Causas controversas decidendas, & ad veritatem in dubiis declarandam: Præcipuè in processu Divino, ubi sæpissimè vel Legis ipsius claritas lites sufficienter prævertit, vel ipsa *Executio* loco *sententiæ* eas dirimit. Et ubi *Judicium* est necessarium,

necessarium, est mixta pars *Regiminis* ex *Imperio & Exequutione*, ut *Legem producit & interpretatur*, & ut ad executionem causam tradit.

16. Q. *Quid nomen* [Lex] *significat*? R. A scriptoribus sæpe usurpatur,

1. Impropriè
   1. Magis, *i.e.* pro Natura & Voluntate Divinâ ut nondum significatâ (quæ dicta est Lex æterna.)
   2. Minùs; *viz.* 1. Pro obligatione Dominii. 2. Pro obligatione Beneficii. 3. Contractûs. 4. Decentiæ.
2. Propriè: ut explicabitur.

17. Q. *Quid est Lex propriè dicta*? *R.* Est signum Voluntatis Rectoris, subditorum Jus, vel Debitum instituentis, ut Norma officii & judicii; vel Authoritativa institutio Debiti, *viz.* officii & præmii vel pœnæ, ad fines regiminis, (vel ut Instrumentum Regiminis.)

18. Omnis Lex est *Rectoris*, quâ talis: informatur enim ab *Authoritate Imperantis*. Populi leges vel proveniunt ab Authoritate democraticâ, vel sunt nudi contractus, & impropriè dictæ Leges.

19. Non tantum *summa potestas* (ut multi asserunt) sed etiam inferiores Magistratus per potestatem à summâ derivatam *Leges* aliquales (propriè sic dictas) ferre possunt: Etsi summa & primaria Legislatio, à summâ potestate est inseparabilis, tamen leges condere subordinatas & particulares, ad subordinatas pertinet potestates; quandocunque talem potestatem inferioribus derivare Majestati placet; ut in plerisque Civitatibus majoribus videre est.

20. Quia *Voluntas* est facultas *Imperans*, & practicè determinans, ductum Intellectûs semper supponens, ideo Lex à *Voluntate* potiùs quàm ab Intellectu denominari debet; etsi *Intellectus* etiam in descriptione possit nominari.

21. Quia Voluntas Rectoris per se non innotescit, ideo per Leges est *significanda*; & omnis Lex est in genere *signi*.

22. Qui verbale mandatum, vel præceptum instantaneum particulare, vel præcepta Magistrorum, herorum, & Parentum, negant esse *Leges*; vel nomen *Legis* ad speciem unam eminentem & eximiam appropriant, & ita de nomine malè ab ipsis arctato litigant, vel imperitè errant: Quodcunque enim requiritur ad essentiam veræ Legis in sensu proprio & generali sic dictæ, in *præceptis*, & *mandatis* antedictis invenitur.

23. Sicut omnis LEX est sub genere SIGNI, ita plura essentialiter significat; *viz.* 1. Mentem & Voluntatem Imperantis, de subditorum *debito* vel *jure*. 2. Materiam imperatam; vel *præmium* aut *pœnam* institutam. 3. Subjecti *Debitum* vel *Jus* circa istas materias.

24. LEX est signum 1. *Voluntatem* Imperantis *Revelans*. 2. De *Materiâ Imperatâ* (vel prohibitâ) seligendo *Determinans*. 3. *Debitum* autem ipsum *Causans*, *Instituens*, vel quasi *Creans*.

25. Lex igitur est Rectoris *Regendi Instrumentum Morale*: ubi 1. Voluntas Imperantis est Causa Efficiens prima: 2. Lex est Causa Debiti Instrumentalis: 3. *Materia* præcepta est antea considerationis Physicæ, ut Actio, *&c.* jam autem considerationis Moralis. 4. Effectum proprium est Debitum vel Jus.

26. Qui [*signum*] esse Genus quoad *Legem*, vel *Legem* ad Genus *signorum* reduci nolunt, quia scilicet non terminis Logicis, sed *Politicis* hic utendum est; ii Politicæ & Regiminis honori (vel potiùs sui) haud bene consultum esse volunt; Quasi scilicet Politica rationi & Logicæ renunciaret! vel secundum rationalem Methodum, & per terminos naturæ rei adaptatos, tractari nec oportet nec posset! Vel quasi Juristas omnes de sensu terminorum quibus utuntur ignaros esse sit laudabile.

27. Horum item *signorum* diversa est quasi Materia, 1. Leges aliæ enim sunt in *signis rerum* seu *Operum* Divinorum; Creationis videlicet vel *Providentiæ*; ordinariorum vel extraordinariorum. 2. Aliæ sunt in *signo vocis* (ut Dei ad Abrahamum, utrum per Angelum, an per modum, aliquem nobis incognitum; aut per Inspirationem internam voci æquipollentem.) 3. Aliæ item sunt in *scriptis*; & sic de cæteris.

28. Promulgatio necessaria non est pars Legis, at est pars completæ Legislationis; & est *Causa sine quâ non*, obligationis ad obedientiam: Sicut *Revelatio necessaria est Causa sine quâ non*, obligationis ad fidem.

29. Quando autem per ipsum stat subditum, quo minùs ei Lex Divina promulgetur, & facit Legislator quodcunque status, & sui, & subditorum, & reipublicæ à sapiente, justo & bono requirebat. *Promulgatam* quidem Legem fuisse reputativè dicendum est, etsi non actu promulgetur, & subditorum inobedientia redditur inexcusabilis, *e. g.* si præcones Rectoris subditi vi repellant, & nuntium ipsorum audire nolint.

30. [Obligatio] legum est metaphora; sed communiter & non ineptè hic usurpata siquando autem quis de nomine controversiam moveat, per terminos magis proprios est explicanda: Et [*facere debitum*] seu [*jus instituere*] est Actionis Legum maximè propria denominatio.

31. Per nomen [*Institutionis*] Legislatio à Judicio discernitur: Legislatio etenim [*Jus* vel *Debitum instituit* vel *facit*:] *Judicium* autem tantum *Jus controversum decisione* vel sententiâ declarat. Legis effectum est *Jus institutum*; sententiæ autem, *Jus judicatum.*

32. *Authoritas Imperantis* est parens vel Causa Efficiens hujus *Obligationis, Debiti,* vel *Juris,* quâ talis: Et ita eadem *Authoritas* est *formale objectum obedientiæ* (sicut Veracitas Revelantis est formale objectum fidei.) Quicunque *obedientiam* præstat, ideo præstat, quia per Authoritatem (id est, Jus Regiminis) habentem præcepta est: Et qui idem facit, at non *quia præceptum, materialem* tantum præstat obedientiam; id est, propriè loquendo, *Nullam*; Quia *forma* denominat.

33. Etsi Leges ut plurimùm obligant, aut ad obedientiam, aut ad pœnam; id est, aut *debitum obediendi,* aut *pœnas dandi* instituunt; Hi tamen non sunt omnes Legum Actus: 1. Quando etenim idem qui *Rector* est etiam *Dominus,* & quâ *Dominus,* & quâ *Rector* subditorum proprietates per *Leges* potest distribuere, stabilire & ordinare; Quod de suo disponit, agit ut Dominus; Quod autem hoc facit per Legum ordinationem ad fines Regiminis, Rectoris hoc est. Et ita propriè Lex dicenda est, per quàm Deus Israelitarum partivit hæreditates; Non tantum quia aliorum injustam prohibuit occupationem; sed quia *proprietatem* stabiliendo jus dedit possidendi; & [*Non furaberis*] est *alia* Lex consequens.

34. Ita etiam quando idem est *Rector* & *Benefactor,* instituendo obedientiæ *Præmia,* veram Legem condere dicendus est. Etsi enim *Beneficium,* quâ tale est à *Benefactore, Præmium* tamen quâ tale potest esse à *Rectore.*

35. Et in hoc casu nomen ipsum [*Obligationis*] quoad subditum ineptum est: Non enim ad præmia recipienda per Legem præmiantem propriè *Obligati* sumus; sed tantum *Jus nostrum ad præmia instituitur.*

36. Quia Lex operatur tantum *significando* instrumentaliter *Voluntatem Legislatoris,* eo igitur tempore, & eo modo tantum operatur, quo illam Legislator operari voluit.

37. Lex igitur (ut & Donatio) hodiè facta, si sit in diem, non ante diem determinatum operabitur; fortasse etiam non nisi post plurima sæcula.

38. Si item sub conditione aliquid donat, vel *jus instituit,* ante præstitam conditionem non omninò ad *jus constitutum* operabitur; quia scilicet ita voluit Donator vel Legislator.

39. Conditionis tamen præstatio, quâ talis, non est causa illius operationis, vel juris, sed tantum remotio impedimenti: Conditionem enim non præstare, Legislator voluit esse operationis, effectus seu juris impedimentum & suspensionem.

40. At si conditio aliquid in se continet meritorium, ejûs præstatio est causa effectûs meritoria: At hoc non est quia est *Conditionis,* quâ talis, præstatio, sed ex natura *Materiæ,* quia scilicet meritoria est.

41. Quando Lex vel Donatio prius (per suspensionem)) operans, operari jam

jam incipit, hoc non fit ex novâ aliquâ Legislatoris actione, sed ex subditorum actionibus, quibus impedimentum removetur, *e. g.* Deus jamdiu Legem tulit, vel promissionem fecit, quod omnis in Christum verè credens justificabitur: Innumeros credentes dehinc Lex illa justificavit, vel si mavis condonavit sine actione ullâ Divinâ Legislatione illâ posteriore.

42. Legis item Actio non est ita transiens ut sunt actiones physicæ, sed continua dummodo rationes agendi continuantur, *e. g.* Præceptum obligans continuò obligat (etsi non *ad semper* ut loquuntur) & promissio seu donatio Evangelica quæ instrumentaliter justificat, & peccata præterita remittit, continuò justificat, & ea remittit; id est, continuò *Jus dat ad impunitatem & justificationem* per sententiam Judicis & executionem.

43. Legum itidem Actio sæpissimè mutatur, absque Legislatoris vel minimâ mutatione. Ita enim fieri voluit Legislator, quando Leges ut instrumenta Regiminis condidit, *e. g.* Quando Lex Evangelica dicit [*Quicunque credit in Christum Remissionem accipiet peccatorum*] per hanc non credens remissionem non accipit; quam primum autem credit, condonatur; Et si (per possibile vel impossibile) supponamus eum sæpè fieri *infidelem* (vel *impœnitentem*) & iterum sæpè *fidelem* (vel *pœnitentem*,) sæpè itidem jus ad impunitatem amitteret & reciperet; *viz.* sine reali mutatione ullâ vel Dei vel Legis, sed per *nudam resultantiam* ex mutatione peccatoris. Talis igitur mutationis respectivæ, qualis hîc asseritur, imputatio, neque Legem, neque ipsum Legislatorem dedecet.

48. Sicut enim Lex est Voluntatis Imperantis *signum*, & *significando* tantum operatur; ita dicendum est, eam impœnitenti infideli significare, Voluntatem Divinam illi remissionem peccatorum jam denegare; & eidem pœnitenti & fideli Voluntatem Divinam jam remissionem concedere. Voluntati scilicet Divinæ mutatio hæc denominatione tantum extrinsecâ adscribitur, sine ullâ reali mutatione: sicut Rupes ad fluctus transeuntes, vel ad lævam & dextram transfretantium aut prætergredientium se habere dicenda est.

45. Actio igitur Legum, Testamentorum, donationum, non est physica, propria, vera actio; sed tantum *moraliter* seu *reputativè* sic dicta; qualis est omnis actio *fundamenti* quoad *Relationem* inde resultantem: & omnis *signi* objectivè ad rem significatam; sicut literæ & libri instruunt, & Epistolæ nos de amicorum salute certiores reddunt: Tota enim Actio vera Physica est *Rectoris facientis*, & *subditi observantis*, inter quos hæc signa sunt *effecta* actionis *Rectoris*, & *objecta* actionum observantis; nimirùm ut norma *officii* & *judicii*. Sicut enim tota *Moralitas* nil aliud reverâ est *formaliter* quàm *Relationes*, ita non aliter efficitur quoad formam, quàm per resultantiam ex fundamento.

46. Ad unum idemque officium præstandum, plures esse possunt obligationes, vel fundamenta *debiti*; & ita plures etiam Leges obligantes.

47. Potentiam veram naturalem obsequendi, seu facultates, Lex semper supponit; non autem & *Dispositiones Morales*, seu *Inclinationem* ad obediendum. Ideò enim fit Lex ut *facultates* seu *potentias naturales* præexistentes in exercitio dirigendo ordinet; & ut Dispositiones obsequendi, informando & excitando efficiat, vel agat.

48. Lex autem quâ talis non *Eventum* prænunciat, sed tantum *Jus* vel *Debitum* instituit: Et quando dicit Legislator, [*Non occides*, *non furaberis*,] &c. sensus non est [*Hoc non eveniet*;] sed tantum [*Hoc tibi prohibitum est*] vel [*Non occidere*, &c. *debes*.]

49. Dum tamen Lex semper, & in suâ naturâ, est *Instrumentum Regiminis*, & norma ut *officii*, ita & *Judicii*, Legislator secundariò in illâ *hoc* subditis etiam *de eventu prænunciat*, per ipsam scilicet Legis fabricationem; *viz.* se Velle secundum hanc Legem subditos suos regere, & sententiam de ipsis ferre, & exequi; ordinariò scilicet, & nisi ex causis extraordinariis majoribus aliter sibi visum fuerit.

50. Aliquando item Lex *peremptoria* dicta ad nudam Legis naturam, prædicationes de eventu superaddit: Et ita Lex Evangelica impœnitentibus & infidelibus spem omnem veniæ & salutis ex mutatione aliquâ post vitam præsentem, peremptoriè præscindit.

51. Lex integra Debitum duplex instituit: 1. Quid *à nobis erit Debitum* erga Deum; *Præceptis* hoc fit & *Prohibitionibus*; (vel si mavis, *Præceptis* de agendis & non-agendis.) 2. Quid *nobis Debitum* erit à Deo; *viz.* 1. *Præmia* obedientibus, 2. *Pœnæ* peccatoribus.

52. In Lege *quâ Lege*, Pars præceptiva, est semper *Principalis*; & pars *Præmians & Puniens* est tantum subserviens, ad obedientiam debitam promovendam.

53. At in *Regimine Benefactoris*, ubi *Beneficia donanda* primariò intenduntur, & *Lex ipsa* tantum fit ut *medium ad fines Amoris ordinatè obtinendos*, ibi *Donatio* vel *Pars præmians* potest esse *Principalis*, & *præceptiva* tantum subserviens; & ita quibusdam res esse videtur in Lege Evangelicâ.

54. At reverâ propiùs inspicienti patebit, quod sicut in Personis & in Principiis Divinis (Potentiâ, Sapientiâ & Amore) nulla est præstantiæ prioritas, inæqualitas nulla; ita & in *Relationibus* item Divinis se res habet; & ideo sicut Deus Legem ferendo agit in *diversis*, sed *conjunctis* Relationibus, ita illud quod Principale est ut ab unâ Relatione, non est Principale quoad alteram: Et ita ut *Rector* primò *sanctitatem perfectam obedientialem* intendit, & *Præmia* fecit motiva subservientia; At idem ut Benefactor *fælicitatem & Amorem* primò intendit, & obedientiam ut medium & viam præcipit.

55. At ut horum mirandam concordiam perspiciamus, considerandum porrò est, hos etiam fines qui diversi esse videntur, realiter unum esse eundemque: Sanctitas nempè præcepta, quæ est finis Regiminis, nil aliud est quàm *Amor* qui est finis Amicitiæ. *Amor* & *Sanctitas*, dico, idem sunt; & *idem illud*, est ipsa hominis fælicitas, & perfectio, & finis, & Regiminis, & Amicitiæ; quoad *Actum*, *viz.* sicut Deus ipse est *finis objectivus*.

56. Legislator est supra suas Leges: Ipsius etenim Voluntatis sunt effecta & instrumenta.

57. Ubi justa igitur causa est, Leges abrogare & mutare potest ad libitum.

58. Quia Lex universalis quæ ordinariè & plerisque convenit, extraordinariè tamen & alicui, in casu singulari potest non convenire, Legislator ideò in tali casu Dispensare potest de præcepto, ut non obliget.

59. Dispensatio talis de præcepto est Legis particularis abrogatio; Quia ad hunc, & in hoc singulari casu, fit nulla; manente tamen obligatione communi.

60. Interpretatio necessaria Legislatoris, non est Dispensatio; ut neque Judicis interpretatio κατ' ὀπείκειαν.

61. Mutatio autem Legum frequens & non necessaria, est Legislatoris dedecus; quia ipsum esse vel mutabilem, vel ignorantem, & rerum mutationes non prævidisse, innuere videtur.

62. Etsi non deest Rectori supremo Authoritas mutandi suas Leges, ubi tamen ad rerum naturas adaptantur, mutare illas non debet, quia in pejus non mutandæ sunt.

63. Multo minùs ubi Leges sunt Imagines ipsius *Naturæ* Imperantis, & ita ab ejus perfectione profluunt, ut aliter statuere non possit, sine mutatione vel naturæ subjectorum, vel propriæ; Tales autem sunt quædam Leges Divinæ.

64. Rectori item supremo Authoritas non deest, suarum Legum pœnas remittendi, & peccantium crimina condonandi.

65. Sin hoc fuit aut leviter & sine gravi causâ, vel frequenter nimis & ordinariè, vel sine cautela & provisione contra incommoda aliter sequutura, à sapientiæ & justitiæ Rectoris honore plurimum erit derogatum, & ipsæ Leges in contemptum venient, & subditi fient audaces ad peccandum, & ipsi Regiminis fines subvertentur; & ab ipsius *Veracitatis* Rectoris honore nonnihil etiam erit derogatum; Quia Leges has faciendo, ipsas declaravit, futuras esse sui *Judicii* normam, & ita expectationis subditorum. (Unde, obiter, patet, quare Deus peccata condonare noluit, sine Christi sacrificio, ut medio conveniente, ad justitiæ suæ Gloriam sartam tectam tuendam, & ad fines Regiminis optimè obtinendos.

66. Etsi igitur ex mera Legis comminatione (si non sit peremptoria & veniæ exclusiva) nemo eventum certò prænunciare potest, de sonte unoquoque *singu-*

gulari

gulari; eventum tamen ordinarium inde prædicere poſſumus ; & nemo ſons impunitatem ſibi poteſt promittere.

67. Promiſſiones autem Lege factas Legiſlator, etſi Rector Abſolutus, imò & Dominus, ſine injuriâ violare non poſſe videtur: Quia Beneficii jus quoddam etiam pro futuro promiſſariò dedit, quod ſine ipſius vel conſenſu, vel crimine, per ingratitudinem, vel conditionis non-præſtationem, revocare contradicente fœdere, & ita promiſſionem violare, jure non poteſt, aut Deus veraciſſimus, juſtiſſimus & optimus non vult.

De Lege Naturæ.

1. Lex omnis ſupponit, 1. Perſonam regentem, cujus Voluntas ſubditis patefacienda eſt; 2. Subditos regendos, per potentiam activam, intellectum & voluntatem obediendi naturaliter capaces : 3. Et in ſubditis probis & bene moratis, diſpoſitionem etiam moralem, promptitudinem ſcilicet, peritiam & amorem, ſæpiſſimè materiæ, ſemper autem formalis obedientiæ, & Rectoris Voluntati perplacendi.

2. *Lex Naturæ* æquivocè dicitur : Aliquando enim ſumitur, I. Impropriè, *viz.* α Pro Diſpoſitione vel Inclinatione ad actum aliquem, *viz.* 1. Pro inclinatione neceſſitante, *viz.* 1. Naturæ materialis paſſivæ, (ut terræ ad quieſcendum, gravis ad deſcenſum, *&c.* 2. Naturæ Vegetativæ : 3. Naturæ Senſitivæ : 4. Naturæ Rationalis quoad ſui fælicitatem, & quædam alia. 2. Pro inclinatione vel habitu non-neceſſitante. β Pro neceſſitate patiendi. II. Propriè; pro Voluntate Divinâ ut naturaliter ſignificatâ, vel ſignis naturalibus Voluntatis Divinæ.

3. Inclinatio humana naturalis quæ *Lex Naturæ* dicitur, eſt vel, 1. In Intellectu, *viz.* ubi eſt diſpoſitio & aptitudo ſpecialis Naturalis, ad Veritates quaſdam intelligendas. 2. In Voluntate: ubi ſemina quædam, vel reliquiæ virtutum moralium adhuc hoſpitantur. 3. In potentiâ executivâ, ubi ad bona quædam agenda ſpecialis quædam naturalis promptitudo eſt.

4. Notitiæ nullæ actuales Intellectui naturaliter à nativitate inſunt : ſed quoad notitiam actualem Intellectus infantilis eſt vacuus, vel raſa tabula.

5. Intellectus à nativitate naturaliter adeò diſpoſitus & aptus eſt, ad notitias quaſdam præ aliis recipiendas, ut inde dici poſſint Notitiæ Naturales : Et quoad hanc naturæ præparationem, Intellectus non eſt *raſa tabula.*

6. Ita etiam voluntati non inſunt boni moralis aliquæ actuales Volitiones, ſed tantum ad illud diſpoſitio virtuoſa; quæ ideo Virtus Naturalis rectè appellari poteſt.

7. Notitiæ, & diſpoſitiones hæ virtuoſæ non propriè dicuntur [Lex ;] niſi ut in genere objectivo cum aliis mundi partibus numeratæ & conjunctæ. 1. Lex enim propriè ſic dicta debitum, vel jus *inſtituit* ; Legem autem vel debitum noſcere, non eſt debitum *inſtituere.* 2. Lex eſt formaliter *ſignum*; Notitia, vel Virtus non eſt formaliter ſignum. 3. Lex eſt ſub genere objectivo, quoad ſubditum : Notitia formaliter eſt ſub genere Actionum. 4. Aliter Legem ferre, & Legem intelligere eſſet idem ; vel ſaltem, Legem ferre, & Legis notitiam alicui dare. 5. Qui novit jus vel officium ſuum, novit jus vel officium jamjam inſtitutum : Officium enim vel debitum noſcere, non eſt illud debitum facere ; Objectum eſt ante Actum. Jus eſt ante Juris ſcientiam : Igitur Juris vel debiti inſtitutio, & ergo etiam Lex debitum faciens, neceſſariò ante debiti notitiam extitit; ſin autem Lex notitiam juris antecedit, non ſunt idem. 6. Lex eſt effectus Legiſlatoris, quâ talis, & actus Legis eſt ejus actus: Notitia juris eſt actus noſter; non uſque quaque Deo ut Legiſlatori imputandus 7. Lex enim Dei eſt perfecta : Notitia noſtra eſt imperfecta. 8. Lex una & eadem eſt ; Notitiæ juris ſunt tot & numero & gradu diverſæ, quot hominum capita in mundo aut ſunt, aut unquam fuêrunt. 9. Lex Dei immutabilis eſt ; at juris notitiæ maximè mutabiles. 10. Ubi nulla eſt Lex, ibi nullum peccatum : At ubi minima juris notitia (utpote per peccatum obliterata) ibi maximum plerumque peccatum eſt.

11. Legem

11. Legem Dei ſubditi ejus non poſſunt abrogare, aut nullam facere; At notitiam juris, vel ſaltem diſpoſitionem voluntatis virtuoſam, obliterare, perdere, annihilare poſſunt. 12. Legem habere non eſt ſubditorum *meritum* (vel actus vel ſtatus moralis laudabilis) Legem etenim habent tam violatores ejus, quàm obſequentes: At notitiam juris habere cum diſpoſitione obſequendi, vel Virtute Morali, eſt ſubditorum ſtatus vel actus Moralis laudabilis.

8. *Lex Naturæ* propriè ſic dicta eſt [*Mundus viſibilis & intelligibilis, ſeu univerſa rerum Natura* (ſcilicet Creaturarum & Actionum ſeu Mutationum Divinarum) *quatenus ut inſtrumenta Divini Regiminis, voluntatem ejus ſignificando, ſubditorum debitum inſtituunt.*]

9. *Hominis ipſius* igitur *natura,* cum naturalibus ad obedientiam, & ad ſuperiora diſpoſitionibus & virtutibus, ſunt *Legis* Naturæ propriè ſic dictæ *Pars* quidem *notabilis*; at non formaliter, ſed in genere tantum *ſigni* & *objecti*, quatenus Voluntatem Dei regentem de debito, homini notam faciunt, ut dictum eſt.

10. Natura ſeu Forma *Juris* vel *Debiti* noſtri erga Deum *Relativa* eſt: Efficitur igitur cauſando vel ponendo ejus *Fundamentum. Natura* autem *Dei ipſius, cum ejus Operibus, & Relationibus antecedentibus*; & *Natura Humana* ab ipſo Conditâ, una cum *naturâ concreatorum omnium,* & *rerum,* & *perſonarum* circumſtantium, & rerum item Divinis & humanis mutationibus, *Fundamentum* illud ſimul ponunt, unde Voluntas Divina de debito innoteſcit, & ipſum jus ſeu *debitum* reſultat.

11. Jura *naturalia* non ſunt *omnia immutabilia*; ſed in quantum *mutari* poſſunt *rerum naturæ* quæ juris ſunt *Fundamenta,* in tantum jus ipſum *naturæ mutabile* dici poteſt.

12. Quædam igitur jura non aliter ſunt mutabilia quàm hominis ipſius naturam deſtruendo; *viz. Debitum reſignationis, dependentiæ, voluntariæ ſubjectionis,* & *Amoris* erga Deum, *&c.* Quædam autem mutantur, objecta creata circumſtantia mutando, *e. g.* Jura magiſtratuum, ſubditorum, conjugum, parentum, liberorum, mortuis correlatis, vel ceſſantibus relationibus; Jus dandi pauperibus, ubi paupertas nulla eſt; Amandi proximos, quando ſolitarii proximos non habent, *&c.*

13. Qui igitur aliquid *jam* eſſe de jure Naturæ colligeret, quia *antea* ita fuiſſe inventum eſt; vel aliquid *mihi* de jure naturæ eſſe concludit, quia *alteri* ita fuiſſe conſtat, hunc certum priùs eſſe oportet, Fundamenta circumjacentia unde debitum reſultare neceſſe eſt, reverâ eſſe eadem, *e. g.* Concubitus cum Sorore jam inceſtus execrabilis eſt: At Adami filiis non ita fuit, *&c.*

14. Difficile igitur admodum eſt jura quædam naturalia certò nota habere, & Conſcientiæ Caſus circa talia determinare; Quia *plurima naturalia* ad certam notitiam & determinationem ſunt omninò neceſſaria: Quorum uno incognito, ſententia vacillaret. In aliis autem determinatio facillima eſt.

15. Q. *Utrum Lex Naturæ comminationem pœnæ contra peccatores continet? Reſp.* Etiam, clariſſimè: Aliter enim & Lex & Rector ſubditis immorigeris, eſſent pro ludibrio: Et ſi bonis & malis, obedientibus & in obedientibus æquè vel bene ſit, vel malè, nulla eſſet Regentis Juſtitia, Regimen nullum.

16. Q. *Utrum Lex Naturæ ſupplicii vel pœnæ perpetuæ comminationem continet? Reſp.* Etiam, ut rei demeritæ, & jure debitæ; at non ut neceſſariò & certò eventuræ: Pœnam minatur ſempiternam, ſed Remiſſibilem; per media ſcil. potentiæ, ſapientiæ & bonitati Divinæ, poſſibilia, nota, volita, ut fini Regiminis admodum congrua: Debitum autem copioſè probatum dedi in Tract. Angl. de Rationibus Relig. Chriſt.

17. Q. *Utrum Lex Naturæ Promiſſum aliquod beneficium ſeu præmium continet? & ita, An fœdus aliquod Dei de Adamo remunerando fuit naturale? Reſp.* Nulla Naturæ Divinæ competit Obligatio, niſi propriæ perfectionis & Voluntatis expreſſio: Deus autem quando (Angelum &) Animum humanum facit naturâ immortalem, id eſt, ad non moriendum naturaliter adaptatum; innuere videtur ſe nolle hunc Animum vel annihilare, vel in aliam ſpeciem, mortalem ſcilicet mutare:

tare; sed talem illum quoad naturam perseveraturum, qualem primò factum esse constat. At hoc non adeò clarè nobis ex natura innotescit, ut certi esse possemus Deum nunquam hominem annihilaturum: Naturam etenim ipsam destruere potest si vult. Et sicut de præterito ex natura Dei, vel rebus jam creatis colligere non possumus, Mundum vel Angelos & Animos fuisse ab æterno; ita neque ad æternum eos duraturos esse certò concludere ex naturâ licebit. At sicut admodum *probabile* est, ita hoc etiam ex natura certò notum est, Deum scilicet quando jam creaturæ Rationalis, fit *Rector*, *Justissimum* futurum esse Rectorem, & animis etiam sanctis *amicum*, & *Patrem amantissimum* & *benignissimum*; & ideo eorum obedientiam plenissimè remuneraturum, & *Amoribus* eorum & sanctis *desideriis* perfectissimè in vita altiore post mortem, satisfacturum; Quod vix cum annihilatione, vel fælicitatis illius amissione, consistere posse nobis videtur: *Perpetuitas* igitur hujus beatitudinis, est inter naturaliter certis proxima; & futura ipsa beatitudo * inter *naturaliter certa.*

* Card. Contarenus contra Pomponatium de Anim. Immortal. dicit Animæ Immortalitatem esse ex mediis naturalibus certam (quod bene probat;) At 1. Statum Animarum post mortem; 2. An Animæ præexisterent, tantum ex revelatione super naturali nota esse: At multa quamvis non omnia etiam de statu Animæ separatæ lumine naturæ sciri *possunt*; *e. g.* Animam futuram esse ejusdem naturæ, fælicem fore, &c.

18. Hinc magna illa & nobilis scholasticorum controversia (quæ per Radam præter cæteros peritè discutitur) solutionem accipere potest; *Utrum scilicet beatitudo cœlestis sit homini naturalis? Resp.* 1. Si [*naturalis*] dicitur, quoad *Naturalem* hominis sancti aptitudinem ad eam possidendam, proculdubio ita [*Naturalis*] est. 2. Si [*Naturalis*] dicitur, quasi *homini sancto* debita ex vi ipsius Legis Naturæ proculdubio item *Naturalis* est: Admodum etenim Naturale est (id est, *Naturæ Divinæ & humanæ congruum*) Deum Imaginem suam sanctam Amaturum, & Amoribus & Sanctis desideriis per Spiritum suum excitatis satisfacturum. 3. Et si de *perpetuitate* beatitudinis tantum quæstio est, *Aptitudo* ad illam si non *possessionis perpetuæ certitudo*, Naturalis est. 4. At si sensus quæstionis sit, *utrum ipsa sanctitas*, seu Amor Divinus *sit homini Naturalis. Resp.* 1. Si illud [*Naturale*] dicitur quod fuit primi hominis perfectio seu integritas Animi, sicut *sanitas* fuit Corporis, tunc proculdubio sanctitatis quidam gradus Adamo fuit [*Naturalis.*] 2. Si id [*Naturale*] dicitur, quod per peccatum amissum, (sicut *sanitas* per crapulam) ad *naturam* tamen *resarciendam*, & ad statum primò naturalem restaurandam, *necessarium est*, & sine quo opera ad quæ natura humana creata est, peragi non possunt, & sine quo finis naturæ humanæ ut creatæ, nullo modo potest obtineri (sicut nec opera communia rectè peragi, nec naturæ solamina obtineri, sine corporis *sanitate*;) tunc proculdubiò sanctitas [*Naturalis*] est. Sicut sanitas sensitiva brutis est naturalis, quæ tamen amissibilis est. 3. Si etiam illud dicitur [*Naturale*] quod *Naturæ integræ* ut finis & præmium per Legem Naturæ fuit à Deo propositum, & oblatum, sanctitas etiam dicenda est [*Naturalis.*] 4. Sin autem illud dicatur [*Naturale*] quod Naturæ est *essentiale* & *inseparabile*, (sicut potentia Vitalis, Ratio & Voluntas) ita sanctitas non fuit [*Naturalis.*] 5. Vel si illud [*Naturale*] dicatur, quod (*Naturæ* jam per peccatum vitiatæ competit, (in sensu composito) sanctitas minimè [*Naturalis*] est. 6. Vel si per [*Naturale*] id intelligitur, quod per media tantum *naturalia*, sine Gratiâ Redemptionis & Sanctificationis, ab ullo peccatorum possit obtineri, ita etiam nec [*Sanctitas*] [*Naturalis*] est: Sicut nec sanitas morboso lethaliter laboranti, qui non habet medicum, aut remedia efficacia necessaria. Nec plura de quæstione hâc dicere opus est; neque sine hisce distinctionibus res est expedienda.

19. Qui è contra sanctitatem minimè *Naturalem* Adamo fuisse asserunt, sed nescio quâ supernaturali Gratiâ superadditam, vel Gratiam illam faciunt creatricem, & ita Gratiam confundunt cum Creatione & Naturâ, vel Deum fingunt ut Creatorem feciſse hominem imperfectum, & ad finem suum ineptum, & quasi morbosum & ægrotum, & deinde per Gratiam defectus hosce creationis emendasse; Quod merum est figmentum, sine aliquâ probatione.

20. Imò

20. Imò hominem faciunt naturaliter non hominem, sed brutum, ut naturaliter non ad scientiam, obedientiam,& Amorem Divinum Creatum.

21. Et qui Beatitudinem negant esse Adamo naturalem (in vita scilicet cœlesti) contra sensum jam assertum, ad infidelitatem homines periculosissimè propellunt: Dum enim nimium Gratiæ Redemptoris tribuere satagunt (quasi Christus hominem fecisset ex bruto, & Naturam aliam specificam Gloriæ capacem nobis donasset, qui talem antea nunquam amisimus; & quasi naturam ad terrestria tantum factam & dispositam, ad cœlestia tandem redemptione exaltasset,) honorem omnem nimium tribuendo ipsi tandem adiment; & Evangelium hominibus incredibile reddent; Quasi animalia sensitiva ad Gloriam cœlestem Christum redemisse etiam assererent. Imò propriè [*Redemptio*] minimè dicenda est, quæ statum rerum naturalem & primitivam ita mutat, & non in salutem pristinum peccato amissam, restituit; neque Gloriam Lege naturali priùs homini propositam,iterum proponit, sed statum supernaturalem ad quem natura innocens non facta fuit.

22. Q. *An malum consequens peccatum naturali necessitate, dicendum sit à Deo Legislatore institutum esse? Resp.* Tripliciter hæc mala sunt *pœnæ*, & ad Legis ordinationem pertinent: 1. Quatenus Creator ita naturam humanam fabricavit, ut mala ista peccatum necessariò sequerentur: Creando etenim naturam, Legem etiam dedit naturalem; Quæ Lex dicitur, non quatenus est *Necessitas*; sed quatenus Deus hominem talem faciendo, Voluntatem suam de pœnis consequentibus declaravit. 2. Quatenus Legis præcepta talia fecit, ut eorum violatio hæc mala naturaliter inferret. 3. Quatenus ad peccatorum præventionem & cautelam,hæc mala naturaliter sequentia, homini, monendo prænunciavit. De hisce pœnis postea latiùs dicendum est.

23. Pœnæ tamen quæ à Deo Legislatore præter actum creandi, arbitrariò postea in Lege sunt institutæ, arctiore sensu [*Legales pœnæ*] dici possunt, ut à *malis naturaliter sequentibus* distinguantur.

24. Idem etiam respondendum est ad quæstionem, *an Bona naturali necessitate obedientiam sequentia, sint propriè præmia?* *Necessitas* enim illa naturalis, & *ejus prænunciatio*, & *officiorum talium* institutio, quibus fælicitas naturaliter succederet, sunt actus Dei Legislatoris ad fines regiminis in Regno Naturæ, media ordinantis.

25. Hinc Petavio Theol. Dog. To. 3. p. 344. respondetur, Qui mortem tantum corporis minatam putat, quia mors animæ est ipsum peccatum, *viz.* 1. Privatio Sp. Sancti, seu amissi negatio: 2. Animæ horrores, dolores, *&c.* miseriæ, etiam mors Animæ dici possunt: 3. Et privatio favoris Divini.

De Regimine Antecedente per Revelationem supernaturalem.

Supernaturalem quandam Deum mundi Rectorem hominibus dedisse Revelationem probabile est, 1. Quia sine eâ homo (fatente Pomponatio) de fine ejus incertus erit; & ita de omnibus ad finem pertinentibus: (Gradu saltem molesto.) 2. Quia totum ferè genus humanum naturæ diffidens Revelationi inhiat.

1. Lex jam descripta Naturalis, non fuit *tota* Dei *Lex* Adamo innocenti data; sed tantum *pars* prima & nobilissima; sed ut Media quædam supernaturalia ad finem naturalem à Deo ordinata sunt, ita & *Leges* & *Revelationes* quædam *supernaturales*, à Deo ad media hæc prosperè utenda, factæ sunt.

2. Revelationum harum supernaturalium rationes & usus nobis plurimi prostant; *viz.* 1. Ut humanæ infirmitati, optimè subveniatur, & scientiæ difficultates à distantia, & rerum obscuritate oriundæ, optimè superentur, & ita commodo & saluti humanæ optimè prospiciatur. 2. Ut inter Deum & hominem per communicationis modum, propior familiaritas intercedat. 3. Et per Dei propiorem ad hominem accessum, faciliús hominis erga Deum reverentia, fiducia & amor incendantur & exerceantur. 4. Et ipse homo item ad propiorem, fidentem & alacrem ad Deum accessum, animetur. 5. Et ut mens humana à Deo alienata, tentationibus, & amoribus alienis non pateat.

3. Cum Deus Dei septimo [*quiescere*] dicatur, Voluntatis ejus Complacentiam signi-

significat, in operibus suis creationis, ut *valdè bonis, viz.* Ejus Amorem imaginis propriæ in operibus creationis jam perfectis resplendentis: Et Deum ipsum esse Finem ultimatè ultimum suorum operum (& ideo nostrorum etiam) significat; *viz.* Voluntatis ipsius impletionem & complacentiam; & non tantum nuda operandi cessatio, hisce phrasibus innuitur.

De Sabbato & Die Dominico Tractatum scripsi peculiarem, ideoque controversias de hisce hic pertranseo.

4. Cum autem diem septimum Deus benedicendo sanctificasse dicitur, significat Deum hunc diem separasse, ad sacram Creationis commemorationem, & ad Omnipotentissimi Creatoris laudes ab hominibus solenniter cum delectatione summâ celebrandas.

5. Sapienter Deus hominem primò probare voluit, per prohibitionem, vel præceptum positivum de non-agendo, *viz.* de non edendo fructum Arboris Scientiæ; & non per præceptum de agendo; nullâ etenim modestiâ vires ad non-edendum sibi defuisse, fingere potuisset, dum culpæ reatum excusare, vel à sese amoliri conaretur.

6. Sacramenta illa & præcepta de Arboribus horti, Adamo clarè revelata fuerunt, & ab ipso probè intellecta; Nobis autem doctrina de eorum naturâ & usu, concisè & obscurè traditur; quia non æquè ad nos (ac antea ad Adamum) eorum clara cognitio pertinet.

7. *Arborem Scientiæ* dici probabile saltem est, quia ex fructus ejus esu Scientia aliqualis Adamo augenda esset.

8. Utrum autem Scientia illa ipsi adventura esset, per fructûs virtutem aliquam naturalem, spiritibus & sensibus ad actus Intelligendi promovendos, congruam; aut per meram operationis Divinæ (decretæ) concomitantiam; aut denique per seram tantum Adami experientiam, neque ex natura, neque ex S. Scripturis nobis jam clarè & certò patescit.

9. Majus autem dubium, & difficilioris solutionis est, *Quænam & qualis fuit illa Scientia quæ per fructûs esum Adamo obventura esset?* (De quò postea suo loco.)

10. Qualiscunque autem illa fuit, aliqualis *Scientiæ* cupido hîc Adamo prohibita est; & non tantum fructûs esus corporalis.

11. Unde liquet non omnem Scientiam esse *moraliter, bonam*, nec *desiderabilem*; utpote non ad Dei honorem in via obedientiæ, neque ad hominis opus vel fælicitatem, conducentem. Aliqualis enim Scientia est involuntaria, crucians, & miseriæ pars & instrumentum.

12. Hinc etiam patet istius *Scientiæ* (qualiscunque tandem ista sit) cupidinem inter periculosa, frænanda, (& in statu peccati ubi semper inordinata est, inter peccaminosa) animæ desideria seu pathemata, numerandam esse.

13. Et proculdubiò adhuc inanis, & inutilis, si non nòxiæ Scientiæ cupido; haud minimus mundi ægrotantis morbus est; ut quæ ad tempus breve pretiosum inaniter conterendum, ad Scientiam maximè necessariam excludendam, & ad animos ab obedientiæ, sanctitatis, & fælicitatis veræ, & studio & opere avertendos, & apta nata est, & usitatissimè ab animarum perditore adhibetur.

14. Scientiæ hujus prohibitæ, (vel ejus cupidinis) cognitio, quærenda videtur à fine hominis, & à mediorum ad finem, ratione. DEUS ipse proculdubio naturæ intelligentis fuit finis ultimus (quoad debitum & naturæ aptitudinem) naturalis: Creatura omnis, & omnis ejus cognitio & usus, ad finem hunc, ut media, adhiberi debuissent; Et omnis alia creaturæ cognitio, & usus fuit contra naturæ humanæ & præcellentiam, rectitudinem, & debitum, & ideo peccatum, & via ad infælicitatem: Scire DEUM, & imaginem ejus in creaturis, & Omnia ut Ab Ipso, Per Ipsum & Ad Ipsum, est Intellectus humani & opus & decus. At quando Mens hominis à Deo ad seipsum averti incipit, & sibi ipsi ut fini ultimo adhærere, & in seipso sufficientiam & fælicitatem quærere, & ita quasi *Deus sibi* esse vult, ut *primò-Amandus*; tunc statim sibi ipsi *prospicere* incipit, & vice Dei se curare, & regere, & consequenter Deus quidam esse vellet, quoad cognitionem rerum ad finem suum inordinatum conducentium; & Bonum & Malum sensitivum, & media omnia ad carnis & mentis superbientis complacentiam, com-

perta habere maximè cupit. Quorum *plurima* planè *nescire*, & *omnia aliter scire*, optatissimum foret.

15. Mandatum de laborando in horto fuit partim *naturale*, (quatenus corpus in opere congruo exercendum erat] & partim supernaturale (scilicet quoad *Revelationem*, non quoad materiam) quatenus & locus, & opus à Deo arbitrariò eliguntur.

16. Ita & Lex de conjugio fuit mixta: Partim naturalis (ut unicus unicæ ordinariò conjungatur) & partim supernaturalis seu arbitraria, & ideò in casibus quibusdam dispensabilis.

17. *Sanctio pœnalis* item *mixta* fuit: Sicut enim sempiterna pœna peccatori naturaliter debita fuit, ita arbitrariò Deus *modos* quosdam puniendi selegit, & *peremptoriè* de partibus quibusdam pœnæ infligendis, determinavit.

18. Unde satis constat non supervacuam fuisse hanc Legem pœnalem positivam; etiamsi *Lex Naturæ* pœnæ vel maximæ debitum instituit; propter rationes scilicet in discrimine recitatas: Et quia Rectori optimo, sapientissimo, justissimo, visum est, & volitum, Adamo adhuc innocenti, at tentationibus statim probando, præmonitiones apertissimas de malo pœnæ peccatum sequuturo dare.

Cap. XIV. § B. *De Statu & Gestis Hominis sub hoc Regimine.*

I. In primo instanti post Legem latam; Homo fuit
1. Relativè, adstrictus, ut Dei, proprius, subditus, filius.
2. Dispositivè *Sanctus*; sed *labilis*, & nondum confirmatus.
3. Activè, Integer, in exercitio officiorum præscriptorum.

II. In secundo instanti fuit Tentationibus (Divinâ permissione) probatus; ubi considerandum.

1. Quis Tentator? Satan, sub specie serpentis: Angelus lapsus malignus, hominis, & sanctitatem, & innocentiam, & fælicitatem invidens.
2. Ad Quid? 1. Ad peccatum postea descriptum; 2. Ut Homo perderetur; 3. Ut Deus offenderetur.
3. Quibus mediis?
   1. Fœminam non virum primò oppugnando, & virum deinde per fœminam.
   2. Sensus per fructum, & inde Phantasiam, non intellectum primò alliciendo; & per sensus animum.
   3. Auxilia Rationis profligando; *viz.*
      1. Verbi Divini Veritatem negando, & suum ut Verius obtrudendo.
      2. Periculum & pœnam minatam negando, & impunitatem promittendo.
      3. Bonum superius abscondendo, & bonum à seipso promissum ostentando; & ita
         1. Sui-ipsius Amore abutendo; ad cupidinem
            1. Voluptatis sensualis.
            2. Honoris & scientiæ & sufficientiæ Divinæ.
            3. Fructus vetiti, ad hæc obtinenda.
         2. A Deo hominem avertendo; calumniando Deum
            1. Quasi mendacem.
            2. Quasi malum, & hominis Gloriæ & fælicitati invidum.
            3. Quasi injustum, qui pœnas minatas inferre, aut non potuit, aut noluit.
         3. Et ita Animum ipsum, Intellectum, Voluntatem & Potentiam corrumpendo.

III. In tertio instanti igitur, Homo est Legis transgressor: ubi consideranda veniunt.

I. Peccatum

I. Peccatum ipsum, *viz.*

I. Ut, QUID? 1. In Genere; fuit Aversio Hominis à Deo, ad se per Diabolum.

2. Particulariter: 1. Omissio Regiminis debiti in sensus; 2. Et Cogitationes; 3. Et Appetitum & Passiones; 4. Inde simul inordinata Voluntatis adhæsio, ad bonum inferius apprehensum; 5. Et Voluntatis Omissio, quando *Intellectui* imperare debuit, considerare scilicet de Verbo Dei, & de malo peccandi. 6. Omissio Exercitii Amoris erga Deum. 7. Appetitus sensualis inordinatus, cum inordinatis cogitationibus. 8. Voluntaria de re prohibitâ deliberatio, & ausultatio Diabolo seducenti, ubi obedientiæ propositum remittitur. 9. Voluntariè audire Deum blasphematum. 10. Credere Diabolo contra Deum. 11. Concupiscere prohibitum, & non suum. 12. Ambitio & superbia. 13. Timorem animi vigilem rejicere. 14. Creatoris Domini negligenter oblivisci. 15. Omnipotenti Reverentiam debitam denegare; 16. Et Rectori supremo obedientiam; 17. Et ipsi Veritati fidem. 18. Negare item Divinam Sapientiam; 19. Et justitiam Dei, & Sanctitatem. 20. Beneficia ejus maxima & quamplurima ingratâ oblivione contemnere. 21. Ab infinita Bonitate Amorem avertere. 22. Deum implicitè, & per actiones blasphemare quasi malum, invidum, mendacem, insipientem, injustum, si non impotentem; qui mundum regere non potuit sine mendacio. 23. Ut Idolum se supra Deum extollere, quasi sapientior, melior & aptior esset ad sui regimen. 24. Concupiscere & ambire quandam Deitatem, sufficientiam & autonomiam. 25. Et tamen se deprimere ad vilitatem bestialem, dum facultates mentales sensitivis subjecit. 26. Et seipsum dum exaltare vellet negligentiâ crudeli perdere. 27. Et mundum nuper creatum peccato defoedare, & cum deformitate etiam miseriam introducere.

II. Ut Quale? Aggravatum, 1. Ex infinitate Dei contra quem commissum est, scilicet Omnipotentiæ, Sapientiæ, Bonitatis: 2. Ex absoluto Dei Dominio: 3. Ex summitate ejus Majestatis: 4. Ex abundantia Beneficiorum: 5. Ex bonitate Legis: 6. Ex abundantia præmonitionis: 7. Ex parvitate & vilitate rei allicientis: 8. Ex vilitate Serpentis decipientis: 9. Ex magnitudine boni deserti: 10. Ex integritate & Potentiâ hominis; qui cum facultatibus naturalibus auxilium habuit Gratiæ, efficacis scilicet, ad Posse-obedire & perseverare.

III. QUO ordine? Voluntas libera (omittendo officia quæ præstare potuit) fuit facultas primo peccans.

II. UNDE?

I. Causæ inculpabiles, materiæ & facultatum, (non formæ peccati) *viz.*

Ubi:
1. Deus; ut 1. Creator facultatis liberæ labilis; 2. Objecti allicientis; 3. Legis prohibentis; 4. Et Serpentis decipientis.
2. Objectum ipsum alliciens; materiale peccati.
3. In Homine: 1. Appetitus jucundi sensibilis: 2. Amor sui, fælicitatis & honoris: 3. Indeterminatio & Libertas Voluntatis: 4. Sensuum & phantasiæ apprehensiones: 5. Boni inferioris apprehensio simplex intellectualis: 6. Ejus Volitio & Complacentia simplex ordinata. 7. Voluntatis potentia imperatrix: 8. Status obedientalis facultatum imperatarum.

II. Causæ culpabiles; formæ peccati:

1. Remota: Diabolus tentator, Pater 1. Apostasiæ, 2. Mendacii, 3. Malitiæ.
2. Proxima; Homo: 1. Per Voluntatis omissiones; 2. Per Intellectus omissionem; 3. Per sensus, appetitûs, phantasiæ & passionum (jam effrænium) motus inordinatos (ubi prima commissio.) 4. Per Intellectus & Voluntatis errores & commissiones; Et 5. Per membrorum malam executionem.

III. EFFECTUS immediati:

I. In Homine.

1. Per Alterationem: Naturæ deprivatio: 1. Aversione à Deo: 1. Conversione, 1. Ad seipsum ut finem; 2. Ad creaturam ut medium. 3. Subjectione Rationis sensibus.
2. Per Resultantiam: 1. Reatus facti: 2. Reatus culpæ: 3. Reatus (vel debitum) pœnæ.

II. Extra Hominem: (Qui, quatenus pœnæ, postea memorandi sunt;) *viz.*

1. Diabolus de homine, triumphavit, & contra Deum; & Voluntas ejus adimpleta est.
2. Mundus peccato maculatur, & pulchritudo ordinis Moralis amittitur.
3. Deus (etsi Mali non capax) in tribus suis Relationibus injuriâ afficitur.

Cap. XIV. § B. *Elucidationes.*

1. SUbjectio Hominis relativa, obligationem ad obedientiam continebat.
2. Obligatio hæc facultates, seu Potentias obediendi præsupponit.
3. Potentia hominis Deo subditi, non fuit tantum Potentia Passiva, obedientialis dicta ; sed Activa triplex antedicta, Intelligendi, Volendi, Exequendi.
4. Etsi Potentia hæc in sese est Animæ ipsius *Virtus Essentialis* & *præstantia*, non tamen data est simpliciter propter se, sed etiam propter *Actum*, ut *Actus* sint propter *agendi fines*.
5. *Potentia* hæc conjuncta fuit, cum *Inclinatione* ; aliter vix unquam (saltem constanter & efficaciter) in actum ventura esset.
6. *Inclinatio* hæc est etiam triplex ut Potentia, *viz.* ad *agendum vitaliter*, ad *Intelligendum*, & ad *Volendum*.
7. *Inclinatio* hæc fuit partim *Essentialis*, & durante naturâ non-amissibilis (scil. *Inclinatio* ad *Actum* ipsum triplicem, & ad objectum necessarium, *Ens*, *Verum*, *Bonum* :) Et partim amissibilis, sicut sanitas in corpore (scilicet *Inclinatio ad res Moraliter tantum*, non Naturaliter, *Necessarias*.)
8. Adamus non habuit *summum* sanctitatis *gradum*, neque gradum *confirmatum* & non amissibilem : Aliter vel absolutam habuisset fælicitatem (quæ à perfectissimâ sanctitate inseparabilis est,) vel è viâ ad fælicitatem nunquam deflexisset.
9. *Veram* tamen *sanctitatem* habuit ; nec audiendi sunt qui statum Adami naturalem medium fingunt, inter sanctum & culpabilem. Talis enim status creaturæ rationalis quoad *habitum* seu *dispositionem* non datur ; nec quoad *actum ordinariò*, quando ratione utendi opportunitas conceditur.
10. Qui Deum amat ut Deum, Sanctus est : Amor enim Dei est ipsa sanctitas. At Adamus amavit Deum ut Deum : Aliter mortaliter peccasset à primâ creatione. Amor enim Dei est Legis Naturæ summa vel compendium.
11. Dum tribus hisce principiis rectè operandi Adami animus fuit præditus, *Potentiâ scilicet naturali*, *Inclinatione ad Bonum Essentiali*, & *Dispositione ad Bonum supremum morali*, *salubri* ; auxiliis eum privari ad perseverandum necessariis, non existimandum est.
12. Hanc tamen *Potentiam*, *Inclinationem*, & *Dispositionem*, non habuit radicaliter in sese, & independenter ; sed derivativè à Deo, & quoad continuationem per modum totalis dependentiæ ; Nec sine Deo causâ primâ, vel esse, vel operari potuit.
13. Qui habet à Deo plenam & propriam operandi *Potentiam*, non rectè dicitur *operari* sine Deo.
14. *Potentia Causæ partialis*, quæ operari potest & efficere, modò omnes concausæ etiam sufficienter operentur ; est tantum *Potentia partialis* & *hypotheticè* sic dicta : Propria autem & plena potentia est *causæ totalis*, & ad effectum adæquata.
15. Nulla igitur *Creaturæ potentia* est propriè & *simpliciter Potentia* ; quia semper aliquid habet *Impotentiæ* : Tametsi enim *causa totalis* homo dicatur in suo genere, ad actus proprios ; Genus tamen suum causandi, est causæ tantum dependentis, imperfectæ, administræ, *&c.* quæ per se nihil agere potest. *Propriam* igitur & *plenam potentiam* habere dicimur, *hypotheticè* tantum, ex suppositione operationis vel influxûs necessarii causæ primæ, & concursûs causarum cæterarum necessarii. Ad illa enim non habemus *propriè Potentiam*, quæ *facere non Possumus* : Nihil autem facere possumus sine influxu Potentiæ Divinæ & concursu potentiæ concausarum necessario.
16. Quandoquidem verò certum est Adamum veram potentiam habuisse ad perseverandum & tentationibus resistendum, certum etiam esse oportet influxum necessarium Potentiæ Divinæ, aut concursum aliquem necessarium concausarum, ipsi (ante lapsum) non fuisse subtractum aut denegatum.

17. Verè

17. Verè igitur *Potuit* Adamus non peccaſſe eodem momento temporis quando peccavit, & in proximo naturæ inſtanti peccatum præcedente.

18. Si enim Adamus *non potuit non-peccare*, utpote potentiâ carens *naturali* ad non-peccandum, & ita ex naturali neceſſitate peccavit; reverâ non peccavit, ſeu minimè culpabilis fuiſſet; magis quàm beſtia quia cibum appetit; ſed omnis peccati ratio vel reatus in Voluntatem & Cauſationem Divinam ita reſolvitur; & ita pœna omnis & creaturæ miſeria peccatum ſubſequens: Ex quibus (falſiſſimis) Religio omnis ferè in merum nomen & inane ſpectrum aut ſomnium vertitur.

19. Certiſſimè igitur datur in rerum naturâ Potentia vera, ſeu, ut dicitur, ſufficiens, quæ non ſemper reducitur in actum: Vel Gratia datur aliquando quæ dicitur *ſufficiens*, (vel propriè magis *Neceſſaria*, utpote ſine quâ effectus eſſe non potuit, & per quam eſſe potuit) quæ tamen nunquam actualiter efficit. Vel, *datur Gratia efficax ad veram Potentiam*, quæ non eſt *efficax ad actum*; (unde Auguſtini, *Poſſe credere eſt omnium, Credere verò* tantum *fidelium.*)

20. Peccati igitur reatus ultimò reſolvitur non in Voluntatis Divinæ vel actum, vel omiſſionem, ſed in Voluntatis humanæ liberi arbitrii abuſum.

21. Adami igitur Voluntas verè potuit perſeverare & tentationi reſiſtere per eandem gratiam tantùm quàm habuit quando non reſtitit.

22. Ita igitur comparata eſt Voluntatis humanæ natura, & talis ejus eſt *Libertas & Potentia*, ut Gratiam ſeu auxilium Divinum, quod non fuit efficax quoad eventum, efficax reddidiſſe & potuerit & debuerit (vel propriùs loquendo,) *non-reddidiſſe inefficax*, per ſuas culpabiles omiſſiones.

23. Cum talem fuiſſe Voluntatis Adami Libertatem, & Potentiam indubitatum ſit, certiſſimè futilia & ſophiſtica ſunt ea omnia argumenta, quibus ad contrarium probandum hujus ſeculi diſputatores uti ſolent; *viz.* Quia Voluntas ſi eſſet cauſa prima ſuæ determinationis, eſſet Deus; Quia Actus ut determinatus comparativè, tantæ eſt entitatis, ut ſine Deo ut cauſâ primâ totali efficaciter prædeterminante eſſe non poſſit, *&c.*

24. Adamus aliquandiu integer vixit, in ſanctitatis exercitiis, antequam per tentationem lapſus eſt.

25. Deus non deſeruit Adamum, antequam Adamus deſeruit Deum.

26. Quamdiu Adamus in integritate permanſit, mortalibus incertum eſt, utpote neque naturâ, neque ſacris literis revelatum: Minimâ igitur cum utilitate à modeſtis, & non minimâ præſumptione & noxiâ à dogmaticis immodeſtis de tempore hactenus diſputatum eſt.

27. Etſi hiſtoriæ ipſius brevis & obſcuræ, non tanta ſit perſpicuitas, ut de natura Serpentis Tentatoris nos omninò certos reddere poſſit; Quod hic tamen deeſſe videtur, partim ex ratione rei, & partim ex cæteris Sacræ Scripturæ locis, ſupplendum eſt; *viz.* 2 Cor. 11. 3. & Rev. 12. 9, 14, 15. & 20. 2. unde patet, Serpentem iſtum fuiſſe ipſum Diabolum, at probabiliter per Serpentem naturalem loquentem.

28. Qualis antea fuit Serpentis natura, & quanta in eâ ſubinde mutatio ſequuta eſt, nobis minimè notum eſſe poteſt, vel ex naturâ, vel ex Sacris Scripturis.

29. Q. *Utrum Eva Serpentem fuiſſe Diabolum novit? ſi non; Quare cum Serpentem loquentem audiſſet, non potius deterrita eſſet quàm decepta? Sin Diabolum fuiſſe novit, quomodo ipſi auſcultavit & credidit? Reſp.* Admodum probabile eſt Evam *noviſſe Diabolum*, ſeu *Angelum aliquem* locutum eſſe per Serpentem: Sed non eſt deterrita, quia cum *Angelis* colloqui probabiliter ſolebat; idq; ut in ſpecie quâdam viſibili apparentibus; ſicut dicitur, *Deum ipſum in horto ambulaſſe, & ipſis collocutum eſſe*, Gen. 3. 8.) At fortaſſe nihil de Diaboli lapſu, & malitiâ novit; ſed tantum in genere ipſum eſſe *Angelum:* Neque adhuc *poſita fuit inimicitia* inter Diabolum & hominem; & ideò nulla fuit timoris vel fugæ nota ei cauſa.

30. Sapienter & juſtè Deus tentationem permiſit: Amor etenim & obedientia per tentationes non probata, minùs laudabilia ſunt: Et qui per verba creaturæ cujuſcunque,

cujuscunque, se à Creatoris fide & Amore divelli patietur, ut contemptor & desertor contemni & deseri benè meruit.

31. Non multa de *Diabolorum naturâ*, conditione antecedente vel subsequente, loco, numero, *&c.* nobis Sacra Scriptura revelavit, præterquam quod Spiritus seu Angeli sint Apostatæ, maligni, Dei & hominum osores, & cætera quæ sequuntur; quia plura de eis sciré hominum non interest.

32. Jud. v. 6. dicitur eos esse [*Angelos* qui primum *statum* seu principatum *non servârunt, sed propriam habitationem deseruerunt, & quod catenis sempiternis sub tenebris sint reservati, ad magni diei judicium.*] Et ita fere 2 Pet. 2. 4. dicitur quod Deus non pepercit Angelis qui peccaverunt, sed eos in tartarum detrusit, dum & in catenis tenebrarum, eos reservavit in judicium.] Unde liquet, eos in meliore & altiore statu aliquandiu fuisse, & per peccatum hunc statum dereliquisse, & per Deum judicem dejectos esse & punitos, sed ad judicium & pœnas majores reservatos.

33. Incerta autem sunt hæc sequentia: 1. An in cœlis altioribus ubi Angeli & beati sunt, & futuri sunt, Apostatæ Angeli unquam fuerunt? 2. Qualem Dei visum, vel notitiam habuêre? (vix enim credibile est beatificam & claram Dei visionem, non animos sanctorum omnium in Amore Divino ita confirmaturam, ut illum deserere nullo modo potuerint.) 3. Quodnam eorum fuit primum peccatum? 4. An aliquem habuêre extrinsecum Tentatorem? 5. Quænam fuit ipsis, occasio peccandi? 6. Quodnam inter ipsorum & nostri arbitrii libertatem, discrimen interfuit? 7. Utrum in corporibus aliqualibus peccaverunt? 8. Quia maximè probabile est eos peccasse in via (id est, in vita probationis, ubi media ad finem eligenda & prosequenda sunt) & non in Patria (id est, in statu fruitionis, finis ultimi) dubitatur sub quâ Lege fuêre, & quænam media ad finem ipsis præscripta fuerint? 9. Utrum natura eorum in viliorem per peccatum mutata sit? & an corpora jam habeant? & an crassiora, & viliora quàm antea? 10. Quodnam discrimen erit inter eorum statum præsentem in catenis, & futurum sub majoribus pœnis? *&c.*

34. At probabile videtur, Angelos istos in innocentia non cœlum Angelorum confirmatorum habitasse, nec tamen vel Aerem vel Terram, sed locum aliquem cœlo Angelorum inferiorem, & *Aere* superiorem; ubi quasi in via altiora quærere ut præmia oportebat; at perfectione, confirmatione aut ipso fine, non adhuc ipsos fuisse fruitos.

35. Probabile etiam videtur eos post primæ diei Creationem, Gen. 1. non primò lapsos fuisse; Tempus etenim tam breve, quale est una dies, assignare ad Angelorum omnium & Creationem, & Regimen, Legem, justorum obedientiam ad confirmationem, & malorum peccatum, judicium & pœnam, idque sine ullo Divinæ Revelationis ductu, hoc nihil aliud est quàm præsumptione delirare.

36. Verisimile igitur videtur, Angelos tam bonos quàm (jam) apostatas, ante primum sex dierum creatos fuisse *.

* Mr. *Jurieu Sedamens.* in Thes. de Cabal. Corol. 17. dicit [Coelum Empyreum, Angelos & mundum intelligibilem, huic mundo sensibili præexistisse diu, dici nil vetat, imò ex Mose probabile est.]

37. Quamdiu autem, non est hominis facere conjecturam.

38. Et verisimile videtur tam bonos quam (jam) malos, fuisse incolas mundi cujusdam (sed superioris) ante hunc creatum; ubi Boni probati & confirmati præmium sunt adepti; mali autem in die probationis deficientes, in peccatum & miseriam lapsi sunt.

39. Et certum est locum malignorum spirituum jam esse *aerem*; & tamen hunc priori loco inferiorem esse, Eph. 2. 2. 2 Pet. 2. 4. & locum eorum esse locum caliginis, præ loco antea ab ipsis habitato.

40. Et quoniam *Aer* eorum locus est, verisimile videtur *Aerea* ipsos habere *corpora*: Videmus etenim omnes creaturas quæ *mundum corporeum* inhabitant, *corpora* item habere ex materia præcipuè mundi illius partis quàm incolunt.

41. Et si ita sit, probabile est Dæmones *animis sensitivis* non carere, ut quæ

corporibus

corporibus aereis sunt nobiliores: Et ideò etiam sensûs *materialis ignis*, vel pœnarum aliarum ejusdem generis, non esse incapaces; neque desideriorum sensualium omninò expertes.

42. Certissimum autem est, ipsos sub aliquali Lege fuisse; & Legem illam peccando fuisse transgressos; & ita ab Amore Divino decidisse.

43. Causa igitur non unica est malitiæ Diabolorum contra Adamum & genus humanum; *viz.* 1. *Principium efficiens & deficiens* est Voluntatis ipsius Diaboli corruptio moralis: Amoris Divini privatio, & odium Dei positivum; & inde odium Imaginis, Divinæ, & Divini Dominii Regiminis, Legum, honoris, *&c.* Et plusquam probabile est, ex magnitudine pravitatis, Diabolum esse ut pessimum ita superbissimum, & adhuc Regiminis, Dominii & Honoris indebiti, imò Divini vehementissimum affectatorem. Nec pœnam ejus saltem adhuc talem esse, quæ istas affectationes & cupidines supprimat. 2. Occasio autem videtur esse, 1. Perfectio Divinæ Naturæ, præcipuè ut sanctæ, & peccatoribus inimicæ. 2. Odium Dei erga ipsos Diabolos peccatores. 3. Pœnæ ipsæ & damni, & sensus, quæ continuò malitiam contra judicis justitiam provocant. 4. Desperatio de misericordia & liberatione. 5. Et in homine Imago Dei, & aptitudo ad ipsum glorificandum. 6. Et spes nostra fælicitatis quàm Diaboli finaliter amisêrunt.

44. Sicut in Sanctis *Amor Dei* est ordine naturæ ante *Amorem Creaturarum*; (Deum enim Amant propter se at alios propter Deum;) Ita Diabolorum Malitia est *primò* adversus *Deum*, & *secundò* tantum adversus *homines*: Deum enim odio habent propter se; at Sanctos & alios tantum seu præcipuè propter Deum.

45. Q. *An Adamus peccaturus esset, si immediatè à Serpente & Diabolo tentatus esset, & non per mulierem? Resp.* Incertum nobis est; sed certum, Diabolum astutè efficacissimum hoc elegisse persuadendi medium.

46. *An Adamus vel Eva peccâsset, si Satan primò Intellectum aggressus esset, sine sensuum allectatione? Resp.* Ignoratur: At hic etiam certum est astutè illum viam facillimam elegisse.

47. Diabolus ideò primò Mendaciorum Pater à Christo dicitur, quia in primâ hâc tentatione, malignitate & impudentiâ summâ mentiendo, Deum ipsum Omnis Veritatis fontem Mendacii insimulavit.

48. Homicida item à principio dicitur, quia mentiendo & decipiendo peccatum & inde mortem intulit.

49 Diaboli via ad pœnas & perditionem hominem inducendi, fuit, periculum denegando, & pœnarum & perditionis timorem depellendo. Timor enim debitus est animæ custos.

50. Tentationis pars maxima fuit animum à summo bono avertere: Quod boni inferioris sensibilis & phantastici propositione & ostentatione Diabolus effecit; si homo ad Deum efficaciter adhæsisset, ad creaturam nunquam divertisset. Et si ad creaturam non oculos & animum convertisset, à Deo nunquam deflexisset: sed utrumque simul peregit deceptor; at ordine naturæ motus hic perversus ut *ad Quod*, præcessit eundem ut *A Quo*.

51. Quia *Amor sui* est hominis (ut & omnis animalis) principium naturæ penitissimè insitum, Diabolus hoc præcipuè abusus est ad hominis perniciem. Nec unquam ad malum nos inducere potuit, nisi sub specie vel ratione *boni*: Omnis igitur Tentatio est per deceptionem.

52. Deus non ut Author peccati insimulandus est, quamvis Homiuem fecit liberi arbitrii & defectibilem; sicut enim nemo modestus dicit Deum debuisse omnem creaturam perfectissimi generis facere, (ut omnem vermem vel bestiam facere hominem, omnem lapidem facere solem, *&c.*) ita fatendum est, Animal Rationalc Liberum, esse creaturam non minimæ pulchritudinis & præstantiæ; multò magis talium societates, Regna & Mundum moraliter per Leges regendum, esse opus Creatoris perpulchrum & amabile. Quid igitur si cœlis terram, & si Angelis homines non æquavit; & inter opera Divina hisce summitatem non concessit? Anne igitur eorum voluntariæ deficientiæ causa est? Et quare quæso non debuit Creator, suam Gloriam declarare & complacentiam exercere, per creaturæ

turæ Libertatem, & in Regimine morali agentium liberorum, per viam scilicet *Sapientiæ* ?

53. Neque criminandus est Optimus Creator, quod *Objecta* fecit allicientia. Bona enim inferiora dedit, non ut ad peccandum iis abuteremur; sed ut Bonitatem suam etiam sensibus nostris comprobando, & desideria nostra ordinata adimplendo, Amorem sui in cordibus beneficiariorum incenderet. Quod Bonum & amabile non est, Bonitatem & Amorem dantis significare, & recipientis causare, aptum non est: Nec quisquam inter mortales invenitur, qui nullum à Deo bonum corporale recipere vellet, ne ipse illud, peccando in perniciem sui perverteret. Siquis igitur beneficiis Divinis in malum abusus fuerit, & Deum Benefactorem culpare præsumpserit, quòd talia dedit quibus abuti possibile fuit, à Conscientia tandem propriâ talis condemnatus erit, quoniam beneficiis divinis meliùs usum esse, non tantum possibile fuit, sed etiam officium necessarium, jucundum, utilissimum, decorum, & summè rationabile.

54. Neque Rectorem sapientissimum dedecet, per bona inferiora juxta posita, amorem & fidelitatem hominis probare; cum amore, laude, vel mercede omninò indignus iste sit, qui Deum diutiùs amare non perget, siquando bonum aliquantulum sensibus objiciatur, quo contra rationem ad sui perniciem & Dei injuriam, abuti possit.

55. Neque culpandus est Creator Perfectissimus, quia Diabolum tentare hominem permisit: Facultatem etenim hominis nullam physicè & efficaciter corrumpere potuit; neque tantillum peccare, vel unicâ cogitatione Adamum cogere: Neque is fideliter obediens æstimandus est, qui Deo tantisper obedire vult, donec Serpens iste tentator eum ab obediendo dissuadebit: Præcipuè cùm Satan dulciorem nullam escam, præmium nullum nobiliùs offerre potuit, quam voluptatem inanem, sensualem, momentaneam, & phantasticæ fælicitatis umbram, quâ hominem à Creatoris obedientiâ, & amore pelliceret; Deo interim mortem peccatori minante, & vitam, & fælicitatem sempiternam offerente, sub innocentiæ facilis & suavis conditione.

56. Neque Legislatori sapientissimo in culpam, aut accusationis materiam vertendum est, quod Lege peccatum hoc vetuit & peccatorem condemnavit: Etsi sine Lege peccatum fuisset nullum: Quia Lex Divina est sanctitatis suæ, & non iniquitatis effectum; & data est ad peccata prævenienda, & ut Norma obedientiæ continuandæ: Peccatum autem jam factum condemnat consequenter, & quasi per accidens; cùm secundum Legis intentionem primam, homo obedientiam Deo debitam præstare, recusaverit. Et Lex est necessarium Regiminis instrumentum; & ubi Lex nulla est (in sensu proprio) ibi nullum est regimen, jus nullum, nec Bonum aliquod morale obedientiæ. Neque possibile est bonum aliquod *officium facere præcipiendo*, quin boni illius *omissio* fuerit Legis illius *transgressio*. Peccatores scilicet stultissimi supremo rerum moderatori Legem hanc suam imponere vellent, ne Legem ullam creaturæ suæ observandam daret, ne peccatum vetando, peccati Author fiat! videlicet, *Ne Deus sit Deus*, ut *ipsi impunè sint peccatores.*

57. Neque culpandus est mundi Gubernator, quod peccatum futurum præviderit; vel quod prævisum sub conditione, vel non prævenerit, vel non fecerit impossibile, vel certò non-futurum; si enim Divina prævisio in vitium verteretur, sequeretur *ignorantiam* esse divinam perfectionem, vel Dei esse imperfectum esse, id est, Deum non esse Deum. Et si Deus peccatum naturaliter impossibile fecisset, obedientiam libertatis, & præmii incapacem reddidisset: Et si genus humanum fecisset *impeccabile*, & Volitione & operatione absolutâ, *peccatum* omne *non-futurum*, & omnem Legis impletionem *futuram*, efficaciter & peremptoriè fecisset, Quænam tunc disparitas fuisset inter confirmatos cœlites, & Homines? Et quomodo Deus in regimine Morali agentium liberorum per viam sapientiæ, se glorificaret & delectaret? Et eâdem Lege quâ Hominem sine probatione, confirmatis Angelis æqualem, facere Creatorem obstrictum fuisse velles; omnem etiam bestiam, vermem & lapidem, aut hominem aut Angelum facere Deum

item

item foret necessarium. Quasi Deo non liceret (per Leges stultorum) inter creaturas aliquam facere imparitatem; sed omnes summæ speciei & perfectionis facere necesse haberet? Ita inter malos *pessimi*, *Bonitati Infinitæ* mensuras & Leges operationum dare, maximè vellent.

58. Accusatio Creatoris à Prædeterminatione sumpta per humanam præsumptionem, quia prolixiore eget examine, in peculiari Digressione statim perpendenda est.

59. Appetitus boni sensibilis ordinatus neque fuit peccatum, nec causa peccandi necessaria vel culpabilis. Etsi enim operatur necessariò per modum naturæ, objecto præsentato; non tamen necessariò *inordinatè* operatur: movetur enim sub regimine Voluntatis; quæ moralem & politicam super appetitum habet potentiam, dum vel objecta removere, vel sensus avertere, vel cogitationibus imperare potest. Neque adhuc Appetitus morbosâ aliquâ inordinatione affectus fuit: Neque motus ejus aliqualis peccatum est, nisi in quantum (vel defectivè vel activè) voluntarius. Nec Voluntatis inordinationem *Appetitus* tunc necessariò causare potuit. Non igitur culpandus est Naturæ fabricator, quia Appetitum necessarium boni sensibilis creaturæ rationali indidit, dum Rationem rectricem & Voluntatem imperatricem, potentiâ sufficienti armatas, ad facultates inferiores moderandas constituit.

60. Idem dicendum est de sensuum & phantasiæ motibus, & de Amore suiipsius, & fælicitatis; quibus omnibus ad bonum uti, Adamus & potuit & debuit.

61. Idem etiam de *indeterminatione & libertate Voluntatis* dicendum est: Rectè enim se determinare Voluntas potuisset.

62. Neque peccavit Adamus (per specificationem actûs) Bonum inferius ut tale *simpliciter apprehendendo* per intellectum; nec *simplici complacentiâ* Volendo: Quia reverâ Bonum fuit; & omne Bonum quâ Bonum est amabile.

63. Non autem (cum nonnullis) fingendum est talem fuisse Adami appetitum, qui nihil appetere inclinatus erat, nisi quod Ratio gustandum, edendum, bibendum esse, &c. dixit: *Appetere* enim & *sumere*, *gustare*, *edere*, non sunt idem: sine peccato sæpe illud *appetimus*, quod sine peccato non possumus *gustare*, &c. Et lapsus Adami non fecit *Appetitum* esse in specie *quid aliud*, etsi *morbosum* & *rebellem* fecit. Non autem ad Rationis aut Voluntatis officium pertinet, Appetitum non appetitum facere, id est, objectum præsens naturaliter congruum non omninò appetere; sed sensum & Appetitum moraliter à motibus frænare inordinatis, & facultatem locomotivam despoticè regere.

64. Imò ad Rationis officium non pertinet, appetitum semper prævertere, neq; semper peccatum est appetere aliquid ante Rationis interventum: Quandoquidem enim sensus bonum sensibile ante usum rationis potest apprehendere, proculdubio etiam Appetitus sensitivus naturaliter ante rationis interventum illud potest appetere.

65. Ante naturæ igitur corruptelam Adamus & sensus habuit & Appetitum, quos Regere necesse fuit, & qui naturaliter ad ea ferebantur, quæ sumere, edere, &c. aut *Velle* absolutè edere, peccatum foret: At non habuit aut sensus, aut phantasiam aut appetitum. Rationi rebelles, quos renovare vel domare opus erat.

66. Sæpissimè peccatur per *Appetitûs* & *sensuum exercitium*, quando non peccatur per actûs *specificationem*. Quia per objectorum fugam, aut cogitationum diversionem, *exercitium* sæpe (etsi non semper) impedire possumus, quando actum exercitum aliter quàm secundum naturam specificare nullo modo possumus.

67. Qui facultates Adami inferiores (sensitivas) in peccando primas esse fingunt, proculdubio errant; dum peccatum illud faciunt quod non fuit voluntarium, & ideo non actus moralis; & dum Adamo peccandi necessitatem naturalem impositam fuisse opinantur. In facultatibus etenim sensitivis nulla est propria libertas.

68. Neque rectiùs judicant, qui (cum magno Camerone) Intellectum esse primam peccatricem facultatem statuunt; & Voluntatem semper sequi dictamen practicum intellectûs: Ita enim peccatum fit omninò necessarium, & naturaliter inevitabile: Quia Intellectui nulla libertas ineſt, nisi quatenùs quoad *exercitium* actûs, imperio Voluntatis subest, & ita participativè & consequenter *liber* dici potest. Per modum enim naturæ necessitatis Legibus in operando subest. Et plurimi *viz.* damnati) nolentes intelligunt, malum scilicet suæ conditionis ad desperationem & cruciatum.

69. Neque tricis aut ambagibus suis hujus opinionis assertores, ullo modo evadere aut devitare possunt, falsissimum istud & nefandum effatum, Deum scilicet esse peccati Authorem principalem, & Adamo peccandi imposuisse absolutam necessitatem. Proculdubio enim Deus *objecta* fecit, (& Tentatorem permisit,) & Legem fecit peccatum prohibentem, & sensus & Intellectum fecit. Necessariò igitur (Deo causante) adsunt objecta; Necessariò item & per modum naturæ intelliguntur; Et si intellecta etiam necessariò juxta aut volita sunt aut repudiata, quandocunque Intellectus necessariò per deceptionem errat, necessariò inceptum est peccatum, & per voluntatem necessariò perficietur. Et utrum Deus prædeterminatione physicâ, aut intellectum primò decipiendo, Volitiones peccantes necessariò causare dicatur, haud multum interest; in nostrâ non positum fuit potestate, quin adsint *objecta*, & tentator, nec in nostrâ fuit potestate quin Intellectus decipiatur, aut quin deceptus, Voluntatem in Consensum trahat, in nostrâ igitur potestate nunquam fuit, quin peccare & damnari necesse haberemus.

70. Quod plerique dicunt Voluntatem semper & necessariò sequi dictamen Intellectûs *ultimum*, ambiguum, & ad decipiendum aptum est: si strictè loquantur, per [*Ultimum*] dictamen, *Omne* intelligendum est: Unumquodque enim *Ultimum* est donec alterum superveniat: Sin autem Voluntas non necessariò sequitur dictamen primum, aut secundum, quando adhuc *Ultimum* est, quare necessariò tertium vel quartum sequi oporteret? At si per dictamen *Ultimum* illud tantum intelligunt, quod post plura inefficacia ultimum, id est, efficax evasit, Quæro, unde hoc magis quàm antecedentia, omnia fuit efficax? & statim apparebit, non efficax fuisse quia *Ultimum*, sed *Ultimum* quia *efficax*: Et ex Voluntate differentiam primò ortam esse; & dictamen hoc fuisse Ultimum, quia Voluntas illud amplectens, & jam consentiens, Intellectum ultra inquirere, vel vetuit, vel non jussit.

71. Et dum ad dictamen tantùm *Practicum* efficaciam hanc affingunt, non advertere videntur, ex Voluntate præcipuè oriri, quod Intellectûs dictamen aliquod sit *Practicum*, (pleno scilicet sensu, ut accipiendum est, quando efficax est.) Quando enim Intellectus de eligendo vel repudiando, de agendo vel non agendo deliberat, rerum comparationem quasi ponderando init; quod facit jubente Voluntate.

72. Sin autem quæstio sit, de *Bono* tantum *simplici* vel *absoluto*, scilicet de *fine unico*, vel *medio* ad illum *unico*, ubi *omnimoda*, vel *solius boni ratio* apparet; diffitendum non est, hîc *Volitionem* sive *complacentiam simplicem*, intellectûs apprehensionem necessariò vel certò (etsi liberè) semper sequuturam esse. Quia Voluntati naturale est, Bonum qua Bonum apprehensum ab intellectu, ut amabile simpliciter aliquatenus Velle aut Amare. Neque in Volitionibus istis simplicibus Voluntas variè determinabilis est, aut Libertatem suam eodem modo exercet, quo in actibus comparantibus, & in eligendo vel negligendo. Imperium enim suum in hisce deliberationibus ita exercet in Intellectum, quoad exercitium actûs, ut diversimodè eum vel juvare possit vel impedire.

73. Dum Camero & alii viri præstantissimi, peccatum Adami faciunt inevitabile & necessarium, & illud tandem in Diabolum ut causam primam resolvunt, difficultatem minimè solvunt, sed rem in tenebras deferendo obscurant; Adhuc enim quærendum est, unde Diabolis peccandi prima causa fuit; & an ipsi etiam necessariò peccaverunt? & si non, qualis eorum fuit arbitrii libertas?

74. *Materia* peccati fortasse ad sensus & appetitum sensitivum, primò objicitur; at non fuit *formaliter peccatum*, donec *Voluntarium*. Lege Amesii Cas. Consc. Lib. 1. de hor.

75. Voluntas ergo fuit facultas primò peccans; & per illam omne malum morale in mundum introitum fecit.

76. Quando dicimus nihil peccatum esse nisi quod *Voluntarium*, hoc Volumus, [*nisi quod ex vitio Voluntatis sit*;] scilicet vel habituali vel actuali, per Voluntatis *omissionem* vel *commissionem*, seu *Consensum* aut *Volitionem*, seu *Nolitionem*. Quandoquidem Voluntas habet triplicem libertatem, contradictionis, contrarietatis & comparationis, (*viz.* aut Volendi aut non-volendi, Volendi vel Nolendi, Volendi aut Nolendi Hoc præ Illo,) peccat non tantum malè *Volendo* aut *Nolendo*, sed *non-volendo* aut *non nolendo* quando eam *Velle* aut *Nolle* oportebat; ut etiam Bonum minus & inferius, superiori bono præferendo.

77. Primum Adami peccatum videtur fuisse, Voluntatis Adhæsio inordinato gradu ad bonum inferius, ab intellectu simpliciter tantum apprehensum; vel *Omissio suscitandi intellectum* ad officii sui præstationem, in cogitando scilicet de Bono superiore, & de malo & periculo peccandi; & tandem in Omissione Amoris Divini, unde omnes alii peccandi progressus sunt sequuti.

78. Si objicias (cum Camerone & aliis) [*Aut Intellectus Voluntati dixit priùs, Bono inferiori tanto gradu adhærendum esse, aut non dixit: si priùs; Intellectus deceptus est ante peccatum Voluntatis: si posterius; Voluntas non est Voluntas, id est, Appetitus Rationalis; dum Velle potest illud, quod Ratio Volendum esse (eo gradu saltem) nunquam dictavit?*] *Resp.* Ut Voluntas sit Appetitus Rationalis, non est necesse ut Rationis dictamini semper, & quoad Actum, & Objectum & Gradum agendi perfectè obediat. Aliter sequeretur Voluntatem neque unquam peccasse, nisi impropriè & participativè, nec quidem peccare potuisse; aut saltem nullius vitii esse subjectum; neque medelâ ullâ Gratiæ opus habere; si enim naturaliter apta nata est, Intellectum sequi, idque *semper*, *perfectè* & *necessariò*, tunc Intellectum ita sequendo minimè peccavit (Imò neque homo ipse, cum Intellectus non decipi non potuerit.) Neque medelâ vel Gratiâ opus habere potest, ad id quod ex naturali necessitate ita agit, ut aliter agere non potest; scilicet Intellectum perfectè sequi. Sin autem concedere te coactum esse percipis, Voluntatem vel pessimi peccatoris, Intellectum suum non semper & perfectè sequi, (quoad *Actum* scilicet, *Objectum* & *Gradum*,) concedere etiam necesse habes, quod cum Voluntatis naturâ consistere possit, aliquatenus illam agere, vel præter, vel contra, vel ultra intellectionem. Voluntas autem Appetitus Rationalis dicitur, non quia præter Rationem nihil (quoad rem, modum vel gradum) agere potest; sed quia in quantum *rectè* & *ordinatè* agit, in tantum sequitur dictamen intellectus.

79. Quando autem Intellectus judicat, Bonum sensibile esse Bonum & Appetibile, verè & non vitiosè judicat: Et si inde Voluntas hoc sensibile Bonum appetit, non peccat, ordinatè scilicet appetendo. At quando jam licite appetit, *gradum* ejusdem appetitûs intendere, & impetu nimio appetere seu velle, hoc non est aliquid Velle quod Intellectus non judicavit esse Volendum, sed tantum (fortasse compellente sensu & appetitu sensitivo) illud idem *nimio fervore* facere, quod Intellectus dictavit faciendum.

80. Vel quid si dicamus hoc fecisse Voluntatem primò ex merâ lassitudine & socordia, dum sensus cùstodiendo & appetitum sensitivum & phantasiam frænando, quasi fatigata, voluntariè negligens evasit? Etiam dum Intellectus invigilando perseverandum esse dictitavit. Etsi enim sine Intellectu præcedente agere non potest, non sequitur tamen eam officium intellectum *negligentiâ omittere* minimè posse. Non fecisse, quod fecisse *potuit*, fuit primum Voluntatis & hominis peccatum: Vel saltem fecisse, quod non fecisse potuit. Potentiæ abusus vel non usus primum fuit peccatum. At cum dico facultatem aliquam potentiâ suâ non usam esse, non dico illam facultatem aliam sequendo necessariò deflexisse; sed propriam ipsi describo omissionem & peccatum.

Quamdiu Adamus in statu innocentiæ stetit, incertum est: Communior opinio est eum citò, die scil. eodem quo creatus est cecidisse:

At inquit Mr. Jurieu Seldanens. in Thes. de Cabal. Coral. 18. [Hominem per aliquot annos, innocentem fuisse, mihi verisimile est.]

81. Et reverâ experientiâ quotidianâ percipimus, non omnem Intellectûs apprehensionem apud Voluntatem esse efficacem; sed ad efficaciam necessarium esse *vigorem* quendam, *vivacitatem*, & *intensionem* apprehensionis; ut *Spiritus* & *passiones* quædam, cum quibus Voluntas operatur, suscitentur. Quod autem Intellectus dum Verum apprehendit, & Bonum Voluntati proponit, non fortiter & vivaciter, sed quasi voce submissâ, tepidè & ignavè illud apprehendit & proponit, ab ipsius Voluntatis ignavâ omissione originem primò duxisse mihi videtur.

82. Quamvis autem peccatum *à Voluntate-Liberâ, Potentiâ sufficiente non utente vel abutente*, primariò ortum sit, per omnes tamen facultates ad umbilicum perducitur, & à toto homine simul peragitur; ita ut sensu plenissimo totius hominis actus appellandum sit.

83. Insulsè admodum (etsi nimis frequenter) ab obtusi ingenii hominibus disputatur, *Utrum primum hominis peccatum fuit superbia, an infidelitas, an sensualitas*, &c? Dum partes rerum minutas non discernentes, non percipere videntur quot peccata per tale aliquod nomen significantur: (uti in Tabula monstratum est.)

84. Et magis adhuc oscitanter, & ineptè de Adami peccato dijudicant, qui Pomi vel buccellæ alicujus esum tantum, id indigitant: Quasi nescientes omnia ejus peccata interiora, & peccati aggravationes antecedente Tabulâ enumeratas.

85. Peccati effectus sunt peccati ipsius naturæ maximæ affines: Sicut enim Parentes nostri Deum deserentes ac superna spernentes, in seipsos & sensualia sunt delapsi; Ita jam quoad dispositionem vel habitudinem vitiosam, Deum & cœlestia aversantur; & ad sensualia & terrena sunt propensi; & quasi Buceri fiunt, qui divi vel indigites esse potuissent.

DIsp. 1. Quær. [*An Adami Voluntas in actu peccandi, præmotione physicâ immediatâ efficaci irresistibili, fuit à Deo prædeterminata, ad actum comparatè consideratum & cum omnibus suis circumstantiis.*] Vel priùs [Utrum necessarium sit ad esse uniuscujusque actûs, Agentis scilicet vel Liberi vel Naturalis, ut Agens præmotione physicâ efficaci, immediatâ, irrestibili ad eum à Deo ut causâ primâ totali prædeterminetur?] Neg.

1. Non primò aut principaliter hic quæritur, *An de facto Deus omnes creaturarum actus ita, ut ante descriptum est, determinet?* sed *an Prædeterminatio talis Divina adeò necessaria sit, ut sine eâ nullus causarum secundarum, aut naturaliter aut liberè agentium, actus esse possit?* Vix credo tamen multos diutiùs *Factum* asserturos esse, si viderent Facti nullam esse *Necessitatem.*

2. Etsi intentionis nostræ pars principalis sit, quæstionem tractare de *prædeterminatione* ad *actus humanos vitiosos*; (utpote quam disputationis hujus ratio tractandam esse postulat;) Quia tamen Theologi prædeterminationem hanc asserentes, ad hoc quasi invitos se adactos esse existimant, ex suppositione necessitatis Prædeterminationis Divinæ *ad actum omnem uniuscujusque creaturæ*, hanc igitur suppositionem ad examen vocare primò mihi propositum est.

3. Et ita sub indagationem nostram hæc quatuor distinctè cadunt: 1. Utrum Prædeterminatio hæc Divina per præmotionem physicam efficacem, sit necessaria ad agentium Naturalium actiones? 2. An necessaria sit ad actus malos liberè-agentium? 3. An necessaria sit ad Agentium liberorum bonos actus commatis communioris, qui sine gratia speciali fieri possunt? 4. An necessaria sit ad Actus humanos bonitatis magis eximiæ, qui sine gratia speciali nunquam præstantur.

4. Et notandum est quod non quæritur, *An Deus ita Voluntatem prædeterminet, ad actus malos quâ malos* (id est, *ad malitiam formaliter sub ratione malitiæ*; A nemine enim quod sciam, hoc (directè saltem) asseritur: sed *an ad actus omnes qui mali sunt, in omnibus suis modis & circumstantiis Voluntas â Deo ita prædeterminetur?*

5. Notandum est etiam quod Quæstio non est de *Prædterminatione Divina Universali*,

Universali, ad Actionem in genere tantum quatenus *Actio est*: Sed de *Prædeterminatione specificante & singulari ad Actionem hanc ut specie morali & numero* ab aliis distinctam; ut comparatè scilicet consideratam, & ut circumstantiis suis omnibus vestitam.

E.g. Quando Pilatus de Christo, vel absolvendo, vel condemnando secum deliberat, & argumenta per vices pro utroque se offerunt; Utrum Deus ut causa prima efficiens physicè, immediatè & efficaci præmotione Voluntatem ejus prædeterminat ad Christum condemnandum potiùs quàm justificandum? vel ad actum utrumque, scilicet *Velle Christum condemnare*, & *nolle eum justificare*?

Et quando Pharisæi miracula Christi videntes, & doctrinam ejus audientes, secum considerabant, *An Christus esset verus ille Messias? & opera ejus ex potentiâ Divinâ?* utrum Deus per Physicam hanc prædeterminationem in Pharisæorum Intellectibus & Voluntatibus apprehensionem hanc falsam Voluntariam effecit, *Christum non esse verum Messiam, sed deceptorem, & opera ejus non facta fuisse per Spiritum Sanctum, sed per Beelzebub?*

6. Porrò notandum est, Quæstionem non institutam esse de Prædeterminatione illa Divinâ quæ dicitur à Scholasticis *Prædefinitio* (seu *Decretum*) quæ est actus tantum Divini Intellectûs & Voluntatis, & non Potentiæ executricis ad extra; & quæ est Actus merè Immanens, & nihil transitivè ponit in objecto; sed tantum de Prædeterminatione per *Causæ primæ totalis effectionem Physicam per Potentiam præmoventem*? Prædefinitio enim aut Prædestinatio nuda sine Potentiæ operatione ad extra, non magis Actum humanum propriè efficit, quàm *Præscientia*.

7. Denique notandum est Quæstionem non institui de Physico tantum *Concursu* Divino, qui actûs nostri moralis, est vel causa *Universalis* tantum, vel causa *partialis* (ut quando duo funem trahunt,) & qui aut ipse à Voluntate humanâ quoad *receptionem determinatur*, vel eventum actûs Voluntati relinquit, vel tantum ex suppositione concursûs debiti voluntatis humanæ, eventum efficit? sed tantum de Prædeterminatione *efficaci primæ causæ totalis* jam descriptâ.

8. Notissima inter Literatos sunt trinæ classis vel sectæ de hisce controversiis dogmata. 1. Durandus cum paucis ejus sequacibus (inter quos non minimus est Ludovicus à Dola) opinantur, creaturas naturales & liberas posse agere sine alio aliquo Concursu Divino, quàm naturæ, potentiarum, facultatum, virtutum, inclinationum, effectivâ continuatione & sustentatione: suppositis concausis, objectis, mediis convenientibus, & debitis omnibus extrinsecis circumstantiis. Et ipse Scotus quidem fatetur, quod, si hæc opinio probari possit (Voluntatem scil. humanam esse causam totalem suorum actuum) facillima foret & expeditissima via, objectiones omnes confutandi, quæ peccantium & pereuntium culpam in Deum ut authorem impingunt. Et de hâc opinione ita quidem loquitur, quasi animus ejus ad illam aliquantulum inclinatus esset, vel pene indifferens; & multa pro hâc argumenta proferens, eorum omninò nullum solvit; quod tamen plerumque facit ubi seriò dissentit: Per tres tamen imbecilles quidem objectiones quasi victus, ad contrariam se vertit Partem quasi tutiorem.

2. Secunda est *Jesuitarum* & communior opinio; Qui præter Durandi *naturæ continuationem, concursum* etiam *divinum immediatè ad actum ipsum* ut necessarium asserunt; sed de concursu hoc non omnes eadem vel eodem modo loquuntur. Aliqui cum Bellarmino *Concursum Universalem* vocant, & ita eum describunt quasi Actionem tantum quatenus Actionem vel Motum in Genere causaret, & non in specie Morali: Et hic concursus reverâ à Durando non negari videtur. Alii autem aliter loquuntur, & plurimas & inanes & arrogantes habent de *Concursûs specialis modo* disputationes. In hoc autem plerique consentiunt quod Concursus hic ex se, *efficaciter* & *certò*, Voluntatem ad actum in specie non determinat, sed ipsi ut liberè agenti eventum relinquit; vel *auxilium sufficiens*, non autem *ex se efficax* Voluntati in operando præbet, per quod seipsam determinare possit.

3. Opinio tertia est *Dominicanorum*, vel *Prædeterminantium*, ut vocantur, Qui *Physicam præmotionem & prædeterminationem per Deum ut Causam primam totalem immediatam efficientem, necessariam asserunt ad actum uniuscujusque agentis, & liberi scilicet & naturalis* (seu necessarii.) Hisce

Hisce Controversiis Protestantes, quâ tales se minimè immiscent. Pauci tamen privatas suas opiniones declaravêrunt. Inter quos ut plurimùm qui Arminianos extremè & rigidè aversantur, sunt è numero *prædeterminantium*: Qui autem mediâ incedunt viâ, aut moderatiores æstimantur, prædeterminationem antedescriptam negant: De *modo* autem *concursûs* nihil asserere plerumque præsumunt. Protestantes maximè egregii qui Dominicanorum partes tuentur pro *Prædeterminatione*, sunt Doctissimus & Pius ille Dr. *Twissus*, & Hyperaspistes ejus *Rutherfordus Scotus*, (in Tract. de Providentia) & alii Nonnulli post Maccovium. Davenantius autem noster cum cæteris *conciliatoribus* opinionis Dominicanæ imputationem amoliuntur, at partis nullius defensionem in se recipiunt. Hisce me libenter & ex animo jungo; & fateor in hâc Controversiâ (non in omnibus) me Cornel. Jansenii judicium approbare, eò quod Prædeterminationem Dominicanorum, ut necessariam ad omnes creaturæ actus, non recipiat, sed oppugnet; at Gratiam quandem Medicinalem, per naturæ humanæ corruptionem, jam necessariam, ad actus qûasdam speciales vel Sanctos, suo modo Voluntatem efficaciter prædeterminare asserit.

At inter Independentes, nostros Coryphæi Dom. Nortoni (viri docti & moderati) verba postea pro Dominicanis, recitabo, & inter alia, examini subjiciam.

Tantum autem abest ut ipse vel *Durandi* vel *Jesuitarum* partes propugnarem, ut potius planè præsumptionem immodestam esse existimem, Divinæ operationis modum ita, quasi cognitum asserere, cum mortalibus certò ignotus sit & absconditus. Et vereor ne per sapientiam arrogantem Philosophicam, nos stultos & peccatores faciamus, dum judicare videmur, Philosophiam Aristotelis in mysteriis talibus de actibus Divinis Theologiæ S. Scripturæ antecellere; & nota illa & aperta facere, quorum notitiam ex S. Literis esse hauriendam vix audacissimi adhuc sectarii palam asserûere; Et Lectori unicuique patet Argumentis Philosophicis potius quàm Theologicis Disputatorum libros de hac re plerumque esse refertos; cum tamen proculdubio, si horum cognitio sit possibilis & necessaria, ad Christum præsertim eorum explicatio pertineat; si tamen hic aliquid audendum est, fortasse quod maximè probabile mihi videtur, obiter aperiam.

Argumenta quibus milito contra necessitatem Prædeterminationis Dominicanorum antedescriptam, ad omnes actiones (etiam flagitiosissimas) hæc sunt.

Arg. I. *Si Prædeterminatio hæc necessaria dicenda est, ratio est vel quia Deus creaturam absque ea se moturam, vel facere non potest, vel non-vult. At utrumque falsum*? Ergo---

1. Ad minorem, si dicant, Deum *Potuisse* quidem, sed *Noluisse*; Nolitionem affirmatam probare affirmantium est: Quod tantûm ex Sac. Scripturis tentandum est; unde tamen eorum causæ patrocinium nullum obtineri potest.

Textus ille ferè Unicus ad sensum hunc à Dominicanis invitè distortus, Act. 17. 28. [*In ipso enim vivimus, movemur & sumus*] plurimum additamenti ex commentatore recipere necesse habet, antequam ex eo hanc conclusionem possint extorquere, [*Neque Voluntatem humanam, neque ullam præterea Creaturam posse agere sine Prædeterminatione Physicâ antedescriptâ.*] Nonne in Deo movemur, nisi hoc modo unico nos ipse moveat? Et qui de motu proprio hunc Textum intelligunt, ad Animi actus immanentes eum non possunt applicare; ut qui non *motus* propriè dicendi sunt. Verba hæc sunt ipsius D. Twissi [*In actionibus Voluntatis instantaneis, mutatio reperitur duntaxat; non autem motus propriè dictus*, &c. *Nam quod attinet ad actus Voluntatis elicitos, eos sine motu, per mutationem*, viz. *instantaneam produci, citra Controversiam affirmare posse videor; sed non me fugit, istud neutiquam allubescere Jesuitis*, novis illis Scholasticæ Theologiæ reformatoribus.* Vind. Grat. li. 2. Part. 2. De Permiss. Digres. 9.]

* Etiam Jesuitæ plurimi potius Actum quàm Motum Intellectionem & Volitionem dicere solent.

Somatistæ quidem Epicurei qui Animum nil aliud quàm *Corpus tenue* esse existimant, omnem *Intellectionem* & *Volitionem* esse *motum localem* item judicare necesse habent: Et omnes qui mortalium Actus mentales esse *mistos* opinantur ex pura operatione mentali & motibus spirituum materialium, similiter † *mistos* esse ex actu *spirituali*, & *motu locali*, judicare coguntur. At *Actus purè mentales*

† Quod voluit Ockam.

esse

esse *motus locales*, ego minimè observavi, vel Jesuitas (qui Philosophiæ Peripateticæ ut plurimum tenaces sunt) aut ullam aliam Orthodoxorum Philosophorum partem asseruisse. Et de mente dici non potest eam *in Deo* propriè *moveri*, si *non omninò* propriè moveatur. Et plures quidem sunt modi [*in Deo movendi*] quàm hic per prædeterminationem jam oppugnatam.

2. At si dicant (quod solum dicendum restat.) [*Non posse Deum creaturam facere, quæ sine Prædeterminatione hâc moveri vel se movere potest*;] tunc porrò dicendum est, hoc esse, vel quia Deus caret *Sapientiâ* vel *Potentiâ* sufficienti (quæ aperta blasphemia à Christiano nullo enunciabitur;) vel quia *contradictionem implicat*, & fieri impossible est, utpote quod Potentiæ opus non est. At hoc probari nullo modo potest.

Ad illud quod objiciunt [*Creaturam aliter fieri Deum, id est, Causam primam, vel Independentem,*] inter objectiones postea respondebitur.

Mihi quidem Arrogantia videtur minimè toleranda, mortales cæcutientes in terrenis hisce tenebris, Notitiam tantam simulare in tremendis hisce mysteriis, de modis Divini concursûs, utpote quâ fidenter asserere audent, Deum Omnipotentem non posse creaturam aliquam facere, quæ modo aliquo alio moveatur, quàm per Prædeterminationem hanc oppugnatam; scilicet, neque per Causationem vel Concursum Universalem, neque Creaturarum naturas, potentias, inclinationes, objecta, media, auxilia, *&c.* sustentando, & impedimenta removendo; neque per Concursum non-necessariò determinantem, *&c.* neque aliâ aliquâ viâ Omniscientiæ Divinæ notâ, mortalibus autem ignotâ. Qui dicunt [*Omnipotentem non posse Lapidem facere, qui sit à summitate turris dejiciatur, suo pondere descendat,* (suppositis mediis & circumstantiis convenientibus, & rerum omnium naturam Divinâ Providentiâ sustentante,) *sine præmotione Divinâ efficiente Physicâ specialiter prædeterminante,*] audaciâ fateor me multis parasangis antecedunt.

Arg. II. Doctrina ista quæ Deum facit peccati Authorem vel Causam principalem, non est vera: Talis autem est doctrina hæc negata de Prædeterminatione. Ergo---

Minorem scio negatam esse; at facillimè probatur.

Quicunque causat fundamentum alicujus Relationis, Relationem ipsam necessariò inde resultantem causat. At peccatum est formaliter Relatio, & juxta doctrinam oppositam Deus (principaliter) causat ejus fundamentum unde necessariò resultat: Ergo juxta doctrinam oppositam, Deus (principaliter) causat peccatum, etiam quoad ejus formam.

Propositio major est indubitatæ Veritatis. Nulla datur causa Relationis Efficiens præter fundamentum, & fundamenti & fundandi causas. Relatio enim ipsa formalis inde oritur, per *nudam resultantiam*, sine actione aliquâ aliâ efficiente. Huic etiam adjicere possem (si ab aliquo negatum esset,) *subjectum* etiam & Terminum, secundùm adversarios, esse à Deo, Authore principali.: Deus fecit *Adamum* defectibilem: fecit item *Legem*, quâ vetitus est edendi, *v. g.* actus: Objectum etiam fecit; & Tentatorem permisit; si igitur & actûs vitiosi Volendi, ut & Deceptionis, & Esûs, fuit Deus præmotione causa prima totalis efficaciter prædeterminans, idque ad actum ut comparatum, & cum circumstantiis & modis omnibus, quid restat cujus non sit ipse causa principalis?

2. Minoris pars utraque est extra Controversiam posita. 1. Peccatum esse formaliter Relationem communis sententia est, & à D. Twisso sæpe affirmata; *viz.* Quod sit *Disconformitas*, seu *Privativa inconformitas Legi Divinæ*. Vide D. Twiss. in Animadv. in Collat. Armin. & Junii, p. 27.

Scholastici quidem plurimi dicunt peccatum esse deviationem à debito *objecto, ordine, modo* & *fine*. At de *objecto, ordine* & *modo* proculdubio dicendum est, hæc esse *materiam* tantùm *obedientiæ debitæ*, & deflectionem ab his esse *materiam* tantum *peccati*. At moralitatis ipsius natura in genere, consistit in *Jure* vel *Debito*; & ita peccati natura formalis, in contrarietate, vel privatione (non ipsius *Juris* vel *Debiti*, (Debitum enim officium *indebitum* facere non possumus;) neque *Rei debitæ* quâ *Res* est; si enim non *debita* esset, *privatio* non peccatum esset; sed) *Rei quâ debitâ est*.

Sub

Sub triplici autem Relatione, ut sæpe dictum est, Deo debitores sumus: 1. Ut *Domino* vel *proprietario*: Et ita nos & nostra non Domino dedere, peccatum est. 2. Ut *Rectori*; & ita Legi ejus non obedire, peccatum est. 3. Ut *Amatori* & *Fini*; & ita Deum non summè Amare, peccatum est. At primum & tertium peccandi genera, etsi *plus quàm Materiale* peccati dicenda sint, tamen si per intellectum à secundo possent separari; Analogicè tantum peccata essent formalia: At quia à secundo genere sunt inseparabilia, ab eo præcipuè peccati *formalitatem* mutuantur. Ita ut peccatum strictissimè sumptum est *Anomia*, sive *Legis Transgressio*: Et ita à *Lege* ut *Regulâ*, sicut *Curvitas* à *Linea Rectâ*, ut est ipsi disconformis, Relationem suam formalem, & denominationem accipit. Præcipua autem peccati *Materia* est deflexio à *debito fine*: Reliqua est vel mediorum malorum electio aut usus, vel rectorum aut rejectio, aut malus usus, scil. aut modo, ordine aut gradu, vel tandem mediorum ad *finem indebitum* electio aut usus aliqualis.

Gibeuf. de Libert. li. 1. p. 182. asserit, *Materiale peccati* esse deordinationem à *fine & principio*, ut usum rationis, & actum Voluntatis antecedentem: Et *peccati Formale* esse *Deordinationem ipsius Voluntatis à fine & principio*. Errat autem in aprico! Manifestum est enim illud quod Materiale vocat esse Materiam minus principalem vel remotiorem; & illud quod *Formale* vocat, esse tantum Materiam proximam & principalem; (Velle enim est actus elicitus ipsius Voluntatis, & ideo non peccati *Forma*, sed *Materia*;) Et *inordinationem illam* quam utrique actuum generi adjungit, esse *Formale* peccati: sed à *fine & principio* nulla est vera deflexio nisi aliquo modo (omissivè vel commissivè) voluntaria; neque actus exteriores peccati *Materiale* sunt, nisi quatenus Voluntarii; id est, actus humani sunt.

D. Twissus Vind. Grat. li. 2. Part. 2. Digr. 9. inquit [*Species actûs in genere moris, non sunt omninò species actûs, licet vulgò sic dici soleat; sed tantum sunt accidentia actionum naturalium, idque extrinsecâ denominatione tantum ipsis congruentia: Etenim omnis actio dicitur aut Bona aut Mala tantum, quatenus Lege aliquâ creaturæ præscribitur aut prohibetur: hoc volo, quatenus fit conformiter Legi alicui eandem actionem aut vetanti aut præcipienti, Quod si constiterit Adamum indiguisse motione Dei qua moveretur ad comestionem ante interdictum Dei, quî fieri potuit, ut non indigeret eadem motione Dei ad comedendum postquam fuerit interdictum.*

Resp. 1. De minutulis quæ intellectûs aciem fugiunt, & facilè erratur & litigatur. Actio est ipsa accidens, & non propriè accidentis alicujus realis subjectum. Quid *species* vel *non-species* accidentium talium dicendum sit, ex Regulis aliquibus Rationis vix liquidò constat; sed dum ipsa *Moralitas* est *formaliter Relativa*, & *subjectivè* sive *materialiter* consistit aliquando in *non-agendo*, & aliquando in *agendi modo, ordine, gradu*, &c. si de *Moralitate* ipsa disserendum est, de speciebus morum, id est, *Bono* & *Malo* item disserendum est. Etsi autem specificatio moralis non est *formaliter specificatio Physica* (quod ipsum est quod D. Twissus dicere voluit,) verè tamen *specificatio Moralis* est; & in specie Physica, vel modo, ordine, gradu, circumstantiis Physicis fundata.

Ockam in Quod lib. 3. Qu. 15. Probare satagit, 2. Rectissimè dicis Boni & Mali formas esse Relativas ad Legem. Rectitudinem & Deformitatem Actus, non differre à substantia actûs: Et dicit Quod Deformitas non est carentia rectitudinis debitæ inesse actui; sed est carentia rectitudinis debitæ inesse voluntati: Quod non est aliud dicere, nisi quod Voluntas obligatur aliquem actum elicere secundum præceptum Divinum, quem non elicit: Et ideo rectitudo actûs non est aliud quâm Ipse actus qui debuit elici secundum rectam rationem. Et Quod l. 1. qu. 20. contra Scotum tenet Actum exteriorem non habere bonitatem seu malitiam moralem propriam, sed solum Voluntatis actum.] At Lex primò prohibet actus Voluntatis, & deinde actus Voluntarios: Et peccatum est Legis violatio. Et quamvis Rectitudo actus nihil materiale est præter ipsum actum & ejus modum, est tamen ipsum formale boni moralis, seu obedientiæ. At inquit Ockam Falsum est Materiale esse Actum, & Rectitudinem Formale: Quia est peccatum commissionis aut omissionis; si primum, est materiale sine formali; quia ibi non est carentia rectitudinis debitæ inesse: Si 2. Modo, ibi est carentia quæ est formale sine materiali.] Resp. In commissione est carentia conformitatis Legi Divinæ cum difformitate: In omissione est carentia & actûs & conformitatis quæ in actu esse debuit; sed peccati forma consistit in difformitate personæ in actibus & omissionibus sicut hic explicatus.

3. Rem

3. Rem totam ingenuè quidem & aperto pectore tractas & concludis; si enim (uti dicis) sepositâ Legis consideratione, actus ille (puta Gehezi mendacium, aut Petri denegatio Christi, aut Adami comestio) sine motione (& prædeterminante præmotione efficaci) Divinâ, præstari non potuit, proculdubio, Lege item considerată, sine illâ præstari non potuit. Eorum igitur quæ dixisti, hæc summa, hic sensus est; [Peccatum esse nil aliud est, quàm Actûs (vel modi, ordinis, gradûs, omissionis) extrinseca denominatio (*Relatio* ego potiûs dixissem) quatenus à Relatione ad Legem denominatur: Sin autem Deus sit causa principalis efficacissima comestionis Adami, ante prohibitionis considerationem, proculdubio item causa principalis est ejusdem actûs, prohibitione item consideratâ (Ipse enim prohibitionis etiam Author est;) Id est, est Causa principalis peccati, & quoad *Materiam*, & quoad *Formam*] Quamvis ipse non peccet.) Rectissimè quidem concludis quoad *formam*; falsissimè quoad *rem*: Et à potiore meliùs argumentor: Deus certò non est causa principalis comestionis Adami cum omnibus suis modis & circumstantiis, ut ad Legem relatæ, id est, ut peccatum est; ergo non est causa ejus principalis sepositâ Legis consideratione.

Difficultatis alicujus res est notiones omnes Ethicas, ad notiones & terminos Logicos reducere. At fieri potest, & fieri oportet, si accuratè de talibus disseremus. Quoad præsentem controversiam, parum refert, utrum *Fundamentum proximum* relationis peccati, dicatur esse Actum ipsum cum suis modis, & Actûs omissionem, an Actus ita modificatus, aut ejus omissio dicatur tantum *subjectum proximum* Relationis; & *Dissimilitudo* seu *Inconformitas naturaliter* tantum considerata dicatur *Relationis Moralis Fundamentum: Similitudo* enim & *dissimilitudo*, *Conformitas* & *Inconformitas*, sunt ordine naturæ *quiddam Naturale* (quantum Relatio quid Naturale dici potest, id est, quantum aliquid habet *Realis entitatis*) antequam *quid Morale*: Sicut *Lex* ipsa priùs ut *naturaliter Recta* consideratur, quam ut *Regula*; ita *Actus* ut *conformis Legi* ut *naturaliter Rectæ*, est tantum *subjectum Relationis* (id est, *similitudinis*) *Naturalis*; At ut *Conformis Legi* ut *Regulæ*, est *subjectum Relationis Ethicæ* vel *Moralis*; & ita *Conformitas* ut *Relatio Naturalis* videtur esse *fundamentum Bonitatis Moralis*; sicut *Curvitas* considerari potest primò ut *Recto dissimilis*; quæ tamen sæpe fit ad *ornamentum*, vel ad ædificiorum *robur*, vel alios usus; & eadem considerari potest item ut *Regulæ rectæ inconformis*, & ita ut *mala* & *culpanda*. Neque dubitandum est (uti Ch. Schiblerus in Metaphys. & alii asserunt) *Relationem* sæpe fundari in *Relatione:* (Et reverà *Relationum* doctrina non minimam rerum humanarum partem continet.) At ad præsentem Controversiam, dico parùm interest, utrum *Actus ipse modificatus*, an *Actus hujus Relatio* ut *Naturalis*, sit *fundamentum Relationis* (*Bonitatis* aut *Malitiæ*) Moralis. Quia indubitatum omnibus non cæcis manet, utramque Relationem, & *Naturalem* & *Moralem nudâ resultantiâ* oriri ex *Actu* vel *Actione modificatâ naturali*, ut ad *Legem* comparatur, sine aliâ aliquâ causatione: Et qui *Legem* & *Actum modificatum* causat, utrasque etiam *Relationes* causat.

Quantum ad communem assertionem, *Peccatum esse formaliter Privationem*, dico; *Privatio* etiam est vel *Naturalis* vel *Ethica* sive *Moralis*, quæ semper *Relativa* est. *Privatio Rectitudinis Moralis*, id est, *Bonitatis*, est *Privatio Relationis debitæ:* Quando igitur per Volumina Controversiarum de natura formali peccati, Ecclesia Christi tamdiu turbata fuit, mirum est neminem (quod sciam) vidisse, hanc certam difficultatis hujus solutionem; scilicet peccati *Materiale* est aliquando *positivum quid*, aliquando *privativum*; aliquando actus vel modus prohibitus, aliquando modi, vel actionis præceptæ omissio: Peccati autem *formalis fundamentum proximum*, est *Relatio Naturalis:* Peccati autem *ipsa forma* est semper *Relatio Moralis*, viz, *Deordinatio*, vel *debiti alicujus privatio, viz.* vel agendi vel non agendi: Tametsi igitur *Materia* vel *Subjectum* immediatum peccati, sit aliquando *Actus modificatus*, & aliquando Actûs, *vel modi vel gradûs*, *defectus*, *omissio* vel *privatio*; Relatio tamen naturalis inde resultans, est semper Relatio *disconvenientiæ*, seu *dissimilitudinis*; & Relatio Moralis est semper *Inobedientia*, id est, *Relatio Privativa Moralis*; Privatio scilicet *obedientiæ debitæ*, quæ materialiter consistit, vel in faciendo quod prohibetur, vel in non faciendo quod jubetur.

Ex hiſce non tantum Thomæ Piercii iſtius Angli ſcripta pro peccati poſitivâ formâ (ignorantiæ, ſuperbiæ & maledicentiæ plena) facilè refutantur, ſed & Scholaſticorum de hâc re doctrina nubiloſa & nunquam ſatis explicata, ad ſenſum verum & intelligibilem reducitur.

Et quamvis Scholaſticorum nonnulli id *Formam* peccati vocitant, quod reverâ tantum *Materia* eſt, ſubtilis tamen Scotus ejus formam *Relativam* eſſe vidit, & nullam aliam habuiſſe Cauſam niſi quæ fundamenti cauſa eſt; ſicut ex hiſce ejus verbis apparet, in ſent. li. 1. diſt. 17. qu. 2. [*Bonitas Moralis actûs eſt quaſi quidam decor illius actus, includens aggregationem debitæ proportionis ad omnia, ad quæ debet actus proportionari, puta ad potentiam, ad objectum, ad tempus, ad finem, ad locum, ad modum; & hoc ſpecialiter ut iſta dictantur à rectâ ratione debere convenire actui: Ita quod pro omnibus poſſumus dicere, quod convenientia actus ad Rationem rectam, eſt, quâ poſitâ actus eſt Bonus; quâ non poſitâ, quibuſcunque aliis conveniat, non eſt Bonus. Quia quantumcunque actus ſit circa objectum qualecunque, ſi non ſit ſecundum rationem rectam in operante puta ſi ille non habeat rectam rationem in operando, non eſt Bonus actus. Principaliter igitur conformitas actus ad Rationem rectam, plenè dictantem de circumſtantiis omnibus debitis illius actus, eſt Bonitas Moralis actûs. Hæc etiam Bonitas nullum habet principium proprium activum, ſicut nec aliquis Reſpectus: Maximè cum ille reſpectus conſequatur extrema poſita ex naturâ extremorum. Impoſſibile enim eſt Actum aliquem poni in eſſe, & Rationem Rectam in eſſe, quin* * *(ſi rectus eſt actus) ſequatur talis conformitas ad Rationem rectam. Relatio tamen conſequens extrema neceſſariò, non habet cauſam propriam aliam ab extremis.*]

* Verba in Parentheſi addidi adſenſum explendum qui ob falſam impreſſionem aliter mancus eſt.

Subtilitate tamen ſufficienter non pollet Doctor ſubtilis, dum *Rationem rectam* in genere tantum ut agendi regulam nominat; neque diſtinguens inter *Rationem imperantem* & *ſubditam*, nec utram harum voluit explicans: Cum reverâ *Ratiocinatio* ipſa ſubditorum ſit pars non ultima *materiæ Boni Moralis*; & reliquarum actionum ad Rationem noſtram convenientia, eſt etiam pars *Materiæ Boni*; ſeu Relatio antecedens formam: At forma eſt convenientia actuum, *remotè ad Rationèm*, & *proximè* ad *Voluntatem Gubernantem*, *Lege ſignificatam*; vel ad *Rationem* & *Voluntatem Divinam* ut Debitum humani officii legibus conſtituentes.

Talia etiam de formâ Boni Relativâ habet Durandus, & plerique alii. Et ſi verum hoc eſt de *Bono*, proculdubio etiam de *Malo* verum eſt; Niſi quod Forma Relativa Boni, *Relatio Poſitiva*; *Mali* vero, *Relatio Privativa Moralis* dicenda eſt.

Hypotheſis igitur noſtra indubitata manet: Authores porrò doctrinæ Prædeterminationis quam oppugno docent, Deum Intellectum, Voluntatem & partes executivas præmotione ſuâ totali efficaci determinare, non tantum ad *actum peccati quâ actum*, ſed quatenus modificatum, & circumſtantiis omnibus veſtitum; *viz.* quoad locum, tempus objectum-prohibitum, gradum, &c. & ut aliis actibus *comparatum*, & prælatum. Itaque ſecundum ipſos Deus eſt cauſa *fundamenti* peccati principalis indubitata; ergo etiam eſt cauſa *formæ*.

Sin autem de ipſo peccati fundamento litem adhuc aliqualem inſtituere velint (vel ex inſcitiâ, vel quia Lectores inſcii de tricis Logicis judicare non poſſunt,) hoc omnibus literatis notum litem facilè dirimere poteſt; Quodcunque ſcilicet peccati fundamentum eſſe dicatur, Deus ſecundum ipſos, eſt ejus cauſa principalis: Aut enim *aliquid* eſt, aut *nihil*; ſi *nihil* eſt, nullam habet cauſam; & ideo neque *homo* ejus cauſa: ſi dicant, hominem eſſe *Cauſam defectivam*, reſpondeo, ſicut non eſt creaturæ defectus culpabilis quod ſe non ab æterno creavit, neque quod ſe ſolem vel Angelum vermiculus unuſquiſque non facit; ita neque quod actum naturaliter ipſi æque impoſſibilem ſine Prædeterminatione Divinâ non præſtat: Sicut enim quando agit cauſa ſecunda *efficiens*, *principalis* eſt *primus motor*, ita quando non agit *Cauſa deficiens*, *principalis* cauſa reputativa eſt primus motor non movendo? Non dico quod *Cauſa culpabilis* eſt; Quia *Dei non-agere* non poteſt eſſe *culpa*; ſed ſicut *ceſſatio* vel *non operatio* cauſæ primæ eſt *inculpabilis*, ita etiam & *Cauſæ ſecundæ*: Vel ſi dicant ex arbitrariâ Lege, Deum hominis non-

præſtationem

præstationem actûs naturaliter ipsi impossibilis, peccatum feciſſe, vel indigitaſſe; tamen ſicut homo eſt cauſa reputativa tantùm non agendo, ita Deus eſt Cauſa principalis reputativa non agendo, (cujus præmotio naturaliter, neceſſaria fuit) etſi non ſit Cauſa culpabilis. Sin autem peccati fundamentum ſit *aliquid* (& quidem ſi nihil eſt, attamen nihil illud in poſitivo aliquo inhæret vel fundatur) tunc ipſi concedunt & probare ſatagunt, illud à Deo neceſſariò eſſe ut à Cauſa principali: Et ſi Deus Adami Intellectum, Voluntatem, membra prædeterminavit, præmotione efficaci irreſiſtibili, ad fructum illum vetitum hic & nunc comedendum, ad Actum ſcilicet Legi inconformem, tunc proculdubio ad ipſam inconformitatem item eum ita prædeterminavit, Quandoquidem inconformitas iſta nullam cauſam aut habuit, aut habere potuit, præter Legem & Actus cauſas modificati & inconformis.

At pauliſper hic ſiſtendum adhuc eſt, dum inanes iſtas diſcutiam reſponſiones, quibus Deum ita prædeterminantem, non cauſam peccati fieri, quidam aut ſibi aut aliis ſaltem perſuadere conantur.

A Rutherfordo & aliis paſſim dicitur [*Deum prædeterminantem eſſe quidem Authorem Materiæ peccati, non autem Formæ; Actûs mali, at non quâ Malus eſt, & ideo non Malitiæ actûs.*]

Reſp. Probatum jam dedi, malitiam peccati non aliter cauſari poſſe, quàm malum actum modificatum cauſando. Quod etiam clarè explicavit Doctiſſimus noſter Joh. Walliſius in Tract. contra D. Baronem Brooks, cap. 12. p. 88, 89. ubi dicit [*Relationes omnes originem trahunt, non ab actu aliquo peculiari, quo producuntur, qui diſtinctus eſt ab actu illo quo illud producitur, in quo fundantur; ſed ab Ente illo abſoluto in quod dependentiam habent, per nudam reſultantiam, oriuntur & profluunt, ſine novo aliquo actu intermedio. Non uno actu Pater filium generat, & altero (vel ipſe vel filius) filiationem producit: Sed Relationis Terminis ſemel productis, Relatio ipſa neceſſariò ſequitur. Productis duobus albis, impoſſibile eſt etiam per Potentiam Divinam, quin in hoc ſint ſimilia. Falſitas autem & Veritas, Bonitas & Malitia, cum ſint, ut dixi, Relationes; & conſequenter non aliam habent productionem, præterquam Reſultantiam à ſuis fundamentis; aliis judicandum relinquo, quantum Deus concurrit cum operatione creaturæ in actu illo producendo, qui aut Bonus aut Malus eſt, verus aut falſus, ut & in quantum hujus Actûs efficiens affirmari poteſt cauſa Relationis illius inde reſultantis.*] Ita vir ille limati judicii.

Et ipſe Dr. Twiſſus ſæpe mihi inſinuare videtur (& planiùs adhuc Rutherfordus) Deum quidem cauſando peccati actum modificatum peccati etiam formam relativam cauſare, etſi illam cauſando non ſit culpabilis: At de hoc plura in ſequentibus.

2. Reſp. porrò, hanc reſponſionem (Deum Actum cauſare peccati, at non malitiam) hominem etiam peccatorem non minùs à peccati cauſatione excuſare. Peccator non aliter malitiam ſeu peccati formam cauſat, quam *actus malos* cauſando, (& *præceptos* non cauſando.) Et Actûs hujus hi dicunt, Deum ipſum eſſe Cauſam principalem & prædeterminantem. Vide D. Twiſſ. Vind. Grat. li. 2. par. 1. Digr. 5. cap. 15. § 18. ubi dicit; [*Nec homo ipſe aliter peccat, quam aut faciendo quod non debuerat, aut quod debuerat omittendo; nullam autem emanationem habens in peccatum, diſtinctam ab emanatione in actum naturalem peccato ſubſtratum.* Nonnne hic liquidiſſimè conſtat, Doctores hoſce aut Deum ipſum peccati quoad *formam* cauſam principalem eſſe aſſerere, aut ipſum peccatorem non minùs à formâ peccati cauſandâ excuſare.

II. Dicunt, [*Deum malum quidem cauſare, at non quâ malum, vel ſub ratione mali.*]

Reſp. Fatetur hæc Reſponſio Deum *cauſando Actum* ſeu *Fundamentum*, peccati etiam *formam* cauſare; At non *quâ malum, dicunt.* Terminus ille [*Quâ,*] aut [*ſub ratione mali*] aut ad *Voluntatis intentionem* applicatur, aut ad *actionem* externam membrorum: Si ad membrorum actiones, inſulsè illud negatur de Deo, ad ejus honorem, quod pariter de unoquoque mixìmè impio denegandum eſt:

Membra etenim externa uti ratione carent in se, ita sub nulla ratione hoc vel illud agunt, ut quæ omninò non ratiocinantur. At si ad Intellectum & Voluntatem refertur, dico, etiam Peccatores, si non *omnes* (quod tamen communiter tenetur,) saltem plurimos, non malum velle sub ratione mali. Ita enim Volendi facultas naturaliter à Creatore ad Bonum ut Bonum inclinatur, ut Malum velle non potest nisi sub ratione Boni: Pauciſſimi præter Franciſc. à ſancta Clarâ hoc negare unquam ausi sunt. Twissus ipse quidem sæpissimè illud asserit: Et Boetius, Gibeuf. & alii plurimi, id copiosiùs explicarunt, scilicet Malum semper fieri propter Bonum: Anne igitur Sanctissimus Jehova non aliter à peccatorum causatione excusabitur, quàm ipse Cain, aut Judas, aut hominum nequissimi excusari possunt? Aut ipsius peccatoris estne valida excusatio quod Malum facit propter Bonum, & non sub ratione Mali? Anne justa est eorum damnatio, testante Sp. Sancto, qui dicunt, *Faciamus Malum, ut Bonum eveniat?* Et ut mendacium nostrum sit medium ad Glorificandum Deum. Et qui *propter Deum mentiri* bonum judicant? Actiones quidem nostri seculi doctrinam hanc non modicè redolent; At non igitur à Deo sanctissimo approbantur. Deplorandum igitur est præstantissimi D. Twissi dictum Vind. Grat. li. 2. Part. 1. Digr. 4. [*Licet facilis & expedita esset responsio, dicendo, Deum dum vult ut peccatum fiat ipso permittente, nequaquaquam Velle Malum quâ Malum, sed duntaxat quâ conducibile est, ad Gloriam Dei uberiùs illustrandam*, &c.] At non tam *Bona* quam *facilis* & *expedita* est illa *responsio:* Causa tamen prædeterminantium, etiam *pejorem* adhuc requirit; quia secundum illos peccatum non fit Deo tantum *Volente* & *Permittente*; sed & *principaliter efficiente.*

Si aliquis evasionem hanc excogitabit [*Peccator quidem vult Malum propter Bonum; at non propter Bonum summum, aut Sanctum, sed propter Bonum inferius sensibile tantum: At Deus propter Bonum Sanctum & summum illud vult.*]

Resp. 1. At sufficit contra objectionem vestram probasse, peccatorem non Malum Velle, quâ *Malum*, vel sub *ratione Mali*, quod probatum est. 2. Etiam peccatorum plurimi Malum volunt *propter Bonum Sanctum & summum*; omnes scilicet qui *mala media* ad finem optimum eligunt. 3. Et Deum sanctissimum opprobrio afficiunt, dum hoc ejus perfectionem esse fingunt, Peccatum Velle propter optimum finem, id est, seipsum, quasi in tantùm, summum bonum peccato reconciliatum foret?

III. Respondetur [*Deum peccatum non efficere, sed permittere*; sæpissimè istud repetit D. Twissus [*Deus vult peccatum fieri, ipso permittente, non faciente.* Replic. Sed ludere & illudere videtur hac responsione: Cum toties dicit [*Non ipso (Deo) faciente*] ludit: Quia juxta ipsius doctrinam, *nemo* illud *facit*: Quia peccatum, dicunt, non habet Causam Efficientem, sed deficientem; sed cum toties dicit [*sed permittente*] illudit: Innuere etenim videtur *aliquid fieri* à peccante quod Deus ipse non *facit*, sed tantum *permittit:* Cum tamen juxta ipsius sententiam, totum illud (& *reale* & *modale*) facit Deus, idque principaliter ut Causa prima prædeterminans, quod facit peccans; si peccatum non habet *Causam Efficientem*, de Diabolo dici potest, quando peccatum vult *ipso non faciente*: At *actus vitiosus* habet Causam Efficientem; & in quantum *Relatio* vitiosa *causari potest*, à Deo illam principaliter causari, asserere palam tenentur. Anne qui parietes duos dealbat, *permittit* tantùm eorum similitudinem, aut potiùs efficit? Anne qui Davidi adulterium vetat, & etiam eum ad volitionem & actum adulterii (cum omnibus suis modis) præmovendo efficaciter, prædeterminare fingitur; adulterium tantum *permisisse*, an potiùs *effecisse* fingitur?

Et quare etiam ipse peccator non dicere potest, se peccatum suum tantùm *permisisse.*

Et quæro quid sensit præstantissimus Doctor quando Vind. Grat. li. 3. § 3. p. 60. *Infidelitatem esse Reprobationis & Voluntatis Divinæ effectum*? asserit?

IV. Respondetur à quibusdam, *Deum esse causam peccati tantum per accidens; sicut Sol causat sterquilinii fætorem; & equiso causa est claudicationis equi; & scriptor qui chartâ utitur bibulâ est causa macularum; & (ut loquitur Franciſc. Sylvius)*

Sylvius) *ſicut ille qui bonum intendens navim aut cymbam trahit cum altero malum intendente, neque eſt cauſa illius malæ intentionis, neque cauſa niſi per accidens effectûs quatenus à malâ intentione illâ procedit.*

Replic. Similitudines hæ à diverſis contrariæ in hiſce opinionis, diverſimodè, & ad contraria probanda adhibentur, Alvarez, Bannes, Ledeſma, Cumel, Gaſpar Ram, Franſ. Sylvius, & plurimi alii Dominicani & Thomiſtæ, (ſicut & Dr. Twiſſus & noſtrorum nonnulli) ad proprios ſuos uſus, & fines eas adhibent: Jeſuitæ verò, Lutherani, & Arminiani ad ſuos. Ad rem verò ſine perſonarum reſpectu reſpondendo, dico; 1. Quicunque cauſa principalis præmovens efficaciter & irreſiſtibiliter *prædeterminans voluntatem* & *membra* ad actum prohibitum dicitur, & ſimul eſt cauſa ſolitaria Legis prohibentis, & cauſa dicitur principalis, &c. fundamenti, & ideo formæ peccati Relativæ; & ideo non dicendus eſt cauſa per accidens, niſi & ipſe peccator etiam cauſa per accidens dicendus ſit.

2. Similitudines ad uſum Prædeterminantium minimè adaptatæ ſunt, ſed eorum opinionem planè ſubvertendam.

1. Ipſorum intentioni ſerviendæ ineptæ ſunt: Fætor etenim ſterquilinii, claudicatio equi, macula chartæ, non ſunt *Relationes*, reſultantiâ nudâ ab actionibus ſolis, equiſonis & ſcriptoris oriundæ; ſed cauſas porrò diſtinctas effectuum horum diſtinctorum poſtulant: Actûs autem humani vitioſi (*e. g.* Adami) *diſconformitas*, ut ad Normam officii comparati, nullam diſtinctam habet cauſam, ab illâ quâ actus *inconformis* cauſatur; ſed per nudam reſultantiam, inde oritur.

2. Opinionem eorum planè ſubvertunt: 1. Sol enim fætoris ſterquilinii eſt cauſa tantum *univerſalis*; *Natura* autem *ſterquilinii* eſt *cauſa ſpecialis*. Sol agit ſuo modo ad *odorem in genere* excitandum; nihil autem ſpeciale *operatur* ad *fætorem* potiùs quàm *gratum odorem* excitandum. Quod *olet* eſt à Sole ut à *cauſâ univerſali*: Quod *fætet* eſt à *ſeſe*, ut cauſâ ſpeciali. Et ſi ſterquilinium vel galeopſis, eſſet *Roſa* eadem Solis actio gratiſſimi odoris cauſa foret. D. Twiſſo autem concedo *ſterquilinium actum Solis* non propriè *determinare*: Non eſt in ſterquilinii poteſtate, an Sol ſuos radios emittendo ei allucebit; neque an objectum apertum radios emiſſos recipiet; neque an objectum mobile, per ejus influxus moveatur; aut objectum illuminabile per illos illuminetur; aut an objectum calefactibile calefiat, an non? Hæc enim omnia cauſalitas ejus *Univerſalis*, neceſſariò in objectis convenientibus efficit. At quod *Roſa redolet*, & *galeopſis fætet*, quod *oculatus* videt, & cæcus non videt, cum æquè Solis emanationibus ſubſit, à natura tantum *recipientis* oritur, cum nihil majus ad hunc effectum quàm ad illum, ad gratum odorem quàm ad fætorem, Sol conferat. Hunc autem *univerſalem influxum Divinum ad actum, quâ actus eſt in genere*, nos minimè negamus; Quod videns Dr. Twiſſus Bellarminum acriter reprehendit, quod ita Deum negat eſſe *cauſam Boni*, quâ *Bonum eſt*, ne fiat item *cauſa Mali*, quâ *malum eſt*. At reverâ Deus aliter cauſat *Bonum* quàm *Malum*, ſicut ſub fine plenius patefaciam.

2. Ita etiam *Equiſo*, neque eſt *cauſa ſpecialis* claudicationis equi, neque *recti inceſſûs*: ſed *motûs tantum*, quâ *motus eſt*: *Claudicatio* autem eſt, vel actio, vel *modus* à *Motu* in genere *diſtinctus*, & diſtinctam habens cauſam ſpecialem.

3. Chartæ item bibulæ *maculæ*, ſicut *realis* eſt effectus, & non tantum *Relatio*, ita *qualitas chartæ recipientis* eſt *cauſa ejus ſpecialis*; & *ſcriptor* eſt tantum cauſa *literarum ſpecialis*, & *macularum* tantum generalis: Nec aliud facit ad literas cauſandum iſtas maculatas quam ad nitidas.

Promptiſſimè igitur fateor has omnes ſimilitudines reverâ non ineptas eſſe (quantum res morales, & quidem Divinæ, per naturales poſſunt exprimi) ad primæ cauſæ ſanctiſſimæ mali-cauſationem exprimendum Deus ſcilicet eſt cauſa *principalis*, *Actûs quâ Actus*; & cauſa tantum *univerſalis*, non *ſpecialis*, *mali*, ſeu *malitiæ actus*, aut *actus ut male-modificati*. Neque Bonum quidem, quâ *Bonum* cauſat, *influxu hoc univerſali*, ſed (ut verè Janſenius & Theologi noſtri) per gratiam regenerantem, ſanctificantem, ſeu medicinalem; Motus igitur hic *Univerſalis*, Voluntatem ad actum comparatum & in ſpecie morali, minimè prædeterminat;

terminat; sed sicut Venti causant navigii motum, non autem motum *huc aut illuc* particulariter; sed nauta vela ad ventos recipiendos adaptans, est causa specialis, quod ad portum hunc potiùs quàm alium appulsum est; Ita etiam Voluntas humana facere, & potest, & debet, sese applicando ad Divini motus receptionem: Non quidem *illum determinando* quoad effectum suum universalem; multò minùs ad agendum, vel non agendum; sed ut causa specialis primò receptiva deinde activa, specialem effectum per causæ universalis auxilium receptum producendo.

Dum Adamus scilicet deliberabat utrum fructum vetitum comederet, an non, ad activitatem vitalem secundùm suam naturam, & ita ad actum in genere, Deus ipsum impellere potuit: Et tamen non ad Volitionem magis quàm ad Nolitionem; neque ad actum hunc malè modificatum: Ad actum enim in specie morali nos movere, ad specialem Dei gratiam seu providentiam pertinet (ad Bonum scilicet;) at non ad naturalem & generalem suum concursum seu præmotionem.

4. Similitudo item duorum navim vel cymbam eandem trahentium, evidenter causam prædeterminantium subvertit. Hic enim Deus fingitur esse (quoad tractionis effectum) causa tantum partialis quæ reverâ (ut Occam) non est *Causa tota*, sed *pars Causæ*. At hoc (Etsi Scoto quandoque allubescere videtur) Theologis hisce omninò displicet, & ab ipsis vehementer negatur. Actus etiam hic intendendi omninò diversus est ab Actione trahendi: Et trahens unus nil omninò facit ad alterius malam intentionem, sed tantum ad navigii motum.

5. Porrò si in hisce similitudinibus per fætorem, claudicationem, *&c.* Causæ alicujus vitiosæ agitatæ, malum effectum intelligant, rectè quidem & ad statum hominis jam corrupti, & ad causam nostram confirmandam seu illustrandam quadrant. At quando Deus Voluntatem ejus prædeterminasse fingitur, Adami Voluntas non fuit corrupta: Sin autem innocentem aliquam naturæ ejus imperfectionem sufficientem aut aptam esse volunt ad claudicationem hanc cum concursu Divino producendam, verum quidem est quoad peccandi possibilitatem, non autem quoad necessitatem. Deus enim naturam hanc humanam creavit; & (ut omnia) *bonam* creavit; at liberam, & defectibilem: Deus igitur Universaliter tantum movens, fuit causa prima Actûs quâ Actus; Ac quâ malus est vel inconformis Legi, per Voluntatem Adami, non necessariò fit, sed liberè, ut per causam specificantem. At si Deus eum ad Actum modificatum, & in specie morali præmotione efficaciter prædeterminasset, tunc dicendum esset Adamum *Potuisse* quidem peccare quia à Deo factus est defectibilis, & necessariò, & inevitabiliter peccasse quia à Deo efficaciter prædeterminatus erat ad peccandum.

6. Denique notandum est, quod si & Legem, & Actum modificatum legeprohibitum causare, non facit Deum hujus Actûs malitiæ causam; tunc pari ratione, & Legem facere, & Actum Lege-præceptum, non probat Deum causam esse *Bonitatis actûs* illius præcepti. Et ita in scopulum jactantur quem devitare maximè cupiunt, dum Deum *Boni Moralis* Authorem esse consequentiâ evidente negant. Quid aliud enim fieri potest ad *Bonitatem actûs causandum*, quam & *Legem* & *Actum præceptum* principaliter & efficaciter causare? Hæc autem de malitiâ etiam producendâ à prædeterminantibus item Deo sanctissimo affinguntur. Qui subjectum, terminum & fundamentum causat, Relationem item proculdubio causat.

V. Respondent etiam [*Peccatum esse tantum privationem, & ideo causam nullam habere efficientem, sed deficientem tantum; qualis Deus esse non potest.*]

Resp. Ad hanc Resp. sufficienter antea replicatur. 1. *Materia* peccati, ut dicitur, sive subjectum proximum, non est semper privatio, sed Actus positivus; *e. g.* concupiscere, amare, odio habere, verba hæc preferre quæ falsa vel convitia sunt, homicidium, adulterium, *&c.* perpetrare. 2. Sicut positâ lineâ rectâ, & curvâ, dissimilitudo sine alia actione ponitur; ita positâ Lege & hisce actibus ponitur transgressio, seu peccati forma. Disconformitatis igitur fundamentum est *quid positivum*. 3. Etsi Relatio omnis, meo quidem judicio, minùs habeat Entitatis quàm vulgò creditur & dicitur habere, Relatio tamen dissimilitudinis, curvitatis, malitiæ,

malitiæ, non minùs habet Entitatis naturalis, quàm Relatio similitudinis, Rectitudinis, & Bonitatis Moralis: Et malum est *Ens Morale* in Entitate hâc Relativâ, sicut est Bonum. At quando ante dixi Bonum Morale dicendum esse. Relationem Positivam, & Malum Relationem privativam, de *Privatione Morali* seu in *genere moris* locutus sum, non de *Privatione Physicâ*, seu in genere Entis. Malum quidem in suâ formalitate dicit, *privationem obedientiæ, & rectitudinis debitæ*; At in *genere Entis* non minùs est *Relatio realis*, & *Ens Morale* in genere, quàm *Bonum*.

4. Etiam in plerisque peccandi instantiis, quibus à Bono peccator deflectit, præter officii nudam omissionem, invenitur etiam Voluntaris actualis aversatio, sive Boni Nolitio. Et tam *Nolle* quàm *Velle*, est Actus Positivus. Et quia secundum Dominicanos Deus Nolitionem hanc efficit, & Legem efficit eam prohibentem, quibus positis Relatio inde peccati necessariò resultat, cordato Lectori considerandum relinquo, utrum peccatum eisdem actibus etiam efficiat? & an peccatum non habeat causam verè efficientem? etsi efficiendo etiam moraliter à regula & jure deficientem.

5. Notandum præsertim est, Disputatores hosce (an per imperitiam, an per fraudem nescio) dum Quæstioni *de re* videntur satisfacere, litem tantum mutare ad quæstionem de *nomine*? scilicet an Deus agens, aut non agens *dicendus* est peccati *Causa deficiens*, sicut Homo dici potest? Hic enim 1. Peccatis actualibus (ut Deum odio habere, Christum, Spiritum, sanctitatem Nolle, *&c.*) fatentur, neque inesse Actum aliquem, neque actûs realem modum aut circumstantiam, quàm Deus non principaliter & efficaciter prædeterminando causat? At quærunt, utrum hæc causando *deficiens* rectè dici possit? Item in peccatis nudæ omissionis, distinctè consideranda sunt, *non-agere*, & *non-agendi culpabilitas*. Et promptè fatentur quidem & defendunt, quando homo non *amat Deum, non credit, non orat, non* pauperum miseretur, neque Deum, neque hominem hos actus jam agere; & ex naturali necessitate quidem, Deo non agente præmovente, & prædeterminante, hominem non magis acturum esse, (imò neque verè posse) quàm lapidem per se ad cœlum ascendere, aut *nihil aliquid creare* (Absolutè enim impossibilia æquè sunt impossibilia.) Jam autem quasi diverticulum quærentes, tantum quærunt, *Utrum dicendus sit causa deficiens?* dum ex ejus non agere, hominis *non-agere* necessariò sequitur, & *actionis ejus absoluta*, & *naturalis necessitas ad humanam actionem*, audacter & constanter asseritur. Et ad quæstionem de nomine quidem dicendum est, *Deum non esse causam peccati deficientem*, id est, *culpabiliter deficientem*: Quoniam quando non-agit, ad agendum non est obligatus? *At homo non-agens* quando ad agendum obligatus est, *culpabiliter deficit*. At manet adhuc dubium utrum justissimus mundi Judex per Legem sanctissimam omnes obligavit, idque sub pœna æternæ damnationis, ad Actus (puta Amoris Dei, sanctitatis, *&c.* quos non magis præstare potuit innocentissimus Adamus, absque prædeterminante præmotione Dei quàm ipse denegat,) quàm cœlum digito tangere, aut mundum alium creare. At quia hæc Responsio ejusdem sensûs est cum ultimâ subsequente, (de obligatione Divinâ) Replicationis pars altera illuc transferenda est.

VI. Alvarez autem doctrinam suam hoc modo defendere conatur. [*Peccati deformitas, seu malum morale, non sequitur intrinsicè, & ex natura rei, ad actum blasphemiæ vel odii, secundum suam essentiam ut actus est, neque ut Ens est in genere Naturæ, etiam in individuo; sed ut procedit à Voluntate creatâ deficiente: unde in Voluntatem deficientem, & non in Deum, debet refundi malitia moralis, & defectus peccati.*] Et hæc, cum pluribus ejusdem commatis & sensûs Dominicanorum responsionibus, à Riveto recitantur in Cathol. suo Orthod. Tract. 4. Qu. 6. p. 220, &c. 229, &c.

Non confundendæ sunt Quæstiones diversæ, *viz. De causa peccati?* & de *causæ culpabilitate*. Si reverâ probatum fuit, Deum omne peccatum inevitabiliter prædeterminando principaliter causasse, & Legem item fecisse omnes homines ob peccatum istud inevitabile ad cruciatus sempiternos damnantem, & Legem hanc

eexcu-

executioni mandasse, quis creaturarum contra ipsum Os suum aperiret, & de injustitia eum accusaret? At quæstio non est, An Deus ob peccatorum causationem culpandus est? sed *an peccatum ita causet?*

Responsionis hujus Alvarianæ duæ partes sunt; 1. In quo peccati causatio non consistit: 2. In quo consistit. Vel unde non oritur, & unde oritur. 1. Dicit, peccatum non oriri, à natura rei, ut est *Actus*, neque ut est *Ens* in genere *Naturæ*, &c. Repl. 1. Idem etiam ad creaturam excusandam in tantum dici potest. 2. Verum est quidem *Actum, quâ Actus* est, aut quâ *Ens*, non esse peccatum: Ideo & nos dicimus Deum *Actus in genere* causare, & peccatum tamen non causare. At ex *Actu modificato*, & ad Legem Divinam relato, necessariâ resultantiâ peccati forma vel malitia oritur. Imò & ex ipsâ Actûs modificati naturâ aliquando; Quia hominis ipsa natura Lex ipsa constituta est. Et ita *odio habere Deum, Sanctitatem*, &c. est peccatum ex natura actûs: Quia hic actus in specie erga hoc objectum est contra Legem homini ipsi essentialem: Neque enim possibile est, quod talis natura Rationalis, in talibus circumstantiis constituta, Deum talem amare non sit obligatus. Ex actu igitur ut *tali*, & ut *prohibito*, peccati formâ necessaria resultantiâ oritur.

2. Quando dicit *peccati malitiam oriri, ut procedit à Voluntate creatâ deficiente*; Verum est. At ambiguitas in ly [*deficiente*] prius detecta est; si de causâ necessariâ ad effectum, ut *non-efficiente*, intelligitur, causæ primæ *non agere* est prima deficientia: At si de *deficientiâ* ut *culpabili* tantum intelligitur, de hac postea dicendum est.

3. Et probatum jam dedi causam efficientem odium Dei, esse malitiæ ejus item verè efficientem.

4. Et cum dicit, peccatum oriri à Voluntate humanâ deficiente, responsionem dat quasi de causa relationis efficiente remotâ; quando de termino & fundamento, seu efficiente proximo respondendum erat; & Quid sit in ipso actu in quo peccatum consistit, & non *unde actus ille sit*, jam erat demonstrandum. Et quæro utrum Voluntas Adami peccavit quia prius (ordine naturæ) *deficiens* erat? aut *deficiens* dicenda est eo nomine quia peccavit: Et (si per possibile vel impossibile) supponamus, Angelum aliquem aut Christum actum prohibitum egisse, nonne actus ille esset formaliter peccatum? & an etiam per Potentiam Divinam fieri potest, Actum Lege ipsius prohibitum hic & nunc non esse peccatum? cum sit palbabilis contradictio? Omnes igitur hæ Responsiones à Riveto ibi citatæ, negantes Deum esse causam mali, etsi causa sit principalis *Actûs modificati prohibiti*, & *Legis*, non minùs ineptæ & absurdæ mihi videntur, quam si diceret, si Deus parietem unum faciat album, & alterum faciat Viridem, non tamen est causa dissimilitudinis, sed hæc in parietis colorem Viridem deficientem refundenda est.

Eadem dico ad Respons. Voetii de Termino Vitæ in Beverovicii Quæst. p. 353, 354, 355, 356. quæ ejusdem sensus est, *viz.* Deum causare Actum, non autem vitiositatem: Quod Verum est tantum quia causat Actum in *genere actus*, non autem ut *modificatum*, & in specie morali, ut à Voluntate bono præhabitum.

At Rivetus, ut mihi videtur, non rectè *Scotum* Dominicanis suis ut ita respondentem annumerat, qui apertè adeo in contrarium sententiam suam profert. Eorum quidem opinionem devitare videtur, qui Voluntatem proprii actûs *causam solam* esse volunt (Argumenta tamen eorum ut jam dixi insoluta relinquit.) At opinionem quam ipse sibi eligit, non est hæc Prædeterminantium, uti ex hisce ejus verbis evidentissimè patet; in 2. Sent. dist.

37. Q. 1. In Quæstionis principalis solutione [*Ad solutionem istorum objectionum, & solutionem principalem illius quæstionis dico; Quod quando duæ causæ partiales concurrunt, ad effectum communem ambarum, potest esse defectus, in productione effectûs, ex defectu unius causæ concurrentis præcisè, & non alterius. Exemplum: Ad Velle (secundum opin. 3. dist. 25. hujus) concurrit intellectus & Voluntas libera: Potest igitur esse defectus in actu isto ex defectu Voluntatis, licet non præcedat defectus in cognitione. Ita igitur si ad Velle Voluntatis creatæ concurrunt duæ Voluntates, scilicet Voluntas creata & Divina, potest esse defectus in ipso Velle ex*

defectu

defectu alterius causæ: Et hoc quia ista causa posset rectitudinem dare actui, quam tenetur dare, & tamen non dat: Alia autem, licet non teneatur eam dare, tamen quantum est ex se, daret, si Voluntas creata cooperetur. Universaliter enim quicquid Deus dat antecedenter, daret illud consequenter quantum est ex se, nisi esset impedimentum. Dando autem Voluntatem liberam, dedit antecedenter opera recta, quæ sunt in potestate Voluntatis: Et ideo quantum est ex parte sui, dedit rectitudinem omni actui Voluntatis: Et Voluntati ex consequenti daret, si ipsa Voluntas, quemcunque actum elicitum rectè ageret ex parte sui. Est igitur defectus in effectu duarum causarum, non propter defectum causæ superioris, sed inferioris: Non quod causa superior causet rectitudinem in effectu, & inferior obliquitatem; sed quia causa superior quantum est de se causaret, si causa inferior secundum suam causalitatem causaret: Et ideo rectitudinem non causari est propter hoc, quia causa secunda quantum ad se pertinet non causaret.*]

* Viz. ut Creatoris.

Anne clariùs (& meo quidem judicio, veriùs) sententiam suam contra Prædeterminantes Doctor subtilis proferre potuisset? Per *ly* [*quantum in se*] Dei, autem, non vult, [*quantum potest*] sed quantum ad esse actionis humanæ, secundum ordinem inter creaturas positum, necesse est. Et rectè quidem peccati rationem totam reddit, ex *Potentia* per *libertatem* non usâ seu abusâ. *Potentiarum* scil. & *Libertatis* naturas, non nosse, est omnium fere errorum, circa hæc, Dominicanorum, causa.

VII. Responsio ultima (omnium quidem nudissima & impudicissima, at illa quam solam ingenui omnes tandem dare coacti erunt) hæc est [*Etsi Deus & homo eundem actum modificatum causant, Homo tamen sub Lege est, & ideo Peccator: Deus autem sub nulla Lege, & ideo non peccat, neque peccare potest*]

Rutherfordus Scotus (Theologus multæ Lectionis & studii, & magnæ pietatis, at ingenii ad talia tractanda non satis accurati) hæc palam & sæpe profert in libro de Providentia; & tandem (etiamsi initio modestior) Deum *causam peccati principalem* haud negare videtur, & sat habet eum *non-peccatorem* esse defendere. Dogma tamen est Theologo aut pio alicui, cultori numinis, indecorum: Et illud quidem quod in Thoma Hobbesio Infideli Anglo jam ab omnibus præter Atheos & Infideles ejus sequaces, condemnatur. Et quidem post omnes vitilitigationes de hac re, vel ad Hobbesii, *omnium causationem Necessitantem*, deveniendum est, vel in Scoti ante recitatâ explicatione quiescendum est.

Pudendum hoc dogma Dr. Twissus sæpe profert: Ut Vind. Grat. li 1. par. 2. Digres. 8. [*Si formaliter accipiatur, fatemur peccatum impossibile esse ut fiat*: A nullo enim fieri potest peccatum juxta formalem ejus denominationem. Peccatum autem formaliter, non est res aliqua quæ fiat, aut fieri possit; sed est Relatio aut Privatio consequens id quod fit committendo, vel id quod non fit, omittendo; respectu agentis: Quæ quidem Relatio vel Privatio dicitur Inconformitas, qua quis in agendo vel omittendo dicitur Inconformis Legi alicui: At hujusmodi Relatio ut consequitur, aut Actum Divinum, aut Actus omissionem Divinam, prorsus impossibile est: Quoniam Deus nullâ Lege tenetur, quæ distincta sit ab illius Voluntate: Ideoque impossibile est ut agendo agat inconformiter Voluntati suæ, aut in omittendo omittat inconformiter Voluntati propriæ. At in creatura hujusmodi inconformitas facile consequi potest*, &c.]

* A Deo scil. vel homine.

Et non minùs clarè ostendit. Vind. Grat. li. 2. part. 1. Crim. 3. c. 15. pag (Vol. minor.) 214. hæc esse eorum in quibus causæ suæ defensionem ponit, summam; & ita præcipuè vindicandum esse Numen sacro-sanctum à peccati imputatione. [*Modo* (inquit) *probari possit creaturam rationalem quantumvis integram, liberè agere quicquid agit, simul etiam Legi subjici, quicunque fuerit concausa actûs, illa certè erit causa Vitiositatis, quoties inormiter in agendo progressa fuerit: Non sic concausa est; modo nullam Legem ipsi legitimè præscriptam transgressa esse comperiatur.*

Horum omnium confutationem ita breviter instituo. 1. Quæstionem mutant: Non enim quæritur utrum Deus sit Causa *peccati sui*? sed *peccati hominis*? Neque an Deus sit Causa peccati *culpabilis*? sed an omninò vera & principalis ejus *causa* sit?

2. Deum esse causam peccati principalem asserere, Religionem fere omnem subvertere videtur, sepositâ quæstione an ideo ipse peccator sit.

3. Sacra Scriptura dicit [*Deum non posse mentiri*;] non autem Deum mentiendo non posse peccare, quia nullius Legi subjacet.

4. Leges Divinæ primitivæ naturales, sunt ipsius *Naturæ sanctissimæ* Imago, & Voluntatis ejus progenies quatenus naturaliter sanctæ. Hominem quidem fecit Libere, & libere eum inter rerum naturas, sustinet: At homo liberè factus rationalis, & inter objecta & circumstantias tales positus, *necessariò* jam Deo subditus est; & necessariò ad Amorem & obedientiam obligatus, & contraria feciſse, aut hæc non feciſse, necessariò peccatum est. Et sicut Voluntas Divina (quæ Lex æterna vulgo dicitur) ipsi quasi Lex est, ita non quatenus *Nuda Voluntas* est, sed quatenus *Voluntas sanctissimæ substantiæ Divinæ*, & *secundum Intellectum* aut *Sapientiam perfectissimam* volens. De positivis arbitrariis mutabilibus hoc non loquor, scilicet quia litem fugere, non facere, & diverticula adversario præcludere volo.

Quoniam Hominem Deus in imagine suâ creavit, & regenerat, proculdubio aliquid de sanctitate Divina ex bonorum sanctitate nosci potest. At peccatum facere (*viz.* Deum odio habere.) Naturæ sanctæ bonorum, contrarium est: Ergo tenendum est idem Naturæ sanctæ numinis magis contrarium esse.

6. Et discrimen quod assignas inter Causationem Divinam & humanam, notandum est. Deum enim esse Causam primam totalem præmoventem & prædeterminantem efficaciter, & actum humanum inevitabiliter causantem, opinaris: Et Legem etiam feciſse peccatum prohibentem; At hominem esse tantùm causam secundam sub lege factum, & ad Influxum hunc Divinum resistendum vel devitandum, omninò (non vitio, sed Naturâ) impotentem.

7. Et dum Liberum eum asseris, nomen tantum *veræ libertatis* ipsi tribuis: Tibi scilicet *Velle* aut *Nolle*, & *liberè Velle* aut *Nolle* sunt formaliter idem. *Potentiæ* item nomen inane sæpe Adami Voluntati tribuis, (scilicet non peccandi:) At rem ipsa doctrina apposita apertissimè negas; sicut in sequentibus clariùs patebit.

Denique de doctrina Scoti ante descripta, & nostra, hoc obiter notandum duxi; Quod Deum Causam partialem Scotus dicit, non quasi ex se insufficientem ad effectum; nec quasi Hominis robur, vel causatio Deo aliquid per modum auxilii addiderit; nec quasi Homo Potentiæ ad agendum vel minimum habuerit, nisi à Deo; vel sine Concursu Divino illam potuerit exercere; Neque de congruitate nominis [*Causæ partialis*] litigare Volo, modo de reipsâ inter nos conveniat; sed Deus qui est causa totalis propriarum actionum, & Omni-sufficiens, & omnis Potentiæ & Libertatis donator, & causa sustentans, & auxilians, formæ Potentiarum Activarum liberè agentium, Vitalem Vim indidit, per quam, quoad comparativos actus & modos, & specificationem moralem, sese determinare possunt, & sine majore, vel alio, auxilio Divino, quam quod sæpe quoad eventum est inefficax, meliora & meliùs quàm agunt, agere possunt; & aliquando actu agunt; sicut & mala plurima omittere. Quod in Adami casu ut indubitatum tenendum est. Et ita sapientissimus mundi Rector Omnipotentiæ propriæ exercitium adeo limitare decrevit, ut in exercitiis humanæ potentiæ & Libertatis, *Sapientissimi Regiminis* sui, & non solum *Potentiæ moventis*, Gloriam adipiscereturr, vel declararet.

Arg. 3. Argum. III. *Doctrina illa quæ certitudinem evertit omnem Sacræ Scripturæ Propheticæ & Apostolicæ, & Revelationis omnis Divinæ (supernaturalis saltem) & ita omnem tollit fidem & Religionem, non vera est, neque ex Deo; sed talis est doctrina hæc de necessitate hujus prædeterminationis, ad omnes actus modificatos,* (ut ante) ---Ergo---

In hisce & sequentibus obnixè rogo, & justè expecto, ut Theologi contrasentientes non proprii erroris culpam aut dedecus, in nos, propter necessariam confutationem, impingant; Quasi (ut putant hujus seculi flagitiosissimi,) pessima facere, & plurimum errare nullius esset dedecoris; flagitia autem & errores eorum pate-

patefacere necessariâ ad pœnitentiam hortatione, scelus intolerandum esset. Fateor nefanda esse crimina, quæ ut erroris hujus consequentia objecturus sum. Et si post examen innocens inveniatur, calumniator ipse audiam; sin autem aliter se res habet, & vera tantum & indubitata objiciam, horrenda consequentia tunc horrendum hunc errorem bonis omnibus exosum & abominatum reddant.

Probatur Minor (Major enim à nemine Christiano vel sobrio negabitur.)

Doctrina ista quæ fidei objectum formale tollit, scilicet, Veracitatem Dei revelantis, Fidem Divinam omnem tollit. At doctrina jam oppugnata fidei objectum formale tollit. Ergo fidem omnem Divinam tollit.

Major facile patet, Quia *objectum formale* est fidei *Essentiale.* Et inter Theologos omnes convenit, *Veracitatem Dei revelantis*, esse *objectum formale* fidei (etsi inter Rob. Baronium & Turnebullum acriter disputatur, utrum etiam *ipsa Revelatio* sit *formalis objecti* pars,) Quicunque Deo credit, ideo credit quia ipsum *Veracem esse* apprehendit: Id est, primo credit, vel potiùs scit Deum esse Veracem, qui mentiri non potest, & inde credit omnibus ejus notis revelationibus.

Probatur Minor. *Doctrina ista quæ Deum Mendacem facit, vel Mendaciorum Authorem, vel Causam Principalem, Fidei objectum formale tollit. At doctrina jam oppugnata Deum facit Mendacem, seu Mendaciorum Causam principalem.* Ergo—

Minor (quæ sola probanda est) ita probatur.

Doctrina ista quæ asserit Deum motu Physico irrestibili Intellectus, Voluntates & Linguas efficaciter prædeterminasse, ad omnia mendacia quæ unquam à Diabolis vel hominibus dicta fuerunt, Deum facit Mendacem, seu Mendaciorum Causam principalem. At talis est doctrina jam oppugnata—Ergo—

Non video quid hic probandum restat, si supposita hæc considerentur. 1. Deus nobis non loquitur per *vocem essentialem*, sed *creatam:* Per vocem scil. Christi, Prophetarum, Apostolorum aut per Angelos.

2. Si Deus mendacium omnium per omnia secula mentes & linguas, ad mendacia prædeterminare potest etiam Prophetarum & Apostolorum mentes & linguas ita potuit prædeterminare.

3. Non jam *de culpabilitate* hujus prædeterminationis, aut mendacii quatenus à Deo est, agitur; sed tantum de *Mendacio* quâ *falso.* Si Deus Prophetarum linguas ad *falsum* prædeterminare potuit, fidei nulla restat certitudo, etsi ob hoc Deus minimè culpandus sit.

4. Qui principaliter per efficacem prædeterminationem causat verba ista quæ falsa sunt, & electionem eorum potiùs quàm verorum, ita etiam causat eorum falsitatem; *e. g.* Qui causat Pharisæos dicere, [*Christus Dæmonia ejicit per Beelzebub*] eorum falsitatem causat, (si determinatè & comparatè ut dictum est, & non universaliter tantùm ea causat.) Verba enim ista semel prolata, resultantiâ naturali necessariâ, falsa sunt; quia rei non congrua: Etiam per Potentiam Divinam impossibile est, ea verba vera esse, dum Christus reverâ operatur per Potentiam Divinam.

Audiamus jam quod proferre possunt Dominicani, quo fidei aliquam certitudinem adstruant, si Deus omnium mendaciorum causa principalis prædeterminans sit.

1. Si dicant, *Deum Prophetas sub pœnis gravissimis mendacia prohibuisse*; Resp. Idem etiam fecit omnibus mendacibus & peccatoribus, quos tamen juxta Dominicanos ad peccandum prædeterminat.

2. Si dicant, *Deum dicere Prophetas & Apostolos specialiter Veraces & Verba Divina loquutos esse, & ideo esse credendos.*

Resp. Per Vocem ipsorum hominum hæc asserit; & quæstio recurrit, Quomodo certi esse possumus, assertionem illam esse Veram?

3. Si dicant, *Etiam in cordibus nostris Spiritus Sanctus testatur Prophetarum dicta esse vera. Resp.* Quæstio adhuc recurrit, Quomodo certi esse possumus hanc internam persuasionem esse Veram? quandoquidem Deus etiam Mentes

hominum prædeterminare dicitur, ad falsa credenda? (Nihil jam dicam de quo modo testimonium hoc esse ipsius Sp. Sancti, dignoscamus? Vel quod responsio hæc certitudinem fidei fundare satagit, non in Sacræ Scripturæ ipsius authoritate, sed in certitudine internæ cujusdam persuasionis in mentibus nostris.)

4. Si dicant, *Deus Voce cœlesti Christo testimonium dedit, quod falsum esse non potest; etsi homines ad falsa prædeterminet?* *Resp.* Vox illa cœlestis fuit Vox aliqua creata: Et quomodo certi esse possumus, quod ille qui mendaces omnes ad sua falsa prædeterminare dicitur, non etiam vel Angelum, vel aliam creaturam ad falsum prædeterminet? Prætereo, quod hoc nihil nos juvat ad Prophetas vel Apostolos credendos, imò neque ad Vocem hanc ipsam verè datam esse credendum; Quia Petrus & alii qui hoc, testati sunt, possent ad mentiendum prædeterminari.

5. Si dicant, *Deus miraculis eorum Veracitati testimonium dedit.* *Resp.* Miracula quæ ipsius Dei Veracitatem non probant, Apostolorum non probant Veracitatem; si Deus potest mentiri, vel ad mentiendum homines prædeterminare, quare etiam non potest homines mendaces ut miracula faciant, causare? Miracula quidem Dei ipsius sunt opera: At dum probas Deum hæc opera feciisse, non probas instrumentum non mentitum esse, si Deus ipsa mendacia omnia principaliter causat. Adde quod hæc miracula verè facta esse, ex hominum testimonio nobis innotescit. Miracula quidem sunt sigillum Divinum, Apostolis datum. At qui falsi omnis causa esse potest, sigillum ad falsum apponere potest.

6. Si dicant, *Etsi Deus illos ad falsa dicenda determinare potuisset, non sequitur tamen eum ita eos actu determinasse.* *Resp.* Neque hoc nos affirmamus, sed tantùm nobis nullam restare fidei certitudinem.

Obj. 7. *Difficultates eædem omnes non minùs Doctrinam de divina peccandi permissione sequuntur; si enim Deus aliquando mendacia permittit, quomodo certi simus eum Prophetas mentiri non permisisse?*

Resp. Minimè omninò hæc sequuntur. Permissio enim non est *operatio Divina*; & *peccatum permittere*, vel non efficaciter impedire, non est *facere*. Fidei fundamentum non est hæc propositio, [*Quicquid Deus dici permittat, Verum est,*] sed hæc [Quicquid Deus dicit, vel credendum proponit, verum est) & inde concludimus [*A Deo est; ergo Verum est*] Deus non minùs Verax est, quia mendacia permittit; sed quomodo Verax esset, si mendacia faceret? Dum igitur Miracula probant Christum & Apostolos esse *à Deo*, & ipsius nuncios, & ipsius habere testimonium probant itidem doctrinæ vel testimonii eorum Veritatem: Sigillum etenim Dei Veracissimi sunt.

Obj. 8. *Deus tantum Mendacii materiam causat, non formam.*

Resp. Ad hoc jam respondetur. Qui causavit Gehezi determinata hæc verba proferre [*Servus tuus nusquam ibat*] & Ananiam, Act. 5. dicere [*Pretium totum est*] is proculdubio eos falsa dicere causavit; imò & ipsam dictorum falsitatem, saltem fidei ita certitudo subvertitur.

Obj. 9. *Nonne Deum Spiritum Mendacem in ora Prophetarum Achabi immisisse, S. Scriptura testatur?*

Resp. 1. Indè clarè sequitur, Deum ipsum non esse omnium mendaciorum causam prædeterminantem: Aliter, quid opus esset, spiritus mendaces mittere, ad illud efficiendum, quod ipse in omnibus mendacibus operatur? Imò ad minùs: Nam Satan homines ad mentiendum *determinare* non potest. 2. Immittere hic nil aliud significat quàm Diabolum hoc valdè cupientem permittere. 3. Et permissio hæc fuit ex *Voluntate consequente*, in pœnam regis impii & rebellis: At inde non sequitur, Deum ipsum etiam Adamum innocentem, & omnem peccatorem ad actum peccandi modificatum prædeterminare. Neque hoc, si incommodum esset, solveret argumentum.

Obj. 10. *Miracula Divina sunt sigilla specialis cujusdam missionis & revelationis, & non tantum communis naturalis prædeterminationis.*

Resp. Si Deus communi & naturali prædeterminatione mendacia principaliter semper causat, nulla nobis restat certitudo, quod per revelationem specialem

idem

idem facere non possit. Præcipuè quando naturalis illa, & communis prædeterminatio, ad actus creaturarum omnes, non exceptis dictis Propheticis, sese extendere dicitur.

Obj. 11. *Miracula testantur, non solum Divinam operationem, sed & Approbationem.*

Resp. 1. Et quomodo certi simus, illum idem non approbare, quod ipse operatur? 2. Aut quis unquam nobis probatum dabit, miracula magis Divinam approbationem significare, quàm ejus immediata efficax prædeterminatio? Aut unde majorem Dei proprietatem in actione ullâ probare possumus, & consequenter majorem ejus approbationem, quàm talis ipsius efficientia. Quod maximè Dei est, id maximè à Deo approbatur.

Obj. 12. *At tantum distat Dei Prophetarum Inspiratio, â communi hâc prædeterminatione, ut certitudinem habeamus de veritate effecti prioris, etsi non item posterioris.*

Resp. Reverâ in hoc ultimo refugio adstruendo, totum opus Dominicanorum contra argumentum hoc nostrum situm est. Cætera nullius pretii sunt effugia. Hic igitur Duo ab ipsis sunt probanda: 1. *Inspirationem* significare majorem Dei proprietatem in actione vel verbis inspirati, quàm *Prædeterminatio* significat in actione & verbis prædeterminati. 2. Inter has tantum esse discrimen, ut altera certitudinem veritatis nobis præbeat, at altera nullam. 3. Certiora nobis restare media, ad probandum Prophetas & Apostolos ita inspiratos esse, quàm verba humana & omnes effectus Divinæ prædeterminationis.

Et de primo quidem probationem aliquam audire desperamus: Si enim Inspiratio prædeterminationi præstet, hoc erit aut quia est causatio magis *immediata*, aut quia magis actum humanum *specificans*; aut quia in eâ Deus est magis *Causa totalis*; aut quia magis *efficax*. At horum nullum probari potest.

1. In prædeterminando Deus ab adversariis, mediatè agere & causare dicitur.

2. Et ad actuum omnem speciem, omnes modos & circumstantias specificantes, ab ipsis extenditur prædeterminatio.

3. Et in eâ Deum Causam totalem esse asserunt; & impium judicant, Deum Causam partialem dici.

4. Et prædeterminationem hanc inevitabilem omnipotentiæ actum esse ducunt, & ad effectum semper & irrestibiliter efficacem. Ideoque ut à morali suasione distinguatur, prædeterminationem *Physicam* eam appellant; etsi Philosophi Deum causam Physicam esse negant, & Hyperphysicam potiùs nominant. Quid igitur ampliùs Inspirationem ad causandum facere, fingere possunt, quàm facit hæc prædeterminatio? An majus quàm Intellectum, Voluntatem, linguam ad verba hæc determinata hîc & nunc proferenda, præmotione Physica, immediatè ut causam primam totalem principalem efficaciter prædeterminare? sicut manus scriptoris scilicet movet calamum?

2. At si discrimen aliquod inveniri poterat, tale illud esse oporteret quæ certitudinem veritatis nobis præberet, quando prædeterminans causatio nullam præbet. At quid hic ab illis dici cum aliqua probabilitatis specie potest, vix possum facere conjecturam, certè secundum ipsos nihil omninò est in actibus humanis quod Divina præmotio non causat; Idque immediatè, & efficaciter, & totaliter, & principaliter. Quomodo autem eos unquam probaturos speremus, determinationem per Inspirationem non posse mendacium causare, si ejusdem prædeterminatio Physica omnes mentientes ita ad falsa præmovet? Ratio quidem quàm hactenus fideles infallibilitatis & certitudinis verbi Divini reddidêrunt, fuit hæc, Quod [*Verbum Dei est, mentiri nescit*] Vel [*Quod Author ejus, Mendacii Author esse non potest.*] At quis unquam ita ad fidem confirmandam arguit; [Et si Deus est omnium Mendaciorum Causa principalis efficacissima per prædeterminationem Physicam, mendacii tamen causam esse per *inspirationem* impossibile est.] Anne valiturum esse hanc argumentationem ad fidem in nationibus infidelium ingenerandam, sperare possumus?

3. Et multò quidem minùs probatum unquam dabunt, homines ullos non prophe-

propheticè inspiratos, discernere posse secretam aliorum inspirationem esse, non tantùm veram, sed talem quæ ad effectum, causalitatem prædeterminationis Divinæ transcendit; imo & tantum transcendit, ut Deum omnis Mendacii Authorem, *hic & nunc* Mendacii non Authorem aut esse, aut esse potuisse, certum fuerit? Dum ipsi hoc asserentes interim defendunt, etiam Verba eorum qui omnia hæc nobis tradunt, Deum, non obstante Naturæ ejus perfectione, ad falsitatem posse efficaciter prædeterminare. Plura proferre possem ad hæc elucidanda: Sed dum asserentibus tale discrimen, probatio incumbit, argumenta eorum si quæ habent, expectemus: Meipsum fateor de probatione ullâ omninò desperare.

Audacter igitur concludere me non dedecet, Doctrinam hanc directè & penitùs omnem fidei Divinæ certitudinem, & consequenter omnem Religionem (saltem supernaturalem) subvertere; objectum scilicet formale fidei, Veracitatem scilicet Dei-Revelantis per homines, subvertendo.

Et si hæc sola Ratio contra Dominicanorum doctrinam hanc mihi præsto esset, eam semper non modo suspectam haberem, sed abominatam; etiamsi causalitatis Divinæ Gloriam intendere videntur. Et miror quidem argumentum adeò efficax & obvium in scriptoribus contra prædeterminationem me nunquam inveniisse. Incerta proculdubio in disputando per certa probanda sunt. At ipse certus sum Deum esse Veracem; At neque Hobbesius, neque Thomas ex Albiis, neque Twissus aut Rutherfordus noster, neque è Dominicanis aliquis, doctrinam suam de prædeterminatione, Veram esse certi sunt. Illud igitur quod fidem omnem, & Religionem, unâ quasi liturâ penitus obliterat, Infidelibus relinquendum est, & à fidelibus & sobriis omnibus detestandum.

IV Arg. *Doctrina illa quæ permissionem peccati Divinam negat, falsa est: At talis est doctrina jam oppugnata*—Ergo—

Vel, si Deus peccata tantum permittit, vel permittere decrevit, tunc Voluntatem per irresistibilem efficaciam ad peccati actus non prædeterminat. At Verum prius: Ergo & posterius.

Major Propositio probatione non indiget; Efficere enim prædeterminando est majus quid, quàm permittere.

Et peccati permissionem Divinam omnes ferè Theologi asserunt; eamque solam, ut causationi oppositam: Non interim negantes Deum peccatum permissum limitare, & in bonum ordinare. Dr. Twissus sæpissimè repetit [*Deo permittente, non faciente.*] At qui fundamentum & terminos facit, Relationem facit, & non tantum permittit. Voetius item de Term. Vit. & omnes concorditer ad permissionem fugiunt; dum tamen permissionem negant. Ineptè enim prædeterminatio efficax, permissio, vel non-impeditio, dicitur.

V Arg. *Doctrina illa quæ Providentiam generalem seu communem, cum speciali confundit, falsa est, At talis est doctrina jam oppugnata*—Ergo—

Ab omnibus enim ferè distinguuntur. Ad Providentiam communem pertinet, creaturarum naturas et inclinationes naturales sustentare; & actus causare genericè ut actus; at non omnes agentes ad objecta particularia, tempora, modos, gradus, numerum, determinare; & ad providentiam pertinet specialem, bonos actus determinare, & malos permissos ad bonum ordinare: At horum doctrina distincta hæc confundit.

VI Arg. *Doctrina ista quæ omnem Gratiæ specialis Spiritus Sanctificantis, & necessitatem negat, & honorem destruit, neque sana est, neque tuta. At talis est doctrina oppugnata*—Ergo—

Ad Majorem confirmandam, Sacræ Scripturæ elogia Gratiæ & consensus omnium Theologorum sufficit. Et Dr. Twissus sæpe profitetur, se duplicis Concursus tenere necessitatem. Alterius scilicet naturalis, necessarii ad actum quâ actus est: Alterius autem supernaturalis vel *specialis*, necessarii ad actum quâ bonum.

Ad Minorem probandam, observare sufficit, quod ipse etiam sæpe profitetur, moralem actuum Bonitatem aut Malitiam, nullam esse specificationem; nullamq; habere causam ab actionis ipsius causâ distinctam; sed meram esse relationem

Confor-

Conformitatis & Inconformitatis, ab Actu & Lege positis, necessariò resultantem. Absurdum autem est dicere, aliquem per actum communem parietes duos dealbare, & deinde per actum specialem eos similes facere. Qui prædeterminat Petri Voluntatem ad Deum amandum, & in Christum credendum, id est, ad actus hosce circa hæc objecta, ad Bonitatem horum actuum ita sine aliâ gratiâ prædeterminat.

Si S. Scriptura Voluntatis & Intellectus determinationem ad fidem, spem, Amorem Divinum, *&c.* semper speciali Sp. Sancti operationi seu Gratiæ adscribit, tunc doctrina illa falsa est quæ Naturali Providentiæ illam attribuit: At verum prius—Ergo—

Item doctrina illa falsa est quæ fingit Deum non magis, neque aliter Boni quàm Mali esse causam: At talis est doctrina jam oppugnata. Non magis enim Boni Causa esse potest, quàm motu efficacissimo prædeterminando: Miror igitur hosce Theologos opinionem hanc suscipere quasi ad Gratiam Divinam honorandam & defendendam necessariam aut aptam, quæ Gratiæ omnis specialis usum denegat, & prædeterminationi naturali omnia attribuens Gratiæ nihil operis relinquit: quod Jansenius videtur.

At *fortasse* dicet aliquis, *nomen Gratiæ specialis non significare distinctum operationis Divinæ modum, sed distinctum effectum; Gratia dicitur, quia Bonum speciale operatur.*

Resp. Fateor operationes Divinas non esse distinguendas per varios emanationis seu effluxûs modos; Quorum modorum siqua omninò est varietas, humani ingenii non est eos discernere, nisi quatenus à tribus personis & principiis activis profluentes distinguuntur. At à communi aut speciali effectu, communis aut specialis nominatur operatio; & à majore vel minore effectu major vel minor nominatur. Actum igitur quatenus actum in genere causare, est operatio communis & minor; & actum modificatum quâ bonum causare, est operatio specialior & major, ut quæ majus aliquod efficit; & actum modificatum qua malum causare, est operatio mala. Ad omnem igitur modum & speciem prædeterminare, non est communis & naturalis Divina operatio.

VII. Arg. *Si Deus nos prædeterminando est actûs omnis peccati causa principalis, tunc etiam omnis habitûs peccati, talis causa est: At habitûs peccati Deus non est causa principalis: Ergo neque actûs.*

Probatur Major; Si Ratio illa quâ nituntur prædeterminantes ad probandum necessitatem prædeterminationis ad actum, æquè probabit necessitatem causandi habitum, tunc vera est consequentia Majoris. At verum prius—Ergo—

Ratio quâ probare nituntur necessitatem prædeterminationis ad actum, est quia Actus etiam ut modificatus habet quandam Entitatem; ergo necessariò habet Deum Causam primam principalem. At dico, Habitus malus etiam non minorem habet entitatem quàm actus: Ergo ejus Causa etiam Deus est, secundum hanc opinionem. Imò habitus malus non tantùm in se tam verè Ens est; sed etiam per actum producitur, & ita eandem habere causam necesse est; cum Causa Causæ sit Causa causati.

In responsione suâ ad hoc argumentum Alvarez quidem ut vim ejus declinet, turpiter nimis tergiversatur. Nihil enim effugii habet, quàm nudè & sine probatione datâ asserere, *Deum etsi actum prædeterminando causet,* non tamen habitum efficere, vel ad illum prædeterminare. Quasi Entitas Habitus non tam egeret Deo causâ quàm Entitas actus.

At nuperi quidam disputatores ad effugium idem se receperunt, quod antea de actuum causatione refutavimus: Et dicunt, *Deum Authorem esse Habitûs, quâ Habitûs; non autem qua mali, vel malitiæ.*

Resp. Ita etiam fatemur eum esse causam Actûs quâ Actûs in genere: At quæritur an sit causa prædeterminans, *habitûs*, vel *actûs* hujusce modificati, & in specie morali? Si negant, nobis consentiunt: Si affirmant, jam probatum est, ipsum qui causat habitum hunc ad hoc objectum cum omnibus modis & circumstantiis, eo ipso etiam *malitiam* istius habitus causare; neque per actum alium

malitia

malitia ista causari potest. Deus quidem animæ humanæ Inclinationem naturalem ad bonum apprehensum quâ bonum indidit. Appetitum etiam sensitivum creavit: At non inordinatum, aut violentum & rebellem; neque errorem Intellectus dum *bonum* esse *malum* judicat, Deus causat; neque Voluntatem ad bona sensibilia facit inordinatè propensam; neque bonis spiritualibus adversum. Sicut Deus Voluntatem ad actum malum in specie non determinat, sed tantum ei auxilium ad sui-ipsius determinationem necessarium, concedit; auxilium scilicet omne quod Lege Naturæ agenti rationali libero, debitum factum erat: Ita non magis ad *malos Habitus* Voluntatem determinat; sed naturale illud auxilium concedit, quod ad sui-ipsius determinationem necessarium est: Et ita in tantum Habituum causa est, in quantum actuum est causa; videlicet, non causa particulariter Voluntatem ad hoc objectum potiùs quàm ad aliud, determinans, (hoc enim facit ad Bona tantum, non ad Mala; & per providentiam specialem, & Gratiam Spiritus Sancti;) sed est causa Generalis, quæ *vim* omnem & *robur* agenti subordinato tribuit (sicut ventus velis:) At homini ut officium suum relinquit, (ut ventus nautæ) *hunc motum generalem*, ad hunc potiùs quàm ad illum suæ voluntatis actum, se determinando, applicare.

Durum quidem est, Christianis auribus, & difficilis concoctionis, iis præcipuè qui magnificè de sanctitate & Bonitate Divinâ sentiunt, audire, *Habituale Dei*, & *sanctitatis odium*, habitualem Idolorum, & peccatorum omnium amorem, &c. à Dei efficientiâ & prædeterminatione Physicâ principaliter & inevitabiliter causari. Et absurdum est dicere, Deum causare *habitum*, nuda resultantiâ *mali*, & tamen ejus malitiam non causare.

At inquit Aquinas, *Habitus mali peccati Originalis, non sunt Habitus ut scientia; sed ut quædam inordinata naturæ dispositio, & languor consequens originalis Justitiæ privationem; Et non sunt habitus, quo inclinatur Potentia ad agendum, sicut Virtutes dicuntur Habitus: Sed sunt ut dispositio alicujus naturæ ex multis composita, secundum quam bene se habet vel male ad aliud: Et præcipuè cum talis dispositio, sit quasi in naturam versa; ut patet de ægritudine & sanitate. Et hoc modo peccatum originale est Habitus: Est enim quædam inordinata dispositio, proveniens ex dissolutione illius harmoniæ, in quâ consistebat ratio originalis justitiæ*, &c. 12 Q. 82. a. 1. Et ita dum *Habitus* mali nullam habent Entitatem, Deum non habent Authorem.

Resp. 1. Ergo neque *hominem* habent Authorem. Ergo homines ut malorum habituum Authores non sunt culpandi vel condemnandi. Quod enim adeò nihil est, ut Deum Authorem habere non potest, id nullum Authorem (nisi æquivocè sic dictum) habere potest.

2. Et quando quæso probatum audiemus, Actum magis *Ens esse* quàm Habitum.

3. Et in *Bono*, & in *Malo* animi statu considerandæ sunt, 1. Ipsæ facultates in esse. 2. Inclinationes & dispositiones facultatum in esse. 3. Inclinationes seu dispositiones in Gradu simpliciter consideratæ. 4. Inclinationes seu dispositiones comparatè ad invicem. Aquinas in hisce suis argutiis non satis argutus est. Fatemur neque *Facultates*, neque *naturales inclinationes in esse*, malos esse. At in statu peccati duplex quidem est Inclinationum Inordinatio: Primò in gradu simpliciter, & in se considerato, Appetitus sensitivus, ut & Voluntatis Inclinatio ad Appetitum sensitivum sequendum, incrementum morbosum, & vitiosum accepêrunt. Ita ut sensualitatis dominium, non tantum ut ex habituum Bonorum defectu proveniat, sed etiam ex *Malorum* additione, id est, ex vitiosa inclinationis sensualis augmentatione. Deinde sensualitate adauctâ & Rationalitate debilitatâ Amore Divino amisso, sequitur etiam deordinatio comparata Relativa, quâ sensualitas contra Rationem valet. Itaque corruptio animi per peccatum, non est tantum ordinis perturbatio, nullâ inclinationum aliâ facta mutatione; sed est concupiscentiæ incrementum, cum Rationis & Amoris Divini decremento, quo facultates inferiores superioribus prævalent. Neque aliter res se habet in pluribus corporis ægritudinibus, quibus Aquinas peccatum originale assimilat. Incre-

crementum

mentum scilicet indebitum alicujus humoris vel qualitatis, harmoniæ dissolutionem sæpe causat.

Neque mali habitus bonorum privationem aliter sequuntur, quàm Motus idem ut ad Terminum ad quem, sequitur seipsum ut à Termino à quo.

At in controversia præsente non agitur de Habitu, quâ Habitu, sed quâ modificato, vel erga *hoc objectum* specialiter inclinante. Et ita reverâ casus decisio, non differt ab illius decisione de actûs causatione; nisi secundum magis & minùs: Nam magis quidem evidens est, talem esse Habitûs Entitatem specialem, ut sine causa esse non possit, quàm *actûs* talem esse Entitatem. Et de utriusque formalitate morali casus item idem est: Forma scilicet Malitiæ,& *habitus* & *actus* est Relatio necessariò resultans à fundamento: Et dicimus de Morali Bono sicut Scotus de Pulchritudine, [*Sicut Pulchritudo non est aliqua qualitas absoluta in corpore pulchro, sed est aggregatio omnium convenientium tali corpori, puta magnitudinis, figuræ, coloris; & aggregatio omnium respectuum qui sunt istorum ad corpus & ad se invicem; Ita bonitas Moralis,* &c. 1 *Sent. Dist.* 17. *q.* 2. Quod idem est cum illo Aquinatis; sed addo, quod vel Diminutio aliqua indebita unius, *viz.* Coloris, magnitudinis, partis, *&c.* aut augmentatio indebita alterius, hanc pulchritudinem destruit. Bonum est ex causis integris; sed Malum in defectu vel excessu unico consistere potest.

Et (cum Doctorum veniâ) etiam de Bono Morali idem dico quod alibi de formâ humanâ; scilicet, nomen *formæ* ambiguum esse: Et aliquando significare principium activum dominans; aliquando verò ordinem omnium partium compaginatarum: Si de *formâ Boni Moralis* in sensu priori, quæritur, *Amor Divinus* est ejus forma; (non hujus aut illius partis ut *in se* consideratur; sed) totius novæ creaturæ, & partis uniuscujusque quâ pars est. At si de *formâ* in secundo sensu, id est, Relativâ quæritur, *Ordo* ex aggregatione debitorum omnium resultans,sicut loquuntur hîc Scotus & Aquinas, forma est, sive sanitas & pulchritudo animi.

Attamen notandum est, Aquinatem hîc de Habitu peccati originalis solùm (quem unicum esse autumavit) locutum esse; At præterea inclinationes & habitus malos plures particulares esse sæpe fatetur, ut 12 q. 54. a. 3. & passim. Neque omnem Entitatem habitibus adimit; sed tantum Entitates suas recipere opinatur, sicut ægritudo, per rectitudinis privationem.

Et sanè si in naturâ depravatâ inveniatur, non tantum defectus amoris Dei & sanctitatis & sanctorum, sed etiam horum positivum odium; negari non potest, quin *Habitus* etiam positivus istius odii inveniatur. Neque dari potest ratio ulla justa, quare & Actus & Habitus hujus odii non æquè naturalem habeant Entitatem, quam Actus & Habitus odii malorum.

Denique (ne ullum maneat effugium) dico; juxta ipsorum doctrinam habitus malus Actum sequitur, ut ejus effectus; Ergo si Actus est à Deo, habitus item est à Deo. Et Malus Habitus secundum ipsos necessariò sequitur Boni amissionem: Et Habitus Boni amissi sunt ex Adami peccato actuali, cui dicunt, Deum, quoad Actum, Voluntatem efficaciter prædeterminasse.

Concludere igitur jam satis licet, Dominicanos necessariâ consequentiâ Deum facere in tantum malorum omnium Habituum causam (etiam in terris & apud inferos) in quantùm Actuum malorum. Attamen honestius multo loquitur Alvarez De Auxil. li. 3. Disp. 24. ad Arg. 10. quamvis ita loquendo causam suam deserit; [*Habitus vitiosus*, inquit, *inclinat ad male operandum, ut docet*, Thom. 1. q. 38. a. 2. c. & Aristot. 2. Ethic. c. 6. & 5. Metaph. text. 25. *Deus autem non potest immediatè causare in nobis aliquid inclinans ad Malum: Nam eo ipso Malum illud & defectus esset à Deo*] At quod Habitûs Entitas magis quàm Actus possit esse sine prædeterminante causatione Divinâ, nullam omninò reddit rationem; Quod tamen ipsi incumbebat.

VIII Arg. *Doctrina ista falsa est, quæ infert, Hominem Gratiâ nullâ positivâ egere ad peccatum non committendum; imò Deum propriè loquendo, neminem à peccando impedire: At talis est doctrina jam oppugnata*—Ergo—

Major probatur ex omnibus illis S. Scripturæ testimoniis, quæ de Gratiæ ne-

ceſſitate, uſu & naturâ aliter loquuntur: Et ex communi omnium Theologorum conſenſu.

Patet minoris veritas in natura rei; Si Deus neceſſariò ad eſſe uniuſcujuſque actus creaturas omnes, ita ut aſſerunt, prædeterminat, tunc ſine iſtâ prædeterminatione agere, eſt omninò naturaliter impoſſibile (quod non negabunt.) At nemo Gratiâ eget, quâ naturaliter impoſſibile non agat, vel quâ ab agendo impoſſibile impediatur (ſicut ne ſolis motum ſiſtat.) Ergo

Impedire, eſt vim agentis vel frænare, vel divertere, vel aliter cauſationem ejus fruſtrari; & potentiam aut diſpoſitionem ad agendum ſupponit impediendam. At *non-cauſare, non-efficere, non-prædeterminare*, nullo ſano ſenſu dicitur *Impedire.* Quando Deus Voluntatem ad actum peccati prædeterminat, non impedit. Quando non prædeterminat, impoſſibile eſt peccare, etiam impio: (ſi impius dici mereatur qui non ita prædeterminetur.) Imò quando Voluntas determinatur ad malam Volitionem, non tamen malè *loqui* vel *agere* poteſt malus (ſecundum illos) ſine prædeterminatione etiam partium imperatarum: At inquit, ipſe Dr. Twiſſus Vind. Grat. li. 2. pag. 348. *Ad Voluntatis ſuſpenſionem non opus eſt actione Dei Phyſicâ.* Ideo homines ſine Deo non-peccare poſſunt, ſive peccata omnia commiſſionis devitare. Quod quidem verum eſt quoad Actum in genere actûs; ſi Deus hominem non vivificaret & ageret, non agere poſſet, & ideo non peccare: At dum *potentia* hominis *libera* cum objectis & circumſtantibus â Deo ſuſtentatur, cum concurſu ejus generali, homo peccare poteſt, ſine aliâ prædeterminatione.

At ex horum doctrinâ homines precari ſunt edocti, non ut Deus eorum carnales concupiſcentias frænaret, vel mortificaret; ſed ne ipſe Phyſicè voluntates eorum ad homicidia, perjuria, adulteria, odium Dei, *&c.* prædeterminaret: Id eſt, ut non ſit ipſis pejor quàm ipſi peccatorum *Habitus* ſunt. Habitus enim, (ut concorditer docent Scholaſtici) ſaltem plurimi, Voluntatem & Membra non *inevitabiliter* determinant; ſed ita inclinant, ut iis tamen contravenire poſſibile ſit: Et ſæpe contra habitus homines operantur: At nunquam contra prædeterminationem Divinam. Deo Optimo Maximo gratias ago, quod errores plurimos quibus hominum cerebrum obnubilatur, à cordibus tamen ſimplicibus, in tantum avertit, ut illud idem quod opinantur, & pro quo acriter diſputant, non practicè digerunt; neque in ſacra Deo oblata deducunt Nunquam enim tales ego audivi precationes, at plurimas tales diſputationes.

Vid. Iſidori Peleuſiotæ lib. 2. epiſt. 117. Imbecillitas propriè eſt malorum perpetratio.

IX Arg. Priori affine argumentum per comparationem eſt. *Doctrina iſta falſa eſt cujus conſequentia eſt, Peccatorem maximè impium magis egere auxilio Divino ad Actum peccati in ſpecie committendum, quam ad non-committendum: At talis eſt doctrina jam oppugnata—Ergo falſa eſt.*

Quod dictum eſt in priore argumento confirmando non repeto. Tantum abeſt Dr. Twiſſus à Minore neganda, ut ſubtiliter eam aſſerere videatur, hiſce verbis [*Quid opus eſt actione Dei Phyſicâ, quâ in Voluntatem humanam agat, ad hoc, ut non Velit, ſive ut Volitionem ſuſpendat? Nam vel jam ante actionem illam Dei Phyſicam Voluntas humana ſuſpendebat iſtam Volitionam ſuam, quam hoc modo impeditam vult Deus; vel non: Si ſuſpendebat, prorſus fruſtra laborabit Deus actione ſuâ*, viz. *ut fiat quod jam factum eſt; ſuſpenſio ſcilicet Volitionis à Voluntate humanâ; ſi nondum facta fuit Volitionis ſuſpenſio, quam ſuſpenſam vult Deus, tum Volitio illa quam ſuſpenſam vult Deus, ante actionem vel molitionem Dei, ut ſuſpenderetur producta fuit à Voluntate humanâ: Ergo vel determinatione Dei facta eſt, vel ſaltem concurſu Dei ad omnem actionem creaturæ neceſſariò requiſito: Quocunque modo facta fuerit illa Volitio, certè ad ſuſpenſionem ejus abundè ſufficeret ſubtractio determinationis ſive concurſus Divini.*]

Quando obſervavi Minorem hiſce mihi conceſſam eſſe, nil ultra ad hæc reſponderem niſi ſcirem ſtudioſorum nimis multorum ingenia non ſufficere ſine ope, ad obtuſam argutiarum harum ſubtilitatem retundendam.

Reſp. igitur, 1. Ad hominis non-volitionem directè non opus eſt actione ullâ Divinâ: Nihil enim non habet cauſam. At vim ad agendum inclinatam frænare, poſitivo

positivo opere Divino eget: sicut equum ferocem frænare, vel torrentem, vel saxum decidentem sistere, &c.

2. Actus in specie cum actu in individuo non est confundendus, neque ex ista confusione sophisma instituendum. Actus in specie, id est, hujus speciei, fortasse suspensus est, non ante Divinam suspensionem ejus, sed ante Divinam futuri actus suspensionem. Et falsissimè quasi concessum asseris, si non à Voluntate suspensus fuit hic numero actus, tum jam productus fuit: Ridiculè quidem. Actus numericè cum tempore, vel per tempus commensurantur! Anne actus viginti abhinc annis futurus, est aut productus aut suspensus? Minime quidem. Neque productus, neque suspensus est. Suspensio non est nuda actus negatio, vel etiam causationis; sed est negatio actionis possibilis; imò propriè impeditio causæ ad agendum propensæ. Actionem anni 1670. agere anno 1660. impossibile est: Et ita actionem alicujus instantis agere in priore instante. Ad actionem quidem ejusdem speciei fortè jamjam propensus sum; non autem ad actionem eandem numericam quam diè vel horâ proximâ præstiturus sum. Ita autem arguis quasi diceres, Frustra ne domus ad ruinam prona labatur in ruinam, conabitur aliquis: Aut enim jam corruit, aut non; si corruit, serò subvenitur; si non corruit, jam stat: Ergo ut stare facias frustra laborabis.

Resp. At non ut stare perseveret, & ut quæ stat hoc instanti, etiam proximo staret.

3. Verum est quod dicis, subtractio concursus Divini abundè sufficeret ad actum suspendendum. Ita etiam vel solem sistere, vel mundum perdere, vel hominem ipsum annihilare, abundè sufficeret, ad peccati impeditionem: Si Deus aut ipsum subjectum tolleret, aut cursum naturæ stabilitum subverteret, ita facilè ne homines peccent, caveret. Non tua prædeterminatio ad actum modificatum, & in specie morali, at sustentatio naturæ & objectorum, & circumstantiarum, & concursus generalis, est naturalis ordo à Creatore decretus, sicut Solis influxus in hæc inferiora: Et concursum ad agendum, in genere necessarium subtrahere, esset, subjecti potentiam tollere, & cursum naturæ mutare. At hoc supposito Deum scilicet naturæ ordinem primo stabilitum continuaturum esse (servatà potestate miracula & mirabilia faciendi) jam quid agendum est ad peccati præventionem quæritur (neque subjecto, neque potentiâ, neque libertate creaturæ perditâ.)

4. Et certè de suspensione, impeditione, vel permissione, non tui vel Dominicanorum est disputare, nisi tantum aliquid tale posse existere negando: *Subjectum* enim *ipsum* tollitis; dum eorum loco prædeterminare vel non prædeterminare, substituitis. Dei non efficere, non propriè dicitur vel suspendere, impedire, vel permittere.

Alvariz autem Responsio ad argumentum hoc nostrum tale est (Quando scil. objicitur quod secundum eorum doctrinam ope ad mentiendum, ad adulterium, ad homicidium opus est; ad non mentiendum, &c. nullâ.)

[*Mentiri* (inquit) *significat actum cum deformitate; sicut homicidium; unde ad mentiendum non indiget homo auxilio prævio; nec per illum discernitur mentiens à non mentiente, sed ex suâ malitiâ. Fatemur tamen quod producens actum mentiendi, in quantum actus est, habet aliquod auxilium, quod non habet alter*, &c.

Resp. Quid est *Malitia* ista nisi Relatio antedescripta actuum, actionum habituum, dispositionum, & inde personarum ad Voluntatem Gubernantem? Ad nonmentiendum igitur lateris auxilio nobis non opus esse: Ad cogitationes autem & verba falsa opus esse auxilio, imò prædeterminatione Physicâ.

At ad Argumentum proximè antecedens dicit Alvarez [*Quod Deus prædeterminavit Voluntatem creatam ad actionem peccati in quantum actio est, & ad omnes ejus circumstantias, secundum quod tales circumstantiæ habent rationem Entis; non autem secundum quod habent adjunctam malitiam moralem* (ita etiam & Dr. Twissus & Rutherfordus sæpissimè.) At nugationes hæ puériles sunt, non seria Theologorum responsio, si dixisset [*in quantum est actio in genere*] ita Deum nos ipsi fatemur sæpissimè actionis causam esse prædeterminantem, & causam semper,

etsi non prædeterminantem (Nam libertas etiam contradictionis, agendi, vel non agendi voluntati ineſt) At ſi per [*omnes circumſtantias*] intelligis etiam omnes actionum modos, gradus,& relationum realia fundamenta, precipuè actus ut ad invicem comparantur, & objectum hoc vel illud, alteri præfertur, ita ſi Deum prædeterminare ad *actum* dicis (poſt Legiſlationem ſuam,) & non ad *Malitiam* actûs relativam, nugaris, et nihil dicis reſponſione ſeriâ dignum: Dicis ſcilicet Deum Ananiam & Sapphiram prædeterminaſſe ad omnia hæc verba quæ falſa ſunt proferenda, at non ad eorum falſitatem: Davidis voluntatem & membra phyſicè prædeterminavit Deus ad actum hunc (comparative ſumptum) adulterii & homicidii, non autem ad ejus obliquitatem;Id eſt Deus cauſat fundamentum totum & terminos Relationis, non autem ipſam Relationem: Filium quidem generat, at filiationem non Cauſat! Et quare peccator eadem etiam de ſeipſo dicere non poſſit? Nugas haſce refutando quidem defeſſus ſum.

10. Arg. *Doctrina illa falſa eſt, unde ſequitur* (ſenſu Diviſo) *innocentem Adamum non potuiſſe, non peccare vel potentiam veram activam non habuiſſe, ab eſu fructûs vetiti ſe frænandi, vel abſtinendi: At talis eſt doctrina jam oppugnata: Ergo.*

Si negatur Major, negatur item omne Religionis fundamentum. Si etenim innocens adhuc Adamus non potuit non peccare, Conſequentia ſtatim prolaturus ſum. Interim Conſenſus Theologorum penè univerſalis ſit loco probationis.

Quoad Minorem; *Adamus (in inſtante actionem antecedente, & in præſente) non potuit illud non agere, ad quod per potentiam Divinam præmotione phyſicâ efficaci immediatâ prædeterminatus erat. At ad eſum fructus vetiti; ſecundum adverſarios ita prædeterminatus erat; Ergo*

Ad majorem probandum hoc ſufficit. *Adamus nunquam potuit vel Omnipotentiæ Divinæ prædeterminaturæ ſe ſubtrahere, neque Omnipotentiam illius reſiſtendo vincere! At horum unum fieri neceſſe fuit, ut poſſet non edere fructum prohibitum. Ergo.*

Scio hos Theologos reſpondere *Deum Adami potentiam non ſuſtuliſſe, ſed determinaſſe; & quod in eodem inſtanti potentiam habuit ad actum oppoſitum.* Sed intellectus etiam Agricolarum, qui ſophiſmata hæc logicè ſolvere non poſſunt, tamen meras nugas eſſe facilè diſcernant. *Potentiam intelligitis Adamum* in *inſtanti* prædeterminationis habuiſſe, vel ad hunc numero actum non faciendum ad quem jam Deus ipſum predeterminat, vel ad alium numero, vel ad actum tantum ejuſdem ſpeciei: Senſus ſecundus & tertius ad ſtatum preſentis controverſiæ non attinet. Non enim de hiſce quæritur. Sin autem in ſenſu primo intelligi velitis, falſum eſt quod dicitis. Potentiam quidem ſeu facultatem *Intelligendi Volendi* & *Exequendi* habuit Adamus dum peccavit; quia *potentiæ* hæ dicuntur vel *Materialiter* tantum, vel *formaliter reſpectu ad alios numero* actus. At quoad actum hunc numero, ſicut ex *neceſſitate exiſtentiæ*, neceſſario eſt quodcunque eſt, & neceſſario determinatur, facultas quæ determinatur; ita neceſſario prædeterminatur quando prædeterminatur. At præpoſitio [*præ*] naturæ prioritatem *determinationi* vel *Cauſalitati divinæ determinanti* tribuit, reſpectu determinantis Cauſalitatis ipſius Voluntatis, Et qui potentiam determinat ad actum unum, *formalitatem Potentiæ* facultati adunit, quoad *actum Contrarium*, ejuſdem inſtantis. Et ſuppoſito hoc quod Deus ipſum ita prædeterminaturus ſit præmotione phyſicâ efficaci, non dicendus eſt immediatè ante factum habere Potentiam formalem ad contrarium illius actus, ad quod Deus ipſum ita prædeterminabit: Potentia in genere eſt *Vis agendi*; at ut ad *aliquid Relata* quod *agendum* eſt: Ita ut *Proportio virium ad effectum* (*ſeu actum*) ſit *Potentiæ* eſſentialis. Et ſi Proportio Relativa vel auferatur, vel ſuperetur, *Potentiæ formalis ratio* deſinit; *e. g.* Pondus duarum librarum poteſt libræ unicæ ponderi præponderare: At ſi tres libræ uni illi addantur, his omnibus præponderare duæ non poſſunt. Potentiam igitur amittunt ſine ſui mutatione: Idem dicendum ſi fortis alicuius manus, vel partem trutinæ contrariam deprimat, vel partem hanc ſurſum elevet. Potentia humana (quia derivata, & dependens) non eſt veri nominis & formaliter *Potentia*, niſi ſuppoſito concurſu neceſſario cauſæ primæ, (cum omnibus concauſis neceſſariis:) At quomodo ſupponitur concurſus

neceſſarius

necessarius Divinus ad amorem boni, eodem instanti quo Voluntatem prædeterminare fingitur ad *odium boni* ?

Dicit sæpissimè Dr. Twissus, *Deum prædeterminare non tantum ad actum, sed ad modum actus; ergo ad liberè agendum: Ergo ejus prædeterminatio libertatis securitas & fundamentum est: Ergo contrarium facere possumus, etsi non faciemus.*

Resp. 1. Contrarium quidem facere *poteramus* in instanti Divinæ prædeterminationis causalitatem antecedente; non autem in *eodem* instanti. 2. Libertatis quidem *tuæ*, id est Volitionis vel *Nolitionis*, quâ talis, Prædeterminatio illa potest esse causa: At non *veræ libertatis*, quæ necessitationi irresistibili antecedenti non convenit, circa objecta sibi inimica vel mala. Deum quidem non asseris Voluntatem *dissentientem* facere *consentire*, vel *nolentem Velle* in sensu composito, vel simul eodem instanti; quia palpabilis contradictio esset. At quid est (vel esse potest,) Voluntatem nolentem instanti proximo Volentem facere, per coactionem, nisi per Physicam irresistibilem efficacem prædeterminationem hoc facere? Certè naturali præmotione prædeterminare, est eodem modo causare quo calamum movere manus mea causat, etsi *Velle* & *scribere* non sunt idem: De nomine *coactionis* litigare non operæ pretium est.

Modus agendi noster in Volendo vel Nolendo est *Libertas*. *Libertas* est duplex, duplicis scilicet actûs, circa duplex objectum.

I. Circa *Finem*, vel *Bonum* in se & simpliciter apprehensum, Voluntatis Actus est AMOR, vel simplex *Complacentia*.

Hujus actûs *Libertas*, item est duplex: Prima vel præcipua est, *Libertas ab omni impedimento Amandi*; viz. 1. Intra nos; quæ est Libertas à malo inhærente; vel Privativo vel Positivo; id est, ab Imperfectione fidei, spei, Amoris ipsius, &c. & ab errore intellectûs, & concupiscentiis. 2. Extra nos; *viz.* 1. Ab omni efficiente necessitate vel inevitabiliter causante in nobis Amorem inordinatum, corrumpentem: 2. Ab omni causatione remorante, obstruente, obicem ponente, præsertim insuperabili. Et hæc primaria Libertas Voluntatis, est illa quam Gibieuf vocat, *Amplitudinem Voluntatis*; Et reverâ nil aliud est quàm ejus Perfectio, vel *Status Optimus*, & ab omni internâ & externâ remorâ *Liberrimus* quoad finem, 1. Ut quærendum, 2. Fruendum. Uno verbo, *Amare sine impedimento.*

Libertatis ratio explicata.

Secunda & huic subordinata dici potest *Libertas Probationis*, vel *se-determinandi* sine impedimento insuperabili, & vi aut efficaciâ aliquâ causæ superioris prædeterminante. Quæ à Jesuitis plerumque ponitur in Indifferentiâ, seu indeterminatione in instanti actum antecedente, cum potentiâ verâ se determinandi ad utrumque. *Libertas primaria* est quasi robusti potentiæ alacre & non-impeditum exercitium in currendo vel operando: *Libertas secunda est* quasi pueri suis viribus & voluntati derelictio, sine patris, scilicet sustentatione vel manutenentiâ. Libertas prima est *absoluta*; neque scilicet *contradictionis*, *contrarietatis*, nec *comparationis*; quia est vel directè ad *perfectionem*, *vel in perfectione*; & ideo non consistit in libertate quovismodo deflectendi. Libertas secunda est; *Contradictionis* (quia ex mera socordia Voluntas potest actum hunc Amoris etiam erga Bonum unicum, negligere aut suspendere.) Et si adsint plura prioritatem præstantiæ competentia; est etiam, 2. *Libertas comparationis*; hoc scilicet aut *illud* præferendi. Etsi inter hæc *competentia*, videatur esse *inconsistentia*; 3. *Libertas* etiam *contrarietatis* adest, hoc scilicet ut finem eligendi, & illud ut inconsistens absolutè recusandi.

II. Circa *Bonum respectivum*, sub *ratione medii*, actus Voluntatis est; 1. *Aptitudinem medii*, quæ est *Bonitas respectiva* per *complacentiam simplicem amare*: (Nulla enim est *Bonitas* quæ non sit *Amabilis*; & *Aptitudo ad finem promovendum* est *Bonitas*, etsi non *primaria*; non tantum *finis* igitur *amandus* est (ut aliqui dicunt) sed etiam *media*; etsi non *ultimatè propter se.*) Et in Mediorum *aptitudinem* simpliciter *Amando*, Libertatis natura est eadem quoad [illegible] Ubi mediorum apparet omnimoda ratio boni (ut in medio unico) illud *amare* sine *defectu* vel *impeditione* est, Libertatis primariæ pars: At in statu imperfectionis, Voluntas potest socordiâ actum suum debitum *negligere* (sicut & *agere* potest.)

potest.) Et hæc vocatur Libertas *Contradictionis*; & ubi plura *media* apparent competentia, Libertatem habet etiam, 1. *Comparationis*, seu *præferendi*, 2. *Contrarietatis*.

2. At *media practicè* considerata, 1. Sunt *eligenda* vel *volenda ad usum*, 2. *Utenda*, & in hisce etiam, etsi voluntatis sit Major Indifferentia ante determinationem, & ita spatiosior multò Libertatis Campus, Agendi tamen *Libertas Naturalis* (de *politica* enim non agitur) est item [*se determinandi Potentia cum licentia*, seu non-impeditione efficaci: & *Libertas Moralis* (quæ est etiam *Naturalis in suâ perfectione*,) est in perfectione antedescriptâ.

Ut paucis rem magnam expediam, Libertas est vel, I. Essentialis, II. *Probationis*, vel III. *Perfectionis*.

2. Libertas nulla stricte sic dicta est Voluntati essentialis præter ipsam Potentiam se determinandi, & facultatibus aliis imperandi & inferioribus non subjici. Quæ an dicenda sit; *Potentia* tantum, aut etiam *Libertas Naturalis* non litigo: (I Libertate quippe hâc *Naturali* (quæ est ipsa Potentia) suppositâ de Libertate. II. *Probationis*) & imperfectionis) II. Et *Perfectionis* hic differo: De Naturali, vide in Tabula de Voluntate, & de Libertate. Auferri enim potest sine Voluntatis destructione.

3. Libertas personæ vel arbitrii, est Libertas faciendi quod Volo, & non est confundenda cum Libertate Voluntatis quam supponit.

4. Potentia se determinandi sine alterius prædeterminatione (quam Naturalem Libertatem vocant) est essentialis Voluntati, (suppositis aliter supponendis.)

5. Potentia quædam super facultates imperatas est essentialis Voluntati.

6. Libertas *Ethica* seu *Perfectionis*, sine omni imperfectione bonum liberrimè Amare, est optima Voluntatis interna Libertas; cui si accedat non-*impeditio externa*, duplicem facit Libertatis perfectionem.

7. Si Deus Voluntatem prædeterminaret præmotione efficaci ad Bonum, non tolleret, sed perficeret hanc principalem Libertatem.

8. Libertas *Probationis*, est viatori & defectibili propria; & est quædam hominum derelictio ipsorum Voluntati, & Voluntatis sui ipsius determinationi, non sine auxiliis, sed sine prædeterminatione Physicâ & efficaci.

9. Libertas hæc est homini *Naturalis*, quia per Naturæ Leges vel ordine communi omnibus conceditur; etsi non est essentialis ut dicitur.

10. Si Deus auferret *Libertatem hanc Probationis*, determinando Voluntatem ad *Bonum*, nullam faceret homini injuriam, sed maximum in ipsum (ut dictum est) conferret beneficium.

(1. Si Deus auferret Libertatem hanc *probationis*, effectivè & irresistibiliter prædeterminando Voluntatem ad *peccandum*, homini esset omnium inimicissimus, & innocentiam nobis redderet impossibilem.

Hisce prælibatis, judicatu jam facilius restat, utrum Prædeterminatio Divina *Libertatem* stabiliat an tollat. Libertatem *scilicet probationis* (quam voco) *viatoris*, tollit; *Benefice* quidem, si ad *Bonum*; *maleficè* si ad *malum*.

At *Libertatem à coactione*, dicunt adversarii, *prædeterminatio non tollit*.

Resp. Per *Coactionem* intelligunt, *causare Voluntatem invitè Velle*, id est, *Nolendo Velle*, vel *Volendo Nolle*, vel per eundem actum in eodem instanti, *Velle & Nolle idem*; id est, *Velle & Nolle esse idem*. At sicut talis coactio est Deo ipsi impossibilis (quasi contradictoria facere vera) ita nullâ ratione hæc *Libertas* vocanda est. Quare enim *Velle esse Velle*, & *Nolle esse Nolle*, & *non aliud*, vel *contrarium*, *Libertas* nominaretur, magis quàm *scire esse scire*, & *nescire esse nescire*, & *sentire esse sentire*? Omnis scilicet facultas, & animal omne talem habet *libertatem*, ut in sensu composito, Deus eorum sensum, appetitum; motum, non esse sensum, appetitum motum, facere non possit; ex necessitate scilicet existentiæ. At *Coactio Voluntatis*, potiùs dicenda est, *Inevitabilis, præ-* [illegible] *externæ, vel superioris, Nolitionis aut Volitionis, contra hominis naturam & bonum*; si determinatio ab alio ad *Bonum* dicatur *Coactio*, est quidem *bona Coactio*. At si ad *malum* sit, non tantum est *mala Coactio*,

sed

ſed pleniore ſenſu *Coactio* dicitur, quia ſupponitur hominem naturâ amare & ſeipſum, & *Bonum* quâ *Bonum:* Ideo *irreſiſtibili cauſatione* prædeterminare ad malum, eſt dupliciter *Coactio*; & quia *neceſſitatio*, & quia *ad malum.*

XI Arg. *Doctrina iſta falſa eſt unde ſequitur, Neminem mortalium poſſe, aut unquam potuiſſe, plus Boni facere vel feciſſe, quàm fecit, aut plus mali omiſiſſe quàm omiſit* *. *At talis eſt doctrina prædeterminationis jam oppugnatæ---Ergo falſa eſt.*

* Quod à Synodo Dordrac. vehementer rejicitur.

Notandum hic quod per [*poſſe*] intelligimus, *Potentiam* propriè ſic dictam; neque ſcilicet *Potentiam* hypotheticam mancam partialem, quæ *Potentia* non eſt ad *hunc actum*, ſed *foret*, ſi cætera concurrerent; neque *Potentiæ* rectam diſpoſitionem, quæ dicitur *Potentia Moralis*; ſed *Vim ad actionem adæquatam.*

Ratio Majoris eſt, Quia dum omnem peccati Reatum in meram Impotentiam propriè ſic dictam rejiciunt, Voluntatem abſolvunt, & Reatum reverâ negant; & homines gubernari fingunt ſicut pecudes, & iiſdem conditionibus, id eſt, ex neceſſitate irreſiſtibili fieri aut miſeros, aut fælices. Lege eximii Theologi Guil. Fenneri eximium de hac re libellum Anglic. dictum, [**Wilful, Impenitence, Self-murder.**]

Minoris **Veritas** ex antedictis liquet; ſecundum hoſce Theologos nemo poteſt vel unam boni cogitationem ſuſcipere, ſine hâc Phyſicâ efficaci prædeterminatione, quæ non eſt in noſtra poteſtate; nec omittere poteſt malas cogitationes, vel odium Dei per unum momentum, ſi ad ea ſit Phyſicè prædeterminatus.

Reſponſiones etiam Doctiſſimorum ad hoc Argumentum, adeò nebuloſæ ſunt, & mera effugia, ut facilè videre ſit, eos lucem fugere, & in tenebras rem deferre, ut proſecutionem & convictionem aliter inevitabilem devitent. Etiam præſtantiſſimus Camero (in Diſp. cont. Tilen.) rem caligine tectam, & abſconditam relinquere cauſæ ſuæ neceſſarium invenit. Vide quæ dixi de Grat. ſuffic. poſtea ex Hoornbeckio & aliis. Reſponſio ordinaria eſt [*In ſenſu diviſo hominem plus boni & minus mali facere potuiſſe; non autem in ſenſu compoſito.*] Quod nil aliud eſt quam ſi dicerent, [*Potuit, donec Deus impotentem eum reddidit.*] Vel [*Omnes creaturarum oppoſitiones vincere poſſunt, at Omnipotentiam Divinam non poſſunt.*]

Si per *ſenſum diviſum* intelligunt conditionaliter, [*Si non prædeterminantur*] concedimus quidem, ſi non prædeterminantur, potentiam prædeterminatio non tollit; ſin autem hoc volunt, [*donec prædeterminentur*] hoc etiam ſi concederetur, cauſam eorum apertiſſimè peſſundaret; & tamen ne hoc ſecundum ipſos verum eſt, de peccatis omiſſionis: Dici enim non ſinent hominem potuiſſe plus boni **feciſſe** quàm fecit, donec tempus faciendi adfuit; quia nunquam ad hoc numero **bonum** prædeterminatus fuit; ergo nunquam in ſenſu hoc diviſo dici poteſt, eum plus boni facere potuiſſe quàm fecit.

Si autem dicant Deum *Potentiam* hominis *prædeterminare* at non auferre.

Reſp. Hoc jamjam refutatur, 1. Prædeterminare non eſt *Facultatem* vel *Potentiam in genere* auferre; ſed ***Potentiam ad hoc*** aufert, qui ad aliud contrarium prædeterminat. 2. Et qui nunquam ad hoc vel illud bonum prædeterminatur, nunquam *ad illud* Potentiam habuit.

Obj. *Potentiam habuit, at non determinatam.* *Reſp.* Ita eſt reverâ, & juxta noſtram ſententiam, quia *Potentiam* habuit ſuam facultatem *determinandi.* At non ſecundum doctrinam veſtram, qui ſe determinare ſine Phyſica prædeterminatione cauſæ primæ homini naturaliter impoſſibile fore ſtatuitis.

Obj. *Hoc æquè prædeſtinationem ſive decretum Voluntatis Divinæ, imò & præſcientiam oppugnat; quia in ſenſu compoſito impoſſibile eſt aliquid fieri, contra decretum vel præſcientiam Divinam.*

Reſp. Prædeſtinatio nihil ponit in prædeſtinato; ſæpiſſimè & Dr. Twiſſus & alii dicunt, *Decreta Voluntatis Divinæ* eſſe *actus* immanentes qui nihil ponunt in objecto. Et idem Dr. Twiſſus non omnia decreta rem decretam efficere putat, quia ſæpe dicit Deum decernere, *ut peccatum eveniat, ipſo non faciente, ſed permittente.* Potentiam igitur nuda *Volitio Divina* ſine tranſeunte operatione neque donat, neque tollit.

Et

Et de præscientia res clara est ; sicut ecclipsis, vel tempestatum, vel temporum præscientia, ea non causat, neque *Potentiam causarum* aliquo modo mutat, ita neque peccati præscientia Divina.

Et maximi momenti est ad Remonstrantes, & contra remonstrantes, Jesuitas & Dominicanos hic conciliandos, notare, quod ex parte utrâque confessionem habeamus, necessitatem nullam *consequentis*, sed tantum *consequentiæ* per Deum peccatoribus imponi. Fatentur enim Decretum de peccato esse tantum *Decretum permittendi* ; & non aliam inferre necessitatem, quam *præscientia* ipsa infert, scil. *necessitatem consequentiæ*, non *consequentis*. Quod idem etiam Scholastici sentiunt. Et (quamvis non desunt qui hoc non animadvertunt) *Necessitas consequentiæ* est tantum *Necessitas Logica*, ex ordine dictorum orta ; & non Physica ab Entitatis alicujus realis causatione (quam Rob. Baronius in Metaph. dicit *Necessitatem causatam* :] Qui *facit* aliquid, causat ejus necessitatem Physicam existentiæ : Qui *probat* aliquid, demonstrat necessitatem Logicam consequentiæ, in ordine concipiendi & dicendi.

Dr. Twissi Verba sunt Vind. Grat. li. 2. Par. 1. Crim. 3. cap. 15. § 18. pag. 320. [*Quid quod Scholastici, nominatim verò Aquinas & Durandus (nec quenquam novi aliter sentientem) non aliam agnoscunt necessitatem rerum, ratione Voluntatis Dei, quam quæ dici soleat necessitas consequentiæ.*]

Imò pag. 232. mecum sentientem in hisce, & plenius loquentem habetis [*At ea Necessitas*, inquit, *quam juxta nostram sententiam oriri putat Arminius ex Decreto Dei, reverâ non tam ex Decreto Dei fluit (quod monuit Perkinsius & verè) quam ex suppositione Decreti Divini, in Argumentatione scilicet ; Quoties scilicet posito Decreto Dei de re aliquâ futurâ, legitimè infertur Necesse esse ut suo tempore futura sit. At hujusmodi Necessitas nihilominus evincitur ex suppositione actus liberi cujuscunque, qua m ex suppositione Decreti Divini. Etenim posito quod existat actus liber, necesse est ut existat.*] Et post hæc acriter Arminium objurgat, quod *necessitatem consequentis*, id est, *effecti*, & non tantum *consequentiæ*, id est, *Logicam*, opinioni Perkinsianæ imputat.

Notetur hic D. Tw. sua argumenta de futuritionis causa æternâ labefactare.

Et Arminius promptè quidem fatetur (quis enim diffiteri potest) uniuscujusque *peccati* esse *necessitatem consequentiæ*, etiam à *præscientiâ Divinâ oriundam*, sicut etiam & damnandi uniuscujusque damnationis: Cum autem Perkinsius, Twissus, *&c.* Nil ultra ex Decreto Dei oriundum asserant, imò hoc ipsis imputantes non ferunt, quantillum jam de Decretis discrimen restat? & quorsum quasi lethaliter contentiosi ex majoris dissidii fictione dimicant? Quare odiosis consequent iis invicem onerare ex hisce satagunt, quando utriusque opinionis *quoad peccatorum necessitatem*, hic omnibus fatentibus, apparet, easdem esse consequentias? Neque *Decretum* scilicet, neque *Præscientia* per se ponit aliquid effectivè in objecto.

At Prædeterminantium res longè aliter se habent: Quia prædeterminatio hæc formalem rationem Potentiæ ad actum contrarium, vel ad resistendum, à Voluntate antecedenter tollit. Et proculdubio si homines semel credant, sibi omninò impossibile factum esse per Omnipotentiam, vel unum verbum bonum loqui, unam concionem audire ; malum unum omittere, præter quod evenit, & impœnitentia de præteritis, & præsumptio, aut desperatio de futuris, facilè inde orientur.

XII Arg. *Doctrina illa quæ fingit Deum homines & Diabolos in inferno perpetuò cruciaturum, quia illud non faciunt, quod innocentissimo Angelorum, vel Adamo æquè naturaliter impossibile fuit, ac mundum condere, falsa est. At talis est Doctrina de necessitate hujus determinationis ad omnem creaturæ actum ; Ergo falsa est.*

Ad Minorem, scio Dr. Twissum disputasse, *Deo licere* vel innocentissimum cruciare in æternum. At 1. Non juxta Voluntatem ordinatam, neque cum se Rectorem mundi constituit ; & ita ad Justitiæ exercitium se, voluntatem suam declarando devinxit. 2. Si *affligere* posset *materialiter*, non tamen *punire* innocentem ; quia contradictio est ; Quoniam *Pœnæ forma* est *Relativa*, scilicet ut sit *propter culpam*. At de *pœna* loquitur argumentum. 3. Quod Deo licet non quæritur : Hoc saltem se *non facturum* esse declaravit. Aliter si totius mundi Judex injustè ageret, injustitiam hominum non ita detestaretur, ut qui hominem *seipso* justiorem & meliorem esse non vult.

Minor

Minor probatur. Doctrina illa, quæ naturaliter impossibile homini esse fingit, se determinare absque, vel contra Prædeterminationem Divinam (jam descriptam,) & tamen fingit homines damnari eo nomine, quia vel absque, vel contra Prædeterminationem hanc Divinam, se non determinant, fingit homines à Deo cruciari quia naturaliter impossibile non præstant. At talis est doctrina jam oppugnata. Ergo---

XIII Arg. *Doctrina illa quæ fingit Deum damnare & cruciare, & homines & Diabolos, quia non sunt Dei, vel quod Dei proprium est non agunt, vel quia Deum non superant, insana est, & falsa. At talis,* &c. Ergo---

Si Adamus peccavit Deitatis quiddam ambiendo, proculdubio Deus creaturas non eo nomine cruciat, quia Dei Prærogativam non & ambiunt, & assequuntur, & Deum vincunt. Si Divina Prærogativa est, vel Deo proprium, esse primum suorum actuum Determinatorem, item & nostrorum, & sine alterius prædeterminatione agere, & si homo damnatur quia non primo se determinat, & quia non sine alterius prædeterminatione agit, vel quia Dei prædeterminationem non superat, contra illam se determinando, tunc ideo damnatur quia vel non est Deus, vel Dei Prærogativas non assequitur, vel Deum non agendo vincit. At hæc Doctrinæ Prædeterminantium consequentia falsa est,

Ipsi quidem dicunt & objiciunt, nos hominis Voluntatem *Deificare*, si absque prædeterminatione Divinâ eam se determinare posse dicamus. Ergo Dei hoc proprium esse autumant: Et quandocunque Deus hominem ad *Bonum* prædeterminat, *Bonum* fit. Et ita damnantur tantum quod Bonum non faciunt absque Divina prædeterminatione, & quod malum non omittant, quando prædeterminantur; Qnod fieri nullo modo potest, nisi irresistibilem omnipotentiam vincendo.

XIV Arg. *Doctrina illa falsa est, quæ peccati malignitatem adeo tegit, minuit, & denegat, ut nil pejus id esse fingat, quam hominem aut Diabolum non esse Deum, hoc est, Actionum primum determinatorem, vel naturaliter Impossibilia non efficere; hoc est, sine prædeterminatione Causæ primæ, & contra illam, sese determinare. At talis est doctrina jam impugnata.* Ergo---

Si nihil pejus peccatum est, quis id odio habebit? Quis cordicitùs de eo pœnitentiam aget? Quis ejus mortificationi seriò studebit?

XV Arg. *Doctrina illa falsa est, quæ Leges Divinas ita opprobriis onerat, ut eas nil pejus prohibere, & ob pejus nihil punire, quam impossibilia jam dicta, asserat. At talis est doctrina impugnata.* Ergo---

Si Lex Naturæ & Sacræ Scripturæ nobilius nihil jubent, quam movere quando non minùs movere necesse habemus, quam brutum *cibum appetere,* vel non magis movere possumus quam lapis non motus; & si nihil vetant nisi vel agere, vel non agere quando omninò impossibile est per naturam, vel ita facere, vel non ita facere; quantum ab earum gloriâ decedat, aliis relinquo judicandum.

XVI Arg. *Doctrina illa Ecclesiâ indigna est, quæ & Christi & Spiritus Sancti officium, & dona & opera ita contemptui exponit, ut ea omnia ad hoc solum destinata asserat, ut homo liberetur à reatu impossibilium jam descriptorum, & ad peccatum illud non faciendum quod facere naturaliter impossibile est, regeneretur. At talis est doctrina jam impugnata.* Ergo---&c.

Quis *gratas*, quis *amantis*; imò *credentis* de Christo cogitationes habere potest, qui credit eum mortuum ad finem nullum hisce nobiliorem? Potius fundamenta omnia Religionis Christianæ convellit: Fidem Amorem, Gratitudinem, & obedientiam subvertit; & frustra fuisse omnia Mediatoris opera ad animos redimendos & regenerandos suadet: Quandoquidem utrum homo dicatur obedire an peccare, reverâ res eadem sit, *viz.* hoc Agere vel non Agere secundum prædeterminantis præmotum; sicut Calamus in Scriptoris manu agit; sed alius, speciei actum.

XVII Arg. *Doctrina illa falsa & intolerabilis est, quæ nil majus ad conscientias damnatorum cruciandas extitisse unquam asserit, quam eos non esse Deos vel Dei propria non egisse, se determinando absque & contra prædeterminationem Divinam. At talis est Doctrina jam impugnata*—Ergo—

Doctrina hæc pœnas infernales tollit, quantum ad conſcientiæ cruciatus. Minimè enim credendum eſt damnatorum conſcientias, per meram deceptionem, & errorem eos cruciare; at ſi non errore fiat, quando apertè videbunt, quod nunquam magis credere, amare, obedire potuêrunt, quàm mundum condidiſſe, & nunquam magis à peccato, vel maximo, vel minimo abſtinuiſſe potuere, quàm lapis projectus â motu; proculdubio conſcientia rationaliter procedens, ipſis dicam non grandem propter talia impinget, multó minùs ob reatum ſeſe cruciabit.

XVIII Arg. *Doctrina illa falſa eſt, & Deo injurioſa, quæ fingit eum durius multo cum hominibus agere, quàm ſi invitos eos ad peccandum cogeret, vel innocentes damnaret. At talis eſt doctrina jam impugnata.* Ergo—

Ratio Minoris præſtò eſt, & aperta. Peccatum ſcilicet damnatione vel pœnâ pejus eſt: ſaltem peccatum cum pœnis infernalibus, pejus eſt quàm ſolæ pœnæ infernales. At ſecundum iſtos Deus & peccatum, & pœnas cauſatione inevitabili efficit.

Voluntatem quidem cogere ut illi coactionem interpretantur, impoſſibile eſt, quia contradictio. At ſi poſſibile eſſet aliquem invitum facere peccatorem minùs malum eſſet, quàm *Voluntatem ipſam corrumpendo, Volentem* eum efficaciter peccantem reddere. Et qui *pœnam ſine peccato* infert, minùs malum infert quàm qui *peccatum cauſat & pœnam.*

XIX Arg. *Doctrina illa quæ fingit Deum multò magis peccati cauſam eſſe quàm Diabolus eſt, non eſt aut vera aut toleranda. At talis eſt doctrina jam impugnatâ.* Ergo—

Majorem probatione non egere inter Chriſtianos ſperabo; dum non de cauſa *perſonæ peccantis*, nec *potentiarum naturalium*, neque *objectorum*, neque *actus in Genere* tantum, ſed de *actu modificato*, & in *ſpecie morali*, & ita de peccati formâ relativâ, loquimur.

Minor patet; ſi enim Satan ipſe ad peccandum nos tantum *moraliter ſuadet*, aut non *efficaciter* & *inevitabiliter* prædeterminat; & ſi Satan & homines peſſimi ſe ad *actum peccandi in Specie ſecundariò* tantum, ut ipſi efficaciter ad hoc prædeterminati, determinant: Et ſi Deus, & Diabolos & homines, ut cauſa prima, efficaci, præmotione, ad peccandum, vel peccati fundamentum, prædeterminare fingitur; tum Deus itidem fingitur peccatum magis cauſare quàm Diabolus, aut ipſi peccatores. At verum prius. Ergo & poſterius.

Imò ſicut infinita eſt inter Deum & Creaturam diſtantia; ita infinita quædam diſtantia eſt inter Cauſalitatem Divinam, & omnium creaturarum. At inquit Spiritus Sanctus, Jac. 1. 13, 14. [*Nemo dicat quando tentatur, tentatus ſum à Deo; Deus enim non poteſt à malo tentari; neque aliquem tentat; ſed quiſque tentatur quando à propriis concupiſcentiis ſeducitur & allicitur*, &c. Si non tentat Deus, quantò minùs ad malum prædeterminat?

Reſpondent autem Alvariz, Twiſſus, &c. [*Satanam malum, Deum autem bonum finaliter intendere.*

Replic. 1. At de cauſa peccandi efficiente, jam quæritur; non autem de finali, neque efficientis intentione.

2. Si Deus dum bonum intendit, prædeterminet Voluntates humanas ad malum intendendum, & membra eorum ad malum faciendum cum Diabolus tantum ad *iſtud ſuadet*, tum magis *malum ipſum* cauſat.

3. Si ipſe Diabolus dum malum intendit, à Deo ad iſtam intentionem Phyſicè prædeterminatur, tunc iſtius intentionis eſt cauſa tantum ſecunda inevitabiliter prædeterminata.

4. Omnes malè agentes non malum intendunt: Malum enim ſæpe fit ex bonis intentionibus, ſub ratione medii malè intellecti & electi.

5, Malum facere ut bonum eveniat, inter homines à Deo, ut hypocriſis & Boni prophanatio, condemnatur.

XX Arg. *Doctrina illa quæ Divinam amabilitatem ab hominibus abſcondit, & negat, & in imagine Diaboli ipſum homini præſentat, ad Amoris Divini in pectoribus*

pectoribus humanis exstinctionem, est falsa & abominanda. At talis est doctrina jam impugnata. Ergo–

Major probatur; Quia summa est Blasphemia, necnon Atheismus, & Religionis omnis extirpatio. Deus enim non est Deus si non est optimus: Ergo qui Bonitatem ejus negat, negat etiam Deitatem. Et cum Amor Dei sit Pietatis & Religionis summa, qui Amorem Dei destruit, Religionem omnem destruit. At qui Amabilitatem Dei aut negat aut abscondit, Amorem Dei jugiter destruit. Nemo enim Amare potest non-amabile. Imò qui Deum describunt sicut Diabolum, (ut causam principalem efficacem omnis mali) exosum eum hominibus reddere satagunt, & ipsum odio habere, mundo rationibus valentissimis suadent.

Probatur Minor; Qui Deum & omnium peccatorum & pœnarum vel cruciatuum Diabolorum & hominum, causam principalem præmotione Physicâ immediatâ totali efficaciter, irresistibiliter vel inevitabiliter prædeterminantem esse fingunt, amabilitatem ejus negant vel abscondunt, & in imagine Diaboli eum hominibus præsentant. At ita faciunt adversarii jam oppugnati. Ergo–

At inquit Dr. Twissus, *Carnalis nimium cogitatio est, Bonitatem Dei æstimare, per nostri fælicitationem.*

Resp. 1. Proculdubio Deus præcipuè amandus est, propter infinitam essentialem sui-ipsius Bonitatem vel Perfectionem; & propter se, non propter nos.

2. At *sanctitas* ejus & *odium peccati*, est *pars* non minima (secundum conceptus *nostros inadæquatos*) ejus *Bonitatis*; Imò & *Amor* seu *Benignitas* ejus, huc etiam pertinet: Qui *Bonus* enim est, *Benefacere* solet: Ergo qui peccati causam principalem eum fingunt, *Bonitatem* ejus negant.

3. Deus ipse nos *peccati causam principalem amare* nollet. Ergo & peccatum & quâ tales, peccatores etiam odio habere jubet.

4. *Amor nostri* est ita naturæ humanæ essentialis, vel saltem ita penitùs per Creatorem radicatus, ut destrui aut divelli sine nostri destructione non possit. Ita ut omninò impossibile sit, & *peccatorum omnium*, & *perditionis nostræ causam irresistibilem* amare, sicut *amatorem amamus*. Deus ergo quando *Amandum* se præbet humano generi, ejus *amatorem* se plenissimè ostendit; & *Christum* misit ut *Amoris mirandi nuncium, speculum* & *specimen*, qui hominum *Amorem* Deo conciliaret. Et Christus sub nominibus Redemptoris, Salvatoris, *&c.* se amandum peccatoribus prædicari voluit. Et à Theologis dici solet, damnatos ideo Deum amare non posse, quia eorum osorem ipsum esse nôrunt, & de ipsius amore & reconciliatione omninò desperant.

Sicut ergo ut Plutarchus ait contra superstitiosos, magis peccat qui Deos malos esse judicat, quam qui nullos; Ita vereor ne doctrina hæc quodammodo Atheismum malignitate superet. Non quod de *Authoribus* per *doctrinam* judico; usitatissimum enim est Theologos speculativè eas defendere opiniones, quarum, non solum consequentias detestantur, sed & contrarias practicè tenent. Qualem autem quisque Deum esse *practicè* judicat, talem erga eum habebit Voluntatem. Et Pietatis opus primarium est, vivaces adeò de *Bonitate* & *Amabilitate* Divinâ conceptus semper retinere, ut Deum summè amare fiat quasi naturale & facillimum; sicut & concionatorum opus primarium est, ad Pietatis augmentum, *Deum* itidem *Amatorem* & ita *Amabilem*, ad conciliandos peccatorum affectus, hominibus prædicare. Utrum igitur Doctrina hæc impugnata Dominicanorum magis Deo an Diabolo, Amori an Odio, Pietati an Impietati serviat, Veritatis & Pietatis amatoribus ex jam dictis, considerandum relinquo.

Argumenta plura addere his licuit; à frustratione hortationum, *&c.* & à particularibus S. Scripturæ Textibus; Plura videre est in Pet. à sancto Joseph Concord. cum Resp. ejus ad opposita. At Responsiones ejus ad viginti Estii & aliorum argumenta quibus prædeterminationem tantum ab bonum tuentur, sicut mihi non placent, ita defendere mihi, neque opus est, neque animus.

Argumenta pro Prædeterminatione refutata.

Arg. I. *SI Deus Voluntatem determinet, vel potius moveat, ut causa universalis, causando tantum actum quâ actum in genere, & non in specie morali tunc non magis Boni quam Mali Causa est; sed ipse homo Causa Boni specialis esset principalis. At hoc falsum est.* Ergo---

Hoc est D. Twissi Achillæum, & ferè totum Vind. Grat. li. 2. Par. 1. Digr. 2. c. 15. pag. 136. & ibid. cap. 2. pag. 42. & passim.

Resp. Distinguendum de Causatione Divinâ, 1. Naturali per concursum universalem; 2. Speciali, 1. Per Gratiam medicinalem, 2. Per Specialem aliam providentiæ interpositionem (sicut in Miraculis, &c.) Deus ut *Causa prima Naturæ tantùm* concurrens ad actum quâ actum, non causat actuum species morales. At Gratiâ speciali medicinali causat actus Sanctos in regeneratis; non autem solâ prædeterminatione illâ communi quæ ad omnes actus necessaria est: Et ideo *malum* non omninò causat.

Ad Minorem, dico, falsum hoc potiùs illis imputandum est, qui Deum *Boni* & *Mali* æquè Causam esse efficientem, asserunt.

Arg. II. *Si Deus actus in Specie morali non efficit, tunc Entia quædam sunt in rerum naturâ quorum Deus non est Causa: Et ita secundum Manichæos duo erunt principia; vel ipsa Voluntas deificatur.*

Resp. Sicubi Philosophorum errores Theologorum mentes polluunt, hîc est. Plurimas Entium *species* fingimus quæ verè non sunt Entia; Et statim Deum earum causam esse necesse est. Dico igitur, 1. Etiam actus vel actio non est propriè *Ens*, ab agente distinctum, sed Agentis *Modus*; si plurimi Philosophi, hoc dicunt de accidentibus omnibus in genere, de *Actione* idem ipse liberiùs dicam. Et Carpentarius dicit, Duo tantum Entium sunt Genera; & Generis secundi tantum duas Qualitatis species numerat. Burgersdicius etiam (cum discipulo suo Hereboordo) dicit, quinque inter *Entia* & *Nihil*, esse numeranda, *viz.* Privationes, Denominationem extrinsecam, Ens Rationis, Relationem, & Modum Entis. Metaphys. li. 1. cap. 3. Anne igitur, quæso, periculosiùs & audacius dicitur Deum posse creaturam facere, quæ universali ejus auxilio supposito, possit tales Entis Modos, Relationes, Privationes, Denominationes, &c. causare? an eum creaturam talem facere non posse?

2. Ipsius quidem *Potentiæ* activæ formalis natura, est *Posse agere*; si non *possumus agere*, non habemus *Potentiam activam vitalem.* Qui hanc negat, essentiam vel formam animarum omnium negat, non tantum Rationalis, sed & sensitivarum & vegetativarum, & Ipsius Ignis; & Potentiam omnem ad meram passivam materiæ obedientialem reducit; si non obstinatè ignoraremus quid [*Posse*] significat, opera omnia Divina, etiam Angelos & Spiritus, non ita vilipenderemus, ea ad infimorum ordinem deturbando, & cœnum, terram seu materiam inertem Intelligentiis ipsis æquiparando; quippe quæ agere tantum possunt quando per præmotionem Physicam prædeterminantur.

3. At si Actio esset *Ens reale, Modus* tamen *agendi* de quo nunc quæritur, & in quo Relatio specifica fundatur, non est *Ens Reale*, quod à creatura per concursum universalem proficisci non potest; *e. g.* Quando Davides deliberat an actum hunc Adulterii & Homicidii perpetret, an non? *Posse agere* est à Deo: Ergo sine Deo non aget. Et posse hîc & nunc actionem hanc suspendere, vel non-agere, est à Deo: Et posse circa objectum hoc agere, alio repudiato, est à Deo. At objectum hoc vetitum, alio repudiato eligere, non est à Deo: Et *Velle* potiùs quàm *Nolle*, comparatè, non est à Deo: Et Actum *hîc* & *nunc* agere, & *non suspendere*, non est à Deo. sed primò à *Potentiâ* creatâ malè se determinante. Et qui dicit *Omnipotentem, Potentiæ* tantum, creaturæ communicare non posse, videat ne Deum non Deum fingat, dum Omnipotentem reverâ esse negat. Certè qui Potentiam hanc vitalem negant, quid homo, quid animal, quid vita est nesciunt.

4. Nonne

4. Nonne ipse Dr. Twissus, ut ante citatus, actionum *speciem moralem* non *verè speciem* esse affirmavit? Si ita est, quare peccatum specificare creaturæ vires transcendere videretur?

At objicit idem Dr. Twiss. [*Natura specifica non est in Genere; & genus totam suam existentiam habet in Specie; ergo ni Deus speciem facit, nihil facit.*

Replic. 1. Iterum notetur ipsum prius negasse speciem moralem esse verè actionum speciem.

2. Deus non *Genus* facit existere *extra Speciem*; sed quando *peccator* causat *peccati speciem* Deus per concursum *universalem* naturam actus genericam causat: Sol nunquam plantæ vitam causat existentem in Genere extra Species: At quando Rosæ & Urticæ semina causant Rosam & Urticam in *Specie*, influxus Solis ut causæ universalis naturam ambarum genericam causat: Nec sine *Solis* hâc *causatione genericâ*, Species unquam à seminibus causarentur. Idem de Solis causatione fætoris sterquilinii, & redolentiæ Rosæ, &c. dicendum.

3. Specificatio actionum quæ solùm oritur ex objecto & fine, nihil omninò actionis addit ad naturam genericam, nisi actum aut objectum hoc alteri præferre. Non minus activitatis naturalis exeritur *nolendo* quam *volendo*, & *volendo vinum*, *pecuniam*, honores, quam *volendo temperantiam*, *humilitatem*, &c. sicut vis aut energia ventorum quæ ad *motum in genere* nautis conceditur, haud *mutatur*, multò minùs *augetur*, per velorum expansiones aut mutationes, quibus vis illa motiva plenius recipitur, & ad portum hunc aut alium, ad Austrum aut Occidentem navis motus dirigitur; quod motus *specificatio* dici potest. Ita vis aut energia Divina quàm hominibus ad *motum*, per providentiam communem naturalem Deus præbet, per *specificationem* non *in se augetur* aut *mutatur*, sed plenius recipitur, & rectè adhibetur, quando Rationis & Voluntatis vela ad illam recipiendam rectè applicantur. Et quando *actus Boni specialis* per Gratiam *Spiritus Sancti specialem* producuntur, hic porrò Spiritus [illegible] vela quasi expandit, & adaptat ad motum providentiæ generalis rectè recipiendum; ex quibus actus naturæ genericæ, *modus* quidam, (quem aliquid inter *Ens* & *Nihil*, Philosophi antenominati quàm rectè non dico nominant) superadditur.

4. At pressius & urgentiùs adhuc sua in Dr. Twissum ita retorqueo. *Natura specifica* inquit, *non est in Genere*. *Resp.* Neque Genus, neque Species omninò existit nisi in Individuo; extra quod tantum *Notiones* sunt universales. Audi tamen quid loquitur D. Twissus de Prædeterminatione Divinâ ad actum individuum. Vind. Grat. lì. 2. par. 2. Digr. 9. pag. 411. [*Ad me quod attinet, tametsi in eorum sententiam lubens concedam, qui statuunt unamquamque causam secundam à Deo determinari ad omnem actum suum; minimè tamen mihi placet ista Gregorii sententia, Deum advocantis ad determinationem causæ secundæ ad hunc numero effectum præ alio ejusdem speciei: Cujusmodi determinationem verum figmentum esse duco, & ad curiositati hominum nimium infælici satisfaciendum duntaxat introductum*] Quid clariùs autem quàm quod per hanc concessionem à causa totus decidit? Nonne enim actuum *Individuatio*, entitatem æquè veram *naturæ* actûs *genericæ* addit, ac *Specificatio*? Imò ut dixi, neque Genus neque Species existunt nisi in Individuo. Actus autem per temporis momenta individuantur: Et si hoc instante potiùs quàm priore agere possim sine prædeterminatione ad *nunc agendum*, quare non etiam Nolle potiùs quàm Velle, aut Velle hoc potiùs quàm illud non possem? si in humanæ voluntatis potestate positum est, sine prædeterminatione individuante, suos actus individuare, quare non item sine prædeterminatione specificante suos actus specificare? (nisi ubi per peccatum fit impotens.)

5. Probatur porrò creaturam posse specificantem talem modalitatem seu formalitatem causare, (suppositio concursu Divino universali, cum naturæ & potentiarum, & objectorum, & concausarum continuatione,) Quia nimirum talem entitatem (si entitas dicenda est) potest ut causa principalis, perdere seu annihilare. Ejus autem est annihilare cujus est creare & causare. Qui potest principaliter annihilare, potest principaliter causare. At voluntas humana, &c. Ergo Probatur

batur Minor. 1. Adamus *habitum Boni* per peccatum *principaliter annihilavit*, Ergo voluntas humana potest *habitum Boni* annihilare. 2. Impii plurimi habitus bonos communes annihilant. Ergo—

Quicunque hæc negant, & dicunt Deum principaliter annihilasse vel abstulisse ab Adamo & aliis omnibus *Bonum habituale*, Deum etiam *Peccati habitualis* authorem vel causam principalem statuunt, & Deum fingunt homines fecisse habitualiter & formaliter peccatores, dum etiam peccatum hoc per Justitiæ privationem & Relationem inde resultantem describunt. Et si creatura non deificatur, dum causa principalis *habituum* dicitur, multò minùs quando causa dicitur principalis *actûs* quatenus malè modificati & specificati. Aut igitur *Habitus mali nihil* sunt, aut *Aliquid* principaliter causare ad Potentiam etiam creatam pertinet.

Hinc etiam satis liquet quid ad Argumentum idem aliis verbis prolatum respondendum est; scilicet, *Qui duas causas primas fingit, Duos item Deos fingit, & Hominem Deificat: At duas causas primas fingunt, qui negant prædeterminationem naturaliter necessariam esse ad actum omnem creaturæ, & liberum & naturalem.* Ergo—

Resp. 1. Causa dicitur *Prima*, 1. Quæ absoluta & independens est, & ex nulla alia, vel quæ ex alia, derivata, dependens, secundum quid, & gubernata à superiore. 2. Causa dicitur prima vel substantiæ, materiæ, vel potentiæ aut virtutis alicujus creatæ, vel tantum ut actûs sui modificati causa determinans. Qui duas primas causas asserit in sensibus prioribus, duo principia, & duos quasi Deos fingit: At non aliter:

2. Imago Dei non est Deus: Potentia activa quæ vel agere vel non agere, hic & nunc, velle vel nolle, velle hoc aut illud potest, est Imago Dei in homine naturalis. At prædeterminantes Dei imaginem in homine negant, & hominem verum in brutum, sed in lapidem, ne scilicet ipsum *Deum* facerent.

3. Deum nullum esse fingunt, (ut [illegible],) ne hinc agnoscant, spectro scilicet causæ primæ alterius in vanam formidinem deterriti. Deus enim qui Potentiam vitalem se determinantem creare non potest, non est Deus.

4. Causa absolutè prima Voluntas se determinans non est dicenda: 1. Quia Potentia hæc se liberè determinandi est à Deo ut causâ primâ creante. 2. A Deo etiam ut causâ primâ sustentatur. 3. Per Divinam etiam providentiam (etiam quando non prædeterminatur) gubernatur. 4. Sine auxilio concursus Divini universalis se determinare ad actum in specie non potest. Totam igitur potentiam, vim & virtutem quam se determinando exerit, à Deo recipit. At non negamus eam dum se principaliter determinat ad actum moralem in specie, imaginem quandam causationis primæ Divinæ exprimere. Potentia se determinandi, per modum causæ efficientis Vitalis immediatæ est Voluntati Essentialis. *Objectum* autem & *Intellectus* eam *moraliter*, *finaliter*, & *occasionaliter* tantum determinant, sicut Aquinas, Scotus, &c. concludunt. At modo non uno etsi nobis incognito, Deus Voluntatis determinationem aut efficaciter aut infallibiliter procurare potest. Non igitur independentem doctrina nostra reddit Voluntatem, dum totum esse, & vires & libertatem se detetminandi à Deo accipit & tenet. Imò totum in humanum Genus Regimen Divinum, Potentiam hanc Voluntatis naturalem præsupponit, sine quâ non esset subjectum Regiminis capax.

Obj. *At Doctrinam Durandi a plurimis improbatam ita asserere videris; Creaturam scilicet a Deo sustentatam posse agere sine alio concursu causæ primæ.*

Resp. 1. Quomodo Deus operatur in Voluntatem humanam, aut in ullam aliam creaturam, non est mortalium clare & distincte concipere. Saltem meipsum hîc ignorantem profiteor; & omnes quos unquam legi, aut quibuscum de hisce collocutus sum, mecum etiam ignorantes esse nullus dubito. Quod autem hactenus dixi consistere potest cum opinione non tantum Bellarmini & Jesuitarum, sed exactissime cum mente Jansenii; ut & Junii & Ferrii in Scholast. Orthodox. Ut & Davenantii & Synodi Dordrac. necnon philosophorum & Romanensium (Suarezii scilicet, Conimbricens. &c.) & Lutheranorum (Schibleri, Jacobi Martinii, &c.) & Calvinistarum (ut Guinand: Rutgersii, Gilb. Jacchæi) &c. quæ omnes

omnes Deum ad actus omnes per modum causæ præmoventis prædeterminantis concurrere negant. Burgersdicii item opinioni non contradicit; qui in Metaph. necessitatem concedit concursus Divini per modum principii in actibus supernaturalibus, non autem in naturalibus: & prædeterminationis necessitatem ut ad *actus omnes* negat. Consistere item potest cum mente Rodulph. Goclenii, qui *Concursum Divinum naturalem universalem* facit & *indifferentem* in Prodro: Lex. c. 34. ut & *Pererii* Phys. Gener. li. 9. c. 13. Ut & cum Scoti opinione ante citata, quæ Deum facit quoad effectum, Causam partialem, quæ rem aliquando non producit, Causa scilicet alterâ (etsi subordinatâ) deficiente.

Fateor tamen, si aliquid in mysteriis hisce Divinis audendum esset, me Durandi Causam (quam propugnat etiam Aureolus & copiosissime Ludov. à Dolâ) non minus saltem probabilem æstimare, quam aliorum ipsi adversantium. (Puto autem reverâ Durandum & Bellarminum idem sensisse; etsi & Bellarminus & alii Jesuitæ honoris gratiâ necesse habere sibi videntur contra Durandum aliquid effutire, sicut & Dominicani & Janseniani contra Calvinistas; ne odio scilicet nominis culpati inter suos graventur. Durandus enim minimè diffitetur, Deum agentium omnium substantias, naturas formales, potentias, vires, seu virtutes agendi, qualitates naturales, objecta, concausas, & circumstantias necessarias, continuâ sustentatione, & influxu activo conservare. Et hoc ille putat esse reverâ concursum ad actum sufficientem universalem.) Et ab omnibus ferè tenetur Durandi opinionem si modo veram, esse omnium accommodatissimam, ad difficultates circa mysteria hæc expeditè solvendas. Et videtur sanè experientiæ esse congruam; & opinionem contrariam creaturarum naturam denegare. Formis enim activis inest non nuda *Potentia*, sed & *Virtus*, *Vis* & *Inclinatio* ad agendum; ita ut ad agendum, vel non agendum, non omninò indifferens sit: Sed sicut *materia passiva* opus habet *motore activo* ut *moveatur*; ita *formæ activæ* opus est *impedimento* ut *non agat*, causâ scilicet activâ resistente fortiore, vel materiæ passivæ pondere nimio vel vinculis activas vires superante.

Fateor sine rubore, me non facilè crediturum, si Rupes in aere per filum vel catenam pendere fingeretur, quod filo aut catenâ dissectâ, decidere tamen non possit, neque deorsum moveri, sine immediatâ Physicâ efficaci prædeterminanti præmotione; si Gravitas ejus, & Terræ, Aeris, &c. natura continuentur, & omnia impedimenta absint. Potiùs opinor Potentiæ miraculosæ opus esse, hanc rupem in aere sustentare ne decidat. Quid enim! nonne pondus continuatum est ad descensum inclinatio? Quare autem vis ad movendum inclinata non moveat? Et quare Inclinationis hujus sustentatio, concursus ad actum universalis non diceretur? Et quare non judicarem, quodcunque Deus ut causa prima agit constanter & ordinariò in revolutione & operationibus rerum naturalibus, hoc ipsum per naturæ principia agere? Ipse quidem puto Potentiæ Divinæ motione determinante magis opus esse, ad domum in ruinam lapsuram fulciendam, quàm ad ejus runam: Et magis potentiam illam agnosco in corporis mei infirmi & valetudinarii continuato motu, quam si in sepulchro à motu diu quietum esset. Suppositio naturali concursu ad motum Solis, Divinæ Omnipotentiæ prædeterminatio apparet, in cursu ejus (ut in Diebus Joshuæ) sistendo. Maris Rubri item cursum sistere, & ignis calorem corrumpentem frænare, Dan. 3. Potentiæ Divinæ eximiæ fuere operationes, (& non tantum operationum usitatissimarum cessationes:) Naturam enim activam ab agendo frænare, inclinatione naturali continuatâ (id est, formâ ipsius rei) *potentiâ fortiore*, vel impedimenti vires superante opus est. Aliter quorsum sunt formæ omnes, seu Virtutes & principia Activa? Æquè facilè per Potentiam Divinam Physicè prædeterminantem, movetur lapis & ignis, vel descenderet pluma & saxum. Quorsum igitur, gravitas, levitas, &c? Quare sibi sin laudem esse putat Artifex, si automaton, vel illud quoad minimo suo opere & auxilio diutiùs moveretur, faciat? Nonne quia aliquantulum ad artis Divinæ præstantiam accedere videtur, qui verè automata solus facere potest? Nullane Machinæ hujus Divinæ pars vel minutissima vel maxima, se movere potest sine Physicâ præmotione immediatâ? Nonne in dedecus summi Artificis mundi hæc

cedit

cedit doctrina ? saltem dicere audeo, Durandi doctrinam non æquè improbabilem esse, ac Prædeterminantium (Alvaris scilicet Twissi, Rutherfordi, &c. doctrina est certissimè falsa.

Arg. III. *Effectus definitus vel determinatus, non esse potest à causa indifferenti seu indeterminatâ. At Voluntas, positis omnibus ad agendum requisitis ex parte Intellectus, objecti, & suarum virium, indifferens est ad hunc aut illum actum eliciendum: Ergo ab alio determinari necesse habet. Ergo à Deo.*

Ita Alvarez Disp. 23. hoc argumentum format, & simile habet Camero in Resp. ad Epist. Viri docti, & contr. Tilenum, etsi ad finem diversum, & alii plurimi.

Resp. Quoniam Cameronis professa opinio est, Deum Voluntatem tantum ad actus bonos, determinare, & non ad actus qui mali sunt, sibi ipsi incumbit suum argumentum refellere, in quantum ad plus probandum tendit, quam ipse voluit. Ad Alvarem autem & ejus sequaces dico, 1. Causa indeterminata dicitur, vel quoad *Habitum*, vel *quoad Actum* (ut distinguit Durandus voluntatis determinationem.) De posteriore tantum jam agendum est.

Causa item ante actum *indeterminata* dicitur; & in actu completo *determinata*, & in *conatu* vel primo potentiæ exercitio *se determinans*.

Major in sensu diviso falsa est. Causa quæ jam indeterminata est, se statim determinare potest; Potentiam scilicet habet se determinandi. Sed sicut omne quod est, dum est, necessario est, id quod est, ita causa indeterminata dum indeterminata, necessariò indeterminata est, necessitate scilicet Existentiæ. At Potentia se determinandi est Voluntati Essentialis: Major igitur Voluntatem negat esse Voluntatem, & ita hominem esse hominem.

Obj. *At indifferens est ad agendum, vel non agendum, ad hoc aut illud.*

Resp. At sese ex Indifferentiæ statu eximere potest. Videat Lector eruditus quomodo Scotus in 2. sent. dist. 25. & passim probat Voluntatem, & Agentem, & Patientem esse posse, & quomodo eadem forma vel facultas potest esse in Potentia & in actu, ut & actum suum producere: Et quomodo probat Voluntatem solam suas volitiones, vel actus effectivè, & totaliter causare. [*Et Rationale est*, inquit, *quod tam nobilis perfectio animæ, cujusmodi est Voluntas, quâ Anima est in actu primo, possit exire in actum secundum, quo anima formaliter perficitur in actu secundo, nullo alio activo requisito.*] Et ad hoc ipsum argumentum respondet, [*Quod aliqua est forma in potentia contradictionis, ut scientia, quæ est contrariorum; & ista non potest se determinare, quia est diminuta & imperfecta quantum adhoc, & respicit utrumque contrariorum: Unde Arist. vult, quod si ex se sine alio determinante procederet ad actum, simul produceret contraria. Alia est forma & Potentia indeterminata perfecta tamen & non diminuta, objecto sibi præsentato, cujusmodi est Voluntas:* [*Et ista potest se determinare, & etiam alia.*] &c.

Et ad Object. *Quod movens & motum non sunt idem*, dicit, [*Non solum indistincta subjecto, sed unum & idem simplex potest esse movens & motum.*] Postea tamen dicit, *Voluntatem ut Recipientem formaliter differre à seipsâ ut agente. Voluntas, inquit, in quantum Potentia activa quæ potest elicere suam Volitionem, est alia formalis ratio à potentia vel ratione Recipiendi suam Volitionem ipsam perficientem.* Et fortasse opinionem illam suam hic respicit, quam in 1 sent. sæpe tradit, Quod *conatus vel eductio actus eliciti Volitionis est actio; sed ipsum Velle, (& ita intelligere) est qualitas.* Et ita distinguit animæ motum in actu eliciendo, ab eodem actu ut *perfecto*, & in anima recepto. Quo sensu dicit non tantum *Intelligere*, sed *Velle* etiam, esse primò actum, at in perfectione *quoddam pati*; vid. & in 2 sent. dis. 37. sed an Velle sit Qualitas ad controversiam præsentem parum attinet.

At fortasse Argumentum peritiùs & fortiùs à Camerone contra doctrinam nostram formari videbitur. Resp. ad Epist. Viri docti cap. 7. pag. 757. Ed. Gen. fol. Quod quidem insolitâ fiduciâ ita tradit. [*Cum statuitis*, inquit, *Voluntatem impelli à seipsâ, vultisne eam à sese impellente impelli; vel à sese quiescente ab omni impulsu. Non potestis hoc Velle. Nam quod impellit, id necesse est sit ipsum in actu: quod autem*

autem quiescit ab actu, in actu jam non est: Ergo Voluntas non impellitur à Voluntate quiescente ab impulsu sui; superest igitur ut eam impelli statuatis à seipsâ seipsam impellente: Sed & hoc æquè impossibile est. Nam impellens Voluntas in actu jam est; alioqui quiescit: non quiescit autem quando est in actu; nec in actu est nisi unà eàdemque operâ velit aut nolit. Itaque impellens Voluntas Nolitio quædam vel Volitio est. Voluntas igitur a Volendo aut Nolendo impellitur ad Volendum aut Nolendum.]

Resp. 1. Sophisma hoc, ut dixi, ad ipsum Cameronem attinet refellere; ut cui videtur, Voluntatem moveri ad Bonum non a Deo immediatè, sed per objectum & Intellectum: Et ad actus malos a Deo non determinari. Et ita juxta sententiam ejus, in omnibus actibus, tam bonis quam malis, Voluntas seipsam determinat. *Objectum* enim & *Intellectus*, in aliâ causalitatis specie operantur, *Moraliter* scilicet & *Finaliter*. Utrum igitur Voluntas *Quiescens*, an in actu seipsam *efficienter impellat* vel determinet, ipsi declarandum restat.

2. Argumentum non minùs probat, *Deum* creaturam se determinaturam facere quidem non posse: Quod audacter nimis & periculosè assertum erit.

3. Et mihi videtur contra omnes Dei ipsius operationes liberas insurgere; nisi teneat Thomistarum doctrinam, Actiones omnes Divinas esse unicam æternam & necessariam ex parte agentis, & sine ullâ *diversitate* aut *inceptione*, inceptos & diversos producere effectus.

4. Impropriè dicitur Voluntas se *impellere* ad actum; & propriùs eam *actum suum elicere*.

5. Neque quod *impellit*, neque quod *elicit*, necessariò est in actu secundo, in instante priori. Imò neque in sensu composito, si verum est illud, *Omnis motus est à quiescente*. Horologii pars gravitans, vel pondus, ut quidam putant, non agere dicenda est, nisi Gravitas sit Actio, & lapis manum dolorosè premens, etsi non moveat, tamen agit: Vim & impressionem sui ponderis lapis etiam quiescens dat terræ aut ligno eum ferenti.

6. Dico autem cum Scoto, Voluntatem antea quiescentem (quoad hunc actum) seipsam jam movere, vel actum suum elicere, id est, *Vult*; & actus sui est efficiens, & eodem momento est, & movens & motum: Et Voluntatem ut moventem distinguendam esse à Voluntate ut motâ: Et conatus primus est *agere*, etsi in primo instanti non est *Volitio*. Et nonne Philosophi plurimi eodem modo distinguunt Actionem à Passione? Quid autem si cum Platone diceret aliquis, *Animam semper agere, at non semper intelligere aut velle, & ideo non semper ejus actionem percipi?* Quia actionem ejus non percipimus nisi facultatem sensitivam simul moveat, & illa in Spiritus vel animales vel vitales agat: Sicut Anima sensitiva non dolet ante vulneratam carnem sicut postea. Si ignem fingas sine objecto subsistentem, semper habebit actum immanentem lucis & caloris; non autem aliquid illuminabit, aut calefaciet, donec objectum admoveatur. Proculdubio anima semper agit.

Sin autem vera sit opinio Scoti, *Actus Immanentes suos Terminos habere intra ipsum agens*, Sophismati huic facilè respondetur. Et non Scotus tantum 1 Sent. Dis. 27. q. 3. sed & Gabriel, Durandus, Bonaventura, 1. d. 3. a. 1. q. 1. Anton. Aud. Met. 9. q. 4. Suarez Disp. 48. s. 2. n. 8. Sarnanus in Concil. Tho. & Scot. ejusdem sunt opinionis. Aut si verum sit illud Aquin. & ejus sequacium (Ferrariens. li. 2. de an. q. 22. & li. 2. Cont. Gent. c. 82. Soncin. Met. li. 5. q. 26, &c.) Etiam Scoti Quodlib. q. 13. actiones immanentes non veros esse Motus, facilè tunc solvitur dilemma, à *quiescentia* vel *impulsione*. Et ipse quidem Dr. Twissus adeò audacter hoc asserit, *Immanentes hos actus esse mutationes subitaneas sine motu*, ut extra controversiam ponendum esse dicat, *Etiamsi Jesuitis minimè placeat*.

Mei-ipsius autem hæc est opinio, *Intellectionem* & *Volitionem* significare, 1. Actum Animi Intellectivi simplicis ut in se; 2. Actum illum ut in & per animam vel facultatem sensitivam & Spiritus, cum quodam sensu interiore exercitum. In priore sensu, motus corporalis, id est, loco-motus proculdubio non est; Quid autem sit Spiritus Intellectivi motus non clarè satis adhuc percipimus. At

ut Spiritus corporeos movet in actûs consummatione vel effectu, aliter se res habet.

7. Voluntas non tantum est causa mutationis, vel actus sui, sed etiam in Causalitatis genere, est quædam causa prima, ut ante dictum, secundum quid, *viz.* est Causa prima dependens vitalis efficiens physica determinans liberè in specie morali. Neque hoc (sed contrarium) injurioſe contra Majestatem Divinam dici jam probatum est; quia ipse hanc Liberam Potentiam creavit & continuo sustentat; & ita solus Absoluta Causa prima est. Quæstiones autem omnes non ultra Causam primam deduci possunt. Planè igitur dicimus, *Voluntas Volendo vult.* Actum Volendi immediatè per Potentiam & Inclinationem producit, & non per alium antecedentem actum. Aliter de actus etiam illius causâ inquirendum esset, & ita in infinitum. Nulla igitur est Voluntatis impulsio ad Volendum a sese præter ipsam *Potentiam* (quæ *Virtutem, Vim* & *Inclinationem* aliqualem continet,) & *Actum.* Potest agere vel non agere, hic & nunc, de specie saltem actus: At *activa* tamen potentia est, ad agendum in genere *naturaliter inclinata*: Potest hoc particulare bonum Comparatum velle aut nolle: At facultas est ad Bonum quâ Bonum Volendum naturaliter inclinata. Quandocunque autem agit Voluntas, facultas ante quiescens, id est, non Volens aut nolens, per ipsam *Potentiam*, Virtutem, Vim activam & Inclinationem, sine actu impellente alio, se mutat a non-Volente, in Volentem, aut a non nolente in nolentem.

8. Et nonne hoc a rigidis prædeterminationis assertoribus juxta principia sua etiam asseri necesse est? dum tenent Deum in Voluntate humanâ (ut & in omnibus) effectus Volitos producere nudâ suâ *Volitione*, sine motu aliquo vel impressione ullâ factâ in Voluntatem. Tres maximos hujus classis nomino Theologos. 1. Bradwardinam; qui tam sæpe hæc recitat, ut ea transcribere non opus sit. 2. D. Twissum qui dicit, Vind. Grat. li. 2. Par. 2. Crim 3. c. 15. § 9. pag. 348. Col. 2. *probabile esse nullam motionem a Deo recipi in Voluntatem, sed quia Deus velit Voluntatem Creaturæ velle aliquid, necesse est ut velit: Ratio* (inquit) *hæc est cujus solutionem mihi expediat Arminianus aliquis: solâ Dei Voluntate factum est ut mundus crearetur: Quis enim influxus Dei potest fingi præcedaneus qui occuparetur circa nihilum* &c. Obiter ego non-Arminianus solutionem expediam. Non solâ Dei *Voluntate*, sed *Omnipotentiâ* etiam mundus factus est. Neque minus necessarius est *Potentiæ influxus, emanatio* vel egressus operativus, *ad aliquid*, quam in *aliquid*: Neque necesse est antecedens aliquod objectum recipiens esse, ad hanc *Potentiam* exercendam; Proculdubio non minor Potentiæ operatio est, aliquid ex nihilo ad extra creare, quam qualitatem aliquam mutare, aut aliquid movere. Actus immanens nil ponit in objecto. Nonne ita ipse, dixisti de decretis? Si nulla Divinæ Potentiæ vis ad extra esset exerta, mundus nunquam extitisset. Ineptissimum igitur medium infers a *Creatione* ad *Volitiones*, quoniam non minorem sed majorem Vim aut Virtutem exerendam dicimus, ad mundum producendum, quam ad odium Dei in Voluntate causandum: *Majorem* dico, non quoad principium, (ita enim omnis Potentia Dei est omnipotentia,) sed quoad modum operandi.

Attamen ex hac opinione vestrâ sequitur, Vos non opinari Deum Voluntatem unquam mutare motione ulla vel impressione facta in Voluntatem.

3. Amesium addo, qui Antisynod. de Grat. c. 2. p. 255 inquit [*satis esset apud omnes pios dicere, Dei Velle sine ullâ impressione intercedente certe posse efficere ut Voluntas consentiat ipsius Vocationi.*] (At efficere sine vi aut virtute Communicatâ aut sine effluxu operativo virtutis agentis ad effectum, est efficere sine causatione, vel sine effectione, id est, contradictio.) etsi meipsum fateor cum Suarezio, Schiblero, Alstedio & aliis plurimis existimare Principia Activa Divina esse trina, non bina tantum, *viz.* Potentiam activam, Intellectum, Voluntatem. Ex hisce tamen liquet, juxta opinionem, Twissi & Amesii Voluntatem nullum motum, nullam impressionem a Deo recipere. Ergo actus sui est *Causa prima movens efficiens*, nisi aliam adhuc præter Deum assignemus.

9. Argumentum hoc Cameronis etiam contra motum naturalem æque valet ac contra liberum. Si e. g. saxum in aere per filum suspenderetur, filo dissecto, an motum fuerit, an non? si motum erit, anne ex naturæ principiis aliquibus moventibus,

tibus, an non si non, quorsum Gravitas, aut ulla naturalia motus principia vel Causæ? Sin ita; etsi Deus concederetur esse Causa prima prædeterminans, tamen dum causa proxima naturalis est etiam determinans, quæro an se moveat ut *agens*, an ut *quiescens*? si ut *movens*, estne motus ille movens idem cum motu effecto, annon?

10. Si juxta sententiam Cameronis, *Voluntas* non primò efficienter se movet, sed *Intellectus*; Tunc aut eædem difficultates manebunt de causis Intellectionis; aut prædeterminator aliquis extrinsecus inveniendus est. Si dicatur Deum prædeterminare, de actibus malis hoc negat ipse Camero; si dicatur esse objecta, tunc etiam Deus per objecta prædeterminat; quia objectorum ipse causa est. Et si ita est. 1. Homines sicut bestiæ per objecta per modum naturæ & necessario moventur. 2. At quomodo ad Scoti argumentum respondebunt. 2 sent. disp. 25. [*Omne movens effectivè est efficiens: si ergo finis movet effectivè, finis erit efficiens. Sed omne per se agens, seu efficiens, agit propter finem: Ergo omnis finis movebit propter finem. Sed finis est primum movens, & movet priùs omni alia Causâ: si igitur moveat se propter finem adhuc ut finis movebit se in aliâ motione effective propter finem, & ita infinities movebit se propter finem, & idem infinities erit finis sui ipsius.*]

3. Ad aliud item Scoti argumentum respondendum erit, ibid. [*Agens naturale non potest esse per se causa Contrariorum circa idem passum*, &c. *sed in potestate Voluntatis nostræ est, habere Nolle & Velle quæ sunt contraria respectu unius objecti: Ergo illa non possunt esse ab agente naturaliter: Ergo non ab objecto, quod est agens* naturale.]

4. Hoc etiam addit [*Passio non est in potestate patientis, specialiter quando est ab agente naturali, sed si objectum est agens naturaliter Volitionem, & non Voluntas; igitur & Volitio non erit in potestate Voluntatis: Et sic nec merebitur, nec demerebitur per Volitionem.*] Plura ibid. vide arg. Tantum ad Majorem Alvaris propositionem.

2. Ad minorem. *Resp.* 1. Voluntas non est omnino indifferens, dum ad bene aut male agendum plerumque, imo semper per *Habitus* inclinatur. Etsi autem (ut Scotus ait) *Habitus* Voluntatem non determinant, per modum tamen naturæ eam *inclinant* ad se libere determinandam.

2. Et, ut dictum est, Voluntas est naturaliter, *Principium activum*, & magis ad agendum quam non agendum inclinata: Imò, ab omni actu & actione abstinere vix aut ne vix potest.

3. Et quantum ad actum particularem, *Habitus* ad speciem inclinando, quantum in se ad omnes hujus speciei actus individuos etiam inclinat; & Intellectus objectum præsentando, non-nihil agit ad Voluntatis erga objectum istud determinationem.

Duo hic extrema devitanda in me suscipio. 1. Non cum quibusdam dico, objectum aut Intellectum nihil ad Voluntatis determinationem conferre: Imò neque quod objectum & Intellectus nunquam Voluntatem infallibiliter se determinare procurant, Tantum enim ad Cameronem accedam, ut dicam, aliquando rem ita evenire. Imò quandocunque Intellectus Voluntati præsentat, vel finem unicum, vel medium ad illum unicum, vel objectum sub omnimodâ ratione boni, idque clare & vivaciter tunc semper Voluntas secundum talem objecti præsentationem sese efficienter determinat.

2. At nego *Objectum* aut *Intellectum* unquam proprie, id est, in genere causæ efficientis Voluntatem determinare: sed tantum moraliter & in genere causæ finalis, aut objectum proponentis, Voluntatem sese efficienter determinare procurant. Proprie neque *Finis*, neque *objectum*, neque *Intellectus* eam determinant; sed ad sui ipsius determinationem sunt causæ quædam sine quibus non, vel occasiones, vel causæ actus *materiales*. (Reverâ enim (cujus hic non est probandi locus) *efficiens* tantum proprié Causat; *Materia* & *forma analogicé*, *constituendo*; & *finis* est tantum *Objectum primarium*, & objectum non veré Causat, sed operationem efficientis convenienter terminat:) Et intellectus tantum objectum apprehendit.) Sin autem hujusmodi Causationem impropriam *Voluntatis Determinationem* aliquis appellare mallet, loquatur ad sui ipsius placitum; de verbis ipse litigare nolo.

Idem est argumentum quod in Herel. cordo invenitur Disput. select. p. 226. & cui pro causâ hac totus Confidit, *viz.* [*Quod est in Potentiâ non potest reduci in actum, nisi per aliquid quod sit in actu: sed omnis Causa secunda est in potentia antequam agat*, &c. Ergo---

Resp. Ad Majorem; si de reductione efficienti loquatur, per causam quæ in actu est, ad hunc actum efficiendum, nego majoris veritatem. De potentia quidem passivâ verum est: Potentia autem Activa si vera, est essentialiter potentia agendi.

2. Ad minorem dico, Causa secunda hîc etsi non in actu, est tamen pluſquam in nudâ potentiâ; est enim in Potentiâ, vi, virtute, inclinatione, habitibus præditâ; quæ, suppositâ sustentatione Divinâ & concursu universali, & objectorum & concausarum præsentiâ, & impedimentorum absentiâ, ex se actum statim produceret, Ignis qui in potentiâ tantum est ad stramen hoc comburendum, id tamen citò combureret, si admoveretur: & sine aliâ prædeterminatione physicâ, nisi morali, & non impeditione, concursu universali supposito, Ignis Londinum nuper Anno 1666 combussit. Et præservatio trium confitentium Dan. 3. Magis miraculum fuit, quam straminis unius combustio. Absit impedimentum, & causa activa ad motum disposita se movebit, & ita Voluntas vitiosa peccabit. Sed revera Anima, imò Voluntas est semper in Actu, quamvis non semper in hoc aut illud objectum, aut hoc aut illo modo morali (aut naturali) agat. Non igitur non agens se in actum suscitat, sed semper agens actionis modos, & objecta mutat.

Arg. IV. Ita porro Alvares argumentatur [*virtus quæ respicit finem movet & applicat cæteras potentias ad suas operationes sed Virtus Dei respicit finem omnium Causarum secundarum: Ergo*---

Resp. 1. Quomodo *Deus* finem intendere dicatur jam dictum est: Non quidem sicut homines qui bono carent, & fine non semper, fruuntur. Ab impropriâ igitur locutione, & in re nobis ignotâ, argumenta non sunt assumenda. Durandus dicit, *Deus non habet finem; sed Actiones Dei finem habent.*

2. Voluntas est Virtus quæ finem respicit humanum: Et potentias cæteras quidem ad suas operationes applicat: Non autem Intellectum aut potentiam absolute aut despoticé regit.

3. Regula non tantum tenet de potentiis diversorum suppositorum, quantum de ejusdem suppositi potentiis.

4. Concedatur quod cæteras potentias Deus applicat ad operationes illas quæ rationem medii habent; idque perfectissime: At peccatum non est medium, ad finem a Deo intentum, sicut jamjam demonstratum est. Etiam juxta Dominicanos, non peccatum, sed peccati permissio *Medium* hic dicenda est: Ergo Deus peccata non prædeterminando efficit, sed permittit. At neque ipsam permissionem plerumque saltem tale *medium* dicendam esse jam probatum dedi. Plurima quidem quæ nunquam sine peccato extitissent sunt media complacentiæ divinæ: At non ipsum ideo peccatum. 1. Finis Dei est Voluntatis ipsius complacentia, vel Amor. Et ita Ipse Deus: At peccatum non est medium ad Complacentiam Voluntatis Divinæ, & ad ipsum Deum. Ergo.--- 2. Medium omne eligitur a finem intendente: Peccatum non eligitur a Deo---Ergo non est ejus Medium. Cætera non repetam.

5. Deus media vult applicare; At suo modo, non nostro: sicut *viz.* Intellectui & Voluntati ipsius congruit & placet. At modus Divinæ applicationis & usus Causarum secundarum, non est per prædeterminationem physicam jam oppugnatam, ut probatum est; sed juxta rerum naturas; & admodúm ipsi placet causarum liberarum exercitium liberum; quod igitur ordinarió alterare non vult. Voluntas Regis proxime regiminis fines respicit; Quæ itidem Causas secundas ad suas operationes applicat. At modo sibi convenienti, per Leges scilicet & judicia, & non omnia faciendo quæ facere potest. Et ita Deus mundi Rector, in Regimine suo per leges & media Moralia, Sapientiam suam potius glorificare amat, quam omnia vi omnipotenti & efficaci movere sicut violenter lapidem movemus.

2. Ad minorem, jam & antea respondetur.

Arg. V.

Arg. V. Ita etiam argumentatur Alvares, *Deus est causa finalis applicationis Causarum secundarum: Ergo est Causa efficiens ejusdem applicationis.*

Resp. Aut de Deo ut fine intentionis suæ, aut intentionis humanæ, loqueris. Si de priore, (quod opinor) jam satis responsum est: Idem enim fere dicis quod in argumento antecedente. Si de posteriore, negatur consequentia. Ejus est efficere hic cujus est intendere: Optimi imperfectè bonum intendunt: Optimi ergo defectivè media adhibent: Peccatores vel Deum non intendunt, vel media non rectè adhibent. Voluntas quidem Divina, & ita vel in tantum ipse Deus, est Alpha & Omega, prima Efficiens omnium, & finis ultimus. At ut dictum est, Peccandi actus modificatus, vel in specie, non est inter media Divina numerandus.

Nostrates D. Caudreius & Palmerus viri præstantes in Sabbat. Rediviv. part. 2. ch. 3. p. 138. dicunt [*Neque timere opus est ne hoc modo Deum instrumentum multò minùs ne authorem peccati, vel omnis vel alicujus, propter concursum hunc faciamus: 1. Deus enim tantum ut agens Naturalis concurrit; servi ut volantarii; & differentia ista palpabilis est; nisi diceremus venenum aut ensem peccati reos esse, quoniam ad homicidium, alterum ut naturale, ut artificiale alter, instrumentum concurrunt.*] Quis horum verborum sensus est, non facile est expiscari. Proculdubio viri sancti nunquam opinati sunt, Deum agere ut venenum & ensis, naturaliter, id est, nescienter, cæcè, & involuntariè. Omnia enim Deus facit sicut Deus, summa nimirum sapientiâ & Optimâ Voluntate. Hunc igitur verum eorum fuisse sensum autumo; *viz.* [Concursum Divinum ad actiones naturales, & ita ad morales qua Actiones in genere, à Deo præstitum esse, ut *Naturæ Authore*, qui in Creatione suâ Legem quandam tulit de creaturarum omnium naturâ & potentiis sustentandis, & motibus naturæ uniuscujusque consentaneis juvandis; Qua lege se volentem & quasi obligatum declaravit, dum mundum sustineret, suum concursum & auxilium naturæ necessarium ordinariò præbere: Salvo tamen ejus jure Dominii quo vel ordinarium auxilium subtrahere, vel extraordinarium conferre, ad libitum possit. Ita ad generis humani procreationem, concurrit Deus, non quidem ut Agens merè naturalis, nescienter & sine electione; sed tamen secundum Decretum vel Legem à Creatione quasi stabilitam, qua se principium operandi (& sapientissimum & Voluntarium) naturæ rerum secundum proprias differentias, naturalium, aut liberorum, dedit; sicut sub se etiam solem dedit mundo inferiori causam generationum variarum universalem. Et ita Deus cum adulteris concurrit, secundum hanc primitivam naturæ legem, ad prolis procreationem, & cum homicida in homicidio & cum omni peccatore, dum scilicet cursum naturæ primò stabilitum non subvertit, neq; naturam destruit, nec vires à peccaturis subtrahit; sicut neque solem vult obnubilare ne furem vel homicidam dirigeret. Et ita, ni fallor, hi viri sancti dicunt Deum, *Causam Naturalem*, ut est naturalium omnium operationum principium stabilitum: At ita naturâ & voluntatis verâ libertate utitur, & eam tuetur, at non destruit: Et operatur, ut sæpe dictum est, ut *Causa Universalis*, ut Sol ad plantarum generationem, in hac naturali sua Causatione; at non per prædeterminantem omnium præmotionem.

Argum. VI. Tertium Alvaris argumentum disp. 23. tale est [*Deus est Causarum omnium secundarum Dominus: Ergo eis utitur & quando & quomodo ipsi placet.*

Resp. Concedo totum: At desideratur quæsitum. Ipsis per modum prædeterminationis in actibus peccati, uti Deo non placet.

Sed instat [*Non tantum Actio sub Dominio Divino est, sed & Determinatio ergo Deus utitur eadem applicatione seu Determinatione: Ergo Voluntatem determinat vel applicat.*]

Resp. Quid est actus Voluntatis nisi ejus determinatio. Si de actione in specie morali dicis, Resp. ut ante; Deus actione nostra utitur suo modo, non nostro; ut ipsi placet, non ut nobis: Et Voluntatis potentiam se determinandi Liberam sustentare, & Legibus gubernare, & quando placet res extraordinariò mutare, hic est usus actionum humanarum, qui Deo placet: Et nostri non est alium ipsi imponere.

Ultrà

Ultra hoc concedo: Omnis animæ actus a naturali, vel habituali aliqua inclinatione plerumque provenit. Deus autem Author est spirituum materialium, & sensus, & appetitus sensitivi, ex quorum operatione per accidens sæpissime peccatur. Quando enim Ratio obnubilatur vel dormit, & sanctitas deest, sensualis appetitus effrænis, indomitus & superior est: sensus autem & appetitus qua tales, a Deo: Quod autem effrænes, indomiti & inordinati sunt, hoc est ex absentia sanctitatis cujus est eos frænare & regere, ut etiam ex corruptâ eorum constitutione: Neque hujus, neque illius Deus Author est: Homo enim sanctitatem suam abjecit; Deus eam non abstulit. Deus autem Naturæ conservator non ideo vult sensus & appetitum annihilare, quia homo Rationem & sanctitatem eos regentem perdidit. Si auriga sedem suam deserit, anne alius igitur equos ejus regere obligatus est?

Argumentum Alvares concludit cum illâ sæpe repetitâ absurditate; *Deum scilicet esse causam actus, non autem obliquitatis.* Quasi scilicet obliquitas aliam ullam causam aut haberet, aut habere posset, præterquam Legis, humanæ naturæ, objectorum, & actus modificati, Causas? Et peccatum quidem esse Relativam Inconformitatem, præter ea quæ ex Twisso & aliis citantur, Durandi etiam calculum hic addere placet, in 3 sent. d. 23. q. 3. [*De determinatione autem actus ad bonum & malum secundum esse morale aliter dicendum est. Ad hanc enim determinationem quamvis nihil faciat Habitus per se, facit tamen per accidens. Quod enim habitus non facit per se, ad talem determinationem, patet: Quia Bonitas & Malitia actus moralis consistunt in conformitate vel difformitate ejus ad rectam rationem, ut ostensum fuit in li. 2. Conformitas autem & difformitas sunt respectus seu Relationes, ad quas non est per se & immediate aliqua actio; sed solum mediante fundamento ut patet ex 5 Phys. Et ideo nihil potest esse per se causa talis Conformitatis vel difformitatis, seu Bonitatis & Malitiæ nisi illud quod est per se Causa entitatis actus secundum esse naturæ quæ est fundamentum talium.*] Desiderata in hisce verbis quædam prætereo; Naturam peccati tantùm jam notandum volo.

Alvaris Argum. 4. Jamjam refutatur: Et decem contra ipsius causam Argumenta quæ recitat, ipse frustra conatur refutare. Ut etiam 12 Argumenta in Disp. 24.

In Disp. 24. Concluſ. 1. Si de Decreto Dei immanente tantum loquitur nihil ad rem dicit. Si de efficientiâ Divinâ, Textus ab ipso citati nulla præterquam jam data indigent responsione. Deus operatione morali homines sibi instrumenta facere potest, permittendo eos secundum vitiosas eorum voluntates agere, sine ullâ ad hæc determinatione physicâ: Quæ ad omnia ejus dicta sufficiens est responsio.

Argumenta ejus pro secunda Concluſ. sunt 1. Augustini. 2. Thomæ authoritas. 2. Sæpe repetitum argumentum, Deum Causare actum, non malitiam. 4. Arguit tantum respondendo ad argumenta pro contrario; & dicit Doctrinam de concursu simultaneo Deum æque causam peccati facere: Et cum respondetur, Hunc non esse ad malum determinantem sed indifferentem (Medicus enim qui ægroti vires restaurat, non culpandus est si iis ad adulterium hic abutatur) dicit, *Concursum indifferentem facere duo principia*; Et hæc sæpe refutata, sunt ibi Alvaris totum.

Quintum & ultimum ejus Argumentum est: *Providentia Divina ad omnia se extendit. Ergo physicé omnia prædeterminat.* Quasi Permissio nulla providentiæ pars esset, Aut Deus necesse haberet ita omnia agere, non ut ipsi sed nobis visum fuerit. Providentia extenditur ad omnia secundum sapientiam & Beneplacitum divinum. Imò doctrina prædeterminantium Permissionem omnem Divinam penitus negat. Dicere enim Deum per prædeterminationem fundamentum effective ponere, & deinde Relationem difformitatis inde resultare permittere, est dictum ludentis, non serii aut Theologi aut Philosophi.

Alvares præter hæc in Disp. 211. Contra indifferentiam Divini concursus ita argumentatur.

Arg. 1. *Ab eo quod est indifferens ad utrum libet non sequitur aliqua actio, nisi determinetur ad unum ab aliquo alio.*

Resp

Resp. Ad hoc jam plene respondetur. 1. Non est omnino Indifferens, etsi non determinata Voluntas. 2. Determinari potest ad unum ex *objecto Finaliter & Materialiter*, per Intellectum Moraliter; & per Potentiam propriam inclinatam, Effective.

2. Arg. aliud addit respondendo, & Secundùm hujus simile est [*Aliter Causa secunda primam determinaret, Quod imperfectionem in causa prima implicat.*

Resp. 1. Causam primam non determinat secunda, sed tantum se determinando, & effectum proprium producendo, vel non, auxilio Causæ primæ vel utitur vel abutitur. Neque ex imperfectione Causæ primæ oritur, quod lege naturæ suum auxilium universale ita limitârit, ut effectùs nihilominus esset in potestate causæ (& primæ &) secundæ; sed ex sapientia & libera Voluntate causæ primæ hoc provenit: Hoc enim sibi optimum visum est. Et imperfectionis potiùs esset, si causam se determinantem creasse non potuisset.

Hisce etiam ad ejus Arg. 4. & 5. ibi, satis respondetur.

Arg. 3. est [*Deus est Bonus; ergo non indifferenter ad Bonum & Malum concurrit.*]

Resp. 1. Deus est Bonus; multò minùs igitur ad malum efficaciter omnes prædeterminat. 2. Etsi concursus hic Divinus non determinet, non tamen *Indifferens* dicendus esset: Quia ille qui Voluntati dedit innatam ad Bonum inclinationem, & Rationi lumen ex quo Bonum à Malo possit discerni, & tot & tantis hortationibus & aliis mediis ad Bonum promovendum usus est, non Indifferenter inter Bonum & Malum se gerere æstimandus est.

3. Etsi *Universalis* hic *concursus* quem *Deus* ut *Naturæ fons* aut *principium* toti rerum Naturæ ordinariò concedere decrevit, indifferens fuisset ad Bonum Morale & ad Malum; non tamen sequitur *Deum* esse indifferentem: Quia sicut *Natura* & *Mores* distinguuntur, ita *Naturæ* & *Morum* causatio: Et *alio* convenientiore modo Deus Bonum Morale causat, & Malum non causat; non autem utrumque indifferenter irresistibili vi prædeterminante, ut vos Dominicani falsò existimatis; si medicus *vires* ægrotantis restituit, quæ ad Bonum & Malum Morale sunt Indifferentes, non sequitur tamen Medicum esse ad Bonum & Malum indifferentem; qui ut ad Bonum, & non ad Malum suis viribus utatur, patientem suum frequenter, & seriò hortatur; etiam & filios suos sanatos Regimine effectuali à flagitiis vigilando præservat.

Et per Naturam & Leges, & per Gratiam communem, Deus Bonitatem suam in tantum humano generi communicavit, quantum sufficit ad calumniam hanc indifferentiæ, refutandam; & multò magìs blasphemiam de flagitiorum omnium principali causatione; & ad sanctissimi Gloriam mundo demonstrandam. Et sicut Franciscus Macedo dum liberum arbitrium contra Tho. Whitum tuetur, in *Indifferentia* id positum esse negat; ita qui hoc nomine Indifferentiæ utuntur, nil aliud intelligere videntur, quàm *Indeterminationem* & se determinandi potentiam *sine necessitate causatâ* (ut loquitur Rob. Baronius in Metaphys.)

VII. Argumentum aliud restat tritissimum [*Actionum contingentium futuritio à Deo præsciri non potest, nisi in decreto suæ prædeterminationis; quia non sunt enunciationes de harum futuritione, determinatæ veritatis.*

At ad hoc copiosè antea Respondetur in Thesibus de Præscientia & Decretis Divinis.

VIII. D. Nortonus (Theologus novæ Angliæ moderatus) in Evangelist. Orthod. p. 150. hæc de prædeterminatione profert, consideranda.

[1. *Si futuritio*, inquit, *operationis causæ secundæ per Decretum Dei determinetur, tunc ipsa operatio per efficientiam Divinam determinatur.*]

Resp. 1. Negatur Major, id est, consequentia. (2. De Minore, seu Antecedente copiosè jam dictum est.)

Rationes has consequentiæ reddit. [1. *Quia efficientia Decreto adæquata est.*] *Resp.* Negatur: Non enim omninò est *Decretum efficiendi*; si daretur esse *Decretum permittendi*, si voluisset Deus Mendacii futuritionem decreto suo causare, hoc potuisset per modum *Permißionis* decretæ, etsi non prædeterminationis seu *efficientiæ*.

Rat. 2.

[Rat. 2. *Quia unicus tantum determinator absolutus esse potest.*]

Resp. Homo non *Determinator Absolutus* est, quia dependens in esse, posse & operari; Attamen *verè* suos actus determinare potest.

[Rat. 3. *Aliter Deus frustrationem pati posset.*]

Resp. Negatur. Quasi Deus nulla contra frustrationem media habeat, nobis ignota? Et etiam nobis patet, Decretum aliquod *Absolutum* esse posse & non frustratum, absque prædeterminante efficientiâ. Et si conditionale esset, in quæstionem hic non veniret.

Arg. ejus 2. est [*Aliter sequeretur, aut essentialem non esse subordinationem causæ secundæ ad primam; aut primam secundæ subordinatam esse.*]

Resp. Plena subordinatio est causæ secundæ ad primam. Non enim aliter homo agere potest, quam ut ipsi *Posse* voluit & dedit causa prima. Voluntas causæ primæ voluit hominem esse agentem liberum, se determinandi Potentiam habentem: Et sicut Voluit, ita operatur; modo scilicet potentiæ & libertati huic congruo. At causa secunda etsi subordinata, est tamen defectibilis; & jam vitiosa, & causæ primæ auxiliis quibusdam jure destituta: Neque sequitur quia *subordinata* est; ideo *prædeterminata* est, aut *perfecta*; sed in operationibus *liberis* etiam & *vitiosis* subordinata est.

Arg. ejus 3. hoc est [*Si quoties Voluntas non vult, ideo non vult, quia Deus illam ad Velle non determinavit, tunc quoties aliquid vult, ideo vult, quia Deus illam ad Velle determinavit.*]

Resp. Negatur antecedens. Quod si verum esset, quandocunque pius aliquis non odit Deum, non vult peccare, ratio non esset, quia Gratia aliqua vel sanctificante, vel frænante, fruitus est; sed quia Deus ipsius Voluntatem ad odium Dei & peccata alia non determinat; & ita quoties Deus non irresistibiliter nos ad peccatum impellit, ab omni peccandi periculo immunes sumus; & hominis salus in hoc consisteret, quod Deus ipsum non malum & miserum facit: Doctrina quidem Hobbesio, non Christiano digna. An Ratio quare Adamus non perseveravit in Deo summè amando, obediendo, &c. fuit, quia Deus ipsum ad amandum, obediendum, &c. diutiùs non determinavit? Aut alia certè ratio reddenda est, aut Religio Christiana incerta æstimanda. An aliud nihil necessarium erat ad Pauli Voluntatem a persecutione & odio Christianorum convertendam, præter cessationem Divinæ impulsionis aut prædeterminationis ad odium & persecutionem?

At Minorem ita probare conatur [*Quia non determinatio, vel divinæ determinationis suspensio, est respectu Dei causa antecedanea: Causa hæc positiva esse non potest. Causa positiva non potest terminari in non ente, qualis est hominis Non-Volitio: Ergo suspensivam esse necesse est: Mera suspensio vel restrictio influxus Divini, sine positivâ aliquâ actione sufficit ad creaturæ existentis annihilationem: Ergo suspensio divinæ determinationis sufficit ad creaturæ operationis non adhuc existentis præventionem.*]

Resp. 1. Hypothesis falsa est, prædeterminationem necessariam esse ad actionum omnium existentiam. Divina quidem *non-causatio* sufficit ad omnia annihilanda, & ad omnem actionum creaturæ præventionem: At *non-prædeterminatio* non sufficit. Si filium tuum occides, abunde sufficiet, ne in ignem aut aquam se conjiciat, aut in peccatum aliquod ruat: At dum vivit & valet, *non-prædeterminare* eum ad hasce actiones, non sufficiet. Si igne domum tuam in cineres vertas, ruinam ejus prævenies: At si sustentare velis ad ruinam pronam, fulcimento opus est. Si Deus voluntatis & cæterarum facultatum naturam, potentias, vires, inclinationes naturales, objecta, minimè sustineret, nil aliud ad actionem impediendam opus esset: At dum omnia hæc sustentat, & concursum universalem illum præbet, quem naturæ Authoris est præbere, Voluntas se determinabit aut bene aut male, sine tuâ prædeterminatione.

2. Et hic actio positiva necessaria est ad id (*mediatè*) quod nihil est, scilicet ad non-agendum: quia necessaria est *immediatè* ad id quod aliquod est; *viz.* ad *Impetum naturæ, potentiæ,* inclinationis, causæ sustentatæ frænandum, & impediendum. Neque Equum ferocem frænare nullius operis est: Neque torrentis vel amnis cursum sistere; & multò minùs *Solis:* Neque etiam naturam hominis vitiosam

tioſam & appetitum furentem à peccando impedire, modò non deſit ſuſtentatio & concurſus Divinus univerſalis. Hic autem *non nihil* eſt objectum impeditionis Divinæ, ſed Voluntas, Potentia, Inclinatio, Impetus, lingua, manus, impedita.

Quantum autem D. Nortonus perfecit in diluendis objectionibus contra ipſius opinionem, nil moror; quoniam imbecilles, quas ipſe voluit profligandas elegit; & neque numerus neque pondus deeſt in argumentis hic à me propoſitis, quæ diluere nemo poteſt. Et in gurgitem hunc omnes ipſorum devolvuntur Reſponſiones, ſicut videre eſt in Rutherfordo de Provid. 1. Deum quidem etſi omnium peccatorum cauſam principalem neceſſitantem, non tamen eſſe culpabilem, quia Legi nulli ſubeſt. 2. Deum malum cauſando, bonum intendere. Cujus patrocinii laudes nullas à Deo vel ſanctitatis cultoribus, ni multum fallor, expectare debent.

Hoc autem in D. Nortoni argumento hocce, obſervatum valdè velim; Quod concedit hic Nihil non indigere cauſa efficiente; & ita neceſſe eſt ut mecum neget decreta de nihilo; & ut Scoti negationem talium decretorum tueatur. Quod multùm ad controverſias pleraſque de decretis divinis finiendas, conducet. Ita enim concedit Deum non decernere alicui Gratiam denegare. Negare enim jam efficientiæ ſuſpenſionem tantum ſignificat, & non actum aliquem poſitivum: & ita nullum eſſe decretum de aliquorum præteritione, vel non dare fidem, pœnitentiam, &c. Et ita hominum infidelitas, impœnitentia, & omnis Gratiæ privatio vel negatio, nullius omnino decreti ſunt materia; contrarium enim non decreviſſe ſufficit. Et ita doctrina de Reprobatione poſitivâ, vel ad infidelitatem, vel de non dandâ fide negatur. Etſi etiam pœna poſitiva infidelium & impœnitentium, & infligatur, & decernatur, dum tamen non dare fidem & pœnitentiam non eſt decretum, nulla reſtat Reprobatio poſitiva, niſi de damnandis infidelibus & impœnitentibus, quod à nemine ferè Chriſtiano negatur. De electione autem aliter ſe res habet; Quia ſicut Deus aliter bonum efficit quam malum, ita decrevit aliter efficere. Videat etiam Lector an argumentum D. Twiſſi Achillæum hæc D. Nortoni conceſſio non penitus confodiat; *viz.* de Neceſſitate Cauſæ æternæ rerum futuritionis. Privationes enim & Negationes tam futuræ ſunt, quàm entia poſitiva: Et ſi rerum futurarum nulla datur cauſa, tunc nulla datur earum futuritionis. Imò futurum qua futurum nihil eſt; (eſt enim terminus diminuens quoad Entitatem.) Ideo nullam habet cauſam; & juxta hanc conceſſionem Decretum nullum: Etſi omnia poſitiva rem futuram producentia effectionem & decretum habent poſitivum.

IX. Argumentum adhuc unum proferam, quod etſi nunquam aut legi aut audivi, in mentem tamen meam irruens non premere viſum eſt.

[*Si actus idem ſit reſpectu diverſo & Bonus & Malus, tunc Deus vel cauſalitate determinante Malum cauſat, vel non cauſat Bonum; Si Dei non eſt actum aliâs Bonum determinare, quia ei relationes Malæ adhærent. tunc vix ullius actus Boni cauſa determinans eſſe poteſt; quia dum Actus ab imperfectis fiunt, partim Mali ſunt. Neque dici poteſt Deum actum cauſare quâ Bonum, & ejus Malum non cauſare; Quia Malum ejus nudâ reſultantiâ oritur ex ipſo actu cum ſuis circumſtantiis & modis, ſicut oriretur ſi nulla conjuncta foret moralis Bonitas. Qui ergo actum modificatum alias Bonum cauſat, ejus Malum conjunctum etiam cauſat: Et ita dum mala aliqua relatio actibus noſtris omnibus adhæret, neceſſe videtur Deum eſſe vel cauſam Mali, vel non cauſam Boni. Et ſi cum ſanctitate Divinâ conſiſtere poteſt, peccatum unum cauſare (propter Bonum conjunctum) quare non etiam omnia cauſare poteſt,* e.g. *Nicodemus ad Chriſtum noctu venit; Quod venit Bonum eſt; Quod noctu cum timore carnali venit, Malum eſt. Aut Deus ejus adventum hoc ipſo tempore cauſavit; aut nullum cauſavit; jam enim ſolum advenire ſupponitur.*]

Reſp. Malum bono modis pluribus, non confundendis, conjungitur. 1. Materialiter, in actibus conjunctis, diſtinguendis tamen, etſi non diviſis: Et ita Deus actum bonum cauſare poteſt, non tamen cauſans actum malum. Et hic eſt inſtantiæ jam datæ ſtatus. Deliberat Nicodemus an diſcendi cauſa ad Chriſtum veniret: Quod ire vult, â Deo eſt: At timor eum luce diurnâ accedere prohibet: Noctem

autem non per Dei aut gratiam aut prædeterminationem eligit, sed ex Voluntatis propriæ imperfectione. Ita actus eundi quâ talis à Deo Authore naturæ est; At quod noctu itur potiùs quàm die non est à Deo: circumstantia malè electa à malâ causâ est; à timore scil. malo.

2. Malum bono conjungitur ut defectus vel imperfectio cum actu imperfecto: ut quando oro frigidè, & Deum amo remisse, & laboro pigrè,& eleemosynas do non satis promptè, &c. Defectus in hisce non est Relatio ab actu resultans, sed malus modus. Etsi igitur Deus actum causat, defectum tamen non causat. Quod oro à Deo est; quod tepidè tantum oro, est à malitia cordis, vel boni habitualis imperfectione. Et hic similitudo ab equo claudicante & equisone non inepta est.

3. Malum bono conjungi potest, ut principium concomitans, vel causa partialis ejusdem actus. Ita Deus & jubet & causat hominem edere, ut ad officii sui opera roboretur, & appetitus inordinatus ad eundem numero actum instigare potest: Ita pater in actu generandi potest simul obedire, & Deo & libidini. Deus hic non culpandus est quod alia causa, mala scilicet, concurrit; sicut quando servum meum mitto Londinum, qui simul mihi obtemperat, & libidini alicui eum illuc allicienti placet; quod ex propria libidine itur, à me non est. Et idem actus est bonus quatenus à principio bono, & malus quatenus à malo. Dei non est ab omnibus suis operationibus desistere, quotiescunque causa mala sese immiscebit. Et si *finis* aliquis malus intenditur, Deus neque illius intentionem in specie causavit, neque Actum ut Medium ad finem prohibitum.

Obj. *At in hac solutione supponitur Deum cum mala peccantium voluntate concurrere etiam in plerisque peccatis.*

Resp. Concurrit quidem ut causa universalis, & omnis boni quod in actu invenitur Author est. Quod actus est, est Bonum naturale, & à Deo ut Naturæ fonte est: Quod est actus malè modificatus, & hic potiùs quàm ille rectus, non est omninò bonum, ergo non à Deo: Quando bonus est in genere moris, à Deo morum Rectore est.

Obj. *At Deus non potest esse cum creatura causa partialis aut coordinata.*

Resp. Coordinata non est; neque partialis quoad effectum proprii actus tantum: Sed, ut dictum est, potest cum limitatione arbitraria suas virtutes exerere, quantum ad *hoc* at non *ad omne*, sufficiens fuerit; & potest creaturæ potentiam etiam dare quam potest vel exerere vel non; unde actus ejus futurus est, vel non.

Alias Voluntas semper Instrumenti Divini locum haberet, etiam in omnibus peccatis, & in omnibus agendi modis; Quod falsum est. Et quando Deus non ultra agere velit quam ut *Cooperator principalis*, vel causa universalis, vel in tantum, nostri non est eum ad gradum nostræ opinionis adigere; & sicut Paulus vocat Ministros *Cooperatores cumDeo*, ita Voluntas humana in actibus suis eliciendis, concausa subordinata non ineptè dicitur; sicut à Scoto Deus causa partialis dicitur. At si ita maluisset proculdubio Deus omnia quæ contradictionem non implicant, non minùs *fine*, quàm cum creatura facere potest; & creaturâ ut instrumento tantum uti; sed aliter agere ei placet.

At illis, qui nullam *Causam partialem* agnoscant, hoc sufficit, respondendum; Lis tantum est de nomine: Vocetur si placet, me non contradicente, *pars Causæ*, si nomen *Causæ partialis* non allubescit. Materialiter diversæ causæ sunt ejusdem effectus, ubi formaliter unam duntaxat causam constituunt: Et formaliter diversæ causæ esse possunt, ubi effectus potest formaliter distingui. Aliter me illis annumero qui promptè fatentur, causas eas omnes quæ vulgo plures & diversæ esse dicuntur ad eundem effectum, reverâ formaliter unicam tantum causam ut partes constituere, (in genere scilicet efficientis.)

Obj. 4. At malum cum bono quarto adhuc modo conjungi potest supponi; *viz.* Quando actus idem, & idem modus agendi, est fundamentum simul Boni & Mali Relativi. At Resp. Falsa hæc est suppositio: Aut diversa invenienda sunt fundamenta, & termini aut non diversæ relationes, Actus quidem idem (sicut eadem

dem perſona) poteſt eſſe ſubjectum diverſarum relationum ; & non *fundamentum*, neque gratiâ ejuſdem fundamenti ; ſed aliquid præter ipſum actum eſt ibi fundamentum.

E. g. Deus me precari, conciones audire, *&c.* jubet: Per errorem ego hæc illicita eſſe judicans, juro me nunquam hæc, (hiſce ſaltem circumſtantiis,) præſtiturum ; ſi juſſa hæc faciam Deo determinante, peccata faciam, quia contra conſcientiam & votum. Actus bonus hic cauſari non poteſt, quin ſimul actus vetitus cauſetur.

Reſp. 1. Deus movet hominem ut hominem : Ergo non membra immediatè determinat ad actum orandi, audiendi, *&c.* voluntate non determinatâ ; ſi autem intellectus *preces* eſſe *peccata* judicat, Voluntas non poteſt in ſenſu compoſito, ut bonas eas eligere & fundere : Ergo ſi quis in hoc ſtatu vult orare, vult peccare, vel ad alium finem aut in alio reſpectu indebito, & non ut jubetur, hoc vult. At ad errorem illum Intellectus & Voluntatis, Deus neminem determinat ; ſin autem mens dubia ſit, diverſi erunt actus, diverſa fundamenta & diverſæ cauſæ. *Orare* quidem unum quid videtur eſſe quoad actionem extrinſicam : At cogitationes, affectus & Volitiones ibi expreſſæ plurimæ & diverſæ, ex diverſis cauſis eſſe poſſunt. Voti mali, erroris, dubitationis cauſa Deus non eſt. In actibus hiſce complicatis, totius boni, nullius mali cauſa determinans ad ſpeciem eſt.

Notet hic Lector, annis aliquot poſt hujus Diſputationis primam ſcriptionem, typis evulgatum eſſe librum eximium Jo. Strangii Scoti quem, de Prædeterminatione egregie diſſerentem, veritatis & moderationis amatoribus commendo; At Lud. Blankii Diſputationes majore laude.

Quoniam Providentia particularis à quibuſdam neganda videtur, niſi concedatur prædeterminatio omnium actionum, Diſputationem de Providentia brevem hic ſubjungendam duxi. Et quia Reprobatio in Maſſâ corruptâ à pluribus fundatur (an rectè jam diſputatum eſt) hic etiam aliquid addendum duxi de natura ejus negativâ, ut hæc quæ ſimul diſputari ſolent, ſimul Lectoris oculis ſubjiciam : Opus quidem ſupervacuum ſi rem tantùm ſpectes, at ſi dubitantia hominum & litigantia ingenia, adhuc minùs quàm neceſſarium eſt, videbitur.

Diſput. 2. *An Providentia Divina ad omnia, etiam minima & peſsima ſe extendat ? (& quomodo ?)*

PROVIDENTIÆ nomen incertè adeò & diversè à Theologis ſumptum eſt, ut quiſnam ſit ejus ſenſus uſitatiſſimus non facile dignoſcatur.

Verbum [*Provideo*] ſignificat, 1. *Prævidere*, vel ante proſpicere. 2. *Præſcire* vel ante intelligere. 3. Curam noſtram adhibere de rebus præſcitis, ut ad mentem noſtram fiant vel eveniant. 4. De mediis hæc curata perficiendi conſulere. 5. Diligentiam noſtram operibus adhibere ad ea perficienda. Et ita Nomen *Providentiæ* ſumitur, 1. Pro præcogitatione, 2. Pro præſcientia, 3. Pro præ-cura, 4. Pro Præ-conſultatione, 5. Pro actuali procurantis diligentiâ.

Inter Theologos *Providentia Divina* ſumitur, 1. Pro prævisione Divinâ cum omnibus ſuis decretis ; 2. Pro cæteris omnibus decretis, excepta prædeſtinatione, quam à providentia diſtinguunt ; 3. Pro decretis, non ut rerum exiſtentiam antecedunt, ſed ut circa creata exiſtentia verſantur ; 4. Pro omnibus operibus Divinis, etiam Creatione incluſâ ; 5. Pro curâ Divinâ efficaci, vel pro toto Dei conſilio una cum ejus operationibus, circa jam creata : Et ita Creationem excludit, & omnem Dei diſpoſitionem, mutationes, regimen, & alias operationes circa creaturas omnes includit. Et ita Ameſius *Providentiam* definit [*Providentia Dei eſt efficientia illa, quâ creaturis jam exiſtentibus proſpicit in omnibus ſecundum conſilium ſuæ voluntatis* ;] ubi videtur *Conſilium Voluntatis* potiùs præſupponere quàm includere : Sin autem ſit [*efficientia*] tunc aliquid ſemper per illam efficitur: Et tunc ad actus tantum tranſeuntes nomen *Providentiæ* applicatur. At ſenſus

hic nimis arctus videtur; quia ad Providentiam pertinet, non tantum Efficere, sed & curare ut Voluntas Dei impleatur, aliquando etiam per suæ *permissionis consequentia*. Equidem nominis sensum aptissimum non determinando figere præsumam; sed dum ad rem potiùs attendo, ad mentem meam explicandam, hæc pauca de terminis dicenda sufficiant.

Per *Providentiam Divinam*, ego consilia omnia, volitiones & operationes simul circa mundum jam creatum intelligo. Non dico [Consilia & Volitiones ut mundi existentiam antecedunt,] sed ut simul sunt cum operationibus; neque *operationes* intelligo sine *Consilio* & *Volitione*; neque de operationibus [*circa res existentes*] dico, sed *circa mundum*, quia providentia in *rebus particularibus*, de novo, efficiendis, & in existentiam producendis, sæpissimè exercetur.

2. Per [*Omnia*] intelligo, non tantum substantias, sed & accidentia, & rerum modos, & relationes: Et ita ad Entia moralia item extenditur.

3. De [*minimis* & *pessimis*] specialiter quæritur, quia de illis præcipuè ab aliquibus ambigitur.

4. Per [*extendat*] quæro, an vel *effectus* vel *objecta sint* providentiæ. Veritatem jam hisce Thesibus propono.

Prop. 1. Sicut in primâ Creatione nulla fuit pars mundi minutissima cujus Deus non fuit Creator, ita in continuâ rerum Generatione, minutissimum generatum ab ipso efficitur. Creaturæ alicujus parvitas, aut vilitas, nulla omninò nobis causa debet esse, dubitandi, an sit à Deo, vel an ipsi curæ sit.

Prop. 2. Creatura omnis vel minima & vilissima à Deo semper sustinetur.

Prop. 3. *Amor* & *Efficientia* Divina se extendit, non tantum ad rerum substantias, sed omne creaturæ bonum; scilicet ad accidentia, modos, relationes, actiones, mutationes, incrementa, decrementa, loca, tempora, &c. in quantum bona sunt.

Prop. 4. Non Majoris Deo difficultatis est, universitatis particulas omnes vel minutissimas curare, & ordinare, etiam in minimis suis accidentibus, quam si unicam tantum creaturam curandam & gubernandam habuisset.

Prop. 5. Non eodem modo se exercet Providentia Divina circa res diversas; sed circa naturalia, ut Authorem Naturæ decet; & circa moralia ut Rectorem morum; circa agentia naturalia, & circa agentia libera, juxta uniuscujusq; propriam naturam.

Prop. 6. Quodcunque verè scibile est, vel cujus cognitio est *perfectionis*, & non contradictionem implicat, perfectissimè à Deo hoc sciri, certissimum est.

Prop. 7. In quantum Deus finem intendere dici potest, fine suo nunquam frustratur, neque de spe decidere dici potest: Et quæcunque *media* ad finem suum elegit, ea omnia certissimè eventum volitum assequentur.

Prop. 8. Quodcunque Deus absolutè vult eventurum, eveniet. Etiam dum Legibus suis creaturæ Jus vel Debitum effectum velit, *Jus* hoc vel *Debitum* semper efficitur.

Prop. 9. At ubi eventum aliquem non omninò vult neque non vult, sed vult tantum illum præceptis debitum facere, & ad præstationem ejus per creaturam hortari, & eventum voluntati liberæ relinquere, eventus hic vel sequi vel non sequi potest, prout liberâ potentiâ utitur Voluntas; neque absolutâ voluntate efficaci, neque ipsa prædeterminante efficientiâ ad actus omnes (ut dictum) opus est.

Prop. 10. Sicut autem omnem actum bonum futurum à Deo præscitum esse, constat; Ita actus iidem ab ipso simpliciter, voliti sunt, quoad complacentiam, etsi non semper vult eosdem efficere in specie per modum prædeterminationis Physicæ. Voluntas enim Dei consideratur, vel ut *principium* rerum, vel ut *finis*; ut *efficiens*, vel ut *impleta* & *placita*. Non omne bonum morale vult ipse ut causa totalis determinativè præmotione Physicâ efficere; Quia causam liberam secundam vult etiam partes suas secundum suum causandi modum liberum agere:

At

At bonum unumquodque aut per Deum ipsum, aut per creatura m actum, Deo *placet.*

Prop. 11. Deus Boni Moralis eventum infallibiliter procurare potest, sine prædeterminatione voluntatis Physicâ, & sine libertatis humanæ subversione! Ita ut tanta erit eventûs certitudo, ac si nulla esset libertas vel contingentia; & tanta erit libertas & contingentia ac si nulla esset voluntas superior eventum procurans.

Prop. 12. Decretum igitur Divinum de bono futuro, non necessariò in prædeterminatione Physicâ decretâ fundatur.

Prop. 13. Per media moralia hoc Deus infallibiliter potest procurare! At tot ei adsunt instrumenta (habitus, inclinationes naturales, objecta, docentes, suadentes, beneficia castigationes, promissa, minæ, impedimentorum remotio, tentationum restrictio, *&c.*) Et adeò mortalibus inscrutabilis est influxus & operationis Divinæ modus, ut vel ad unum aliquem modum, aut medium Deum limitare, aut de modo particulariter & peremptoriè determinare, aut etiam de certitudine eventus propter operandi obscuritatem vel nostram inscitiam, dubitare, summæ esset arrogantiæ & impudentiæ.

Prop. 14. Si hæc eventuum infallibilis procuratio, dicatur *Prædeterminatio per Gratiam Medicinalem*, ut *Jansenius*, vel *Prædeterminatio finalis*, ut Gibieuf, loqui solet, & post eum Guiliel. Camerarius Scotus & Scotista, non male nec ineptè ita diceretur: At semper tenendum est quod reverâ hæ operationes Divinæ, sunt *infallibilis procuratio per modum & media Deo soli cognita, ut Voluntas humana se liberè determinet.*

Prop. 15. Ut malum morale fiat, Deus non ita causaliter procurat; sed tantum non impedit; neque vult ut fiat, sed tantum *non absolutè & omninò vult*, ut *non fiat*; sed in tantùm ut id prohibendo suum peccati odium declaret.

Prop. 16. Quandocunque igitur peccatur, Potentia Divina non vincitur, neq; Volitio aut Decretum Dei aliquod absolutum frustratur; sed *Sapientiæ* & *Voluntati Divinæ* ut Regentibus, & Debitum humanum efficaciter stabilientibus contra itur.

Prop. 17. Etsi Habitus Voluntatem non planè determinant (nam illis sæpe repugnatur,) ad ejus determinationem tamen per modum naturæ tendunt, & habitus fortiores plerumque adeò efficaciter Voluntatis determinationem procurant, ut illam determinare, etsi non simpliciter & absolutè, dici possint.

Prop. 18. Quandoquidem igitur Deus *Habitus* sanctos potentissimos menti & voluntati, & potentiæ activæ, modo suo convenienti, indere potest, & simul eorum operationes modis ante memoratis procurare, quare non Voluntatem determinare diceretur?

Prop. 19. Quandocunque Gratia Divina non absolutè Voluntatem ut Causa totalis determinat, sed post auxilia congrua adhibita illam ad se determinandam relinquit, si Voluntas in hoc casu se rectè determinet, & bonum faciat, quod Deus determinativè non causavit, hujus tamen boni, Deus non homo *Causa Principalis* est: Quia totum robur, & Lex imperans, & auxilia ad agendum sunt à Deo; etsi eventus ex Dei Voluntate, voluntati humanæ relinquatur; sicut, si in staterâ ad præponderandum millenæ auri unciæ sint necessariæ, quicunque omnes has tibi donabit, unicâ exceptâ, & requirit ut ex tuo hanc unicam addideris, ille certè plus tribuit ad pondus quam tuipse, etiamsi omne quod tribuit, sine tuo non sufficiet: Et si tuum addideris, ille tamen non minùs causa principalis est, etsi donec tuum adjectum fuerit, bilanx non pondere mutatur. Vel si Pater filium e puteo liberabit, modo ipse vel manum extendit, vel tantillum conando consensum significabit, liberatio tamen Patri præcipuè tribuenda est.

Prop. 20. Imo Deus totius Boni Moralis, etiam partis nostræ causa etsi non sola, tamen principalis, & in suo genere totalis est: Quia omnem agendi potentiam, quâ utimur, ab ipso accipimus: Actus qua actus est ab ipso ut principio naturæ. Actus quâ bonus in genere moris est *totus ab ipso* (etsi non ab *ipso solo*) ut Legibus eum præcipiente, & potentiâ ad eum voluntatem donante, & auxilia

omnia

omnia ſuppeditante, & per objecta, habitus ſanctos, ſuaſiones internas Spiritus Sancti, & externas nunciorum, beneficia, caſtigationes, &c. voluntatis rectam determinationem promovente. Et nil facit Voluntas bene agendo niſi quod per Deum, etſi liberè, facit.

Prop. 21. Bonum cadit ſub Providentiâ Divinâ directe & per ſe; Malum vero reductivè & per accidens: Idque in omnibus hiſce reſpectibus. 1. Quatenus Malum à Deo prohibetur. 2. Quatenus peccatores punit. 3. Quatenus malum eventurum non abſolutè non-vult, ſed permittit. 4. Quatenus ex occaſione mali (etſi non per ejus cauſalitatem) bonum elicit; & juſtitiæ & ſanctitatis ſuæ Gloriam demonſtrat. 5. Quatenus peccatorum malitiam infringit, & eorum progreſſus & ſucceſſus limitat. Diligenter nempe Notandum eſt ad controverſias haſce dirimendas, Quod cum Deus peccatum ad ſui Gloriam ordinare (ſive ut *Medium*, ſive rectiùs ut *occaſionem*, dicas) ſemper peccatum hic (in eſſe cognito) præſupponitur in eſſe per humanam voluntatem malè ſe determinantem: Deus enim non vult *Peccati exiſtentiam*, (aut futuritionem;) ſed *Peccatum exiſtens* vult ordinare per Sapientiam, ad finem ſuum optimum, vel potiùs inde occaſionem boni arripere: Non vult Deus ut *peccatum* ſit, *eveniat*, aut *futurum* ſit: Vult autem ex peccato exiſtente bonum producere.

Quod peccata in tantum cadunt ſub providentia probatur, 1. Ex abſoluta Dei poteſtate & perfectione: Qui non poteſt non omnia Scibilia *ſcire*; 2. Et *Potentia* ejus non poteſt ſuperari; Et 3. ideo voluntas ejus abſoluta non poteſt fruſtrari. Voluntariè quidem poteſt ſuis Volitionibus & operationibus limites ponere; At ipſi ab alio aliquo, ſine ipſius conſenſu, vel obicem vel limites poni impoſſibile eſt.

2. Maxima mundi peccata, imò omnia à Deo permiſſa ſunt (non permiſſione politicâ morali, ſed naturali;) aliter evenire nunquam potuiſſent.

3. Peccatorum maximorum *effecta* à Deo præordinata eſſe, tradit Sacra Scriptura; *viz.* Pharaonis, Rehoboami, Judæorum qui Chriſtum occiderunt; Quorum ipſa peccata Deus permiſit, & peccatorum vel *effecta*, vel *conſequentia*, à Deo præordinata eſſe dicuntur: Imò adeò notabiliter aliquando per modum pœnæ commeritæ gratiam ſuam à malis ſubtrahere vel denegare, ut inde peccatum ipſum à Deo eſſe dicatur, quia deſertio quæ eſt *pœna antecedens*, & bonum vel malum naturale conſequens, ſunt a Deo, 1 Reg. 12. 15. 2 Chr. 10. 15. Exod. 9. 16. Rom. 1. 26. 2 Theſ. 2. 11. Jud. 4. Act. 2. 23. 1 Pet. 2. 8. Act. 4. 28. 1 Pet. 1. 20. Gen. 45. 5, 7. 1 Reg. 22. 22.

4. Deus bonum ex occaſione peccatorum maximorum operatus eſt; *v. g.* ex occaſione lapſus Adæ, Gratiam ſuam per Chriſtum mundo declaravit: Ex occaſione peccati Pharaonis nomen ſibi in Iſraelitarum conſpectu adeptus eſt: Ex occaſione malitiæ & homicidii Judæorum, mundi Redemptionem per Chriſtum operatus eſt.

Providentiam item ad *minima* ſe extendere ita probatur.

1 Arg. Qui vel minimam creaturam creare, non dedignatus eſt, minimam etiam per providentiam gubernabit. (Quorſum enim Deus creaturas faceret, poſtea negligendas?) At Deus minimam creavit---Ergo---

2 Arg. Deus vel minimam creaturam conſervat: (aliter in nihilum recideret, & potentiis, virtutibus, &c. deſtitueretur.) Ergo minima ſub providentiæ curam & gubernationem venit.

3 Arg. Si impoſſibile eſt rem ullam vel minimam agere ſine Deo, tunc uniuſcujuſque actio cadit ſub providentiâ Divinâ. At impoſſibile eſt---&c. (Aliter enim eſſet independens, & ſibi ſufficiens.) Ergo---

4 Arg. Omniſciens neceſſariò *novit* uniuſcujuſque creaturæ, & modum, & motum, & ſtatum, & mutationes: Ergo juxta dignitatem & uſum, unumquodque æſtimat & curat. Niſi enim voluntariò Volitionem & Nolitionem ſuam ſuſpendit, unumquodque ſcitum aut Vult aut non vult. Qui nullius omninò poteſt eſſe *noſcius*, (& tamen omnia ſuſtinet, &c.) proculdubio nullius omninò *negligens* eſſe poteſt.

5 Arg. Qui finem ſuum aſſecutum vel aſſequendum habet, per minimas creaturarum

turarum mutationes, is de creaturarum omnium motibus & mutationibus providere, & curare æstimandus est : At Deus finem suum, &c. Ergo---

Prob. Minor : Omnis sapiens qui aliquid causat vel agit cum ratione, ob finem aliquem hoc agit : At Deus est sapientissimus, & motus minimorum causat : Ergo ob finem aliquem causat : Ergo eorum motus sub providentiam cadunt.

6 Arg. Qui Infinite Bonus est, Bonum semper producit per omnia sua opera : At Deus infinite bonus est, & motus minimorum sunt ejus opera : Ergo in bonum --Ergo providentiæ ejus opera sunt.

7 Arg. Si Deus est Omnipotens & Omnipræsens, tunc omnia cadunt sub ejus providentiam---Sed,&c. Ergo--

Ratio Majoris est, Quia qui non potest non omni creaturæ esse semper præsens, & intuens, & omnisufficiens, æstimari non debet illius negligens, quod semper præsens intuetur.

Obj. *At infra Deum est minima curare. Resp.* Tunc infra Deum est esse omnipotentem, omnipræsentem omniscium, & minima creare & sustinere.

Obj. *At minima Deus agit tantum per media. Resp.* Infinitus distare ab aliquo non potest : Et ubi mediis utitur, non magis ipse distat, nec minùs operatur ad effecta, quam si nullis usus esset.

Obj. *Confusio & malitiæ dominium monstrant, Deum mundi actiones minimè per se curare. Resp.* 1. Cæcutientibus qui rerum particulas tantum vident, id confusio esse videtur, quod ordinis & harmoniæ pars est. Quando omnia ejus opera simul videbimus, non malitiam, sed Deum dominatum fuisse perspiciemus, ad peccati ignominiam & ipsius Gloriam.

Disp. 3. Q. *Utrum aliqua sit Dei* Positiva *hominum* Reprobatio, *vel Decretum ad* Peccatum, *ad* Infidelitatem, *vel ad* Damnationem ? (& *qualis ?*)

ETsi satis superque de hisce jam dixisse, re sôlâ consideratâ, nobis videmur, plura tamen, (& ferè ferò,) litigantium gratiâ hic addere, me non pigebit.

Per *Reprobationem* inter Theologos aliquando intelligitur *Actualis rejectio peccatoris jam existentis*, per gratiæ denegationem ; quæ dicitur *Reprobatio in tempore :* Et aliquando *Decretum* Dei *immanens* & æternum; vel saltem *electionis* per decretum æternum *negatio.*

Per *Reprobationem* hanc æternam aliquando intelligunt, *totum* Dei *Decretum* de *reproborum perditione*, ut comprehendit propositum & negandi eis *salutem*, & *media* salutis, præcipuè fidem, pœnitentiam & Evangelium. Aliquando autem Decretorum *partem aliquam* tantum intelligunt; *viz.* Aliquando *Decretum damnandi propter peccata*; Aliquando *decretum permittendi peccatum*, & *denegandæ fidei* & *pœnitentiæ.*

2. Actus aliquis [*Positivus*] dicitur, vel quoad *objectum*, quia *positivum* aliquid est ejus *objectum*; vel quoad *ipsum Actum*, quando *verè Actus* est, & non *Actus* tantum *negatio :* (ubi *Actus negativus*, verè *nullus* est,) & quæstionis sensus est, An talis Actus detur an non? *e. g. Velle dare gratiam*, est Actus positivus utroq; modo, id est, *Verus Actus*, circa *Verum objectum positivum.* At *Velle non-dare gratiam*, id est, *Nolle dare gratiam*, est *actus verus positivus* in se ; At *negativus* quoad *objectum* ; Quia negatio alterius actus est ejus objectum. Ita [*Velle non*] est negativus actus quoad objectum ; at [*Non-velle*] est *negatio actus.* Dubium hisce sequentibus propositionibus jam solvam.

Prop. 1. In quantum *Gratia communis* alicui conceditur, in tantum non denegatur ; & ideo ejus denegandi nullum fuit decretum.

Prop. 2. *Reprobatio Executiva* largissimè sumpta, habet actus aliquos positivos,) *viz. condemnare* per sententiam judicis & per executionem sententiæ,) & actuum quorundam negationem (ut non *dare hanc gratiam*, &c.)

Prop. 3.

Prop. 3. *Reprobatio per tenorem Legis Divinæ*, est *actus Positivus Moralis*; at tantum *conditionalis antecedenter* ad hominum demerita; (Lex enim non nominat damnandos, sed describit per demerita sua) *viz.* Quicunque non credit, condemnabitur.

Prop. 4. *Lex eadem consequenter* ad hominum demerita, *virtualiter Reprobat, finaliter infideles* & *impenitentes* singulariter, quia *seipsos demeritoriè* & quasi nominatim reprobârunt.

Prop. 5. *Sententia judicis* & *pœnarum executio*, ut actus Dei *consequentes*, personaliter impœnitentes & infideles reprobant, positivè ad pœnam sensûs, & privativè quoad objectum, ad pœnam damni.

Prop. 6. *Permittere peccatum* in se non est *Actus*; & Fidem pœnitentiam, evangelium *non dare*, non est actus, sed actûs negatio.

Prop. 7. At *Legem ferre*, quâ statuitur gratiâ communi abutentem gratiâ speciali indignum judicandum esse, & privandum (etsi sit Lex dispensabilis,) est actus positivus.

Et ex hisce de Reprobatione executiva facile judicatur de *Reprobatione Decretivâ*, per actus Dei immanentes; *viz.*

Prop. 1. *Reprobatio Decretiva* largissimè dicta, est ad *actus aliquos*, & ad *non-actus*.

Prop. 2. Decretum æternum de *Lege ferendâ conditionaliter condemnante antecedenter*, & *virtualiter personam consequenter*, est actus Positivus.

Prop. 3. Decretum de finali judicio & executione est actus Positivus.

Prop. 4. Decretum de Lege ferendâ, quâ Gratiâ communi abutens, indignus gratiâ speciali judicatur, est actus Positivus.

Prop. 5. Decretum (si quod tale sit) *non impediendi* peccatum, *non dandi* Evangelium, *non dandi* fidem, pœnitentiam, Spiritum Sanctum, *&c.* huic immerenti, (dum aliis etiam immerentibus conceduntur) est actus Negativus saltem quoad objectum; id est, *Actus Nolendi*, vel Volendi non dare.

Prop. 6. At meo quidem judicio, talis actus nullus Deo imputandus est; sed dicendum est; Nullam esse talem omninò Reprobationem; nullum tale decretum; sed tantum *Decreti* & *Electionis* Negationem: Cujus probatio etsi ante sufficienter data, hic clariùs recitanda erit.

1. *Ad hominem*, saltem non nihil est, quod nulla ab aliquo Theologorum doctissimorum Ratio adhuc vel cogens, vel probabilis data sit, quâ decretum tale verum aut Positivum probaretur. Quod proculdubio tamdiu non omissum esset, si peragi bene potuisset. Theologorum Anglorum duo facile principes, Dr. Twissus & Davenantius (Dissert. de Prædest. pag. 113.) Scoti quidem opinionem de *Negatione talis Decreti* repudiant; At nullam repudii rationem reddunt; quod de tanti ingenii viris mirum dictu est.

2 Arg. Nihili nulla est causa: Ergo nulla positiva effectio: Ergo nullo opus est positivo Decreto. Non impedire, non dare fidem, *&c.* est nihil.

3 Arg. Scholastici nonnulli dicunt, quod *omne decretum Dei est effectivum*; vel saltem *Volitio omnis*. At *decretum non dare gratiam non est effectivum*: Ergo secundum hos non datur tale Decretum.

4 Arg. Entia non sunt multiplicanda sine necessitate; præcipuè non ita audendum est in Divinis, nec pluralitas actuum fingenda in Deo sine aliqua probatione. Et frustra fit per plura quod fieri potest per pauciora. At nulla hic necessitas est realis Volitionis vel Decreti; Quia idem fiet si nulla sit Volitio vel decretum; sicut nullus fuisset mundus, si nullus fuisset Deus, ita mundos plures *non velle creare* tam infallibiliter eos increatos relinquet, quam *Nolle eos creare*, aut *Velle non creare*; si nulla omninò sit Dei *Volitio* aut *Decretum* de danda fide vel pœnitentiâ peccatori, tam certò ille nunquam fidem vel pœnitentiam habebit, quam si Volitio vel Decretum de non dandâ fide extitisset.

5 Arg. Si Volitio actualis aut Nolitio non est fingenda circa *omnia non-agenda*, vel *non-actiones* Divinas; & si Ratio nulla patet quare magis *in hoc casu* fingeretur quàm in aliis, tunc *in hoc casu* Actus Dei positivus non est fingendus, vel asserendus. At verum prius—Ergo—

Minor

Minor Probatur: 1. Quia neque S. Scriptura, neque Recta Ratio fictionem talem comprobabit. 2. Quia honori Divinæ Majeſtatis injurioſum eſſe videtur; *v. g.* mille mundi ſunt poſſibiles: Anne ergo mille decreta fingenda ſunt pro non-futuritione horum mundorum. Poſſibiles ſunt millies millenæ plures arenulæ, atomi, pili, herbæ, vermes, piſces, aves, beſtiæ, homines, ſtellæ; millies millena plura accidentia uniuſcujuſque horum ſunt poſſibilia. An igitur tot decreta fingenda ſunt de horum omnium non futuritione; *viz.* quod hæc & illa arenula poſſibilis nunquam *fiet*; Quod *atomus hæc non erit homo*; Quod *Johannes* non vocabitur *Thomas*, neque *Petrus*, & ita de millenis nominibus, *&c.* An Volitiones vel Nolitiones actuales infinitæ pro poſſibilium non-futuritione ita ſunt fingendæ? Si ita eſt non minùs quàm multa millia decretorum de unaquaque ſingulari atomo, vel arenula, vel aliâ creaturâ ſunt ponenda.

At ſi hæc fingere de omnibus non-futuris eſſet prophana præſumptio & audacia; Quare in *hoc* uno caſu potiùs quàm in aliis decretum aſſerendum eſt? An quia Res eſt maximi momenti. Magna quidem quoad nos eſt; At non-creare mille plures mundos, Angelos, ſoles, homines, *&c.* non minor eſt, in ſe. Nonne gratiæ fidei, ſalutis, negatio, tam certè *Non-Volitionem*, vel *ſuſpenſionem Divinæ Volitionis* ſequutura eſt, quam *poſitivam nolitionem* vel *decretum*? Si Deus non vult plures mundos creare, plures peccatores ſanctificare, tam certò non creati, & non-ſanctificati erunt, quam ſi non-creare, & non-ſanctificare poſitivè decreviſſet.

6 Arg. Opinio illa, cæteris paribus, eligenda eſt, quæ fidei analogiæ optimè quadrat, & difficultatibus ſolvendis & veritati explicandæ & defendendæ optimè congruit. At talis eſt opinio jam propugnata, (contra neceſſitatem decretorum de *non-futuris*)—Ergo—

Objectiones duæ à Scoto recitatæ & ſolutæ ſunt. 1 Obj. *Si Deus non poſitivè decernit non-dare gratiam & ſalutem, tunc hujus nulla ipſius certa eſt ſcientia.*

Reſp. Negatur conſequentia.

Inſt. *Si voluntas Dei futurum hoc non facit, inter contingentia numerandum eſt: Et contingentium nulla eſt ſcientia.*

Reſp. 1. Nemo unquam probabit Deum non poſſe creaturæ dare talem voluntatis potentiam quæ per ſuam determinationem poſſit actum ſuum facere exiſtentem? Et ſi Deus hoc poſſit, nemo probare poteſt eum non ita facere. 2. Contingentia ſunt futura; & futura quâ futura Deo nota ſunt. 3. *Gratiæ & Fidei, & Salutis* non-exiſtentia & non-futuritio tam certò earum Divinam *Non Volitionem* ſequitur, quam earum exiſtentia vel futuritio Divinam *Volitionem* ſequitur; quamvis non ex vi cauſæ.

Obj. 2. *Qui poſitivè vult peccatum permittere, is poſitivè vult ipſum peccatum, & conſequenter ita vult non-dare gratiam. Reſp.* 1 Deus non poſitivè *vult peccatum permittere:* Quia *permittere* eſt *non-impedire*, id eſt, *non-agere*, & ideo nullâ eget cauſâ, & nulla volitione. 2. Si Deus peccatum permittere vellet, non ſequitur eum peccatum ipſum *Velle.* 3. Si Deo Volitiones poſitivæ de non agendo imputandæ eſſent, multò ſobriùs diceretur, eum per unicum Decretum vel Volitionem, de nil ultra agendo determinare, quàm Decreta multiplicare juxta multitudinem poſſibilium non-futurorum. At & hoc non aſſerendum eſt, quia probari non poteſt.

Opinionem hic & Reſp. Scoti ſubjiciam in 1 Sent. Diſt. 41. & Diſ. 47. *Naturalem æqualitatem Petri & Judæ ſupponens Quæro tunc Quid Deus vult Judæ? ſi damnationem, habetur, propoſitum; quia tunc Reprobat ſine omni Ratione: ſi beatitudinem, ergo prædeſtinat Judam.* Reſp. *Dici poteſt quod in iſto primo inſtanti nihil vult Judæ; ſed tantum eſt ibi negatio volitionis gloriæ. Et ſimiliter quaſi in ſecundo inſtante naturæ, quando vult Petro Gratiam, adhuc nullus actus poſitivus Voluntatis Divinæ eſt circa Judam, ſed tantum Negativus. In tertio inſtanti quando vult permittere Petrum eſſe de Maſſa perditionis, ſive dignum perditione, & hoc ſive propter originale peccatum, ſive actuale, tunc vult permittere Judam ſimili modo eſſe filium perditionis. Et hic eſt primus actus poſitivus, uniformis quidem circa Petrum & Judam: ſed ex iſto actu eſt iſtud verum, [Judas erit finaliter peccator] poſitis iſtis* Vid. Lychetum in Scot. li. 2. Diſt. 34. 37. Vol. 2. fol. 232, 233.

negationibus, scilicet quod non vult illi dare gratiam nec gloriam. In quarto instanti offertur Judas ut peccator finaliter Voluntati Divinæ; & tunc ipse vult iustè punire, & reprobare Judam. Nec mirum quod non ponitur similis processus Prædestinationis & Reprobationis; Quia bona omnia attribuuntur principaliter Deo; mala autem nobis: Et ita Deum prædestinare sine ratione, congruit bonitati suæ: sed ipsum velle damnare, non videtur illi immediatè posse attribui, nisi respectu objecti ut cogniti in peccato mortali finali.

Et Dist. 47. Cum *permissionem* supponit esse in hominibus *Velleitatem* aut *Volitionem inefficacem* (At reverâ *Velleitas* non est de permissionis essentiâ, neque semper ejus concomitans,) ne aliquibus hoc videatur imperfectionem Divinæ Voluntatis implicare, addit [*Permissio est signum Voluntatis Divinæ; Huic autem non correspondet aliquid in ipsâ Voluntate Divinâ, nisi non-Velle prohibere illud fieri; sive non-velle; quod est negatio actus Divini, positivi: & per Consequens non est actus positivus. Et quod dicitur Volens sinere hoc, potest intelligi, non quod habeat velle rectum circa illud quod permittit, sed actum reflexum. Offertur enim Voluntati ejus hunc peccaturum vel peccare. Primò Voluntas ejus circa hunc non habet velle; Velle enim ipsum habere peccatum non potest. 2. Potest intelligere voluntatem suam non volentem hoc: Et tunc potest Velle Voluntatem suam non velle hoc: Et ita dicitur volens sinere, & voluntariè permittere: Sicut ex alia parte præsentato sibi Judâ, primò Deus habet Non velle illi gloriam; & non primò nolle: & potest tunc. 2. Se reflectere super istam negationem actus & velle eam: Et ita Volens, sive Voluntariè non eligit Judam finaliter peccaturum; & non Nolitionem Gloriæ, sed non-Volitionem Gloriæ.*] Ita Scotus.

Qui quidem plus concedere videtur quam aut necesse est aut verum. Cum dicit enim *Deum Velle permittere Petrum & Judam esse dignos perditione, & Deum item Velle suam non-volitionem, nihil, sive non agere facit* Volitionis positivæ objectum; quod non magis necessarium est, quam negationes cæteræ ab ipso repudiatæ.

Paulus Ferrius Theologus Gallus acutissimi ingenii in Scholast. Orthodox. item dicit [*Deum non proprie nolle impedire peccatum, vel dare gratiam; sed non-velle: attamen quod volenter non vult.* Sed dicendum satius esset [*non nolenter non vult.*]

Obj. *At quomodo tunc verum est, Deum Esavum nondum natum odisse; & cor Pharaonis obdurasse; & Schemejo ut Davidi malediceret jussisse & peccatum Rehoboami fuisse a Deo,* &c. Actus quidem positivos hæ *phrases significare videntur.*

Resp. 1. Theologi rectè dicunt, talia de Deo verba que *affectus significare* videntur, reverâ tantum *effectus* significare: *viz.* Deus Esavo usus est, sicut homines re exosâ uti solent. Et ita cum Christus Patrem, matrem, vitam, *&c.* odio habere præcipit, de re potius quam *affectu* intelligendum est; scilicet, iis uti debemus, desertione & rejectione, sicut homines rebus exosis utuntur. Et ita *Esavum odisse*, significat tantum, a *benedictione*, & jure *primogenituræ*, & *primatu* quoad fœdus, eum excidere permitti: Et non eodem amore singulari quo Jacobum, eum amplexum fuisse.

Et Deus Cor Pharaonis *obdurasse* dicitur, quia. 1. Ob peccata ejus gratiam ipsi denegavit. 2. Duritiem ejus insanatam, & in rebellionem erumpentem passus est; 3. Et hoc ad ipsius Gloriam, dum superbos humiliare voluit, ordinavit.

Et Schemeii maledicendi jussio, nil aliud significat, quam quod. 1. [Deus ipsum maledicere permittit.] 2. Et [hac permissione, comminationes suas Contra me peccatorem voluntariè implet,] effectum scilicet bonum Volendo, & occasionem sumens ex malo tantum permisso.

Et Rehoboami peccatum a Deo esse dicitur, Quia *effectus* vel *Consequens* ejus fuit a Deo, & ejus Comminationem contra Solomonem implevit; & peccatum quod occasio fuit, tantum permissum vel non impeditum est.

Summatim tales S. Scripturæ phrases significant. 1. Dei Gratiæ negationem, 2. Peccati permissionem, 3. Beneficiorum externorum sæpe donationem, quando iis abusuros esse peccatores præscit. 4. Tentationum permissionem; 5. Ex eventu præscito propositum, Prædictiones suas implendi, & Gloriam suam declarandi.

Obj. *At ita Deum spectatorem rerum otiosum esse fingere videris.*

Resp.

Resp. Otiosus est non omnis qui *non agit*, sed qui non agit quod ipsi agendum est. Jehova sanctissimus non ideo formæ vel malitiæ peccati ab ipsis adversariis author nominatur, ne *otiosus* sit circa hanc malitiam. Neque otiosus est circa malum, qui illud odit, prohibet, minatur ; punit, limitat, ordinat ad bonum, *&c.* Di verbium dicit, Mali exercitium otio pejus est : Neque a Deo ut Gloriæ ejus Cultor æstimabitur, qui ne otiosum eum fingeret, mali omnis Causam principalem eum affirmavit, Neque Horologii aut machinæ alicujus author, digito eam continuò movebit, ne, dum pondere proprio movetur, otiosus spectator a stolidis diceretur. An Voluntas Dei otiosa est, nisi mundos mille *non futuros* positivâ Volitione decernat? Et nisi omni arenulæ, atomo, *&c.* millena non-futura accidentia positivè è Rerum numero eliminabit ? Sinamus, quæso, Deum sui ipsius opus eligere.

Prop. 7, Quoniam de actibus Divinis juxta modum humanum loqui solemus, ideo sicut Voluntatem sapientum Activam esse per volitionem aut Nolitionem judicare solemus, circa omnia illa quæ cadunt sub eorum notitiam & considerationem, at suspensam aut nihil agentem circa ignota, minima & inconsiderabilia ; Ita etiam de Deo opinari propensi sumus : Sed nimium angusta est hæc mensura de Deo loquendi.

Prop. 8. Scholastici quidam dicere solent, *Ens & Bonum & Verum esse* objecta Intellectûs & Voluntatis Divinæ per se & directe : at *Non-ens & falsum & malum*, per *accidens* & reductivè. Sed nomina hæc veritati non lucem prebent ; Reverâ sicut e. g. Deus mundum *Unum Verum, Bonum* Creavit ; & quia *non alterum* Creavit, ideo hic *Unicus* exclusive ad plures recte dicitur ; & inde Deum plures possibiles è numero futurorum excluisse dicimus; Cum veré exclusio nulla *positiva* fuit, sed *negativa* ; cujus *notionem positivam* ex adjectivo [*Unico*] angustum & imperfectum ingenium humanum arripuit; Ita etiam esse mihi videtur de cæteris. Cum Deus facit *Lucem*, dicimus etiam eum fecisse *tenebras*, *umbras*, &c. & cum facit *Vitam*, dicimus eum fecisse *mortem* ; & ita de cæteris privationibus : Quæ reverâ non sunt *effecta* operationis Dei, sed Logicé in ordine dicendi sequuntur ; unde nomina naturis ipsis adaptamus ex conceptibus nostris mancis, & deficientibus. Ita etiam de Falsi & Mali Volitione vel nolitione divina judicandum est. Privationes & negationes futuras esse, id est, Propositiones de harum futuritione veras esse, sequitur quidem ex quibusdam Volitionibus Divinis ; At non ideo a Deo Volitæ aut Nolitæ aut effectæ sunt.

Prop. 9. At ubicunque ad *non esse* alicujus *Actionis* & ejus *effectus*, requiritur *actualis Impeditio Divina*, ibi etiam requiritur *positiva Volitio impediendi* ; Quam sequitur *Non-esse* rei impeditæ.

Prop. 10. Abscondita adeo sunt mysteria hæc mortalibus, & reverenda & non audaciter agitanda, ut ego quidem ipsum sapientissimum judico, qui certis & agnitis veritatibus contentus (e g. quod *Deus Sit author omnis boni, & nos simus authores mali, quod ex nobis est perditio nostra, at ab illo salus ; quod gratiam suam Nemini denegat Nisi demerenti*, &c.) cætera tacet vel modeste saltem & pede suspenso hic incedit. Et nisi pugnacia & ferocia superborum, nec minùs insciorum quorundam Theologorum ingenia, & eorum criminationes, convitia & schismata inde nata, curatione plurimum egerent, & necessariò propter pacem charitatem & veritatem reprimenda forent; hæc omnia ferè, ego ipse silentio præteriissem ; Et non nisi ad ecclesiarum lites dirimendas, jam scripta ab aliis legi vellem. Qui tempus & studia sua ad hoc potius impendunt, ut Deo Domino se totos devoveant, Deo Rectori summopere obediant, Deum Optimum toto corde Ament, & in ejus Voluntate fiducia summâ absolutâ implicitâ acquiescant, & Gloriam ab ipso promissam spe jucunda expectent, multo meliùs contra hujus vitæ ærumnas & mortis terrores, & damnationis periculum providebunt, quam qui summâ audaciâ in tremenda Dei secreta se ingerunt.

REGIMEN DIVINUM SUBSEQUENS conſiſtit I. In JUDICIO; 2. EXECUTIONE.

I. In JUDICIO conſideranda ſunt,

- I. PERSONÆ
  - 1. Actor: DEUS, ut Dominus-Rector-Benefactor offenſus, vel injuriâ laceſſitus.
  - 2. Rei:
    - 1. Homo peccator; *viz.*
      - 1. Adam.
      - 2. Eva.
    - 2. Tentator, Serpens, Diabolus.
  - 3. Judex; DEUS ut Rector Juſtiſſimus: (Qui etiam Proprietarius & Benefactor.)
- II. CAUSA: ubi conſideranda
  - 1. LEX: *viz.*
    - 1. Ut norma officii contra quam peccatum eſt.
    - 2. Ut norma Judicii, quæ Retributionis jus ſtatuit.
  - 2. FACTUM: de quo quæritur
    - 1. An fuit, Gen. 3. 6, 8, 9, 10, *&c.*
    - 2. Quale fuit, (reſpective ad Præceptum.)
    - 3. Quid meruit, (ſecundum Legis partem punientem.)
- III. PROCESSUS
  - 1. Præparativus, ubi ſunt
    - 1. Conventûs ſolennitas.
    - 2. Citatio Rei.
    - 3. Comparentia Rei coacta.
  - 2. Diſquiſitivus; 1. Per Quæſtiones & Reſponſiones; 2. Per Teſtes; 3. Per Evidentias, Gen. 3. 8, 9, 10, 11, 12.
  - 3. Concluſivus; ubi ſunt
    - 1. Rei Convictio, 1. De reatu facti; 2. De reatu culpæ; 3. De reatu ad pœnam.
    - 2. Sententia prolata, Gen. 3. 13, 14, 15, 16, *&c.* Sententia autem lata fuit,
      - 1. Symbolicum, ubi pœna eſt
        - 1. Ad vilitatem depreſſio: 1. Habitatione; 2. Motu; 3. Cibo.
        - 2. Inimicitia hominum mortalis, unde vindicta.
      - 2. Verum; ubi pœna ſymbolicè expreſſa eſt
        - 1. Diabolorum ſtatus dejectus, Geneſ. 3. 14.
          - 1. Quoad locum,
          - 2. Quoad negotium,
          - 3. Quoad cupidinem,

          } Gen. 3. 14.
        - 2. Inimicitia inter ipſos & hominem; ubi ſunt
          - 1. Partes
            - 1. Plebeiæ:
              - 1. Mulier cum ſuo ſemine plebeio.
              - 2. Genus Diabolorum, & Maligni
            - 2. Principales
              - 1. Caput ſeminis Sancti.
              - 2. Caput Diabolorum.
          - 2. Bellum; Inimicitiarum exercitium ex utrâque parte.
          - 3. Succeſſus
            - 1. Seminis Sancti attritio, Gen. 3. 15.
            - 2. Diabolorum & Malignantium perditio.

II. In Hominem: Cujus pœna fuit,

- 1. Temporalis
  - 1. Fœminæ
    - 1. Dolores in conceptione & partu.
    - 2. Erga Virum deſiderium & ſubjectio, Gen. 3. 16.
  - 2. Viri, & Generis humani totius
    - 1. Telluris maledictio.
    - 2. Vita laborioſa & ærumnoſa.
    - 3. Mors, Gen. 3. 17, 18, 19.
- 2. Quid vero de pœna ſpirituali hic judicatur? Reſp. Vide poſt de executione; mala quæ *Homo ſibi prius peccando intulerat*, non opus erat ut ipſi à Deo adjudicarentur.
- 3. Quid verò de pœna (damni & ſenſus) æternâ? Reſp. HIC SE INTERPOSUIT DEUS-SAPIENTIA-AMOR; & VERBUM opus REDEMPTIONIS in ſe recipiendo, ſacrificium ſe pro peccatis fieri promiſit; & *Diabolum*, jam peccati & mortis principem, debellare; & opus ejus deſtruere; & ſub NOVO FŒDERE Homini peccatori ſpem reddere; & ſemen ſanctificatum ad Deum reducere, in gratiam ejus reſtituere, & ad Gloriam adaptare. Pœnarum igitur æternarum in hâc ſententiâ Deus non meminit, quia toti generi humano eas in tantum condonavit; & pœnarum tantum iſtarum meminit, quas condonare nollet.

II. EXECUTIO

III. EXECUTIO fuit,

I. In Diabolos: juxta ſententiam; triplici gradu; 1. Statim; 2. Sub Chriſti Morte & Reſurrectione; 3. Die Judicii.

II. In Hominem.

I. Ubi ante Sententiam Divinam hæc mala ab ipſo Homine; Sibi illata præſupponuntur.

I. Peccatum ipſum, quâ Miſeria: Quæ dici poteſt peccati Pœna per accidens, naturalis, permiſſa; *viz.*

I. In Materia

1. Subjectivâ generaliter conſideratâ;
   1. In Actu.
   2. In Habitu.

1. In Mente
   1. Potentiâ activâ,
   2. Intellectu,
   3. Voluntate,

1. Privativè
   1. Mortuâ
   2. Cæco
   3. Amore privatâ

2. Positivè
   1. Malipotente.
   2. Errante.
   3. Perverſâ.

2. Animâ Sensitivâ
   1. Senſibus
   2. Phantaſiâ
   3. Appetitu & paſſionibus

1. Ut inordinatis in ſe.
2. Ut rebellibus contra mentem; & in eam dominantibus.

2. Objectivâ, particulariter

1. Quoad Terminum, 1. A Quo & contra Quem:
   1. Deum: Quoad Dominium, Regimen, Amorem.
   2. Sanctitatem, & res ſpirituales.
2. Quoad terminum ad quem:
   1. Principalem; ſeipſum; 1. Ut Individuum; 2. Ut Senſitivum.
   2. Mediatum
      1. Per ſe; mundum, ſeu res carnales.
      2. Per accidens; Diabolum; cui placetur.

II. In Forma:

Quæ eſt
1. Relatio Privativa; *viz.*
   1. Inconformitas ad Regulam, immediatam; *viz.* Legem, & Beneficia Divina; ut ſigna Divinæ Voluntatis.
   2. Inconformitas ad Regulam Primariam ſignificatam; *viz.* Dei Voluntatem & Naturam.
2. Relatio Poſitiva; *viz.* Poſitiva Diſconformitas & Contrarietas ad Regulas prædictas.

III. Peccatum ut compoſitum ex Materia & Forma
   1. Imaginis Divinæ privatio
      1. In Actu.
      2. In Habitu.
   2. Imaginis Diaboli poſſeſſio

II. Conſequentia naturaliter neceſſaria; *viz.*

Viz. Pœna permiſſa à Deo: & peccando effecta ab homine in ſeipſum; *viz.*

1. In nobis
   1. Relativa
      1. Privativa
         1. Capacitatis
            1. Juſtificari per ſententiam; 2. Amari per complacentiam; id eſt, 1. Juſtitiæ quoad ſanctionem Legis; 2. Amabilitatis, amiſſio.
         2. Juris, 1. Ad Protectionem Divinam; 2. Ad præmia. 3. Ad Amorem & beneficia.
      2. Poſitiva; *viz.* 1. Damnabilitas; 2. Odibilitas; 3. Jus pœnarum Lege poſitarum.
   2. Qualitativa; *viz.*
      1. Privativa; *viz.* Privatio, Bonæ Conſcientiæ, Pacis & Gaudii ſpiritualis.
      2. Poſitiva; *viz.*
         1. In Mente; 1. Conſcientia Mali terrifica; 2. Curæ; 3. Deluſiones.
         2. In Paſſionibus; 1. Pudor Mali; 2. Timor Pœnæ; 3. Animi Dolores.
         3. In Appetitu; 1. Morboſæ & moleſtæ cupidines; 2. Nauſeæ; 3. Fruſtrationes.
2. Extra nos; *viz.*
   1. In Mundo, polluto & turbato.
   2. Pro poſteris ſeritur ſemen; 1. Peccati cum natura propagandi; 2. Miſeriæ conſequentis.
   3. Diabolus fit de homine peccatore triumphator.

3. Supra nos; ſed contra nos; *viz. Diſplicentia Divina* [*Privativa* & *Poſitiva*] terminativè ſumpta: Quæ non eſt mutatio ulla, in Deo, ſed *Relatio* neceſſario à peccato reſultans & mutatio objecti: Et ita Amoris Divinæ complacentiæ ſubtractio, eſtque opus peccatoris ipſius, ſe odioſum reddentis, & Amabilitatem rejicientis; & non eſt pœna à Deo arbitrariò inflicta.

A

II. Executio

A
Executio Pœnæ Divina; Quæ Deo (vel Negativè vel Activè) adscribenda est; *viz.*

- I. Necessaria per hominem Causata; à peccato scilicet inevitabiliter resultans; *viz.*
  - 1. Primaria
    - 1. Negativa: Dei non-amare per *Complacentiam*, peccatorem qua talem.
    - 2. Positiva: Dei Displicentia vel *odium* peccatoris, quâ talis; N.B. 1. Quod hic *idem Activè* sumitur, ut *in Deo*, quod ante *Terminativè* sumptum est ut *in hominem*. 2. Quod posito peccato, non potest Deus peccatorem, quâ talem non odisse.
  - 2. Secundaria: Negativa; Peccatorem quâ talem, non-pace & gaudio spirituali fælicitare.
- II. Arbitraria; prioris expressiva; *viz.*
  - 1. Pœna strictè dicta
    - 1. Positiva; symbolica; *viz.* Hominis solennis devestitura & quasi degradatio; *viz.*
      - 1. Arborem Vitæ Symbolicam Ipsi prohibendo.
      - 2. Hominem peccatorem ex horto Edenis ejiciendo.
      - 3. Angelum adversarium, horti custodem, cum gladio flammante designando.
    - 2. Mista, ex privativa & positiva, pœna major; *viz.* sententiæ jam dictæ executio.
      - 1. In Mulierem
      - 2. In Virum
        - 1. Per vitæ ærumnas
          - 1. Ab extra; ut à terra maledicta, *&c.*
          - 2. Ab intra
            - 1. Ex corporis afflictionibus multifariis.
            - 2. Ex animæ pathematis.
        - 2. Per mortem & corporis corruptionem.
  - 2. Pœna laxè vel minùs propriè sic dicta; *viz. Benefactoris offensi* beneficiorum Negatio.

Viz.

- 1. Non-impediendo (in tantum)
  - 1. Diabolum
    - 1. Ne tentet & seducat.
  - 2. Homines
    - 2. Ne molestiis vexent.
- 2. Non-dando (plene)
  - 1. Sp. Sanctum Quo
    - 1. Natura sanctificetur, & plenè statim reparetur.
    - 2. Præveniatur peccato
      - 1. Actuali parentum.
      - 2. Originali posterorum.
  - 2. Beneficia plurima inferiora
    - 1. Spiritualia
      - 1. Publica.
    - 2. Corporalia
      - 2. Privata.

Cap. 15. *Elucidationes.*

1. JUdicare *Rectoris* est; *viz.* est *Regiminis consequentis pars prior*; at *talis Rectoris* qui etiam *Dominus* & *Pater* seu *Benefactor* est.

2. Etsi Deus sæpe Judicet per *actualem executionem* (nullâ alia sententiâ antecedente) hic tamen *audibiliter*, & ut videtur *visibiliter* per creaturam aliquam Adamo locutus est, & ad terrorem fontis ad judicandum modo sensibili descendit.

3. Utrum per *Angelum* aliquem, an per *Vocem* jam ab ipso *factam*, Deus cum Adamo collocutus est, non inter revelata aut cognita invenitur. Et qui dicunt *Verbum* postea *incarnandum* jam Corpus pro hac vice assumpsisse, ignota & non-probata comminiscuntur & asserunt.

4. Post *Grotii* librum de *satisfactione* scriptum, magna fit quæstio, *An Deus peccatorum pœnas exigit, ut Dominus absolutus, an ut Pars offensa an tantum ut Rector secundum Leges? Resp.* Præteritis aliorum opinionibus & dictis, Veritas hæc in aperto locata mihi videtur. 1. Peccata nulla Deo realiter nocent. 2. Attamen Deo injuriam inferunt. 3. Triplex Dei *Jus violant* quantum in se; *viz.* 1. *Jus Dominii*, sua alienando quoad usum. 2. *Jus Imperii*, per rebellionem & obedientiam debitam denegatam. 3. *Jus Amicitiæ*, per Amoris subtractionem, & Beneficiorum ingratum abusum. 4. Hæc jura violata Deus vindicare potest in tribus hisce suis Relationibus. 5. *Actor* igitur Deus est, non ut *Rector* tantùm, sed ut *pars ita offensa*, etsi non *realiter læsa*. 6. Quod adhuc magis patet, Quia etsi *bonum publicum* Sit *finis regiminis humani* ipsius tamen *Dei Gloria* & *Complacentia* est finis Regiminis Divini (ut & omnium.) 7. At *Judicare formaliter* ad *Rectorem* qua *talem* pertinet, & non ad *Dominum*, aut *Benefactorem* qua talem. 8. Deus tamen dum *Judicat* non exuit relationes *Domini* vel *Benefactoris*, sed etiam in Judice ut inseparabiles & connotatæ hæ Relationes considerandæ sunt. 9. Quando Deus *Pars offensa* dicitur, non Volumus *Partem æqualem*, vel contra Justitiam merè

merè *Commutativam*, offensam ; sed hoc tantum volumus quod summus omnium Dominus, Rector & Benefactor offensus esse à suis, subditis, inobedientibus & ingratis dicitur, Isa. 1. 2, 3, 4. *Audite O cœli, & ausculta O terra, quia Dominus locutus est : Nutrivi & educavi liberos, & contra me rebelles fuere : Bos Dominum suum novit, & Asinus Domini sui præsepe, Israel autem non novit ; populus meus non considerat : Ah Natio peccaminosa ! populus iniquitatibus gravatus ! semen maleficorum ! Liberi corruptores ! Dominum deseruêre ! Sanctum Israelis ad iram provocârunt ! retrorsum abscessêrunt !*] Ezek. 18. 4. *Ecce omnes animæ meæ sunt ! sicut anima patris, ita anima filii mea est : Anima quæ peccat ipsa morietur.* 1. Pœnas igitur exigit Deus, non tantum ob *ordinem* & *bonum mundi* conservandum, sed etiam *finaliter* ob *suam Gloriam*, ad *sanctitatem*, scilicet & *Justitiam* suam demonstrandam ; Quia *Gloria ejus* est *finis sui Regiminis* : Pœnas igitur exigit, non tantum ut *Rector*, sed ut *Dominus* & *Benefactor* injuriâ offensus : Et quamvis *Judicat formaliter* ut *Rector* secundum Leges priùs à se datas, tamen cæteris relationibus connotatis ; *viz.* ut *Rector* qui est *Dominus* & *Pater* offensus.

5. Adamus primò examini subjicitur, quia primus in fœdere, vel subditus principalis ! Deinde Eva ; At Diabolus antea peccator condemnatus, *examine* non eget : Primus autem *judicatus* est Diabolus, quia primus peccati author fuit ; Deinde Eva, quia humani generis *prima peccans* ; & tandem Adam qui ultimus peccavit.

6. Sicut Lex naturæ non voce publicata, sed tacitè in naturâ hominis & rerum creata est ; ita mundi Judex sententiam ferendo, hujus Legis violationem non expressè Commemorat, sed *Positivæ* tantum, Attamen sicut Lex naturalis fuit primaria & præstantissima, maxima jubens officia, & maxima vetans peccata ; Ita ejus Violatio ut maximum hic reatum Constituens supponitur ; & Ita judicii Norma principalis, etsi non palam memorata, æstimanda est.

7. Deus non *quærit de facto* quasi *nescius*, sed ad peccatorum plenam Convictionem.

8. *Testis* facti perpetrati facta est *Conscientia* ipsius peccatoris ; ut & alter in alteram. *Evidentia* autem, *pudor nuditatis*, & *timor pœnæ*, & *propria Confessio*.

9. Reatu facti semel probato & confesso, etsi peccatum excusationibus extenuare conati sunt, tamen *reatus culpæ* & *pœnæ* statim naturæ lumine, ex ipsius Relationis, Legis & obligationis notitiâ, peccatoribus ipsis apparuerunt.

10. Malum in serpentem naturalem pronunciatum, rationem formalem *Pœnæ*, non habuit ; Quia rationis expers, peccandi non capax fuit ; & ideo neque *Pœnæ*, nisi analogicè dictæ. Sed sicut *terra*, non in *sui* sed *hominis* pœnam maledicta est ; ita *Serpens* quia instrumentum tentandi & decipiendi, in odium Diaboli & peccati, symbolicè maledictus est.

11. Diabolus hic non primò aut peccare aut judicari videtur ; sed ut hostis & rebellis jam condemnatus, ob nova crimina ad genus humanum relata ad pœnam novam genus humanum item respicientem, damnatus est.

12. Diabolus a loco excelsiore dejectus in aerem ob prima peccata, jam aliquatenus ad terram depressus videtur, per sententiam symbolicam in serpentem : Cujus in pulvere habitatio, motus, cibus, tale quid, suo generi Congruum, de satanâ etiam innuere videtur.

13. Qualis autem per hanc pœnam mutatio fit in serpente, (utrum in corporis formâ, in motu, aut in animâ tantum,) & qualis Diabolorum (utrum in ipsâ localitate, aut in corpore incrassato, aut in negotiis tantum, aut in dispositione, aut hisce omnibus) mortalibus vix, aut ne vix patescit.

14. Diabolorum conjunctio in pœnis ferendis, conjunctionem etiam in peccando probat.

15. Inter Diabolos esse Principem aliquem, seu Caput Malitiæ, & hinc & aliundè probari posse videtur.

16. Etsi natura Diabolorum malitiosa ante hanc sententiam inimicitias Coluit & contra hominem, contra sanctitatem & contra Deum, duplex tamen per sententiam hanc, ad bonum generis humani fit mutatio : 1. Bellum jam apertum proclamatur, ad hominum majorem cautelam & sui defensionem : 2. naturæ humanæ ex illo tempore contra totum Diabolorum genus inimicitia implantata est.

17. Sicut

17. Sicut Eva propter abſentiam hujus inimicitiæ & notitiæ, Diabolo familiariùs uſa eſt, & ab ipſo faciliùs eſt decepta : Ita Diabolorum jam *Odium* & *Timor* homines à familiaritate periculoſâ tuentur; & contra Diaboli ſeductiones animos viam præcludendo muniunt in quantum reverâ Diaboli opus res eſſe cernitur. Naturæ etenim jam notum eſt, Diabolum homini non bonum, ſed malum ſemper comminiſci; Et â malum intendente & perniciem noſtram quærente, ex amore ſui naturali unuſquiſque ſtatim fugam meditatur: Neque inimici jam noti conſilium accipere, natura inclinatur. Natura igitur Diabolis inimica, ut experientiâ duce, primò edocta eſt, ita ad eum bello futuro aptandum, homini à Deo miſericorde indita eſt ; & Gratia quædam communis & jam naturalis eſſe videtur.

18. Ad hominum igitur perditionem, poſthac, deceptione tantum uti, & quantum poteſt, ſeipſum abſcondere, in omnibus ſuis tentationibus, Diabolus neceſſe habet. Authore etenim, penitùs cognito & perſpecto, ſtratagema, fruſtratur, & tota fere machinatio perit.

19. *Univerſalis* adeó, *fortis*, *radicata*, & omnibus *notiſſima* eſt *innata* hæc contra genus Diabolicum *inimicitia* : hic *timor*, hoc *odium*, & *hoſtile* bellum inde natum, etiam in *ſeculis* & *Gentibus*, & perſonis univerſis adeò celebria ſunt & aperta ut *lapſûs hujus realitatem*, & *hiſtoriæ ſacræ veritatem*, imò *animorum naturam immortalem*, non-ſpernendâ Evidentiâ, nobis plurimum ſuadere & comprobare apta ſint.

☞ 20. Quatenus peccator ex *Amore ſui ipſius* hoc odium, hunc timorem, hanc inimicitiam contra Diabolos exercet, in ſtatu manet naturali, hominis ſcilicet lapſi & miſeri, ſed in via ad gratiam ſpecialem reſtaurantem : At quatenus ulteriùs peccando, naturæ Diabolicæ quaſi reconciliatus, inimici gratiam inire cupit, & familiariter Diabolis utitur, & odium, timorem & inimicitias depoſuit ; & nota etiam Satanæ conſilia recipit, & notam ejus cauſam interiùs tuetur, & nota ejus opera volenter & ex inſtituto perficit ; hic ſocietati Diabolicæ ſe conjunxit, & jam *ſemen Serpentis* fit ex ſemine mulieris ; & ferè in Diabolorum numerum ſe cooptavit, etſi non adhuc perfectè Diabolus, nec omninò incurabilis. Hinc S. Scriptura tales non tantùm Diaboli ſemen, ſervos & filios, ſed & *ipſos Diabolos* vocat, Joh. 8. 44. 1 Joh. 3. 8, 9, 10, 12. 2 Tim. 3. 3. Joh. 13. 2. & 6. 70. Act. 13. 10. Jac. 3. 15. Luc. 8. 12. Apoc. 2. 10. 1 Pet. 5. 8.

21. Inimicitia etiam hæc Univerſalis per omnes gentes, ſecula, & hominum conditiones pervadens, & bella moralia & civilia inde orta, apertè admodum Sacræ hiſtoriæ, & Scripturarum veritatem teſtantur ; & viſibile admodum & nimis ſenſibile præbent argumentum, contra omnes de Fidei veritate dubitationes.

22. Mulieris pœnæ ſuo ſexui propriæ ſunt : At viri humano generi, utrique ſcilicet ſexui communes ; Quia *Vir* magis humani generis radix & caput fuit.

23. Utrum Puerperii dolores abſolutè & in ſe, an tantum augmentati, ſint pœna peccati ? & an brutarum item dolores, hominis cauſâ ex peccato humano orti ſunt ? an potiùs ſi nunquam peccatum eſſet extitiſſent ? ſunt nobis ignota, quia non revelata.

24. Idem dicendum de mulieris ſubjectione ; & conſequenter de ſtatu humanæ ſubjectionis ad invicem in genere : Utrum ſi non peccatum fuiſſet ſubjectio aliqua extitiſſet ? & qualis ? aut *Amor perfectus* imperii neceſſitati præveniſſet ? Etſi probabilius videtur Imperium aliquod ſeu Regimen humanum futurum fuiſſe, ut Imperii ſeu Regiminis Divini Imaginem, ſpecimen & inſtrumentum : ſed *Regimen Amoris* ; ubi ſcilicet Amor Dominatus fuiſſet.

25. Ita etiam, durante innocentiâ, talis erat Telluris, horti & plantarum conditio, quæ Hominis culturâ & induſtriâ opus habuit ; & Innocens Homo diligentiâ Corporeâ exercendus erat. At non *Labore ingrato, fatigante*, aut *ærumnoſo*.

26. De morte etiam ipſâ res tota in propatulo non eſt poſita : Certum videtur hominem innocentem & *Mortis* & *Immortalitatis* capacem fuiſſe ; *Potuiſſe* ſcil. *mori*, & *potuiſſe non mori*. At quænam harum potentiarum *Naturalis* (naturæ creatæ principiis quoad futuritionem congrua) & quæ *obedientialis* & *ſupernaturalis*

ralis (quæ operatione extraordinariâ ſupernaturali, in actum tranſitura fuit) dicenda ſit, incertum eſt.

27. Si Corporis humani natura, compago, & temperatura ante peccatum, tales fuêre, quales nunc nos omnes experimur, tunc proculdubio Principia naturalia ad diſſolutionem tendebant, & mortalitatis capacitas fuit *Potentia Naturalis*, & Immortalitatis tantum *obedientialis* & *ſupernaturalis*. At quia *Naturæ Innocentis* temperaturam & contexturam haud probè novimus; nec qualis per peccatum in corporis fabricam mutatio ſequuta eſt; quæſtionis hujus ſolutionis hinc oritur difficultas.

28. Certum autem eſt *Mortem*, id eſt, *Corporis & Animæ ſeparationem*, nedum doloroſam, & ad corruptionem, niſi peccato antecedente, non fuiſſe ſecuturam. Mors enim peccati ſtipendium eſt, Rom. 6. 23.

29. At maximè probabile videtur, Principia naturæ innocentis fuiſſe quidem talia, quæ ad *ſanitatem* & *longævitatem*, non autem ad *æternam durationem*, tenderent: At Deum per modum præmii, hominem ſine morte, ſicut Henochum & Eliam, in cœlos tandem tranſlaturum fuiſſe.

30. Quæ tamen tranſlatio *Naturalis* dicenda fuiſſet, quoad naturæ *propenſionem & aptitudinem*, & *Legem* naturæ à Deo ſtabilitam; At *ſupernaturalem* quoad *transferendi modum*; ſicut partus ex utero tranſitus eſt Naturalis quoad *propenſionem* & *aptitudinem*, quamvis fortè non ſine obſtetricis ope tuta futura ſit nativitas.

31. Si Angelorum fuit officium Animas jam *maturas*, quaſi operâ obſtetriciâ cum corporibus, ſine diſſolutione, recipere, & in tranſitu corpora purificare, (ſicut fructus maturos colligit hortulanus,) quare talis tranſlatio *Naturalis* non dicenda eſſet, etſi aliquid auxilii ſupernaturalis præbeatur? *ſupernaturale*, dico, quia *vires naturæ* noſtræ tranſcendit; Attamen quia per *media Naturalia* (etiamſi liberè agentia) per Deum ordinata, & ſupra notitiam noſtram operantia, etiam Modus hic tranſlationis (ſicut humanæ nativitatis) *Naturalis* dici poteſt. Cætera ad quæſtionem hanc nobilem neceſſaria, *in Elucid. de Lege Naturæ*, jam dicta ſunt.

32. Diabolorum pœnæ (priori ſuperadditæ) gradus aliquis *ſtatim* fuit inflictus, ſicut ex maledictione patet: At gradus major per & poſt Chriſti mortem & reſurrectionem; & maximus in ultimi adventus ejus triumpho.

33. Deus hominem ſuâ imagine, id eſt, ſanctitate, non exuit; ſed Homo illam voluntariè rejecit Neque ullâ ſuæ Gratiæ ſubtractione, aut ſuſpenſione, Deus hominem deſeruit, antequam ab homine deſertus fuit.

34. *Peccatum ipſum* eſt maxima peccatoris miſeria.

35. *Peccatum ipſum* cum *naturalibus* & *neceſſariis ſuis conſequentibus* & *effectis*, non tantum *Maxima* miſeriæ pars eſt, ſed *tantum non tota*.

36. Idem Peccatum quâ *peccatum* & contra Deum, hic diſtinguitur à ſeipſo, quâ *miſeria peccatoris*. *Idem materialiter* enim, *formalitate Relativâ* non eſt *idem*.

37. Sicut Deus *Antecedenter* fecit Legem vivendi Normam; unde ejus Violationes, *Peccata* relativè, rectè ſunt denominandæ; at non facit *actum modificatum*, quo Lex violatur; & ideo non eſt *peccati cauſa*; ita etiam *antecedenter* ſic *hominis naturam* fabricavit, ut *ſi peccaret*, ejus *peccatum* ipſi cederet in *miſeriam*; at quia peccatum non facit, *miſeriæ cauſa* non eſt dicendus (moralis & culpabilis ſaltem;) ſed tantum Conditionaliter antecedenter, & per accidens conſequenter.

38. Attamen *miſeriæ* vel *pœnæ humanæ* imputationem, non adeò Deus à ſe amoliri vult, ſicut *peccati*. Peccatum enim quâ tale *formaliter*, priùs vetat; & in *tantùm* (etſi non abſolutè quoad eventum) *poſitivè* id *non-vult*. At *miſeriam* vetat tantum *conſequenter* & *ſecundariò*, *peccatum* priùs vetando; & ſi Homo vult & facit *Peccatum*, Deus *Legem Naturæ ferendo*, & ipſam *Naturam fabricando*, conditionaliter *vult Peccatum* ipſius Peccatoris *Miſeriam futurum eſſe*. Formalitatem ſcilicet Peccati *primò* odit; *Miſeriæ* autem *ſecundariò* tantùm.

39. Quæritur, *An Peccatum Adami pœna propriè dicendum ſit, vel in primo inſtante, vel in ſequentibus?*

Resp. 1. Peccatum primum non potuit esse prioris alicujus peccati pœna; quia *primum* fuit.

2. Peccatum secundum & sequentia, *quâ peccata*, non sunt pœna prioris; quia non à Deo Volita vel facta.

3. Peccata *sequentia* ut *Miseriæ*, non propriè à Deo *facta*, sed *permissa*, (& consequenter per accidens facta) dici possunt *Pœna* per *accidens*; sicut tenebræ & umbræ, & cæteræ privationes naturæ opera dici possunt; impropriè scilicet, nomine à re ad non rem translato.

4. Eodem modo idem *primum peccatum*, quâ *Peccatum* est, potest dici impropriè, & per accidens *sui ipsius causa* esse, quâ *Miseria* est. Quoniam (ut dictum est) a Creatore natura ita comparata est, ut Deus in ea Voluntatem suam conditionalem declaraverit, quasi Lege Naturæ dicendo [*si Homo facit peccatum, ego Volo ut cedat in ejus miseriam:*]Et ita etsi *pars prima* hujus miseriæ oritur in eodem *temporis instante* cum peccato, non tamen ex eodem *fundamento* immediato (Peccatum enim fit ex *Relatione ad Præceptum*; *Pœna* autem ex *Relatione hujus peccati*, & *peccatoris* ad *Justitiam Divinam*, & ad Legis Naturæ *sanctionem puientem*;) Et ideo, non in eodem, sed *subsequenti instante Naturæ*. *Pœna* igitur *Naturalis impropriè* ferè sic dicta est, quia à Deo tantum per accidens consequenter; At in primo instante est *peccatum*,& in secundo, *Miseria* per hominem ipsum sibi illata & voluntariè contracta; & *tertio instante* cedit in *Pœnam* consequenter per accidens.

40. Hoc autem Deo adeò non imputandum est, ut fieri non possit, nisi in sensu diviso, etiam per Divinam Potentiam, quin peccatum sit miseria peccatoris; Quia contradictionem implicat; nisi natura hominis mutetur, & homo fiat non homo, & peccatum non peccatum: Etsi in sensu diviso fatemur Deum miseriam hanc curare, & peccati reatum remittere posse.

41. Tantum autem humanæ miseriæ in ipso *Peccato* positum esse, ex Schemate patet, ut inde sat testatum sit, an à Deo, an ab ipso peccatore, sit ejus malum & perditio.

42. At cum *miseriæ* etiam *reliquæ* pars multò maxima, sit tantùm *peccati naturaliter*, & in sensu composito *inseparabiliter* consequens vel *effectum*, clariùs adhuc patet, cui perditio & miseria peccatorum imputanda sunt.

43. *Habitus* peccati ex *actu* orti sunt, naturali consequentiâ. Qui enim ab Amore Creatoris se actualiter divertit, & ad Amorem Creaturæ sensibilis se convertit, priore exutus, & posteriori jam implicitus, non ultra ad sui mutationem jam dispositus est: Et cum à Deo abscedendo ejus amore per se privatus est, nil habet quo frænentur facultates inferiores, quin in rebellionis habitum confestim ruant. Imagine igitur Divinâ exutus, & Diabolicâ indutus, peccator (& quoad actum, & quoad habitum) non est à Deo, sed à seipso.

44. Homo justitiam & amabilitatem exuendo, se Justificationis judicialis & Amoris Divini qui complacentia dicitur, naturaliter incapacem reddidit.

45. Peccando item *jus* ad *Amorem*, *præmia*, & *beneficia* Divina abjecit: Deus enim cum Lege sanxisset, Peccatorem neminem hæc jura possessurum esse, nil ultra fecit ad eorum privationem; neque enim se mutavit, neque hominem neq; Legem: sed homo se mutando, Jus suum abjecit, & Legis donationem moralem quoad seipsum cessare fecit.

46. Etiam positiva odibilitas, damnabilitas, & jus pœnas ferendi, fuit necessarium peccati consequens, quod ex Lege priùs juste stabilitâ ante peccatum ad illum minimè fluebat.

47. Conscientia boni, cum pace spirituali, necessariò cessârunt, materiâ & subjecti capacitate jam cessante.

48. Conscientia peccati est peccati ipsius naturale consequens; & inde timores, pudores, dolores, curæ & cæteræ animi molestiæ & inquietudines.

49. Ratione è solio deturbata, sensualitas jam regens, effrænes, feroces, molestantes, & frustratas cupidines excitat, & peccator in appetitûs sui compedibus captivus, ad perniciem per delicias venenatas ruit.

50. Et

50. Et sicut Jonas qui peccando tempestates causaverat, à Mari tumultuante absorbendus fuit; ita homo qui peccatis Creationem fœdaverat, & mundum deordinaverat, in mundo necessariò jactandus & vexandus est; Imò & ad majora mala tentandus.

51. Diabolum super hominem, victorem & triumphatorem, quis fecit, nisi qui victus peccando se ipsi captivum dedit?

52. Et qui naturam suam innocentiâ & amabilitate, & imagine Divinâ exuit, imaginem illam quam jam non ampliùs habuit, ad posteros non potuit propagare. Cum igitur Lege primâ Creationis, humani generis propagandi ratio stabilita sit, & concursus Divinus ut naturæ principium, quasi naturæ fabricæ contextus; Naturæ corruptæ peccatricis propagatio, necessariò à peccato primo sequitur, suppositâ mundi continuatione, & naturâ contaminatâ non-redintegratâ.

53. Etiam ipsa Divina displicentia & odium, est inevitabile peccati consequens vel effectum. Dum enim Deus est Deus, & ideo sanctissimus & Perfectissimus, fieri nullo modo potest, quin Peccatum, & Peccator quâ talis, sint ipsi exosa & displicentia. Non enim indifferens, contingens & liberum est, Deum sanctos amare, & Peccatores odio habere, sed ex immutabili naturæ ejus perfectione omnino necessarium. Deus autem non mutatur; sed per peccatum mutatus homo ex amabili fit odiosus; non realiter (sed relativè, denominativè & quoad effecta) mutato Deo.

54. Quær. *Nonne Deus etiam peccatores & indignos amat & ideo prædestinat.* *Resp.* 1. Amoris *essentia* est *Complacentia*; Amoris effectum est Beneficentia; Amoris *Actio ad effectum* hoc est Benevolentia. *Complacentiâ* Deus nihil Amat nisi *Bonum* quâ *Bonum*, & in quantum *Bonum* (vel ut simpliciter in se, vel ut Relativè ad Christum, & ad finem.) Neque *malum* qua malum ubicunque sit non odisse potest. 2. At in homine peccatore exoso, videre potest *Bonum naturale Rationalitatis*, & in hoc etiam *capacitatem renovatæ sanctitatis*, *Amoris* & *obedientiæ*; & hoc videt cum *complacentiâ* ut bonum. 3. Et inde *Benevolentiâ* liberâ capacem hunc ad actualem sanctitatem, obedientiam & felicitatem prædestinare potest. Et 4. Ita amor ut *finaliter* in Deo per complacentiam est ex naturæ ejus perfectione immutabilis, (nisi relativè mutatus per objecti realem mutationem:) At *Amoris efficientis Actio* vel exercitium ad *extra* per modum *Benevolentiæ* & *Beneficentiæ liberum* est.

55. Etsi autem Dei positiva *displicentia* & *odium* ut *Complacentiæ* contrarium, est necessarium posito peccato; Tamen *odium Dei ut Benevolentiæ* efficienti oppositum non est *necessarium*.

56. Prior autem *displicentia* etsi Actus naturæ Divinæ est, tamen peccatori tantum ut Causæ culpabili & quasi necessitanti imputanda est: Quia, ut dixi, Dei perfectio est odisse malum; at hominis malitiæ esse Deo odibilem.

57. Etsi Amor Benevolentiæ peccatorem miserum potest libere fælicem reddere, non tamen in sensu composito, sed tantum eum Bonum & Amabilem faciendo; Quia etiamsi *Amor efficiens*, *Benevolentiæ* dictus, est *fælicitatis fons*, *Amor* tamen *Complacentiæ* Creaturam Amabilem amplectens *finaliter*, est *ipsa fælicitas*. Et fælix nemo sine *fælicitate* redditur. Quandocunque igitur Gaudio spirituali Deus peccatorem velit fælicitare, necesse est ex naturâ rei ut in eadem proportione eum purget a peccatis. & amore ipsum Divino induat.

58. Etsi Pœna strictè sumpta est Rectoris tantum effectum, Amicus tamen seu Benefactor ingratitudine lacessitus suas pœnas analogicas exequitur. Et ita *Amici*, *non amare*, Benefactoris, Beneficia non amplius conferre, & Patris, amoris Paterni effectus & signa *cohibere*, eorum puniendi modi sunt.

59. Et quoniam Dei *Regnum* est *Paternum*, ubi omnia subditorum bona, sunt Regentis *propria & dona*, & ubi Amor in Regimine dominatur non admodum coactâ aut impropria significatione, *Beneficiorum Divinorum cohibitio* vel *cessatio*, Punitio diuina etiam maxime notabilis appellanda est.

60. In hoc ordine primas tenet, cohibitio vel non-donatio *Spiritûs Sancti*, quo status hominis corruptus, inimicus, & miserabilis emendari possit.

61. Huic secunda est non-donatio omnium beneficiorum spiritualium inferioris & subordinati generis; quæ mediorum ad altiora locum tenent.

62. Item non-impedire vel cohibere Diabolum & ejus satellites in terris; seductores scilicet & persecutores & pœnarum plurimarum executores permissos.

63. Quoniam omnes Pœnæ antedictæ, quæ sunt vel peccato essentiales, vel ejus naturalia & necessaria consequentia, ab ipso peccatore in seipsum inflictæ sunt, & non a Deo; & quoniam hæ pœnales Beneficiorum Negationes, sunt tantum Dei *non-agere*, & non actiones ejus positivæ; *imò* & *non-agere* tantum ubi nulla ad agendum obligatio ante fuit, scilicet *non-dare* beneficia ingrato demerenti; *non-reddere* spreta & rejecta; *non-curare* se-vulnerantem; *non-liberare* se perdentem, cordato Lectori jam considerandum relinquo, quantillum Pœnarum restat Deo authori ad scribendûm? & utrum *Animorum* Miseriæ *pars aliqua*, (saltem *notabilis*) facile inveniatur, quæ per *actum* Dei *positivum*, & consequenter per *Volitionem* ejus *positivam*, vel *Nolitionem*, inflicta esse, probari ullo modo potest? & quam prope ad veritatem Guil. Gibieuf & alii accedunt, qui negant Deum mali etiam physici authorem esse?

64. Adeo enim difficile est pœnam aliquam *Animi* nominare, quæ neque est ipsum peccatum, neque peccati naturalis & necessaria soboles, ut etiam aliquam invenire, cujus Deus est *propriè author*, & quæ *pœnæ plenam naturam* habet, æquè difficile fore non mirum est.

65. Hæc rectè pensitata Lectoris animum utilissimâ hâc notitiâ penitius imbuerent; Quanta scilicet sit *peccati malitia*; quanta *peccandi stultitia*; cum peccator omnis sit *sui ipsius cruciator*, & tantum pœnarum etiam *Infernalium*, in ipso peccato & inseparabilibus ejus accidentibus & consequentiis, situm sit. Quanta item sit *Sanctitatis præstantia*; quanta *sanctorum prudentia!* & quam *Optimus* sit sanctissimus *Jehova*; cum esse *sanctum*, sit idem quod esse *fælicem*, & cùm tantum beatitudinis cælestis in sanctitatis perfectione positum sit! & cum Deus, etiamsi Mundi Rector sit, cujus est peccatores puniendo, obedientiæ honorem tueri, & Justitiam suam glorificare; ita tamen sapientiâ suâ rerum eventus moderetur, ut ipse vix mali pœnalis spiritualis Actor esse inveniatur. sed *peccatum ipsum* sit miseria peccatoris, & qui pœnas *præmeretur* in seipsum etiam eas *exequatur*; & cum manibus peccantium ipsos peccantes percutientibus Vindicta justitiæ Divinæ, etiam nihil agendo, vel negativâ se ipsos cruciandi permissione suos fines & gloriam perfecte adipiscatur!

66. Hinc etiam Infidelium & Atheorum incredulitas de peccatorum pœnis infernalibus, medelam recipere potest efficacem; quando pensitabunt, has pœnas in ipso peccato, & naturalibus ejus Consequentiis, ut plurimum saltem, sitas esse; & opinari pœnas nullas infernales futuras esse, est idem ac opinari, vel peccatorem esse *annihilandum*, vel faciendum *non-hominem*, vel tandem gratiosè a Deo (post tempus Gratiæ) sanctificandum esse; Quod nullo medio probari potest.

67. At, dices, *An malum est in civitate quod Deus non fecit! Nonne notus sit Deus per judicia quæ exequitur. Psal.* 9. 16. *Resp.* 1. Aliquando id facere dicitur quod fieri permittit; & illud exequutus esse, quod non impedit! propterea statim dicitur *Psal.* 9. 16. *Impius in manuum suarum operibus illaqueatur*: & sæpissimè Deus *perdere* dicitur quando non liberat & salvat. 2. At de malo corporali & symbolico, ubi Voluntatis Divinæ *signa* sunt edenda, & instrumenta quædam adhibenda, Deus etiam punit *Actione positivâ*, quam igitur non omnino per antedicta excludimus. Actio quippe Positiva fuit, Arboris vitæ esum prohibere; & ex horto edenis Adamum ejicere, & Angelum adversarium contra introitum ejus viam custodire. Et in vitæ hujus ærumnis & morte inferendis, Deum nihil positive agere aut velle non dici potest. Etiamsi malum sensibile Positivum, sicut & Mors, per Divinam operandi & dandi negationem intromitti possit.

68. De pœnis peccati primi remissis, & de remissionis gradu, & de peccatore cum suo debito, & potestate eum puniendi, (ut libet & decet) in Christi Mediatoris manus traditis, postea suo loco dicendum est.

Hic autem hæ graves Questiones plenius discutiendæ sunt: 1. *An dentur peccata*

cata naturâ ſuâ Venialia? aut quæ infernales aut æternas pœnas non mereantur 2. *An Infantes peccato originali ſint fædati?* de quibus ſeorſim. (Quæſtio, An pœna æterna per peccatum Adæ merita & debita fuit? prius (De Leg. Nat.) etſi breviter, expedita eſt,).

Diſp. 1. Qu. *An dentur peccata ſuâ naturâ Venialia? aut quæ mortem æternam vel infernalem non merentur? (ubi de Conſiliis Divinis.)*

DE nomine ne lis eſſe videatur, prænotandum eſt quod diſtinctionem *peccati mortalis & Venialis evangelicam* (de quâ plura ſtatim) nos amplectimur, de quâ lege Tractat. Rob. Baronii Scoti.

Ad queſtionis autem hujus ſolutionem, negotium noſtrum præcipuum poſitum erit. 1. In nomine [*Venialia*] explicando: 2. Veritatem Theſibus quibuſdam aſſerendo: 3. Et ubi neceſſe eſt, Argumentis probando. Inutilia enim & non neceſſaria de induſtria omittam.

Regni Romani Doctores hic plurimum & turpiter ſe Confundunt, & ſibi ipſis contradicunt. Th. Aquinas 12. qu. 88. a 1. & 2. &c. Et alibi paſſim, & poſt eum Vignerius Juſtit. & cæteri ejus ſequaces, has ſeptem inter peccatum mortale & veniale differentias aſſignant.

1. Quod mortale deordinat & avertit a fine ultimo Veniale autem ſolum a Mediis. 2. Quod Mortale eſt contra præceptum & ordinem rationis: Veniale autem eſt præter, non contra. 30. Quod mortale inducit reatum pœnæ æternæ: at Veniale ſolum pœnæ temporalis. 4. Quod mortale corrumpit Charitatem; Veniale autem ſolum impedit fervorem, id eſt, actum. 5. Quod mortale relinquit maculam: Veniale autem non, niſi ſecundum quid, pro quanto impedit fervorem. 6. Mortale non remittitur in alio mundo, ſicut Veniale. 7. Mortale non remittitur in hac vita niſi per ſacramentum pœnitentiæ, vel in re, vel in voto: Veniale autem per motum Charitatis, abſque ſacramento pœnitentiæ.] Non omnia hæc (quaſi ipſis nihil in eſſet veritatis) contentioſe fugillemus; At abſurda & periculoſa multa ſunt, ſilentio non pretereunda.

1. *Peccatum* illud nominant, quod ſecundum ipſos, peccatum non eſt. Peccatum enim eſt ἀνομία, *illegalitas, vel legis violatio:* & ubi *Lex nulla*, ibi *nulla tranſgreſſio.* 1 Joh. 3. 4. Rom. 4. 15. At iſti dicunt, Peccatum aliquod eſſe *præter*, non *Contra* Legem. Cum omnes etiam brutorum actiones ſint *præter legem*, & actus noſtri non-morales. At reverâ peccatum Veniale, non eſſe peccatum opinari videntur (Quæ 8. & maxima eſt differentia) & ita Aquinas Auguſtini definitionem pervertens, [*Quod peccatum eſt dictum, factum, concupitum contra legem æternam*] de peccato ſolo mortali illam intelligendam eſſe aſſerit: & planè dicit, *Peccatum Mortale & Veniale non univocè ſed analogicè dici peccatum; & quod peccatum Veniale eſt imperfectè peccatum, ſicut Accidens eſt ens.* (Cum Scotiſtæ doceant Analogicam Vocem non eſſe tertiam, ſed vel Univocam vel æquivocam.) At metuo ne doctrina hæc neceſſario ad Analogicam tantum ducat reſipiſcentiam; & benè ipſis cedet, ſi non Analogicam tantùm habeant Remiſſionem & ſalutem.

2. Legem Dei ut imperfectam inſimûlare videntur, ut quæ peccata ne quidem vetat, quæ tamen pœnas temporales & Purgatorii merentur.

3. Conſilia igitur quæ non ſunt præcepta, (neque debitum faciunt officium) fingendo, aſſuere ea in Legis ſupplementum, neceſſe habent.

4. Peccata ſua Venialia non ipſos vel directè vel indirecte, gradu aliquo, a fine ultimo avertere, falſiſſimè fingunt.

5. Falſum item hoc innuunt, quod eſſe *Contra Media*, non conſtituit peccatum mortale: & tamen ſi Contra *præceptum* eſſet, fatentur id mortale futurum eſſe? Quaſi ſcilicet Lex Dei præcepta nulla haberet de Mediis.

6. Illud

6. Illud item Pœnam Temporalem & Purgatorii mereri asserunt, quod non nisi Analogicè peccatum est, neque legis ullius est transgressio, cum tamen Pœna temporalis & purgatorii (qualem fingunt) non tantum analogicè *Pœnæ* sunt.

7. Deum itidem injustum fingunt, qui illos vult punire qui Legem suam non transgrediuntur.

8. Pœnam peccato adæquare satagunt, non secundum magnitudinem, sed tantum secundum durationem.

9. Quod charitatis tantùm actum vel fervorem impedit, &, non eam corrumpit, Lege Divinâ non prohibitum esse fingunt! Quasi (quando Amor Dei est maximum officium, & ejus contrarium maximum peccatum) Lex nobis non juberet, Deum Amare, toto corde, toto animo, & totis viribus; & Amoris diminutio vel remissio non peccatum esset! Unde minùs eos miror, qui fornicationem, ebrietatem & mendacia quædam inter peccata venialia numerant, cum per Charitatis non diminutionem, sed Corruptionem, de peccatis mortalibus judicant. Imò neque mirandum esset, si omnes illi qui sibi persuadere possent, Amorem Dei non extinctum vel corruptum esse, per sua Adulteria, furta, perjuria, &c. hæc omnia & horum similia Venialia æstiment. (At pauciora (suspicor) Laicis fuissent *Venialia*, nisi Clericis prius essent Venalia.)

10. *Macula* eorum est nomen de cujus significatione nil certi habeo, & de quâ inter ipsos omnino non Convenit. De qua Leg. Wottonum nostrum de Reconcil. Scholasticorum varios sensus colligentem.

11. Loquuntur de *Remissione* peccati non prohibiti, id est, remissione nullâ secundum ipsos, indigentis.

12. Remissionem pœnarum temporalium in alio mundo, Purgatorio scilicet, fingunt, ut omnia inter se quadrare videantur, & verè clericorum commodo quadrent.

13. Quot amorum pœnas in purgatorio, peccata venialia merentur, mentientium nemo vel fingendo nobis dicere potest: neque an omnes qui in Christi adventu ad judicium ultimum é purgatorio liberati erunt, pœnarum tunc remissionem aliquam accipient, an plenè potius satisfeciisse putabuntur. At juxta ipsorum dogmata Patres statim post Adamum peccantes, vix minùs quam annos tres vel quatuor mille purgatorii pœnas sustulisse putandum est: & ita Adamus primus peccator, non obstante Christi Sacrificio & fœdere fuit diutissimè Purgatorii (vel Limbi patrum) possessor.

14 Ipse Doctor Angelicus (Aquin. absurdè dicit, *Peccatum Veniale Veniâ dignum esse.* Quasi Malum esset Boni meritorium! Aut pœnam meretur, aut non meretur; si meretur *pœnam*, quomodo etiam meretur *pœnæ veniam*? si non meretur pœnam quare Deus in Purgatorio peccatorem punit? Qui dicit autem Peccatum meum & *pœnam* & *Veniam* meretur, quasi dicit; meretur & ut me punias, & ut me non punias.

Siquis autem Thomam ita excusatum velit, ut per *Veniæ dignitatem*, intelligat tantum *Aptitudinem*, *Resp.* Si pœna æterna per peccatum Veniale nunquam merita est. Peccatori non potest Condonari: Condonatio enim est Debiti Condonatio, & non Indebiti; sin autem, *Pœnà temporalis* & *Purgatorii* sit peccati venialis authori *debita*, sicut *æterna mortaliter* peccanti, tunc ejusdem pœnæ quam meretur, proculdubio veniam non meretur: Neque magis peccatum Veniale, meretur Veniam quoad pœnas temporales, quam peccatum Mortale meretur veniam pœnæ sempiternæ. Dum enim utrumque suam pœnam respectivè meretur, neutrum ejusdem veniam meretur.

At Doctorum horum errores dimittamus, & varios [Venialis] sensus recitemus

1. Aliquando per [*Veniale*] illud intelligitur, quod quia Consilia tantum Evangelica negligit, at Legem nullam transgreditur, ideo pœnam nullam proprie dictam meretur.

2 Aliquando significat id quod contra præceptum quidem est; & tantillum in se malignitatis habet, ut pœnam mereatur tantum temporalem.

3. Aliquando autem per [*Peccatum Veniale*] significatur illud, quod *pœnam* quidem

dem *æternam* meretur, sed *Remissibilem*: Talem scil. ex Lege naturæ, instanti primo, debitam, (secundum Legis illius primum usum & tenorem,) qualem *Lex remedians & Condonans*, in secundo instante non debitam judicabit.

4. Et tale quidem peccatum duplici *sensu veniale* dicitur. 1. Quod remittitur aut remissibile est quoad pœnam omnibus, & solis id deserentibus, & (si vita ipsis diutius suppetat) iis qui in ordinariâ ejus perpetratione minime perseverant; vel Peccatum est cujus ordinaria aut frequentior Commissio, cum Amore Dei seu Gratiâ speciali inconsistens est. 2. Quod per Christum remitti potest etiam pœnitentibus iis, qui ab ejus commissione, ad finem vitæ non ordinariò desistunt: Prioris generis sunt omnia flagitia, vel crimina, quæ animo sanctificato inesse & innotescere non possunt, quin Gratia specialis contra ea insurgat: neque sincere possunt resisti, quin simul quoad praxin deserantur; Quia nimirum voluntatis renovatæ potestati facile subsunt. Posterioris generis sunt sanctorum *Infirmitates* ferè inevitabiles, quales sunt cogitationes inanes, & intempestivæ, Amoris Divini Gradus nimis remissus, passiones quædam subitaneæ, &c. quæ non ita Voluntati subsunt, quin cum sanctitate verâ & nolitionibus sinceris consistere possint. (De quibus in Method. pacis & Consol. Spirit. antehâc dixi.)

E contra, tot etiam distinctiones Peccati Mortalis, quoad nominis usum, memorare opus est.

1. In oppositione ad primæ speciei peccatum, *Veniale*, omne verè Peccatum dicendum est *Mortale*, quia mortem verè meretur, & temporalem & æternam.

2. In oppositione secundæ speciei, omne illud peccatum *Mortale* vocatur, quod mortem æternam verè meretur (Quod revera omne est.)

3. In oppositione tertiæ speciei, tantum *Blasphemia in Spiritum Sanctum*, & *totalis* & *finalis Apostasia*, & *finalis Impœnitentia* & *Infidelitas* (in gradu dominanti) peccata mortalia, id est, irremissibilia nominanda sunt.

4. In oppositione autem quartæ speciei, ea omnia & sola quæ *flagitia* dici solent, aut quæ cum Amoris Divini & Vitæ spiritualis dominio consistere nequeunt, peccata Mortalia sunt dicenda.

Hæc tantùm de Theologorum usu actuali horum nominum dicta sunt: Quid autem aptè & tutè dicendum est, propositionibus hisce sequentibus enarrabimus.

Prop. 1. Actus esse non paucos promptè fatemur, quos Lex Dei neque jubet neque vetat: At tales eos esse dicimus, quos *actus humanos* seu *morales* nuncupare minime licet. Actuum scilicet moralium duæ tantum sunt species, Boni & Mali; Legi conformes, & Legi disconformes; neque medius indifferens unquam datur. Datur autem sæpissime *actus medius indifferens* inter *Bonum* & *Malum morale*; At non *actus moralis medius*: Medius ideo indifferens est quia non est *Moralis*, sed in classe actionum merè naturalium tantum collocatur: (uti plenius alibi monstratum est.)

Prop. 2. Ubi plura per se considerata bona esse possunt, ad invicem tamen si comparentur, adeò æqualiter Bona sunt, ut alterum alteri præferre non Bonum sit, neque actus humanus; Quia dum *neutrum comparatè* est *eligibile*, alterutrum *verè eligere* non est actus moralis (quamvis *unum tantum* hoc *capere* sit actus naturalis:) sicut homo ova edens obligari potest ad *edendum*, fortasse etiam ad *ovum* edendum, & ad *unicum* edendum, at non ad *hoc* potius quam illud eligendum, ubi apparens nullum est discrimen. Ita ubi inter edendum, impossibile scitu est, quot buccellæ vel offulæ sint edendæ (nisi ignorantia hujus culpabilis sit) electio est extra limites moralitatis, & res naturæ vel incuriæ committenda est, donec intra cognoscibilitatis limites veniatur. Ita dum in templo conciones audimus aut cantamus, si gestus varii (ut sedere, & stare) intellectui inculpato indifferentes apparent, unum præ altero eligere ad moralitatem minimè pertinet. Horum Ratio est, quia nil nisi Bonum est objectum electionis, aut alicujus Volitionis. Quandocunque igitur actus plurimi qui seorsim boni esse possunt, circa objecta scilicet in se bona, comparati tamen Æquales inveniuntur, non unus aliquis præ aliis est *elegibilis*, vel *volibilis*. De Indifferentibus.

Notandum tamen est quod *unum præ alio eligere* potest esse *Actus Moralis indebitus*

bitus seu *Malus*, etsi non *Bonus*; per accidens scilicet; Quia malum est errare, & istud ut Bonum & eligibile velle, quod tale non est; & quod Deus & natura indifferens fecit, non indifferens esse, falsò & practicè judicare & illud (vanis cogitationibus) sub deliberatione reducere, quod naturæ totum committendum erat: Quasi deliberaret aliquis quotiescunque oculis nictandum esset.

Prop. 3. In Sacra Scriptura (& rectâ ratione) multa *in specie* ut *Bona* commendantur, cum tamen diversa vel contraria sint *Meliora*: In *specie* dico, at non *in actu individuo modificato*, & cum omnibus suis circumstantiis. Ideo *Legis universalis* Materia non fiunt, at in *specie* quasi ad hominis arbitrium relinquuntur, cum tamen *Leges Dei Generales* actum individuum unicuique plerumque faciunt, aut debitum aut peccatum. Ita Paulus de conjugio loquens & cœlibatu, dicit primum esse bonum, secundum autem meliorem; scilicet in specie *universali*; non plerumque in individuo. Materiam scilicet *Legis universalis utramque speciem* fieri non convenit, quia in se neutra mala est, etsi plerumque cœlibatus magis conveniat, rebus celsissimis Christianorum. At pauci admodum sunt in statu adeò indifferenti quibus, pensitatis cunctis circumstantiis, aut conjugium non est necessarium, aut rebus maximis impedimentum. *Necessarium* autem *rejicere* peccatum est; sicut etiam *impedimentum* salutis *prævisum* sine necessitate *eligere*: At siquis est qui revera est *in statu indifferente*, huic licitus est status alteruter; at *hunc præ altero eligere* est errare, & igitur non bonum sed malum morale est; etsi alterutrum *capere* potest: *Eligere* enim est, ut *Melius* eligere.

Prop. 4. Fatemur etiam peccata non esse æqualia, vel paria; neque pœnas æquales præmereri: Quia etiamsi omnia sint verè peccata, & contra eundem Rectorem, & easdem Leges, &c. non tamen æquali gradu Legem transgrediuntur, aut honori Dei sunt injuriosa, neque hominibus noxia: Neque cogitationem vanam, aut precationem tepidam, tantum numini displicere judicamus, quantum homicidium, Idololatria aut Blasphemia in Spiritum Sanctum.

Prop. 5. Durante hâc vitâ, (probationis tempore) peccatum omne est Remissibile sub conditione fidei & pœnitentiæ: At Blasphemia in Christi Spiritum, testem ejus in terris, remissionem excludit, quia fidem. Ista igitur, sicut & finalis & prævalens Infidelitas, Impœnitentia & Rebellio contra Deum & Christum, sunt irremissibilia.

Prop. 6. Quo magis peccatum aliquod Amori Divino contrarium est, & animum à Deo optimo fine ultimo avertit, eo pejus & pernicioſius æstimandum est.

Prop. 7. Si etiam ita animum a Deo avertat, ut ipsum ut finem & summum bonum non practice & sincerè æstimet peccator, Peccatum (sensu evangelico etiam) Mortale dicendum est, quia mortis spiritualis indicium, & æternæ mortis hæredis nota.

Prop. 8. Peccata item quædam esse, quæ cum Amore Dei & vitâ spirituali consistere possunt, non diffitemur: Quæ quidem non minima sunt, & sæpius commissa impœnitentiam, & ita mortem spiritualem significarent; voluntatem scilicet ea magis diligentem quam odio habentem: At cum subitaneâ invasione tantùm committuntur, & postea per pœnitentiam animus majore odio, & vigilantiâ & constantia contra ista insurgit, ea Charitatem omninò corrupisse aut extinxisse minimè arbitramur: Neque pœnitentem novâ Regeneratione, Adoptione, aut Baptismate opus habere; sed partiali tantum Conversione per pœnitentiam. Et hunc fuisse Davidis & Noachi statum opinamur. At si tale peccatum hodie committatur, & cras ad sacramentum pœnitentiæ Papisticum fugiat peccator, & ita frequenter peccet (flagitiosè) & confiteatur & à Sacerdote absolvetur, & ad peccandum redeat, hunc nos Amore Divino salutari omninò vacuum esse arbitramur, (quia talis peccandi facilitas cum Amore Divino & verâ pœnitentiâ consistere nequit;) Et confessio, absolutio & pœnitentia talis pernicioſe eum fallere potest, at minimè salvare.

Prop. 9. Peccata quædam adeò levia sunt, & in vitâ hâc adeò insuperabilia & inseparabilia ut Filius Dei justificatus in eorum frequenti commissione ad mortem

tem usque perseverare possit; Quæ quidem nos in sensu (non Legali, sed) Evangelico Venialia benè dici arbitramur; utpote quorum ordinaria nobis remissio obvenit, quia de ipsis sincera adest pœnitentia, odium & resistentia, etsi non absoluta adhuc extirpatio. Talia sunt Amoris Divini quoad gradum culpabilis remissio, & actuum ejus intermissio, & ita fiduciæ, gaudii spiritualis, &c. & cogitationes culpabiliter confusæ, intempestivæ, vanæ, molestæ, obedientiæ & bonorum operum gradus nimis remissus, &c. Hoc sensu peccata quædam Venialia esse tenemus; Verè scilicet sanctorum imperfectiones & infirmitates.

Prop. 10. Denique peccatorum horum Venialium plurima remissa esse arbitramur, absque particulari illorum pœnitentiâ; ubi Pœnitentia Generalis & Implicita sufficit. Sicut. 1. Si eorum ignorantia sit fere invincibilis; 2 Si subitò in negotiorum multitudine cogitationis vanæ aut dicti, observatio nos fugiat. 3. Si inter peccatorum multitudinem in statu ignorantiæ Commissorum, plurima in memoriam revocari non possint. 4. Imò fideles in remisso gradu fidei, spei & charitatis moriuntur, cujus defectus ultimo instanti explicitè pœnitendi spatium in vitâ hâc non super est. Non omnes enim *perfecti* moriuntur; Neque cum Romanis tenemus, fidei, spei & Amoris-remissiones seu imperfectiones, non esse sæpissimè moraliter culpabiles, id est, peccata.

Cum hisce Thesibus concessiones nostras enumeravimus, ut Theses etiam eorum doctrinæ contrarias proponamus, restat.

Prop. 1. Non dantur in S. Scripturis, Consilia Divina perfectionis, quæ, quoad actus individuos circumstantiis omnibus vestitos, non habent vim obligationis Legalis, & quorum transgressio non est peccatum.

Probatur. 1. A definitione præcepti. Preceptum Legis Divinæ est Authoritativa Dei determinatio officii humani debitum instituens; vel significatio Voluntatis Rectoris supremi debitum instituens. At quæ vocant *Consilia perfectionis*, sunt significatio Voluntatis Divinæ officii debitum instituentis. Ergo--- De Consiliis Divinis.

Probatur Minor, 1, Si Consiliorum horum materia, non sit nostrum officium & Debitum, tunc a nobis Deo non debetur, & ad ipsam jus non habet. At consequens falsum & impium est: Ergo tale etiam est antecedens. Consequentia patet ex officii nomine & naturâ. Officium omne Creaturæ erga Deum, debitum est.

2. Si Consiliorum horum materia non sit a nobis debita, Deo non accepta erit. At Deo accepta est--Ergo debita est. Fatemur inter homines Rectorem posse plura accipere quam quæ debentur. Hoc autem inde evenit, quia subditus est suorum proprietarius, & Rector non est Dominus absolutus; & ita habet subditus quod det, & quod Dominus ut datum accipiat. At longe aliter se res habet inter Deum & homines: Quia nil habet subditus quod proprie *sui est*, nec quod Dei absolute-Domini non est; nec aliquid boni potest, quod Dei summi Rectoris imperio non subest. Et sicut Deo nil reddere possumus nisi *suum*, ita bonum-morale nullum ipsi præstare possumus, quod Lex ejus non prius & bonum & debitum fecit.

3. Quod à nobis Deo Debitum non est, in genere moris non est (nisi malum sit.) At consiliorum materia est in genere moris, Ergo---

Probatur Major, Quia totum genus Moris formaliter consistit in *Debito* (& reductivè, in debiti privatione, vel contrario,) nec alicubi extra illud invenitur.

Arg 2. A perfectione Legis Divinæ: Quod materiam faciunt consiliorum, nil aliud est quàm summus facultatum omnium juxta vitæ hujus statum, ad gloriam Divinam usus. At summus hic omnium facultatum usus, Lege Divina præcipitur. Ergo quod consilium vocant est Lex Divina. Neque hoc ullo modo negare possunt, nisi Legis Divinæ perfectionem negando.

Arg. 3. A Lumine & Lege naturali in specie. Lex Naturæ Lex Divina est: At Lex Naturæ id facere nos jubet, quod illi Deum consulere tantum dicunt. Ergo Lex Divina hæc jubet---

Probatur Minor. Quandocunque duo simul opera nobis proponuntur facienda, Bonum scilicet & Melius, aut duo Beneficia, Majus & Minus, proponuntur recipienda, Lex Naturæ jubet, ut opus melius eligamus præstandum, & Beneficium majus (cæteris paribus) recipiendum. At quod isti opus Consiliorum esse fingunt,

nil aliud est quam Bonum Majus minori præferre: Ergo quod isti opus Consiliorum esse fingunt, est Legis ipsius Divinæ jussum.

Qui majorem negant. 1, Se Legis naturæ partem non minimam ex cordibus suis obliterasse profitentur: 2. Et magnis quidem & atrocibus peccatis indulgentiam & defensionem ita præbebunt. Quid enim est omne peccatum nisi Creaturam, minus Bonum, Deo, majori Bono anteferre? Ita Pharisæi sacrificium & sabbati requiem, operibus misericordiæ prætulêrunt. Et qui vitam liberorum alendam aut tuendam, negligunt, Bonum aliquod tamen eodem tempore præstare possunt.

3. Si Voluntatis natura essentialiter inclinatur ad Bonum quâ Bonum, tunc jubet Lex naturæ ut Bonum majus minori præferamus. At verum prius; ergo. Consequentiæ ratio est, Quia à *quatenus* ad *gradum* valet consequentia. Qui Bonum vult qua Bonum, etiam Bonum maximum vult in quantum ipsi clarè & practicè Cognitum est; vel saltem maximum velle debet. Et quidem Bonum minus (consideratis considerandis) majori anteponere, & anteponendum serio ducere, est contra ipsam naturam humanam, & rerum ordinem, & Legem divinam & innatam & scriptam. Et qui mandatorum Dei vel minimum violat, & homines ita docet, Minimus vocabitur in Regno cœlorum, Mat. 5.

Argumenta Papistarum pro Contrario talia sunt. 1. Argumentantur ex Pauli 1 Cor. 7. 38. Cui jam respondetur. Paulus de *specie* tantum actionis (Conjugii aut cœlibatus) loquitur, & non de actione individuâ omnibus suis circumstantiis vestitâ: q. d. Conjugium in specie non est status vitæ prohibitus, & ideo non *universaliter* prohibitus, sed *quibusdam* tantum: Et qui uxorem ducit non peccat, id est, non statum intrat *specie* vetitum; At cælibatus plerumque plus juvat ad opera pietatis; ergo qui statum hunc recipere possunt, ut meliorem, recipiant. At quoad actum uniuscujusque individuum, & si paucis res fortasse indifferens maneat, pluribus tamen per circumstantias & accidentia, aut *debitum* aut *peccatum* erit conjugium. Et qui non peccat eò quod uxorem duxit peccare tamen potest *intempestivè* & *inæqualiter* ducendo. Conjugium qua Conjugium non est peccatum; At Conjugium quâ inæqualè & temerè initum est peccatum. Et quando Paulus *Conjugium* dicit *bonum*; cum cœlibatum dicit *meliorem*, non status utrosque comparat in actibus individuis cum omnibus suis circumstantiis; sed tantum ut *in se* vel *in specie*, sine circumstantiis.

Et hanc esse D. Pauli mentem ex hisce patet. 1. Quia proculdubio Conjugium per accidentia plurima, fieri potest peccatum non leve: Ut siquis uxorem duxerit ad magnum & prænotum pietatis suæ impedimentum, idque sine causâ justâ; & inæquali connubio periculosè illaqueat animam suam, &c. 2. Quia ipse Paulus dicit, *melius est nubere quam ardere*; & Christus ipse dicit [*non omnes hoc verbum capere possunt*] Quibus innuunt aliquibus non tantùm *licitum* esse connubium, sed debitum, & in tali casu remedia à Deo parata negligere, esset suis precibus contradicere [*ne nos inducas in tentationem.*] 3. Quod simpliciter & semper bonum est, universis licitum est: At cœlibatus non est universis licitus: Aliter generationem generis humani finire liceret: Ergo cælibatus non est simpliciter & semper bonus; multo minùs semper conjugio melior.

2. Obi. Paulus dicit [*Mandatum non habeo, at judicium meum trado*, &c.]

Resp. Per mandatum Paulus intelligit Præceptum Divinum aliquod, quod *Conjugium* in specie, qua tale, sine accidentibus aut iuberet aut vetaret: Lex nulla Divina Universalis extitit, Conjugium vel prohibens vel præcipiens At Paulus ut Ecclesiæ Doctor, ipsos juvare conatur, quid plerumque in isto Ecclesiæ statu faciendum sit discernere; generales scilicet Regulas singularibus eorum casibus applicando, & quid magis aptitudinem medii ad finem haberet, ipsis explicando; Quam instructionem non inepte vocat *suipsius judicium*, ut à Lege Divinâ *universali* de *specie* distinctam.

3 Obj. 1 Cor. 9. 16. *Necessitas evangelizandi Paulo imposita est; at non sine stipendio evangelizandi; Quod tamen mercede speciali dignum erat.*

Resp. Non innuit Paulus, quod qui stipendium accipiunt, evangelizandi mercedem nullam à Deo recipient; neque quod necessitas nulla aut ipsi aut aliis à Deo imposita

impoſita eſt, ſine ſtipendio unquam evangelizandi. Quis unquam Chriſtianus dixit, præmium nullum futurum eſſe, præceptorum divinorum obedientiæ? Aut quis unquam dixit vel Paulum vel alios Chriſti Apoſtolos non turpiter peccaturos eſſe, ſi evangelizare deſiiſſent, quandocunque ſtipendia numerare populus deſineret? Quando ipſe dicit, *Væ mihi ſi non evangelizavero*, ſcil. ſive ſtipendium recipiam, ſivè non. Peccatum fuiſſet Pauli mortale, deſinente ſtipendio, evangelizare deſiiſſe: Et peccatum fuiſſet, etſi minus, ſtipendium tunc accepiſſe, quando in animarum detrimentum, & Evangelii impedimentum, ceſſiſſet. Quis ſobrius licitum eſſe judicet, ſtipendium, animarum ſaluti anteferre? Hoc tantum vult D. Paulus; Quod evangelizare eſt Apoſtoli officium *ordinarium* & *in ſe*, ex Lege Divinâ Apoſtolis univerſali; At ſine ſtipendio evangelizare non ita; ſed tantum eſt per accidens officium quorundam in quibuſdam caſibus; at in hiſce caſibus, non indifferens; neque materia *Conſilii*, quod non eſt *præceptum*: Quodque per modum præſtandi imprudentem, invitum & turpem, operis præſtantiſſimi, abſolutè neceſſarii præmium divinum amittere potuiſſet: At per fidelem & debitam præſtationem (ſtipendium ſcilicet ab hominibus debitum deferendo, quando ad operis fines hoc neceſſarium apparebat,) hoc præmium obtinebat. Quod mera *operis ipſius omiſſio*, ad pœnam ſufficere potuiſſet; ſed non tantum operis præſtatio, ſed *modus* item rectus *præſtandi*, ad præmium Divinum eſt neceſſarius: Quia bonum eſt ex cauſis integris; & modus malus malam facit actionem. Hæc clara eſt D. Pauli ſententia: Qui *conſilium* abſque præcepto, & cujus violatio non eſt peccatum hinc expiſcari ſatagit, ex proprio cerebro ſine omni probatione, rem totam comminiſci & expromere neceſſe habet.

Prop. 2. *Peccatum vel minimum perpetuam demeretur pœnam, & talem peccator dabit, niſi à Deo condonatus ſit.*

Argumentis autem hânc Propoſitionem probantibus, hæ Theſes præparatoriæ præmittantur.

1. Si Propoſitionem hanc veram eſſe probare non poſſemus, non ſequeretur contrariam veram eſſe, ſed tantum rem incertam eſſe: A temeritate igitur excuſari non poſſunt, qui contrarium ut certum aſſerunt, & in ea aſſertione, quam probare non poſſunt, conſcientiarum pacem fundant, unde plurimorum animæ periclitantur.

2. Homo in ſtatu peccati ad quæſtionem hanc ſolvendam adeò ex ſe ineptus eſt & incapax, ut ſoli revelationi divinæ in Sacris Literis, in caſu hoc præ multis aliis, adhærere maximè neceſſarium ſit. 1. Quia in caſu hoc admodum *partiales* ſumus. Quis enim contra ſe facilè concludet vel leviſſime peccando ſe pœnas meruiſſe infernales? Etiam de pœnis temporalibus, quis latro vel homicida ſe patibulum meruiſſe, niſi invitus & evidentiâ irrefutabili convictus, fatebitur.

2. Natura humana jam adeò prava evaſit & fœdata, ut malignitatem peccati haud facilè cernat; & ideo ejus pœnæ demeritum non magis facilè.

3. A notitia ipſius Dei adeò mentes humanæ jam abalienantur, ut glorioſam ejus *ſanctitatem*, haud facilè agnoſcimus: Et meritum peccatorum non ulterius dignoſcitur, quàm Naturæ Divinæ Sanctitatem, Bonitatem, Sapientiam & Majeſtatem perſpectas vel notas habemus.

4. Divini etiam Regiminis, & totius Moralitatis pulchritudinem non cernimus, ut qui *totum* ex partibus omnibus rectè poſitis conflatum non cernimus; Et quia integri Symphoniam & Symmetriam non percipimus, igitur integritatis hujus & Symmetriæ violationem in ſuâ malitiâ parum itidem novimus.

5. Quia ideam integram hujus Regiminis Divini à capite ad calcem nos perſpectam in mente non tenemus, ideo quantùm rerum ordo, & fines Regiminis, peccatorum punitionem requirunt, nobis haud facilè innoteſcit.

6. In pluribus etiam aliis ad quæſtionis hujus juſtam determinationem neceſſariis, Naturæ depravatæ Lux jam cæcutit, & planè inſufficiens eſt.

In hâc tamen Naturæ cæcitate Argumenta hæc naturalia nobis inter alia ſuperſunt.

Arg. 1. *Peccatum vel leviſſimum meretur Mortem ſempiternam: At mors ſempiterna ob peccatum, eſt pœna ſempiterna: Ergo peccatum vel leviſſimum meretur pœnam ſempiternam.*

Major (quæ ſola probatione indiget) ita probatur.

Quod mortem meretur, ſempiternam mortem meretur: Peccatum leviſſimum mortem meretur: Ergo ſempiternam mortem meretur.

Probatur Major, Quod mortem meretur nullo manente merito reſurrectionis ſempiternam mortem meretur: Peccatum leviſſimum mortem meretur, nullo manente merito reſurrectionis: Ergo ſempiternam mortem meretur.

Majoris ratio per ſe patet: Qui mortuus eſt niſi reſurgat aut reſuſcitetur, ſemper mortuus erit. Ubi igitur adeſt meritum mortis, & abeſt meritum (addo & promiſſio) reſurrectionis, ibi eſt ſempiternæ mortis meritum.

Et Minor probatur; Quod mortem meretur, & reſurrectionem neque meretur ante mortem, neque in articulo mortis, neque poſt mortem, mortem meretur nullo manente meritò reſurrectionis: ſed peccatum leviſſimum, &c. Ergo---

Qui mortem meretur in hâc vita non poteſt in hâc vitâ mereri reſurrectionem: Quia Contradictio eſt mereri mortem & vitam: Hoc enim reverâ eſſet non mereri mortem & eam mereri. Meritum reſtitutionis vitæ, prius fuiſſet meritum non-ablationis. Neque in inſtante mortis, neque poſt mortem aliquod reſurrectionis meritum fingi poteſt: Quia mortuus non meretur: ſaltem de mortuo qua mortuo, & ita de omnibus mortuis dici non poteſt quod merentur reſurrectionem; & ideo peccatum leviſſimum mortem ſempiternam meretur, donec contrario merito expietur: Cui quis ſobrius confidet?

Tota etiam hæc argumentandi ſeries de Annihilatione æque ac de morte inſtitui poteſt. Et proculdubio annihilati non eſt meritum.

Præterea, quod meretur mortem, meretur poſt mortem, vel ſtatum vitæ futuræ bonum, vel malum, vel nullum: Non bonum; quia mortem ipſam meruit: Si malum, datur quæſitum; ſi nullum ita procedo. Quod meretur annihilationem, meretur pœnam annihilatione minorem vel æqualem: At pœna quædam ſempiterna annihilatione minor vel æqualis eſt: Ergo peccatum quod meretur annihilationem, meretur pœnam quandam ſempiternam.

Probatur minor ex communi ſenſu & æſtimatione generis humani. Quis enim non mallet cum pœna aliquali leviore vel tolerabili vivere, quam non eſſe? etiam pauperes, laborantes, & quotidie afflicti mortem nollent, nedum annihilari vellent.

Totum igitur quod probandum reſtat eſt minor prioris proſyllogiſmi, *viz. Quod peccatum leviſſimum mortem meretur* (imo annihilationem.) Quod probatur 1. Ex Rom. 6. ult. *Stipendium peccati mors eſt:* ubi de peccato majore & minore non diſtinguitur. Item Ezek. 18. *Anima quæ peccat ipſa morietur.*

Et cùm Adamo dicitur, *In die quo edes, eris filius mortis*; ſpecies ponitur pro genere, *In die quo peccas.* Nemo enim dubitare poteſt, quin aliæ peccati ſpecies, puta blaſphemia, odium Dei, &c. mortem etiam meritæ fuiſſent: At nulla hic exceptio eſt levioris.

2. Si peccata leviſſima non mortem mereantur, Chriſtus pro leviſſimis non eſt mortuus: At Chriſtus pro leviſſimis mortuus eſt. 1. Quia dicitur pro peccatis noſtris ſine exceptione mortuus eſſe. 2. Aliter vix unquam nobis certò innoteſceret pro quibus peccatis Chriſtus mortuus eſt & pro quibus non eſt mortuus. Ad majorem autem probandam notandum eſt. 1. Quod ubi mors à peccatore non eſt merita, pro eo ut moriatur Chriſtus non neceſſe eſſet. 2. Quod mori dicitur ut nos à morte liberaret; & Satanam qui (ob peccata) mortis poteſtatem habuit ſuperaret, & nos, qui timore mortis quaſi in ſervitute viximus, in libertatem vindicaret, Heb. 2. 14, 15. Et unuſquiſque baptizatus, etiam parvuli in Chriſti mortem baptizantur, cum ipſo (ſub aquis) quaſi mortui & conſepulti, ut ſe mortem meruiſſe, & in Chriſti pro ipſis mortem, fiduciam ponere profiteantur.

3. Si

3. Si mors non est pœna major quam meretur leviſſimum peccatum, tunc quod pœnam meretur, etiam mortem meretur. At verum prius; uti jam probatum dabo.

1. A diſtantiâ infinitâ inter Creatorem & Creaturas: Quandoquidem Deus infinitè creatis omnibus antecellit, non fieri poteſt quin leviſſimum contra ipſius honorem, Voluntatem & Legem peccatum, vel maximam (multò magis leviorem etſi ſempiternam) pœnam mereretur: Maximum enim creaturæ incommodum aut nocumentum, non comparandum eſt vel minimæ diſplicentiæ vel injuriæ Divinæ; Quia inter finitum & infinitum nulla eſt proportio: etſi peccatores ex philautiâ, ſua bona juſto pluris faciunt, & Dei gloriam & Voluntatem parvi faciunt.

2. Ex nullitate Divinæ obligationis, ad *vitam* vel *exiſtentiam* creaturæ continuandam.

Si Deus poteſt vel innocentiſſimi vitam vel exiſtentiam finire (ſuppoſito hoc, nullam exſtare ejus promiſſionem de eis continuandis, *tunc proculdubio poteſt idem facere peccatori, etiam ob leviſſimum peccatum. At verum prius: Ergo & poſterius.*

Probatur Antecedens:

1. A Dei abſoluto Dominio. Qui omnium Creatorum eſt Dominus abſolutiſſimus poteſt de ſuis agere quicquid vult, & ideo eorum vitas vel exiſtentias finire. At Deus eſt Creatorum omnium Dominus abſolutiſſimus; Ergo---

2. Qui de facto vitas omnium brutorum, avium, quadrupedum, piſcium, ſine peccati demerito aufert, etiam hominum vitam ſine peccati demerito auferre poteſt (ſi aliter facere non promiſit) At &c. ergo---

3. Si homini peccatori liceat animalium etiam pulcherrimorum & manſuetorum & innocentiſſimorum vitas tollere, & vel plurima uno cibo devorare; imo equos & boves priùs laboribus fatigare, & poſtea trucidare; multò magis Deo de viſis humanis hoc licet. At, &c. Ergo &c.---

4. Deus potuit ſine injuriâ ab initio nos feciſſe bufones, ſerpentes, araneas, vermes. &c. Quia tales fecit, & nobis non-exiſtentibus non fuit obligatus. Ergo jam poteſt (ſalvis promiſſionibus) nos tales, etſi innocentes eſſemus, facere: Qui enim potuit beneficia ſua non omnino dediſſe, poteſt ea dare tantum ad tempus limitatum, & poſtea auferre: plus enim eſt ad tempus dediſſe, quam nunquam dediſſe. Si autem innocentem in araneam vel bufonem vel bovem laboribus fatigatum tranſmutare ſine injuriâ poteſt, leviorem pœnam inferre poteſt, ob leviſſimum peccatum. Quis enim non potius moreretur, aut pœnam leviorem perpetuam toleraret, quam ut bufo aut ſerpens fieret.

Non dico tamen cum doctiſſimo D. Twiſſo, *Melius eſſe miſerum eſſe quam non eſſe*: de hoc enim hiſce paucis & naturâ notis, ſatis ad veritatem eruendam, dictum arbitror.

1. Deus eſt Bonitatis omnis creaturarum origo, finis & menſura. Illud *bonum* eſt quod Divinæ Voluntati placet.

2. Quodcunque igitur vult Deus, ſimpliciter bonum eſt: Creaturæ *eſſe*, etiamſi in miſeriâ, quando à Deo volitum eſt, Melius eſt ſimpliciter quam *non eſſe*: At Creaturæ *non-eſſe* quando item à Deo Volitum eſt, melius eſt quam *eſſe*.

3. Ratio humana non errans, ſibi dictitat, Voluntatis Divinæ Complacentiam & Dei gloriam, noſtræ fælicitati eſſe anteponendam, ſi in oppoſitione poſita eſſent, & electio nobis offerretur: Imò miſeriam qualemcunque ferendam eſſe, ſi fini huic ultimatè ultimo medium deſtinaretur.

4. Amor ſui & fælicitatis, & miſeriæ odium & fuga, à Deo Creatore adeo penitus & indelebiliter naturæ humanæ implantata ſunt, ut Homo, dum Homo eſt, juxta naturam ſuam, miſeriam ſummam velle non poſſit neque fælicitatem ſuam non velle.

5. *Bonum* ut *Volendum* (da veniam verbo) eſt *Bonum naturæ humanæ congruum*; Itaque 1. aut *Bonum Divinum ſimpliciter*, fælicitati noſtræ non oppoſitum. 2. aut idem Bonum cum fælicitate noſtra Conjunctum. 3. aut ſola noſtra fælicitas (aut alio-

aliorum,) Voluntate Divinâ non consideratâ. Primum est Bonum supremum per se, secundum est Bonum supremum cum inferiore; Tertium est Bonum inferius præscindendo à superiore (non autem positivè illud excludendo.)

6. Deus mortalium nemini suam Gloriam & Complacentiam Volendam aut eligendam proponit, in oppositione ad nostri fælicitatem, neque ab eâ totaliter separatam; sed conjunctim suam Gloriam & Complacentiam ut finem simpliciter Ultimam, cum nostrâ fælicitate, ut fine ultimâ particulari secundum quid, vel ut medio necessario, Volendam proponit.

7. Ergo summe miserum esse nunquam est homini Bonum, & nunquam eligibile.

8. Neque ut *minùs malum* eligendum unquam *a Deo* proponitur: Quia in talem mali *eligendi* necessitatem nemo unquam *à Deo* præcipitatur.

9. Homini ipsi minus malum est pœnarum gradum ferre quendam tolerabilem, quam non esse.

10. Gradus tolerabilis est, quando plura vel majora sunt vitæ solamina, quam mala; & ubi fælicitatis Gradus, infælicitatis gradui præponderat.

11. Pejus igitur & magìs recusabile est summe miserum esse quam non esse; Christo ipso testante [*Bonum isti homini fuisset si nunquam natus esset*, Matth. 26. v. 24.

12. Etiamsi *Vita* & *existentia* sine *sanctitate* & *fælicitate*, & *cum peccato* & *miseriâ*, est *Bonum quid Naturale*; dum *nihil esse*, vel *non existere*, *Bonum omne* excludit, tum naturale tum morale; Bonum tamen *naturale existentiæ* sine *Bono Morali*, & *Bene-esse*, naturæ humanæ non est *eligibile*; & cum peccato & miseria, est fundamentum vel basis mali & infælicitatis. Ideoque quomodocunque intellectui Divino præsentetur, ut ipsi eligibile, an non; proculdubio Voluntati humanæ non est eligibile, neque quoad *posse*, neque quoad *debitum*. Et hæc de D. Twissi Paradoxo obiter dicta sufficiant.

Objicitur contra Propositionem. 1. Johannes distinguit inter *peccatum ad mortem*, & *peccatum non ad mortem*.

Resp. 1. Plurima peccata per condonationem evangelicam non sunt ad mortem, quæ tamen juxta Legem Naturæ & fœdus innocentiæ, mortem merentur: Aliter condonari non potuissent. 2. Si per peccatum ad mortem intelligitur, vel peccatum morte temporali per Magistratum aut Dei miracula plectendum, vel peccatum summæ contumaciæ per Pastores Ecclesiasticos non condonandum, remotior adhuc hic textus est à proposito objicientium.

Obj. 2. Jacobus ait, 1. 13, 15. *Quando peccatum consummatum est mortem parit.*

Resp. At non dicit, *Quando consummatum est, tantùm mortem meretur.* Condonatio Evangelica mortis executionem plurimis antevertit; (& ipsos liberat) qui tamen juxta Naturæ Legem mortem demeriti sunt.

Prop. 3. *Peccatum vel leviſſimum totam damni pœnam meretur, quoad objectum, quam ſubeunt damnati.*

Hoc plenè ex antecedentibus probatur; si annihilationem mereatur, totam damni pœnam objectivam meretur. Id est, amissionem totius boni, etsi non subjectivus sensus illius amissionis adsit. Ratio est, quia qui Nihil est, nihil possidet.

Prop. 4. *Peccatum leviſſimum perpetuam ſenſûs pœnam meretur.*

Hoc etiam ex antedictis satis patet; si enim annihilationem mereatur, *gradum aliquem* pœnæ sensûs mereri necesse est: Quia 1. Gradus aliquis annihilationi præponendus est. 2. Et Deus qui hominem fecit quoad animæ aptitudinem immortalem, suo opere innuit, se potiùs creaturam Immortalem puniturum per pœnam sensus continuatam, quàm omninò perditurum per annihilationem: Neq; putandum est Deum velle creaturas suas annihilare, aut earum naturas mutare, quotiescunque se polluent, & pœnam meriti erunt.

Prop. 5.

Prop. 5. *Peccatum leviſſimum tantum pœnæ ſenſûs demeretur, quantum pœnæ damni proportione æquivalet, ſi peccator annihilaretur.*

Suppoſito hoc, Deum peccatorem annihilationem merentem non annihilaturum eſſe, ejus loco tantum pœnæ ſenſus eligere poteſt, quantum pœnæ annihilationis, & amiſſionis omnis boni æquiponderat; ſi enim pœnam æqualem peccatum leviſſimum mereatur, tunc *hæc* pœna non eſt demeritâ major. Et utrum ſit *aptior* Deus optimè novit.

Prop. 6. *Cum hæc omnia etiam obcæcato naturæ oculo adeò clara ſint, verè dici poteſt Deum Lege Naturæ pœnam ſempiternam peccato unicuique debitam ſtatuiſſe, etiamſi Sacra Scriptura nihil de hoc declaraſſet.* Cum enim Lex Naturæ ſit Lex Divina, dicendum eſt Hanc eſſe Legem Dei Adamo impoſitam, ſecundum quam à Deo judicandus erat.

An verò Deus neceſſariò an liberè peccata punit, & utrum ea omnia, vel aliqua ex mera Gratia ſine ſatisfactione condonare poſſit? ſunt quæſtiones non hic, ſed poſtea ſuo loco tractandæ.

Ex omnibus hiſce liquet, quod diſtinctionem Peccati ut *Mortalis & Venialis* ut *Evangelicam*, & ex *fœdere Gratiæ ſumptam*, non tantum non recuſamus, ſed ut neceſſariam (quoad ſenſum) amplectimur. Diſtinctionem autem hanc ut merè Legalem, & à fœdere Naturæ innocentis ſumptam, ut falſam & periculoſam deteſtamur.

Et gradus pœnarum diverſos ob peccatorum diverſitatem minime diffitemur. Et an peccatum vel leviſſimum pœnam ignis infernalis morte pejoris juxta ipſam Naturæ innocentis Legem mereatur, non hic ſed alibi conſideratur.

Diſput. 2. Qu. *Utrum Infantes peccato Originali ſint fœdati?* Affir.

Et ſubordinata; Utrum Juſtitia Originalis fuit Naturalis?

Hic ſtatim explicandum eſt, 1. Quid ſit Peccatum Originale? 2. Propoſitionem affirmativam explicare: 3. Et Argumentis probare oportet.

I. In ordine ad primum, quærendum eſt, 1. Quid ſit *Peccatum in genere*? 2. Quid nomen [Originale] ſignificat; 3. Quid ſit *Juſtitia* Originalis.

1. Peccatum eſt ἀνομία, irregularitas, diſſonantia vel inconformitas Legi Divinæ: Vel eſt Defectus, Inclinatio, Habitus, vel Actio Legi Divinæ, Juſtitiæ regulæ contraria. De forma ejus Relativa jam ſatis dictum eſt.

2. Peccatum dicitur [*Originale*] tum quia nobis ab *Origine* ineſt, per propagationem naturalem; tum quia omnium ſequentium peccatorum eſt *Origo*.

3. At quia Juſtitiæ Originalis natura priùs neceſſariò intelligenda eſt, Quærendum eſt, 1. In quo *Juſtitia Originalis* conſiſtebat? 2. Utrum Naturalis erat Adamo an ſupernaturalis?

1. *Juſtitia Originalis* de quâ quæritur, non eſt *Juſtitia Actionum* (*Activa* dicta:) Illa enim non fuit concreata, ſed ab Adamo liberè poſtea (ad tempus) præſtita; ſed quoad *Materiam* conſiſtebat, 1. In Animi erga Deum, qua Deum, Inclinatione, ſive Habitu, vel Diſpoſitione, vel Propenſione Morali Deo ſe reſignandi, Deo obediendi & Deum amandi propter ſeipſum ut Bonum ſimplex primum & ultimum, infinitum; & deinde ut ad fælicitatem noſtram objectum ſolum ſuperadæquatum. 2. In *Intellectûs diſpoſitione* debitâ ad Deum cognoſcendum ut ita *amandum*; & ut ipſi ita *obediendum* eſt.

3. In *Potentiâ Activæ Vitalis vivacitate ſpirituali* & *robore*, ad opera omnia, Reſignationis, Obedientiæ & Amoris præſtanda.

Formaliter autem in Relatione ſæpius deſcriptâ conſtitit.

Ex

Ex hiſce ſatis liquet, Quid *Originale* peccatum eſt. In Adamo quidem primò fuit *Actus prohibitus*, & inde *Diſpoſitionis* pravitas: In nobis autem eſt, *fundamentaliter* quidem talis actualis peccati Adami *participatio naturalis* & *imputativa*, quæ poſtea plenius explicabitur; At quoad exiſtentiam conſiſtit, 1. *Materialiter*, 1. In *Privatione*: 2. In *poſitiva corruptione*. 2. *Formaliter* in *Relatione*.

1. Conſiſtit in privatione *Juſtitiæ Originalis* antedeſcriptæ. 1. *Subjectivæ*, 1. Intellectûs, 2. Voluntatis, 3. Potentiæ activæ. 2. *Objectivæ*; Erga *Deum*, ut 1. *Proprietarium*, 2. *Regem*; 3. *Benefactorem*, *Amatorem* & *finem*.

2. Conſiſtit in *perverſâ Diſpoſitione poſitivâ* hiſce contrariâ.

3. Et in *facultatum inferiorum rebellione*, & in mentem Dominatione, quæ radix eſt contrarietatis poſitivæ in *mente* jam nominatæ.

2. *Formaliter* autem conſiſtit in Relationibus ſæpe memoratis.

Quando *facultatum inferiorum dominationem* nomino, includo earum Objecta jam prævalentia; *viz. Inordinatam Delectationem* in *genere*; & *Voluptatem ſenſualem*, *Opes* & *Honores* amatos in ſpecie.

2. *An Adami Juſtitia originalis fuit Naturalis?* Præter multa jam dicta *Reſp.* 1. Si [*Naturalis*] id ſignificat, quod in nobis primò Creatum fuit, & non poſtea ſuperadditum, ita Juſtitia Originalis *Naturalis* fuit.

2. Si *Naturalis* id ſignificat quod *Naturæ creatæ primitiva perfectio fuit*, ſicut *Sanitas Corporis*, & non tantùm vel *acquiſita perfectio*, qualis eſt Adamo notitia nominum vel naturarum animalium, & quales nobis artes plurimæ & ſcientiæ, nec tantum extrinſecum additamentum, ut veſtitus corporis; ita etiam *Juſtitia Naturalis* fuit.

3. Si per *Originalem* ea intelligatur Juſtitia, quæ ad poſteros naturâ propaganda foret, ſicut ſanitas corporis, niſi parentes peccaſſent, ita etiam *Juſtitia Naturalis* erat.

4. Si per *Naturalem* ea Juſtitia intelligitur, quæ reſtituta *Naturam* ad *Integritatem* ſeu *ſanitatem* primitivam reſtituit, ſicut valetudo corporis per medelam reſtituta; ita etiam *naturalis* eſt.

Sin autem 1. per *naturalem* intelligatur, *quid naturæ eſſentiale*, & *inſeparabile*, ſicut *Vita*, *Ratio* ant *Voluntas* animo, ita non fuit juſtitia *Naturalis*.

2. Si per *naturalem*, intelligatur, id quod jam *naturaliter* nobis *obvenit*, & nobiſcum ex *naturæ principiis* in *ſtatu lapſo* natum eſt, ita etiam non eſt *Naturalis*.

3. Si per *Naturalem*, ea ſignificetur, quæ per media tantum *Naturalia* jam acquiri & reſtitui poteſt, ſine *Gratia* aliqua ſupernaturali, ita etiam non eſt *Naturalis*.

Quoniam autem Jerem. Tailerus Epiſcopus Hibernicus in Tract. de Pœnit. & alii qui negant peccatum originale, nixi falſa hâc hypotheſi [Juſtitiam Originalem fuiſſe, quiddam non naturale, vel naturæ ſuperadditum, quâ cum Infantes orbati ſunt, in *Puris tamen Naturalibus* manent,] hic paucis Juſtitiam hanc naturalem fuiſſe, probabo.

Arg. 1. *Qui concreatâ naturali animi perfectione, diſpoſitus erat ad amandum Deum qua Deum, Juſtitia diſpoſitivâ Naturali præditus erat:* At Adamus talis erat--- Ergo. Non loquor de remotâ capacitate ſicut artium Capaces ſumus, ſed de Naturali-morali diſpoſitione. Minor in ſequentibus probabitur.

Arg. 2. *Qui naturaliter diſpoſitus erat ad ſciendum Deum eſſe Deum, & ſuum Deum, is naturaliter diſpoſitus erat ad Deum amandum, id eſt, naturaliter Juſtitiam habuit diſpoſitivam:* At Adamus, &c. Ergo---

Major probatur, Quia, ſi Intellectus diſpoſitus fuiſſet ad Deum ſciendum, & Voluntas non diſpoſita ad Deum amandum (ita ſcitum) tunc hominis anima monſtroſa creata eſſet, & Voluntas manca & turpiter deformis, & ad naturæ & creationis fines & opera inepta, & diſproportio etiam & pugna eſſet inter animi facultates: At conſequentia hæc omnia falſa ſunt: Ergo & antecedens.

Minor etiam probatur: Quia ſi natura Rationalis ad Deum ſciendum non

Diſpoſita

Dispositа esset, tunc vel ad Deum Amandum eoque fruendum non creata fuit (quæ brutorum discriptio est) vel ad fines creationis indispositа & inepta fuit: At falsum utrumque Consequens--Ergo & antecedens.

Arg. 3. *Quæ non absque omni Bono morali creata est natura, ea non sine Amore Dei dispositivo* (id est *Justitiâ*) *creata est. At Natura Adami non sine omni Bono morali Creata est: Ergo nec sine Amore vel Justitiâ Dispositivâ.*

Probatur Major. Quia Ubi principium & finis necessarius boni omnis moralis desunt, ibi bonum omne morale Verum (sepositо Analogico) deest: At ubi non est Amor Dei dispositivus, principium & finis omnis boni moralis in dispositione desunt.---Ergo & omne bonum morale. Minimè Bonus vere nominandus est, qui Amore divino dispositivo omnino orbatus est.

Probatur Minor, Quia aliter dum hominem non Bonum moraliter à Deo creatum esse homines opinantur, Deum item non bonum (ut qui in operum suorum speculo nobis innotescit) statim fingent: Et dum opus Dei inferiorum præstantissimum dehonestant, Deum opificem cum omnibus ejus operibus item traducunt. Neque potuit homo Justitiam illam naturæ amittere, quam natura ejus non prius habuit.

Arg 4. *Qui fingunt Deum priùs hominem fecisse hominem, & postea justum, vel ad Deum amandum dispositum, sine omni scriptura & ratione ex cerebro suo fingunt, Deum prius hominem fecisse vel brutum, vel malum, & deinde Hominem, vel Bonum. Quasi fingerent Deum Primo Corpus fecisse Corpus, & deinde sanum; At hoc absurdum.* Et ex natura jam noscitur in renatis Amorem Dei esse ipsam animi sanitatem & salutem.

Arg. 5. *Quæ creata fuit natura in Imagine Dei, creata fuit in Justitia seu Amore dispositivo. At natura Adami creata fuit in Imagine Dei. Ergo---*

Probatur Major; Quia Imago Dei consistit in triplici perfectione ante memorata, id est, in justitia originali, testante Spiritu sancto Eph. 4. 24. cum Col. 3. 10. Et notandum est, quod de Imagine morali sanctitatis jam loquimur.

Minor expresse continetur, Gen. 1. 26, 27. & prius citatis.

Arg. 6. *Quem Bonum & valde Bonum Deus fecit, ad amandum ipsum (si capacem etiam) dispositum fecit.* At valde Bonum fecit hominem, Gen. 1. 31. Ergo---

Miram nobis fingunt Bonitatem, & miram Dei Imaginem, Justitiæ & Charitatis dispositivæ expertem.

Arg. 7. *Natura Rationalis quæ facta est ob Deum ut ultimum finem, ad Deum amandum, dispositа facta est: At natura humana fuit Rationalis & facta ob Deum ut ultimum finem--- Ergo.*

Probatur Major, 1. Quia omnia Dei opera ad fines suos adaptata & modo proprio dispositа sunt: Ergo & homo. At ad finem ineptus fuisset si ad Deum amandum ineptus & indispositus esset. Quia Deus ut finis, est Deus Amatus.

2. Imo homo malus aliter creatus esset, & ad actualem malitiam & peccandum inclinatus: Quoniam sensum habuit & appetitum sensitivum ad sensualia & creata inclinatos: Si ergo Voluntas & cæteræ facultates superiores ad Deum & superiorâ fuissent indispositæ & indifferentes, tunc facultates inferiores inclinatæ facultates superiores indifferentes certò superaturæ essent.

Qui minorem negat, humanitatem & fidem negat.

Arg. 8. *Veritas nostræ assertionis patet, etiam ex reliquiis boni à natura fere inseparabilibus, quæ Bonum morale quasi analogicum sunt.* 1. Voluntas essentialiter inclinatur ad Bonum qua Bonum apprehensum: Ergo maxime ad bonum Maximum ita apprehensum. At in statu innocentiæ quid impediret, quo minus Adamus Deum Bonum & Optimum apprehenderet? Attamen inclinatio hæc generalis; specialem erga Deum habuit concomitantem.

2. Homo in innocentia ad suam veram fælicitatem cognitam dispositus fuit. At Deum & ejus Amorem esse suam veram fælicitatem tunc cognovit.

3. Nulla Creatura mentem satisfactione & requie implere potest: Ergo homo dispositus erat ad Deum qui mentem implere potuit.

4. Creaturæ naturale est perfectionem illius boni velle, quod imperfecte possidet: Ergo si concederetur Adamum gradu imperfectissimo ad Deum amandum dispositum esse, sequeretur eum ad magis & summe amandum etiam dispositum esse, aliquo gradu.

Et si inclinationes hæ naturales adhuc naturæ depravatæ insunt, nonne melius nihil in innocente & integrâ fuisse opinaberis.

Arg. 9. *Qui Lege Naturæ obligatus erat ad Deum supra omnia amandum, is etiam ad Deum ita amandum fuit dispositus: At Adamus obligatus est*, &c. Ergo.

Minor à nemine Christiano negatur, quod sciam.

Major probatur, Quia sapientissimus Creator suas omnes creaturas ad usus proprios adaptavit: Ergo, is qui ex nuda naturarum resultantiâ ab homine primò & summè amandus, erat, proculdubiò ad Legem hanc naturæ primam, dispositione naturali subditum suum accommodavit.

Arg. 10. *Qui hominem, fecit Rectum, fecit Justum, Sanctum, id est, ad Deum amandum dispositum: At Deus hominem fecit Rectum*, Eccles. 7. 29. Ergo---

Rectitudo naturæ humanæ consistit in dispositione (& aptitudine) necessariâ ad finem & opus proprium: At dispositio ad Deum amandum, est dispositio ad finem & opus proprium. Ergo---

Arg. 11. *Si Regeneratio est reparatio Imaginis Divinæ in naturâ humanâ, & ejus restauratio ad sanctitatem dispositivam, tunc homo peccando ab istâ imagine & sanctitate decidit: At verum prius*, ut probatur ex Col. 3. 10. Eph. 4. 24. Ergo.

Et qui à sanctitate decidit, in sanctitate creatus est; quia ab imagine in quâ creatus est decidit; & ad eandem reparatus est.

Arg. 12. *Doctrina contraria nimis favet & fovet infidelitatis & bestialitatis opiniones*; *viz.* Hominem non factum esse ad vitam sempiternam, neque vitæ melioris esse naturaliter capacem; sed esse tantum brutorum ingeniosissimum, non ad altiora quam terrestria ingeniosè tractanda, adaptatum.

1. Negat enim Argumenta omnia ad probandam animi immortalitatem à natura desumpta: Si enim Animi Immortalitas à natura probetur, aut *fælicitas* ejus aut *miseria immortalis* itidem *probanda* est: Si enim ut *Animus* vivit, in statu *Vivacitatis, Intelligendi & Volendi* vivit: Idque vel rectè vel pravè; benè vel malè; cum gaudio vel dolore; & similiter *dispositum* esse, quis potest dubitare.

2. Si natura hominis non primo creata est ad Immortalitatem & fælicitatis media, disposita; difficile erit probatu aut creditu Deum unquam hominem ad vitam cœlestem destinasse; ad id scilicet ad quod natura vel innocentissima nullam habuit naturalem inclinationem, aut aptitudinem dispositivam; Quandoquidem nulla datur probatio, dispositionem talem naturali primæ perfectioni fuisse superadditam. Et hinc sequeretur, & tale additamentum, & Christi etiam Gratiam omnem redimentem, regenerantem, sanctificantem, homini *Naturam aliam* à prima dedisse, & ita quasi *Specie aliud* fecisse: Quod adeò creditu difficile est, præcipuè quando à Deo nunquam ita dicitur, ut videatur fabricatum esse, ad infidelitatem propagandam; ut siquis gentes doceret Christum mortuum esse ut bruta in homines transmutaret, & ad sempiternam falicitatem perduceret, infælix proculdubiò talis gratiæ prædicator futurus esset. At qui Christum Animorum, non transformatorem quoad speciem, sed Medicum & Salutis primitivæ reparatorem, prædicat, per Ecclesiæ experientiam, successum expectare potest. Tantum de Quæstione subordinatâ, & terminorum primæ Qu. explicatione.

II. De peccati Originalis naturâ & reatu rectè intelligendis, sequentes Propositiones Argumentationi præmittendæ sunt.

Prop. 1. Per Peccatum Originale (ex actualibus adauctum) à peccati Originalis notitiâ debitâ præpedimur. Sicut Ophthalmia, seu suffusio vel gutta serena nos impedit, quo minùs morbum ipsum in speculo perspiciamus. Peccati enim *Originalis* pars prima, maxima, positiva, consistit in *Philautia*, *Suitate*, vel (ut veteres quidam dicere solebant) *Proprietate*; id est, *inordinatâ ad se* & carnalia sua inclinatione: Et quo plus hujus mali aliquis possidet, eo minùs id scire & vult & potest. Homines igitur carnales, sanctitatis expertes, quibus peccatum originale adauctum, est quasi constitutio & natura, ad peccati originalis negationem sunt omnium maximè propensi; & qui ferè nil aliud possident, nil tale in mundo esse putant. Aut saltem difficillimè ad veram ob peccatum originale humiliationem ducuntur.

Prop. 2.

Prop. 2. Plerumque nomen *Peccati* tam latè sumitur, ut significet unumquodque Malum Morale; id est, omnes defectus, inclinationes, aut actiones, regulæ Divinæ sanctitatis, ut justitiæ contrarias. Et ita ut dictum est, sumitur in Quæstione. At aliquando arctiùs sumptum unam tantum *peccati* speciem significat; Actualem scilicet (vel per actiones) Legis transgressionem. Quæ, ne lis sit de nomine tantum, præmonemus.

Prop. 3. Peccata non sunt paria; sed quædam plus malignitatis in se continent quam alia: Et ita quando Infantes peccato originali fœdari dicimus, non hoc volumus, eorum peccati vel malitiæ gradum, vel pœnæ reatum, adultorum quorundam qui in peccatis diu vixerunt, esse planè æqualem: Materialiter quidem plus malignitatis & inimicitiæ contra Deum est, in peccato Originali, seu naturæ pravitate istâ, quam in peccato hoc vel isto actuali in se, & à radice præscindendo, considerato. Peccata tamen plurima actualia, expresse magis malitiam *formalem* in se continent, quam originale: Quia *viz.* & sunt contra expressum nostri ipsius *Lege mandatum Officium*, & magis sunt in nostrâ *potestate*; & sensu pleniore dicenda sunt *Voluntaria.* At adultorum *habitus mali* per actualia peccata *confirmati*, (ut qui in se continent & peccatum originale, & actualium effecta, & ipsa actualia supponunt) sunt utroque adhuc pejores.

4. Quo gradu Infantes Christianorum sunt Regni Christi subditi, æstimandi; eo gradu peccatores, & regni Satanæ membra, infantes irregeniti æstimandi sunt.

5. Quo gradu Adami & parentum sequentium justitia, si nunquam peccassent, una cum ipsorum infantum Justitiâ inhærente dispositiva, ipsis ut *Bonum Morale* fuisset imputata; eo gradu Adami & parentum sequentium injustitia una cum ipsorum Infantum pravitate dispositivâ inhærente, ipsis ut malum morale imputatur.

6. Non dicimus Adultorum quenquam ob solum peccatum originale damnandum esse: Neque peccatum hoc jam malum esse irremediabile: sed Remedium sufficiens à Deo concessum esse, in fœdere gratiæ, & ad hujus etiam participationem, applicationem & efficaciam media plurima subordinata hominibus præscripta esse; juxta quorum vel usum vel abusum præcipuè, jam homines judicantur.

7. Peccatum originale, & maxima ejus pœna, est etiam *Infantibus* Remediabile malum; imo malum cui remedium ordinarium præparatum est, non minùs quam adultis. Sicut à parentibus ipsis [natura prava peccatrix, misera propagata est; Ita si parentes (vel proprietarii) ipsi Deo verè devoti, Infantes sincerè Deo Patri, Filio & Spiritui sancto devovebunt, dedicabunt & consecrabunt, per fœdus Christianismi, Baptismate obsignatum, à Deo per Christum accepti erunt, condonati, liberati, reconciliati & adoptati, juxta verum illius fœderis sensum.

8. Quæstio hic disputanda, non est de *Gradu Pœnarum Infantum* utrum plus an minus, pœnarum ipsis infligendum est; neque an sit damni tantum, vel sensus etiam pœna eis debita? sed de realitate peccati, & de pœnis in genere.

9. Plurimi de peccati originalis realitate dubitant, quia Regimen & Leges Divinas, cum humanis exæquant. Quæ, etiamsi rationes nonnullas præbeant ad Doctrinam nostram illustrandam, tamen ad plenam rei explicationem & confirmationem sunt ineptæ: Quia scilicet *judicandi, volendi, amandi, cogitandi*, multò minûs *Habituum* & *dispositionum* moralium, Leges humanæ non sunt Regulæ; sed *Agendi* tantum. Homo etenim Cogitationum & cordium nescius, de ipsis judicare verè non potest. *Habitus* igitur & *Dispositiones*, non nisi indirectè & consequenter, per Leges humanas condemnantur. Deo autem *Cogitationes* & *Corda* non minùs patent, quam *actiones*: Nec minùs ipsi mali cordium habitus sunt exosi: ut qui cordium scrutator, Cor ut verborum & actionum fontem, præcipuè respicit; & de Homine præcipuè ex corde judicat.

10. Voluntas est facultas primò peccans, & peccati originalis primaria sedes, & actualis fons: Facultates autem reliquæ sunt peccati subjectum per participationem & secundariò.

Tripliciter autem aliquod dicitur *Voluntarium.* 1. Habitualiter vel dispositivè;

quando Voluntas ad hoc & contra illud, vel naturali inclinatione, Habitu vel disposition propendet. 2. *Privativè* quoad actum: Quando illud quod voluisse & potuimus & debuimus, non Volumus. 3. *Positivè quoad actum*; cum aliquid aut volumus aut nolumus.

Hoc autem tertium Volendi genus est, vel quando aliquid Volitum est directè & in se, vel indirectè & tantum in Causis. Quod secundo modo Volitum est, *Reputativè Voluntarium* dicitur.

Hujus jam recito instantias has sequentes. 1. Siquis alterum sui delegatum vel substitutum faciat, vel per contractum in se recipiat illius actionum consequentias vel effecta; Etiamsi alter ille id faceret quod est contra Voluntatem Principalis vel Sponsoris, huic tamen ut Voluntario justè imputatur; quia reatum in *Causis* antecedenter in se recepit.

2. Siquis effecti necessarii vult Causam, cum ipsum effectum maximè non vult, si tamen Volitio Causæ contra Nolitionem effecti practicè prævaleat, is etiam effectum Reputativè dicitur voluisse. Præcipuè si effectum non tantum Vult, sed etiam efficaciter promoveat.

3. Siquis alicujus societatis se membrum voluntâriè facit, cujus Leges membra omnia participia faciunt, aut bonorum aut malorum effectorum & consequentium societatis actionum; hic Voluntarii agentis (in Causis & Reputativè) malarum societatis actionum, quoad mala consequentia, reatum incurrit. Hoc enim præmonitus sibi assumpsit; & ob spem Boni possibilis, Mali possibilis periculum Voluntariè elegit. Si enim societatis pericula incurrere noluisset, à societate seipsum sejunxisse debuisset.

4. Ubi alter de altero disponendi Naturalem habet Potestatem. Dominus enim absolutus de suis quidlibet agere potest. Hominum autem nemo est alterius Dominus absolutus, sed tantum secundum quid: At secundum quod Dominus est, de suo item disponere potest. Ita quia Vernæ non Anima, sed Corpus, est in Domini potestate temporali, igitur de Corpore ejus, in quantum Dominus, quidlibet ipsi licet. Parentes autem Infantum etsi non absolutam, tamen naturalem habent proprietatem: Ex ipsis enim proveniunt, & ipsorum dum actualis Rationis expertes sunt, quasi membra quædam reputantur: Et dum Infantibus Rationis & Voluntatis usus deest, Parentum Ratio & Voluntas ipsis ut sua est; sicut erat quando in utero matris gesti sunt: Non quidem absolutè; quasi de illis quodlibet facere liceret (Absoluti enim proprietarii non sunt;) sed in quantum Natura Parentibus Infantum Boni electionem committit, in tantum per Parentum non-electionem, vel rejectionem, Infantes illo Bono justissimè privantur.

Et ita quia hæreditates non nisi mediantibus parentibus ad liberos descendunt, Parentes suis contractibus, Voluntatibus, & actionibus, liberos etiam hæreditatis jure possunt privare. Ita in fœdere Christianismi, Parentes potestatem habent Infantes suos Deo vovendi & dedicandi, & sub fœderis conditione obstringendi, ad Bona scilicet fœderis pro ipsis obtinenda: (sicut etiam Judæi suos Infantes Deo fœdere obstringendi, non tantum jus habebant, sed mandatum.) Quod si neglexerint, ad Infantum quidem malum neglexerint; quia ex ordine naturæ & institutionis Divinæ, non aliter nisi per Parentum Voluntatem, Infantes fœdus hoc inire potuerant.

Ita etiam Adamus, ex cujus lumbis vel essentiâ totum genus humanum de futuro oriturum erat, pro ipsis etiam animi sanitatem, id est, sanctitatem, vel retinere, vel amittere potuit; quia nullo modo nisi per ipsum, natura integra, ex Lege Naturæ, posteris propaganda fuit. Per ejus ergo Voluntatem nos voluntariè peccando reputativè, (etsi non in reali existentiâ) integritate & felicitate sumus omnes juxta Leges propagationis jam orbati.

Jam ad quæstionis affirmatæ probationem veniendum est; Quod Infantes habent peccatum originale.

Arg. 1. A Rom. 5. 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18. desumptum est. *Si Infantes habeant peccatum, tum Originale Peccatum habent:* (Nemo enim saltem in primo instante, *actuale* ipsis imputat.) *At Infantes habent peccatum:* Quod ita probatur;

Si

Si omnes peccarunt, etiam Infantes peccarunt: At omnes peccarunt: Ergo--

Minor expreſſe v. 12. continetur [*Omnes peccarunt*;] Quod verbis aliis v. 19. eſt [*Multi facti ſunt peccatores.*] Utrum ἐφ' ᾧ ſignificat [*in quo*] aut [*in eo quod*] vel [*quatenus*] non multum ad rem præſentem refert. (Etſi nulla patet ratio quare cum Lat. Vulg. & aliis non [*in quo*] transferatur.) Si Infantes peccatum habent, nil ultra à nobis probari neceſſe eſt. Nihil adverſariis hic dicendum reſtat, niſi per [*omnes*] intelligi [*Omnes* adultos] & Infantes eſſe excluſos. At talis interpretatio adeo coacta eſt, & abſque ratione ullâ limitante, ut tali licentiâ interpretandi quidvis de quovis textu dicere liceat. At contra 1. Univerſalis affirmans propoſitio univerſaliter intelligenda eſt, neque per terminos reſtringentes exponenda, niſi propter cogentem aliquam rationem: At hic nulla limitandi ratio cogens extat: Ergo--

Niſi quæſiti petitio pro ratione ducenda eſt, nulla ipſis reſtrictionis ad adultos ratio ſuppetit.

2. Apoſtolus loquitur de [*omnibus morituris.*] At Infantes morituri ſunt: Ergo loquitur de Infantibus.

Major in v. 12. expreſſe continetur: [*Per peccatum mors: & ita mors omnibus ſupervenit, eò quod omnes peccarunt.*] Hic *Peccantes & Morientes* iidem ſunt, & mors eorum peccati effectum dicitur: Ideo omnibus ſupervenit, quia omnes peccarunt: Ergo non ſine eorum peccato.

Verſus etiam ſequentes hoc plene probant. Ubi regnat mors, ibi imputatur peccatum: At mors regnat ſuper infantes: Ergo peccatum infantibus imputatur; (& [*omnes*] infantes includit.) De eiſdem enim perſonis loquitur Apoſtolus in hiſce verſiculis, 12, 13, 14. Major ex v. 13, & 14. probatur: Aliter fruſtra argumentatus eſſet Apoſtolus: Hanc etenim aſſertionem, [peccatum ante Legem imputatum eſt] probare vult, *viz.* Quia *ante Legem regnavit mors, à tempore Adami* ſcilicet ad *Moſen.* Ergo ex *mortis regno* probatur *peccati imputatio:* Quod per [*peccarunt*] ſignificatur v. 12. [*omnes qui peccarunt*] ſunt iidem *Omnes*, quibus *peccatum imputatum eſſe dicitur.*

3. [*Omnes qui peccarunt*] v. 12. ſunt iidem *Omnes* qui *Juſti facti ſunt, & habent Juſtificationem vitæ*, & qui in *vitâ regnabunt per Ieſum Chriſtum:* v. 16, 17, 18, 19. (Quod facile legenti in textu patebit.) At inter omnes qui *Juſtificantur*, &c. *Infantes* numerantur: Ergo *inter omnes* qui *peccarunt* etiam numerandi ſunt. Qui minorem negat, non tantum infantum Baptiſmum, ſed etiam Juſtificationem & ſalutem per Chriſtum, ut neget oportet.

4. Omnes fere interpretationes Veteres (nobis jam reliquæ & notæ,) antiquas Eccleſias cum Orthodoxis hos textus intellexiſſe demonſtrant. Syr. vertit, [*Ita mors omnibus filiis hominum ſupervenit, eo quod omnes peccarunt.*] Arab. [*Quoniam omnes jam * peccarunt*] quaſi ad peccatum illud præteritum reſpiciens. Æthiop. [*Et ſicut per unius iniquitatem, peccatum mundum introivit, & per hoc peccatum mors venit ſuper omnes, quia peccatum omnibus imputatur, etiam illis qui quid ſit peccatum illud neſciunt.* Hic loco verſionis eſt Paraphraſis ad ſenſum hunc plenius exprimendum. & Lat. Vulg. ſenſus ex ejus [*in quo*] ſatis patet.

* Si non jam ſed Ab tranſferatur, non minus eandem habebit ſignificationem de præterito, *viz.* Ab Adamo, vel Ab eo tempore hucuſque peccarunt.

Arg. II. Eſt ex iiſdem verſibus, præcipue 18. *Qui ſunt ſub Condemnatione ob Adami peccatum, habent peccatum originale. At Infantes ſunt ſub Condemnatione ob Adami peccatum. Ergo---*

Patet Major (ſi [*ob Adami peccatum*] omiſiſſem, propoſitiones ad concluſionem æquè ſufficientes eſſent:) *Condemnatio Divina nulla eſt, niſi propter peccatum:* At nullum Infantum eſt Peccatum præter originale. Κατακριμα æque eſſentialiter ad Culpam refertur, ac *Pœna.* Afflictio obvenire poſſet ſine culpâ; At neque *Condemnatio* neque *Pœna:* Minor ex v. 18. probatur [*Per unius delictum (Judicium venit) ſuper omnes ad Condemnationem*] vel, ſicut vertit Syrus [*Propter delictum unius, Condemnatio eſt ſuper omnibus.*] vel ut Æthiop. [*Omnes condemnantur.*] Ita v. 15. [*Per unius delictum multi ſunt mortui.*] Infantes in omnibus includi ante probatur. Unus hic Rom. 5. 18. verſiculus adeo clarè aſſerit imputationem peccati Adami omnibus in Condemnationem, ut ſolus ad controverſiam hanc finiendam, modeſtis me judice ſufficere poſſit. At

At tum majorem cum minorem ultra confirmo. 1. Condemnationem hanc talem esse, quæ probat condemnatos peccatores esse per justam imputationem, adhuc patet. 1. Quia v. 13, 14. hinc dicitur peccatum passis imputari. 2. V. 12. dicuntur [*peccasse:*] 3. V. 19. dicuntur *peccatores facti esse.* Si quis dicat hoc metonymicè tantum significare [*eos ut peccatores tractatos esse.*] 1. A verborum proprio & plano sensu, in controversiis decidendis, sine probatione, non est recedendum: 2 Quod si hoc verum esset, tamen implicat eum peccatorem justè reputari, qui ut peccator à Deo tractatus est; si malum *pœnæ* hic intelligitur, malum culpæ essentialiter connotatur. 3. [*Justum fieri*] quod est membrum oppositum, majus quid significat, quam eum ut *Justum tractari* qui nullam habet Justitiam, aut inhærentem aut adhærentem. Ergo [*Peccatores fieri*] majus quid significat, quam sine peccato aliquali, ut *peccatores tractari.* 4. Et mala ista interpretatio, ne Deum injustitiæ insimulet, ipsi videant.

Et ad Minorem probandam, sufficit ex hisce Infantes inclusos esse monstrare. 1. Quia ex hâc ipsâ causâ Infantes moriuntur. 2. Quia dicitur eos [*factos peccatores per unius delictum.*] V. 19. Et [*Mortuos esse & sub condemnatione ob unius delictum.*] V. 15. 18. Et qui jam adoleverunt in Infantiâ suâ æquè ad Adami delictum sunt relati. Non est peccatum Actuale ex quo hanc ad Adamum relationem ineunt, sed est & (ex * *uno delicto*] v. 18. & [ex *unius delicto*] v. 17. & v. 15. εἰ γὰρ τῷ τοῦ ἑνὸς παραπτώματι [*in* vel *per unius peccatum*] Non igitur de actualibus adultorum peccatis hic præcipuè loquitur Apostolus (nedum de istis solis;) sed de participatione & imputatione unius hominis delicti, quod Unius Justitiæ hic opponit.

* Sicut à Beza vertitur.

Arg. III. Est, Ab *Infantium pœna. Qui pœnas dant, peccatum habent: At Infantes dant pœnas: Ergo habent peccatum.* Et si *peccatum,* tunc Originale peccatum.)

Major à nemine sani sincipitis negatur: Quia pœna est formaliter ob culpam imputatam.

Minor postea in alterâ Disput. plenius probabitur: Hæc de præsenti satis sint: 1. Deus non (ordinariò saltem) creaturis rationalibus, generis scilicet humani, nisi ob peccatum mortem infert: At Deus Infantibus humani generis, mortem infert: Ergo ob peccatum. Minor nimis nota est. Probatur Major, 2. Cum in Jer. Lament. inter alia, Infantum passiones, memorantur, de omnibus dicitur, cap. 3. 33. [*Quia non volens affligit, neque filios hominum dolore afficit*] * id est; Non facit hæc, nisi per peccata provocatus. At si etiam ad mortem Infantes omnes morientes affligat, sine vel minimo ipso peccato vel demerito, tunc *Volens affligit,* viz. *Quia vult*; etsi immerentes. At inquit Dominus v. 39. [*Quare homo vivus queritur? Homo ob peccati sui pœnam?* Quamvis pœnæ nomen non sit in Hæbr. sensus tamen idem est, *viz.* Conscientia peccati querelas frænare debet. Etsi adulti præcipuè *queruntur,* hic tamen innuitur, quod omnes afflicti ob peccatum affliguntur.

* Vel [non humiliavit de corde suo; neque moerore afficit filios viri.]

Et Ezek. 18. 23. [*Anne omninò complacentiam habeo, ut moriantur impii, inquit Dominus?* Vel [Nunquid Volendo Volam Mortem impii]? Et Ezek. 33. 11. [*Dic illis, Vivam; inquit Dominus, delectationem non habeo in morte impii:* Vel [Si Volam in morte impii.] Multò minùs ita Innocentium Mors ipsi adeò placet, ut illos sine ullo demerito necaret.

Rom. 6. 23. *Stipendium peccati Mors est.* Et de nullâ hominis morte loquitur S. Scripturâ, nisi quæ peccati verus est effectus. 1 Cor. 15. *In Adamo omnes moriuntur.* Et Gen. 3. 19. [*Pulvis es, & in pulverem reverteris*] ad omnes Adami posteros (ordinariè) extenditur. Quod participationem etiam aliquam in ejus peccato in omnibus etiam innuit.

1 Cor. 15. 26. [*Inimicus ultimus destruetur mors,*] Per *Inimicum,* intelligitur *Malum pœnale,* quod per Christum Redemptorem erat amovendum: Ergo etiam Infantibus resurrecturis est mors *pœnale malum.*

1 Cor. 15. 56. [*Aculeus mortis est peccatum, & potentia peccati Lex est*] Id est, sicut *Serpens sine aculeo nos vulnerare non posset, ita neque mors in nos potestatem ullam*

ullam habere potuiſſet, niſi per & propter peccatum; neque pecccatum nos ad pœnam hanc obligare potuiſſet niſi per Legem] Hoc de Infantum æque ac adultorum morte dictum eſt; (niſi eorum Reſurrectionem negabitis.) Ergo peccatum eſt aculeus, id eſt, Cauſa meritoria, etiam mortis Infantum.

Mic. 11. 5. [*Ob Jacobi Tranſgreſſionem, hoc totum eſt, & ob peccata Domus Iſraelis.*] Et hinc dicitur Diabolus poteſtatem mortis habuiſſe, Heb. 2. 14. ut iræ vel juſtitiæ Dei ob peccata executor; A quo Chriſtus fideles liberat.

2. Si Infantum mors ſit Juſtitiæ Divinæ in ipſos executio, tunc etiam formaliter *Pœna* eſt. (Non enim eſt Actus Juſtitiæ re munerantis qua talis:) At Divinæ Juſtitiæ in ipſos executio eſt. Ergo.

Probatur Minor. Eſt Sententiæ Divinæ Judicialis Gen. 3. 19. executio: Ergo eſt Juſtitiæ executio, in eos ſcilicet qui ibi judicati ſunt, *viz.* totum genus humanum. 2. Eſt eorum *Condemnatio* Rom. 5. 18. Ergo juſtitiæ executio. 3. Regum eſt ſubditos non male merentes protegere. At Infantes ſunt Regni Divini ſubditi: Ergo per ejus Juſtitiam proteguntur, ne ſcilicet immerentes mortem ſubeant.

1. Juſtitiæ ipſa natura Majorem probat, Quæ ſuum cuique tribuit, & ut Bonis bene ſit & malis male, curat. Ergo Innocentes necare eſt Juſtitiæ gubernatrici contrarium. 2. Item Legis naturæ & ſcriptæ mos eſt conſtantiſſimus, pœnas tantum peccatoribus denunciare, & bonum innocentibus promitere. Opinio igitur adverſariorum, 1. Aut negat Deum eſſe Infantum Regem; 2. Vel Juſtitiam Divinam negat; & 3. Legis ipſius uſum negat, ut ſcilicet eſt *Norma Judicii.*

Fateor equidem ſi Infantes eſſent bruta, aut alieni, & non verè *ſubditi*, nullus erga ipſos Juſtitiæ Gubernatricis locus eſſet. At Infantes vere Dei ſubditos eſſe probo.

1. Quia ſunt è numero Rationalium: etſi enim de facto adhuc rationis uſum non habent, inde tantum ſequitur quod Regni vel Divini vel Humani non ſunt *Membra Perfecta:* At utriuſque tamen verè *Membra Imperfecta* ſunt, & juris ad protectionem, ad hæreditatem, *&c.* capaces.

2. Quia fœderis ſanctì cum Deo partes ſunt, juxta Dei ipſius Voluntatem, (Deut. 29. *&c.*)

3. Quia in Lege Dei continentur Promiſſa bonorum, & malorum ipſis futurorum comminationes.

4. Reſpublicæ humanæ ſunt Partes Divini Regni; & ſocietates ſubordinatæ: At harum membra ſunt Infantes. Hoc autem pleniſſime probatum dedi, in Tract. de Infant. Baptiſm.

Obj. *At idem Deus qui Rex, eſt etiam Dominus abſolutus; igitur de ſuo facere poteſt quod vult.*

Reſp. Sicut homo eſt *Quid creatum*, ordine naturæ priuſquam eſt *Animal Rationale*; ita Deus eſt Proprietarius naturæ ordine prius quam eſt Rector. Et in inſtante iſto antecedente dum homo tantum Ejus eſt, id eſt, Dei Proprius, Deus ei quicquid vult facere poteſt: Imo & adhuc quicquid vult. At cum creaturæ Rationalis ſe Regem conſtituit, eo ipſo declaravit, ſe velle ſecundum Juſtitiam Homines regere, & non aliter quam Rectorem juſtiſſimum decet cum ipſis agere. Aliter nulla eſſet vel promiſſorum vel pœnarum Divinarum certitudo; nulla juſtiſſimo & fideliſſimo ſpei cœleſtis firmitas: quia Deus ut Dominus abſolutus aliter de nobis facere poſſit. Quod fidem, ſpem, & Amorem & Obedientiam vere Chrianam ſubvertit.

Et quidem juxta ipſorum principia, neceſſe eſt ut dicant adverſarii; nos omnino incertos eſſe an Deus non omnes in infantiâ morientes in æternum damnabit, vel pœnis infernalibus cruciabit: ſi enim immerentes omnes necat, & etiam quia Dominus abſolutus eſt, de ſuis quicquid vult facere poteſt, & nulla Lege vel promiſſo de Infantibus ad aliter agendum ſe obſtrinxit, Quis ullam omninò certitudinem habere poteſt, Deum omnes Infantes (imo & adultos etiam juſtiſſimos) non perpetuò cruciaturum. Et ſi *Juſtitia* ejus *Naturalis* nullam Infantibus dat ſecuritatem, quomodo ſecuri eſſe poſſent etiamſi per Leges ſcriptas ſe ipſis obſtrinxiſſet,

set, quandoquidem Legis perfectio consistit in ejus relatione ad mentem Divinam?

Obj. *Moriuntur omnia Bruta immerentia; Ergo & Infantes.*

Resp. Deus non est Brutorum *Rector*, neque bruta sunt ejus subditi: Non igitur ex naturarum relatione ad actus Justitiæ erga ipsa obstrictus est: Neque sunt subjecta Justitiæ capacia, vel remunerativæ, vel vindictivæ: Neque Legi ulli omnino subsunt.

Arg. IV. Si Infantes Mali Moralis, id est, Peccati sint capaces, nulla ratio eorum Peccatum Originale negabit: (Omnes enim adversariorum rationes ex capacitatis defectu sumuntur.) At Infantes sunt mali moralis, id est, peccati capaces. Ergo---

Probator Minor; Qui Boni Moralis, id est, Virtutis capaces sunt, etiam Mali Moralis, seu Vitii capaces sunt. At Infantes Boni Moralis, seu Virtutis capaces sunt: Ergo Vitii.

Probatur Minor, (Major enim per se patet.)

1. Si Infantes *Boni Moralis* non *capaces* essent, non possent dispositivè & realiter *sanctificari:* At, &c.

2. Aliter non ab invicem *moraliter differre* possent; & alius alio vel melior esse vel pejor.

3. Et ita unus non magis *Deo amabilis esset* quam alius.

4. Et alter altero non *magis aptus* esset, ad *cœlestem gloriam*, vel beatitudinem possidendam: Et ita vel *omnes*, vel *potius nulli* servati essent & beati.

5. Et tunc *Baptismus* aut *fœderatio sacra* nullam spem boni moralis de ipsis poterat præbere.

6. Et ita merè Bruta facti sunt, quia *Boni* aut *Mali Moralis ullius* incapaces: Quæ omnia Tract. nominato falsa esse jamjam probavi.

Et de Majore, Eadem hic ratio est Virtutis & Vitii, quoad *rei & nominis* capacitatem; si capaces sint Dispositionis bonæ, tunc & ejus *Privationis*, & *contrariæ*. Et si *Bona Dispositio Virtutis, Sanctitatis*, aut *Boni Moralis* nomen meretur, tunc *Mala Dispositio Vitii, Peccati*, & *Mali Moralis* nomen mereri certum est.

Arg. V. Qui *Boni Moralis* habent *Privationem*, *Mali Moralis* habent *Possessionem:* At Infantes *Boni Moralis* habent *Privationem*---Ergo---

Patet majoris veritas; Quia *Privatio Boni* est maxima pars mali: Aliter non *Privatio* esset, sed *Negatio.*

Probatur Minor; Quia si Adamus non peccasset, ejus liberi in *Justitia Originali* & Naturæ virtuosa vel sanctâ dispositione nati fuissent: Ergo ejus absentia per Adami peccatum, *privatio* est.

Arg. VI. Omnia Christi membra existentia, & per ipsum salvata, & pro quibus est mortuus, fuêre peccatores. At Infantes quidam sunt Christi membra, & per ipsum salvati, ut pro quibus Christus Mortuus est: Ergo Infantes quidam fuêre peccatores. (Quod si probatur, nemo negabit, quin peccatum Originale habeant, aut quod verum hoc sit de *omnibus.*)

Major probatur, 1. Ex Mat. 1.21. [*Nomen ejus vocabis Jesum, quia servabit populum suum à suis peccatis*] Si ipsa nominis & officii ejus ratio est, quod populum suum à peccatis salvabit, tunc nemini non-peccatori est salvator. At verum Antecedens---Ergo --

Notandum hic in Textu. 1. Quod non loquitur de nuda liberatione à malis naturalibus, (nedum immerentibus [illegible]is) sed à peccatis: 2. Non de peccatis aliorum, sed de [*suis.*]

Matth. 9. 12 *Sani non egent medico, sed ægrotantes.*] Ægroti sunt peccatores: salvator per medicum intelligitur. Qui igitur non sunt peccatores, non indigent salvatore.

Eph. 5. 23, 25, 26, 27. [*Christus est Ecclesiæ Caput, & Corporis Salvator.*] Quomodo autem illud salvat? [*Christus Ecclesiam dilexit, & propter illam se dedit, ut illam sanctificaret, & mundaret per aquæ lavationem, per Verbum; ut illam sibi præsentaret Ecclesiam gloriosam, non maculam, non rugam, aut aliud ejusmodi habentem.*]

bentem.] Esse igitur Corporis vel Ecclesiæ Salvator, est esse illius sanctificator, mundator, lavator, ne maculam haberet: Qui igitur nihil fœditatis, maculam nullam habent, à quibus mundentur, Christi Corporis membra non sunt, neque illum servatorem habere possunt.

Apoc. 5. 6. [*Illi qui nos dilexit, & à peccatis nostris nos sanguine proprio lavit, sit Gloria,* &c.] Si Infantes cœlum intrant, has laudes ob peccatorum remissionem cum aliis Christo tribuere ipsos oportet.

Crucis ejus opus erat, *Purgationem facere peccatorum,* Heb. 1. 13. *Pro peccatis nostris mortuus est,* 1 Cor. 15. 3. *Dum adhuc peccatores & inimici eramus, pro nobis mortuus est,* Rom. 5. 6, 8, 9, 10. *Vitam suam λυτρον* dedit pro multis, Mat. 20. 28. *Et seipsum dedit ἀντιλυτρον pro omnibus,* 1 Tim. 2. 6. *Et ipse peccata nostra tulit in proprio corpore super ligno, ut nos ad peccata mortui, ad justitiam viveremus; per cujus verbera nos sanati sumus,* 1 Pet. 2. 24, 25. *Christus enim semel pro peccatis passus est; justus pro injustis, ut nos ad Deum deduceret,* 1 Pet. 3. 18. *Christus enim Pascha nostri pro nobis sanctificatur,* 1 Cor. 5. 7. *Apparuit ut peccatum per sui sacrificium dimoveret,* Heb. 9. 26. *Semel oblatus est, ad multorum peccata deportanda,* Heb 9. 28. *Per sanguinem suum in Sacrarium intravit, cum æternam Redemptionem obtinuisset; sine maculâ Deo se obtulit, ad conscientias nostras purgandas,* &c. *Et hujus gratia Novi Testamenti Mediator est, ut per mortis medium, ob transgressionum sub Vetere Testamento redemptionem, qui vocati sunt promissionem acciperent æternæ hæreditatis,* Heb. 9. 12, 14, 15. *Pro peccatis totius mundi propitiatio est,* 1 Joh. 2. 2. *Si unus pro omnibus mortuus est, tunc omnes mortui sunt,* 2 Cor. 5. 14. id est, in peccatis & per peccata mortui. Et Joh. 1. 29. *Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi.*

Testimoniorum S. Scripturæ talium clarissimorum multitudo nos edocet Christum pro *solis peccatoribus* mortuum esse. Quid enim Innocentibus satisfactore, Redemptore, pretio, sacrificio expiatorio, propitiatione, reconciliatione, remissione, opus est? Ne unus Scripturæ S. textus monstrari potest, in quo Christus dicitur pro aliquo non peccatore mortuus esse; aut aliquem non peccatorem liberasse, salvasse aut redemisse. Qui dicunt igitur Christum pro Infantibus mortuum esse, ut illis gratiam supernaturalem promereretur, & gloriam cœlestem, cum tamen peccatorum omninò expertes erant, absurda loquuntur: Quasi Deus suam Gratiam Innocentibus quibusdam daret, sub eâ conditione ut filium suum æquè Innocentem prius cruciaret! Neque S. Scriptura ullum tale Redemptoris opus agnoscit; neque à cœlis Dei subditus ullus nisi ob peccatum excluditur; Quia privatio illa infanda pœna est.

Ad Minorem verò probandam, (Christum pro Infantibus etiam mortuum esse, &c.) Notandum est, 1. Quod pro omnibus, & pro toto mundo Christus mortuus esse dicitur. 2. Quod nullum aliud sub cœlis nomen datum est, per quod salvi fieri possumus. 3. Quia & ante & post ejus incarnationem Infantes in fœdus suum ordinariò assumpsit; & eos ulnis amplexus benedixit eis & dixit, ex talibus est Regnum cœlorum. 4. Quia Judæorum Infantes una cum parentibus in Ecclesiam suam aggregare voluisset, Matth. 23. 37. totam scilicet Nationem Judæorum. 5. Aliter Infantes non Christiani sunt, neque baptizandi, nec vel ut membra imperfecta inter Ecclesiæ membra numerandi. Plura vid. in Tract. prænominato.

Arg. VII. *Omnes qui Baptismate Christiano baptizandi sunt, peccatores sunt. At Infantes quidam Baptismate Christiano baptizandi sunt: Ergo Infantes quidam sunt peccatores:* (*& ergo omnes.*)

Minorem jam probatam in Tract. de Infant. Bapt. præsuppono.

Et Majorem copiosè in *Disput. de Jure ad Sacramenta.* Præcipuè in pag. 79, 80. ubi probatur nullum per Christum Baptismum, nisi ad remissionem peccatorum fuisse institutum, ad pag. 88. signum ipsum (aquæ lavacrum, sub aquis sepeliri, & ex aquis resurgere) hoc esse significatum plane demonstrat. A quo nisi à peccato, quæso, lavati sumus?

Omnes S. Scripturæ textus perlege, quæ loquuntur de Baptismo, ut per Chri-

ſtum inſtituto; & quando inveneris, ne in uno quidem aliquid tale contineri, quale eſt non-peccatorum Baptizatio, mundorum lavatio, tunc nobis rationem reddito quare aliquid tale unquam fuiſſe crederemus? Et annon prophana eſt hypocriſis, quos mundos putamus, mundandos per ejus ſanguinem & baptiſmi lavacrum Chriſto offerre?

Arg. VIII. *Si Infantes ſint abſque peccato, tunc aut in judicium nunquam venturi ſunt, aut per Legem & ſuam Innocentiam ſine Redemptore juſtificandi ſunt: At falſum conſequens: Ergo & antecedens.*

Conſequentiam nemo ſanus negabit: Quia Juſtitia Innocentes non damnabit: Lex eos qui non habent peccatum juſtificabit: quia pars ejus pœnalis nil talibus minatur: Ipſis igitur Redemptore non opus eſt.

Conſequentis falſitas quoad partem utramque facile probatur. 1. Omnes judicandos fore, S. Scriptura clare docet, Heb. 9. 27. qui moriuntur, Rom. 14. 12. Joh. 5. 28, 29. Omnes qui ſepulchris inſunt, *&c.*

2. Si Infantes non judicantur, tum neque juſtificantur neque condemnantur: At falſum conſequens--Ergo & antecedens.

2. Et quod Infantes per *Legem* & *Innocentiam propriam* non ſunt juſtificandi, ex argumentis D. Pauli patet. Rom. 3, & 4, & 5. & Epiſt. ad Galat. Rom. 3. 20. *Per Legis opera caro nulla in conſpectu ejus juſtificabitur.* Rom. 4. probatur etiam; quia Abrahamo & ejus ſemini juſtificatio non ex innocentia propriâ & Lege obvenit, ſed ex Remiſſione peccatorum per Chriſti gratiam. Et ſi ita de ſemine Abrahami, ita etiam de noſtro ſemine dicendum eſt.

Arg. IX. Ex Rom. 3. 23, 9, 10. *&c. Omnes peccarunt καὶ ὑςεροῦνται defecêrunt à Gloria Dei, juſtificati gratis per ejus gratiam, per Redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem Deus expoſuit eſſe propitiationem,* &c. v. 9. *Ante probavimus tum Judæos tum Gentes, omnes ſub peccato eſſe.* v. 19. *Ut os omne obturetur, & totus mundus reus ſiat coram Deo.* Si abſque probatione dicant, has omnes propoſitiones univerſales ad adultos limitari & non univerſaliter intelligi, nil aliud dicunt, quam ſe quicquid ſibi ipſis placet credituros & dicturos eſſe.

Obj. *Textus loquitur de active peccantibus.*

Reſp. Loquitur de mundo peccatorum, inter quos active peccantes ſunt nominatiſſimi.

Object. *Nomen* [*Omnes*] *in pluribus textibus cum limitatione ſumendum eſt.*

Reſp. Anne igitur nominum ſignificationem ordinariam & propriam, ad libitum rejiciemus, quia aliquando ratio particularis limitationem probat? 2. Quando alii ita limitatè, textus illos, qui Chriſtum *pro Omnibus Mortuum eſſe* aſſerunt, exponunt audaciam eorum ſtatim reprimitis: Quod aliis facitis, vobis fieri velle oportet. 3. Apoſtoli ſcopus, & tot repetitæ univerſales propoſitiones, clare demonſtrant, quod ſit reatus & condemnatio univerſalis ex parte unâ, & juſtificatio omnium ex parte alterâ, etiam totius mundi juſtificatorum & condemnatorum, de quo loquitur Apoſtolus. Et argumentorum vis quidem ſuper univerſalitate fundatur. Siqui enim reatum negare poſſent, & ſe per Legem juſtificandos probare, vel ex propria innocentiâ, argumentationem quidem Apoſtoli confutaſſent. Tot & tam clara S. Scripturarum teſtimonia per coactam interpretationem non ſunt temeranda.

Arg. X. *Qui niſi redemptorem habuiſſent, omnes a cœlis excludendi eſſent, & fælicitate ſempiternâ orbandi, non ſunt ſine peccato. At Infantes omnes, niſi Redemptorem habuiſſent, à cœlis excludendi eſſent, & ſempiterna fœlicitate orbandi.* Ergo---

Suppoſito hoc, quod tantum de genere humano loquimur, Major probatur. Infantes, habentes *Animos Immortales*, vel Immortalitatis naturaliter Capaces, aut Immortales erunt, aut non. Si non, tunc illa immortalis vitæ privatio, tantum eſt malum, ut præ quo ſapiens aliquis perpetuam potius pœnam ſenſus tolerabilem eligeret. Et jam probatum eſt, Deum ita ſubditos ſui Regni immeritos per juſtitiam, minime tractaturum eſſe. Neque adhuc adverſarios ita Infantes brutificare compertum habeo. At ſi immortales ſunt, tunc aut in cœleſti fælicitate vivent,

vivent, aut extra cœlos, aut fælices, aut non-fælices; si non fælices, (quod dicturi sunt) tunc in *Miseriâ*: 1. Quia fælicitatis privatio, est pœnæ Infernalis pars maxima. 2. Quia Creaturæ viventis Rationalis status medius non datur. Sensum etenim & Rationem dum habituri sunt, non possunt nescire se cœlesti gloriâ & fælicitate privari; & inde dolores positivos suscepturi sunt; Neque boni & Mali sensu omni destituentur. Et ita per Maximæ fælicitatis privationem, & nonnullum positivum dolorem, sine merito peccati, a Rege omnium justissimo, afflicti esse finguntur. At *nonne totius mundi judex justa faciet? Anne justos perdet cum injustis? Absit!* Gen. 18. 23, 24, 25. Si omnes vel mundi veteris, Sodomæ, Amalekitarum, Midianitarum Infantes ab omni peccati labe & participatione fuissent immunes per Judicem justissimum non perditi fuissent.

Minor jam probatur; Et 1. Per omnes illos S. Scripturæ locos, qui salutem propriam faciunt Ecclesiæ, membrorum Christi, & eorum qui illam à Christi sanguine, justificatione & dono accepturi sint.

2. Ex omnibus iis S. Scripturæ locis, qui dicunt, *Quod siquis non habet Christi Spiritum, is ejus non est*, Rom. 8, 9. Et quod *sine sanctitate nemo videbit Deum*, Heb. 12. 14. Et *nisi quis renatus fuerit, non intrabit in regnum cœlorum*, Joh. 3. 3, 5. de quibus postea.

3. A Naturali & Morali Incapacitate Animæ non sanctæ, Deum videndi, Amandi & in gaudio & fælicitate fruendi: Planè enim contradictio est. Neque omnino spes aliqua a Deo præbetur, cum Infantes sine sanctitate decedentes, sanctificaturum in vitâ futurâ, idque sine satisfactione ullâ datâ pro ipsorum peccatis: Spes igitur nulla restat, juxta adversarios, eorum salutis.

Arg. XI. *Qui Dei favore & complacentiâ privati, & sub illius displicentiâ positi sunt, peccati alicujus rei sunt: At Infantes Dei favore & complacentiâ privati, & sub illius displicentiâ positi sunt*---Ergo---

Probatur Major; Quia nil nisi peccatum creaturam rationalem favore Divino privare potest, & eam displicentiæ ejus subjicere; si corruptio Originalis, nil aliud esset quam malum Physicum, quales sunt cæcitas, surditas, mania, ægritudo, paupertas, &c. Dei favore & complacentiâ neminem privaret: Non minùs enim ægrotos amat quam sanos, &c. Homo quidem bufonem & Serpentem odit, quia naturæ nostræ eorum naturæ contrariæ sunt: At nullum malum Physicum Deo malum & contrarium est: Et ideo non ipsi exosum. Bufo non magis Deo exosus est, quam Alauda aut Phasianus aut Philomela.

Probatur Minor; Quia si in Dei favore essent salvati essent. Omnes enim Regni ejus subditi, habent Regni & favoris, ejus privilegia & beneficia, nisi se illis privent. Nisi sub illius displicentiâ essent eis Gratiam Spiritûs Sancti, & fælicitatem perpetuam non denegaret; dum subjecta naturaliter capacia sunt. At pluribus hæc denegat; & omnibus denegaret, nisi per Christum ipsi forent reconciliati. De eorum morte & passionibus jam dictum est.

Arg. XII. A Regenerationis necessitate, Joh. 3. 3, 5. *Nisi quis renatus fuerit, non poterit intrare regnùm cælorum: Quod ex carne nascitur caro est; quod ex Spiritu verò spiritus.*

Qui sine renascentiâ ex Spiritu, ex carnalibus spirituales eos faciente, in regnum Dei intrare non poterint, non sunt immunes à peccato. At tales sunt Infantes. Ergo---

Probatur Major; Quia Regenerationis opus est peccatum expurgare, & mortificare & dispositionem contrariam ingenerare, ut ex hoc textu, & Rom. 8. 5, 6, 7, 8, 9, 13. & Tit. 3. 3, 4, 5. & Gal. 5. 21, 22, &c. & pluribus Scripturæ locis patet. Nullibi Spiritûs Christi opus esse dicitur, innocentes sanctificare, vel homines ex statu neutro seu indifferenti in statum sanctitatis deducere.

Minor probatur; Quia propositio Christi est universalis, & de statu nativitatis, & eo, quod ex carne nascitur expressè loquitur. Quia igitur hanc universalem ad Infantes extendi nolunt, neque eos Spiritûs sanctificatione ad salutem indigere, & textui & infantibus injurioſi sunt.

Arg. XIII. *Si Gentium infidelium Infantes habeant peccatum Originale tunc & omnes Infantes, nisi in quantum per Christum liberati sunt: At Gentium Infidelium Infantes habent peccatum Originale*- Ergo---

Major vix negabitur. Minor probatur. Qui sunt naturâ peccatores ex Gentibus, & filii moraliter immundi, & injusti, & sicut Asini feri pulli, & filii iræ Divinæ, &c. hi à peccato non sunt immunes; sed tales sunt Gentium Infantes. Ergo--

Gal. 2. 15. *Nos Judæi Naturâ & non peccatores è Gentibus* (scilicet naturâ.) 1 Cor. 7. 14. [*Aliter Liberi vestri immundi essent, jam autem sancti sunt.*] Anabaptistæ quidem de sola Legitimatione hæc interpretantur: Et Romanistæ plurimi putant, per [*immunditiem*] nil aliud intelligi quam esse *non-baptizabiles*; & per [*Sanctitatem*] esse Baptizabiles: idque à posteriore, quia tales Infantes religiosè educatum iri præsumitur. At Christus ut dictum est, Baptismum nullum instituit, nisi ad Remissionem peccatorum: Neque unquam eo nomine peccata remisit, vel remittere promisit, quia Ecclesia præsumit eos religiosè educatum iri; quando talis conjectura sæpe fallit; & peccatum non remittitur ob futuram etiam ipsius personæ fidem, nedum ob parentum conatus sæpe frustraneos. Sanctitas aliqualis ab Apostolo hic notatur, propter quam Infantes fidelium potius quam infidelium ad sacrum Baptismum admittendi erant; cum Baptismus eam supponit & obsignat: & hoc non potest esse res futura, incerta, & in parentum tantùm actionibus ponenda. Inter Protestantes à Theologis sæpissime dicitur *Sanctitas fœderalis*. Quid autem sit reverâ, & quantum Infantes Moralis Boni Capaces sint, alibi plenius ostendimus.

Eph. 2. 3. *Et eramus Naturâ filii iræ, sicut & alii*] Quoniam φύσις proprie & usitatissime significat, *Naturam, Ortum Naturalem, vel naturalem dispositionem, & consuetudinem* significat tantum rarò & impropriè, non igitur hic per *consuetudinem* interpretanda est, nisi fortiores dentur necessitatis ita interpretandi rationes, quam ab aliquo adhuc offeruntur. Etiam illi qui testimonia colligere satagunt, pro usu sensûs hujus improprii, plura citant non parum ipsis adversa. Ne minima quidem è textu ratio eruenda est, quare ad insolitam & impropriam istam interpretationem fugeremus. At minime diffiteor sensum *tertium* mihi maxime probabilem diu visum esse; *viz.* Quod de peccato *Originali secundario*, quo Gentium liberi præ Judæorum *magis iræ filii fuerunt*, Apostolum præcipue locutum esse; juxta locum præcitatum, Gal. 2. 15. [*Peccatores è Gentibus.*] At commune omnium peccatum originale primum præsupponens.

Job 11. 12. *At homo vanus sapiens esse vellet, etsi natus est quasi asini feri pullus*; id est, stupidæ, rudis, & feræ dispositionis.

Ezek. 16. 2, 3, 4. *Fili hominis, fac ut Jerusalem abominationes suas agnoscat, & dicito, Ita dicit Dominus, Ierusalem; Ortus tuus & Nativitas tua est de terra Canaan; Pater tuus Amorita fuit, & Mater tua Hittita; & quoad nativitatem tuam in die quo natus es, umbilicus tuus non sectus est, neque lavatus fuisti*, &c. Allegoria hæc plane dicit, Jerusalem abominationum partem fuisse à nativitate: & nihil nisi peccatum Deo abominatio est.

Job 25. 4. *Quomodo tunc Homo cum Deo potest justificari? vel quomodo mundus esse potest qui à muliere natus est?* & 15. 14. *Quid est homo ut mundus sit, & qui à fœmina natus est ut justus sit?* Illustratio quæ a naturali impuritate, id est, imperfectione cœlorum, lunæ, stellarum, huic expositioni nostræ verborum antecedentium ut de morali impuritate non contradicit: Quia *Impuritas* juxta subjecti Naturam intelligitur; & in textu patet moralem immunditiem ante intelligi.

Arg. XIV. *Adamus & Eva habuere bonum morale ante actualem aliquam Volitionem vel actionem:* Ergo *Infantes* etiam capaces sunt Boni moralis ante actualem volitionem: Ergo Volitio actualis non necessario requiritur ad Habitum vel dispositionem moralem. Ergo Infantes Capaces sunt etiam mali moralis.

Antecedens communiter conceditur; Qui enim non naturaliter sed supernaturaliter Adamum justum factum esse dicunt quoad dispositionem, *tamen factum* agnoscunt: In imagine Dei factus, proculdubio habuit Virtutem vel Sanctitatem naturæ ut Principium, antequam eam habuit in actu. Et ita (aut creatione aut dono) originalem habuit Justitiam; Quæ bonum fuit morale, & ipsum complacentiæ Dei, Sanctitatis, Amoris, capacem & objectum fecit.

Con-

Consequentia omnia patent ex rationis paritate. Quis dicet Imaginem Dei in Adamo non moraliter differre ab Imagine Diaboli ut Principio in corde impiorum? Aut quis dicet bonum habituale non esse bonum morale? aut malum habituale non esse malum morale? Quandoquidem ex omnium censu iste maxime nefarius ducitur qui habitualiter nefarius est? Aut quis dicet Infantes non æquè ac Adamum in primo creationis instanti, Boni habitualis vel dispositivi capaces esse? Aut quis dicet eos mali non esse capaces qui boni sunt capaces? & si *Capacitas* probatur, objectiones fere omnes contra peccatum originale evanescunt.

Arg. XV. Si naturæ pravitas Infantibus insit ipsos contra actuale bonum, & ad actuale malum morale disponens, tunc peccatum Originale Infantibus inest. At verum prius: Ergo & posterius.

Minor probatur ex communi generis humani experientiâ. Infantes inclinationem ad peccandum ostendunt, quam primum eam actione exprimere possunt. Imo inclinationem tam potentem & radicatam, ut quæ sæpissime omnes conatus prudentissimorum, & amantissimorum, & diligentissimorum Parentum & Doctorum, resistendo superat. Et nunquam nisi per Gratiam specialem superatur: Nec unquam ita restringitur, quin in omnibus qui ad maturitatem adoleverunt, in peccata non pauca actualia erumpat. Sin autem omnes, uniuscujusque seculi & gentis & peccant, & citissime, & frequenter peccant; proculdubio causa ex effectis probatur, & ex istis inclinatio ad peccandum naturæ depravatæ nimis apparet. Imo si non quædam peccandi moralis necessitas ex hâc pravitate oriretur, unus aliquis præter Christum (& ut dicunt quidam Papistæ, *Mariam* Virginem) peccatum evasisset.

Obj. *Adamus qui in Imagine Dei factus est, peccavit.*

Resp. Unius & alterius vel paucorum lapsus ex incuria & negligentiâ & deceptione voluntaria, esse potest sine naturæ antecedente pravitate: At toti mundo quid tale nunquam evenire potuit: Nisi dicere mavultis Deum ipsam naturam essentialiter peccaminosam creavisse. Si rarò & pauci homines morerentur, causæ etiam raræ hoc imputandum esset: At quando *Omnes* moriuntur, concludere licet, mortalitatem, id est, moriendi necessitatem, ex naturæ dispositione, jam homini naturalem fieri & ita de peccando res se habet.

Obj. *Infantes jam nati sensûs habent exercitium*; at *rationis non item: Dum igitur per ætatis Infantilis imperfectionem, sensus & appetitus diu sunt in usu, ante usum rationis, toto hoc tempore sensus dominatur: & ex dominandi consuetudine necessariâ, dominatum tandem acquirit habitualem.*

Resp. 1. Si ex pravitate originali appetitus inordinationem non contraxisset, Infantes etiam ad maturitatem sine peccato actuali adolescerent: Appetitus non inordinatus, ad actus inordinatos eos non ita instigaret: & pluribus malis quæ passiones jam irritant, non forent obnoxii. Et quando dolent ejulare peccatum non foret. Et ita dum adolescerent tentationes eorum rationi & auxiliis essent proportionatæ, & ideo superabiles. Sicut pueris non inest adultorum ingenium, ita neque ipsis adsunt adultorum tentationes: Divitias mundanas, domos, agros, pecunias, servos, honores non habent curandos: Ad carnis cupidines & ad cogitationes, dicta aut facta lasciva non sollicitantur: Verba mala & decipientia non audiunt vel non intelligunt: Phantasia igitur imagines ad cupidinem instigantes, non citò recipiunt: Memoria verborum & specierum & factorum lenocinia non retinet: Cogitationes eorum ad infidelitatem, ad voluptatum desideria, non provocantur: Diabolus & mundus non ita in eorum cogitationes ac in nostras tentando operari possunt. Dignitates & res sublimes ipsis non offeruntur: Officia magni roboris, ingenii & diligentiæ, ab ipsis non præstanda sunt. Et sicut jam, etiam in statu pravitatis, Amor & timor Parentum, etiam ab Infantia & Pueritia eos à Parentibus offendendis multum præservare possunt, non obstantibus omnibus carnis tentationibus, & appetitus desideriis; ita etiam Amor Divinus, si non per peccatum originale abfuisset, eos ad Deo placendum, & curâ & delectatione obediendum, impulisset, non obstantibus carnis & Diaboli tentationibus.

2. Pec-

2. Peccatum non tantum ex consuetudine prædictâ ortum habere, patet; quia 1. citius ad malum propensi sunt; 2. Et intensius, quam per consuetudinem talem esse possent; 3. Et etiam contra consuetudines omnes meliores, ad quas parentum curâ educati sunt, peccare tamen obfirmato animo perseverant.

Argumenti Major jam probanda est; Quod sit 1. à Naturæ Divinæ puritate, à Legis perfectione, & à mali hujus dispositivi malignitate. 1. Id quod in Dei subditis ejus naturæ, Voluntati, & Legi est disconforme, est peccatum. At tale est vitium dispositionis jam descriptum. Ergo---

2. Illud item quod est imagini Divinæ morali contrarium, est vitium morale, & ideo peccatum: At tale est pravitas Originalis Infantum---Ergo---

3. Id quod in adultis confirmatum est peccatum confirmatum, hoc idem in Infantibus est peccatum etsi non ita confirmatum: At pravitas hæc dispositiva in adultis (quæ ab infantiâ usque cum ipsis adolevit) est peccatum confirmatum: Ergo idem in Infantibus est peccatum---E. G. Natura quâ dispositivè superba, carnalis iracunda, pietatis negligens, *&c.* est mala in adultis; ergo & suo gradu in Infantibus. Objectioni, [*quod non est Voluntarium*] statim respondebitur.

Arg. XVI. *Qui subditi Dei habent contra Deum & sanctitatem inimicitiam dispositivam seu virtualem, habent itidem peccatum.* At Infantes habent *&c.* Ergo---

Probatur Minor. 1. Ut ante ex mundi experientia: Omnium seculorum & regionum homines, aversationem naturæ ostendunt erga Deum & sanctitatem; etiam quando Deum summum bonum nominant, & sanctitatis præstantiam laudant, & sicut sine gratia non vincitur; ita reliquiæ in ipsis sanctis naturæ non sanctificatæ pravitatem probant. 2. Ex Gen. 3. 15. Joh. 3. 5, 6. Rom. 8. 5, 6, 7, 8, 9. Rom. 7. 21, 23, 24, 25. De Joh. 3. 6. jam dictum est. In Rom. 8. dicitur, per *carnem* fuisse quod Lex infirma esset; & Deum filium suum misisse, in *carnis peccaminosæ* similitudine (non quâ *peccatricis* sed quâ *carnis*) & *ob peccatum*, *in carne peccatum condemnasse.* Ubi manifestum est, per *carnem* non ipsum intelligi peccatum. Aliter non peccati *Subjectum* esse potuit, neque *peccatricem* esse dictum esset, neque Christum ejus similitudinem recepisse. At caro omnis cujus similitudinem assumpsit Christus, universaliter dicitur *peccaminosa.* At Christus Infantum similitudinem assumpsit; & quidem primò, ante adultorum. Infantes ergo peccaminosam carnem habent. Et v. 5, 6. Caro hæc, ut principium in aliquibus dominans, distinguitur à spiritu, ut principio in aliis dominante; & contrariorum contrarii fructus nominantur: Alterius est sapere carnalia; alterius vero spiritualia: Ad alterum pertinet jus Mortis; ad alterum vero vitæ & pacis: Et v. 7. dicitur, *Mentem Carnalem esse contra Deum inimicitiam* (& proculdubio inimicitia adversus Deum peccatum est:) *Qui Legi Divinæ neque subest neque quidem subesse potest.* Et v. 8. [*Qui in carne sunt Deo placere non possunt:*] id est, qui non habent Spiritum ad carnem mortificandum; sicut v. 9. explicatur. *Siquis non habet Spiritum Christi, is non ejus est. Caro igitur sine Spiritu,* (id est, status naturæ humanæ depravatæ) est inimicitiæ & rebellionis principium, & non Christi esse, sed mortis filios, possessores quoscunque probabit.

Et Interpretes non-pauci putant tales, Gen. 3. 15. (Dum sine spiritu non sunt Christi) ut semen serpentis reputari: & quidem inimicitia contra Dei filios, adeo non renatorum fere communis est, (imo & crudelis & implacabilis in multis) ut mirum sit ni hæc à naturæ communi pravitate proveniat. Quod Cainus fuit contra Abelem, & Ismael contra Isaacum, id omnes plerumque Carnales, nisi Divinâ providentiâ restricti, sunt contra semen spirituale. *Sicut enim ille qui è carne natus est, eum qui è Spiritu natus est persecutus est; ita etiam & nunc,* Gal. 4. 29.

Et Rom. 7. 18. [*Scio quod in me, id est, in Carne meâ, nil boni habitat:* id est, etiam in Paulo, in quantum spiritu carebat.

2. Probatur Major, 1. Ex Lumine & Lege naturæ, unde ex communi sapientum consensu, constat, aut *inimicitiam habitualem,* vel *dispositivam, morbum naturæ,* in *ipsâ radicatum,* esse malum morale & peccatum, aut nihil omnino malum morale dicendum esse: Ipsius enim Diaboli Imago est. Dispositio est scilicet naturæ

turæ primitivæ, & Imagini Divinæ, & Relationi noſtræ ad Deum omninò contraria. Et ſicut verè dicitur de odio Dei & ſanctitatis activæ, ita dici poteſt de hac diſpoſitivâ inimicitia, quod tale malum eſt per ſe, quod nullo modo, per nullas circumſtantias, ne per Divinam quidem potentiam, fieri poteſt bonum: Et adeò naturaliter peccatum, ut peccatum non eſſe omninò impoſſibile ſit. Hoccine verò peccati nomine indignum eſt?

2. Probatur *Peccatum* eſſe ex ipſa Textus expreſſa appellatione, Rom. 8. 3, 10. vocatur, *Caro peccatrix*; & peccato ſubjecta donec adveniat Spiritus; & quæ hominem non eſſe Chriſti probat, v. 9. Rom. 7. 14, 17, 20, 24, 25. vocatur [*Peccatum inhabitans*; & *Lex peccati*] & *eſſe Carnalem*, & *eſſe ſub peccato venditum*.

3. Ab effectis, quæ nil niſi peccatum producere potuit; ſcil. non *poſſe Legi Dei ſubjici*, *non poſſe Deo placere* (& ideo proculdubio *diſplicere*; & eſſe *mentis carnalis*, mors eſt: At mors eſt ſtipendium peccati. Ita 1 Cor. 2. 14 *Homo animalis* (id eſt, ſine Spiritu) *res Spiritûs Dei non recipit*; *quia ipſi pro ſtultitia ſunt*; *neque ſcire eas poteſt*, *quia ſpiritualiter cernuntur*.

Arg. XVII. *Doctrina quæ Infantes Brutis annumerat*, *quoad Moralitatem & fælicitatem falſa eſt*. *At talis eſt Doctrina jam oppugnata*. Ergo---

Probatur Major, 1. Quia animos habent immortales, & Virtute & Potentiâ activâ Rationales. 2. Chriſti ſunt Diſcipuli & Eccleſiæ membra; ſicut Tract. prænominato probavi. 3. Plures ipſis ſunt promiſſiones à Deo factæ.

Probatur Minor; 1. Quia Infantes eo nomine *Mali Moralis* incapaces fingunt, quia non habent *actualem Volitionem* ſeu *Electionem*. 2. Et inde *Boni Moralis* etiam incapaces eos faciunt. 3. Et ita etiam *Judicii* incapaces. 4. Et etiam *pœnæ*. 5. Nullâ etiam *ſub Lege* ipſos ſtatuunt; & ita nullius Moralitatis capaces: Tantum Deus illis quidlibet facere poteſt, ut ſuis; quod etiam de brutis dicere poſſunt.

Arg. XVIII. *Qui Deum faciunt omnium peccatorum authorem falſi ſunt*. *At peccatum Originale negantes*, *Deum faciunt omnium peccatorum authorem*. Ergo---(Vel ſi, *alicujus*, ſequitur concluſio.)

Major non negatur. Probatur Minor.

Qui fingit Naturam ut à Deo factam & innocentem, *impoſſibilitati tali Morali non-peccandi ſubeſſe*, *ut ne unus in toto mundo adultus unquam peccatum evaſurus ſit*, *is Deum naturæ & rerum authorem peccati etiam authorem eſſe fingit*. At ita faciunt qui negant peccatum Originale---Ergo---

Vel, *Qui fingunt Naturam omnium innocentem peccare per defectum gratiæ ad non-peccandum neceſſariæ*, *peccandi & pereundi cauſam in Deum rejiciunt*. *At hoc faciunt peccatum Originale negantes*---Ergo---

Quandoquidem natura humana jam in peccata & flagitia ruit, ita ut ne unus in terris per omnia ſecula adultus (præter Chriſtum) illa omninò evaſerit, quæritur, an Creator, an Creatura hujus Cauſa ſit? Qui cauſam rejiciunt in naturam per hominem ipſum depravatam, in hominem peccatorem rejiciunt: Qui verò cauſam rejiciunt in *naturam innocentem*, in *naturæ Creatorem* itidem rejiciunt.

Si peccatum univerſi generis humani experientia non ſatis probatum daret, Scriptura illud probaret, 1 *Joh.* 1. 8, 10. *Si dicamus nos peccatum non habere noſmet decipimus*, *& Veritas non eſt in nobis*---*Si dicamus nos non peccaſſe*, *illum mendacem facimus*, *& Verbum ejus in nobis non eſt*. Jac. 3. 2. *In multis enim omnes offendimus*. *Eccleſ.* 7. 20. *Neque enim juſtus eſt in terris qui bonum facit*, *& non peccat*.

Et moraliter Impoſſibile eſſe peccatum planè devitare, patet, 1. Illud, quod à nemine in toto mundo unquam obtinetur, etſi plurima & magna habeat auxilia, etiam Gratiæ ſpecialis, proculdubio moraliter ſaltem impoſsibile eſt. At tale eſt non peccare. Ergo --

2. Et Scriptura hoc innuit, dum hoc de omnibus, etiam ignotis, & de futuro, nondum natis concludere nos docet.

Et Mundum peccare ex defectu Gratiæ, etiam Naturæ innocenti neceſſariæ, ex adverſariorum opinione, patet; Gratia enim Neceſſaria aliquam habet ad finem

nem ſuum ſufficientiam: Et ideo vulgò *Gratia ſufficiens nuncupatur.* At ſecundum ipſorum opinionem, quæ nunquam finem ſuum obtinet, ne in uno omnium ſeculorum, (imo eorum qui etiam gratiam habent ad ſalutem efficacem,) non dici vere poteſt *Gratia ſufficiens.* Hoc ultimum & maximum ipſorum Argumentum eſt, contra doctrinam de Gratia ſpeciali efficaci, omnibus electis datâ, ut ab iſta Gratia ſufficiente diſtinguitur, quæ ut tenent Dominicani etiam aliis conceditur: *Gratiam* ſcilicet *illam non ſufficientem eſſe, quæ nunquam in quocunque fuit efficax; & ideo diſtinctionem eſſe malam.* At multo fidentiùs nos ita loqui poſſumus, de præſenti controverſiâ; quia de toto mundo loquimur, & de natura ſuppoſita innocente. Si ſufficeret ut eventum faceret *Poſſibile Naturaliter*, non tamen *Moraliter.*

3. Et Deum eſſe authorem & Legis peccatum prohibentis, & naturæ innocentis, dubitationi non ſubeſt. Et quomodo univerſalis eventûs certitudo a cauſa mere contingente oriri poſſit, vobis ipſis incumbit demonſtrandum. Voluntas quidem ad bonum *naturaliter* libera eſt; at non *moraliter.* Aliter non mundus hominum univerſus malum eligeret.

Si igitur certiſſimi hujus eventûs Cauſa, non eſt natura per peccatum depravata, neceſſe eſt ut in aliquid vel Naturæ, vel Providentiæ, cujus Deus ipſe Author eſt, reſolvatur. An ſcitè igitur hi doctrinam peccatum originale aſſerentem, rejiciant, quaſi Deum Authorem faceret peccati & miſeriæ, ipſi jam melius edocti viderint.

Arg. XIX. *Qui naturam habent à Parentibus peccato depravatis & reis derivatam, ii ab omni peccati labe & reatu non ſunt immunes.* At Infantes naturam habent à Parentibus peccato depravatis & reis derivatam. Ergo--

Minorem nemo adverſariorum negat. Major probatur. Effectus non meliores eſſe poſſunt quam eorum Cauſæ: Natura Infantum eſt effectus, & natura depravata & rea parentum eſt Cauſa: Ergo natura Infantum non melior eſſe poteſt quam natura parentum.

Nemo dat quod non habet; Parentes mali non habent naturæ rectitudinem, juſtitiam, innocentiam. Ergo talem poſteris dare vel propagare non poſſunt (ſcilicet per ſe, niſi cauſa ſuperior hæc donaret.)

Quando peccavit Adamus, quælibet pars corporis ejus reatum participavit. Et ſi Crus vel Brachium abſciſſum fuiſſet, hoc membro huic innocentiam minime tribueret; quin in reſurrectione, reatus ſuam partem reportabit. Ita Embrio, ſemen, ſanguis, & ſpiritus, ut de anima jam nil dicam, tam verè ſemel partes fuêre parentum, quam crus & brachium. Quando autem *Partes* fuêre, innocentes non fuêre: (non magis quam pes abſciſſa innocens eſt.) Ergo per meram nativitatem innocentes evadere non poſſent. Separatio Infantis à Corpore materno, reatum quem antea ut pars ejus contraxerat, delere non potis eſt. Si regerat aliquis, Pedem vel Brachium abſciſſum reatum non retinere, quia Voluntas ſola rea eſt: argumento hoc etiam probare neceſſe eſt, Corpus non eſſe partem hominis neque ullam ejus futuram eſſe Reſurrectionem, ad præmia aut ad pœnas. Voluntatem eſſe ſedem Boni & Mali moralis primariam, concedimus. At inde totus homo reatûs fit particeps: Et ideo non Voluntas ſola, ſed Homo condemnatur.

Obj. *At Corpus parentum pars eſſe non dicendum eſt, quia corpora ſunt in fluxu continuò; & eadem corpora ſeptennes non habemus, quæ à Parentibus recepimus. Et Anima non Parentum pars fuit, quia creata fuit, & non ex traduce.*

Reſp. Argumento hoc Tho. White, alias de Albiis, Dr. Ken. Digbius & alii Papiſtæ, contra fidem Reſurrectionis ejuſdem materialis & numerici corporis arguunt. Et eâdem ratione æque probari poteſt, quod corpus quod homicidium, perjurium, adulterium hodie perpetrat, & poſt ſeptennium moritur, minime in judicium veniet, & condemnabitur: Et quod ille qui vos hodie lædit, poſt tempus quoddam non eſt judicandus & puniendus: Et quod illi quibuſcum hodie contractum iniiſtis de feudis, de emptione & venditione, *&c.* poſt tempus aliquod jus ſuum amittant, quia corpus amittunt. At ſicut ingenioſum hoc ſtultiloquium

neminem

neminem à pœnis Juſtitiæ civilis ſecurum reddet; Ita neminem a reatu peccati Originalis juſtificabit. Illud quidem permanens eſt, quod corpus numericè idem conſtituit.

Et ad Animam quod attinet certiſſimum eſt eam homini eſſentialem eſſe; & certum eſt hominem generare hominem: Ergo certum eſt, quodammodo hominem animam generare. Etiamſi non ſit per Parentum animarum partitionem, vera tamen nihilominùs generatio eſt. Homo igitur genitus naturaliter non melior eſt, quàm Homo gignens.

Obj. *Si dicas Animum eſſe ex traduce, ſequetur illum eſſe Materialem, & ex duobus animis, paterno & materno compoſitum, & ideo mortalem.*

Reſp. 1. Breviter ipſe dico Animam eſſe ſimul ex *Traduce & Creatam*; ſcil. Lege, ad finem mundi duraturâ, Deus Creator primo ſtatuit, ſe ut Cauſam omnium rerum Univerſalem, etiam ad ſpecies propagandas emanatione continuâ, quæ eſt quaſi continua creatio, ſubſtantiam ſeu materiam metaphyſicam ſemper præbiturum, quæ per virtutem ſeminalem & generativam (quam dedit unicuique viventium, & cui etiam concurſum neceſſarium præbet,) ſpeciem in animis novis individuis propagaret. Ita ut ſubſtantia tota ſit à Deo, (at à Deo ut Naturæ, per Creationis Legem, Principio;) Specificatio autem & Individuatio à Deo & Parentibus, per viam Generationis. *Creatio* igitur & *Generatio* ejuſdem animi, non ſunt ασυζαλα ſeu inconſiſtentia; ſed potiùs verè in omni Generatione inſeparabilia. Virtus ſeminalis & Animæ Parentum nunquam generarent, niſi Emanatio Divina Creativa materiam Animarum Metaphyſicam ſeu Spiritualem continuò præberet: Neque Emanatio hæc Divina hominem, Brutum, aut Plantam produceret, niſi concurrente (per benedictionem Divinam) vi plaſticâ, & Parentum ad ſpecificationem & individuationem Virtute generativâ. Non quod Deus aliter facere non poſſet, ſed quia non voluit aut ſtatuit: Et ita *meram Creationem, à Generatione cum Creante ſuo Influxu conjuncto,* diſtinguere voluit; ſicut in Actione Creaturarum, Emanatio Divina univerſalis totam vim præbet ad cujuſcunque ſpeciei moralis actum, & ad ſpecificandum etiam univerſaliter concurſum præbet; dum tamen ſine Voluntatis humanæ motu libero comparativo, nec ſpeciem moralem, nec actum individuum producit; ſimili modo ferè in Generatione ſe res habet.

2. Si per [*Materiam*] intelligatur *ſubſtantia quæ potentiâ Corpus eſt*, vel, *ſubſtantia incompleta in potentia ad omnes formas*, (quæ eſt Ariſtotelis Materia prima) aut ſi *elementum*, aut *corpus aliquod* per *Materiam intelligatur*, ita Animum Materialem eſſe negamus, aut talem eſſe à propagatione ſequi; ſin autem *Materiale* æquè latè ac *Subſtantiale* extendatur, ad eam quam Schiblerus, & alii vocant Materiam Metaphyſicam, ita Animum Materialem, id eſt, Subſtantialem eſſe aſſerimus. At ſupponens quod de *corporeitate* dicunt, Reſpondeo, *Poſſe Deum* ſubſtantias ſpirituales facere, quæ ſpeciem ſuam propagarent: Et ſi Angeli ſpeciem ſuam non propagant, non eſt quia non poſſent ſi Deus ita voluiſſet, aut quia contradictionem implicat; ſed quia noluit Deus. Imò mihi videtur nil niſi ſpiritus immateriales (id eſt, qui non ſunt corpora) poſſe aliquid, ſaltem Rationale, vel Senſitivum generare; & de Vegetatione videtur Materiam paſſivam eſſe tantum nidum, ſeu materiam per ſpiritus aggregatam & animatam: Mirum igitur mihi videtur quod à Generatione Animum *Materialem* ſeu Corpus eſſe colligere volunt, cum corpora nulla ſint principia Generativa *activa* (de Igne dubium eſt) ſed tantum *Materia* ſunt, per principia *Activa*, agitata, formata, & immutata, ſicut prima Animalium Creatio eorum Immortalitatem non probat, ita nec propagatio animorum, eorum Mortalitatem. Neque inconveniens eſt quod concedimus duos animos conjunctos per communicationem generare tertium, dum non ſit per ſubſtantiarum ſuarum partitionem aut deperditionem: Sicut non eſt inconveniens ſi Lucernæ duæ conjunctæ, tertio ſubjecto lumen communicarent. At de hoc alibi plenius dictum eſt * Lege etiam Micrælii Ethnophron.

Non traductionem è nuda ſeminis materialis potentiâ defendimus: Seminis *Materia* eſt tantum quaſi Ignis fomes vel ſubjectum: Huic *anima conjuncta* eſt:

* In Append. ad Ration. Rel. Chriſt.

Immateriale quid in semine est. Animus ipsi inest, non *potentiâ* tantum, sed & actu; sicut in parte quâlibet corporis.

Obj. *Tunc Animus dividitur, & pars ejus moritur quando moritur ejectum semen.*

Resp. Negatur: sicut non dividitur Animus, quando quis capite detruncatur, aut quando pes aut brachium abscinditur, nulla pars Animi separatur aut moritur.

Breviter dico, Ab *ignotiore*, Veritatis Amatores non argumentantur: neque neganda est clara & certa Veritas (*Hominem* scilicet *generare hominem*) quia de *modo propagationis* non liquidò intellectibus nostris cœcutientibus Constat.
In hoc se gerunt Contentiosi, sicut & in disputationibus de Gratiâ & Libero arbitrio: Dum partem unicam respiciunt, quæ conjungenda sunt, dividunt; ne partem suam & causam susceptam pessundarent. Sicut hic Gratiam eventum certum facientem negat, & ille negat Liberum arbitrium, (quando *Gratia illa per Liberam hanc Voluntatem* operatur.) Ita quidam Dei, quidam hominis partes negant, quoad *Animum propagandum*; quia imperiti concursum cernere non possunt. Tantum facit Deus in Animi propagatione, quasi Homo nihil faceret, & mera creatio illum efficeret: (At non eodem modo causandi) Attamen eum causat per hominem, & per Generationem Naturalem, quam ab initio statuit; quando hominem fecit animam viventem, ut animas viventes propagaret. Anima quidem est causa secunda principalis & procreans & procreata: & scintilla illa vitæ perpetuæ quæ semini inest (suppositis Concausarum operationibus) Corpus suum fabricat; & ut loquitur Scaliger ex Themistio, *domicilii sui non tantum inquilina est, sed & architecta* (sub causa primâ.)

Et proculdubio scientia de modo Divini influxûs, & cum causis secundis concursûs, intellectus nostros in tantum superat, ut arrogantiam sapiat a talibus obscuris contra veritatem certam argumentari: *Sicut ventus flat ubi vult, & sonum ejus audimus: & unde venit aut quo vadit nescimus; ita est omnis qui a spiritu natus est*; & ita sunt Dei emanationes & influxus ad naturam etiam humanam (imò & belluinam) propagandam. De hisce autem nobis certò constat. 1. Parentes liberos generare; & homines hominem; ex Virtute scilicet naturæ ipsis primò concessæ, cum Lege seu Benedictione, *Crescite* & *Multiplicamini*; & per concursum Divinum. 2. Animum hominis in operationibus suis Vegetativis & Sensitivis, non debilitari, eo quod Rationalis sit, ad altiora potens. 3. Homines igitur non minùs quàm Bruta generare. Etiam Bruta animam generant Vegetativam & Sensitivam: Et non est ipsorum imperfectior nostra generatio. 4. Multò minùs dicendum est Hominem nihil omnino generare. At si Anima est unica, & non generatur, tunc nihil a nobis omnino generatur; nisi particularum corporearum prius existentium aggregationem, Generationem nominare vis. 5. Certum est semen in corpore primò animari animâ illius cujus est corpus. 6. Sive tres hominis sint Animæ, sive tres tantum unius Animæ facultates, certum mihi videtur, quia homo generat hominem, ideo plus facit quàm bestiæ, quæ animam generant Vegetativam & Sensitivam; & ideo animam generat etiam qua rationalem: Aliter non hominem qua hominem generaret.

Obj. *At ita Deum facitis peccati Originalis Causam, Dicis enim eum Animæ esse Causam totalem, quasi homo nulla Causa esset.*

Resp. Duobus actibus Deus animarum Causa est. 1. In primâ hominis Creatione Virtutem formalem implantavit animæ, sui speciem in individuis propagandi, suppositio ejus concursu necessario universali, ad Virtutem hanc in actum deducendam. 2. Concursu hoc causas secundas in opere generationis postea adjuvat, & Virtutem earum in agendo juvat, & totum id communicat, quod Causæ Universali in Generis & Speciei propagatione proprium est.

Et hic diligentissimè notandum est, Deum aliquantulum aliter cum belluis vel brutis & plantis concurrere, quam cum hominibus: Quia 1. Homo est Liberi arbitrii. 2. Actiones generativæ libero arbitrio quoad hic & nunc & modos, subsunt. 3. Deus igitur operatur in hominem juxta naturam hominis; & non

eum

eum determinat immediatè ad actus generandi, sed in concursu ad istam actionem præsupponitur Liberi arbitrii determinatio. 4. Quoniam igitur Deus Voluntatem non (semper saltem) physicâ præmotione prædeterminat, ideo ad actum hic & nunc, & moraliter modificatum, concurrit tantum ut causa Generalis; At suppositâ *Voluntatis determinatione*, ad prolis *speciem* etiam concurrit, idque ut causa (non *sola*, sed) suo genere *totalis*.

Si igitur Deus est causa peccati originalis, aut per *Creationem* hoc fit (dum homini speciei propagandæ potestatem dedit) aut per concursum adjuvantem: non per Creationem; quia hominem fecit *Bonum* & *Rectum*, & ita eum perseverare jussit; Et ita natura tantum bona & recta ab homine Deo obediente propaganda foret. Neque per *Concursum sequentem*, etsi *Creativum*: Quia sicut homo liberè generandi actum moraliter modificat, ita Deus concurrendo non Animas causat aut creat sine voluntaria hominis propagatione, vel actione; Neque ad animam quâ *vitiatam*, sed tantum quâ Animam concurrit. *Esse Animam*, est à Deo & *Parentibus*: esse *vitiatam* est à solis *Parentibus*. Sicut Sol bufonis vitam causat, æque ac Leonis; at non naturam specificam venenatam, quæ est ex semine; & sicut fœtorem causat sterceris, æque ac odorem floris, at tantum per accidens, & per influxum universalem inculpabilem: Ita Deus (*Creatione* quidem causas condidit virtute *specificantes*, sed puras, at) *Influxu Universali & concursu*, *Generationem* quidem promovet, at *Peccatum Originale* non causat. *Universalem* dico *Concursum*, non quod *indifferenter* concurrat ad *speciem hominis & bruti*; sed *indifferenter* ad *Generationem animæ humanæ in specie*, sine *modorum moralium causatione*. Et quidem quasi *Naturæ principium*, & *ex Lege Creationis primo stabilitâ*, cum natura unaquaque juxta suas virtutes, ad effectum concurrit; salvo semper Dominii sui jure.

Obj. *At mancus non mancum, cæcus non cæcum parit: Quare igitur peccator peccatorem pareret?*

Resp. Crus, & Oculus non sunt Anima, quæ virtutem generativam possidet; Imo neque Corporis partes essentiales, sed integrales tantum: sin autem vel corporis pars aliqua essentialis vitiata sit, in prole vitium apparebit: (si saltem Parentes ambo vitientur) Multo magis si vitiatur ipsa Anima, quæ corpus fabricat & regit, & hominis pars principalis est, necessario pravitas ista Communicatur. Cœcitas & Claudicatio non semen mutant, at cum ejus integritate consistere possunt: Nemo autem id communicare potest quod non habet, aut *Actu*, aut *Virtute*.

Obj. *Justitia & Sanctitas per Naturalem Generationem communicabilia non fuerunt; etiamsi Adamus non esset lapsus: Ideo per Generationem non ipsis privamur.*

Resp. Negatur Antecedens. Sicut cum corpore Sanitas aut Pulchritudo propagatur, ita cum Animâ sanctitatem, propagandam esse, antea probavi. 2. Si Generatio sanctitatem non propagasset, si tamen *lege Creationis* Deus ejus *Propagationem*, ad *Generantis* & *Generandi modum* conjunxisset, absentia ejus fuisset culpabilis privatio.

Obj. *Doctrina & Sapientia non jam propagantur.*

Resp. Non in se, sed in Causis seu Virtutibus: neque aliud aliquid quod non est Naturale, sed acquisitum.

Obj. *Sanctitas non jam cum naturâ propagatur: Ergo ab Adamo non fuit ita propaganda.*

Resp. Ex pluribus rationibus negatur Consequentia.

1. Quia Sanctitas quæ tunc naturalis erat, jam quoad Causas est supernaturalis.

2. Quia nemo jam *Innocentiam* habet quam propagaret, & nemo Sanctitatem habet nisi imperfectam, & cum reliquiis naturæ peccatricis conjunctam: Et cum peccatum unumquodque spiritus sancti desertionem mereatur, & pœnam æternam; nosmetipsi ejus remissionem non ultra quam Christus eam dedit, habere possumus. Non autem Justificato tantum peccatorum dedit remissionem, ut natu-

ram sanctam semini suo propagaret. Ergo cum hoc *non datur*, non *haberi* potest. Igitur cum etiam sanctissimi Parentes peccatores sint, & per peccatum, Spiritus Sancti defectionem meriti sint, Spiritum istum habere non possunt, nisi in quantum in *Remissione* donatur: Donatur autem pro semetipsis, at non pro posteris, nisi per media supernaturalia.

3. Etiamsi enim Adamus fuit Naturalis nostra radix & caput, & ita potuisset pro se & pro nobis innocentiam & sanctitatem suam retinere aut amittere: Tamen in opere Reconciliationis, cum ad seipsum & nos recuperandos plane impotens esset, hoc onus, hic honor ad alium devenit; & Christus jam est Caput nostrum; qui sicut liberationem pro nobis Redemptione procuravit, ita Potestatem habet eam juxta Leges Voluntatis suæ concedendi. Et sicut Adamo jam lapso, sanctitatem dedit pro semetipso, ita & aliis fidelibus, non ad Propagationem, sed ad sui ipsorum salutem Spiritum suum donat: Ipso semper Capite nostro, clavium cœlestium custode, & Spiritus libero donatore manente.

4. Addendum tamen est, quod, sicut Adamus suis liberis naturam sanctam & innocentem communicasset, nisi talem ipse amisisset (Quid enim hoc impediret;) Ita jam Christus Justitiâ nostra & se & Spiritum suum donare promisit fidelium liberis, ipsi devotè & fideliter in fœdere Baptismatis à Parentibus fœderi obsequentibus, dedicatis. Et sicut mors & peccatum fuit ab Adamo, ita Christus Infantibus vitam donat, (etsi non per meram propagationem naturalem, tamen) per Parentum fidelium *Voluntariam acceptationem*, ut medium ad hoc institutum; Imo quasi cum Parentum membris, ita cum Infantibus rem transigit in suo fœdere, & ipsos pariter executive tractat: ut pluribus postea probatum dabo.

Obj. *Parentes stulti liberos generant sapientes: Quare ergo non generant sancti sanctos?*

Resp. Quia stultitia ista vel ex Voluntate, vel ab Organorum ineptitudine provenit; & semen Generativum tamen manere potest quoad naturalia integrum. Habitus enim Morales in Intellectu non radicaliter fundantur. At quando Anima per peccatum vitiatur, nulla in natura reliqua est virtus, quæ per Generationem hanc labem sanaret, & pravitatis propagationem impediret. Nota etiam quod omnes hæ objectiones silcant, quoad Innocentiæ & justitiæ relativæ communicationem, quam amiserat Adamus.

Obj. *Quando condonatus est Adamus, nullum habuit reatum: Ergo quem non habuit communicare non potuit.*

Resp. Triplex est reatus, Primus Facti, Secundus Culpæ, Tertius Ad pœnam. Priores duo non diluuntur; nec quidem dilui in se possunt. Qui enim *facti* author fuit & *culpæ*, author verè erit, & *reputandus erit* in æternum; ex necessitate scilicet existentiæ. *Tertius* autem *Reatus*, qui est *obligatio ad pœnam propter Culpam*, remissione ausertur. At si hic vel perfecte remissus supponatur, Remissio hæc pœnæ est tantum pœnæ *ipsi debitæ*; & ideo alterius impunitatem non procurabit: At *reatus facti* & *culpæ* quos Adamus posteris communicavit, *fundamentum* erunt ipsis *Reatus ad pœnam*, ut inde per nudam resultantiam oriundi (quamdiu scilicet etiam ipsis reatus hujus non datur remissio.) 2. Christus quidem est Spiritus ille vivificus, etsi Adamus fuit anima vivens. Et Christus jam Gratiæ fons est, & sub ipsius conditionibus, & in gradu quem voluit, eam distribuit: Et sicut Deus Judex in hominem peccatorem sententiam tulit, antequam Condonationem aliquam dedit, aut Messiam promisit; ita Condonatio ejus non fuit immediata & plena illius jam latæ sententiæ remissio; at talis Adamo personalis remissio, & posteris conditionalis, quæ cum pœnis non paucis constitura esset; ut etiamcum posterorum reatu, donec unusquisque propriam suam remissionem à Christo tandem tandem reciperet. Adamus quasi venenum hauriendo, naturam suam vitiavit; at illam curare minime potuit. At Christus communis Animarum Medicus, & Adamo & nobis remedium præparavit, non quod Morbum *ne fit* præcaveret, sed *cum fit*, sanaret; & nos quidem sanabit, sub eâdem quâ Adamum, conditione. Et in hac conditionali remissionis promissione, Infantes etiam cum parentibus includuntur.

Arg.

Arg. XX. Ab ecclesiæ universalis consensu. (ut de philosophis etiam nil dicam.) In re tam magnà judicio ecclesiæ universalis contradicere, (dum tantum aut) præcipuè e sacris literis cui nituntur, rem ostendunt) neque modestum, neque tutum est. At qui peccatum Originale negant, judicio ecclesiæ universalis contradicunt. Quod probatur. 1. E consensu patrum, qui doctis notus est: & verba citare Jam tædium esset non necessarium.

2. A Confessionibus omnium ecclesiarum quæ in omnium manibus sunt.

3. A testimonio Conciliorum, tum Generalium, tum Provincialium, in quibus peccatum originale asseritur, & Hæretici illud negantes Condemnantur. Cætera præteriens, jam verba Concilii Melivitani, & Arausicani, & conventiculi Tridentini recitabo.

Conc. Mil. Can. 2. [*Item placuit, ut quicunque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicet in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati quod regenerationis lavacro expietur, unde sit consequens ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera sed falsa intelligatur, Anathema sit: Quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus* [*Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes pertransiit, in quo omnes peccaverunt*] *nisi quemadmodum ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc Committere potuerunt, ideo in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt.*] In Concilio hoc, Augustinus unus erat.

Concil. Aransic. 2. Can. 1, & 2. [*Siquis soli Adæ prevaricationem suam, non & ejus propagini, asserit nocuisse; aut certè mortem tantum corporis, quæ pœna tantum peccati est, non autem ut peccatum, quod Mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transiisse testatur, injustitiam Deo dabit, contradicens Apostolo dicenti; Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*]

Ita & Concil. Diaspolit. & alia.

Concilii Tridentini testimonium adjiciam, ut Jer. Tailerum Episcopum nominatissimum & tales pudeat, quod etiam ipsis Papistis sint minùs Orthodoxi.

Verbis priorum Conciliorum utentes dicunt Sess. 5. Can. 2. & 4. [*Siquis soli Adæ prævaricationem suam, non aliis etiam & ejus propagini asserit nocuisse, acceptam à Deo sanctitatem & justitiam quam perdidit, non nobis, sed sibi soli perdidisse, inquinatoque illo per inobedientiæ peccatum, mortem & pœnas corporis tantum in omne genus humanum, & secundum communem legem transfudisse, non autem & Peccatum, cui pro pœna debebatur, utraque mors, Corporis, viz. & Animæ, Anathema sit: cum contradicat Apostolo dicenti; Per unum hominem,* &c.]

Can. 4. *Siquis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint à baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam, unde sit consequens ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera sed falsa intelligatur, Anathemà sit: Quoniam non aliter,* &c. (ut supra.) *---Hanc fidei & sanctorum Patrum Normam imitando, hæc sancta Synodus fatetur & declarat, in baptismate per Jesu Christi Gratiam, quam confert & continet, non modo remitti Reatum Originalis peccati, sed totum id auferri, quod veram & propriam rationem peccati habet.* (Hæc ultima verba omittit Bannius & Crab; ut & alia quædam quæ habet Caranza: At eadem habent Can. 5. & discrimen nihil à nobis controversum attingit.) Patet igitur Ecclesiam Romanam peccatum Originale negantes Anathematizare.

At eorum assertio de *abolitione totali ejus omnis quod peccati naturam habet, ab ipsis nunquam in Concil.* Melev. Arausic. *&c.* inventa fuit. Et si ad sobrietatem consideratione reduci vellent, quæstionem hanc ipsis considerandam proponerem; si baptizetur homo ætatis 40 vel 50 qui ad originalem pravitatem plures gradus per consuetudinem peccandi addidisset, Anne habitus & dispositiones illas

las pravas baptiſma totaliter abolebit, & hominem ad Adami juſtitiam reſtituet. Si ita eſt, unde evenit, quod ab iſto temporis momento, dictarum tamen diſpoſitionum pravitatem actionibus oſtendat? Sin aliter ſe res habet; Quæro itidem, Anne *habitus iſti* & diſpoſitiones ad malum, ſint Naturæ & Legi Divinæ contrariæ? ſi non, Infantium item pravitatem juſtificate; ſi ita, unde venit, quod in inſtanti proximo poſt baptiſmum, per nudam reſultantiam, hæ malæ diſpoſitiones à Lege non condemnantur, ſeu peccata non nominantur? Quod ſi ita ſe res habet, unde venit, quod etiam Infantibus baptizatis, malarum diſpoſitionum reliquiæ materiales, non nuda item reſultantiâ per Legem Dei peccata eſſe pronunciantur?) Vah quantum eſt ſapere---

At de Tailero Prælato & talibus miror, Quod illi qui Concilia ut Eccleſiæ ſummam poteſtatem amplectuntur, & quando Miniſtris Chriſti fidelibus milleñis quibuſdam, ne Chriſti Evangelium ad hominum ſalutem prædicarent, ſilentium violentiâ ſuâ impoſuêre, rationem hanc reddunt, quod judiciis talium Prælatorum (in Perjurando ſcil. & mentiendo &c.) non Conformes ſunt, Miror, dico, Quod ta ia facientes & dicentes, Conciliorum tot univerſalium Anathemata non ipſi metuêre.

At contra peccatum Originale objicitur.

Obj. I. *Quod non eſt voluntarium non eſt peccatum: At Pravitas Originalis non eſt Voluntaria Ergo non eſt peccatum.*

Reſp. Negatur Minor. Voluntarium quid multipliciter dici poteſt, ut ante monſtratum eſt: Aut quoad Voluntatis *habitum*, *diſpoſitionem*, aut *actum*: Quoad *omiſſiones* voluntatis, vel *Commiſſiones*: *Immediatè*, *quoad* rem: vel *mediate*, *quoad Cauſas*, & *Reputativè*: Peccatum Originale *voluntarium* eſt, *Reputative*; Quia ex actu ejus provenit, ex quo *eſſentia* noſtra etiam provenit: Et *Voluntarium* eſt, quia eſt Voluntatis *mala diſpoſitio moralis*, & Bonitatis moralis privatio: & magis Voluntarium eſt quod *Habituale* eſt, quam quod ſemel aut rarò agitur.

Obj. II. Quod *nunquam fuit in poteſtate noſtrâ, ne ſit, id non eſt peccatum: At corruptio Originalis nunquam fuit in poteſtate noſtra, ne ſit; ergo non eſt peccatum.*

Reſp. In poteſtate fuit Adami; & ideo in *noſtrâ virtualiter*, ſicut in ipſo fuimus. In ejus poteſtate fuit a quo per ſtabilitam Creatoris Legem, & providentiæ tenorem, *natura noſtra derivanda fuit*; natura ſcilicet *talis* qualem habuit ejus propagator.

Obj. Inſt. *Non omnes Habitus vel diſpoſitiones Voluntatis ad peccandum ſunt peccata; ſed iſti tantum qui actuum malorum ſunt effectus*;

Reſp. Si ita ſit, tunc ideo ita eſt, quia formaliter, *quatenus effecta peccati ſunt*, dicenda ſunt peccata; vel ob aliam aliquam rationem: At alia non datur: Et effecta omnia peccati non ſunt peccata; ſicut ægritudines, cæcitas, mania, &c. Eſſe *peccatum* eſt *Legi eſſe diſconforme.*

2. Probo autem cordato cuipiam non neceſſe eſſe ad *peccati* vel *boni moralis exiſtentiam*, ut *Actûs* vel *Actionis* ſit *effectum*: 1. *Adamus* fuit *moraliter diſpoſitivè Bonus* ante Actum aliquem aut Actionem. 2. Jeſus Chriſtus fuit *moraliter diſpoſitivè Bonus* in Infantia ante Actum. 3. *Infantes ſanctificati* habent *Bonum morale* ante Actum. 4. Imò Parentum fidelium Infantum ſuorum dedicatio, & in fœdus Dei initiatio, ad *effectus* ſumitur, *quaſi Actio* reputativa Infantum, ante aliquem ipſorum actum realem. 5. Etiam in ſocietatibus humanis, quoad jus ad bonum naturale Infantum poſſidendum vel non poſſidendum, Voluntas Parentum ſæpe moraliter & reputativè ſumitur quaſi Voluntas eſſet parvulorum; & ad Privationes pœnales ipſis imputatur.

Obj. III. *Judices Juſti nunquam liberos propter Parentum peccata puniunt.*

Reſp. 1. Omnes hominum Leges ex Naturæ ipſius lumine, liberos propter Parentum peccata puniunt, quaſi per Naturam eorum participes. Ob multa delicta Leges pœnas in poſteros minantur; juxta quas Judices juſtiſſimi ſententias proferunt. Ita Rebelles & Perduelles cum poſteris ſuis, & honoribus & opibus privantur. Neque verè dici poteſt, hoc eſſe non pœnam poſteris, ſed afflictionem, & non effectum peccati, ſed nudum conſequens eſſe: In Legibus enim &

in

in ſententia Judicis exprimitur: Et eſt *malum naturale propter malum morale & civile*, idque contra ſubditum, pronunciatum. Et eſt *Privatio* & non tantum *Negatio boni*, quod aliter liberi poſſeſſuri eſſent: Et plurima poſitiva mala & corporis & animi (dolores, curæ, egeſtates, labores, &c.) privationem hanc ſequuntur.

2. Et Deus homine ſanctior eſt & juſtior, & ideo peccatorum magis oſor.

3. Attamen non tantum ob Adami peccata imputata, ſed ſimul ob innatos pravitatis habitus ſeu diſpoſitiones, ab ipſo derivatas, Deus originaliter fœdatos plectit.

Obj. IV. *At dixit Deus, Filius non portabit iniquitatem patris, ſed anima quæ peccat ipſa morietur.*

Reſp. 1. Inde ſequitur, quod omnes qui moriuntur ſua habeant peacata: At Infantes moriuntur, Ergo --

2. Textus planiſſime loquitur de illis tantum filiis, qui Patrum iniquitates videntes, non eadem faciunt: Qui ipſi Deo obediunt, propter Parentum inobediam non peribunt. At ſub Gratiæ fœdere dicitur, ubi eſt per Chriſtum remiſſio peccatorum.

Obj. V. *At ex hoc Deus ſit author peccatorum & perditionis, cum per ipſum non volentes ex Parentibus naſcantur peccatoribus, & præcipue cum juxta Theologos plurimos Anima non ſit ex Traduce, neque præexiſtens, ſed creando infunditur & infundendo creatur.*

Reſp. 1. Jam plane probatum dedi peccati Originalis Negationem, multo magis Deum peccati & miſeriæ authorem idque neceſſitantem facere; Dum omnia peccata in Divini Opificii vel Gratiæ defectum, etiam neceſſariæ, reſolvuntur.

2. At vera de peccato Originali doctrina, peccatum non eſſe à Deo oſtendit, Deus enim ut Creator propagationis leges ſtabilivit, antequam homo peccavit, ubi ſe fecit propagationis naturalis Principium. Neque ullo modo obligatus erat, naturæ curſum & ſtatuta mutare, & concurſum ſuum ſubtrahere, quandocunque homo peccaret; non magis quam mundum peccato fœdatum ſtatim diſſolvere. Et etiamſi controverſiæ reſtant de modo concurſûs & cauſationis Divinæ in generatione humanâ, indubitatum tamen manet, eam eſſe juxta primam Creationis Legem ſtabilitam, ſicut etiam eſt aliorum animalium generatio: Quod modeſtis & ſobriis ſufficere poteſt.

Et ut jam dixi, *Creativus Concurſus cum ſpecificâ propagatione parentum, virtute ſeminis, ex prima benedictione*, videtur eſſe cauſa generationis humanæ & fortè omnium Animalium.

An Anima autem præexiſtat, vel mere creetur, alibi plenius dictum eſt.

Obj. VI. *At Crudelitas videtur Infantes damnare, ob id quod devitare ipſis impoſſibile fuit.*

Reſp. 1. Qui peccatum Originale negant, multo magis Deo crudelitatem impingere videntur.

1. Quia plerique fatentur eadem de facto, de Infantum futurâ pœna, quæ à nobis aſſeruntur.

2. Et dicunt hæc omnia à Deo ipſis inflicta eſſe, ſine vel minimâ peccati labe, vel ipſorum merito.

Fatentur quidem Infantes mori; & Deum non eſſe obligatum eorum reſurrectionem procurare; & ſine Chriſto, eos minime fuiſſe glorificandos. Et ſi Deus eos poſſit annihilare, & immortalitatem ipſis denegare, fatebuntur proculdubio Deum itidem poſſe Immortalitatem Infantibus concedere, quandoquidem ad eam eorum Animi naturaliter apti creati ſunt: Ergo & poſſe Deum eandem pœnæ poſitivæ proportionem ipſis infligere, quæ annihilationem æquaret. Et non parum pœnarum plerique ipſi eligerent, potius quam annihilationem. Fatentur item Deum potuiſſe & poſſe eos bufones vel ſerpentes facere, & tales in æternum

eos

eos existentiâ sustinere: Fatentur etiam Infantum esse animòs Immortales; & Deum posse ipsos felicitate cælesti privare, (quæ privatio est pars non minima damnationis, & quam necessario desperatio & dolores positivi sequutura sunt;) Et nos quidem non tantæ præsumptionis rei sumus, ut judiciorum Divinorum secreta nobis adeo nota esse diceremus, ut ex Cathedra determinare auderemus, utrum majores adhuc pœnæ Infantes maneant, præcipuè ob solum peccatum Originale primarium, quam Pelagiani etiam non merentibus & innocentibus infligi posse fatentur. De pœnarum igitur gradu nulla (quòd sciam) lis est. Nisi quod inter Pontificios de facto Controvertitur, an Infantes tantum pœnâ *damni* an etiam *sensus*, a Deo plectuntur.

De Causâ autem jam tota lis est. Nos dicimus Infantum pœnas omnes esse ob suam pravitatem & reatum originalem; Pelagiani autem dicunt, easdem esse sine culpâ vel levissimâ. Quinam igitur crudelitatem aut injustitiam Deo impingunt?

Obj. *At est Pœna parentum infantes esse miseros.*

Resp. 1. Anne item Infantes esse *Naturâ pravos*? 2. Anne meretricibus qui mortem Infantum vellent, eorum mors ut pœna sentitur. 3, Et qualis erit parentibus æterna filiorum fælicitatis privatio? 4. Sin autem per naturam non adeo pro partibus parentum ducuntur, ut eorum reatûs etiam participes fiant, quare ipsi potius quam servi aut alii, eorum miseriæ fierent participes?

2. At a Pelagianis non rectè Controversiæ status ponitur. Hæc verò est Quæstio hic discutienda, *An in Deo fuit injustitia vel Crudelitas Adamum talem facere, & sub tali Lege, ut posteri ejus suæ naturæ qualitatem moralem ab ipso reciperent; & tales qualem ipse se faceret, propagaret?* Ne quæso obliti sitis, quæstionem non esse de Actione Voluntatis Divinæ *Consequentis*, sed *Antecedentis*. Si enim *antecedenter* Deus juste talem Adamum Creavit, tunc proculdubio *Consequenter* juste suum naturæ Cursum Conservat, & Legem naturæ exequitur.

Et de Actione Creatoris antecedente, Pelagianum respondere vellem, Qu. *Annon juste Deus Adamum talem facere potuisset, qui ex electione suâ, liberâ, vel hominem vel bufonem vel serpentem vel equum generare potuit.*

Si negas, affirmativam probo. Qui sine injustitia vel Crudelitate statuere potest bufonem, serpentem, &c. *necessario bufones, serpentes*, &c. generare, is sine injustitia & Crudelitate item statuere potuit, hominem liberè vel hominem vel bufonem generare (Hoc enim minús durum est,& Creator liberrimus est) At Deus, &c. Ergo.

2. Item, Qui sui ipsius vel salutem vel damnationem liberæ voluntatis Adæ electioni potuit committere, is speciem propagandam item ipsi committere potuit. At Deus, &c. Ergo--

At si quæsitum Concedas, ultra quæro. 1. An in tali casu Adami posteri de Dei Crudelitate Conqueri potuissent, si ex Adami electione, vel bufones, serpentes, boves, vel monstra facti essent? Si Deus nec injuste nec crudeliter fecit, injustitiæ & credulitatis argui non potuisset.

2. Deinde quæro, ut prius, nonne homini quidam gradus pœnæ sensus eligibilior est, quam esse bufonem vel serpentem, vel bovis labores tolerare.

3. Quæro denique annon propter naturæ pravitatem & Parentum peccatum, Deus majores displicentiæ notas nobis inurere juste potuit, quam in mere, innocentes.

Obj. VII. *Infernales pœnæ in conscientiæ cruciatibus consistunt: At Infantum, Conscientiæ ipsos cruciare non possunt, ob id quod devitare nunquam potuerunt.*

Resp. Concedimus Infantum Conscientias ipsos minime Cruciaturas esse, propter aliquod peccatum actuale quod non habuêre; nec aliter propter Originale quam consciendo se esse peccatorum posteros, & naturæ per peccatum depravatæ, & ideo justê a Deo sanctissimo odio habitos. 2. At gloriæ Cœlestis damnum, erit maxima pœnarum pars; 3. Et damnum illud inestimabile ut ipsis notum, & desperatio reparationis, erit doloris positivi fomes. Et hoc totum etiam a peccati originalis impugnatoribus conceditur. 4. At ultra concedendum est, pœnarum

narum infernalium naturam non nobis ita notam esse, ut inde contra claram aliquam veritatem arguere nobis sit audendum.

Obj. VIII. *Esse Adami* posteros corruptos *Lege nulla nobis vetitum est : Ergo non est peccatum.*

Resp. Adamo, in quo virtualiter fuimus, Lex peccatum vetuit : & Lex Dei est perfecta sanctæ voluntatis ipsius expressio, ad animam & vitam humanam regulandam : & ideo malos habitus Condemnat, æque ac actiones malas. Etsi *vetare* proprie *Actus & Actiones* respicit, *Condemnare* tamen vel *reprobare* etiam ad *habitus* pertinet. Infantum & ipsius Christi in infantiâ *sanctitas habitualis*, ut & Adami in primo momento, non fuit *quid jussum* proprie, sed quid *datum*; Attamen cum Voluntas ejus sedes fuerit, & *Virtus Moralis* fuerit, a Lege approbatur & justificatur, ut divinæ sanctitati congrua. Et idem de vitiis moralibus tenendum est, quoad malitiam & Legis Condemnationem.

Obj. IX. *Si peccatum originale ab Adamo nobis derivatum esset, etiam Christi naturam humanam contaminasset : saltem Actus Adami Christo sicut & nobis fuisset imputatus, quia non obstante modo conceptionis mirabili, in Adamo tamen fuit virtualiter, sicut & nos. At falsum consequens* Ergo & *Antecedens.*

Resp. Christus non fuit ita ut nos in Adamo virtualiter : Modus animarum propagandarum Divinus nobis non ita clarè innotescit, ut inter Christi & nostrarum animarum effectionem, differentiam peremptoriè statuere audeamus : sed sicut Corpus ejus ex matre fuisse Confitemur ; ita qui Animas omnes merè creatas esse, & nullas ex traduce etiam Christi Animam nunquam in Adamo fuisse vel virtualiter illos tenere necesse est : Et peccatum & Relatio non fundantur in merâ passivâ materiâ sine Animâ : Ergo secundum doctrinam ordinariam, non Christi tota natura humana, sed tantum Caro ejus in Adamo fuit virtualiter ut in radice. At quia ex eorum doctrina sequeretur, neminem etiam peccatorum in Adamo fuisse, & quia naturæ & S. Scripturis Contradicere mihi videntur, ideo ego Conjunctionem ante descriptam Creativi Influxus, cum traductione specificante & individuante assero : At proculdubio mirabilis Christi per spiritum sanctum Conceptio, singulare & mirabile aliquid fecit, in naturâ Christi humanâ generandâ : Non tantum in massâ corporeâ seminali purificandâ, sed in ipsâ animâ efficiendâ : Aliter objectionis consequentiam vix evadere possumus : Quia Anima purificata, fuisset in Adamo antequam purificata fuit, scilicet virtualiter ; & ita Christi purificatio naturam remissionis peccatorum habuisset ; quia prius Adami peccatum ipsi imputatum foret : si enim sanctus aliquis perfectissime Sanctus esset, etiam a primo conceptionis momento, dum tamen ab Adamo fuit, Relatio ejus ad primum Adami peccatum per presentem sanctitatem non dimoveretur ; nisi per modum remissionis; Quia sanctitas tollit malam *qualitatem* tantum, at non *relationem* ne omnino foret, impedire potuit. Verè enim in Adamo fuit virtualiter ille sanctus. Veritatis igitur amatoribus, non Contentiosis, (nil determinando,) considerandum propono, An non doctrina vulgaris de Animarum merâ Creatione, quam veram esse volunt de omnium animabus, sit vera tantum de Christo, ob conceptionem ejus per spiritum sanctum? non enim dicitur quod purificata est ejus anima per spiritum, sed quod *conceptus est* per spiritum sanctum : Hoc autem Considerandum relinquens, in genere Respondeo, quod in Adamo fuisse dicuntur, qui per modum generationis naturalis suas naturas ab Adamo derivant : At Christus per modum generationis naturalis suam naturam ab Adamo non derivavit : Ergo in Adamo reputativè non fuit.

Obj. X. *Christus dixit, nisi ut parvuli fiamus, in regnum Cælorum non intrabimus : Ergo parvuli sunt innocentes.*

Resp. Similitudo non eorum innocentiam significat (saltem absolutam, sed Comparativam) sed *docibilitatem*, & vitæ novæ quasi *initiationem :* non enim sicut adulti se jam satis sapere existimant, & inde doctorum præcepta rejiciunt : & sicut illi mundum naturæ, ita nos mundum Gratiæ jum novi intrare dicimur. Hoc tamen non obstante, infantes egent Redemptore.

Obj. XI. 1 Cor. 7. 14. *Fidelium Infantes sancti sunt : Ergo non peccatores.*

Resp. Non sancti per naturam sunt, sed per Gratiam : Aliter & non fidelium liberi etiam sancti forent. Neque adhuc perfectè sancti sunt. Per parentum dedicationem & fædus Gratiæ sanctificantur: Quo non opus esset nisi labe peccati originalis contaminati essent.

Obj. XII. *Si non Parentum proximorum peccatorum rei sumus tametsi in eorum lumbis fuimus, tunc neque peccati Adami rei, etsi fuimus in ipsius lumbis : At verum prius : Ergo & posterius.*

Resp. Peccatum Originale primum, id est, ut ab Adamo, fuit mortis Origo: & in quantum jam mortui fuimus, mortificari postea per parentum proximorum peccata non potuimus. Attamen non contemnendos & reatus & miseriarum gradus, per proximorum parentum peccata nobis obvenire, & ita peccato originali secundario nos etiam contaminatos esse posthâc suo loco Disputatione peculiari erit demonstratum.

Objectionibus cæteris prius obiter responsum est, sub Argum. 19. Et ex jam dictis facilè patent Jer. Taileri & talium absurditates, & vana quæsiti prioris petitio ; quasi pro concesso sumendum esset, sanctitatem Adamo non fuisse naturalem: Et quanto magis nos peccatores deceret peccatum hoc prægnans & peccans confiteri, & remedium gratis donatum, gratè accipere, quam morbum negando medicinam contemnere, & Christo quasi dicere, nos sanguine & gratiâ ejus, ad peccati hujus remissionem minime indigere, neque spiritus ejus Regeneratione ad peccatricis naturæ renovationem ; & ideo nos Gratiam hanc neque precibus petituros, neque fide accepturos esse; neque ejus mortificationem pœnitentiâ & obedientiâ diligenti molituros : Quæ tamen proculdubio sunt eorum cogitationes, qui peccati hujus existentiam negant.

Leg. plura de Orig. peccat. in Phil. Mornæi du Pless. Tract. de Verit. Relig. Disp. de peccatis aliorum parentum imputatis omittitur, quia in lingua Anglic. jam publicata est.

Corollaria.

1. Potestas Satanæ duplex est. 1. Permissa. 2. Commissa. 1. Ad peccatum tentare. 2. Pœnas peccatoribus infligere.

2. Ubi maximum peccatum & maximæ pœnæ, ibi maxima Diabolorum Potestas.

3. Status humanus originalis depravatus , est virtualiter omnia fere peccata; & quatenus Spiritus Divini & Amoris, & consequentis, & concomitantis Beatitudinis privatio, est initium etiam maximæ pœnæ.

4. Modus & medium pravitatis hujus una cum natura humana propagandæ, est Generatio humana.

5. Notabilis igitur est Diaboli potestas circa res Venereas; & ad Phantasiam mirabiliter polluendam & captivandam, & ad rationem devincendam, & Voluntatem insanis amoribus & cupidine corrumpendam, & hominem ad Væcordiam, & Dei, Divinorumque neglectum & fastidium redigendum.

6. Hinc Christi Conceptio per Spiritum sanctum, & perfecta mentis vitæque castitas, & ipsi & nobis fuêre necessariæ.

7. Hinc etiam fideles post Christi adventum, quando spiritualia & æterna in lucem magis prolata sunt, & spiritus sancti dona notabiliora concessa, de cœlibatu & castitate magis soliciti fuêre, quam priorum seculorum homines, qui tunc temporalia magis sapuêre, & terra nondum populorum frequentiâ repleta fuit.

8. Ad castimoniam igitur & animi & vitæ conservandam, potestas hæc Diaboli notanda & timenda est, insidiæ ejus & illecebræ caute devitandæ, & Christi conceptio & castitas per fidem sæpissime in mente revolvendæ sunt.

Pars Secunda.

CAP. I.

De Regni Gratiæ Universalis Constitutione Initiali.

Circa Regni Gratiæ Constitutionem initialem consideranda sunt

I. EFFICIENS, vel unde

- I. QUI: *viz.* DEUS, *viz.*
  - PATER
  - FILIUS
  - SPIRITUS SANCTUS
  - 1. Natura — 1. Omnipotens. 2. Sapientissimus, 3. Optimus, & Misericors.
  - 2. Primo jure adhuc, 1. Dominus, 2. Rector, 3. Benefactor (de præterito.)
  - 3. Post peccatum, 1. Offensus, 2. Judex Justissimus, 3. Peccatorum osor.
- II. QUA: vel Causatio Efficiens, *viz.*
  - I. Universaliter; & Fundamentaliter: ubi Actiones Divinæ Efficientes sunt
    - 1. AMPLIATIO; Quæ in *tantum* pœnam remittit, & peccatori vitam concedit, non-puniendo.
    - 2. PROMISSIO Christi incarnandi, ut
      - 1. Sacrificii pro peccatis,
      - 2. Capitis Ecclesiæ,
      - 3. Victoris Satanæ, Peccati, mortis.

      } Genes. 3. 15. Exposit. Joh. 3. 16.
    - 3. LEGISLATIO NOVA, (sive LEX GRATIÆ) Remissionem, & vitam peccatori donans, sub Lege Fidei, & Pœnitentiæ.
  - II. Singulariter & consequenter, per Fœderis hujus efficaciam, & subditorum receptionem & conscriptionem,

Viz. Consentientium Legi Fœderis
- 1. Quoad PROFESSIONEM: Qui
  - 1. Per Evangelium vocantur.
  - 2. Per Ministros in Ecclesiam visibilem recipiuntur.
- 2. CORDICITUS; id est verè Fidelium:

Qui
- 1. Vocantur per Evaugelium & Spiritum efficaciter.
- 2. Recipiuntur per Christum in Ecclesiam ut Mysticam Sanctorum.

Neg. Actus hic Efficiens igitur non fuit
- 1. Actus aliquis merè Immanens, (Scientia, Volitio, Decretum, &c.) Qui fuit ab æterno.
- 2. Actualis Christi Incarnatio; quæ longè post sequuta est: sed Actus tres prænominati.

II. REGNUM Effectum vel Constitutum; De quo consideranda sunt,

- I. PARTES ESSENTIALES, vel CONSTITUTIVÆ: Quæ sunt Partes, vel
  - A. I. RELATÆ, vulgo MATERIA (etsi Deus non Physicè Materialis est, id est, Corporeus: suntque
    - I. DEUS
      - 1. Pater; Creator; Condonans; Donans Filium incarnandum per Promissionem.
      - 2. Filius; λόγος Sapientia (Verbum) Incarnandus, eminenter REX.
      - 3. Spiritus Sanctus, Amor, Perfector, Naturæ Corruptæ Regenerator.
    - II. HOMO: Qui consideratur hic
      - B. 1. Antecedenter
        - 1. Ut NATURA adhuc 1. Intellectualis, 2. Liberæ Voluntatis, 3. Activè & vitaliter Potens.
        - 2. Ut LAPSU
          - 1. Peccator, vitiatus; Dei desertor; sibi & Creaturis deditus: sensibus subditus.
          - 2. Peremptoriè ad ærumnas & Mortem corporalem condemnatus.
          - 3. Mortis sempiternæ Reus; & per seipsum Spiritus Sancti auxiliis exutus.
        - 3. At CAPAX adhuc 1. Medelæ, 2. Condonationis plenæ, 3. Gloriæ, & Glorificandi Deum.
      - 2. In fieri, *viz.*

A | B
- 1. In primo instante; in quo consideratur HOMO, ut
  - 1. Divinæ miserationis & spei restitutæ notitias accipiens.
  - 2. Ad Fidem, Pœnitentiam, Consensum, aliquali notificatione obligatus.
  - 3. Auxiliis Gratiæ necessariæ ad Posse obedire (mediatè saltem) adjutus.
- 2. In secundo Instante; Consensum Fœderi Ore Profitens, & Investituram recipiens ut fœderatus.
- 3. In tertio Instante; Consensum verum Corde Præbens, & ut sincerus fœderatus à Deo receptus.

II. RELATIONES, in quibus consistit FORMA REGNI; suntque vel

- I. DEI ad Hominem: Qui gradatim vel ordine consideratur hic, ut est
  - 1. In primo Instante
    - 1. REDEMPTOR *in tantum*, Gratiam quandam jam largitus, & majorem largiturus.
    - 2. DOMINUS Absolutus ex jure Redemptionis.
    - 3. REX de jure; jus habens Regiminis; & omnes ad obediendum obligans.
  - 2. In secundo Instante vel Gradu, Redemptor, Dominus, Rex, *ore tenus agnitus*, & inde jus Ministris, & Mandatum dans, Privilegia Ecclesiastica hisce professoribus concedendi,
  - 3. In tertio Gradu
    - 1. REDEMPTOR Fidelium; Condonans, Justificans, Sanctificans, Glorificaturus.
    - 2. DOMINUS eorum ut Thesauri peculiaris, perdilecti & charè conservati.
    - 3. REX efficaciter & salutariter, docens, regens, protegens.
- II. HOMINIS ad DEUM; quæ etiam variantur per diversas gradationes; suntque
  - 1. In primo Instante, OMNIUM, Qui sunt SUBDITI-OBLIGATI ad obedientiam aut ad pœnam.
  - 2. In secundo Consentientium ore tenus, Qui sunt SUBDITI PROFESSI, obligati etiam propriâ professione.
  - 3. In tertio Consentientium Cordicitus, Qui sunt subditi plenè fœderati; membra Christi, hæredes promissorum.

II. Partes INTEGRALES: Quæ sunt

- 1. Homines singulares ut
  - 1. Præstantes, *viz.*
    - 1. Officio (1. Oeconomico, 2. Ecclesiastico, 3. Civili.)
    - 2. Ætate; (quibus honor debetur à junioribus.)
    - 3. Donis, corporis & animi; virtutibus, *&c.*
  - 2. Inferiores; *viz.* 1. Superioribus subditi, 2. Infantes & pueri, 3. Minores gratia & donis.
- 2. Partes Collectivæ, *viz.* 1. Familiæ, 2. Ecclesiæ particulares, 3. Societates Civiles.

III. ADJUNCTA: Quæ sunt
- 1. AMICI: Angeli, Nuncii, Ministri, Redemptoris, Amatores & Curatores Electorum.
- 2. HOSTES: Diaboli; semen Serpentis, quâ tale, fidelibus localiter commixtum.
- 3. UTENSILIA
  - 1. Animata
    - 1. Sensitiva
    - 2. Vegetativa
    - } Etsi maledicta, ad pœnam nostram peremptoriam, tamen sanctificata ad fines Redemptionis, & fidelibus adhuc sanctificanda.
  - 2. Inanimata.

III. FINIS. Regni; *viz.*
- 1. Inferior; *viz.*
  - 1. Salus Hominis, peccatoris, Redempti, sanctificati.
  - 2. Gloria Christi, Hominis, Mediatoris.
  - 3. Gloria Ecclesiæ (Capitis cum membris) & perfectio Universitatis.
- 2. Supremus vel Ultimus; *viz.*
  - 1. Materialiter: GLORIA vel splendor Divinæ, 1. Sapientiæ, 2. Bonitatis, 3. Potentiæ.
  - 2. Formaliter: VOLUNTATIS DIVINÆ COMPLACENTIA, seu AMOR.

Elucidationes

Elucidationes Cap. 1.

1. REgnum Dei hoc ideo dico UNIVERSALE, quia totum genus humanum sunt ejus subditi.

2. Obj. *Semen Serpentis inter Regni Inimicos ponitur: Ergo non inter subditos: Ergo non est universale.*

Resp. Per *Semen serpentis* non intelligitur *aliquis in statu lapsus quâ talis:* Aliter totum genus humanum excluderetur. Sed quando peccato originali per actualem Spiritus sancti resistentiam, malignitatis tantum additur, ut in exercitas contra Regnum Christi inimicitias planè erumpat, tunc *Semen serpentis* Peccator nominandus est.

3. Obj. *At Reprobi omnes sunt Semen Serpentis; Ergo Regnum Gratiæ est tantum Electorum.*

Resp. Si *Reprobos* dicitis *Præscitos*, aut ad *damnationem decretos*, nullus inter tales numerandus est, nisi quatenus impœnitens & infidelis finaliter futurus præscitus est, & ut talis ad damnationem decretus. Sed neque tales qua tales, neque soli tales, sunt *Semen Serpentis.* Plurimi enim qui nunquam vere fideles futuri sunt, ad inimicitias tales exercendas nunquam deveniunt: Plures eorum sunt naturæ & vitæ comparativè modestioris, & regnum Dei per externam professionem & dotes communiores adjuvant; Plures etiam vivunt ubi nomen Christi parum notum est. Et nonnulli qui ad fidem & vitam sunt electi, sicut Paulus, Ecclesiam priùs persequuntur, & inimicitias contra Christum gerunt, & ideo *Semen Serpentis* sunt, antequam per Spiritum sanctum fiunt *Semen Spirituale.*

4. Obj. *Nemo Dei subditus verus reputandus est, nisi verè fidelis: At non omnes sunt fideles: Ergo non omnes Dei subditi: Ergo Regnum Gratiæ non est universale.*

Resp. Nomen [*Subditi*] ambiguum est. In primo instante omnis est verè *Subditus*, qui ad *fœderis novi* obedientiam à Deo *vocatus* & *obligatus* est: Et ita Regnum Dei hoc universale est: Quia sicut omnes in Adamo peccati & mortis participes fiebant, ita omnibus in Adamo remedium paratum est & oblatum; quod etiam de omnibus ut in Noe dicendum est. Neque quisquam singularium è fœdere Gratiæ primæ editionis, Adamo factæ fuit excluſus, nisi qui consequenter se voluntariâ rejectione excluſit. In omni etenim Regno humano etiam *inviti*, imo & *Rebelles* possunt esse *subditi obligati*; sicut in secundo instanti, hypocritæ sunt, *subditi professi*; etsi tantum *sinceri* sunt *subditi* in sensu arctissimo.

5. Obj. *At ita confunduntur subditi & hostes: Impii sunt hostes: Ergo non subditi.*

Resp. Hostes sunt vel qui non ad obedientiam sunt obligati, vel qui Rebelles sunt: Isti quidem non subditi sunt. Sed talis est nulla creatura Rationalis; quia omnes ad obedientiam divinam naturâ obligati sunt: Hi autem sunt simul *Hostes* & *subditi: Subditi* scilicet quoad *obligationem*, & *Hostes* quoad disposition em & praxin.

6. Obj. *At ita confunduntur mundus & Ecclesia, dum totus mundus fit Regnum Gratiæ.*

An Mundus totus Ecclesia fuit? Leg. Clem. Alex. Stromat. l. 7. pag. 2. 3, 4. de Christi Dominio & de Universalitate Redemptorum

Resp. *Regnum* Dei hoc primum (Gratiæ scilicet) & mundus humanus, idem erant, vel ejusdem mensuræ neque tunc Ecclesia Dei è mundo evocata erat; donec per inimicitias contra Gratiam exercitas, per *peccata* Originale sequentia, semen Serpentis se ab Ecclesia distinxit. Adamus scilicet & Eva, & Cainus, & Abelus fuêre simul & mundus & Ecclesia. Cainus enim obligationibus se Dei cultorem professus fuit: Mundus igitur malignorum ab Ecclesia vel Regno Gratiæ, Rebellione se subduxit, antequam fideles à mundo se subduxêrunt. Notandum autem est, quod *Utrum jam Regnum Gratiæ sit universale?* est Quæstio non eadem, sed altera suo loco decidenda: At, *An in prima constitutione Regnum Gratiæ*

Gratiæ universale fuit, totum genus humanum in se complectens, est Quæstio hic affirmata, quæ nullâ probatione indiget.

7. Etiam post humani generis multiplicationem & Cainitorum apostasiam fœdus Gratiæ conditionale fuit tenoris universalis, neminem nisi seipsum excludentem excludens: Et Apostatarum nemo à Regno Dei diutius exclusus est, quam dum in id redire noluit.

8. Deus ipse sui Regni solus primarius fabricator est; & sicut Regnum naturæ effecit per Creationem, ita Regnum Gratiæ per ipsam hominis Redemptionem fundamentalem.

9. Sicut Deus naturam suam non mutavit, ex lapsu humano, ita jus *proprietatis* aut *imperii* non amisit, neque Benefactor & misericors esse desiit: sed ad jus Creationis, jus novum *Redemptionis* ad *Dominium* & *Imperium* & *Amorem* superaddidit.

10. Tres illæ Dei Actiones quibus Regnum Gratiæ fundavit, *Ampliatio*, *Promissio Christi*, & *Novum Fœdus*, in textu ipso inveniuntur: Gen. 3. 15. & sequentibus.

I. Ampliatio seu primus condonationis gradus declaratur,

1. In non-condemnatione Peccatoris ad pœnas æternas promeritas.

2. In semine mulieris propagando adhuc ut in *Viâ*.

3. In Bello contra Diabolum denunciato; Quod declarat eum non adhuc absolutam victoriam obtinuisse.

4. In semine nobiliore Promisso.

5. In Promissione Victoriæ futuræ.

6. In non executione pœnarum promeritarum.

7. Per Beneficia adhuc continuata.

II. Promissio Christi incarnandi exprimitur, Gen. 3. 15. de semine speciali victuro.

III. Fœdus vel Lex nova apparet, 1. In vita promissa. 2. In conditione Promissionis. 3 In ejus præceptis (de quibus postea.)

11. Omnia hæc exposita sunt, Joh. 3. 16. 1. *Deus ita mundum dilexit.* 2. *Ut filium suum daret.* 3. *Ut quicunque credit in eum non periret, sed haberet vitam æternam.*

12. Etsi nuda Dei Legislatio & fœderis promulgatio, sufficit ad homines Deo Redemptori obligandos, & *beneficii oblati recipiendi* jus dat peccatori, & ita Regnum Christi fundat; nemo tamen non consentiens *jus* habet *ad Remissionem peccatorum*, aut beneficia aliqua fœderis specialia; quia jus scilicet *oblatum non recipitur*: Et ideo nemo non consentiens est *plenè subditus*, ut Regiminis beneficiorum immediate capax. Et si hoc totum esset quod Infideles moderni nostrates * intelligunt, quum dicunt *nemo nolens Dei subditus aut est aut unquam fuit*, nos non haberent in hoc contradicentes: At si de *subditis* etiam *obligatis* loquuntur, tunc blasphemè negant Deum generi humano Leges sine ipsorum consensu imponere posse; & ita Deum negant esse Deum, & omnes Dei subditos-esse-nolentes, à Rebellionis crimine exculant.

* Hobbius, &c. Quibus in hoc incautè se jungit. Ri. Hookeruin. Pol. Eccles.

13. *Professores* Ecclesiam visibilem constituunt; non quia Deus *Promissionem aliquam* fecit, vel *Gratiæ salutaris*, vel *Communionis Ecclesiasticæ* sub conditione *nudæ professionis*; sed quia dum Ministri Claves tenentes non sunt cordis scrutatores, Deus ipsos de corde aliorum per *Professionem* judicare voluit; & ita eorum *officium* fecit, *Professentes* etsi *Hypocritas*, recipere, & communionem Ecclesiæ nemini, propter hypocrisin non notam & non probatam denegare.

14. *Forma* Regni hujus est *Relativa*; & in triplici sæpe memoratâ Relatione consistit; sed ut ex novo jam fundamento resultante; scilicet est *Regnum Paternum* sive *Amoris*, cum pleno *Dominio*, ex jure *Redemptionis orti*.

15. Sicut *Potentia* fuit Eminentissima in *Regno naturæ*, & *Pater Creator* ibi Rex; ita *Sapientia* est Eminentissima in *Regno Gratiæ*, & ibi λόγος *filius* specialiter Rex; At non *Sapientia* separatè vel in se tantum considerata; sed ut est *Amoris* & ad *Amorem*; & ita Regnum *Gratiæ sapientialis* est via ad *Regnum Gloriæ*

Gloriæ, ubi *Amor* (non ut hic obnubilatus, sed) Eminentissimè & Gloriosè regnat.

16. Eædem Dei Relationes, quoad *nomen* [*Redemptor*, *Dominus*, *Rex*,] non idem solamen præbere possunt *antecedenter* (*ante fidem*) (multò minùs *consequentèr gratiam rejicientibus*) quod præbent consequenter verè fidelibus. Qui enim gratiam tantum *obtulit* non-credentibus, fidelibus eam *donavit*. Et qui omnium *Dominus* est *Sanctorum* tantum ut *Thesauri peculiaris* Dominus est: & qui *peccatores regit* in ordine *ad finem*, & infideles *regit* per *pœnas*, *fideles regit* in ordine *ad Gloriam*.

17. Ministros, & Reges, & alios officio vel donis præstantes, *Integrales Regni partes* dico, quia non ad *esse*, sed ad *bene-esse* Regni sunt necessariæ: *Deus-Redemptor* enim & *fideles essentiam* constituunt.

18. Idem dico de *Societatibus* particularibus; non tantum civilibus, sed *Ecclesiasticis* & *Oeconomicis*: Etsi enim hæ societates summè necessariæ sunt ad Ecclesiæ universalis *Bene-esse*, non tamen *ad esse*: si enim *fideles* & *pœnitentes* forent in mundo, etsi nullum esset *Regnum*, nulla *Ecclesia particularis* cum propriis pastoribus formata; imo nulla familia, *Ecclesia* tamen seu *Regnum Dei* esset.

19. Cum *Angelos* dico *Adjuncta* Regni, non loquor de *Regno universalissimo* quod Angelos etiam continet, sed *Humano*.

20. Et cum *Diabolos* etiam *adjuncta* dico, non volo quâ *Hostes* sunt; sed quâ *Hostes Rebelles* nobiscum, etsi invisibiles, conversantes. Cætera nulla indigent Elucidatione.

Qu. 1. *An & quomodo VERBUM nondum incarnatum, fuit, aut Mediator aut Redemptor? Deus scilicet apud seipsum.*

Resp. 1. Quamvis in sensu pleniissimo solus Christus incarnatus *Mediator* dicitur & Redemptor; ita tamen dicendus est & λόγος nondum incarnatus: Qui & reverâ Regni Gratiæ Redemptoris Rex vel Caput fuit.

1. Quia in se recepit naturæ humanæ assumptionem, & cætera ad salutem humanam necessaria in plenitudine temporis præstanda.

2. Quia per actus ante notatos genus humanum reverâ redêmit, id est liberavit; Quamvis Passionis Pretium, non adhuc præstitum sed promissum fuit.

3. Quia sicut non inepte dicitur, Regis justissimi *Sapientiam* secum *intercedere*, quo minus totam nationem peccantium deleat; Ita & sapientia Dei æterna cum Deo intercessisse dici potest, ne lapsum genus humanum perdat.

Qu. 2. *Nonne Amor seu Spiritus sanctus item intercessisse dici potest?*

Resp. Spiritus sanctus quidem *Intercedere* dicitur, Rom. 8. 26. Et opera Trinitatis ad extra sunt indivisa: At Intercessio Mediatoria ad Christum Mediatorem pertinet. Alia enim est Intercessio spiritus sancti & divini Amoris, qua talis, qui fons & finis boni omnis creati est; & alia est Mediatoria Intercessio Redemptoris, & divinæ sapientiæ peccatores è malis educentis, & viam ad Amorem & fœlicitatem aperientis & ostendentis.

Qu. 3. *An Christi sacrificium nondum præstitum, remissionem meruit? & an causa ulla vel moralis effectum sequitur.*

Resp. 1. Causæ moralis *materia remotâ* in existentia, effectum sæpe sequitur. Non autem *materia ejus* proxima, nedum *causæ Forma*: Ita enim nunquam existit effectus ullus non existente causâ. 2. Sacrificium & meritum Christi nondum existens, non aliter remissionis causa fuit quam in *esse prægnito & volito* in mente Divina. 3. Neque mutationem aliquam in Deo effecit, quâ Gratiam hominibus donaret; sed opus principale Gratiæ Divinæ futurum decretum erat, cujus causali interventu cætera perficerentur: Decretum hoc ita pro modulo nostro concipiendum est: quasi dixerit Deus Creator [*Quoniam melius sapientia & Amor, cum Sanctitate, Veritate, Justitia & Misericordia mea per incarnationem, Sacrificium, meritum*, &c. *Filii mei glorificati erunt, quam si vindictâ periret Mundus peccatorum Redemptorem igitur hunc mundi dabo, & fœdus Gratiæ, peccata remittens, vitam restituens* &c. *cum homine peccatore jam initialiter sancio.*

Cap.

CAP. 2. § A. *De primo* REGIMINE ANTECEDENTE *Regni Gratiæ Universalis Initialis.*

Tantum de Constitutione Regni Gratiæ Universalis Initialis REGIMEN ANTECEDENS consideratur; vel

I. Generaliter; Idque vel

- I. Fundamentaliter: ubi
  - 1. DEUS-REDEMPTOR, ut Benefactor
    - 1. Beneficia naturæ jure-amissa donat, & jus restituit.
    - 2. Nova plurima etiam peccatori largitus est.
    - 3. Plura adhuc se largiturum declarat.
  - 2. Ut Dominus suorum, personas & res disponit in ordinem suum, & officia & dona diversificat.
  - 3. Ut Rector Lege suâ
    - 1. Hominem instruit; 1. De principio suo, 2. De fine. 3. De mediis, sub fœdere Gratiæ.
    - 2. Officium præstandum præcipit; *viz.*
      - 1. Legis Naturæ præcepta stabiliendo, ut Regulam sanctitatis primitivam.
      - 2. Nova præcepta, de Gratiæ mediis addendo.
    - 3. Sanctione retributivâ
      - 1. Liberationem & salutem sub conditione promittit.
      - 2. Ingratis & Gratiam rejicientibus pœnarum debitum instituit.
- II. Finaliter; ubi sunt,
  - 1. Hominis peccatoris à SEIPSO ad DOMINUM-Creatorem & Redemptorem, reductio & restitutio.
  - 2. Rebellis ad SUBJECTIONEM & obedientiam REGI supremo debitam, revocatio.
  - 3. Aversorum, condemnatorum, inimicorum, ad AMOREM Divinum fælicitantem retractio & restitutio:

  Viz.
  - 1. Beneficia de præsenti indignis multiplicando.
  - 2. Salutis æternæ spem certam offerendo. Et ita
  - 3. Amorem & Amabilitatem Divinam extrinsicè & intrinsicè clarè ostendendo.

II. Particulatim; ubi opera Regentis juxta Relationum naturam & partes recensenda sunt; *viz.*

- I. Ut BENEFACTOR; *viz.* consideratur, Redemptor, ut
  - 1. Qui Benefecit, de præterito: Dona etenim, Promissa & Fœdus, quibus Regni fundamentum jecit, moraliter postea operantur ad actuale Regimen.
  - 2. Benefaciens de præsente; ubi considerandæ sunt Gratiæ Beneficia.
    - 1. Naturalia; vel ad *ipsam Naturam*: ut 1. Ipsa vita; 2. Vitæ solamina; 3. Utriusq; media; *viz.*
      - 1. Inanimata: Domus, fundus, vestes, *&c.* 2. Animata: 1. Vegetabilia, Plantæ, Fructus, Flores, *&c.* 2. Sensibilia, multiplicia. 3. Rationalia; Parentes, Conjuges, liberi, amici, proximi, *&c.* Auxilia Angelorum, Doctorum, Magistratuum, societates, scientiæ, artes, *&c.*
    - 2. Spiritualia, ad vitam æternam conducentia; *viz.*
      - 1. Externa
        - 1. Naturalia omnia antedicta sanctificata ad scientiam & Amorem Dei.
        - 2. Eorum privationes, & omnes afflictiones, ad bona superiora sanctificatæ.
        - 3. Media Instituta, ut Verbum, preces, sacrificia, *&c.*
      - 2. Interna Spiritus Sancti motiones & operationes
        - 1. Vivificantes, ad Spiritualem Potentiam & Activitatem.
        - 2. Illuminantes, ad Spiritualem Scientiam & Fidem.
        - 3. Sanctificantes, vel attrahentes, ad Spiritualem Amorem.
      - 3. Æternorum Promissiones, sub conditione: Tota enim Legislatio Redemptoris, & Regimen antecedens, est etiam *Benefactoris* opus quoad materiam & finem, etsi Rectoris quoad ordinem.
  - 3. Qui Benefacturus est; (omnibus scil. antecedenter)
    - 1. Per Media, & beneficia omnibus communia in hâc vitâ.
    - 2. Per Resurrectionem mortuorum (quæ in se beneficium est) antecedenter.

II. Ut DOMINUS Absolutus & Liber disponit de Numero nascendorum, de tempore nativitatis habitationis, loco, parentibus, formâ, valetudine, ingenio, doctoribus, educatione, de juvantibus, de tentationibus & impedientibus, de peculio, opibus, societate, cœli tempestatibus, & influxibus, amicis, inimicis, de laborum successibus, de liberis, conjugibus, Rectoribus, *&c.* Quæ omnia etiamsi sæpe distribuit *consequenter*, juxta promissiones suas & hominum actiones (vel ut Patres loquuntur, *Merita*,) non rarò tamen & *antecedenter* inæqualiter, pro ipsius Dominio & libertate, (sicut homines & brutos diversificat.)

III Ut

III. Ut RECTOR (unde REGNI Nomen, cujus DOMINATUS & AMICITIA sunt Modi Essentiales:) Et ita

- I. ERUDIT Intellectum docendo,
  - 1. Ordinariò
    - I. Ab Extra; *viz.*
      1. Per Librum Naturæ, vel Rerum Naturam ut significativam.
      2. Per Rerum Mutationes per Divinam Providentiam.
      3. Per Doctrinam Docentium, 1. Parentum, 2. Præceptorum, 3. Pastorum, & privatam proximorum; & præcipuè per Traditionem: Ipse enim Adam per annos 930 posteris testari potuit, omnia quæ vidit, audivit, fecit; & Methusalem ab ore Adæ fere ad tempus diluvii.
    - II. Interius; per Spiritum Sanctum, per media & meditationem, *&c.* nos illuminantem.
  - 2. Extraordinariò
    1. Ab Extra: per Angelos, 1. Apparentes specie Corporeâ, 2. In somniis.
    2. Interius: 1. Per Spiritus Sancti Inspirationes, 2. Per Angelorum auxilia.
- II. IMPERAT; Authoritate suâ per Præcepta Officii debitum instituendo; *viz.*
  - I. Per *Legem Sanctitatis Naturæ Primitivam*, ut Regulam Perfectionis desideratæ. (Non enim abrogatur Legis *Præceptum*, etsi mutantur mores; quia facultates omnes naturales supersunt.)
  - II. Per Leges Medicinales novas Redemptoris, inducentes; *viz.* Obligationes, vel
    - I. Naturales. (Mutato enim Hominis statu, Nova oritur Jndicatio & Obligatio, jam naturalis) *viz.*
      - I. Fundamentales: Quæ sunt, & denominantur
        - I. A termino à *Quo*, 1. *Resipiscentia*; 2. Abnegatio sui-ipsius; 3. Renunciatio, carnis, & Idolorum.
        - II. A termino ad *Quem*, *Fides*; id est, 1. Assensus, 2. Consensus, 3. Fiducia in Patrem, Filium & Spiritum Sanctum: *viz.*
          - 1. Quoad Objectum
            1. Deo-Redemptori ut DOMINO, se & sua omnia, devotè dedere, ut illius.
            2. Ut RECTORI, ad Medelam, discere, credere, obedire, sincere, universaliter, diligenter.
            3. Salvatorem *Amare*; *viz.* ut
               1. Ex QUO: 1. Gratè recipiendo; 2. Gratè agnoscendo; 3. Gratè referendo in operibus.
               2. Per QUEM: 1. Media ordinata amando; 2. Optima eligendo; 3. Electis utendo.
               3. Ad QUEM: 1. Desiderio Velle; 2. Intendendo quærere; 3. Amore gaudente frui.
          - 2. Quoad Actus Modum; *viz.* Ad hæc omnia
            1. Corde sincere consentire (Quod fœdus est cordis.)
            2. Consensum palam profiteri. (Quod fœdus est oris.)
            3. Fœdus fideliter præstare, in operibus usque ad finem.
        - II. Consequentes; *viz.*
          - I. Communes omnium; *viz.*
            - I. Erga Deum Redemptorem; *viz.* 1. Eum cultu solenni honorare, 2. Opem ejus precibus suppliciter petere; 3. Dona ejus quotidiana gratè accipere, agnoscere, pie, sobriè & justè iis uti; 4. Castigationes patienter ferre, & ex iis in melius proficere; 5. Peccata quotidiana pœnitenter confiteri; 6. Remissionem Petere; 7. In Redemptorem per Fidem vivere; 8. Spiritui ejus morem gerere.
            - II. Erga nosmetipsos: 1. Curam habere intensam de propria salute. 2. Auxilia & media ordinata non negligere, sed iis diligenter uti. 3. Facultates erga Deum excitando exercere. 4. Facultates inferiores superioribus subjiciendas diligentissimè curare.
            - III. Erga alios:
              - *Viz.* I. Collectivè
                - 2. Genus humanum
                  1. Angelos, ut Christi Ministros, & nostros Amicos redamare.
                  2. 1. Universum Antecedenter: 1. Ut Redemptum Amare. 2. Ut Boni Capaci, Bene Velle & precari.
                  2. Per Partes
                     1. In terris: 1. Societates Civiles, 2. Ecclesias, 3. Familias — Quibus Amor Major debetur quam personis individuis.
                     2. In Cœlis: Quibus Amor debetur multò major quam mortalibus.

A B C D E F G

D d d

II. Singulatim

A C E F G

II. Singulatim ; *viz.* Erga
- 1. Fideles: Ex Amore congruo illis bene Velle & facere, & per illorum auxilia in virtute proficere.
- 2. Infideles, ignorantes, nondum vocatos vel conversos ; *viz.* Ex Amore debito Naturæ humanæ redemptæ, & sanctitatis capaci, eis bona Velle, precari & facere, corporalia scil. & spiritualia.
- 3. Inimicos spirituales
  - 1. Dei
    - 1. Reconciliabiles : ipsorum misereri, bona Velle, precari, facere, (cum displicentia.)
    - 2. Irreconciliabiles ; Diabolos & Homines, odio habere & resistere.
  - 2. Nostros
    - 1. Diabolum: Tentationibus ejus resistere, & Regnum ejus debellare.
    - 2. Mundanos; vi vel fraude tentantes, fide repellere.
    - 3. Carnem rebellem mortificare, & spiritui eam subjectam facere.

II. Speciales quibusdam *Viz.*
- 1. Imparibus quoad dona, vocationes, occasiones, facultates, *&c.* iis omnibus Deo servire.
- 2. Imparibus Relatione ; ubi sunt obligationes,
  - 1. Oeconomicæ
    - 1. Superiorum:
      - 1. Parentum ; Liberos sanctè erudire ; doctrinâ exemplo, præmiis & pœnis.
      - 2. Maritorum ; Uxores sanctè Amare, docere, regere.
      - 3 Herorum ; servos sanctè & clementer, instruere, regere, pascere, uti.
    - 2. Inferiorum
      - 1. Liberorum ; discere, obedire, amare Parentes ut Oeconomos Christi.
      - 2. Uxorum ; discere, obedire, amare Maritos in Domino.
      - 3. Servorum ; sanctè revereri, obedire servire heris.
  - 2. Civiles
    - 1. Rectorum; sanctè regere subditos ad commune bonum.
    - 2. Subditorum ; sanctè obedire Rectoribus ut Oeconomis Dei.
  - 3. Ecclesiasticæ
    - 1. Præpositorum ; Doctrinâ, & exemplis, Cultu, Disciplinâ, sancte Populo præire.
    - 2. Populi : Præpositos amare, illis obedire, ut Ministris Christi, & in sanctitate proficere.

II. Positivæ ; vel Institutæ, per Leges Revelationis supernaturalis ; cujusmodi sunt Leges
- 1. De *Oblationibus* ; Quibus Redemptoris *Dominium*, *Imperium* & *Beneficia* agnoscuntur.
- 2. De *Sacrificiis*; Quibus porro Peccatum, & Pœnæ demeritum agnoscuntur; & fides in Christum Sacrificandum, & spes remissionis, & pacis cum Deo per ejus sacrificium, sunt professæ,
- 3. De discrimine animalium mundorum ab immundis; Quo Sanctitas Divina se voluit notam facere.

III. Mixtæ; per Leges mixtas; quales sunt
- 1. De nuditate vestibus tegendâ.
- 2. De Sabbato, ut cultu Redemptoris jam observando.

III. MOVET VOLUNTATEM per finem, ad Obedientiam, Timorem & Amorem ; *viz.* Effectus & Consequentia naturalia { Bona Obedientiæ } prænunciando, & Retributionis Debita (*Præmia* ; viz. & *Pœnas*) Lege sanciendo. Et ita { Mala Peccandi }

I. JUS ad PRÆMIA obedientiæ sancit : ubi consideranda sunt, 1. Bona Promissa ; 2. Conditiones : Quorum ordo talis est.

I. CONSENTIENTIBUS FOEDERI sinceris JUS datur

1. Ad RELATIVAM UNIONEM cum DEO ; Qui exinde ipsis ex Lege fœderis est,
   - 1. CREATOR-RECONCILIATUS ; 2. SALVATOR-CAPUT ; 3. SANCTIFICATOR-VITA.
   - 1. DOMINUS ut Thesauri peculiaris; 2. RECTOR efficaciter ; 3. AMATOR specialiter. Accipit enim fœdere, 1. Sibi Deditos, 2. Sibi Subditos, 3. Ipsius Amatores.

II. Ad BENEFICIA consequentia è Relatione oriunda : Quæ sunt

1.
   - 1. Dei Patris Reconciliati AMOR COMPLACENTIÆ specialis ; ut erga Filios Regeneratos.
   - 2. FILII, REDEMPTORIS GRATIA specialis ; ut erga corporis sui membra.
   - 3. SPIRITUS SANCTI COMMUNIO specialis ; ut cum Regenitis Christi membris.

2.
   - 1. DOMINI TUTELA & PROVIDENTIA salutaris (Quia curat suum peculium.)
   - 2. RECTORIS, Doctrina, Regimen, Disciplina Salutaris.
   - 3. PATRIS-AMATORIS præsentia, beneficia, Amor fælicitans. Et ex hisce,

A B C

1. Accessus

A | B | C | 3. 1. Accessus ad Patrem, & Personarum, & operum Sanctorum, non-obstante imperfectione, acceptatio.
2. Peccatorum Remissio, Justificatio, & jus Adoptionis ad cœlestem hæreditatem.
3. Inhabitatio, auxilia, consolatio *Spiritûs Vivificantis, Illuminantis, Amorabundi.*

II. Consensum fœderatione Palam PROFITENTIBUS (*viz.* Sacramento *Fœderis.*)
1. *Sincerè*; Jus fœdere datur ad Sanctorum amicitiam, & ad communionem, media & privilegia Ecclesiastica.
2. *Ore tenus*; Pastorum & Sanctorum fit *Officium*, tales quasi sinceros recipere & tractare.

III. Fœderis Essentiales Conditiones vitâ præstantibus, jure fœderis debetur,
1. Omnium priorum beneficiorum continuatio; (ex continuata scil. fœderis Dei actione donativâ.)
2. Venia peccatorum postea commissorum, quoad pœnas perdentes & æternas.

IV. Fœdus magis integre & gradu eximiore præstantibus, Amor, Acceptatio & præmium majus debetur.

V. Perseverantibus fidelibus & vincentibus, ex fœdere Dei Jus datur,
1. Ad Animæ separatæ immediatam Beatitudinis cœlestis possessionem. 2. Quoad totum hominem.
1. Ad Resurrectionem ut, in ordine ad vitam beatam.
2. Ad Publicam & finalem Justificationem, per Christum judicem. Et inde
3. Ad totius hominis Glorificationem plenariam, sempiternam.

II. MALUM POENALE Decretum & PRÆDICTUM est,

I. In GENERE.
I. Peccato intrinsicum, nobis ipsis efficientibus; cujusmodi sunt
1. Reatus culpæ, vel Innocentiæ amissio.
2. Corruptio Animi, vel amissio Rectitudinis seu Sanctitatis.
3. Et ita amissio Amabilitatis, & fieri Deo odiosi (de hisce plura jam dicuntur.)
II. Naturaliter necessariò peccatum sequentia: Qualia sunt,
1. Displicentia Divina (Peccatum enim non odisse non potest.)
2. Gratia Christi salutaris (in tantum) rejicitur.
3. Spiritus Sancti Communio, auxilium salutare, & Consolatio neglecta; in tantum amittuntur.
III. Pœnæ Legales, à Deo Sancitæ, sapienter & congruè, sed liberè.

II. In SPECIE,
I. NON-CONSENTIENTIBUS, id est, INFIDELIBUS & Impœnitentibus, pœna fœderis statim debita est,
1. Privativa Negatio Unionis Relativæ cum Deo Patre, Filio & Spiritu Sancto.
2. Privatio Beneficiorum consequentium; 1. Patris Amoris, 2. Filii Gratiæ; 3. Spiritus Sancti communionis.
3. Privatio,
1. Accessus ad Patrem, & officiorum acceptationis.
2. Remissionis { 1. Peccati originalis (conditionaliter tantum per Legislationem ante remissi.) 2. Actualis; & ita Justificationis, & juris ad hæreditatem cœlestem.
3. Operationum salutarium Spiritus Sancti; & ita Derelictio sub pœnis Legis primæ.
Positiva item Major-Pœna, ob Amoris & Gratiæ ingratam rejectionem.
II. PROFESSIONEM negligentibus, Privatio Communionis Ecclesiasticæ.
III. APOSTATIS à Consensu deficientibus; Pœna est eadem quæ & Infidelibus aliis; sed cum aggravatione, juxta peccati aggravationem. (An quoad eventum, quis unquam à verâ fide deficiat, non jam disputo; sed deficientibus Lex pœnas statuit; quia deficere possibile est.)
IV. Fidelibus sinceris ob peccata cum sinceritate consistentia, Pœna est (non peremptoriè determinata, quoad eventum,) sed tantum quoad Debitum, idque Remissibile,
1. Amissio Juris ad Communionem Sp. Sancti, quoad gradum, & ejus, in tantum, Privatio.
2. Per peccata graviora notificata, Jus Remissionis, Justificationis, & hæreditatis, imperfectum redditur, donec per renovatam fidem & pœnitentiam redintegretur.
3. Castigationes plurimæ; In animas, & in corpora; in Relatos, contra valetudinem, opes, *honores*; privatæ uniuscujusque; & publicæ societatum; *viz.* Regnorum, Familiarum, Ecclesiarum, Notandum autem est, juxta Legem Naturæ primitivam, peccata vel levissima renatorum pœnas meruisse sempiternas, etiamsi fidelibus per Christum remittantur (sed *non plene* debentur.)
1. Hactenus recitatæ, sunt pœnæ hujus vitæ: At præter has, etiam fidelibus erit.
2. Pœna damni sempiterna etiam in cœlis: Diminutus scil. per peccatum est, 1. Amor noster erga Deum; 2. Et Complacentia Divina erga nos; 3. Et (quod gradum) hinc fœlicitatis & GLORIÆ non-nihil in æternum erit diminutum. (Tantum abest ut *Peccata* fidelium, per Dei *Promissionem* in bonum semper cooperentur.)

Et hæ sunt Leges; Hoc Regimen Antecedens, in Regno Gratiæ Universalis Initialis.

Elucidationes.

1. UTrum *Naturæ* & *Gratiæ Regna duo*, an potius unius Regni *duos ſtatus*, nominare mavis, ad cujuſque placitum relinquo.

2. Regni naturæ juſtitia quæ conſiſtit in innocentia ſine peccato, in ſe deſideratiſſima eſt ; & ea quâ Angeli ornati ſunt & juſtificati.

3. At Regimen Gratiæ hominibus, Regimine innocentium naturali tanto efficacius fuit, ut nemo mortalium à prima creatione ad hominem ultimum, Chriſto ſolo excepto, per viam puræ innocentiæ ad Gloriam cœleſtem acceſſerit aut acceſſurus ſit, ſed unuſquiſque tantum per Regimen Gratiæ.

4. Quàndo igitur Deus peccatum in mundo permiſit, non inſcius fuit, quot modis hinc commodè ſuæ Gloriæ bene proſpicere poſſet, & ſapientiam & bonitatem ſuam mundo demonſtrare.

5. Relationis BENEFACTORIS opera hic *loco primo* memoravi, quia ſub *fœdere Gratiæ Amor* partes primas & ultimas tenet.

6. Sicut dixi de *Regno Naturæ*, Regni Divini *fundamentum jacere*, & *conſtituere*, eſt etiam *Regimen* ſeu *Adminiſtrationem inchoare*, In quo à Regnis humanis differt. Formaliter tamen *Conſtitutio* & *Regimen* non ſunt idem.

7. *Relationes* efficere eſt *Regnum* efficere: Relationum autem *exercitia*, ſunt Regiminis ſeu Adminiſtrationis exercitia.

8. Etiam *Naturæ Dona* & *Creatoris Beneficia* ut *poſt peccatum non-ablata*, Gratiæ operibus & donis ſunt annumeranda.

9. Cum enim omnia in Redemptoris manus ſint tradita, è manu ejus jam omnia nos recipere neceſſe eſt.

10. Beneficia igitur priùs *merè naturalia*, ad fines & uſus Gratiæ, ad ſalutem ſcilicet humanam & reſtitutionem promovendam, & ad Redemptoris Gloriam demonſtrandam, jam ſanctificata ſunt; & ut talia a fidelibus recipienda & utenda ſunt.

11. Eorum tamen *Privatio*, etſi pœna ſit pro peccato contra Legem *innocentiæ*, etiam ad eoſdem uſus à Mediatore ſanctificata eſt, & à nobis itidem accipienda & adhibenda.

12. Quandoquidem ſanctificationis opus ad Spiritum ſanctum in ſacris Literis tribui ſolet, falſo & ex ſuo cerebro commenta loquuntur, qui Adamum innocentem non habuiſſe Spiritum ſanctum aſſerunt. Attamen in Adamo ſanctificando ſpiritus ſanctus ſe habuit ut *Creator*, ut *Perfector* ſcilicet Creationis operum ; At in peccatoribus ſanctificandis ſub Regno Gratiæ, ſe habet ut *Spiritus Redemptoris*, & non per Creationem, ſed per Regenerationem ſanctificat.

13. Promiſſa quæ quoad materiam ſunt *Benefactoris Dona*, quoad *Ordinem* ſæpe ſunt *Rectoris Præmia*.

14. Sicut *Creator-Judex communes* quaſdem pœnas toti humano generi inflixit (ut ærumnas, mortem, *&c.*) ita *Deus-Redemptor communia plurima* toti humano generi Gratiæ *beneficia* concedit; (ut Vitam, tempus, facultates, objecta inſtruentia, *&c.*) (De Reſurrectione poſtea ſeorſum.)

15. Non omnia Dei opera ſunt *directè Regiminis* ; aut *antecedenter* ſcilicet aut *conſequenter* ; ſed plurimæ Providentiæ Divinæ, rerum diſcriminationes, & mutationes, ſunt actus *abſoluti Dominii*, quibus Deus de ſuis quid libet facit: earum tamen plurimæ mediatè & reductivè ad *Regimen* pertinent.

16. *Eruditio* per *opera naturæ*, jam *Redemptoris* & *Gratiæ* opus eſt; ejus ſcilicet qui naturæ reſtaurator eſt, & naturæ à perditione ſervatæ Dominus.

17. Providentiæ etiam variæ rerum mutationes, ut à Redemptore omnino jam factæ ſunt, ita Redemptoris inſtruentia media ſunt.

18. Parentes, Præceptores & Paſtores ſunt miniſtri Redemptoris, ad Redemptos erudiendos ordinati.

19. Per oris Traditiones ſimul & ſcripta Deus mundum Redemptum inſtruere

ere dignatus est: At primò per Traditionem & vocalem instructionem; & tandem per scripta, in seculi declinatione, ne oris præcepta à posteris ignorata essent, & in oblivionem venirent.

20. Adami & Methusalemi longævitas, ut qui posteros fere ad diluvii tempus de rebus ipsis à Deo traditis & factis instruere potuerant, Scripturas tunc minùs necessarias reddidit.

21. Non tamen verisimile est, tunc mundum literis caruisse: aut Henochi prophetiam à B. Judâ memoratam, fuisse sine literis memoriâ conservatam.

22. Multò minùs verisimile est, Moysen fuisse primum Scriptorem, aut literarum inventorem, qui ipse in literatura Ægyptiorum educatus fuit. (de quo vid. Euseb. Niremberg. de Antiq. script.)

23. Angeli prioribus seculis aliquando apparentes, ministri fuêre Christi Redemptoris, ad specialia quædam nuncianda quibusdam, sed rarò admodum, missi.

24. Neque tamen sæliciora ea secula ideo judicanda sunt, præ nostris in quibus Angeli multò rariùs apparent; Quoniam per media ordinaria, faciliora & communiora, nos clariorem mentis Divinæ habemus revelationem, quam illi per Angelorum missiones.

25. Magna & multum à quibusdam agitata Quæstio est, *An Fœdus vel Lex Naturæ Innocentis, jam sit abrogata?* Quam (ne per Disputationem de eâ prolixiorem, Lectorem tædio gravarer) hic breviter decidendam duxi. Sive *nomen Fœderis* sive *Legis* quærenti magis placeat, dum ad *Rem* attendimus, partes distinctæ non sunt confundendæ. Et *Lex* & *Fœdus* illud naturæ continet, 1. *Doctrinam* Divinam: 2. *Præcepta* debitum Officii instituentia: 3. *Sanctiones* de *Retributione*, 1. *Præmiorum*, 2. *Pœnarum*. 4. Quarum *modus* est *conditio* (quæ sub *isto fœdere materialiter* (at non *formaliter*) idem est quod *Officium præceptum.*) 1. *Doctrina* de Deo non revocatur, sed magis illustratur. (Si mallent hanc Legis non partem sed *Antecedens quiddam* vocare, de nomine non litigare volo.) 2. *Præcepta naturæ officia* pleraque non mutantur. 3. Præceptis hisce non obedire adhuc mortem primò minatam meretur; Quæ etiam peccatori juxta Legem hanc in se consideratam adhuc debetur. 4. *Conditio* Vitæ ibi *promissæ* per primam hominis transgressionem fit non tantum moraliter, sed Naturaliter impossibilis, alicui scilicet ex Adami posteris: Innocentia enim perfecta est ista conditio; At qui peccato aliquo fœdatus est, non *innocens* esse *potest*, hoc sensu, etiam per Potentiam Divinam, ex necessitate scilicet existentiæ peccati existentis, & quia contradictio est, aliquem esse & non esse peccatorem. 5. Non *Deus* sed *Homo* fecit conditionem hanc impossibilem, id est, fecit hominem peccatorem. 6. Ergo Deus Promissionem vel Fœdus suum non propriè revocavit vel abrogavit; sed ex hominis peccato *Cessavit, cessante subditi capacitate.* 7. *Fœdus* nominatur primò à Pacto, ubi *Promissio* primas tenet; At *Lex* dicitur præcipuè à *Præceptis.* Etsi igitur eadem Dei constitutio dicitur & Lex & Fœdus, & ex iisdem constant partibus, quia tamen non ex eodem respectu, utrumque nomen suum sortitum est, cum non de *Re* sed de *Nomine* lis sit, dicendum est, *Legem* neque *abrogatam esse* neque *cessasse*; Fœdus verò non *abrogatum* a Deo, sed *cessasse* per peccatum hominis. 8. Quoad *Rem* verò dicendum est, 1. Legis præcepta naturalia pleraque continuata esse: 2. Pœnarum debitum simplex ob peccatum unumquodque non cessare. 3. At pœnam hanc humano generi, additione fœderis gratiæ remediantis, fieri remissibilem, & fidelibus remissam; At non omnino præventum est, ne unquam debitum fieret. 4. Promissionem vitæ sub conditione Innocentiæ *cessatam esse*, cessante conditionis possibilitate; non autem propriè *abrogatam*, aut saltem non nisi consequenter ad istam impossibilitatem. 5. *Officia* quædam *tunc naturalia* cessarunt etiam, cessante subditi capacitate, (ut Gratias agere pro statu innocentiæ continuatæ, ex promissis innocenti factis vitam sperare, se invicem ut innocentes diligere, *&c.* Breviùs adhuc, 1. Lex officium instituens plerumque non cessat. 2. *Promissio* vitæ cum sua conditione cessavit:

Qu. An fœdus Innocentiæ abrogatum est?

vit: 3. Comminatio non ceſſavit, ſed continuatur cum Remedio: Q. d. [Mors ob peccatum unumquodque debitum erit; at debitum hoc unicuique pœnitenti fideli per Chriſtum remittitur:] Et ceſſant ea præcepta quæ promiſſionem ſupponebant, e. g. vitam quærere ſub conditione Innocentiæ: Hæc vera eſt Quæſtionis hujus determinatio; etſi per brevitatem quibuſdam obſcura videatur.

Qu. 2. An naturæ Legibus aliquid per Mediatorem additum eſt?

26. Quæſtio altera hic diſputanda eſt, *An Legibus Naturæ aliquid per Redemptionis opus aut fœdus additum eſt? vel an Redemptis ſint Leges aliquæ naturales, quæ ad Adamum non pertinebant?*

Reſp. Imo, plurimæ. At de nomine diſtinguendum eſt; *Lex Naturæ* aliquid à pleriſque dicitur, Quia in ipſa humana natura ad actionem aliquam *Inclinatio* eſt in Voluntate, aut ejus ut debitæ *Notitia* in Intellectu: ſecundùm impropriam hanc vocis acceptionem dicendum eſt, Quod Natura eſſentialiter eadem erat in Adamo & in nobis; At diſpoſitiones ejus perfectivæ fuêre meliores in Adamo quam (ſaltem) in poſteris ejus quâ corruptis: Et in Regenitis, ſecundum modum & menſuram Gratiæ reſtaurantur: Et etiamſi quædam ſanctæ in nobis diſpoſitiones ſint (ut ad fidem & reſipiſcentiam) quæ ab objectis jam nomen ſortitæ ſunt, & ideo non formaliter fuêre in Adamo, in illo tamen omnes eædem fuêre virtualiter aut eminenter.

At *Lex Naturæ* proprie (ut dictum eſt) ſignificat, *ſigna Voluntatis Divinæ de debito noſtro, in rerum naturâ revelata, & ita dicendum eſt,* Plurimas jam actiones eſſe in Redemptis, obligationis naturalis (etiamſi nulla extaret Scriptura) quæ nunquam ad Adamum pertinebant.

27. Hujus generis ſunt omnes illæ quæ ſub iſto titulo in Tabula memorantur; etiam pleraque fidelium opera & officia jam ſub Regimine Redemptoris. Mutatâ enim naturâ, mutantur itidem officia humana; Leges naturæ enim ſunt obligationes reſultantes à natura divina & humana inter ſe comparatis, & cum objectis & circumſtantiis omnibus conſideratis; unde per modum ſigni Voluntas Divina innoteſcit.

28. Etſi Redemptionis opus non plane & plene notum eſt, niſi per revelationem ſupernaturalem; ex effectis tamen omnibus patefit, Deum peccatorum miſertum, non illos juxta Legis Innocentiæ rigorem tractaſſe, ſed Regimen miſericordiæ & Gratiæ in ipſos exercere: Neque (ſaltem) difficilius hoc cognitu eſt, quam ipſum peccati pœnarum meritum. Peccatum enim unumquodque pœnas demereri, etiam preſentes & perpetuas, clare ratiocinanti ex cauſis quidem notum eſt; cum tamen peccator jam cæcutiens & ex Amore ſui ipſius judex iniquus, & peccandi deliciis illaqueatus, haud facile hoc aut percipit aut credit. Non minima igitur Regiminis Gratiæ non-agniti ex lumine naturæ cauſa eſt, difficultas mali & meriti peccatorum agnoſcendi. Hiſce autem jam agnitis (quæ naturæ lumine cerni poſſunt, etſi non ſine difficultate) ex ipſis jam ſenſibus, ex quotidiana totius mundi experientiâ, Deum mundum per Miſericordiæ & Gratiæ modum jam regere, facillime innoteſcit. Qui enim ſcit ſe peccatorem eſſe, & nil niſi pœnas à Deo ſanctiſſimo & juſtiſſimo demerere, & tamen ſentit ſe vivere, & valere, & protectione Divinâ contra inimicos & pericula innumera frui, & Beneficia magna & multiplicia poſſidere, & ſecretas percipit ad pœnitentiam & obedientiam inſtigationes; & omnia hæc ſibi evenire, non tantum *ſine meritis*, ſed *contra meritum*; hic facile concludere poteſt, Deum cum ipſo, non juxta ſua demerita, in rigore juſtitiæ, ſed juxta miſericordiam & Gratiam, agere; Et inde haud difficile etiam concludere poteſt, eum qui peccatorum pœnas temporales ita remittit, & contraria in nos accumulat beneficia, peccatoribus ſpem dare non contemnendam, ſe etiam pœnitentibus & ſincere obedientibus pœnas remiſſurum ſempiternas. Quid obſtat enim quo minus eum miſericordem & Gratiæ largitorem futurum credamus, quem ex tantis & tot experimentis talem eſſe & ſemper mundo fuiſſe, comperti ſumus?

29. Ad Regnum Gratiæ vel conſtituendum, vel regendum, non tunc neceſſatius erat Redemptor Incarnatus; Circa 4000 enim annos Deus λόγος Redemptor

&

& Rex Ecclesiæ fuit, nondum homo factus; nedum mortuus pro peccatis & resuscitatus.

30. Per totum hoc tempus Deus peccatorum remissionem concessit, non propter meritum aut sacrificium Christi incarnati jam præstitum, aut existens, sed præstandum.

31. Quando dicimus [*propter meritum & sacrificium præstandum*] Deum peccata remisisse, non volumus, *non existentis* vere *efficaciam* seu *causationem* aliquam fuisse (Quod enim non est, non operatur.)

32. Neque volumus aliquod extrinsicum, Decretorum aut Volitionum Divinarum vere causam esse efficientem.

33. Sed quando existit Christi meritum & sacrificium potest esse causa Volitionum Divinarum, quæ dicitur, *Objectiva, terminativa* & ita specificans. Et Causa *Volitorum moralis, meritoria & sine quâ non.*

34. Ergo antequam existat, etiam in esse cognito, potest esse in mente Divinâ, quid decretum & ordinatum ad Gloriam sapientiæ, justitiæ & amoris sui declarandam, quod locum talem in serie faciendorum possidet, ut ex ejus respectu cætera variè referantur & denominentur; & ex ejus prævisione & decreto Deus concorditer alia præstet. Et ita quasi ab extrinsico Divinas volitiones denominando, dici potest Deum unum aliquod concordiæ gratiâ velle, quia aliud ab ipso volitum aut existit aut futurum est; & ita etiam dici potest, Deum peccata ante remittere, quia Christus pro peccatis incarnandus & moriturus fuit. At hoc juxta modum humanum, cum reverâ nil aliud significet, quam 1. Ordinem rerum decretarum, & 2. Ordinationem & aptitudinem unius effecti ad alium effectum producendum.

Qu. Utrum Christi Sacrificium existens, aut ejus fides, magis necessarium, erat ad salutem?

35. Quæstio non contemnenda est, *utrum ipsum Christi sacrificium, an sacrificii notitia & fides in hominibus, magis necessaria sit ad salutem?* Qui *fidem* magis necessariam dicunt, rationem hanc reddunt, quod sine Christi sacrificio homines per annos circa 4000 salvati sunt; at *sine fide* neminem fuisse salvum. Qui contrarium tenent, dicunt, non posse actum esse sine objecto; nedum valere; & Christi meritum & sacrificium, medium salutis prius & nobilius esse, quam fidem? At respondendum est, *Necessitas* rerum oritur vel ex *Volitione causæ primæ*, vel ex *ordine rerum ad se invicem.* Quoad primam necessitatis rationem *æquè volita*, sunt *æque necessariò futura*, (etiamsi non semper futura per modum eundem necessariæ causationis per causas secundas.) At ita non æquè necessaria est *fides humana*; ac *Christi meritum & sacrificium:* Quoniam sine Christi merito Deus neminem vult salvum futurum; sine fide autem in Christum propriâ, multos, *viz.* (ut de aliis nihil dicam) Infantes. At quoad *Necessitatem* ex *causis secundis*, dicendum, quod de mediis à Deo *libere institutis*: difficile est hominibus aliter de necessitatis gradibus judicare, quam ex Voluntate Divinâ: Quia nullum eorum in sese antecedenter ad Volitionem Divinam, absolute necessarium erat. At de mediis *naturaliter* necessariis, necessitatis ordo & gradus in reipsâ patebit. Hic autem, quoniam ad fines nobiliores, & ut medium nobilius *Christi meritum & sacrificium*, quam *ejus fides* in homine, à Deo deputantur, ideo magis necessaria quam fides illa, æstimanda sunt. Ad rationem autem pro contrario dicendum est: Quod sine Christi sacrificio ut *existente* quidem, non autem ut *Volito, futuro & præviso*, homines salvati sunt: At sine fide in Christum vel existente vel futurâ, (in hac vita) Infantes (saltem) sunt salvati.

Qu. An fides in Deum misericordem magis necessarium fuit quam Christi sacrificium.

36. At quæritur etiam, *Utrum fides in Deum misericordem, & sanctitas, an Christi Sacrificium & meritum, ad hominis salutem magis necessaria erant?*

Resp. Quia æquè à Deo necessaria esse ad salutem (quod sine utroque nemo salvabitur,) sunt Volita, ideo æquè realiter sunt necessaria, quoad causam primam necessitatis: Quia verò de Christi morte inter Theologos controversum est, an *absolute necessaria fuit*, an tantum *ex hypothesi ordinationis Divinæ arbitrariæ*; At de Dei ipsius Potentiâ, Sapientiâ, Misericordiâ, an necessaria sint ad hominis salutem, nunquam inter sobrios controversum est; Et quia fides in Christum

Christum non omnino æquè necessaria est, ac ipse Christus; At sine fide in Deum, & sanctitate, saltem habituali, aliquem salvari, est mera contradictio, & idem quod *salvari sine salute*; & tandem quoniam & Christus Mediator, & fides in Christum, sunt tantum Media ad hominem Deo per sanctitatem & Amorem, restituendum; Ideo sine hæsitatione dicendum est, ex *Natura rei, fidem, Sanctitatem, & Amorem Dei*, ad salutem magis esse necessaria, quam aut fides in Christum, aut Christi ipsius Sacrificium.

37. Deus igitur qui peccatores per 4000 annos, sine existentiâ humanæ *Naturæ* Christi, & ipsius *Sacrificio* & *Meritis*, & in Naturâ creatâ *Mediatione* aut *Intercessione*, salvare potuit, etiam sine explicitâ & distinctâ Christi quoad incarnationem, mortem, resurrectionem, notitiâ & fide, eos potuit salvare. At sine *sanctitate, & fide in Deum, & Amore Divino* aliquem servare, quia contradictionem implicat, ne quidem potuit.

38. Ipsi etiam Christi Apostoli & famuli, qui doctrinam & vitam & opera ejus noverant, & proculdubio non infra vulgus Judæorum in Sacris Literis exercitati fuerunt, Christi tamen Crucifixionem, Resurrectionem, Ascensum, Regnum Spirituale, Spiritus Sancti missionem extraordinariam, vocationem Gentium, &c. ante Christi Resurrectionem non intellexerunt, & ideo neque crediderunt; (sicut postea suo loco probabitur.)

39. Ergo ipsorum Judæorum vulgus, imò Sacerdotes, non magis, sed minùs quàm Apostoli de hisce intellexisse & credidisse, plusquam probabile est: Et consequenter Christi notitiam inter ipsos Judæos fuisse generalem & confusam, expressam, Gen. 3. 15. descriptionem, non multò excedentem.

40. At Promissio de *semine mulieris caput Serpentis contriturò*, Adamo facta, ab ipso ad posteros suos tradenda erat; & ex ista traditione, totus mundus in *semen Sanctum, Triumphatorem de Satana, morte & peccato*, credere tenebatur. De *obligatione* igitur ad officium fidei talis non est dubitandum. At non juxta mensuram symboli fidei Christianæ.

41. Qui dicet, per annos 4000 homines fuisse salvatos per fidem in semen mulieris, talem generalem, sine fide in Christi Mortem, Resurrectionem, Ascensum, Spiritus Sancti descensum, &c. at nullos tamen ante diluvium aut ante Christi incarnationem, salvatos fuisse per fidem in *Deum misericordem*, per *Gratiæ Leges* regentem & remunerantem, sine fide in *Messiam incarnandum*, is planè probare tenetur quod affirmat, & hujus præ illius demonstrare impossibilitatem.

42. Qui totum Gratiæ Redemptoris Regnum intra limites Ecclesiæ Judaicæ ante Christum, (& Christianæ post Christum) coarctat, aut *Innocentiæ* statum fingit restitutum, aut homines in viâ, esse apud inferos, extra salutis spem & media; aut Gratiam Divinam multiplicem toti mundo conceſſam, ingratè negat esse gratiam; aut tandem quid loquitur ipse nescit.

43. Etiamsi Christi futura Incarnatio, &c. per Naturæ Lumen antediluvianis minimè prospecta fuit, tamen vel ex promissis, vel experientiâ, Regimine Gratiæ & misericordiæ semel cognito, Lex Naturæ (lapsæ) omnes ad *Resipiscentiam* obligat, sicut Lex Naturæ integræ prius ad innocentiam obligabat.

44. Et cum peccator ad superbam sui intellectus & bonitatis æstimationem nimiam devenerit, & sibi Amore inordinato adhærens, Voluntatis propriè factus fuerit captivus, Lex Naturæ eum ad sui abnegationem obligat, & à se ad Deum ut revertatur expresè jubet.

45. Cumque tanta sit deordinatio & confusio in natura depravatâ, ut Appetitui Sensitivo Intellectus Voluntariè servit, & dominante Carne, omnis homo Carnalis sit, vix aliquid clariùs (etsi non efficaciter) Lex Naturæ jubet, quam sensus Intellectui esse iterum subjiciendos; & carnis dominium totis viribus subvertendum.

46. Cumque impiis & Carnalibus cunctis, mundanæ voluptates, opes aut honores, magis placeant quam bona spiritualia & æterna; nil prius Lex Naturæ jubet, quam Deum toto animo, toto corde, & totis viribus amandum esse, & omnibus hisce creatis ut vanitatibus infinitè esse præferendum; & amorem mundanum & carnalem esse mortificandum.

47. Imò

47. Imò opere Redemptionis, & fœdere Gratiæ ſemel notificatis, ex clariſſima Naturæ Lege, ad aſſenſum, conſenſum & fiduciam, id eſt, ad fidem Chriſtianam obligamur.

48. Et notâ ſemel Redemptione, Lex Naturæ redemptos obligat, Redemptori ut Domino ſe totos ut Illius reſignare; & ut Rectori promptè obedire, & ut Amicum & Benefactorem, cum gratitudine ſummâ eum redamare.

49. Cætera in Tabula nominata prolixitatis vitandæ cauſâ prætereo; ſed Lectorem ea particulatim obſervare vellem, & inveniet ea omnia eſſe jam lapſis officia planè naturalis obligationis; Tantum abeſt ut Lex Naturæ ceſſaverit, aut ad Innocentiæ ſolum officia obliget.

50. Qui Theologos *Naturæ Lumen* & *Legem* explicantes, calumniantur, quaſi *Sacris Literis* injuriam aliquam eo facerent, & quaſi omne quod Legi Naturæ tribuitur, à Sacra Scriptura detractum eſſet, & primam laudare, eſſet à ſecunda derogare, turpem quidem Ignorantiam, cum protervo calumniandi pruritu, nimis produnt; ſacris enim literis, ut & inſtitutis poſitivis ibi traditis, in honorem ab omni verè Chriſtiano tribuendum eſt, quod Naturæ Legibus aptiſſimè congruæ ſunt; & ideo magis harmoniam Legum Divinarum commonſtrant, & nullo prætextu rationabili ab infidelibus rejici poſſunt.

51. Neque ſub prætextu omnia Præcepta Divina ut clarè naturalia efferendi, *poſitiva & inſtituta, revelationis ſupernaturalis*, ſunt neganda, aut vilipendenda. Deus enim etiam Adamo innocenti *poſitiva* quædam *ſupernaturaliter*, præcipere voluit, etiamſi *Lex Naturæ* non ipſa adhuc maculata erat, vel aliquatenus obliterata, & ſeculis etiam ſequentibus quo charior ſanctus aliquis fuit numini, eo magis per revelationes, ſupernaturales cum ipſo Deus verſatus eſt. Et Ratio patet, 1. Quia in tenebricoſo lapſûs ſtatu, clariore lumine quam naturali indigemus. 2. Quia ita Deus familiaritatem propiorem cum homine exercet, quam per ſolam Naturæ doctrinam. Et tandem quia niſi aliquando Deus Naturæ opera & ordinem mutaret, vel tranſcenderet, non leve foret periculum ne mundus ſenſibus deditus, de inviſibilibus dubitaret, & nullum eſſe Deum in corde diceret.

52. Lex de *Oblationibus* videtur eſſe Revelationis ſupernaturalis: Etſi enim ejus fundamentum, id eſt, præceptum *omnia Deo plenè dedicandi & devovendi*, ſit inter *naturalia* ipſa fundamentale; tamen nulla Lex Naturæ, quod ſciam nos dirigit, ſuper *Altare oblationem* ponere, & ibi per modum ceremoniæ Deo offerre, ſed potiùs tantùm omnia noſtra in operibus obedientiæ libenter expendere.

53. At clariùs multo patet *ſacrificandi* officium ex Lege fuiſſe Poſitivâ ſupernaturali, & ab Adamo poſteris tradita: Quia nihil in natura eſt quod hominem doceret, Deo mortem animalium innocentium placituram eſſe. Et *noſtras iſte* qui nuperrimè ſcriptis aſſeruit, *ſacrificandi morem ab ingenio humano primo deſumptum eſſe*, quaſi homines ita ſe Deum omnium Dominum, congruè agnoſcere putarent, & ita inter religiones voluntarias licitas numerandum eſſe; nil quidem dicit, Theologo dignum: Deus enim *omnium Dominus* vel *plenâ obedientiâ* per ſua munera, vel nudâ *oblatione*, vel *devotione* ad ejus ſervitium, agnitus eſt. At quare *animal innocens occideretur* ad Dei *Dominium* agnoſcendum? Nonne Deus eſt vivorum Deus? Anne mortificati oblatione, meliùs agnoſcitur, quam vivi? Imò quando Naturâ Deus vivens eſt & miſericors, & vitæ & ſalutis ſuorum amator, unde non potiùs mortem creaturæ non neceſſariam Deo diſplicere, putaremus? niſi ex ipſius inſtituto officium hoc manaret?

54. Et quando animadvertimus, & tam citò Abelem hunc morem obſervaſſe, & à Deo illum acceptum eſſe, & per totum fere mundum, in unoquoque ſeculo & gente hunc morem ſacrificandi obtinuiſſe, nullum illius Ortum alium ſapientiſſimi mens inveſtigare poteſt, quam traditionem ab Adamo & Noe ad ſuos poſteros: Neque ullam hujûs Traditionis rationem invenire poteſt præterquam inſtitutionem Dei poſitivam, ad Chriſti ſacrificium præfigurandum: Tantum quidem Religioni Chriſtianæ teſtimonium præbet, hic mos perantiquus & pene univerſalis ſacrificandi.

55. Et vix alia ratio præterquam inſtitutum divinum pro animalium omnium

immundorum à mundis differentiâ dari potest: etsi enim plurimorum quidem immundorum carnes nutritioni sunt minùs aptæ; de omnibus tamen (e. g. cuniculis) id dici non potest: & cibus nutritioni non aptior quam alia multa animalia immunda, humano tamen usui conceditur. Sed ad sanctitatis Divinæ, & populi suj puritatis necessariæ significationem discrimen hoc præcipue institui videtur; Quod ut Gen. 7. 2. apparet, ante diluvium etiam observatum fuit.

56. Legis *Præceptum*, & *Promissio* sunt utraque ad movendam Voluntatem ad Obedientiam: At *Præceptum* ex *Authoritate Rectoris* ut objecto formali obedientiæ; *Promissio* autem mediatè, dum *Bonum* ut *finem* Obedientiæ proponit.

57. Quia *Gratiæ Fœdus* vel *Promissio* est nomen ambiguum, semper distinguenda sunt *Promissio universalis absoluta de semine sancto* (Christo *incarnando*) & *Fœdus cum homine initum*, Redemptione præsuppositâ; ubi Promissiones Dei sunt conditionales de *Christi beneficiis* sub Lege peccatori concedendis.

58. Sicut Fœderis *plura* sunt *Beneficia* ex parte Dei hominibus concessa, ita ad ea obtinenda *Conditiones* item sunt *diversæ*; quoad modum scilicet & gradum, etsi non quoad rei substantiam.

59. *Conditio fœderis* in se considerata est *CONSENSUS fœderati:* Quicunque *Consentit* habet *jus fœderi*, sive jus ad omnia fœderis Beneficia salvifica initialiter.

60. *Consensus* hic quoad Terminum ad Quem dicitur FIDES, & quoad Terminum à quo dicitur RESIPISCENTIA.

61. RESIPISCENTIÆ tamen nomen connotat terminum ad quem ultimatum vel principalem; & ita idem est quod *Conversio ad Deum*, & dicitur *Resipiscentia erga Deum.*

62. Etsi *Fidei* tres sunt actus essentiales, ut à facultatibus nominantur, *Assensus*, *Cônsensus*, & *Fiducia practica*, quando tamen de fœdere loquimur, & de *Conditione* ejus verâ & salutari, non alio unò nomine aptiore utimur ad hanc exprimendam, quam *Consensûs*; Quia sicut *Voluntas* est facultas *Imperans*, & præcipua Moralitatis sedes, *Intellectionem* supponens, & *executionem* jubens; Ita *Consensus* est *fidei* quasi *Cor Assensum* semper *includens* & *Fiduciam.*

63. Etiamsi Theologis quibusdam absurdum visum est, *consensum*, id est, ipsam fœderationem, dici *Conditionem fœderis*; quia, (dicunt) *Fœderatio* & *fœderis præstatio* non sunt idem; Hoc tamen negantes, substantiam fœderis & Religionis Christianæ, & fidelium omne solamen subvertunt; Tanti scilicet est de Principiis Catechismi recte sentire & loqui. *Fides* etenim *ipsa* est *Conditio primi juris* ad Beneficia magna salutaria fœderis: At *Consensus fœderalis* & *fides* idem sunt. Sicut in *fœdere conjugii*, *Consensus* est *primi juris conditio*; & per ipsum Consensum conjugalem uxori jus datur ad maritum & sua omnia (juxta suam capacitatem.) Consensûs tamen seu promissionis nostræ fœderalis *præstatio*, ab ipso Consensu quidem aliud est. At non est *Conditio primi juris.*

64. Phrasium harum diversarum non idem sensus est; [*Præstare fœdus Dei*] [*Præstare conditionem fœderis Dei*] & [*Præstare fœdus nostrum cum Deo, sive promissa nostra foederalia*;] etiamsi omnes hæ sæpe a Theologis confusè exprimuntur per phrases hasce ambiguas [*Præstare foedus Gratiæ*] & [*Præstare foederis conditiones*] propriè namque *Deus* ipse *foedus suum præstat*, quando *beneficia* fœdere *promissa* nobis donat. *Conditionem* autem *foederis Dei præstare* dicimur, quando *conditionem illam præstamus*, sub quâ Dei fœdus beneficiorum jus tribuit. *Nostrum autem foedus cum Deo præstare nos* dicimur, quando illud præstamus in actionibus vitæ, quod consentiendo fœderi præstare *promisimus*; id est; quando secundariam *conditionis* partem præstamus.

65. Et *foederis* itidem *violatio* varia est. 1. Si Deus non promissa præstaret, *ipse foedus suum* violaret. 2. Si nos non *consentimus* sive *credimus*, sive Deo, per fœderationem nos devovemus, Legem tunc fœderis violamus, id est, Præceptum Dei quod *consensum* sub pœna infernali nobis imperat.* 3. Sin autem *promittimus futuram obedientiam* & non *præstamus*, *Promissionem* nostram, sive *foedus nostrum cum Deo* violamus.

66. Pri-

66. Primum & fundamentale fœderis Dei beneficium vere consentientibus omnibus datum, est *Unio cum ipso in Christo relativa:* sicut etiam fœdus inter Maritum & Uxorem, inter Regem & Subditos, inter Herum & Servum, Relationem mutuam primo contrahit; ex quâ contractâ relatione reliqua omnia subsequentia fluunt beneficia.

67. Sicut fœdus cum Trinitate ineundum est, ita fides in totam Trinitatem profitenda & præstanda est; & Relatio salutaris itidem cum tota Trinitate contrahitur.

68. In prima tamen fœderis Gratiæ promulgatione, non adeo explicite doctrina de Trinitate tradita est; neque tam explicita fides requirebatur, quam sub evangelicâ fœderis editione.

69. Sicut sub initiis Regni Christi incarnati quidam in statu salutis fuere qui quoad distinctam notitiam, nesciverunt an esset Spiritus Sanctus; Ita sub initiis Regni Redemptoris priorum editionum, in statu salutis plurimi fuêre, qui nesciverunt, an Christus incarnandus, moriturus esset & resurrecturus, & qui distinctam secundæ personæ Trinitatis notitiam minimè habuêre. Neque probari potest Majorem multo *Christi* notitiam fuisse sub prima fœderis editione, fidelibus necessariam, quam *Spiritus Sancti*, sub editione ultima. Act. 19. 2, 3

70. Deus tamen inter priorum seculorum fideles, proculdubio notus fuit, in tribus suis *Principiis essentialibus & operationibus*, viz. In sua *Omnipotentia* principio primo; in sua *Sapientia & Verbo* ut principio secundo (eoque ut incarnando; in Ecclesia selectorum) & in *Spiritu Amoris*, operationum perfectore, ut principio tertio.

71. Magna quibusdam videtur esse controversia, utrum *Fides* sit *medium* Jus obtinendi ad fœderis beneficia, & ita Justificationis, ex *Rei ipsius* necessitate naturali (utpote sine qua beneficium donatum nostrum fieri non posset) vel potius ex institutione Divina, illam ad Conditionis officium ordinante. At dubium est non modicè ignorantium, lumine modico facile solvendum. Distinguendum est scilicet inter *Dispositionem materiæ*, & *Officii. ipsius formam. Aptitudo receptiva fidei essentialis*, sive *Consensus fœderalis* in se, est Fidei ad officium suum *Dispositio naturalis*: At *Officium formale conditionis*, habet ex mera Voluntate sive ordinatione instituentis. Aptitudo sive *Dispositio materiæ*, est quasi numismatis *valor* ex materia argentea vel aurea: *Conditionis* autem *formale officium* ut effectui propius, est quasi numismatis valor ex *Principis signatura.*

72. Qui cum Deo fœdus percutit, non tantum de *futuro* promittere debet, cum consensûs aliqua mora, sed de *præsente* consentire; viz. se ab *isto momento* fore Christianum; Consensus enim dilatus non est Consensus, sed Consensûs futuri promissio.

73. Verè fideli seu consentienti *jus præsens* itidem datur, ad fœderis beneficia de presenti salutaria: Ita ut si isto momento fœderatus de vita decederet, virtute promissionis Divinæ salvus esset.

74. *Consensûs Professio* est conditio juris ad Communionem & privilegia Ecclesiastica.

75. Si *sincera* est ista professio, jus illud à Deo datur virtute fœderis: sin autem sit hypocritica vel *non sincera*, non est *Conditio ullius Divinæ Promissionis*, neque ex illa jus fœderis oritur vel ad levissima fœderis beneficia: Deus enim nemini se obstrinxit, si hypocriticè fidem profiteatur, se statim jus illi daturum ad privilegia Ecclesiastica, vel ad externa aliqua beneficia: sed tantum *jus habet in foro Ecclesiæ.* Et jus illud oritur, non ex *Promissione aliqua Divina talibus factâ*, sed ex *Mandato ad ministros professores* quasi *sinceros* recipiendi quoniam nimirum non sunt cordium scrutatores. De quibus lege Disput. nostras de *Jure ad Sacramenta.*

76. Sincere fidelis non habet jus ad Communionem Ecclesiasticam in foro Ecclesiæ ante fidei *professionem & fœderationem:* Quia Fides ejus Ministris Ecclesiæ non est nota: Et *non existentis* & *non apparentis* in foro externo eadem est ratio.

77. Non mirum igitur si Hypocrita ex professione jure recipitur, quando fidelis non *profitens* adhuc est extraneus.

78. Unius *ejusdemque fidei objectivæ* & *subjectivæ* (quoad essentiam) *existentia* necessaria est ad *salutem*, & *Professio* necessaria est ad *Communionem* ecclesiasticam. Errant igitur (ad fidei & ecclesiæ confusionem) qui dicunt, non *fidei salvificæ & justificantis*, sed *Dogmaticæ cujusdam* aliûs, *Professionem*, esse ad Communionem Ecclesiasticam, necessariam. Etsi enim *Fidei Realitas* & *nuda professio* plurimum differunt; Fidem tamen *realiter* & *hypocritice professam*, ejusdem fore speciei necesse est.

79. Etiamsi præsens ad beneficia fœderis jus conceditur, sub conditione fidei præsentis; *Continuatio* tamen *juris* datur ex *continuatione* fidei. Quia enim datur *fideli*; & Apostata non est *fidelis*, ideo ex cessatione fidei, jura fœderis cessabunt.

80. Promissionum Divinarum tenor non pendet ex eventu *perseverantiæ* fidelium: Sive enim fideles aliqui à fide unquam excidant, sive non; quia tamen excidere est in sese nimis possibile, æquum est Deum apostasiam prohibere, & perseverantiam fœderis conditionem modalem facere. Certitudo enim perseverandi quoad eventum, non Causas perseverandi necessarias esse *negat*, sed *supponit*; Eventûs enim certitudo oritur à causis, at Apostasiæ prohibitio cum minis & pœnis denunciatis in Apostatas, est perseverantiæ medium, & contra Apostasiam remedium.

81. Ad fœderis jura continuanda plura requiruntur, ut conditiones quam ad ea primò obtinenda. Præter Consensum enim & fidem continuatam, necessaria est *Actualis Obedientia*, seu consensûs *Præstatio* per *vitam* sincerè *sanctam*: quæ ad primum jus non est necessaria.

82. *Peccata futura* quia non sunt peccata, neque remissione egent, neque ejus sunt capacia: Non igitur fœderatione primâ *remittuntur*; sed sicut *Conditio fundamentalis* tunc *præstatur*, ita *Remissionis futuræ fundamentum* tunc ponitur; ex quo, suo tempore, infirmitatum remissio immediatè oritur; peccatorum autem *notorum* & *majorum* remissio, renovatam supponit resipiscentiam.

83. Gradus quidam altiores sunt acceptationis divinæ, & auxiliorum & solaminis spiritûs sancti, imo & gloriæ cœlestis, qui non omnibus sincere fidelibus jure fœderis debentur; Nec tamen ad meram *Domini absoluti liberam dispositionem* pertinent; sed fidelibus eximioris Amoris, integritatis & obedientiæ promittuntur.

84. Justificatio finalis & Glorificatio immediatè possidenda, fidelium nemini debentur ante finalem victoriam & perseverentiam: Non tantum quasi in donationibus *sub termino*, quia *tempus possidendi nondum venit*, sed quia *jus ad possessionem* adhuc non plenum est sed imperfectum: Perfectum enim non est jus, ubi tota Conditio nondum præstatur.

85. Qui dicunt (Antinomi scilicet) Fœdus Gratiæ *partem pœnalem nullam* continere, neque *Legis naturam* habere, sed nudæ *Promissionis*, (& quidem *absolutæ*, sine *Conditione*) vel de nomine litigant, vel nescientes quid dicant, totius Religionis naturam subvertunt. Christus etenim nisi sit *Rex* non est Christus: neque Rex est sine Legibus; neque Leges habet sine pœnis.

86. Et quamvis non ad salutem necessarium sit, dicere, præcepta, promissiones & comminationes, esse ejusdem instrumenti regiminis, partes diversas constitutivas; potius quam *diversa instrumenta*; aut instrumentum illud dicere indifferenter vel Legem vel Fœdus; (quia lis est *de nomine*, & de individuatione instrumenti moralis Regiminis;) Rectissime tamen loquuntur qui ita dicunt. Idem enim reverâ est Regiminis divini Organon, quod respectu quodam dicitur *Lex*, & alio respectu *fœdus* vel *promissio*; & quod omnes easdem jam dictas partes in se continet.

87. Sicut *Pœnarum*, ut dictum est, tantum est discrimen, ut dubium maneat *an species duæ priores poenæ propriè* dicantur, an non; (1. Scilicet *ipsa peccata* qua *miseria*, & 2. Peccatorum *effectus naturales*,) Ita etiam æque differunt *Legis Divinæ Comminationes*. Priores igitur voco, *Malorum prædictiones*; quia tantum *Creatione* (naturæ nimirum *talis*, unde *miseria* ex *peccati essentia* & *effectis* sequeretur) has pœnas Deus peccatori debitas statuit. Posteriores autem voco, *Pœnas Legales*, utpote quæ post *Creationem* à Rectore liberè sunt statutæ. De quibus vid. Elucid. c. 13. & 15 Par. 1.

88. *Amissio innocentiæ*, & *Rectitudinis* seu *Sanctitatis*, & inde *Amabilitatis*, cum *positivo Reatu*, *de ordinatione* seu *malâ Animi dispositione*, & fieri odiosos in conspectu

ſpectu Dei, ſunt Naturæ major miſeria, quam Corporis plurimus cruciatus.

89. Pœnæ peccatorum Impœnitentibus & Infidelibus debitæ, dupliciter *Pœnæ* ſunt, 1. Quatenùs *primò debitæ* per peccatum juxta *Legem Naturæ*; 2. Quatenùs *non remiſſæ* per Legem ſeu Fœdus Gratiæ: Etſi enim *non-remiſſio*, ubi nulla eſt Redemptio, non eſt *Pœnalis*, quia mera *Negatio* eſt; ubi tamen Redemptionis remedia conceduntur, & Remiſſio Conditionalis univerſalis gratis donatur, jam *non condonari*, *non-juſtificari*, *non Spiritum Sanctum habere ſanctificantem*, *inhabitantem*, *&c.* reverâ ſunt novi fœderis *poenæ*, quia beneficiorum ibi datorum *privationes*.

90. Errant proculdubio qui dicunt, *Peccati Originalis abſolutam univerſis remiſſionem*, *eſſe fructum Redemptionis*, *& Novi Foederis immediatum* Nil tale enim in Sacris Literis traditum eſt: Sed contra *Peccatorum omnium* ſine diſtinctione, *Remiſſio Conditionalis* omnibus conceditur: Et media ad eam actu obtinendam præſcribuntur: Etiam ipſis *infantibus foederatio nova* fit *medium* ad peccati hujus *reatum abſtergendum*.

91. Sicut Beneficia *Novi Foederis* ita Gradu *Veteris* beneficia exſuperant, ut etiam *ſpecie* illa ſuperare dicenda ſint; Ita etiam *pœnæ* & *Privativæ* & *Poſitivæ* novæ Legis ita *Gradu* Pœnas primæ Legis ſuperant, ut etiam *ſpecie* illis majores eſſe ſint dicendæ: Tantùm errant qui *novæ Legis pœnas nullas* eſſe proprias contendunt.

92. *Poenarum* aliæ ſunt *Peremptoriæ* ſeu *irremiſſibiles*, ubi ſcil. non tantum *de Debito*, ſed & de *futuritione* ſeu *eventu* Lex intelligenda eſt: Aliæ verò ſunt *Remiſſibiles*, ubi Lex *de jure* tantum peremptoriè determinat.

93. Sicut ſub Lege *Naturæ innocentis*, *Poenæ temporales* fuere *peremptoriè* minatæ, (& ideo actu inflictæ poſt ſententiam;) at *Pœnæ æternæ*, non peremptoriè, ſed fuêre *Remiſſibiles*, (& ideo per Redemptorem ſunt fidelibus *remiſſæ*;) Ita è contra per Novam Legem, *Pœnæ æternæ* fœderis conditionem non præſtantibus (id eſt, *finaliter Impœnitentibus* & *Infidelibus*) *peremptoriè* minatæ ſunt, & infligendæ, ſine ulla ſpe Remiſſionis; Pœnæ autem temporales non ita peremptoriè denunciatæ ſunt, quin multâ proſperitate iniquiſſimi hanc vitam tranſigere poſſunt.

94. In *via* autem *Pœnæ æternæ* ſemper ſunt *remiſſibiles*, & pœnæ temporales *pleræque* quæ non peremptoriè per primam judicis ſententiam decretæ ſunt.

95. Inter maximas hujus vitæ pœnas, numeranda eſt *Spiritus Sancti aliqualis amiſſio:* Et proculdubio auxiliorum ejus *Gradus cujuſdam* amiſſio, etiam fidelibus negligentibus & lapſis debetur: Non ita tamen debetur, quaſi debitum hoc Deus remittere non poſſit, & etiam gratis contra hoc meritum, auxilia hæc lapſis redintegrare; At valdè etiam à piiſſimis metuendum eſt, ne talem Deus juſtitiam erga ipſos per inobedientiam eorum exerceat; & ne Spiritum Sanctum negligentiâ, & reſiſtentiâ extinguant.

96. Maxima nempè hujus vitæ & Pœnæ & Præmia Divina, non ſunt circa *Corporis commoda* vel *incommoda*, dolores aut voluptates; ſed *intus in Anima*, in majoribus vel minoribus Spiritus vivificantis, illuminantis & Amorabundi auxiliis. Ibi igitur ſapiens continuò verſari debet, & judicia & Præmia Divina ſpiritualia interiora, diligentiſſimè ſemper obſervare.

97. De jure ad beatitudinem diminuto per lapſus poſtea plura ſunt dicenda. Vide quæ de hoc habet Synodus Dordracena.

98. Item contra iſtos qui dicunt Pœnam æternam peccatis juſtificatorum nunquam minatam eſſe, neque Remiſſam ut Debitam, ſed ne unquam ſit Debita, præcaveri, plura etiam poſtea dicenda ſunt.

99. Caſtigationes fidelium ſunt Pœnæ ob peccatum, etſi ipſis in bonum ſæpe cedant.

100. Etſi abſurdum eſt dicere Cœlum eſſe locum pœnarum, quia à ſtatu dominante nominandum eſt; Verè tamen dicitur in Cœlo eſſe Pœnas; Quia propter peccata non pauci ibi Gloriæ Gradu majore pœnaliter privantur; ſicut alibi probatum dedi.

Cap.

Cap. 3. § B. *De subditorum gestis sub Regimine hoc jam descripto.*

I. De ipsius Adami & Evæ statu & praxi sub fœdere Gratiæ, silet S. Scriptura: nisi quod ex consequentibus patet, eos Præcepta & Fœdus Dei posteris tradidisse.

II. De ipsorum verò natis proditum est, (quasi de posterorum specimine, & per prognosticon de totius mundi statu futuro.)

- I. Quod amborum *Commune* fuit; ex effectis autem patet,
  - 1. Traditionem Divinam ambos ab Adamo accepisse.
  - 2. Religionem veram, scilicet, *Fidem*, & *Pietatem* utrosque professos esse.
  - 3. Et utriusque etiam aliquid ambos operibus præstitisse; *viz.*
    - 1. In laboribus vocationis suæ, uterque exercebatur. Et
    - 2. Cultu solenni Deum, Dominum, Rectorem & Benefactorem agnoscebant.
- II. Discrimen autem ex utraque parte notatur; *viz.*
  - I. Cain primogenitus fit semen Serpentis, 1 Joh. 3. 12. cujus peccata memorata sunt,
    - 1. Religio manca hypocritica, 1 Joh. 3. 12. *viz.*
      - 1. Per defectum Fidei, Heb. 11. 4.
      - 2. Per defectum Amoris, ib. & Gen. 4. 3, 7.
      - 3. Per defectum Praxeos, ibid.
    - 2. Expectatio acceptationis Divinæ oblationis suæ hypocriticæ.
    - 3. Excæcatio per sui Amorem inordinatum: unde peccata sua non agnovit.
    - 4. Impœnitentiæ & Confessionis omissio; & contumacia in hypocrisi.
    - 5. Superbia contra Deum & fratrem, ob non-acceptatam suam oblationem.
    - 6. Displicentia adversus Deum, ob sanctam & justam oblationis ejus rejectionem.
    - 7. Blasphemia implicita; quasi Deus esset partialis, injustus & injuriosus.
    - 8. Invidia contra fratrem; ob Sacrificii ejus melioris acceptationem.
    - 9. Amoris fraterni perditio; & primò Ira, deinde odium adversus fratrem.
    - 10. Iræ hujus & odii maligna executio, per persecutionem & crudele fratricidium.
    - 11. Impœnitentia & occultatio peccati sub examine Divino.
    - 12. Omnia hæc aggravata,
      - 1. Quia primogeniti privilegia adhuc possidebat.
      - 2. Per prætextum Religionis, & contentionem de excellentia oblationis.
  - II. Abel fit semen Sanctum mulieris: Exemplar piorum; cujus Virtutes laudatæ sunt,
    - 1. Regiminis, Dominii & Beneficiorum Dei, sincera per cultum debitum agnitio; & suæ Obedientiæ, Devotionis & Gratitudinis Professio.
    - 2. Peccatorum confessio, & Justitiæ Divinæ pœnam exigentis, (per sacrificia) agnitio.
    - 3. Fides in Deum misericordem, & in semen promissum pro peccatis sacrificandum; & acceptationis fiducialis expectatio.
    - 4. Amoris & obedientiæ debitum exercitium, non vilia, sed optima sacrificando.
    - 5. Amor fratris, cum subjectione debitâ, etiamsi maligni & invidiosi.
    - 6. Martyrium tandem (non propter Religionem diversam, sed) Religiosæ sinceritatis gratiâ patitur; & patiendo vincit & coronatur.

III. De Caini & Sethi posteris item Sacris Literis traditum est,

1. Caini posteros, *filios hominum* vocatos, à filiis Dei fuisse visibiliter distinctos.
2. Ad ædificia & mundana se totos applicasse, & Dei nomen non invocasse.
3. A Deo magis alienos, & vitiis deditos, ad omne genus peccatorum se dedisse.
4. Per consuetudinem cum semine sancto, ejus tentatores factos esse pernicioso.

- Sethi autem posteri, 1. Filii Dei nominati, à Cainitis visibiliter sunt distincti.
- 2. Patrem aliquantisper imitati, Deum puritate aliquali colebant, & tandem modo solenniore.
- 3. Inter hos alii fuere mediocres, Henoch autem eximiè Sanctus & Propheta.
- 4. Tandem verò per malignorum consuetudinem, seminis sancti posteri ferè universaliter corrupti, in omne malum ruunt; Unico Noe cum sua familia, integritatem servante.
- 5. Noe prædicatio justitiæ & exemplum pietatis, una cum admonitionibus minacibus, Divinis diutiùs adversus peccatores denunciatis, Mundum degenerem, malitiâ obrutum, ad pœnitentiam minimè reduxerunt.

Gesta hæc ad posterorum notitiam à Deo tradita sunt, cæteris plurimis præteritis, utpote quorum cognitio ad nos minime pertinet.

Elucidationes

Elucidationes.

1. Quæstiones plurimæ de Parentibus nostris primis, hic per ingenia curiosa agitantur: Ut 1. *An Adamus non tantum ab Innocentiâ sed à Sinceritate, non jure tantum* (jus ad gratiosa auxilia amittendo) *sed de facto etiam excidit? Utrum* scilicet *Redemptoris Gratia interveniens, Amoris Divini totalem extinctionem* (*sinceri* saltem) *prævenit? an potius omnino extinctam restituit?* 2. *An certum* sit & *Adamum & Evam fuisse regenitos & salvatos?* 3. *Anne cum mundo corrupto postea iterum corrupti sunt? Aut potius, piorum principes, mundi peccata Doctrinâ & exemplo corripuere?* Et quare non de eorum pœnitentia, & eminenti pietate legimus, aque ac Henochi? &c. Sed omnia hæc multò meliùs silentio prætereunda sunt, quam quærenda vel disputanda, quia Divina Sapientia prætereunda duxit.

2. Cainum & Abelem in sacris literis, ut totius generis humani lapsi specimina, descriptos fuisse, 1. Ex ipsa historia. 2. Ex D. Pauli ad Gal. 4. Expositione. 3. Et experientiâ omnium deinde seculorum, satis constat.

3. Adami *primogenito maligno existente*, docemur, non sanctitatem, sed *peccatum originale*, propagatione naturali jam homini derivandum esse.

4. Et quamvis primogenitus superioritatem quandam obtinuit, & superioritas est præstantia à Deo derivata, & honoranda; cum malignitate tamen & persecutione eam sæpissime fore conjunctam mundus infælix expectare debet.

5. Qui dicunt Adami filios ex cerebro proprio commentos hosce colendi modos, Oblationes scilicet & Sacrificia omnino improbabilia loquuntur & absurda; sub Adami enim instructione & regimine vivebant; & ideo sine ductu ipsius hæc divina excogitasse & fecisse, non opinandum est; neque Adamum sine Deo hæc illis tradidisse.

6. Deum autem colendum esse, & sacris agnoscendum, & Religionis opera ad primas generis humani curas pertinere, ex naturæ etiam depravatæ lumine reliquo notum est.

7. Professio veræ fidei & Religionis cum malignitate serpentina consistere potest, & non rarò consistit.

8. Malignus & serpentinus hic Caini animus, etsi sua semina habuit in peccato originali omnibus communi, tamen inde per peccata actualia exsurgebat; & status fuit, non *primus lapsorum*, sed *secundus deterior*, ex Gratiæ remediantis Dei-Redemptoris abusu & contemptu ortus.

9. Etsi igitur omnes in statu mere naturali-lapso, sunt *Filii mortis*, & absque Regeneratione salvari non possunt; non tamen inde *Cainitæ* & *Semen Serpentis* dicendi sunt, donec ex *Gratiæ contemptu Malignitatem* quasi *sublimatam* quodammodo contraxerint.

10. Hypocritica Religio Cainitarum Conscientias quietans & deludens, eorum præsumptionem plurimum adauget, & malignitatem à detectione, & contra remedia tuetur.

11. Hypocritarum Religio à fide sincera & prævalente non provenit; & ideo semper manca & dimidiata est; & Mundana semper ab hypocritis prælata sunt, & è carnis & mundi reliquiis, fragmentis seu rebus vilioribus, numini cultus omnes præstant.

12. Quia hypocritæ corda propria non nôrunt, neque Amoris & fidei defectus cernunt, ideo Religionis suæ hypocriticam monstrositatem non vident, sed sua omnia etiamsi Deo odiosa, amabilia vel saltem acceptabilia judicant.

13. Qui se & suam hypocrisin non nôrunt, neque Deum & ejus Sanctitatem nôrunt; Ideoque judicant Deum hypocritica illa & inania æstimare, quæ & ipsi æstimant.

14. Non tantum ab Atheis & aperte infidelibus & impiis, neque tantum ab hæriticis, & alterius Religionis hominibus; sed etiam præcipue ab hypocritis Deum

um ſuo modo colentibus, & ejuſdem veræ Religionis profeſſoribus, fideles erunt perſecuti.

15. Hypocritarum tanta eſt præſumptio & ſuperbia, ut in inanis & demortuæ Religionis defenſione, contra proximos, & contra ipſum Deum exſurgere non timeant.

16. Nulla Innocentia, nulla vel maxime eximia Pietas, Conſanguinitas nulla, fideles à Cainitarum maligna invidia, odio & crudelitate tueri ſatis ſunt.

17. Hypocrita malignus ita ſui amore & peccato cœcus eſt, ut potius juſtitiam, Legem aut ſententiam divinam ſuſpectam habeat, & accuſatam, quam ſeipſum & cultum ſuum fucatum & inanem.

18. Maligni ipſum peccatum facile ferunt; peccati autem imputationem non ferunt: Malos eſſe ipſis non grave videtur; malos autem haberi, intolerabile. Et dum vere pii eſſe nolunt, piorum tamen nomen & honorem impensè ambiunt.

19. Nil aliud æque ac eorum ſincera pietas & præſtantia ſpiritualis, fideles malignorum odio & perſecutionibus objicit; præcipuè dum ipſi cum malis ſuis operibus ita à piis condemnantur, & à Deo rejiciuntur.

20. Amor pietatis & piorum qua talium, in malignorum pectoribus extinctus eſt, & in odium & invidiam verſus.

21. Nulla ſecularis ſuperioritas aut primatus ſuperbo malignorum animo ſatisfacit, dum fideles ob *pietatem* præ ipſis honorantur.

22. Niſi quando per Gratiam Divinam frænantur, malignorum invidia & odium nullos habet limites ſufficientes præter impotentiam exequendi; ſed in perſecutiones & homicidia inhumana & crudeliſſima erumpunt.

23. Sincera fidelium devotio, ſubjectio, amor per congruum Dei colendi modum ſe oſtendere parata ſunt.

24. Fides in Deum Redemptorem & ſemen ſanctum ſacrificandum, fuit Abelis juſtitiæ, & cultûs acceptabilis origo.

25. Vere fidelis quia & ſe & ſua omnia Deo devovet, ideo *Optimis* ipſum colit.

26. Fideles Deo acceptati non ſuperbâ præſumptione, ſed humili peccatorum agnitione, & miſericordiæ & Gratiæ deſiderio eum colunt.

27. Impiorum & malignitas & perſecutio non in totum fideles ab Amoris obligatione, aut ab inferioritate & ſubjectione debita, abſolvunt.

28. Amor Dei erga fideles non ex eorum rebus proſperis metiendus eſt: Martyria & tormenta crudeliſſima, non raro ſunt optimorum ſors: Et qui optima fecerit, peſſima ab hominibus malignis expectare debet.

29. Ex Abelis morte & martyrio gratiâ Pietatis, Deus mundum docere voluit, Retributionis in vita futura certitudinem, & juſtitiæ demonſtrationem adhuc expectandam eſſe.

30. Sicut poſteri Adami cum ipſo, vel ex ipſo in ſtatum peccati & mortis lapſi ſunt, ita Poſteri Caini ex ipſo & per ipſum in ſtatum delapſi ſunt multò deteriorem, & malignitatis majoris participem; Quod *Peccatum originale ſecundarium* dici poteſt.

31. Hic *Mundi & Eccleſiæ primo* oritur *diſtinctio actualis.*

32. Poſteri Sethi fuere Eccleſia Viſibilis, & poſteri Caini, non abſolute excommunicati, ſed conditionaliter; ſed in malitia educati, & in pejus ruentes, ſe voluntariè ab Eccleſia ſeminis ſancti alienârunt.

33. Status tamen eorum non fuit tunc plane deſperatus & irremediabilis: ſed Gratiæ promiſſio conditionalis etiam quoad ipſos univerſalis erat: Et ſiquando pœnitentiâ & fide moti ad Deum reverſi eſſent, proculdubio condonati et accepti eſſent. Præ ipſis igitur ſtetit quod reprobati et rejecti manſêrunt.

34. Diſcriminis ratio inter ſemen ſanctum & Cainitarum malignum, ex utraque parte ſtetit. Utrique ſcilicet à ſtatu meri lapſus receſſêre: Fideles ad meliorem, Cainitæ autem ad deteriorem.

35. In quantum aliquis peccator eſt, in tantum plerumque aliorum ſeductor: At

At inter Satanæ *ministros speciales*, nemo numerandus est, antequam ad Cainitarum devenerit malignitatem.

36. Quoniam inter naturam humanam & Diabolicam posita est inimicitia, at inter homines ad mutuum amorem obligatio est; majus igitur seductionis periculum est, à proximo nostro, ut Satanæ ministro; quam ab ipso Satanâ sine ministris.

37. Si paululum fermenti totam massam fermentat, quid mirum si pauci fideles inter infideles & impios plurimos, communi vitiorum contagione aliquatenus inficiuntur.

38. Fidelium paucitas nemini scandalum esse debet; Quandoquidem hæc tellus tantillum Opificii Divini punctum est; & inter vastorum superiorum orbium habitatores, quota pars salva sit, nos tenebricosi nescimus: Ex ignotorum igitur præsumptione non est arguendum. Et paucorum electorum inenarrabilis felicitas, Divinam potius munificentiam nos cogeret mirari.

39. Etiamsi Henochi pietas eximia laudatur; non tamen dubitandum est, quin plures mediocris fidei & pietatis, Deus istis quidem seculis habuerit salvandos.

40. Etsi Henochi eximia fuit fides & pietas, non tamen sine peccato perfectus æstimandus est: sed peccatorum remissione & indigens & fretus, per Christi merita salvatus.

41. Henochi cum Deo ambulatio, fuit eximia sanctitas: id est, Animi ad Deum & divina egregia inclinatio; & ejusdem in Amoris, Devotionis, & Obedientiæ exercitiis, & seria admodum, & constans exercitatio: Negotia quippe cum Deo ipso & cœlestibus, & majora & utiliora & magis delectantia se quotidie habuisse, praxi declaravit, quam cum omnibus creaturis mundanis, & proximis & remotis.

42. Henochum Prophetam fuisse constat, ex prophetia ipsius per D. Judam recitatâ. Qui enim illam fabulosam aut Apocrypham esse autumant, aut ex incertis authoribus desumptam, sacrum recitatorem nimis crasse & turpiter dehonestant.

43. Carnalium & impiorum consuetudo, plerumque meliorum fit inquinamentum.

44. Utrum omnes diluvio extincti, fuêre impii damnati, aut quidam eorum sinceri etsi turpiter vitiati, haud clare nobis in sacris literis revelatum est. Sin autem aliquos fuisse sincerè pios judicemus, tales monumenta sunt æquissimi judicii divini; & ab ipsis pii omnes admonitionem accipere debent, ne elati sint animi, sed ut timeant, & ne philautiâ cœci de negligentiæ suæ impunitate præsumant.

45. Heb. 11. 7. Docet, fidem fuisse obedientiæ Noachi radicem.

46. Et fidem hanc non fuisse promissorum tantum, sed etiam pœnarum mundo minatarum.

47. Et fidei hujus naturam fuisse, rerum adhuc non visarum sed postea videndarum credulitatem.

48. Inde etiam patet fidem *hanc timorem Noacho* incussisse; & ex illo timore eum ad salutis mediis utendum excitatum esse.

49. Item salutis hujus (& ideo probabiliter etiam fidei, timoris & obedientiæ) familiam ejus fuisse participem.

50. Et qui familiæ suæ salutem procuravit, justitiæ prædicatione, mundi etiam salutem procurasse conatus est.

51. Fides hæc etiam minarum divinarum timorem & obedientiam excitans, ad justitiam ipsi imputata fuit, & ipsum justitiæ ex fide hæredem denominavit: Unde natura fidei justificantis, (sicut & ex cæteris Heb. 11. instantiis,) satis evidenter liquet.

52. Mundus peccantium ut diluvio extingueretur non plene paratus erat, antequam justitiæ prædicationem per Noachum, & patientiæ & Gratiæ divinæ fructus, obstinatè diu per infidelitatem & impœnitentiam respuêrunt.

Cap. 4. § C *De primo Regimine Divino subsequente, in Regno Gratiæ Universali Initiali.*

Hic præmonendum duxi, Regimen hoc Divinum subsequens, non esse unicæ horæ vel diei opus; sed esse,

1. Actus Divinos retributivos de præsenti, Peccata priora sequentes, etsi posteriora Antecedentes.
2. Actus Judicii Divini Universalis severioris, majorem & ultimum peccandi gradum sequentis. Estque
   1. In hâc vitâ, Judicium *Universale* quidem, sed *Temporale*.
   2. In vitâ futurâ; Judicium de statu sempiterno; De quo alibi postea pleniùs dicendum est.

I. Quid vel *Spirituale* vel *æternum* Deus Adamo, & Evæ retribuit, sub fœdere Gratiæ, S. Scriptura non docet.

II. Eorum liberi discriminati, diversimode vel contrariè à Deo tractantur; *viz.*

I. De Caino notanda sunt

I. Causa; sive Peccatum; Quod est,

1. In *Genere*; non tantum Adami peccatum ipsi imputatum, sed Caini ipsius delicta superaddita.
2. In *Specie*; Peccata omnia priore Capite descripta; præcipuè autem fratricidium.

II. Judicium;

1. Primi Gradus;
   1. Deus Cainum oblationis rejectione, ob Religionem hypocriticam redarguit.
   2. Ob invidiam, iram, impœnitentiam eum corripit; Non eum quasi contra fœdus innocentiæ peccantem statim perdit; sed argumentis Amoris ad pœnitentiam adhortatur.
2. Secundi Gradus: ubi
   1. Deus peccatorem examinat (non quasi ignorans, sed ad ejus convictionem.)
   2. De peccato, negantem & culpam occultantem, convincit.
   3. Adversus convictum fert sententiam; cujus denunciatæ pœnæ sunt;
      1. Ejectio ex terra Edenis; ubi Deus regendo specialiter se manifestavit.
      2. Excommunicatio itidem à consortio Sanctorum.
      3. Pœnæ corporales; *viz.*
         1. Maledictio terræ, ipsi adaucta.
         2. Laborum suorum frustratio.
         3. Erronem & fugitivum ipsum futurum esse in terris.

Et sicut 1. Hæc ipsi Caino decreta sunt, ita
2. Posteri ejus ob Caini peccatum pœnarum earundem fiunt participes, sicut & quâ posteri Adami, antea pœnæ communis humano generi fuerunt participes.

III. Executio: Quæ fuit juxta sententiam prolatam, Gen. 4. 9, 10, 11, 12, 13, 16.

II. Abelem,

1. Deus, Religionis & Sacrificii ipsius sinceri acceptatione, remuneravit, Gen. 4.
2. Et ita de operum ejus bonitate, & de personæ fide & justitiâ testificavit, Heb. 11. 4.
3. Martyrem ad se recepit coronandum; & futuris fidelibus eum exemplum laudatissimum reliquit, 1 Joh. 3. 12.

III De posteris autem porrò notanda sunt Judicia Divina; *viz.*

I. Primi Ordinis; Quæ sunt

I. Erga Justos seu fideles; *viz.*

1. Vulgares: Quos ut populum suum & filios, amavit & tandem fælicitavit.
2. Henochum specialiter; Quem egregiè pium, egregiè approbavit & remuneravit; *viz.*
   1. Communione Divinâ speciali in via.
   2. Testificando de ejus fide & sanctâ vitâ, ut Deo placentibus.
   3. Transferendo eum ad cœlos mutatione extraordinariâ, sine morte, Gen. 5. Heb. 11. 5. *viz.*
      1. Ne populus istius seculi vitæ æternæ obliti essent, dum temporalia tantum viderint.
      2. Ut omnium seculorum fidelibus testimonium hoc extaret, de Resurrectionis & Gloriæ cœlestis certitudine; propter quam Homo & conditus est & Redemptus.
      3. Et fortasse, ut; quâ viâ ad cœlum innocentes sub primo fœdere transituri essent, si perseverassent, etiam peccatoribus ita innotesceret.

II. Erga injustos: Maligna Cainitarum progenies, seu filii hominum, bis mortui,

1. Exules à facie Dei, sunt cum Patre.
2. Et exortes Sanctorum communionis specialis.
3. Et magis adhuc à Deo & Gratiâ ejus deserti, & propriæ voluntati ad ruinam permissi.

II. Secundi Ordinis; vel Judicium Universale, vel ultimum illius seculi, ubi sunt,

I. Causa:

I. Causa: non jam Adæ peccatum, sed mundi superaddita Nequitia, & Noachi justitia.

II. Judicium
- 1. Erga malos,
  - 1. Deus mundum corripuit, & per præconem justitiæ monuit.
  - 2. Tempus patientiæ suæ duraturæ prædeterminavit.
  - 3. Diluvii tandem perniciei eos adjudicat.
- 2. Erga Justos; Noachum, *viz.* cum suis, Quem remuneravit,
  - 1. Amore & Acceptatione speciali.
  - 2. Ejus fidem, timorem, obedientiam & justitiam laudando.
  - 3. Ipsum cum suis à Diluvio præservando, & hæredem mundi ob fidei justitiam faciendo, Heb. 11. 7.

III. Executio juxta sententiam fuit: De cujus
- I. Extensione porrò notandum est,
  - 1. Impiorum gratiâ diluvio periisse,
    - 1. Eorum Liberorum parentibus; utpote per pœnam peccati originalis-secundarii.
    - 2. Etiam pecudes, volatilia & reptilia; etsi non pœnaliter quoad ipsa tamen *hominis causâ cujus* fuere; ut Deus peccati odium suum pleniùs declararet.
  - 2. Fidelis Noachi gratiâ, servatos esse,
    - 1. Familiam ejus (ut probabile est, ipsorum concurrente fide.)
    - 2. Animalium etiam species; quorum iterum in terris fieret multiplicatio.
- II. Et de Medio & Modo
  - 1. Puniendi, *viz.* per Aquam; Elementum igne mitius.
  - 2. Præservandi, *viz.* per Arcam: Quæ fuit
    - I. Quoad Causam
      - 1. Principalem, Opus Potentiæ, Sapientiæ, & Amoris Divini.
      - 2. Ministram, Opus fidei, timoris, & industriæ Noachi.
    - II. Quoad Usum
      - 1. Proximum, medium conservandi Hominem & Animalia à diluvio.
      - 2. Remotiorem, Typus nostræ salutis per Christum & Baptismum.

Elucidationes Cap. 4. §C.

1. ADamum & Evam fuisse verè pœnitentes & fideles, actualiter justificatos & sanctificatos, & post mortem beatos, quamvis non certum sit, utpote Sacris Literis non clarè & explicitè traditum, ab Ecclesia tamen ut valdè probabilè tenetur.

2. Probabile est Adamum tunc plures habuisse filios præter Cainum & Abelem, quamvis horum tantùm ibi meminit sacra historia.

3. Non propter peccatum Originale tantum Cainus reproba ur seu rejicitur à Deo, (utpote qui in fœdere gratiæ universali remissionem habuit conditionalem) sed prop er Redemptoris Legis actualem superadditam violationem & gratiæ resistentiam & contemptum.

4. Cainum è Sanctorum communione Deus non ejecisset, nisi per malignitatem & persecutionem ipse prius animo inde recessisset.

5. Abel fidelis dum à fratre maligno trucidatur, non minùs Deo gratus, & fælix fuit, quam si deliciis mundanis saturatus regnasset: Neque in maximis sanctorum persecutionibus, tale aliquod malum inventum unquam fuit, quod ab officii sui veri vel minimâ particulâ, credentem, sapientem & sui sobriè amantem, deterreret

6. Etiam ab exordio Regni Mediatoris, per crucem itum est ad coronam, & ad vitam sempiternam per vitæ, præsentis abnegationem.

7. Per mortem etiam Justissimi Abelis, Deus mundum quasi Demonstrativè docere voluit, fidei & obedientiæ præmia, & veram animarum fælicitatem & requiem, & Justitiæ Divinæ plenam demonstrationem, non in vitâ hâc terrestri, sed in futurâ cœlesti expectanda esse.

8. Peccantium multitudo à pœnis Divinis nullam præbet immunitatem.

9. Ne unus quidem in toto mundo verè sanctus à Deo despectus aut neglectus erit: In præsentiâ enim Angelorum de uno resipiscente peccatore gaudium est, Luk. 15. 10.

10. An totus telluris orbis diluvio ſubmerſus fuit? an *Pars* tantum? ut Iſaack Voſſius, & alii nonnulli contendunt, diſquirendum aliis relinquo.

11. An omnes aquis ſubmerſi Gehennæ etiam pœnis æternis perierunt? An Deus in cœlos aliquos recepit, quos â diluvio cum Noe ſervare noluit? An in carcere aliquo eorum animæ fuere concluſæ, ubi Chriſtus deſcendens illis prædicavit? ut poſt alios multos Mat. Fl. Illyricus in Clavi Scripturæ pluribus ex 1 Pet. 3. 18, 19, 20. probare conatus eſt. Hæc cum aliis ejuſmodi pluribus determinandis prætermitto.

12. De controverſiâ Chronologicâ ex differentia librorum Hæbræorum & Græcorum ortâ, Lectorem ad Uſſerium, Hulſium, &c. & Capellum, Izaac. Voſſium Morinum remitto: Vel quæ ex illis à Domino Mat. Polo noſtro in Synopſi Criticorum in Gen. c. 5. collecta ſunt videri poſſunt. Talia enim à nobis hic tractanda non ſunt.

13. De Arcæ capacitate ad omnia in ſe contenta recipiendum, & ejus figura, vide etiam quæ profert Matth. Polus ib. in Gen. 6. Wilkinſii noſtri nuper Epiſcopi Ceſtrenſis.

14. Mirandum videtur Noachi filios omnes uxoratos ne unum habere filium quando arcam intrârunt; ſed fortaſſe ideo immediatè ante introitum uxores duxêrunt, quò poſt diluvium liberos procrearent! & non improbabile eſt eis tempore diluvii in arca à concubitu abſtinendum fuiſſe. Mirum etiam videri poteſt quod in domo Noachi juſtitiæ prædicatoris ne unum fuiſſe ſervum à diluvio ſervandum; neque unum ex iis omnibus quorum operâ in arcâ fabricandâ uſus eſt. At fortaſſe nondum ſtatus ſervilis mundo notus fuit, neceſſitate nullâ ſerviendi exiſtente hominibus, omnibus adhuc laborantibus; & per ipſum Noachum cum filiis ſuis potuit Arca fabricari.

14. Diſtinctio filiorum Dei à filiis hominum, & rejectio Cainitarum, & Infantum omnium in diluvio perditio, clare teſtantur Deum filios quaſi parentum partes, peccati non tantum Adamici, ſed & proximorum parentum ſuo modo aliquatenus reos, donec adulti reſipuerint, tractare: Et tota ſacra hiſtoria, Exod. 34. 6, 7. & præcepti ſecundi commination̄em nobis ita exponit.

15. Sicut Noe cum ſuis per Redemptorem, & per fidem operativam in Arca ſervatus eſt, mundo diluvio pereunte; ita fideles cum ſuis Infantibus per eundem Redemptorem, & fidem operativam in Eccleſia per fœdus Baptiſmale ſervantur, mundo infideli per ignem pereunte.

An detur peccatum originale ſecundarium? vel utrum poſteri parentum proximorum peccatorum, & ob ipſa, pœnarum vere Rei ſunt? Diſput. Anglice jam edita eſt.

Cap. 5.

Cap. 5. § A *De Regimine Regni Gratiæ Universalis Initialis, Antecedente secundo* (viz. *post Diluvium.*

Mundo jam ex Diluvio mutato, & quasi renovando, Regiminis etiam status nonnihil renovatur: Ubi considerandæ sunt, ut fœdus renovatum melius intelligatur,

I. Partes fœderatæ; Quæ sunt
1. Deus-Creator-Redemptor-à Diluvio Salvator.
2. Noe & ejus familia, prius fœderati, & jam servati, & Genus humanum ut in illis.

II. Fundamentum renovandi fœdus; Quod fuit,
1. Ex parte Dei, Nova humani Generis in Noe Redemptio; & ejus miseratio.
2. Ex parte Noachi; fidem, obedientiam, gratitudinem sacrificando professus est, Gen. 8. 20. Quod Deus complacentiâ speciali acceptavit, v. 21.

III. Fœdus ipsum; sive *Nova Administratio antecedens*; ubi sunt

I. Promissiones Beneficiorum, & Donationes; *viz.*
- I. Fœderis Gratiæ prioris Adamici renovatio, (summatim & generaliter.)
- II. Redonatio specialis, humano Generi, & Noacho ut ejus capiti,
  1. Telluris & animalium vitæ, cum humano proprio; Quæ fit
     1. Promissione factâ absolutâ, de terris & viventibus non iterum per aquas perdendis.
     2. Promissionis illius per Iridem Obsignatione; ut per signum fœderis stabilitum.
  2. Dominii & usus inferiorum; ubi & brutorum subjectio repromissa est.
  3. Benedictionis ad speciem propagandam, & prolem per terras multiplicandam.
- III. Concessio specialis de carnibus edendis (Quæ antea non legitur,) quamvis fortasse priùs data fuit.

II. Præcepta Officiorum (Lege Naturæ suppositâ:) Ubi sunt
- I. Præcepti Naturalis specialis Renovatio: Ubi sunt
  1. Præceptum primarium: contra Homicidium.
  2. Secundarium, ut Medium; de Homicida per Magistratum morte plectendo.
  3. Rationes præcepti renovati partim expressæ, partim subintellectæ; *viz.*
     1. Fundamentales,
        1. Quia Deus jam se manifestavit vitæ Dominum, & Servatorem.
        2. Quia Homo in Imagine Dei factus est; scil. non tantum, ut *Sanctus*, sed ut Homo, *Potentiâ Vitali, Intellectu, Liberâ Voluntate* præditus.
        3. Quia Cainitarum Natura ad crudelitatem propensa est.
     2. Finales:
        1. Ad Dominium, Imperium, & Amorem Divinum exprimendum.
        2. Ad conservationem Vitæ,
           1. Humanæ, & pacem Societatum.
           2. Sanctorum; & pacem Ecclesiæ.
        3. Ad Sanguineam Cainitarum malignorum indolem (ne persecutionibus Sanctorum sanguinem semper fundant)
           1. Detegendam.
           2. Condemnandam.
           3. Reprimendam.
- II. Præceptum symbolicum Naturali subserviens; *viz.* De *sanguine non* edendo; ne ad Cainitarum crudelitatem sanguineam homines indurentur.

Cap. 5. § B *De Gestis subditorum sub hoc Regimine.*

I. De ipso Noacho Sacris Literis proditum est,
1. Fœderis Justitiam eum minimè abjecisse.
2. Agricolæ & Vinitoris opera exercuisse.
3. In peccatum autem ebrietatis lapsum esse.

II. De Filiis ejus traditum est,
1. Chamum honoris paterni contemptorem, ejus nuditatem spectasse, prodidisse non texisse.
2. Semum & Japhetum Patrem honorantes contraria fecisse.

III. De posteris traditum est,
1. Specialiter de Nimrodo & suis,
   1. Eos superbiâ inflatos esse coram Deo, & præpotentes fuisse in terris.
   2. Mundano animo sedem in terris quæsivisse & fixisse.
   3. Præsidium designasse contra vindictam Divinam, per potentiam propriam, loco fidei & justitiæ.
2. Communiter; Idololatriam in terris obtinuisse.
2. Abrahamum tamen egregiè fidelem, & pium fuisse.

Cap. 5. § C *De Regimine consequente secundo, Regni Gratiæ Universalis Initialis.*

I. Noe { 1. Pœnitens, Dei misericordiam invenit condonantem.
2. At qui Filio Hamo peccando dedit occasionem, in ipso & posteris ejus pœnas dedit.

II. { 1. Sem & Japhet speciali benedictione remunerantur { 1. In sese. 2. In posteris suis.
2. Cham maledictione punitur { 1. In sese. 2. In posteris; Qui & pœnas dant, ob peccatum parentis: Et ipse Pater eorum Noe quasi Judex Delegatus, Prophetice sententiam fert.

III. De posteris,
1 Superbi & Rebelles Babelis ædificatores *gravissimam pœnam* in mundum induxerunt, *confusionem* scil. *linguarum*; fundamentum divisionum; Impedimentum unitatis, communionis, commercii: Et (quod maximi momenti est) artium, literaturæ, sapientiæ & ipsius Evangelii, propagationis. Tanta nimirum Pœna est, quanta nec à depravato humano ingenio æstimari, neque per linguam humanam, juxta deploratas consequentias, satis exprimi unquam potest.
2. At Abrahamus Idololatriam & mundi impietates fugiens, fidelis & pius, Complacentiâ notabili à Deo acceptatus est, & (ut declarandum sequitur) remuneratus.
Præter quem etiam Melchisedekus, & alii proculdubio fuere pii.

§ A *Elucidationes.*

§ 1. LEx eadem Gratiæ universalis vigebat post diluvium quæ prius Adamo & ejus posteris post lapsum per Deum Redemptorem data est. At mundo quam renovato, Lex partim recitata & fœdus renovatum est.

2. Lex specialiter hic renovata est Homicidii prohibitio, cum subordinatâ Lege duplici primâ de Homicidis gladio plectendis. 2. De *sanguine* non edendo.

3. Hujus Legis specialiter renovandæ hæ rationes nobis se ostendunt; 1. *Deus-Amor Amorem* Legis suæ summam & impletionem per omnia secula immutabiliter esse decrevit: Ideoque Amoris maxima violatio maxime fuit prohibenda. 2. Caini scelus ut detestandum posteris omnibus notandum erat. 3. Deus cordium scrutator bene novit seminis serpentini & Cainitarum contra semen mulieris malignitatem; ideoque impiis ne piorum sanguine se saturent, lege strictissimâ cum regimine vindicante stabilitâ, frænum injicit. 4. Naturæ depravatæ vitium radicale & prægnans est *Philautia* vel *Egoitas* (ut loquuntur Scholastici) locum Amoris & *Divini & Fraterni* possidens: unde sibi solis placere, cupiditatibus suis indulgere, sibi omnia attrahere, Deum & homines vilipendere, præ seipsis & suis voluptatibus, mali omnes jam apti nati sunt: Ideoque ne sicut feræ alios devorando victitent, à Legislatore Sapientissimo cautum est. 5o. Malignitas etiam hæc naturæ depravatæ generi humano *Lege prohibente* notificanda erat, quo magis humiliati simus, & pravitatem nostram agnoscentes gratiam condonantem & medicinalem imploremus; & nobis ipsis & hominibus omnino diffidentes, & bellu[illegible]am & diabolicam naturam jam malignam timentes, ad Deum solum fugiamus & illi unice fidamus.

4. De numero aut naturâ præceptorum Noacho datorum quasi traditione non scriptâ solum nobis notorum, minime laborandum est: Ceremonialia enim & mere positiva sacris Literis quantum cognoscenda ad nos attinent, plenè satis sunt tradita. *Legis Naturæ* autem præcepta (plura quam septem) & Noacho et toti humano generi viâ certiore sunt tradita, quam per traditionem mere verbalem.

5. Lex Gratiæ seu Fœdus Divinum sicut Adamo, ita et Noacho cum Liberis suis datum est: ideoque virtualiter toti generi humano. Liberi etenim *nostri*, infantes nobiscum fœderati & sub promissione sunt: et fœderati pariter fuêre Liberi Noachi et filiorum ejus adultorum quibus fœdus hoc datum fuit: *Virtualiter* scilicet

ſcilicet fœderati nondum exiſtentes; *Actualiter* autem quamprimum extiterunt: Totum genus humanum autem, ut ab Adamo ita et à Noacho, ſunt prognati.

5. Quanquam adulti apoſtatæ ſe fœderis jure, gratiâ et beneficiis exuant, et inde jus ad fœderis beneficia ſuis liberis derivare non poſſunt; *Fœdus* tamen *Divinum* quâ *oblatum* ſeu *Lex Gratiæ* eſt, idem immutabile manet. Quandocunq; igitur peccator fide et poenitentiâ ad Deum vertitur, Jus ad foederis beneficia ſibi et Infantibus ſuis ſtatim obtinet.

6. Totum igitur genus humanum, etiam et Ethnicis et Infidelibus quibuſcunq; non exceptis, eſt ſub Lege Gratiæ, ſeu foedere quâ conditionali; At præter vere fideles eorumque Liberos, nemo ad foederis beneficia ſalutaria Jus obtinet.

7. Ratio præcepti de *non edendo ſanguine* videtur eſſe contra Homicidium præſervativa; nimirum ne natura lapſa jam fera nimis et maligna, fieret ſanguinem hauriendo adhuc pejor et crudelior; et à ſanguine brutorum hauſto ad ſanguinem humanum fundendum nimis facilis fieret tranſitus.

8. Qu. *An* hodie *etiam ſub Evangelio hoc præceptum obligat, ſicut ex* Act. 15. videtur.

Reſp. Quantum Ratio ejus adhuc valet et ſupereſt, tantum viget præceptum. Talis ſcilicet ſanguinis aut *eſus* aut *effuſio* etiam haud licita eſt, (niſi cogente neceſſitate, aut commodo majore præponderante) unde probabile eſt naturam humanam magis ad crudelitatem & homicidium fieri propenſam. Quamvis lanionem agere *licet*, quia neceſſarium eſt, ingrata tamen eſt iſta neceſſitas: Et homines inter Ethnicos mitiores & clementes, ad Pythagoræ dogma contra carnivoros, & fuere & hodie ſunt propenſi, qui juxta Ovidium cecinit,

Heu quantum ſcelus eſt in viſcere viſcera condi;
Congeſtoque avidum pingueſcere corpore corpus;
Alteriuſque animantem animantis vivere letho!

Si natura autem humana non ſine reluctantia carnibus animalium veſcitur, & laniones, ſicut & milites, plerumque fiunt crudeles, & homines feroces; immites & cordis indurati, nil mirum ſi à ſanguinis eſu pejora adhuc expectanda ſint? Clementia item quædam, imò & juſtitia etiam pecudibus debetur, ne ſub prætextu *Dominii* & *Juris* noſtri crudelitatem exerceamus. Sobrius autem ille eſus ſanguinis carne latentis, aut in compoſitione vix conſpicui qui crudelitatem non ſapit, nobis prohiberi mihi minime videtur. Et argumentis non contemnendis à quibuſdam probatur, non omnis ſanguinis Eſum ſub Lege, & Act. 15. fuiſſe prohibitum; ſed tantum ſanguinis vivi, ſeu animalis recenter mactati adhuc calentis.

§ B. C. *Elucidationes.*

§ 1. EX Noachi exemplo (ſicut & Adami) diſcimus, in opere aliquo utili corporeo laborandum eſſe.

§ 2. Et ex *Ebrietate ejus* diſcimus etiam juſtiſſimi, peccandi periculum; præcipuè per vini appetitum; & neceſſitatem vigilandi & appetitum moderamine cautiſſimo gubernandi: Quis enim virum totius mundi juſtiſſimum, in diluvio mirabiliter ſervatum, cum mundum peccantem periiſſe vidiſſet, in ebrietate turpi volutantem vidiſſe expectaviſſet?

3. Ebrietatis etiam peculiare malum hinc diſcimus, quod intellectum obruendo, oſtium turpitudini & peccatis quamplurimis aperit; (ſicut & ex Lothi exemplo patet.)

4. Ex benedictione ſeminis Semi & Japeti, & ex maledictione ſeminis Chami porro diſcimus, parentum obedientiam in poſteris præmiandam, & peccata parentum in poſteris plectenda eſſe, juxta ſtatutam regiminis Divini methodum.

5. Ex

5. Ex præcipiti generis humani poſt diluvium in flagitia delapſu, maxima naturæ humanæ depravatio patefacta eſt.

6. Hiſtoriâ Sacrâ res Judæorum præcipuè memorante, ſtatus aliarum omnium Nationum non inde nobis liquet; Et quamvis Canaanitarum aliorumque populorum proximorum Idololatria memoratur, non inde licet colligere, rem itidem ſe habere cum omnibus Shemi & Japheti poſteris.

7. Nefanda ſtultorum ſuperbia & rebellio, qui turris altitudini, loco Divinæ miſericordiæ, & ſuæ juſtitiæ & obedientiæ fiſi ſunt miſerrimâ linguarum confuſione plectuntur: Ubi poſteri iterum (non Adami tantum, ſed &) horum parentum delictorum pœnas luunt: *Infanda* nempe calamitas eſt hæc linguarum confuſio generi toti humano; ignorantiæ, diſſidii & mali omnis præſervatio; & ſcientiæ, amoris, concordiæ, commercii, & boni omnis impedimentum, ad finem mundi duraturum. Hinc Evangelium prædicandi inſuperabilis ferè difficultas orta eſt; dum linguas aliarum gentium & intelligere, & congrue pronunciare prædicatori jam neceſſe fit: Hinc etiam innumerabiles ferè ortæ ſunt controverſiæ, & in ſcientiis inferioribus, & præcipuè in Theologia, ex ambiguitate ſcilicet nominum & verborum. Et inde Schiſmatum, & plurimorum peccatorum uberrima nimis ſeges.

8. Reparationis igitur mundi confuſi opus non minimum eſt, ad linguæ unitatem quantum poſſibile eſt gentes reducere; Et Theologi pacifici pars eſt vocum ambiguitatem perite explicare, & ita Logomachos debellare: Et revera qui Logomachias omnes exterminare poſſet, controverſias multò plurimas Eccleſiaſticas finiret.

Cap. 6. § A. *De Regimine Antecedente, Regni Gratiæ Particularis Initialis.*

Quoad ipſius vim & tenorem, *Fœdus Gratiæ Univerſale*, & primæ & ſecundæ Editionis, omnibus Adami & Noachi poſteris continuatur; ut *Norma* ſcilicet *Officii* & *Judicii*. Quoad *pœnam* verò poſteri Chami ut abjectiores à reliquis diſtincti ſunt: Et cæterorum plurimi ut Rebelles, à præmiorum & beneficiorum jure exciderunt. Attamen inter ipſos Deus ſemen ſanctum conſervavit (ut Melchiſedekum & probabiliter nonnullos ſubditorum ejus, Jobum & ejus amicos, *&c.*) & totus mundus non fuit Apoſtaticus, excommunicatus aut omnino deſertus; etiamſi ad pejus vergens.

At ABRAHAMUS egregiè pius egregiè remuneratur; & Deus cum ipſo fœdus ſpeciale init: Ub

I. Finis:
1. Abrahami juſti ſpecialis remuneratio.
2. Ut ſanctitatis ſuæ ſpecimen notabile coram mundo Deus ederet.
3. Ut ad ſeminis ſanctiſſimi nativitatem viam præpararet.

II. Actus Efficientes; *viz.*
1. Primarius ex parte Dei
1. Abrahami Evocatio è domo & patriâ paternâ (ubi floruit Idololatria, Joſ. 24. 2.) in terram ubi fuit peregrinus.
2. Apparitiones Angelorum, Promiſſiones & præcepta ſpecialia.
2. Subſervientes ex parte Abrahami; *viz.*
1. Obedientia.
2. Sacrificia.
3. Invocatio nominis Domini.

III. Fœdus ipſum; ſæpius repetitum & factum; *viz.*

A
I. Cum ipſo Abrahamo: Quod fuit:
I. Fœderis Gratiæ Univerſalis (jam deſcripti) renovatio.
II. Partes ſuperadditæ de novo; Quæ ſunt,

B
I. Actus Divini Dominii (ut cum Relationibus cæteris cooperantis;) *viz.*
1. Abrahamum ex toto mundo ad fœdus hoc Deus pro libertate ſuâ elêgit.
2. Ut *Telluris* Dominus, hæreditatem ipſi & ſuis aſſignavit.
3. Ut *Animarum* Dominus de afflictionibus & mutationibus poſterorum prænunciavit.

II. Beneficia

A | B

II. Beneficia (quæ tamen etiam *Præmia* sunt, *viz.*

I. Promissa de futuro: Quæ considerantur,

I. Quoad Rem: ubi promisit,
1. Terram Canaan in hæreditatem futuram.
2. Posterorum multiplicationem & benedictionem.
3. Semen sanctissimum; in quo mundus benedictus futurus erat.

II. Quoad *Terminum* implendi; *viz.* Quod post annos 400, quando Amoræorum iniquitates plenæ futuræ essent; 1. Ipse Abraham, 2. Deinde ejus posteri in Ægyptum transire oportebat, et inde in terram promissam reversuri sint.

III. Quoad Modum implendi; fuit ordine jam dicto, 1. Abrahamo, 2. Posteris.

II. De præsenti donata ut pignora futurorum; ubi Abrahami gratiâ & precibus,

1. Lothum è Sodomæ flammis eripuit (ubi Gratia discriminans demonstrata fuit.)
2. Ismaelem & Isaacum filios benedictionis (sed inæqualis) ipsi dedit.
3. Opibus ipsum locupletavit, & Victoriâ honoravit.

III. Ut Rector-Legislator,

I. Cum Abrahamo, suis omnibus & posteris Universaliter,

1. Fœdus *Universale* & *Particulare* cum Deo Redemptore, seminis Sancti promissore, ab ipsis per secula ictum iri, sub signo & sigillo Circumcisionis, statuit.
2. Observantibus hoc fœdus & statutum benedictiones plurimas promittit.
3. Mortem minatur fœdus hoc recusantibus, & deserentibus.

II. Per mandatum particulare de *Fide, Amore* & *Obedientiâ Abrahamum* probare decrevit; *viz.* De Isaaco filio promissionis sacrificando: Ubi clarissimè præfigurantur,

1. Seminis sanctissimi Sacrificium, & ejus acceptatio Divina, & Resurrectio (unde multiplicandum semen Sanctum oriundum est.)
2. Natura, fœderis, & fidei & obedientiæ Evangelicæ, ut se & sua omnia abnegantis.

II. Cum Isaaco fœdus idem postea renovatur: Et in pignus ipsi datur etiam semen per Decretum Domini absoluti & Benefactoris liberrimi, discriminatum.

Cum Jacobo idem quoque fœdus percussum est; & per visiones sæpe confirmatum; & Jus primogeniti, benedictio æterna, liberatio à fratre, & proles multiplex, ut fœderis pignora ipsi concessa sunt.

III. Quoad Posteros; juxta fœdus hoc in Ægyptum transire; ubi per Josephi *Proditionem*, & ejus, ad salutem etiam Proditorum, & totius domûs paternæ, *Exaltationem*, Modus Redemptionis per Messiam iterum præfiguratur.

Et in Ægypto, Tyranni crudelitate, laboribus & ærumnis, posterorum fides, obedientia & patientia probantur.

Et status Peccatorum miserrimus figuratur; unde per Messiæ Redemptionem fideles sub temporis plenitudine, liberandi erant.

Cap. 6. § A. *Elucidationes.*

1. QUI totum genus humanum à Deo defeciſſe præter Abrahamum autumant, & proinde ejus familiam ſolam fuiſſe totam Eccleſiam viſibilem, & Deo & Eccleſiæ, & Sacris Literis nefandam impingunt contumeliam. Quaſi Deus mundi Dominus & ſummè miſericors, unius tantum familiæ Rector fuiſſet: Et unius tantum miſertus eſſet: Et quaſi Eccleſia tota in Domo Abrahami contracta fuiſſet aut incarcerata: Cum tamen 1. Ipſe Noachus Abrahami tempore (niſi Græc. Sept. Calculus Hæbræo ſit verior) vixit: qui, ſiquis alius, *Rex fuiſſe* putandus eſt. 2. Sem item juxta calculum Hæbraicum Abrahami poſt tempora fuit ſuperſtes. 3. Japheti item ſemen benedictum proculdubio non totum à Deo apoſtaticum defecit. 4. Melchizedek qui juſtitiæ Rex fuit, & Sacerdos Dei altiſſimi, non ſolum Idololatrarum, & impiorum Rex fuiſſe æſtimandus eſt. 5. Ipſe Abrahamus pro Sodomitis Deo ſupplicans, quinquaginta juſtos in *Sodoma* fuiſſe putavit.

2. Quia Semen Abrahami non in totam & ſolam Eccleſiam ſeu Regnum ſuum Deus elegit, ſed tantum ut fieret ſibi Populus *peculiaris*, ideo Fœdus hoc Abrahami *Fœdus* PECULIARITATIS particulare, fœderi Gratiæ Univerſali ſuperadditum, maxime proprie apellandum eſt. Per hoc enim fiunt Iſraelitæ (ut per Moſen perfectum eſt) *Theſaurus Dei peculiaris, ſupra omnes populos*; (*tota enim tellus Dei fuit*) *Regnum etiam Sacerdotum, natio ſancta*, Exod. 19. 5, 6. Deut. 14. 3. & 26. 18. Quibus etiam eminenter Eccleſia Evangelica aſſimilatur, 1. Pet. 2. 9. Tit. 2. 14.

3. Sicut Solem ſupra Stellas ſplendere Deus voluit, & Reges ſupra plebeios, & Doctores ſupra indoctos eminere; Ita & inter ſalvandos quoſdam vult eſſe eminenter Pios; qui cæteris ſint exemplaria, & gloriam veræ pietatis mundo impio præ cæteris demonſtrent: Et ita Abrahamum voluit præ cæteris fidelibus, & fide & obedientiâ præminere; & pariter præmio *peculiaritatis* & eum & poſteros ejus voluit præmiari.

4 Qu. *Utrum Circumciſio fuit ſigillum fœderis Gratiæ communis jam Abrahamo renovati? an potius ſolius fœderis peculiaritatis ſuperadditi?*

Reſp. An Circumciſio aliquibus in uſu fuerit ante fœdus hoc cum Abrhamo, non omnibus Theologis convenit: Quia vero in S. Literis de eâ nil dictum eſt, neſcio equidem quorſum conjecturam aliquam de eâ prius alicubi receptâ faceremus. Quantum nobis liquet, Circumciſio Abrahami tempore incepit; Fœdus igitur peculiare hujus inſtitutionis occaſio fuit, & fœderis hujus circumciſio ſigillum erat. At non hujus ſolius, ſed fœderis etiam Gratiæ communis, ſicut ab Apoſtolo clarè dictum eſt, Rom. 4. Fœdus enim *Peculiaritatis* nihil eſt ſine fœdere Gratiæ communis; cujus additamentum eſt: Sicut inſignia Doctoratûs, Literaturæ etiam inſignia ſunt, ſed nullius niſi Doctorum.

Qu. *Utrum Infantum jus fœderis & Eccleſiæ à circumciſione originem duxit?*

Reſp. Minime: Nullam unquam Deus in terris Eccleſiam inſtituit aut habuit, poſt homines natos cujus Infantes non fuere membra, ſi Infantes ibi aliqui extitere. Quod libris pluribus Anglic. jam plene probavi, & de quo poſtea ſuo loco aliquid dicendum eſt.

6. Deus mundi totius Dominus propter Cananæorum iniquitatem eos & patriæ & vitæ jure privavit, & ipſos trucidandos, & terram eorum poſſidendam, ſemini Abrahami tradidit: Non autem hinc ſequitur, ſine tali tranſlatione & revelatione Divinâ, infidelium aut impiorum vitam auferendam eſſe, aut poſſeſſiones occupandas.

7 Qu. *Quomodo ſeminis ejus multiplicatio Abrahamo ut donum ſpeciale promittitur, cum tota gens Iſraelitarum præ gentibus aliis quampluribus minuta fuerit?*

Reſp. 1. Notabile fuit hoc donum quia Abrahamo jam ſeni & improli promiſſum

missum est. 2. Semen Abrahamo promissum est, simul & *multiplicatum & benedictum* : Nullius autem præter illius semen ita *multiplicatum* & *benedictum* erat. 3. Sub semine Abrahami Christi semen, id est, tota fidelium seculorum omnium (à Christo saltem nato) multitudo, continetur.

8 Qu. *Quomodo præstita fuit promissio de seminis benedictione cum populus Israeliticus sæpissimè dicitur esse obcæcatus, cordis indurati, rebellis,* &c.

Resp. 1. Ex parte Dei tamen beneficia illis peculiaria & maxima donantis, benedictus fuit. 2. Ex parte sui cæteris mundi gentibus multo melior fuit. 3. Semen Christi, (fideles scilicet) sal terræ, mundi luminaria, & terræ incolarum pars longe optima est.

9 Qu. *An tota Abrahami progenies,* Ismaelitæ, Edomitæ, *&c. circumcidenda fuit? vel sola Izaaki soboles? & utrum fœdus peculiaritatis cum tota factum est?*

Resp. Tota Abrahami progenies circumcidenda fuit: & fœdus hoc Abrahamicum ipsi & toti ejus semini factum est: Non autem toti æqualia promisit beneficia; sed semini Izaaki quædam maxima & peculiaria: Et cæteros defecturos, Israelitis perseverantibus, Deus prænovit & prædixit.

10 Qu. *An omnes Israelitarum filii, quantumvis infidelium, & impiorum circumcidendi erant? an soli fidelium & piorum?*

Resp. Sicut *Baptizari* essentialiter non est tantum aquâ *ablui,* sed *fœdus Baptismale testatò inire*; ita & Circumcisio fuit essentialiter *fœdus Circumcisionis* sub hâc solennitate seu signo obsignante & investiente inire. Nulli igitur nisi quoad professionem & fœderationem fidelium, liberi circumcidendi erant: Liberi autem non solum erant Parentum naturalium, sed & adoptantium & verè dominorum quorum juris erant. Non solum apostatæ, sed & plerique flagitiosi præcipuè si impœnitentes, juxta Legem Mosaicam morte plectendi erant: Mortui autem filios non generant. 3. Totus autem populus Israeliticus obligatus erat, simul fidem & obedientiam suam profiteri, & filios suos eodem fœdere Deo devovere, & dedicare: Filios igitur circumcidere, & consensum suum fœderalem, id est, fidem & obedientiam non profiteri, contradictio est.

11 Qu. *An Promissionem seminis benedicti omnes Abrahami & famuli & posteri circumcisi, vel plerique, de Christo incarnando Mediatore intellexerunt, aut intelligere ut ad salutem medium necessarium, obligati erant?*

Resp. In re obscurâ hæc *certa à dubiis* distinguenda sunt. 1. Certum est Deum promissorem, (exponente B. Paulo) per *semen* Christum ipsum intelligere. 2. Certum est Sacras Literas ob historiæ brevitatem, rerum summulas sæpe recitare, plurimis quæ dicta & facta sunt prætermissis. 3. Certum est Abrahamum, utpote patrem fidelium, Promissionem Messiæ aliquatenus intellexisse: Christi enim diem vidit, & gavisus est, Joh. 8. 56. 4. Certum est Abrahamum (Deo hoc prædicente) suos filios Dei fœdus & statuta docuisse, Gen. 18. 18, 19. 5. Præsumendum est tum Patres tum Sacerdotes fœderis naturam usus & conditiones sæpe filiis & populo explicasse, Deut. 6 & 11. & non semper nudum circumcisionis actum, administrâsse, de sensu & fine mentionem nullam facientes. 6. Ex dictis fœminæ Samaritanæ, Joh. 4. constat, etiam vulgus Israelitarum Messiam expectâsse. 7. Scientiam tamen & fidem eorum *generalem* fuisse, *obscuram*, & valde *imperfectam* (exceptis quibusdam Prophetis & extraordinariæ illuminationis hominibus) satis constat, 1. Ex obscuritate revelationis; 2. Ex silentio S. Scripturæ V. T. de scientia aut *fide* clariore aut distinctiore; 3. Ex Apostolorum inscitia post Christi ipsius præsentiam, doctrinam, miracula; Christum enim pro peccatis moriturum, à mortuis resurrecturum, in cœlos ascensurum, cum Deo ibi pro nobis intercessurum, ad mundum judicandum rediturum, omninò nescivere, donec hæc omnia post Christi resurrectionem fuerunt edocti. 8. Liberatorem gentis Israeliticæ & Regem magnum mundanum, nunquam tamen moriturum, Messiam futurum fuisse, Judæi Christi ipsius tempore credebant, Joh. 12. 34. unde Jacobus & Johannes ut ad dextram & sinistram ejus considerent in Regno ejus, postulârunt; & etiam post resurrectionem ejus, an statim Regnum Israelis restituturus esset Apostoli ejus quæsiverunt. Ex hisce comparatis de fidelium sub V. T. fide conjecturam facere licet.

12 Qu. *Quomodo omnes orbis terrarum gentes in semine Abrahami benedictæ sunt, quum maxima pars mundi, Christi Evangelium neq; receperunt, neq; audiverunt.*

Resp. 1. [*Gentes omnes*] quandoque ponuntur pro [*pluribus.*] 2. Non omnibus *æqualis* benedictio promittitur. 3. Beneficia non pauca aut parva toti humano generi per Christum mundi Redemptorem sunt collata (de quibus postea suo loco.)

13. Utrum fœdus peculiaritatis fuit aliquomodo conditionale? & utrum conditio ab homine præstanda à Deo imposita, sit contra Gratiam, & sit propria fœderi operum, alibi contra Antinomos satis disputatum est.

Cap. 7. § B. *De subditorum Gestis sub hac Administratione Regni Gratiæ particularis.*

I. De ipso ABRAHAMO fidelium Patri Sacris Literis clarè traditum est,

- I. Ut hic præsuppositum, Quod fœdus Universale in patria fideliter servavit.
- II. Quod fidem hanc Universalis fœderis, comprobavit, præcipuè sub fœdere hoc particulari; *viz.*

I. Ipsâ *Fide* particulari
- 1. Quando è patria fuit evocatus.
- 2. Quando Promissionem & Fœdus Circumcisionis accepit.
- 3. Quando Filium Isaacum Deo obtulit. Ubi,

I. In prima Instantia considerandæ sunt,

I. Virtus expressa { FIDES, id est
- 1. Assensus
- 2. Consensus
- 3. Fiducia

erga { Sapientissimum, Optimum, Potentissimum, }
- 1. Rectori promptè obediendo
- 2. A Benefactore gratè recipiendo.
- 3. Domino se & sua absolutè resignando.

II. Factum exprimens
- 1. Patrem cum patria & consanguineos deseruit, ignotam terram pervasurus.
- 2. Rectoris supremi evocationi obedivit, sine hæsitatione, morâ vel querelâ.
- 3. Terram à Deo promissam credidit, quæsivit & incoluit.

II. In secunda instantia exprimitur { Eadem FIDES
- 1. Assensus
- 2. Consensus
- 3. Fiducia

{ 1. Se & posteros suos Deo devote dedicando.
2. Præcepto Circumcisionis promptè obediendo.
3. Promissa fœderis credendo, & accipiendo, & Amore Deo adhærendo.)

III. In tertia Instantia exprimitur { Eadem FIDES
- 1. Filium Unigenitum Domino absoluto resignando.
- 2. Rectori supremo ad mortem usque Unigeniti promptè obediendo.
- 3. Filium charissimum Deo magis amato, reddendo & promissis ejus de semine suo (propter Potentiam, Sapientiam & Bonitatem Dei nihilominus credendo.

II. Observantiâ ejus (non quidem perfectâ, sed) sincerâ, universali, & constante; Declaravit enim,
1. Pietatem in DEUM ut antea; & Patriam Idololatricam deserendo; Deum invocando, vovendo, sacrificando; Melchisedeko Decimas dando; liberos erudiendo; & posteris præcipiendo de Numine colendo; Uxorem Idololatricam Filio prohibendo, *&c.*
2. Justitiam & Charitatem ejus erga Homines expresserunt, Cura de salute posterorum, de conjugio filii, de pietate famulorum; fœdus cum Abimelecho; præservatio pacis cum Lotho; cura de Lothi salute, bellum ob Lothi redemptionem, prædæ post victoriam renunciatio, *&c.*
3. Notantur tamen & ejus Infirmitates; *viz.* Timor nimius de vita propria, ex fidei imbecillitate, cum simulatione periculosâ de Uxore repetitâ, *&c.*

II. Isaacus item & Jacobus in Fœdere Dei se fideles præstiterunt, etsi minime indefectibiles.

III. Posteri item eorum Deum verum coluerunt; sed non sine pluribus peccatis; sicut patet ex Josephi invidiosa & perfidiosa venditione; & præcipuè in populi ex Ægypto liberati contumacia, incredulitate, rebellione, murmuratione, Idololatriâ, *&c.*

Inter ipsos tamen nonnulli fuêre egregie *Fideles* & *Obedientes.*

Elucidationes

Elucidationes Cap. 7.

§ 1. Qu. *AN Fides quâ Justificari dicitur Abrahamus, fuit ejusdem speciei, cujus est Fides nostra justificans Christiana?*

Resp. De [*speciei*] notione Logicâ minime curandum est: Quid actus morales *specificat*, & quando *specie differre* dicendi sunt, dicant isti, quibus vacat de nominibus inaniter litigare: De reipsa autem satis patet in quibus fides Abrahami & Israelitarum à nostra differt: Vid. Elucid. c. 8. n. 11. Nesciverunt Israelitæ *Hunc Jesum Filium Mariæ*, Christum aut esse aut futurum esse; Nesciverunt *eum de Spiritu Sancto* conceptum aut concipiendum, ex Maria Virgine natum, pro peccatis nostris mortuum aut moriturum, crucifixum iri, tertio die resurrecturum, in cœlos ascensurum, in cœlis pro nobis intercessurum, ad mundum judicandum rediturum; Nesciverunt diu Apostoli Gentes esse vocandas, Evangelium per terrarum orbem prædicandum esse, Ecclesiam fore Catholicam, Spiritum Sanctum eminenter donandum esse, quamvis hæc ipsis Christus non obscure prænunciavisset.

2 Qu. *An Abrahamus tunc primum Justificatus fuit quum fides ejus ad justitiam ipsi imputari dicitur.*

Resp. Abrahamus proculdubio jam antea justificatus erat; sicut ex historia sacra liquido patet.

3 Qu. *Quomodo igitur ejus fides in justitiam ejus dicitur imputari qui antea justus erat?*

Resp. Fides eadem jam antea in justitiam ipsi imputata fuit, quamvis ex actu magis eximio & notabili, ejus imputatio ad justitiam postea in laudem ejus primò palam prædicata est.

4 Qu. *Quomodo fide, non operibus justificari dicitur Abrahamus, cum non solum ejus fidem, sed & factum Deus ibi laudare & præmiari expresse dicitur?*

Resp. Non ex operibus Legis Mosaicæ, aut in sensu Pharisaico, unde merces putatur esse ex debito, & non ex gratia, justificatus fuit. Lex enim Mosaica (cujus operibus malè fisi sunt Judæi) nondum extitit & Abrahamus fidelis sub fœdere Gratiæ obedientiam suam præstitit; ideoque Dei miserentis Gratiæ confisus est: *Ex fide* autem *obedientiali* justificatus est; Id est, *Primario, ex fide fœderali, quâ fœderis Divini tum Præceptis tum Promissionibus Assensum præbens, se totum consensu fœderali Deo vovit, quo per Gratiam justificatus, & Spiritu Sancto donatus, Deo-Redemptori obediendo ad Gloriam cœlestem tandem perveniat.*

5 Qu. *Utrum justificatus fuit Abrahamus per fœdus Gratiæ Universale, ex conditione ejus præstitâ, an per fœdus suum particulare peculiaritatis, ex hujus scilicet conditionis præstatione?*

Resp. Justificatus fuit Abrahamus primò per fœdus Gratiæ Universale, ex præstita illius conditione, & ex actu eximio particulari, eximiè postea justificatus fuit: Et ex pleniore & perseverante præstatione totius fœderis (tum *Universalis* tum *peculiaritatis*) pleniùs adhuc, & tandem finaliter justificatus fuit.

6 Qu. *Unde dicitur Abrahamus Pater fidelium, potius quam Noe, Joshua, aliique V. Testamenti sancti?*

Resp. Quoad generationem omnium fidelium naturalem, Noe potius quam Abrahamus fidelium pater dicendus est: Ab ipso enim non autem ab Abrahamo omnes sumus propagati: Et ante Abrahamum Noe fidei exemplar admodum eximium se præstitit: Unde fœdus cum toto genere humano ut in Noacho & ejus filiis, post diluvium Deus renovavit, & novis promissis augmentavit. At Abrahamo etiam notabili fidelium exemplari, clarioribus adhuc promissis, de Christo semine sancto ex lumbis ejus orituro, fœdus magis adhuc locupletatum est: Et quia Christus vere Pater fidelium, & ex Abrahamo secundum carnem oriundus, Abrahamo clariùs quam antiquioribus promissus est & revelatus, hoc etiam titulo ipse, supra antiquiores insignitus est; in præmium illius eximiæ Deo-fidendi instantiæ.

7 Qu.

7 Qu. *Unde* Rom. 4. 13. *mundi hæreditatem Abrahamo promissam dicit Paulus?*

Resp. 1. Quia mundi quædam regiones, Idumæa, Canaan, &c. semini Abrahami fuere promissæ. 2. Quia Christus mundi hæres & dominus ex Abrahamo oriundus erat. 3. Quia omnes telluris gentes per semen Abrahami benedictæ vel benedicendæ fuerunt. 4. Et Regnum etiam cœlorum fidelibus ut ejus filiis seu sequacibus promissum est.

8 Qu. *Quare* Gal. 3. 16. *Paulus promissum semini Abrahami factum soli Christo proprium facere videtur, quum tamen* Rom. 4. *fidelibus omnibus idem promissum extendit?*

Resp. Sicut promissio Gen. 3. 15. de *semine mulieris caput serpentis contrituro*, ita & promissio hæc *de semine Abrahami*, de tota quidem vera Ecclesia seu semine sancto intelligenda est; At primariò de Christo Duce & Capite, & secundariò tantum de fidelibus ut ejus exercitu & membris.

9 Qu. *An fides Abrahami dicitur ipsi imputari ad justitiam propter præstantiam rei utpote Deo gratæ an potius quâ nudum instrumentum Christi justitiam datam recipiens?*

Resp. De fidei Justificantis instrumentalitate, & veris ejus partibus in negotio justificationis, suo loco postea dicendum est: Hic autem respondeo, 1. Nomine *Instrumenti* utpote ex Sacris Literis non desumpto minime hic opus est. 2. Et Instrumentum quidem Physicum & strictè dictum non est: At si per *Instrumentum* volunt, *Dispositionem receptivam* quoad *justitiam gratis donatam*, aut *Actum Consensûs receptivum* quo *ad Justitiam recipiendam* homo *moraliter dispositus est*, & ita sub ratione verè *morali*, non autem sub ratione aliqua *instrumenti Physici ficti*, de re consentimus, de nomine autem non litigamus.

10 Qu. *An ipsa fides? an potius Christi Justitia, in textu* Gen. 15. & Rom. 4. *intelligitur ad justitiam imputata?*

Resp. Christi justitia procul dubio causa justificationis nostræ meritoria est, & eo sensu dici potest causa *materialis*, id est, Materia seu res promerita: At justificatio per meritum Christi fœdere gratiæ nobis donatur; & donum hoc gratuitum fide accipi dicendum est: De re igitur nullus controversiæ locus est, sed tantum de verborum sensu: At proculdubio per [*fidem ad justitiam imputatam*, (seu ut Lat. Vulg. loquitur, *reputatam*) non ipse Christus aut ejus justitia, sed *ipsa fides* intelligenda est: Quæ quantum ab ipso Abrahamo requirebatur, justitia ejus personalis fuit, utpote fœderis Justificatio conditio ab ipso præstita.

Cap.

Cap. 8. § C *De Regimine subsequente, sub fœdere Abrahamico.*

Quoniam ipsum *Particulare fœdus* fuit Remuneratio Divina, ob priorem fidelitatem in *Fœdere Universali*; hisce præsuppositis, jam notanda veniunt,

I. PRÆMIA,

1. Ipsius ABRAHAMI; Gradus scilicet diversi juxta obedientiæ progressus; *viz.*
   - I. Præmia fidei in fœdere Universali jam renovato: Et confirmato: Quæ sunt,
     1. Relativæ Unionis cum Deo, ut Domino, Rege, Amico, Fœderato, Confirmatio.
     2. Munera inde sequentia;
        1. Spiritualia: Justificationis, Sanctificationis, Adoptionis, Confirmatio.
        2. Temporalia; Omnia scilicet quæ in fœdere promittuntur.
   - II. Præmia fœderis particularis; vel Fidei particularis in Instantiis, diversis prænominatis; *viz.*
     - I. Præmia fidei & obedientiæ in prima Instantia *(Evocatione)* fuêre.
       1. Acceptatio & Complacentia Divina; unde Beneficiorum spiritualium confirmatio.
       2. Promissio Particularis
          1. Seminis multiplicandi.
          2. Terræ Canaan possidendæ.
          3. Seminis sanctissimi ex ipso oriundi, in quo omnes Gentes benedictæ futuræ.
       3. Munera Temporalia
          1. In Ægypto
             1. Præservatio à fame.
             2. Præservatio à periculis.
             3. Egressus inde opportunus & tutus.
          2. In Canaan
             1. Victoria de hostibus & direptoribus Lothi.
             2. Melchisedeki benedictio.
     - II. Præmia Fidei & obedientiæ in Instantia secunda (cum *Promissioni credidit*, & *Circumcisionem accepit.*
       1. Fidem ejus Deus in tantum acceptavit, ut ad Justitiam eam ipsi æstimaverit vel imputaverit.
       2. Jus ipsi & semini suo tribuit, ad omnia fœderis *Circumcisionis* beneficia.
       3. Preces ejus pro Lotho exaudivit; Visione trium Angelorum, & colloquio Divino ipsum honoravit.
     - III. Præmia Fidei, obedientiæ & amoris in tertia Instantia (*Isaaci oblatione*) fuêre,
       1. Filii ejus oblati præservatio & quasi Resurrectio, redditio & redonatio.
       2. Eximiæ *Fidei*, obedientiæ, resignationis & amoris, eximia approbatio, justificatio & laus.
       3. *Fœdus de posteris*, & de semine promisso, jurejurando vehementissime confirmatur.

II. Isaaco & Jacobo Præmia ejusdem fœderis conferuntur,

1. In Genere, vel summâ DEUS eorum DEUS sicut & Abrahami nuncupari voluit.
2. Specialiter;
   - 1. Remissionem peccatorum & cætera communioris fœderis dona recipiunt. Et
   - 2. Fœderis particularis
     1. Sui & posterorum separationem à mundo, ut populi Deo specialiter chari et peculiaris.
     2. Christi Promissi clariorem revelationem, ut & justificationis & beatitudinis fidelium.

III. Posteri item eorum, & fidei paternæ & propriæ hæc Præmia tulerunt.

- I In Ægypto;
  1. Receptionem honorabilem & præservationem à fame.
  2. Liberorum ibi & multiplicationem & tutelam.
  3. Per plurima Dei mirabilia, Liberationem & exitum, præfinito tempore, tutum & honorabilem.
- II. Post exitum
  1. Transitum per Mare Rubrum maximè miraculosum.
  2. In Deserto, Divinæ præsentiæ mirabilem demonstrationem, cum pluribus visionibus & miraculis.
  3. Politiam Divinam cum Lege & Fœdere cum ipsis ibi stabilitis.

II. POENAS tamen peccatorum multiplices dedêrunt; *viz.*

1. Ante ingressum in Ægyptum, per famem, *&c.*
2. In Ægypto, per servitutem & oppressiones Tyrannicas.
3. Post exitum in Deserto per annos non paucos, ubi passi sunt,
   1. Correptiones plurimas Divinas, displicentiæ gravioris notas.
   2. Strages miserandas, per pestes, hostes, serpentes, terræ-voratum, *&c.*
   3. Negatum ingressum in terram promissam; Cadaveribus ipsorum cadentibus in deserto.

Cap.

Cap. 8. *Elucidationes.*

§ 1 Qu. *AN Abrahamus per fidem Christo mediatori uniri & ejus membrum fieri dicendus est?*

Resp. Christo Mediatori incarnato nondum existenti uniri non potuit: Qui nondum fuit, *unus cum Abrahamo* nondum fuit. At *secundæ personæ incarnandæ* uniri dici potest; eò sensu quo fideles ipsi Deo uniri dicuntur.

2 Qu. *Quoniam nos Christo Mediatori incarnato uniti sumus, Abrahamus autem non ita fuit, quomodo ipse Justificationis per fidem exemplar proponitur? An Justificatio ejus, nostræ homogenea fuit? cum nostra fiat ex unione nostrâ cum Christo incarnato, ejus autem non ita?*

Resp. Justificatus fuit Abrahamus per eandem Dei misericordiam, & per eandem Dei gratuitam donationem & conditionem, & per fidem in semen promissum, cujus merita futura à Deo ab æterno decreta & prævisa sunt. Justificationis autem Abrahami & nostræ non omnes rationes eædem fuerunt.

3 Obj. *Qui per Christi justitiam non est Justificatus, ejus Justificatio non est nostri homogenea: At Abrahamus non est Justificatus per Justitiam Christi.* Prob. *Per Justitiam non existentem, id est, quæ non est justitia nemo justificatur: At Abrahami seculo Justitia Christi non existebat.* Ergo, &c.

Resp. Causa constitutiva (aut materialis aut formalis) Justitiæ illius quâ Abrahamus reverâ justus fuit, justitia non existens esse non potuit: At Justitia Christi satisfactoria & meritoria promissa & prævisa, potuit esse Ratio quædam Abrahamum justificandi, tum per remissionem peccatorum ejus, & donationem juris ad vitam æternam, tum per Spiritus Sancti gratiam renovantem.

4 Obj. *Qui Christo non unitur per Christi Justitiam non justificatur. At Abrahamus non Christo fuit unitus.* Ergo, &c.

Resp. Qui Christo non unitur post ejus incarnationem per ejus Justitiam non justificatur: At ante ejus incarnationem sine unione reali cum Christo homine, fideles fuêre justificati. Unio per *Amorem* cum *Deo* ipso, qualis naturæ humanæ competit, ad *fælicitatem* quidem necessaria est; *Amor* etenim *Divinus* est ipsa *sanctitas* & *fælicitas*: Et post Christi Glorificationem eadem sanctitas & fælicitas mediatè item consistit in Unione relativâ, *Unione Spiritûs* & *Amoris* cum Christo glorificato, cujus Gloriam videre nostræ Gloriæ pars erit. *Relatio* etiam quædam ad Christum aut promissum, aut jam incarnatum ad *Justificationem* etiam *necessaria* fuit; Ut ii videlicet & *simus* & *reputati simus*, quibus à Deo misericorde aut promissus aut jam datus est Christus Mediator, & qui ipsi à Patre dati sumus, & pro quibus ipse aut moriturus aut mortuus est; & qui in Deum Redemptorem credimus, & in semen etiam aut promissum aut jam incarnatum, in quantum nobis revelatum est: Relatio hæc nostri ad Christum necessaria est ad Justificationem: De nomine autem *Unionis* non litigandum esse judico, quando de re ipsâ constat.

5 Qu. *An Gloria cœlestis aut Dei visio Patrum Veteris Testamenti animis separatis largita fuit? Eademque quæ fidelium animis post Christi Glorificationem donata est?*

Resp. Animæ Patrum sicut & nostræ fuerunt *immortales*, & *sanctæ*, & *justificatæ*, ideoque Gloriâ cœlesti, & visione Dei beatificatæ: Hoc tamen & ipsis & animis nostris jam additum est, quod Christum hominem Glorificatum in cœlis videbimus.

6 Qu. *Utrum Gloriæ cœlestis Jus datum est Abrahamo per fœdus peculiaritatis? An potius per fœdus gratiæ universale?*

Resp. Per fœdus Gratiæ universale Abrahamo sicut & omnibus fidelibus donatum est; At fœdus peculiaritatis etiam hoc suppositit, confirmavit, & ipsi personaliter applicavit.

7 Qu. *Quare Præmia terrestria Deus V. T. patribus promisit cum animum à cœlestibus avocare apta nata sint.* *Resp.*

Resp. Animi carnales obcœcati & vitiati per Dei munera ab ipso avertuntur; quæ tamen suâ naturâ Deum nobis demonstrant, & Amoris ejus suavissimi gustum per sensus, animæ interiori immittunt: Ideoque sanctis sanctificata Gloriæ cœlestis sunt quasi arrhabo & primitiæ, & ad ejus amorem & desiderium in nobis excitandum, sunt idonea.

§ Q. *Nonne præmia magis eximia habuisse videtur Ethnicorum plurimorum virtus, quam Abrahami fides? Cum* e. g. *Trajanus, Antoninus,* &c. *Imperium orbis Romani possiderunt, præ quo Israelitarum terra fuit minutula?*

Resp. Præmii magnitudo non ex Imperii aut Dominii amplitudine æstimanda est, alitèr non *virtutis*, sed *vitiorum* maximum esse præmium dicendum esset; Alexander enim, Cæsar, Tamerlanus, Turcæ, &c. per fraudes, latrocinia & homicidia, *viz.* per bella iniqua maxima Imperia obtinuerunt: Præmium vere magnum est Jus ad Regnum cœlorum, & deinde Regnum illud terrestre quod *sanctissimum* est, & Dei jura, & fælicitatis sempiternæ acquisitionem optime promovet. *Possessiones* quidem *terrestres* Abrahamo & ejus semini fuêre fidei & observantiæ præmia: Primariò autem quâ *sanctæ*, & secundariò tantum quâ amplæ.

9. Quod autem in Evangelio Christus non opes & Regna terrestria promittit; sed nostri & omnium terrenorum abnegationem, contemptum & desertionem, & crucis tolerantiam præcipit, hoc optimè convenit, cum clariore Regni cœlestis patefactione, & fidei prospectu, unde cœlestia animum à terrenis sibi attrahere, & elevare, & ita sanctiorem, & Deo propiorem facere magis apta sunt.

Cap. 9. *De Constitutione Politiæ Judaicæ, hoc est, status Regni Gratiæ particularis confirmati.*

De Politiâ sive Ecclesiâ Judaicâ considerandæ sunt,

I. Fines:
1. Impletio Fœderis Dei cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo iniți; & Amoris & fidelitatis Divinæ erga ipsos ut sanctos & dilectos demonstratio.
2. Ut in terris sit Populus visibilis Deo peculiaris; in quem ejus Dominium, Regimen & Amor, Potentia, Sapientia & Bonitas, coram mundo peccaminoso glorificetur; & in quo Jehova sanctissimus delectetur.

II. Causa Efficiens: Quæ est,

- I. Personalis, vel Quis
  - 1. Principalis: DEUS Abrahami Isaaci & Jacobi.
  - 2. Instrumentalis; *viz.*
    - 1. Angelus huic officio deputatus.
    - 2. Moses, Propheta & Mediator.
- II. Actiones Efficientes, vel Quæ
  - (Secundæ corruptæ constitutionis causas hic prætereo; *viz.* sub Regibus)
  - I. DEI; *viz.*
    - 1. Remotæ, fundamentales,
      - 1. Israelitarum multiplicatio.
      - 2. Ab Ægypto eorum Redemptio.
    - 2. Propiores;
      - 1. Populi hujus ut *peculiaris, Divina Electio.*
      - 2. Eorum ad Fœdus Dei ineundum *Vocatio.*
    - 3. Proximæ; *viz.* Fœdus ipsum, ex parte Dei, actualiter factum.
  - II. Instrumentorum; *viz.*
    - I. Angeli; *viz.*
      - 1. Mosen alloqui, dirigere, mittere.
      - 2. Miranda & terribilia ad populi liberationem facere.
      - 3. Populo ut Dux (& Protector) deputatus præire.
    - II. Mosis; *viz.*
      - 1. Remotæ
        - 1. Mandata Divina Pharaoni & Israelitis tradere.
        - 2. Miracula liberatoria instrumentaliter facere.
        - 3. Populum ut Dux officialis educere.
      - 2. Proximæ
        - 1. Fœdus ipsum ut Mediator erat à Deo, Populo offerre, seu proponere.
        - 2. Populi consensum publicè professum ut Mediator erat, acceptare.
    - III. Populi; *viz.* Consensum præbere Vocationi & Fœderi Divino.

III. Ipsa CONSTITUTIO passivè sumpta, vel Politia Constituta; Quæ est vel

I. Primitiva, (ut primò scilicet à Deo per Mosen ut jam dicitur constituta est) ubi sunt,

I. Partes contrahentes, dictæ *materia*; *viz.*
1. DEUS Abrahami, *&c.* ut fœderis cum Abrahamo facti fidelis observator.
2. Populus Israeliticus, ex Abrahamo, Isaaco & Jacobo ortus, & Mundi Redempti, & Ecclesiæ Universalis, Pars Electa *peculiaris*.

II. FORMA; Quæ est,
1. In totâ, THEOCRATIA, id est, *Dominatus, Regimen-Paternum, Divinum*; ubi jure Creationis, Redemptionis, Universalis, & Redemptionis ex Ægypto particularis, DEUS REX sibi reservat,
   1. Ducis Electionem.
   2. Legislationem primam.
   3. Judicia Maxima.
2. In Partibus; & in hâc Formâ continentur, Relationes speciales mutuæ, Quæ considerantur,

I. In Specie, & sunt
- I. DEI ad populum; ut
  1. Domini,
  2. Rectoris,
  3. Benefactoris,
  } Peculiariter nimirum ex fundamentis specialibus jam nominatis, prioribus superadditis.
- II. Populi ad Deum, ut
  1. *Sui* vel *Proprii*.
  2. Subditi.
  3. Beneficiarii, amici, filii.

II. Denominativè, ut vel æquivoce, analogice aut univoce ita dictæ: Ubi Relationes ejusdem Denominationis, reverâ sunt diversæ, ex diversis fundamentis; *viz.*

1. Quoad *Obligationem* per *Beneficia* & *Vocationem*, *Omnes Israelitæ* sunt *Populus Dei*.
2. Quoad *Statum Visibilem*, *Omnes Circumcisi* vel professores, sunt *Populus Dei*.
3. Quoad *Jus verum* coram Deo ad fœderis beneficia, soli *vere Consentientes* sunt *Populus Dei*.

II. Secunda corrupta; ubi populus Rebellis sine jussu Divino Politiam mutatam voluit; *viz.*

1. Ducem extraordinarium in REGEM constanter regnantem.
2. Ducem cœlitus Electum in REGEM modis ordinariis eligendum; *viz.*
   1. Jure hæreditario, vel
   2. Electione Regis decedentis.
   3. Vel Vi & Armis.

   (Etiamsi enim Saulus per *Prophetam* nominatus est, *Electus* est tamen per populum ut Radix modis ordinariis successurorum.)
3. Ducem cum Aristocratiâ & Democratiâ modo mixto regnantem, in Monarcham tantum-non absolutum, vel Absoluto multò propiorem.

Ubi in quantum Populus à Deo recedendo eum rejecit, in tantum Deus ab ipsis recessit;
Unde Reges plerique mali, & inde peccatorum & calamitatum illuvies sequuta est,

Adhuc autem
1. Leges datas ipsis continuavit; quæ & Reges & populum obligarent.
2. Ultima Judicia, deficiente Regum judicio, per se exequenda reservavit; & in Populum scilicet, & in ipsos Reges.

Cap. 10. *De Administratione Antecedente Politiæ Judaicæ, id est, Regni Gratiæ particularis confirmati, vel Editionis secundæ.*

[§ 1.]

Stante adhuc Fœdere Gratiæ Universali, ut facto scilicet cum genere humano, 1. In Adamo, 2. In Noe; Particulare Fœdus Gratiæ cum Abrahamo initum, perfecit Deus fœdus Mosaicum superaddendo: Quo Rempublicam Judaicam etiam constituendo incepit Administrare; Quod fecit,

I. Ut BENEFACTOR
- I. Qui Benefecit,
  - 1. Eligendo.
  - 2. Protegendo & multiplicando.
  - 3. Liberando; *viz.*
    - 1. Liberatorem illis dando; *viz.*
      - 1. Christum Principem.
      - 2. Angelum Ministrum.
      - 3. Mosen Mediatorem.
    - 2. Miraculis hostes vincendo.
    - 3. Actuali eductione.
- II. Benefaciens; *viz.*
  - 1.* Peculiari appropriatione.
  - 2. Speciali præsentiâ & ductu.
  - 3. Miraculosâ manu-tenentiâ, protectione, provisione, cibi, potus, vestimentorum, *&c.*
- III. *Benefacturus; promittendo,* scilicet
  - 1. Se ipsis & posteris fore DEUM peculiariter fœderatum.
  - 2. Messiam ex eorum semine oriundum.
  - 3. Terram Canaan ipsis & posteris possidendam.

II. Ut DOMINUS; *viz.*
- I. In Ægypto,
  - 1. Oppressiones eorum permisit & ordinavit.
  - 2. Ab Ægyptiis eos ut suos diversimode distinguit.
  - 3. Ægyptiorum bona Israelitis donat.
- II. Post egressum,
  - 1. Per varios circuitus eos per Desertum ducendo.
  - 2. Nationes diversas cum terris, eorum ditioni subdendo.
  - 3. Possessiones eorum juxta Tribus liberè distribuendo.

III. Ut REX; Legislator; Qui

I. ERUDIT eos; *viz.*
- I. Ab Extra; *viz.*
  - 1. Mediis Naturalibus,
    - 1. Libro antiquo Creaturarum.
    - 2. Providentiæ mutationibus; *viz.*
      - 1. In ipsos.
      - 2. In alios.
  - 2. Mediis moralibus objectivis; *viz.*
    - 1. Doctrinâ, voce traditâ & scriptâ.
    - 2. Historiâ rerum antea gestarum.
    - 3. Ceremoniis & doctrinalibus & historicis.
  - 3. Per Doctores; *viz.*
    - 1. Ex Officio; *viz.*
      - 1. Oeconomico,
        - 1. Parentes.
        - 2. Maritos.
        - 3. Heros.
      - 2. Ecclesiastico; *viz.*
        - 1. Ordinarios; Sacerdotes & Levitas.
        - 2. Extraordinarios; Prophetas.
      - 3. Civili: Magistratus, Qui suo modo Populum docebant.
    - 2. Ex Charitate: ut Proximi invicem erudiebant.
- II. Interiùs, per Spiritum Sanctum, 1. Ordinariò illuminantem, 2. Exrraordinario inspirantem.

II. IMPERAT per LEGEM,
- 1. Suppositam
  - 1. Naturalem primam (cujus Præcepta adhuc obligant ut dictum est.)
  - 2. Gratiæ
    - 1. Universalem, factam cum
      - 1. Adamo,
      - 2. Noe,
      - } Et humano generi in ipsis.
    - 2. Particularem, factam cum Abrahamo.
- 2. Jam Positam MOSAICAM
  - Quæ 1. Legem Naturalem recitat & novo jure stabilit.
  - 2. Obscura in eâ explicat, & dubia determinat.
  - 3. Positiva plurima de novo instituit.

Quæ est
- I. LEX FUNDAMENTALIS; *viz.* IPSUM FOEDUS.
- II. LEX GENERALIS; *viz.* DECALOGUS.
- III. LEGES PARTICULARES plurimæ; De quibus jam seorsim dicendum est.

§ 2. *De Lege Mosaicâ* FUNDAMENTALI *seu ipso* FOEDERE.

I. LEX FUNDAMENTALIS de ipso FOEDERE continet,

I. Partes contrahentes; *viz.*
- I. DEUM ex servitute Ægyptiaca eorum REDEMPTOREM.
- II. Membra omnia Corporis Politici Israelitici, ut in fieri: Quæ fuêre,
  - 1. Ductores; Principes populi.
  - 2. Sequentes, Vulgus; *viz.*
    - 1. Per se contrahentes; *viz.*
      - 1. Patres & Matres familiarum.
      - 2. Filii & Servi adulti.
      - 3. Advenæ, Proselyti, adulti.
    - 2. Per alios Deo illos dedicantes; *viz.*
      - 1. Infantes filii nati.
      - 2. Infantes empti, vel aliter verè Sui.

II. Fœdus ipsum, ubi sunt;
- II. Actus contrahentes; *viz.*
  - I. RELATIONES contractæ; *viz.*
    - I. DEI erga Israelitas; Qui ipsis est EORUM DEUS FOEDERATUS; *viz.*
      - 1. Dominus Absolutus.
      - 2. REX supremus.
      - 3. Benefactor (vel Pater, vel Amicus summus (Naturâ ejus inclusâ;) Idque
        - 1. Jure antiquo Creationis.
        - 2. Jure Redemptionis Universalis.
        - 3. Jure Redemptionis particularis ex Ægypto.
    - II. Israelitarum erga Deum; qui fuêre eodem jure,
      - 1. Absolutè SUI, ab ipso disponendi, & ut Peculium suum curandi.
      - 2. Absolutè SUBDITI, ad discendum & obediendum obligati.
      - 3. Beneficiarii (vel Filii vel Amici) Amandi, & ad Amandum obligati.
  - 2. Significata sunt, *viz.*
    - 1. Ex parte DEI; *viz.* FOEDUS ut præscriptum, & Voluntatem Divinam significans.
    - 2. Ex parte Populi; *viz.*
      - 1. Interni: sincerus animi Consensus *viz.* (necessarius ad jus Relationum & Beneficiorum fœderis coram Deo.)
        - 1. Intellectus Assensus.
        - 2. Voluntatis Consensus.
        - 3. Fiducia & promptitudo executiva.
      - 2. Externi (necessarii ad jus visibile coram populo.) Ubi porro consideranda sunt,
        - 1. Actus ipse: PROFESSIO sinceri Consensus fœderalis.
        - 2. Modus;
          - 1. Personalis; Qui fuit,
            - 1. Per totum Populum simul, (præcipuè post circumcisionem omissam in Deserto.)
            - 2. Per unumquemque seorsim (Qui modus fuit ordinarius.)
          - 2. Signalis; *viz.*
            - 1. Per Vocem, & alia signa familiaria arbitraria.
            - 2. Per signa Instituta,
              - 1. Sacramenta
                - 1. Primaria
                  - 1. Circumcisionem.
                  - 2. Pascha.
                - 2. Secundaria: sacrificia, Exod. 24. 5, 6, 7, 8.
              - 2. Ceremonias inferiores plurimas.

§ 3. *De Sacramento Fœderis Israelitici primo*; viz. CIRCUMCISIONE.

I. CIRCUMCISIO fuit fœderis Israelitici Sacramentum initians; ubi per abscissionem præputii, significantem seminis sanctitatem, circumcisus Consensum Fœderalem professus est; & in Populum Dei Israeliticum Peculiarem fœderatus adscribitur. Ubi consideranda sunt,
- 1. SIGNUM, quod est, Abscissio Præputii.
- 2. Significata sunt,
  - 1. Proxima; *viz.*
    - 1. Personam circumcisam esse filium Promissionis factæ Abrahamo.
    - 2. Et *Sanctum*, Deo separatum & dedicatum.
    - 3. Et membrum Regni sancti, ex quo Rex Messias oriundus erat.
  - 2. Finalia; *viz.*
    - I. Ex parte circumcisi;
      - 1. Assensus, Consensus, & Fiducia (vel promptitudo obedientialis) professi de præsenti; *viz.*
        - 1. Quoad opera Redemptionis Divina.
          - 1. Jam præstita; præterita.
          - 2. Præstanda,
            - 1. De Messiâ incarnando.
            - 2. De Beneficiis recipiendis.
        - 2. Quoad Media, Beneficia assequendi, *viz.*
          - 1. Divina; ut Promissiones, Prophetias, &c.
          - 2. Officia eorum ad hoc præstanda.
      - 2. Ad obedientiam actualem de futuro, ex hisce sui obligatio.
    - II. Ex parte Dei significatur,
      - 1. Se ipsum circumcisum sincerè consentientem jam recipere in numerum verè fœderatorum; quoad Relationes & jura fœderis.
      - 2. Se velle Ecclesiam, corda nescientem, externè profitentes circumcisos recipere in numerum visibiliter-fœderatorum.

Ex quibus conjunctis, circumcisio rectè appellatur, 1. In genere, *Sacramentum*; 2. Per differentiam, [*Initians Sacramentum.*] Quia per illud ut Deo sacri dedicati & astricti fuêre Israelitæ.

§. 4.

§ 4. *De Paschate Sacramento Fœderis Israelitici secundo.*

II. Pascha cum festo Azymorum fuit fœderis Israelitici Sacramentum renovans, ubi per esum Agni Paschalis (cum debitis circumstantiis) significantem mirandam Primogenitorum præservationem, & populi liberationem, per Ægyptiorum perditionem, & præfigurantem Messiæ Sacrificium & Redemptionem, Edentes Consensum fœderalem, cum Redemptionis gratâ recordatione profitentur, & Populi peculiaris tesseram ostendunt, & Promissorum Divinorum confirmationem recipiunt : Ubi

- I. Signum est,
  - 1. Esus Agni Paschalis,
    - 1. Totius : in domo propriâ vel cum proximis.)
    - 2. Cum herbis amaris.
    - 3. Stando, in habitu & gestu festinantis.
  - 2. Sanguinis aspersio.
  - 3. Esus Azymorum per septem dierum spatium.
- II. Significata sunt, vel
  - I. Proxima,
    - 1. Redemptionis Israeliticæ Gratia liberans, discriminans.
    - 2. Messias, Agnus Dei, Sacrificium præfiguratum, propitiatorium.
    - 3. Israelitarum festinatio (per Azymos significata;) & ita periculi magnitudo
  - II. Finalia ; *viz.*
    - I. Ex parte populi; *viz.*
      - 1. Agnitio grata maximæ & mirandæ liberationis.
      - 2. Professio fidei, id est,
        - Assensus,
          - 1 Erga Deum misericordem Liberatorem.
          - 2. Et in Christum, Agnum Dei sacrificandum.
        - Consensus,
        - Fiduciæ,
          - 3. Et Fœderis Divinæ Promissionibus.
      - 3. Sui-ipsius Obligatio fœderalis, ad fidem, obedientiam & amorem futurum.
    - II. Ex parte Dei; *viz.*
      - 1. Se sincerè-fœderatos accipere ut filios, id est, suos, subditos, amicos, & ipsis jus Relationum & Beneficiorum fœderis confirmare.
      - 2. Se velle externè fœderatos ut populum Dei peculiarem visibilem, ab invicem, & ab aliis æstimari ; Et amorem fraternum ita exerceri.

N. B. Quod nomen SACRAMENTI Ecclesiastici, ut & *Circumcisionis, Paschatis, Baptismi,* &c. in specie, æquivocè sumitur ; (& nisi priùs explicatum, non est terminus ad disputationem adaptatus,) *viz.*

1. In acceptione *Arctissimâ* : pro ipso signo ut ad usus suos tantum *apto & instituto.*
2. In sensu *Largiore,* ut includens etiam *Professionem fœderalem externam* recipientis.
3. In sensu *Pleno* & maximè proprio, ut includens etiam *Cordis Consensum,* vel fœderationem sinceram.

In primo sensu est *Sacramentum* aptitudinale & describitur, omissâ professione recipientis.
In secundo sensu *fœderatio professa* est Sacramenti pars, & ab hypocritis etiam recipitur.
In tertio sensu *Animi fœderatio sincera* verè fidelium est Pars ipsius Sacramenti.

§ 5. *De LEGE MOSAICA GENERALI (vulgò Morali dictâ) seu DECALOGO, (cui ut Determinationes vel Institutiones Particulares, reliquæ omnes subordinantur.*

II. LEX MOSAICA GENERALIS est DECALOGUS, Methodicè *Naturæ Præcepta generalia* enumerans ; & includens Sabbatum primitùs institutum ; & obligationem ab Israelitarum Redemptione Ægyptiacâ seu fundamento novo veteribus superaddito deducens.

LEX MOSAICA GENERALIS considerabitur, I. SUMMATIM, II. In DECEM PRÆCEPTIS.

I. Ejus SUMMA est
- I. Contractissima : AMOR.
  - 1. Amabis Dominum Deum tuum, toto animo, toto corde, totis viribus.
  - 2. Amabis proximum tuum sicut Teipsum.
- II. Latior ; Duabus Tabulis; *viz.*
  - I. Erga DEUM,
    - 1. Ut DOMINUM ; RESIGNATIO & SUBMISSIO.
    - 2. Ut REGEM ; SUBJECTIO & OBEDIENTIA.
    - 3. Ut Benefactorem ; GRATITUDO & AMOR.
  - II. Erga proximum ; *viz.*
    - 1. JUSTITIA: Quod Tibi fieri non vis, alteri ne feceris, *&c.* suum cuiq; *&c*
    - 2. AMOR : Diliges proximum tuum sicut Teipsum.

II. TABULÆ duæ decem continent præcepta ; Quorum quintum est quasi utriusque cardo ; Horum

I.
- I. PROHIBET Legis fundamentalis fœderis (antedescripti) violationem ; *viz.* IDOLA PRIMA ; vel habere in Republicâ Israeliticâ DEOS ALIENOS ; Et implicitè vel inclusivè.
- II. PRÆCIPIT, Fundamentale fœderis officium, q.d. ME DEUM TUUM HABEBIS, id est distinctè.

ME

ME DEUM TUUM,
- 1. Substantiam, 2. Vitam, 3. Perfectissimum,
- 1. Potentiam-actum, 2. Intellectum, 3. Voluntatem,
- 1. Omnipotentem, 2. Omniscium, 3. Optimum,
- 1. Patrem, 2. Filium, 3. Spiritum Sanctum,
- 1. Virtute, 2. Actu, 3. Actione,
- 1. Ex Quo, 2. Per Quem, 3. Ad Quem, omnia,
- 1. Creatorem, 2. Redemptorem, 3. Renovatorem,
- 1. Dominum absolutum, 2. Rectorem Justissimum, 3. Patrem & finem amantem, amabilem,

HABEBIS, id est,
- 1. Assensu Intellectus.
- 2. Consensu Voluntatis.
- 3. Activitate fiduciali Potentiæ vitalis.
- 1. Tui Resignatione & submissione.
- 2. Subjectione & obedientia.
- 3. Gratitudine & Amore, *viz.* sincero, summo, constante.

Præceptum hoc omnium aliorum Radix est.

II.
- I. PROHIBET Simulachrorum cultum externum; ut Idololatriam secundariam; Quoniam, *viz.*
  - 1. Ita vel Deus ipse blasphematur; quasi creaturæ visibili similis esset; vel
  - 2. Idololatriam corpoream exercebis, quicquid contra dixerit, vel animus vel lingua: Et
  - 3. Idololatriam scandalo in populo promovebis, tum vident te simulachrum cultu Divino vel suspecto colere.

  Et ita, quia Deus creaturæ visibili similis, non est verè Deus, sed Idolum, falsa est blasphemia Dei Repræsentatio per simulachrum, & Idololatria corporea, & Idololatria scandalosa apparentia hæc prohibetur.
- II. PRÆCIPIT inclusivè cultum Dei externum;
  - 1. Verum, modo Rationali, Naturæ & Majestati ejus spirituali & Glorioſæ congruo.
  - 2. Obedientem; juxta Legum Divinarum directionem.
  - 3. Castum; qui Idololatriæ alicujus participationem non sapit.

III.
- I. PROHIBET Nominis Divini abusum aliqualem & Prophanationem, & falsam descriptionem, seu blasphemiam; & Perjurium, quod est implicite Blasphemia, vel Dei contemptus.
- II. PRÆCIPIT Nominis Divini, corde, ore & opere, usum sanctum, reverentem, honorificum.

IV.
- I. PRÆCIPIT sanctam SABBATI observationem, (jam diu ad Cultum Creatoris, & publicum & privatum separati,) & Requiem à laboribus huic usui accommodam: Ubi 1. Materia præcepti; 2. Appendices, notandæ sunt,
  - I. Materia est;
    - 1. Deum ab omnibus solenni cultu honorandum esse, juxta propria instituta.
    - 2. Requiem huic cultui accommodam observandam esse.
    - 3. Diem
      - 1. Unam totam in qualibet septimanâ.
      - 2. Illam ipsam quam Deus separando faciet SABBATUM.
      - 3. Septimam ab initio Creationis, durante politia Mosaicâ.

      Ita ab omnibus Israeliticæ reipublicæ membris & inquilinis, sanctè observandam.
  - 2. Appendices seu Accidentia sunt, 1. Excitatio præparatoria. 2. Concessio & præceptum de sex dierum spatio, laborando. 3. Institutionis Sabbaticæ, & ejus occasionis commemoratio. 4. Præcepti extensio ad omnes indigenas & inquilinos. 5. Cura specialis Patri-familias commissa, etiam de pecudibus.
- II. PROHIBET omnia officiis hisce directè vel indirectè contraria.

V.
- I. PRÆCIPIT Imaginem Majestatis Divinæ in superioribus honorandam: Ubi considerantur,
  - I. Objectum
    - 1. Materiale; *viz.*
      - 1. Directum,
        - 1. Expressum: Parentes: Quia, 1. In ipsis est Authoritas maximè Naturalis, & primaria. 2. Et maximè necessaria, 1. Per Originem. 2. Propter finem: Quippe quæ per totum genus humanum obtinet; neque ab arbitrariâ electione humana ullatenus dependet. 3. Quia Authoritati Divinæ simillima est; *viz.*
          - 1. In fundamento: Generatio enim Creationem proximè æmulatur.
          - 2. Quoad exercitium,
            - 1. In constanti eruditione.
            - 2. In Imperio absoluto.
            - 3. In exercitiis Amoris, ut Regiminis modo perfectissimo.
          - 3. Quoad Finem: Fælicitas subditorum, & mutui Amoris complacentia.
        - 2. Implicitum: superiores alii
          - 1. Oeconomici,
            - 1. Maritus,
            - 2. Herus,

            Et familiæ subordinati Scholastici, *viz.* Tutores, Præceptores.
          - 2. Ecclesiastici: Pastores vel Episcopi.
          - 3. Civiles, Reges & inferiores Magistratus.
      - 2. Indirectum; *viz.*
        - 1. Oeconomicum; *viz.*
          - 1. Liberi.
          - 2. Uxores.
          - 3. Servi, & subordinatè, Discipuli.
        - 2. Populus Ecclesiasticus.
        - 3. Populus Reipublicæ.
    - 2. Formale: Authoritas à Deo derivata, in Officialibus Divinis.
  - 2. Actus: HONORARE,
    - 1. Mente; *viz.* 1. Reverentiâ. 2. Subjectione. 3. Amore.
    - 2. Lingua; Reverente, submissâ & amicâ locutione.
    - 3. Opere: Tributis, Consiliis, Armis.

A B

II. PRO-

II. PROHIBET omnia hisce contraria.
II. Sanctio addita de retributione, { 1. Promissio benedictionis temporalis expressa. 2. Pœna temporalis implicitè minata.

VI. I. PROHIBET, { 1. Expressè, Homicidium. 2. Implicitè; *viz.* { 1. Injurias contra aliorum Animas. 2. Corporales, { 1. Ut ad Homicidium aliquo modo tendentes. 2. Gradus inferioris, contra vitalia proximi, & solamen.
II. PRÆCIPIT Justitiæ & Charitatis exercitium, in proximi Vitâ & Vitalibus tuendis.

VII. I. PROHIBET, { 1. Expressè; scortationem omnigenam: { 1. Ut ad scortationem ducentes. 2. Implicitè; Impuritates alias; *viz.* { 2. Ut incontinentiæ gradus inferiores.
II. PRÆCIPIT, Castitatis { 1. Propriæ { 1. Exercitia. 2. Defensionem. 2. Alienæ, præservationem, quantum in nobis.

VIII. I. PROHIBET, { 1. Expressè Furtum, vel alienorum ablationem Vi aut Latrocinio. 2. Implicitè; Acquisitionem injuriosam; *viz.* contra Justitiam aut Charitatem.
II. PRÆCIPIT, Justitiæ & Charitatis officia, ad Proximi Bona tuenda & promovenda.

IX. I. PROHIBET, { 1. Expressè, Testimonium falsum (aut ex intentione aut negligentiâ.) 2. Implicitè; { 1. Omnium in rebus judiciariis injustitiam, & Charitatis violationem. 2. Omnem obtrectationem, calumniam, & mendacium, vel eorum participationem.
II. PRÆCIPIT, Justitiæ Publicæ & Privatæ, & Veritatis, exercitia & patrocinium.

X. I. PROHIBET in genere omnia quæ sunt contra { 1. Justitiam, { Erga proximum; *viz.* { 1. Facere quod nobis fieri Nolumus. 2. Negligere vel odisse proximum; 2. Charitatem,
In *Mente* scil. ore, & opere vel Philautiam, suitatem, seu Proprietatem inordinatam contra alios.
II. PRÆCIPIT, { 1. Ipsam Justitiam, 2. Charitatem, } & ejus Actiones, in corde, ore, opere, *viz.* { 1. Diligere proximum sicut teipsum. 2. Facere quod tibi vis fieri.

Est enim hoc Præceptum Tabulæ secundæ summarium; generaliter omnia complectens, quæ in prioribus omittuntur; sicut Præceptum primum est primæ Tabulæ summarium: Et ejus sensus est, ne Teipsum & Tua ex Philautiâ inordinatè Ames & quæras, & *Proximum* & *Sua* negligas, aut Tuiipsius causâ injuriosè tractes; & aliorum bona attrahere tibi concupiscas.

§ 6. *De Legibus Mosaicis PARTICULARIBUS multiplicibus.*

III. LEGES Mosaicæ PARTICULARES, sunt Præceptis Decalogi Generalibus subordinatæ;
Viz. { 1. Ut Naturales Determinationes; seu Leges Naturales in Instantiis particularibus expositæ. 2. Ut Arbitrariæ Institutiones, 3. Mixtæ ex utrisque, } { 1. Modorum, 2. Mediorum, } Ad officia Naturalia debitè præstanda.
Ad prolixitatem devitandam, non Verba ipsa, sed Textus capita, & vers. citanda sunt,

I. Leges Particulares NATURALES de Instantiis, Modis vel Mediis, reducendæ,
Ad 1. Præceptum, Exod. 23. 13. de Diis Gentium non nominandis, v. 32. de fœdere non pangendo cum Idololatris proximis, Exod. 22. 18. contra Veneficos (Quia sunt Dei hostes fœderati vel dæmonum cultores,) Exod. 22. 20. Lev. 20. 1. contra semen suum Moloch tradentes, v. 4. contra talia celantes & ferentes, v. 6. contra Magos, Deut. 13. de suadentibus ad Idololatriam perdendis, Deut. 17. de Idololatris morte plectendis.
Ad 2. Exod. 23. 24. de simulachris frangendis, Deut. 12. de Idololatris non imitandis, & Idolis non nominandis, nec eorum cultu: de locis Idolorum delendis, & sanctuario Dei venerando.
Ad 3. De Votis præstandis, Deut. 23. de blasphemo plectendo, Lev. 24. *&c.*
Ad 4. Lev. 23. 3. Exod. 12. 16. de Convocatione Sacra, & Deut. 23. 18.
Ad 5. Exod. 23. 20. de Angelo duce obsequendo, Exod. 22. 28. Dii & Rectores non maledicendi sunt, Lev. 19. 32. senioribus assurgendum est, Exod. 21. 15, 17. Deut. 17. Deut. 21. de subditis & filiis rebellibus plectendis, Deut. 1. de Magistratibus faciendis, Deut. 17. de Regum officio, Deut. 16. Deut. 6. & 11. de filiis erudiendis in scientiâ & observantia Legis Divinæ.
Ad 6. Exod. 21. 12, 13, 18, 20, 22, 23, 26, 28, 29. Exod. 22. 2, 3. Lev. 13. 14. & 17. Deut. 21.
Ad 7. Exod. 22. 19. Lev. 18. & 19. 29. & 20. Deut. 22.
Ad 8. Exod. 21. 16, 32, 35. & 22. 1, 4, 5, 6, 7, 11, 12, 13, 15, 16, 17. Lev. 19. 30, 35. Deut. 24. Deut. 29. 14. & 21. & 25.

Ad

Ad 9. Exod. 23. 1, 2, 3, 6, 7, 8. Deut. 29. & 24. Lev. 19. 11, 15. Deut. 22.
Ad 10. Exod. 22. 21, 22. & 25. contra usuras, & 26. de pignore, Exod. 23. 4. Lev. 19. 14. & 19. 16, 17, 18. Deut. 24. & 22.

II. Leges particulares Mixtæ. 1. Ad primum Præceptum pertinentes: De Deo per oblationes agnoscendo, & sua ipsi vovendo, Exod. 22. 29, 30. Lev. 27. Exod. 25.
Ad 2. Lev. 24. Num. 15. Exod. 28. de Sacerdotio instituto.
Ad 3. Omnes Leges de Votis servandis, & de impuritatibus devitandis, propter sanctitatem Nominis Dei quem coluerunt, Lev. 11. & 17. & 19. 28, 30. de Sanctuario; & 21. de Sacerdotum conjugio & puritate, Num. 22. 5. & 13. & 14. & 15. & 12. Lev. 11. & 19. 6. Num. 6. Deut. 22. Num. 30.
Ad 4. Lev. 23. & 25. Num. 15. 1. Exod. 23. 14. & 35. 3. Deut. 18. Deut. 23. 18.
Ad 5. Deut. 25. 2, 3, *&c.* Exod. 28. Exod. 16. 22.
Ad 6. Deut. 20. & 21. & 22. (de ave cum pullis non perdendâ) & de ædificiis tutis exstruendis, Deut. 19. & 23.
Ad 7. Lev. 19. 20. Deut. 24. & 25. (de manu impudicæ abscindendâ) Num. 5. 13.
Ad 8. Dominium limitantes, Exod. 21. 1. 7. Num. 5. Levit. 25. Deut. 23. (de fructibus carpendis ad esum.)
Ad 9. Num. 5. 13, *&c.* Num. 35. 30. Deut, 19. 15. Deut. 21. 19.
Ad 10. Deut. 23. 19, 20. de Usuris, Deut. 24. Lev. 35. 36, 37. Lev. 19. 9. Exod. 23. 6.

III. Leges Arbitrariæ,
Ad 1. De modis Dei agnoscendi, ut per circumcisionem, sacrificia, fœderis signa, *&c.*
Ad 2. Lev. 1. & 2. & 3. & 4. & 8. & 9. Num. 28. & 29. & 21. de Serpente æneo, Exod. 28. & 29. & 30. Lev. 16. Num. 1. & 15. Exod. 23. 18.
Ad 3. Contra polluentia populum sanctum, Deut. 14. Num. 19. Deut. 23. Lev. 19. 19. Num. 30. de Nothis congregationem non intraturis.
Ad 4. Plurimæ de diebus sacris, Lev. 23. & 25.
Ad 5. Plurimæ de officiis Sacerdotum, & populi erga ipsos, Exod. 28. & 29. Lev. 21. & 22.
Ad 6. Exod. 23. 19. Num. 31.
Ad 7. Deut. 25. de viduâ fratris ducendâ.
Ad 8. Num. 27. Leges de hæreditatibus, Num. 31. Leges de spoliis dividendis (in partibus aliquibus) Deut. 25. de bove laborante, Exod. 11. de Ægyptiis spoliandis.
Ad 9. Num. 5. de adulterii scrutinio in casu Zelotypiæ.
Ad 10. De spicarum fasciculo non repetendo, Deut. 24. de agrorum requie, Exod. 23. 6, *&c.*

Legibus hisce particularibus Mosaicis postea additæ fuêre,

1. Quædam Davidis, Regis & Prophetæ de ordinibus Sacerdotum, Levitarum, & rerum Sacrarum.
2. Quædam Solomonis de Templi formâ & usu; & de circumstantiis plurimis.
3. Quædam per Prophetas Nehemiæ, Ezræ, Zerubbabeli, & Josuæ, de populi reditu, & de Templo & Civitate reædificandis, traditæ.

Et hisce adduntur Mandata singularia, plurima, ad singulares personas per Prophetas; Quæ quidem Legis Naturam habuêre ad hunc singularem, etiamsi non Publicæ aut Universalis.

§ 7. *De SANCTIONE RETRIBUTIVA Legis Mosaicæ.*

Tantum de Legis Mosaicæ,
I. ERUDIENTE doctrinâ.
II. IMPERIO Præceptorum.
III. MOVET Sanciendo & Prædicendo Retributionis debita PRÆMIA & PÆNAS.

Quoniam autem Lex quâ Mosaica, est quasi Appendix subordinata, & *Fœderis Gratiæ Universalis, & Abrahamici particularis*, ideo ad illam plene intelligendam, notandum est, eam sensum habere,

1. Præsuppositivè Mutuatum, à Fœdere Universali, de Præmiis & pœnis sempiternis.
2. Implicitè Mutuatum; à Fœdere Abrahamico; de præmiis item & pœnis sempiternis.
3. Expressum & Proprium; de Præmiis & Pœnis, { Spiritualibus & Corporalibus, } { temporalibus ut est Lex mere Politica prioribus superaddita.

Quasi dixisset Deus [Ergo qui Fœdus Universale feci de vita & morte sempiterna in promisso Redemptore, & qui fœdus particulare feci cum Abrahamo de semine ipsius multiplicando & benedicendo, hoc fœdus, hanc Legem vobis etiam posteris ejus per Mosen superaddo, Politiam Divinam in vobis ut populo sancto instituens, præmia item, & pœnas temporales (tum corporales tum spirituales) partim per officiales, & partim per meipsum infligendas, ordino: ut homines nimis carnales qui sub Regimine merè spirituali,

per

per ſpem & metum æternorum, non ſatis in obedientia retinentur, præſente etiam proſperitate invitentur, & metu pœnarum præſentium à peccandi licentiâ coerceantur, donec gratiam uberiorem per clariorem æternorum revelationem per Chriſtum Deus mundo impertiat.] Et ita 1. Fœdus Gratiæ Univerſale Æterna promittit & minatur. 2. Fœdus cum Abrahamo dicit, [ſpecialem favoris gradum tibi & ſemini tuo daturus ſum, & poſteros tuos in Nationem Sanctam electurus.] 2. Lex Moſaica dicit [Dum fœdus Gratiæ Univerſale ſtabilio, & fœdus cum Abrahamo factum poſteris ejus adimpleo & ſancio, Populum ſanctum ſub Regimine Theocratico vos conſtituo, & Legibus Sanctis & ſeveris per præmia & pœnas temporales item peccata coercebo, donec gratiâ uberiore Meſſias advenerit.] Lex igitur Moſaica. ÆTERNA *ſupponit*, etiam & *includit*, ut cum Legibus & promiſſis *præcedentibus* unita eſt, & ea recitat; ſed PRÆMIA & POENÆ hujus Legis PROPRIÆ adduntur TEMPORALES. De quibus jam dicendum (præſuppoſitis, 1. Miſeriâ peccatoris eſſentiali, *e. g.* non-amare Deum, non-delectari in Deo, *&c.* 2. Pœnâ neceſſitate Naturali ſequente, *e. g.* Diſplicentiâ Divinâ, *&c.* 3. Et pœnis arbitrariis temporalibus & æternis, per Leges priores ſancitis.) Et primo de Pœnis.

I. POENÆ Legis Moſaicæ ſunt, vel

I. Quoad Speciem,
- 1. Materialiter,
  - 1. Privativæ: *viz.*
    - 1. Summi Boni; favoris Divini.
    - 2. Inferiorum; 1. Spiritualium; 2. Corporalium.
  - 2. Poſitivæ: De quibus plura in ſequentibus.
- 2. Subjectivè; *viz.*
  - 1. In Animum; *viz.*
    - 1. Deſertio Divina, 1. Quoad Gratiam, 2. Quoad ſolamen, 3. Quoad utriuſque media.
    - 2. Terrores, mœſtitia, anxietates, *&c.* conſequentes.
  - 2. In Corpus; *viz.*
    - 1. Per ſenſum,
      - 1. Immediatè; ut ægritudines, plagæ, mors, *&c.*
      - 2. Mediatè; Negatio
        - 1. Neceſſariorum immediatorum, ut cibi, potus, veſtitus, *&c.*
        - 2. Neceſſariorum mediatorum, ut pluviæ, frugis, pacis, *&c.*
    - 2. Per Phantaſiam,
      - 1. Per infamiam juſtam, ex reatu & Divinâ rejectione.
      - 2. Per infamiam injuſtam, ex calumniis, à Deo juſtiſſimè permiſſis.
  - 3. In poſteros; 1. Deſertio, 2. Deſertionis conſequentia.

II. Quoad Gradum,
- 1. In animum, Deſertio, Triſtitia,
  - 1. Major,
    - 1. Longior.
    - 2. Brevior.
  - 2. Minor,
    - 1. Longior.
    - 2. Brevior.
- 2. In Corpus,
  - 1. Mors, (1. Propter peccata plurima graviora; 2. Præcipuè peccata præſumptionis & contumaciæ.)
  - 2. Membrorum jactura, & plagæ graviores.
  - 3. Pœnæ Leviores, ut ſecluſiones temporariæ, ſumptus ſacrificiorum, *&c.*

III. Quoad Modum; *viz.*

I. Judicandi,
1. Pœnæ Ordinariæ: per Judices Ordinarios, ex evidentia & teſtimoniis judicantes.
2. Per media minus ordinaria; ut in difficilioribus, per Oracula Sacerdotalia.
3. Sine homine per Deum ipſum qui judicabat, 1. Per ſortem, 2. Per immediatam executionem, 3. Per ipſam Legem.

II. Exequendi; *viz.*
1. Per ipſum peccatorem qui per conſcientiam & paſſiones proprias cruciatur.
2. Per vindicem ordinarium, judicis Miniſtrum.
3. Per teſtes primò, & deinde per totum populum.
4. Per inimicos & hoſtes, ut per Bellum, *&c.*
5. Per Angelos bonos vel malos; & Dei mirabilia;

Viz.
1. Ob peccata graviſſima.
2. Ob peccata cordis, & ſecreta.
3. Ob peccata non punita per ſuperiores.
4. Ob peccata Regum & totius populi.

II. PRÆMIA Legis Mosaicæ sunt,

I. Complicata cum Præmiis fœderum priorum. II. Vel Legis hujus Propria : Quæ sunt,

I. Summarium; Fundamentale [*Relatio ad Deum*] *Ero tibi DEUS, & tu mihi Populus*] Quasi dicat, [sicut vobiscum fœdus percussi, & Gratiæ, Universale, in ordine ad cœlestem Gloriam, & Abrahamicum mixtum, & jam Mosaicum Politicum, in ordine ad fælicitatem temporalem, æternæ subordinatam; Ita unicuique vestrum Amore, & obedientiâ huic Legi consonâ, hæc fœdera servanti, ego DEUS ero fœderatus, Dominus, Rex, Pater, utrumque fœdus fidelissimè præstans.]

II. Particularia; Quæ sunt,

- I. Quoad Speciem,
  - 1. Subjectivè, Præmia
    1. Publica, totius populi, vel Principum & Sacerdotum.
    2. Familiarum, & tribuum.
    3. Personarum, vel individuorum.
  - II. Materialiter; *viz.*
    1. Spiritualia purè; *viz.*
       1. Positiva : Acceptatio, favor, assistentia Divina.
       2. Negativa : ut Præservatio à Tentationibus terroribus, *&c.*
    2. Media ad spiritualia; Quæ sunt,
       1. Intellectus instructiva;
       2. Voluntatis Motiva;
       3. Potentiam excitantia;

       } sunt q;
       1. Res Sacræ.
       2. Verba Sacra.
       3. Personæ Sacræ.
    3. Corporalia (Quæ etiam sunt Media remotiora ad spiritualia ;) Qualia sunt, 1. Vita, 2. Sanitas, 3. Gaudia, 4. Opes, 5. Protectio, 6. Multitudo Liberorum, 7. Terra fertilis, 8. Pecudes fœcundæ, 9. Gentibus circumjacentibus præcellere, & regere, 10. Victoriæ, 11. Pax.
- II. Quoad Modum,
  - I. Adjudicandi; *viz.*
    1. Per Magistratus ordinarios : Quibus & Lex judicandi datur ; & per Sacerdotes.
    2. Per Parentes, amicos, proximos respectivè.
    3. Per Deum ipsum; *viz.* Qui præmia adjudicat,
       1. Aliquando ipsâ Lege sine ulteriore judicio.
       2. Per sortem.
       3. Per actualem collationem executivam.
  - II. Conferendi : & dantur Præmia,
    1. Publicè, per Rectores, Civiles & Ecclesiasticos (seu Sacerdotes.)
    2. Per Parentes, amicos, proximos, tutores, *&c.*
    3. Per Providentiam Dei naturalem, (ut cibus, potus, pluviæ, fertilitas agri, sanitas, *&c.*)
    4. Per nosmetipsos, ut Gaudia, integritas, Pax, *&c.*
    5. Per Miracula, per Angelos, per Prophetas, *&c.*

III. Quoad *Titulum*, & juris *Conditiones*, Præmia diversimodè acquisita sunt; *viz.*

1. Jure *Naturæ*, ut *Israelitæ* fuêre : Et ita Electi & Vocati sunt ad fœderationem.
2. Jure *Circumcisionis* & *publicæ professionis* : Et ita in foro humano, in privilegiis civilibus, & sacris visibilibus, jus habuêre; In quantum Regentium officium fuit tales ad illa privilegia recipere.
3. Jure *sinceri Consensûs fœderalis*, Beneficia fœderis ad ipsos directè pertinebant.
4. Jure fœderis *præstationis continuatæ* & *perseverantiæ*, fœderis ipsis Beneficia continuata sunt.
5. Ex conditionibus item *particularibus*, jus datum fuit ad *particularia* beneficia; quæ in ipsâ Lege copiosè enumerantur ; *e. g.* Ad Remissionem variorum peccatorum (Politicam scilicet, vel *pœnæ temporalis*) variæ particulares Actiones, confessiones, oblationes, sacrificia requirebantur.
6. Ad *extraordinaria* item & *specialia præmia* & *privilegia*, extraordinariæ & speciales conditiones sæpe requisitæ sunt : Ut ad privilegia Regalia, Sacerdotalia, Prophetica, *&c.* Aliquando autem jus Naturæ (ut in primogeniti jure) vel qualificatio communior ad hoc sufficiebat.
7. N. B. Quod post Regiminis mutationem per Regis introductionem, non minima Reipublicæ corruptio introducta fuit ; *Præmiorum* item corruptio et falsa æstimatio : Quia *Homini*, (animali, cœco nimis, superbo, vitioso) Regi scilicet, *curiosè perplacere*, jam Via ordinaria ad pacem & fælicitatem facta est, aut videbatur ; cum antea DEO *placere*, (ut via ad fælicitatem) faciliùs populo *Necessarium visum est* ; & sine tali impedimento *facilius curatum* (sicut Paulus etiam inter conjuges & cœlibes comparationem instituit, 1 Cor. 7.)

Elucidationes

Elucidationes Cap. 10. *Generales de Fœdere & Lege Mosaicâ, & ejus explicationibus Paulinis.*

1. FOEdus Dei universale cum humano genere factum in Adamo, cum Noe renovatum, & cum Abrahamo, privilegiis superadditis, stabilitum in Fœdere & Lege Mosaicâ, præsupponitur.

2. In Fœdere Abrahami privilegium illud peculiare fuit, semen illius in *gentem sanctam* fore *multiplicandum*, sub *politia speciali Theocraticâ* regendum, & ex illo *semen* eminenter sic dictum, *Christum* videlicet oriundum esse, ut antea explicatum est.

3. Fœdus hoc Abrahami non cessavit per *Legislationem* & *fœderationem Mosaicam*, sed continuatum fuit, & augmentatum, (utroque scilicet respectu, ut fuit *Fœdus Gratiæ universale*, & ut *privilegiis* adauctum *specialibus*.) Quando autem (hoc Fœdus Abrahamicum præstando) Deus in sacrum ordinem, ut corpus Politicum, Judæos concinnare voluit, Legem itidem & Fœdus Politicum priori fœderi superaddidit.

4. Lex igitur *Mosaica* sicut Fœdus *Abrahamicum*, vel *Adamicum* non *abrogavit*, ita neque ut Regula aut Fidei, aut vitæ à *prioribus* omnino *separabilis*, à Deo data fuit; sed ut *Additamentum* quoddam *materiale*, Fœdus Gratiæ Adamicum & Abrahamicum, ut illius quasi *animam* supponens.

5. *Lex* igitur per quam Deus populum Israeliticum tunc regere statuit, si *integre* consideretur, & *Legem* seu *Fœdus Gratiæ universale*, & *Legem* seu *Fœdus Abrahamicum* & *Mosaicum particulare* & *speciale*, ut sui partes continet.

6. Lex autem Mosaica fuit prioribus superaddita, tum ut *Partem Materialem* obedientiæ, sub Fœdere Gratiæ Israelitis præscribens, tum ut Pars & Materialis & Formalis Regiminis illius Politici, quod in Regno hoc novo particulari & speciali, Deus jam exercere voluit.

7. Non *pars* tantum, sed & *Tota* illa Lex superaddita, etiam ipse *Decalogus* à, Deo jam *Lex Politica* facta est: Decalogus igitur fœderum diversorum respectivè pars est. Etiam Cordis ipsius & cogitationum officia, & peccata, (sicut Amare vel Non-amare Deum) per Legem hanc *Politicam* & denominantur & judicantur. *Deus* etenim ipse *Supremus Rex Politicus fuit*, & judicium finale sibimet reservavit, qui Corda scrutatus est, & de secretis judicat.

8. Legis igitur Mosaicæ divisio in *Moralem*, *Ceremonialem*, & *Politicam*, non est accurata vel apta; quandoquidem & pars *Moralis*, & *Ceremonialis* sunt partes Legis ut *Politicæ*, sicut etiam sunt partes ejus ut *universalis* & *Gratiosæ* ad *æterna* conducentis & respicientis.

9. Quoniam Lex vel Fœdus Gratiæ ut ad æterna conducens, commune fuit Abrahamo cum Mose, non igitur peculiariter *Mosaicum* nominatur: At Fœdus seu Lex *peculiariter Mosaica*, est Lex illa quatenus *Politica*, ad *peculiarem scilicet Israelitarum Politiam* accommodata: Hæc etenim per Mosis mediationem superaddita est.

10. Lex illa quatenus *Politica* & *peculiariter Mosaica*, quamvis officia præcepit *spiritualia*, & spiritualia itidem peccata damnavit, temporalia tamen præmia & pœnas itidem temporales Legislator ejus eminenter vel clarissime sancivit.

11. Spiritualia tamen præmia, sicut & pœnas spirituales instituit; quamvis utrasque notabiliter ut temporales: Ubi *Deus* enim Rempublicam *temporalem* Regit, etiam per præmia & pœnas *spirituales* eam, & non tantum per *temporales* regit.

12. At eadem etiam Respublica ut Regni Dei Universalis Pars considerandæ fuit, & ita ut ad fælicitatem etiam sempiternam, per media, & corporalia, & spiritualia perducenda & finis & Regimen temporale, cum conjuncto sempiterno optime conveniunt.

13. Subditorum unuſquiſque intentionibus ſuis hæc conjungere fuit obligatus; nec alicui aut par, aut utile, aut licitum fuit, has leges unquam ſeparare; neque officium aliquod præſtare, nec à peccato qualicunque abſtinere, propter rationes aut ſolum aut præcipue temporales & politicas, ſed ad ſempiternas primò ſemper proſpicere; & Rationes Politicas, & temporales reſpicere tantum ut inferiores & ſubſervientes.

14. At Judæorum pars carnalis præeminentiam ſuam politicam & privilegia peculiaria in tantum ſunt mirati, & de Abrahamo Patre,& Moſe Mediatore, illius Politiæ adeo gloriati ſunt, ut inde fœderis Gratiæ Univerſalis, & ſempiternæ ferè obliti ſint, de Lege ſeu Fœdere politico præcipue cogitantes: Et ſiquando de vita æterna ipſis cogitatio incideret, Lex illa Moſaica politica *tanta* fuit in eorum oculis, ut de nullis fere mediis ad peccatorum remiſſionem, & vitam æternam neceſſariis, præterquam, illius Legis præſtationem, cogitârunt. Quaſi eadem illa quæ proſperitatis politicæ temporalis, conditiones facta eſſent, etiam ſolæ fuiſſent ſalutis ſempiternæ conditiones; Imò & ſpiritualia in tantum deſpexêre, ut in externis ferè totam operam collocaverint; quaſi Judicium Divinum non ultra in ſcrutando pergeret quàm humanum. Et quamvis Meſſiam plerique expectârunt, talem tamen eum futurum eſſe opinati ſunt, qui ad Legis illius meliorem & accuratiorem obedientiam populum illum reduceret, & exinde eorum fælicitatem & temporalem,politicam, & ſempiternam procuraret. Imò tandem res ſempiternæ in tantum ſunt & ſpretæ & ignoratæ, ut in dubium ipſis ſeriò veniret, an aliqua vita ſempiterna omninò hominibus ſupereſſet, vel ſaltem alia præter Pythagoræ tranſmigrationem; & Sadducæi & Angelos & Spiritus & reſurrectionem negantes, tolerata ſi non honorata ſecta fuêre.

15. Hinc etiam ortum eſt non minimum impedimentum,credendi in Chriſtum ut Fœderis Gratiæ melioris Mediatorem, & caput Eccleſiæ Catholicæ, & pro peccatis Sacrificium, & Legis Moſaicæ finem & Veritatem, & credentium Juſtificatorem, & omnibus ipſi morigeris, ſempiternæ ſalutis authorem; Quoniam aliuſmodi ſcilicet Meſſiam expectârunt.

16. Paulus Apoſtolus cum Judæos invenit, ita Legem Moſaicam ſolam eſferentes, & à Fœdere priore Gratiæ ſeparantes, & hujus naturæ & uſûs fere omnino ignaros, ipſe quidem *Diſtinguit*, ea, quæ Judæi iſti male ſejungebant, ſeparationem ſcilicet eorum redarguens; & dilucidè probans, Legem ita ſejunctam, aut in ſe ut *Moſaicam*,aut *Politicam*, neque eſſe, nec unquam à Deo deſtinatam fuiſſe, ut medium ſufficiens ad peccatorum juſtificationem & vitam æternam; hæc verò ex Fœdere Gratiæ vel Promiſſo expectanda eſſe, ideoque per Chriſtum illius Fœderis Mediatorem; & per Fidem (ſcilicet *Practicam*) ut Fœderis hujus *Conditionem*; non autem per Moſen Mediatorem Legis Politicæ aut Judæis peculiaris (& multò minùs ex operibus Legis ſeu Fœderis Innocentiæ jamdudum violati.)

17. Apoſtolus itaque cum Legem Dei integrè obſervandam, ita per Judæos carnales male intelligentes & infideles, in partes ſeparatas ſciſſam invenit, partem priorem plerumque *Promiſſionem* denominat (*Chriſti* ſcilicet *Incarnandi* & *vitæ ſempiternæ* per Chriſtum,) poſteriorem verò *Legem*; plerumque ſcilicet *hanc Legem peculiarem Moſaicam*, hoc nomine deſignat.

18. Non tamen negandum eſt, neque à Paulo negatum, *hujus Legis* obſervantiam, ut *materiæ Fœderis Gratioſæ partem*, Judæis ante Chriſti Incarnationem neceſſariam factam fuiſſe ad ſalutem; neque *fides vera*, *practica* & ad *ſalutem* ipſis ſufficiens fuiſſet, quæ per obedientiam hanc in ipſis non eſſet operata: Fides enim eadem ad diverſa etiam Præcepta Divina, imò & nova obedienda, credentes excitabit: Neque fides fit diverſa, quotieſcunque officia diverſa, ſecundum Legis item diverſas præſtiterit.

19. Quandoque tamen (etſi rariùs) per nomen *Legis*, Paulus intelligit *Præcepta* & *Naturalia* & *Moſaica*, eaque ut ad retributionem ſempiternam reſpicientia: Qui ſenſus ex ipſo contextu erui poteſt, & à Paulo ad uſum & conſequentiam propriam ibi adaptatur.

20. Lex

20. Lex autem *Naturæ* primæva unumquemque contra Deum æternum peccantem, ad pœnam obligat in tantum duraturam, in quantum ipse peccator durabit; Ideoque ad pœnam sempiternam, quia quoad Animam peccator antecedenter factus est immortalis.

21. Quamvis autem in tantum adhuc Lex *Naturæ Primæva* adhuc, etsi violata, viget, ut ad obedientiam obliget, & ad pœnam propter inobedientiam; Nullam tamen salutem, aut salutis spem, cuicunque peccatori dare potest: Quia conditio ejus ut præmium dantis ex peccato fit præstitu impossibilis: Mosaica igitur Lex Politica, etiam ut cum Lege hac Naturali Innocentiæ conjuncta, sine Christo, peccatores obligat ad pœnam etiam sempiternam sustinendam; Justificare autem aut salutem dare minime potest: Et per Infidelitatem & Christi rejectionem Judæi Infideles, se sub utriusque Legis (& *Naturalis* & *Mosaicæ*) maledictione, vel pœna obstrictos magis posuêre; & ubi Justitiam & Vitam male quærunt, peccati aculeum, & mortem inveniunt.

22. Qui à Deo sunt obligati *toto corde eum diligere*, & *sanctos esse sicut Deus sanctus est*; & ita *corda habere circumcisa*, & ad *Imaginem Divinam reformata*, (Quæ omnia Gloriæ cœlestis sunt & media & arrhabo, & salutis ipsius initia) hi proculdubio itidem sunt obligati ad credendum tale fœdus quoddam Divinum extare, quod cœlestis Gloriæ jus, conditionem præstantibus, verè tribuit; & Messiam fore fœderis illius Mediatorem, salutis Ducem, & procuratorem, Remissionis item peccatorum, auxilii spiritualis & Gloriæ illius cœlestis causam & sub-donatorem; Ubi saltem Promissio de Messia promulgata fuit.

23. Sicut autem jam nobis major fidei gradus est necessarius necessitate præcepti (ut debitus) quam necessitate medii (ut conditio salutis;) Ita etiam de fide Judæorum in Messiam venturum judicandum est.

Pauca hæc de Lege vel Fœdere Mosaico (quod à Camerone tertium & subserviens vocatur) notanda judicavi, quo facilius in Pauli Epistolis plurima intelligantur.

Elucidationes. Cap. 10. §. A. Sect. 1.

1. Sicut omne Providentiæ Divinæ circa fœderatos exercitium, in triplicis Relationis operibus consistit, ita fit in Regimine populi Judaici, sed (præter commune) ex speciali quodam titulo (seu fundamento) & jure, in specialem Politiæ (scilicet Theocratiæ) statum sunt recepti. Quæ fundamenta cum privilegiis sequentibus, adeo clarè in Tabulâ exprimuntur, ut Lectorem non-necessariâ explicatione morari superſedeam.

2. Ut *Lex* est *Sapientiæ Divinæ Opus ad Intellectum humanum* informandum fabricata, ita *Doctrina Divina* dicitur: Ut verò à *Voluntate Imperante* provenit, ad *Voluntatem* (primò) humanam obligandam, ita propria formaliter *Lex* est, in primario scilicet hoc actu pleno & formali: At ut *retributiones sanciendo ad Obedientiam promovendam* adaptatur, ita *Legis* est actus *tertius* & *ultimus*.

3. Idem illud quod Beneficium est & à Deo *Benefactore*, & *Dispositio libera* ut à Deo *Proprietario*, est etiam præmium ut à Deo *Rectore*; & nunquam hi respectus in *præmio* aliquo separantur.

4. Mosaicæ Legis promulgatio neque Librum neque Legem aliquam naturæ irritam fecit, neque subditos à Creaturarum studio avocavit, neque Legis naturalis obligationem ullam dissolvit.

4. Etiam *Providentiæ Divinæ actiones*, res mutando, naturam Legis in tantum obtinent, in quantum Voluntatem Divinam de hominum officiis præstandis significant.

5. Sp. Sanctus neque fidelibus sub Lege Mosis omnino denegatus est; neque in eminenti illo gradu, quo Christianis sub Novo Testamento donatus; sed gradu illo quo Gratiæ media sub Vet. Testamento à gradu mediorum sub Novo Testamento differebant, ipsam etiam Gratiam Vet. Test. à Gratia Novi distuliſſe probabiliter

liter tenendum est. Deus enim juxta aptitudinem mediorum à seipso ordinatorum, suam Gratiam illuminationis, vivificationis, conversionis) ut plurimum impertit; Ad hunc enim usum illa media instituit.

6. Gratiæ autem, hujus mensura non juxta Prophetarum extraordinarias revelationes æstimanda est, sed ex gradu communioris *Luminis* & *Sanctitatis*, & *vitæ spiritualis*; In quibus quoniam status Christianorum Evangelicus antecedenti Judæorum præcellebat, Majorem igitur Spiritus Sancti gradum eos habere judicandum est, tametsi Prophetæ inter Judæos quam inter posterioris ævi Christianos fuêre frequentiores.

7. Quamvis Fœdus primum Adamicum (Innocentiæ dictum) jamdudum cessavit, ex præstationis & justificationis ejus naturali impossibilitate, quum primum peccato violatum est, Lex tamen etiam Adamo innocenti data (*pars scilicet præceptiva*, & aliquatenus punitiva) sine parte *promittente*, seu vitam sub conditione innocentiæ donante, & sub Lege Mosaicâ, & adhuc sub Evangelio, continuata est (ut jam antea dictum est.)

8. Quia verò hominis lapsi adeo obcœcatus est intellectus, ut difficulter jam Libri Naturæ sensum in minutioribus & minùs-claris saltem percipiat, per revelationem supernaturalem & Prophetiam in Lege Mosaicâ, Deus obscura plurima notiora & certiora hominibus reddere dignatus est. Et facile multa ex Lege hâc Judæi possent intelligere, quæ maximi etiam Philosophi sine Lege nunquam intelligebant.

9. Si vel Adamo innocenti non tota Lex Divina in Naturæ signis continebatur; sed præcepta quædam positiva, revelatione supernaturali fuêre superaddita; non mirum est si Lege Judaicâ superaddita talia positiva plurima inveniantur.

10. Optima Legis Mosaicæ distributio mihi videtur esse, 1. In partem *Generalissimam fundamentalem*, quæ est *Ipsum Fœdus inter Deum & hunc Populum*: 2. In *partem Generalem* secundam; *viz. Decalogum*: 3. In partem tertiam, sive *Leges omnes Particulares*, vel prioribus superadditas, vel sub illis modo tantum Generali contentas.

11. Distributio autem quæ fit in Legem *Moralem, Ceremonialem* & *Politicam* mihi confusa videtur, & minùs apta, & quoad *terminos*, & quoad *sensum*. Nulla etenim est *Lex non Moralis*, scilicet, & *Morum Lex* est, & *Instrumentum Morale gubernandi*. *Omnis* item *Lex Judaica* fuit *Politica*, ad Politiam scilicet illam, quâ talem regendam ordinata, secundum quam & à Deo & ab inferioribus judicibus officialibus de reis erat judicandum. *Ceremoniales* autem fuêre partim de *Cultu Divino*, & partim de *rebus communioribus* humanis.

12. Juxta Methodum verò *Decalogi* aptè quidem Leges omnes subordinatæ particulares dividuntur, In 1. Leges de officiis immediatè erga Deum, (ubi & ceremoniales & aliæ positivæ hujus speciei.) 2. In Leges de officiis erga Proximos, (1. In statu regiminis (ubi Politicæ.) 2. In statu æqualitatis.) 3. In Leges de officiis immediate erga *nosmetipsos* (plerumque in Natura præsuppositas.)

Elucidationes Cap. 10. § A. Sect. 2. *De Fœdere Mosaico.*

1. *Fœderis Particularis* duplex fuit Editionis quasi *Species* vel *Modus* Prior circa *Politiam Judaicam in fieri*, eam quasi fundans & instituens: Et modus sive fœderatio hæc itidem duplex fuit (ut dictum est:) Altera cum Abrahamo, Isaaco & Jacobo; Altera vero cum Populo Politiam jam ineunte per Mosen. Fœderatio modi secundi fuit tantum subordinata in diversis Politiæ mutationibus; Cujus duæ fuêre instantiæ maximè notabiles; Prior cum Populo Regibus jam subdito, præcipuè autem sub Davide, & cum ipso Davide ut populi capite, de Messia ex semine ejus proventuro: Posterior cum Populo jam è captivitate Babylonicâ redituro vel redeunte, de qua vide Joh. Ball de Fœdere differentem: Quibus ad tempora usque Messiæ largiorem Deus gratiæ spiritualis mensuram promittit, quamvis prosperitas eorum temporalis priore aliquanto minor fuit; Quam pro-

promissionem proculdubio Deus ipsis præstitit, quamvis statum Judaicum valde corruptum Christus incarnatus invenit. Quoniam autem hic modus fœderandi posterior, fuit tantum priori subordinatus, & cum pluribus etiam regibus particularibus & aliis aliquomodo factus, & ad fœderis prioris administrationem pertinet, ideo in Tabulis hæc fœdera personalia aut particularia ferè prætereo, & actis Dei Leges ferentis vix annumero, sed tantum sub administrationis partibus ea breviter perstringo.

2. Fœdus Mosaicum non fuit sicut Adamicum, *Innocentiæ* seu *operum perfectorum* fœdus: 1. Deum enim conditionem jam naturaliter impossibilem, (Innocentiam scilicet) à fœderatis requirere minime putandum est. 2. Idem fœdus quod Abrahamo prius factum erat, cum semine ejus jam renovatum est; sed fœdus Abrahami non fuit Innocentiæ fœdus: Ergo neque Mosaicum. 3. Fœdus illud per quod beneficia magna & plurima donantur, & jamjam peccatoribus, & postea peccaturis, non fuit Innocentiæ fœdus: Tale autem fuit fœdus Mosaicum: Ergo, *&c.* 4. Fœdus illud in quo Deus & se *Gratiosum, misericordem, longanimem, peccata condonantem proclamat*, & *media* per quæ peccatorum Remissio recipienda fuit, præscribit, non est fœdus *Innocentiæ perfectæ:* Tale autem fuit fœdus Mosaicum - Ergo, *&c.*

3. Descriptio igitur ista conditionis hujus fœderis, [*Quicunque hæc fecerit, vivet in illis*; & *Anima peccans morietur*] non de innocentiâ perfectâ intelligenda est, sed tantum de accuratâ obedientiâ, sicuti sub pœnis diversis fuit requisita. Ob quædam scilicet peccata *mors ipsa* ut pœna temporalis per Legem hanc ut Politicam, minata est; ob alia verò pœnæ mitiores; Quicunque verò hæc peccata erat vitaturus, pœnas etiam certissimè evasurus erat. Peccata juxta Legis sensum, erant punienda. Vitæ autem sempiternæ conditio fuit *vera Fides* seu *Consensus fœderalis*, per *Amorem*, & *legis hujus sinceram obedientiam* operans.

4. Multiplicis scilicet Gratiæ fuit hoc fœdus Mosaicum; *viz.* Et 1. *Gratiæ Universalis Fœderis* cum *genere humano* in Adamo facti. 2. Et *Gratiæ Specialis fœderis Abrahami.* 3. Et *ejusdem Gratiæ*, ut in *populi statu Politico, amplificandæ*, & de facto jam plenius præstandæ. Fœdus etenim Mosaicum reverâ & *fœdus Abrahami*, & *Adami* (posterius) in sese continebat.

5. Deus itidem non simplice, sed multiplice jure hujus Gentis fœderatæ *Dominus*, & *Rector* fuit; Jure scilicet, & *Creationis*, & *Redemptionis Universalis*, & *Electionis* & *Fœderis Abrahami*, & *Liberationis* eorum ex *servitute Ægyptiacâ:* Et in omnibus hisce respectibus *eorum Deus* ab Israelitis æstimandus & recipiendus fuit.

6. Hinc Deus & Mosi & Israelitis alloquens se dicit *Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi*, utpote qui fœdus cum ipsis ictum cum ipsorum posteris jam confirmaturus erat, & præstiturus.

7. Et dum Christus ex hac appellatione colligit mortuorum, & vitam cœlestem & resurrectionem, de Dei nomine ut in sensu fœderali textum verè explicat. Quamvis enim inferiore sensu Deus & inanimatorum, & stirpium, & brutorum & mortuorum, Deus sit; scilicet Creator, Dominus & Gubernator, attamen quandocunque *hominum fœderatorum Deus* appellatur, *Relatio Deitatis* naturæ humanæ congrua essentialiter intelligitur. Eorum scilicet esse *Deum*, est eorum esse, & *Dominum & Benefactorem* ut hominum, & *Rectorem* per Leges seu media moralia: Sicut autem *Rex Britanniæ* non est *Rex mortuorum, brutorum* stirpium, aut *lapidum*, (neque horum *Pater, Amicus, Præceptor* sit aliquis) quamvis eorum verè sit *Proprietarius*; Ita etiam Deus non est *mortuorum* (hoc est, *non-viventium*) *Deus*, id est, *Rex, Pater* & *fælicitas* objectiva rationali creaturæ congrua.

8. Quoniam fœdus hoc *Politicum* fuit, juxta Politiæ ordinem igitur percutiendum erat; Ideoque primò per *populi principes*, & *seniores*, & *Patres familias*; & deinde per *inferiores.*

9. Quamvis omnes servi filii adulti, & inferiores ab heris, patribus & superioribus in fœdus Dei inducendi erant, non tamen sine ipsorum voluntario consensu;

sensu; sine quo ne fœdus quidem mutuum esse potuit: Superiores etenim pro inferioribus adultis, eorum scilicet vel loco vel nomine consentiendi jus nunquam habuerunt. Attamen non-consentientes in domibus suis, vel jure Politico tolerare, superioribus minimè licebat; sed non-fœderati à populo fœderato abscindendi erant: Imò Reges quidam (ut Asa) non-consentientes morte mulctandos judicabant, 2 Chron 15. 13. Quidam tamen hoc interpretantur tantùm de Idolis deferendis, sicut Deut. 13. 9.

10. *Infantes* verò (& *nati* & *empti*) à Parentibus & Proprietariis Deo dedicandi, seu fœdere sacro obstringendi erant; & quia ut non *Intellectum*, ita nec *Voluntatem propriam* in *actu* & fœderationi aptam habuerunt, *Parentum Voluntas* & *Consensus* reputativè *eorum* fuit; & eorum loco spondere Parentum jus fuit.

11. Quamvis *Infantes* Politiæ hujus sanctæ fuere *membra* tantum *imperfecta*, verè tamen & univocè dicta *membra* fuerunt. Neque probari potest aliquam unquam aut Politiam aut Ecclesiam à Deo institutam esse, à rebus conditis ad hunc usque diem, cujus *Infantes* non *membra* & essent, & esse oportebat.

12. Sicut autem plurimorum privilegiorum Infantes naturaliter non sunt capaces, quibus adulti & actu & jure fruuntur, ita status membrorum *Infantilis* à statu adultorum adeo distinguendus est, ut *Consensus Personalis deliberatus & serius ad hunc* ab omnibus exigendus sit; neque Privilegiorum Infantilium Titulus (Consensus scilicet Parentum Infantes Deo dedicantium) ad Privilegia adultorum obtinenda sufficere, æstimandus sit.

13. Hinc patet quomodo *Respublica Judaica & Ecclesia* inter se differebant: *Materialiter* scilicet eædem fuêre: Et quoad *Formam* si *Respublica* largè sumatur, pro *Theocratiâ hâc*, quâ populus etiam ad finem ultimum à Deo regendus erat, *Respublica* hæc *formaliter* etiam Ecclesia fuit. Et si Ecclesiæ nomen largius sumatur pro sancta societate vel populo à Deo, & Ministris ejus instructo & recto, & Deum colente, ipsique obediente in ordine ad temporalem & sempiternam fælicitatem, & Dei Gloriam: In latâ hac, nec impropria significatione, Respublica Theocratica est eadem formaliter quæ & Ecclesia. Sin autem aut *Reipublicæ* nomen arctiùs usurpetur, secundum quid, pro eâdem societate, ut ordine civili ad *fines corporales* seu *temporales* tantum institutâ, aut ut in rebus negotiisque corporalibus seu humanis tantum exercitâ, ita quidem Respublica non est Ecclesia; At nulla talis datur Respublica à Deo instituta, quæ & negotia & fines non habeat altiores; Ideoque hæc notio, est tantum *Conceptus* partialis & *inadæquatus*. Et ita si *Ecclesia* sumatur arctiùs, pro facta societate tantum quatenus Deum immediatè colit juxta prioris Tabulæ Decalogi præcepta, ita etiam Ecclesia non est *formaliter* Respublica: At conceptus hic item quoad eandem societatem est tantum inadæquatus. De *nomine* igitur priùs distinguendum est, & subjectum definiendum, quam de eo hic aut affirmativè aut negativè poterimus prædicare.

14. Sicut autem Homo idem ex *anima* constat & *corpore*, & bonorum & spiritualium & corporalium, æternorum & temporalium capax est; & sicut Decalogus duas tabulas continet, alteram de *Cultu Dei immediato*, alteram verò de *Deo obediendo* in *officiis* erga *proximos* & *nosmetipsos*; Ita etiam & *negotiorum* & *officialium* duo genera in eâdem *Theocratiâ* seu sanctâ societate à Deo instituta sunt *Sacerdotes* scilicet & *Levitæ* qui rebus *sacris* præessent, & *Magistratus* qui communiora regerent, & gladio uniuscujusque generis fontes coercerent: At ambo hi unicam societatem sanctam constituêrunt.

15. Siquis autem hinc colligat, rem ita se habere de jure sub Evangelio, 1. Videat ne ultra instantiæ hujus limites transgrediatur; ideoque ne fidei in Christum incarnatum professionem pœnis corporalibus cogendam esse inferat, quia Fidei & Obedientiæ erga *Deum* professio tunc coacta fuit. 2. De re ipsâ autem, & causarum discrepantiâ, suo loco postea tractandum est.

16. *Fœdus ipsum*, & *fœderis signum*, viz. *Circumcisio*, adeo distincta fuerunt, ut in statu itinerario in Deserto, quando *fœdus* fuit maximâ solennitate promulgatum, & publicè stabilitum & renovatum, *Circumcisio* tamen omissa fuerit: Non tantum

tantum igitur ex *Circumcisione* colligimus, *Infantes* fuisse Ecclesiæ membra : Infantes enim & adulti *non-circumcisi* tunc membra fuêre.

17. Duplex itidem tunc fœderationis modus fuit : Alter *individuorum sigillatim*, qui in *Circumcisione* plerumque factus est : Alter *Reipublicæ*, quâ *talis*, vel plurimorum conjunctim, de quo legimus Deut. 29.

18. Quomodo hoc fœdus à fœdere Novi Testamenti differt, pluribus postea monstrandum est. Hic autem sat erit dicere, quod 1. Gratiæ & *Revelatio* & *Communicatio* in fœdere Mosaico tanto minor & tenuior fuit, quam in fœdere Evangelico, 2. Et Præcepta subditis obedientiæ onera tanto graviora, & opera tanto operosiora imposuerunt, ut merito priùs (quamvis revera Gratiæ fœdus) respectu posterioris *Fœdus operum* vocari possit ; & posterius (quamvis obedientiam sinceram ut absolutè necessariam requirit) respectu prioris *eminenter*, vel per præcellentiam *Fœdus Gratiæ* vocitandum sit.

Quoniam ex jam dictis de controversiis circa Fœdus Mosaicum non paucis facile determinandis satis constat, earum quasdam hic breviter tantum expediam.

Qu. 1. *Utrum Fœdus Mosaicum transgressoribus minatur pœnam æternam ?*

Resp. 1. Fœdus Mosaicum ut à Deo institutum, *Fœdus Gratiæ* tum Universale (cum Adamo & Noacho eorumque semine) ut Partem ejus fundamentalem, renovatum, tum particulare cum Abrahamo & ejus semine, continebat : Ideoq; proculdubio pœnam æternam minabatur finalibus Fœderis Gratiæ violatoribus.

2. Fœdus Mosaicum quâ Lex Israelitarum Politica, considerandum est, 1. Ut Norma *Judicii* humani, scilicet, Regum & Magistratuum ; Vel, 2. Ut Norma *Judicii Divini* : sensu priore dici potest illud non minari pœnam æternam, quia hominum non est istam pœnam infligere : At sensu posteriore dicendum est, etiam pœnam æternam Deum in Lege illâ minari. Et notandum est in Theocraticâ illâ Republicâ Deum ipsum fuisse supremum Rectorem Politicum,& Politeiam illam ad suos fines instituisse : Ideoque ut Legislatorem eo sensu suas Leges condidisse, quæ Regimini Theocratico optime conveniunt ; & quas per judicium suum & executionem peccatoribus exponit. Quandoquidem igitur Israelitarum peccata, & Lege naturæ, & ex Fœderis Gratiæ sanctione pœnali etiam æternas meruêre pœnas, statuendum est, hoc etiam in Legibus Dei Politicis quatenus ab ipso tandem exequendis, esse suppositum, vel inclusum. Lex enim Dei Politica nulla fuit, quæ non fuit Fœderis seu Legis Gratiæ pars adjuncta, & quæ Naturæ Legem non inclusit vel supposuit.

3. Judæi, exceptis hæreticis Saducæis, pœnam futuram Legem Mosis minatam fuisse crediderunt.

Qu. 2. *Utrum Fœdus Mosaicum promisit vitam æternam ?*

Resp. 1. Etiam quatenus *Fœderis Gratiæ* tum universalis tum particularis adjunctum fuit ; sine quo nunquam à Deo factum fuit, neque separatim editum. 2. Itemque quatenus à Deo supremo Reipublicæ Rectore & Judice exequendum erat. 3. Non autem quatenus ab hominibus Dei officialibus exequendum.

Probatur 1. Ex manifesto tenore fœderis Gratiæ, quæ Legis Mosaicæ fuit quasi anima. 2. Ex Natura & Immortalitate animarum cum Natura & finibus Dei Rectoris comparatarum. 3. *Ex quæstione* Juristæ, [*Bone Magister, quid boni faciam ut vitæ æternæ fiam hæres* ?] cum responsione Christi ad Legis sententiam eum remittentis. Ubi clare supponitur *Vitam æternam* etiam in lege aliqualiter promissam fuisse. 4. Clarissimè etiam probatur ex communi Pharisæorum, & aliorum Judæorum (Saducæis exceptis) Resurrectionis fide & expectatione : Pharisæi quippe non nimis spirituales fuêre Legis interpretes ; ex Lege tamen resurrectionem, & vitam futuram expectârunt ; Promissione seu Lege Gratiæ ipsis haud bene intellectâ. Christianos autem Pharisæis laxiores & magis carnales esse Legis Mosaicæ interpretes, haud decet.

Qu. 3. *Utrum Fœdus Mosaicum peccatorum pœnam æternam remisit, an solum pœnam temporalem ?*

Resp. 1. Ut Lex Politica per Magistratus tantum exequenda, pœnas æternas non remittit: At quatenus per Gratiæ fœdus quasi animatum est, itemque quatenus Lex Politica per Deum ipsum exequenda est, pœnarum æternarum remissionem continet.

Hoc patet (ut prius) 1. Ex tenore fœderis Gratiæ. 2. Quia Deus ipse Exod. 34. dum Legem hanc Israelitis tradidit, suum Nomen proclamando, se notum fieri voluit, ut *Deum Gratiosum, misericordem, longanimem, iniquitatem, transgressionem & peccatum ignoscentem*; Quæ de pœnis solùm temporalibus remittendis, haud sanè intelligi possunt.

3. Quia Sacrificia ad peccata remittenda præscripta, ipsius Christi Sacrificii fuêre typi, & eundem suo ordine finem habuêre; & à Christi meritis si fuissent separata, ne remissionem quidem temporalem obtinuissent.

Objicitur 1. *Authorem Epistolæ ad Hebræos copiosè probare, Sacrificia Mosaica peccata nunquam expurgasse.*

Resp. Quod verissimum est, quatenus nuda bestiarum Sacrificia fuêre; Quod cœci Pharisæi somniarunt: At Christi Sacrificium futurum, per ista *præfiguratum & subordinate* ista Sacrificia ut illud Christi præfigurantia, peccata expurgare potuissent.

2 Objicitur, *Paulum sæpe* Legem *à Promissione distinguere,& huic non item* isti *remissionem peccatorum & justificationem ascribere.*

Resp. Non autem hæc distinguebat, ut *dividenda* seu *juste divisa*, sed ut à Pharisæis aliisque Judæis infidelibus *jam actu* interpretatione iniquâ *divisa.* Hi enim fœdus Gratiæ & Promissionem Adamo, Noacho, & Abrahamo factum, non rectè intelligentes, illud fere aut abrogârunt, aut quasi nullum aut inane & carnale quid finxêrunt; Et Legem Mosaicam per se & literaliter consideratam, ut vitæ normam perfectam, mediumque Justificationis & salutis sufficiens, Gratiâ Christi & promissionis neglectâ, prædicabant. Quando igitur carnales hi Legis Mosaicæ Interpretes, eam actu jam fictione suâ à Promissione & Fœdere Gratiæ & Christi Justitiâ nos justificante, divisêrunt, Paulus Legem ut ita male à Gratia divisam, pœnas æternas nemini condonare, neminem verè coram Deo justificare, aut jus ad vitam æternam donare, rectè affirmabat. Paulus igitur Fœdus Mosaicum à Promissione seu Fœdere Gratiæ non separavit, neque separatum voluit, sed male separatum tantum distinxit, & de parte viliore (quasi corporeâ) per se consideratâ, id justè negavit, quod vel totius vel partis nobilioris (quasi Legis animæ) fuit proprium.

Qu. 4. *An Fœdus Mosaicum Sp. Sanctificantem donavit?*

Inter cæteras Fœderis Mosaici ab Evangelici seu Novi differentias, usitatè nimis à viris cætera doctis piisque hæc ponitur; ["Quod Fœdus Evangelicum, non "item Mosaicum, Spiritum Sanctum promisit, & donavit: Et hoc vires ad con- "ditiones præstandas *non dare*, sed in nobis (non hic datas nec suppositas, sed "amissas aut nunquam habitas) requirere; illud verò, & obedientiam præcipere, "& vires ad obediendum dare.]

De Controversiâ hâc etiam ex jam dictis judicare, non erit difficile. 1. Proculdubio *Vita, Lumen & Amor Spiritualis, in sanctâ animæ dispositione consistentia,* per peccatum Adami ita amissa sunt, ut omnes ejus posteri eis orbati sunt, donec per Christi Gratiam restituantur.

2. Malè igitur à quibusdam fingitur, Deum aut cum Adamo lapso, aut cum Noacho, aut Abrahamo, aut Mose & Israelitis, aut quibuscunque lapsis aliis, fœdus aliquod percussisse ex, aut cum suppositione hujus sanctitatis non-amissæ; & in quo, quasi integro, & innocenti homini obedientiam imperavit, aut præmii conditionem qualemcunque imposuit, sine Gratia, naturæ viribus præstandam. Hoc enim Deo omniscienti, sapientissimo, justissimo, optimo, à sobrio nemine imputandum est. Neque imputationem talem justificant, qui dicunt hoc ideo à Deo factum esse, ut peccatores convinceret, & ad Gratiam Christi quærendam impelleret. 1. Enim hoc Deum unquam actu feciisse nunquam probatum est: Frustra igitur de fine quæritur, ubi factum non potest probari.

2. Contrarium

2. Contrarium facillimè probatur: Deum scilicet nullum nisi Gratiæ fœdus cum homine lapso unquam pepigisse: Ubi peccatum in esse & futurum præsupponitur, & ad ejus remissionem & medelam remedia proponuntur, ibi Fœdus Gratiæ dicendum est: At in Fœdere Mosaico (*e. g.*) ita se res habet: Ergo Fœdus Mosaicum Gratiæ Fœdus dicendum est.

3. Quod ab omnibus Dei Fœdus consensu recipientibus necessariò sciendum & supponendum erat, hoc proculdubio per Deum ipsum & supponebatur, & supponendum hominibus proponebatur: At hominem lapsum esse lapsum, peccatorem spiritualiter mortuum, cœcum malum, & miserum donec per Gratiam restitutus fuerit, hoc ab omni Dei Fœdus consensu recipienti necessario sciendum & supponendum est: Minorem probare piget, cum Fœderum Divinorum narrationes, præcepta, promissiones omnes rem extra controversiam in aperto ponunt.

4. Deus Maximus, Sapientissimus, Optimus, ad fines suos ullos mendaciis non eget: Neque mendacii suppositione; multò minùs talis enormis & pernicios, *hominem* scilicet *non lapsum esse*, & *non egere Gratiâ renovante*, sed Legem sine Gratia implere posse: Quasi Deus non mediis hisce melioribus peccatores suæ pravitatis & imbecillitatis convincere potuisset! Caveat quæso ingenium humanum Deo talia horrenda, & probatione omni destituta, imputare.

5. Sin autem hæc minimè supponenda dicatis, tale Fœdus Deum peccatoribus proposuisse fingitis: [v. g. *si vos peccatores, mortui, cæci, mali, non estis peccatores, mortui, cæci, mali, aut sine gratia vosmet vivificaveritis, illuminaveritis*, &c. quod impossibile & est, & semper erit, ego ero Deus vester, &c. Talem etiam promissionem à populo consentiente Deo faciendam esse fingitis [*Nos peccatores, mortui, cæci, mali, sine gratiâ tuâ te toto corde amabimus, Legibusque tuis obediemus.*] An verò tale Fœdus per peccatorem aliquem cum Deo *fieri velletis?* aut sine magno peccato pactum fuisse opinari potestis?

6. Sin autem dicatis [*Neque talem Consensum fœderalem, aut factum, aut faciendum fuisse supponimus. Resp.* Fœderis Mosaici ut à Deo propositi hunc fuisse tenorem supponitis, *v. g.* [*Fœdus meum servate, & Legibus obedite sine gratia, & ego vobis benedicam*, &c.] Huic autem Fœderi proposito, vel consentire populum oportebat, vel non; si non, tum supponitis Deum Fœdus proposuisse cui populus non debuit consentire, & cui consentiendo peccavêrunt: Id est, Deo obedire ipsis peccatum fuit; Quod absurdum est & contradictorium: Sin autem consensum fuisse debitum affirmetis, suppositionem prius negatam itidem affirmatis.

Obj. *Nec voluit nec præcepit Deus, Populum Israeliticum Fœderi Mosaico proposito consentire; sed quum primum propositum erat, suam impotentiam statim fateri; & ad Gratiam suppliciter fugere, & Fœderi Gratiæ soli consentire.*

Resp. 1. Male igitur *supponitur tale fœdus eis propositum fuisse, cui noluit Deus ut consentirent:* Qualis enim fuit illa *propositio*, quæ sine Voluntate & Præcepto consensûs fœderalis facta fingitur? 2. Consensus populi fœderalis huic Fœderi Mosaico à Deo ipso clarissime & sæpe imperatus fuit; & ab ipsis solenniter Deo approbante factus, sæpeque repetitus; & ut sincerè ab ipsis fiat & præstetur à Deo per Moysen sæpissime moniti *fuêre*; & promissio eorum ut bene facta laudata fuit. Imò Rex Asa postea laudatur quod Fœdus recusantes morte plectere decrevit.

Obj. *Lex data fuit per Mosen: Gratia autem & veritas per Jesum Christum.*

Resp. Lex ipsa quâ præceptorum systema, & ut à Fœdere Gratiæ per Judæos male separata, nec fuit Veritas, id est, Res typis adumbrata, neq; gratiam dedit; At Fœdus Gratiæ Mosaicum cui Legis præcepta fuêre tantum partes adjunctæ, gratiam dedit, & Christum Veritatem promittendo, & typis adumbrando præmonstravit.

Ad quæsitum igitur dicendum est, 1. Deum nunquam Legem Israelitis dedisse quæ Fœderis Gratiæ & Universalis & Peculiaris (Abrahami) pars non fuit, & ut pars à fœderatis non æstimanda. 2. Pars hæc, systema scilicet præcep-

torum & rituum) male à carnalibus Judæorum doctoribus avulsa, quasi exanimata & litera mortua ipsis facta est. 3. Quâ talis (sine Christo ab infidelibus ficta) nec Gratiam dedit, nec Gloriam promisit. 4. Vero autem sensu quo à Deo factum & à populo accipiendum erat, Fœdus Mosaicum & Gratiam & Gloriam dedit. 5. Sicut autem minus clarè res æternas revelavit, ita modo & gradu inferiore Gratiam Spiritus Sancti sub illo Fœdere Deus communicavit: At Christo incarnato, & in cœlos ascenso, vita æterna & immortalitas (non primò sed plenius) in lucem quasi prolatæ sunt; & juxta proportionem Revelationis fuit proportio Gratiæ Spiritualis: Minor scilicet sub Lege, & major sub Evangelio (ut sæpe jam dictum est.) 6. Ideoque eximius hic Spiritûs Sancti, Gradus, sub Evangelio donatus, non raro in N. Testamenti literis *κατ' ἐξοχὴν, Spiritus Sanctus*] dicitur; quasi non antea sub Lege ita donatus: Et in hoc sensu Spiritus Sanctus (ad speciales scilicet donorum & Gratiæ sanctificantis gradus) à Christo fidelibus promittitur & donatur: Et dona hæc eminentiora & plenior sanctificatio, sunt Christi pignora & testimonia, & Spiritus Sanctus hæc operans est Agens & Advocatus ejus in fidelium animis: Et in fidem Spiritûs Sancti, quâ talis Advocati Christiani omnes baptizantur: Et de donis hisce extraordinariis & magis eximiis sub Evangelio, loquuti sunt illi in Act. 19. quando dicunt, *se nondum audivisse esse* (id est, dari) *Spiritum Sanctum*. De hisce autem plura suo loco.

Elucidationes Cap. 10. § A. Sect. 3. *De Circumcisione plura.*

1. *Sacramenti* nomen quamvis non in Ecclesia simpliciter necessarium, utpote non originis aut pure Divinæ, aut Ecclesiasticæ, sed profanæ, ad res tamen sacras non malè adaptatum est, & legitimè in usu Ecclesiastico accommodatum.

2. Utrum Circumcisionis ritus ante institutionem Divinam in Fœdere Abrahami, alicubi gentium in usu fuit, nullius ferè momenti est, quod inter Theologica dignoscatur: Si enim pars affirmans certa foret, non minus certum esset, Circumcisionem istam profanam seu extraneam, totâ specie à Circumcisione Judaicâ differre.

3. Quare Deus *Præputii abscissionem* elegit, quæ signum foret sui fœderis, rationes à Deo postulare non est subditorum: At in ipsa rei naturâ hæ probabiliter se ostentant; 1. Ut ita peccati originalis labem per generationem contractam confiterentur. 2. Et ita Salvatoris & Regenerationis necessitatem palam agnoscerent. 3. Imò ut se jam fœdere & animi proposito firmo, corde circumcisos, id est, regenitos, & ad carnalem concupiscentiam mortificatos, profiterentur. 4. Ut fidem item profiterentur in Deum qui semen Abrahæ se multiplicaturum, & semen sanctissimum, *viz.* Messiam ab ipso oriturum promisit.

4. In Circumcisione sicut duæ sunt *Personæ*, vel *Partes foederatæ*, ita & utriusque operis item sua pars fuit. 1. *Dei* opus fuit (per se & per ministrum) (post signi & fœderis institutionem,) consentientem peccatorem in fœderatorum numerum recipere; id est, hypocritas in Ecclesiam Visibilem, & vere consentientes in Ecclesiam regeneratorum, & in numerum adoptorum. 2. Et jus ad beneficia seu privilegia fœderis, (protectionem scilicet, proventum, justificationem, auxilia Spiritus Sancti, & cœlestem hæreditatem) solenniter & obsignatum per investituram tradere. 2. *Circumcisi* pars erat, 1. Deum Redemptorem & Promissorem agnoscere, suum scilicet Dominum, Rectorem, Amatorem, & *fidem* in ipsius Veracitatem & Verbum profiteri, etiamque *obedientiam* ut ipsi & Legibus suis debitam. 2. Consensum fœderi profitendo, Deum Redemptorem, ut Dominum, Rectorem, Benefactorem (& Amabilissimum) relativè Recipere; ut seipsum Deo correlativè vovendo absolutè tradere: Beneficiorum itidem fœderis Jus gratè acceptarè. 3. Et actualis Amoris & obedientiæ praxin abhinc incipere.

5. Quoniam

5. Quoniam Circumcisio non fuit signum *Fœderis Universalis* (cum Adamo & Noe factì) *quâ talis*, sed *Foederis Abrahami specialis* & *universalis* tantum ut additamentis Abrahamici fœderis locupletati, (ante Fœdus enim Abrahæ extitisse non legimus,) & ita *non tantum ad Foederis universalis conditiones præstandas*, sed etiam ad Legem Mosaicam observandam obligans; Apostolus Paulus ideo rectè colligit, circumcisionem cum Politiâ Judaicâ cessare, & circumcisionis receptionem reverâ esse sui obligationem ad Legem Mosaicam totam præstandam.

6. Hoc autem loquitur, non de aliquali circumcisione alterius speciei, (qualis hodie Abassinorum est) aut *materialiter* de actu externo solo; sed de circumcisionis eâ specie, quæ à Deo cum Lege, populo Israelitico tradita est, & de circumcisione Abrahamicâ ut Mosaicæ conjunctâ: Et à Deo ipso descripta, & ità à populo recipiente interpretanda fuit.

7. Quoniam autem in Fœdere Mosaico hærere, est Messiam adhuc expectare, & eum Incarnatum, mortuum, resuscitatum esse negare, & liberationem ab onere Legis Mosaicæ non recipere; ideo meritò dicit Paulus, *Christum nihil ipsis profuturum, qui circumcisi fuerint*; utpote qui Christi Gratiam, & liberationem repudiaverint.

Elucidationes. Cap. 10. §. A. Sect. 4. *De Paschate.*

1. QUia mortalium Voluntas est mutabilis, & omnes ex peccati reliquiis propensi nimis sunt ad Apostasiam, ideo Deus post primam nostram fœderationem & votum, idem fœdus sæpissimè novandum seu iterandum statuit: Ideoq; Pascha præter cætera) ut Sacramentum *foederis iterati* ab ipso institutum erat.

2. Et ipsa Liberatio ab Ægypto, & Agnus Paschalis hujus liberationis signum memoriale, Christum servatorem, & innocentis ipsius mortem, sacrificium & communionem, procùldubio ex intentione instituentis præfigurabant.

3. *Aspersio sanguinis*, & *esus Azymorum* ad Sacramenti Integritatem pertinent. Et Azymorum *Esus* subitaneam, & inexpectatam liberationem, temporis momento scilicet à Deo præstituto, & inde liberatorum festinationem significat.

4. Sacramenta hæc primaria Judæorum in domibus, non autem in Synagogis aut publicis cœtibus erant celebranda; ut inde Israelitæ recordarentur se non adhuc in publicam Politiam à Deo ordinatos fuisse, sed inferiorem & magis privatam vitam egisse, & ut inde ipsorum promotionem & electionem in Populum Deo peculiarem, & Theocratiam grato semper animo commemorarent. Quare autem jam aliter sub Novo Testamento à Christo de Sacramentorum celebratione institutum est, suo loco postea explicandum est.

5. Qui flagitiosorum etiam jus ad fœderis Sacramenta & beneficia externa, hinc colligunt, quod totus populus Israeliticus fuit fœderatus, & inter ipsos plurimi scelerati, non observare videntur, 1. Quod fides ipsa salvifica, & non tantum inferioris cujusdam speciei fides) ab omnibus fœderatis professa erat. 2. Quod pœnitentia vera pro peccatis admissis ab omnibus fœdus in Paschate (vel aliter) iterantibus itidem professa erat. 3. Quod juxta Legem Dei scelerati qui enorme quodcunque flagitium perpetrarunt à populo abscindendi erant, & ut plurimum morte mulctandi; Imò & præsumptuosi, rebelles & impœnitentes etiam in peccatis materialiter non adeo gravibus: Sin autem per incuriam aut iniquitatem Legis punitivæ executio non facta fuit, non inde impunitorum jus ad Sacramenta colligi rectè potest. Cætera nullâ egent elucidatione.

Elucidationes Cap. 10. § A. Sect. 5. *De Decalogo.*

1. LEgis Divinæ summa contractissima, est AMOR, DEI scilicet, & PROXIMI, & ordinatus SUI-IPSIUS.

2. Sicut in AMORE seu *Paternitate* Dei, ut Relatione perfecta, includitur semper

ſemper, *Dominium* & *Rectoratus*; ita in AMORE noſtro erga Deum ut *ſummâ* Religionis includitur ſemper *Reſignatio* qua agnoſcimus eum *Dominum*, & *ſubjectio* quia Deum Rectorem ſupremum agnoſcimus.

3. Decalogus ideo *Amoris ſui-ipſius* & jus officiorum qua talium non meminit, quia ut Inclinatio neceſſaria naturaliter ipſis facultatibus, & aliquatenus inſeparabiliter inſita, præſupponitur in Legis promulgatione ſupernaturali, utpote quem aut voce aut ſcriptis hominibus præcipere non uſquequaque opus erat. Hujus tamen Amoris, ut inordinati regulatio, & in ordinem debitum reductio, imò & ad actus ſpirituales & maximos excitatio, per media etiam ſupernaturalia neceſſaria ſunt; Quæ etiam in aliis Legis partibus, præcipuè verò poſtea in Evangelio, Deus affabrè & directè præſtitit.

4. Videtur etiam ideo *Amoris* hujus officia non formaliter hic fuiſſe memorata, 1. Quia ipſe etiam Decalogus apertiſſimè ut Lex *Politica* data fuit. 2. Et quamvis ad fines etiam *ſempiternos* ei obediendum erat, hic ſenſus tamen & illi fines minus clarè ſunt expreſſi, donec vita & immortalitas à Chriſto per Evangelium in lucem ſunt prolatæ. 3. Et quoniam ad fines temporales & politicas Amor-ſui-corporei ſeu ſenſitivus, ut plurimum in uſum venit, (quem coercere potiùs quàm excitare neceſſe eſt;) Et Amor-ſui *ſpiritualis* ad fines præcipuè cœleſtes exercetur; de *hoc* igitur, ſicut & de ejus *fine* hoc cœleſti, obſcurius & parcius in Lege Moſaica quam in Evangelio tractatur.

5. Apprime autem notandum eſt, quod quamvis hic *Amor ſui*, cum ejus fine, & operibus in Decalogo non directè, & formaliter exprimitur, *Materialiter* tamen ſub *forma operum Amoris Dei & proximi*, omnia quæ Deus aut in Decalogo aut alibi nobis præcepit, Amori-ſui-ipſius optimè ſubſerviunt, & ad finem ejus, fælicitatem ſcilicet propriam obtinendam, certiſſimè conducunt. Qui enim ſeipſum impenſiſſimè amat, non melius, aut ferè aliter ſuam fælicitatem poteſt aſſequi, quam Deum propter ſe, & proximum propter Deum ſincerè amando, & Amoris hujuſmodi opera præſtando. Imò ſi poſſibile foret aliquem adeo ſui-ipſius Amorem omnem exuiſſe, ut etiam animæ ſuæ ſalutis (qua talis formaliter) omnino oblitus eſſet, & tamen *Deum* qua Deum tota mente, toto corde, totis viribus amare, & proximum propter Deum, & ex hoc ſolo principio, & ad hunc ſolum finem, ſuas omnes cogitationes & opera intendere, proculdubio hic (quamvis ejus immemor) fælicitatem propriam certiſſimo obtineret, & præſtantiſſimè ſuæ ſaluti conſuleret: Hic tamen non eſt ſtatus viatoris, quicquid de ſtatu cœlitûm tenendum ſit.

6. Lex omnis Moſaica *Politica* fuit, (ad Rempublicam ſcilicet quâ talem regendam ordinata;) ſed non *tantum Politica*, ſed etiam ad animarum ſalutem ſempiternam deſtinata: Sin autem *Politicæ* nomen largius ſumatur, (nec impropriè) pro Divino Reipublicæ Regimine pleno, ultimum etiam, & Legiſlationis & obedientiæ finem continente, tunc & in hâc & in unaquaque Theocratiâ, dicendum eſt Legem omnem eſſe tantum *Politicam*, & *Politicam* & Naturalem differre tantum ut *Totum* & *Partes*. Nulla quidem Lex publica eſt, quæ non eſt Politica, id eſt, inſtrumentum Regendi ſocietatis vel Corporis Politici partem ſubditam: Quædam autem ſunt Leges quæ non ſunt *Naturales*, id eſt, ex Revelatione naturali Divinæ Voluntatis, ſed ſupernaturales, id eſt, per ſigna ſupernaturalia inſtituta.

7. Lex Politica eſt vel *Univerſalis* vel *Particularis*, ſicut Regnum Divinum etiam diſtinguitur. Lex *Naturæ Communis*, (ut & *Gratiæ Univerſalis*) eſt Lex *Politica Univerſalis*, utpote ad *Regnum Dei Univerſale* (in homines) regendum ordinata: Lex *Moſaica* qua talis fuit Politica *Particularis*, quia ad Rempublicam illam *Particularem* ſpecialiter Theocraticam regendam, facta eſt.

8. Lex Politica in Theocratia item duplex eſt; *viz.* vel quâ *Deus ipſe ſolus* ut *Judex ſupremus* rempublicam regit, ſecundum illam uniuſcujuſque cauſam judicando; vel quâ *Magiſtratus* & alii Divini *Officiales*, rempublicam ſubordinatè adminiſtrant, & quæ ipſis eſt *Regula judicandi:* Et ſenſus hic Legis Politicæ eſt arctior, at communior in ore & ſcriptis doctorum; Quamvis reverâ omnis

Reſpublica

Reſpublica deberet eſſe *Theocratia* (tametſi Deus non omnem modo ſupernaturali per *Prophetiam* regeret;) & quæ non eſt *Theocratica*, *Reſpublica* dicitur tantum *Analogice*, vel *ſecundum* quid: Et omnis Theocratia ex Deo ſupremo Rege, & ſubditis eſſentialiter conſtituta eſt; & ſine *Deo Rege*, Rex nullus *Dei officialis* eſt; ideoque Rex tantum analogice aut ſecundum quid.

9. Utroque ſenſu Decalogus fuit *Lex Politica*; ſecundum quam & *Judices officiales* temporaliter judicarent, & cujus violationem pœnis corporalibus coercerent, & Deus etiam Judex ſupremus finaliter judicaret, & in vita præſenti ſcilicet & futurâ.

10. Qu. *Quare Decalogus negative loquitur plerumque per modum prohibentis?*

Reſp. quia ut Politica, ad uſum Judicum adaptatur, qui de talibus facile poſſunt judicare, *&c.*

11 Qu. *Utrum omnia quæ in Decalogo inveniuntur ſunt de Revelatione & Lege Naturæ?*

Reſp. Pleraque, non omnia, *e. g.* 1. *Deum Iſraelitas è terra Ægyptiaca eduxiſſe, & è domo ſervitutis*, non eſt Revelationis naturalis; neque Deum ſub hâc ratione ut Iſraelitarum ſpecialiter Deum colendum eſſe; (Niſi *Naturalem* hanc vocabis Revelationem, quia Effectus naturales, ſive Phyſici fuere, qui per miracula ſupernaturaliter ſunt producti.)

2. A plurimis etiam dubitatur an ex Lege merè naturali ſit, quod *Deus poſt* peccatum & condemnationem Legalem peccantium, in tantum peccata remittit, ut *ſe Miſericordem* declararet *millenis generationibus ipſum amantium, & præcepta ejus* (jam data) *obſervantium.* An hoc fœdus omnibus factum ſit, à quibuſdam in dubium vocatur; An autem Revelatione merè naturali omnibus promulgatur, à pluribus; At per media *tantum naturalia* hoc fœdus fuiſſe fundatum, factum & obſignatum, à Chriſtianis ferè omnibus negatur.

3. Idem etiam dubium oritur de differentiâ illâ inter Miſericordiæ & Juſtitiæ demonſtrationem, quæ comparatione Generationum mille, *ad tertiam & quartam*, indicatur.

4. Septimo quoque die precisè ſabbatizare, potiùs quàm ſexto vel octavo, non eſt ex Revelatione & Lege purè naturali.

5. Gradus Requiei hujus corporalis, ut ſcilicet *nullum opus* in Sabbato præſtetur, plus aliquid quam quod merè naturale eſt in ſe continere videtur.

6. Diſtinctio Iſraelitarum à peregrinis, & Bruta animalia in Sabbato non labore aliquo eſſe exercenda (*e. g.* Canem in veru circumagendo,) non ſunt de jure merè naturali.

7. Deum cœlum & terram ſex diebus creaſſe, & ſeptimo quieviſſe, non eſt Revelationis naturalis.

8. Hanc etiam eſſe rationem quare Deus diem ſeptimum ſanctificavit, non videtur eſſe de revelatione naturali.

9. Non eſt *Lex Naturæ*, quâ longævitas in Terra Canaan quinti præcepti obſervatoribus promittitur.

Porro ſi nihil in Decalogo eſſet niſi quod merè naturale eſt, vix dixiſſet Apoſtolus Legem in tabulis lapideis datam eſſe abolitam (de quo poſtea)

12. Qu. *Utrum Tota Lex Naturæ in Decalogo contenta fuit?*

Reſp. Imò: ſicut ſpecies continetur in Genere, quod ſupponit ipſius ſpeciei diſtinctam ſpecificam Eſſentiam: Non autem quaſi Præceptum Generale officia omnia ſpecialia in eſſe debito inſtitueret, ſine Præceptis ſpecialibus; Si Præceptum ſecundum dicat [*Cultum omnem à Deo inſtitutum ipſi præſtabis.*] Hoc ſolum ſine Lege alterâ particulari, ad Circumciſionem, Paſcha, Baptiſmum, Cœnam Domini, *&c.* celebranda, neminem obligat. Et Lex de Circumciſione, *e. g.* non ideò propriè includitur in Lege Generali, quia præſupponitur. Neque idem eſt præmiſſorum tantum *unum* ponere, unde jus aliquod concludendum eſt, quod *ambo* ponere, aut ipſam concluſionem immediatè revelare.

Hiſce præmiſſis reſpondeo per inſtantias: ſequentia per *Decalogum Moſaicum ſolum ſimpliciter*, ſine Lege aliâ vel Naturali, mihi videntur non *in eſſe debito* conſtituta

constituta esse: 1. Credere Animam esse de eventu Immortalem, seu sempiternam. 2 Credere vitam nobis in cœlis degendam esse, in perfectâ Visione, Amore & fruitione Dei. 3. Credere in inferno perpetuos parari cruciatus incredulis omnibus & inobedientibus. 4. Amare nosmetipsos, amore recto & necessario, qua tali. 5. Curam maximam impendere, de salute animarum nostrarum, potius quàm de vitæ præsentis conservatione. 6. Concupiscentiam omnem carnalem mortificare in ordine ad jam dictam animarum nostrarum salutem: Et corporalem omnem voluptatem, cum divitiis, honoribus, libertate & vitâ denegare & deserere, in ordine ad hanc cœlestem fælicitatem. 7. Ab omni etiam ingluvie, ebrietate, pigritiâ, *&c.* ideo abstinere, quia ad animarum pœnam sempiternam ducunt. 8. Ideo in maximis gaudere persecutionibus, quia magnum nobis præmium manet in cœlis. 9. Precationibus, assiduis uti & ardentibus, ut mediis ad cœlestem hanc hæreditatem obtinendam. Ideo hæc omnia etiamsi *de jure naturali*, in Decalogo omittuntur, quia *Amor sui-ipsius* hic potiùs *præsupponitur* quam *præcipitur*. Omnia tamen jam memorata ibi præcipiuntur, ut ab *Amore Dei*, & *Proximi* profluentia, & ad Amoris illius fines ordinata, quamvis non *formaliter* ut ab Amore sui, & ad fælicitatem propriam cœlestem, nisi tantum ut Lege naturali, præsuppositâ ad hunc Amorem obligatione.

Sicui autem hæ instantiæ suspectæ sunt validitatis, clarior adhuc probatio adest; *viz.* Inter Leges Mosaicas particulares non paucæ sunt, quæ proculdubio sunt obligationis *Naturalis* (uti in Tab. hic videre est) quæ tamen in Decalogo nisi generaliter, non inveniuntur. Et Lex Generalis per se, *specialibus* & *particularibus omnibus* non æquivalet. (*e. g.* Leges de gradibus ad conjugium illicitis, *&c.*

13. Qu. *Utrum Lex Mosaica qua talis, totum genus humanum, vel Gentes exteras obligat?*

Resp. Minimè: 1. Eadem quæ in Lege Mosaicâ imperantur, si naturalis & communis sint juris, quâ naturaliter promulgata, omnes obligant; non autem quatenus à Mose aut per Mosen latæ sunt Leges aut conscriptæ. 2. Quæ verò Leges merè Positivæ fuerunt, vel supernaturalis revelationis, neque formaliter neque materialiter Gentes exteras obligarunt. Probatur, 1. Quia Legis hujus Mediator ministerialis (Moses scil.) Judaicæ Gentis proprius fuit. 2. Quia fundamenta Legis (fœdus Abrahami quatenus de semine loquitur naturali, & Liberatione Ægyptiacâ, & Politiâ Israelitica peculiari) sanctæ genti fuere appropriata. 3. Quia plurima in Lege expresse de solis Judæis, etiam ut ab aliis distinctis, sunt intelligenda. 4 Quia Lex illa non omnibus, vel aliis mundi Gentibus promulgata est; Et Legis non promulgatæ nulla est obligatio. 5. Quia Paulus Apostolus copiosè probat, Gentiles ad Legis Mosaicæ observantiam non obligari; Ideoque non ipsis sicut Judæis aut cessasse aut abrogatam esse.

2. Non tamen diffitendum est, *Proselytas* quodammodo *Justitiæ* scilicet, & *Ad Portas* diversimodè) qui vel Politiæ Israeliticæ se adjungere vellent, vel inter Israelitas ut incolæ vel advenæ commorari, respectivè ad Leges Mosaicas observandas obstrictos fuisse.

3. Et quamvis individui quidam ad hanc conjunctionem Proselytarum fuêre obligati, idem tamen de omnibus non est judicandum. Neque omnes mundi Respublicæ unquam fuêre obligatæ, ad peculiarem formam Israeliticam suscipiendam, aut ad observantiam *omnium* Legum Mosaicarum (aut *ullius* quâ talis) in se recipiendam

4 Omnes autem quibus innotuit Revelatio Divina Israelitis facta, traditione aliquali sufficienter credibili, jure naturali fuêre obligati ad inquisitionem diligentem faciendam, ut & Deum verum rectiùs scirent, & omnia in illis Legibus quæ ad ipsos pertinerent, probè cernerent & tenerent.

14. Particularem Præceptorum Decalogi explicationem hic prætereo, quia sub fœdere Evangelico iterum consideranda sunt.

Elucidationes

Elucidationes Cap. 10. § A. Sect. 6. *De Legibus Mosaicis particularibus.*

1 OMnes Leges Mosaicæ particulares sub Decalogo cadunt, ut speciales sub Generali; Ad illum igitur ita sunt reducendæ; neque Cerimonialibus, neque Politicis aliquibus exceptis.

2. Qu. *An Leges Mosaicæ officia cordis erga Deum & Proximum imperant?*

Resp. Etiam; Amare Deum & Proximum, quæ sunt Cordis opera primaria sunt earum summa: Et in Legibus omnibus particularibus ut *Principia* & quasi *Anima* obedientiæ supponuntur. De illis autem non Magistratus, sed Deus solus potest judicare.

3. Qu. *An Leges illæ Morales, Ceremoniales aut Politicæ, tunc primò à Deo latæ sunt? vel potius renovatæ, ordinatæ, & ad Statum Politicum, Israelitarum accommodatæ?*

Resp. 1. De moralibus strictè sic dictis, Legibus scilicet communis naturæ, non est dubitandum, quin ab initio rerum humanarum eædem fuêrunt. 2. Ceremoniales item non paucæ per Mosen tantùm *renovatæ* & *illustratæ* sunt: De *Sabbato*, de *sacrificando* & *offerendo*, de distinctione animalium *mundorum* & *immundorum*, *de sanguine non edendo*, res ipsa patet. Fortasse etiam ex aliis quamvis in Sacris Literis jam extantibus non priùs nominatæ, multæ tamen priùs sunt institutæ & observatæ. 3. De Politicis etiam idem sentiendum est. 4. At certum est & Ritualia & Politica non pauca per Mosen primo fuisse introducta, & quæ prius instituta fuere ordinatione quadam novâ ad Israelitarum statum per Mosen fuisse accommodata.

4. Lex igitur Mosaica partim *nova* fuit, at & partim (imò ex parte fundamentali & stamine totius Legis) *antiqua restaurata* & illustrata.

5. Post lapsum enim humanum, & Fœdus Gratiæ primò factum, haud dubitandum est quin Rector supremus, Fœderis author, & voluntatem suam rectricem generi humano satis clarè & plene patefecit, & beneficia motiva apertè satis obtulit & promisit; At Dei & hominum inimicus per peccatum proh nimium prævalebat, & mundum ad Leges Divinas, corrumpendas, violandas & temnendas pellexit; & ita ad Universalem ferè apostasiam: Post diluvium item & Fœdus cum Noacho renovatum, Mundi deprivatio, Legis & Cultus Divini corruptio, oblivio, & contemptus citò nimis & ferè universaliter obtigit: Fœdus igitur & Abrahamicum & Mosaicum fuit fœdus Reformationis, Religionem à statu depravato restaurans, & Leges & Cultum Divinum quasi postliminio restituens, & à corruptione & oblivione vindicans.

6. Non omnino absimilis fuit status Reformationis Abrahamicæ & Mosaicæ quoad corruptionem Mundi Idololatricam, statui Reformationis Protestantium quoad corruptiones Papisticas; nisi quod in priore, non autem in posteriore, Politia nova particularis instituta, & novæ quædam Leges factæ sunt, & fœdus peculiaritatis cum unicâ illâ gente ictum est. Ipsius Christi etiam Reformatio, quâ sordes Pharisaicæ corruptionis expurgabat, Abrahamicæ & Mosaicæ ut perfectior successit, & Reformationi Potestantium per modum regulæ præcipiendo viam stravit, eamque necessariam fecit, corruptione Papisticâ suppositâ.

7. Mirandum videtur cur Deus peculiarem suum populum tanto ceremoniarum onere onustum esse voluit? quandoquidem Cultus spiritualis Deo Patri Spirituum semper congruus fuit & acceptus?

Resp. Etiam tunc cultus spiritualis ut maximè necessarius ab omnibus Deo offerendus erat: Deum enim toto corde amare summum præceptum erat; At corpore etiam Deus est colendus: Et quia rudes & nimium carnales Israelitæ ad cultum spiritualem Deo rectè & constanter præstandum minùs idonei fuerunt, Deus strictius illum exigebat ad visibilem ejus honorem, quod præstare potuerant: Non autem ut hypocrisin exercerent, sed ut ex stricto illo cultus externi mandato, cordis officia & cultûs interni necessitatem colligerent. Cum

enim Deus omnes carnales immunditias à populo ſuo tantâ curâ amandandas voluit, quis non omnino excors non percipere poſſet, quantâ curâ animarum puritas cuſtodienda erat? Et cum Deus ſuum Tabernaculum, Arcam, ſacrificia, oblationes, Sacerdotes tantâ ſanctitate voluit veneratos eſſe, quam facile colligi potuit quantâ *reverentiâ* & *Mentis Sanctitate* Deus ipſe colendus erat? & quamvis quoad ipſorum ſalutem Deum fruſtra colunt hypocritæ, qui corde procul abſente ſolis labiis eum appropinquant, ad Dei ipſius tamen honorem & ſpectantium bonum non omnino fruſtra fit.

8. Qu. *Nonne melior fuit Gentium aliarum ſtatus, quæ ceremoniarum hâc mole non erant oneratæ?*

Reſp. Minime: A Deo quippe per apoſtaſiam alienati, per elementa hæc ad illum potius reduci potuiſſent quam per ſola Dei opera naturalia; & in cultu hoc ceremoniali ſanctiorem cum Deo communionem habere potuiſſent, quam in ſtatu deſertionis. Neque Gens fuit ulla quæ Deum adeo propinquum ſibi habuit, quam Iſraelitica.

9. Qu. *Nonne autem melius cum Iſraelitis à Deo actum eſſet, ſi ceremoniis hiſce non onerati eſſent, ſed ſub ſolâ promiſſione Abrahamo factâ gubernati?*

Reſp. Generaliter id optimum eſt in creatis quod Voluntati Creatoris maxime congruum eſt; & eſſe à Deo volitum eſt eſſe bonum: Et ipſis Iſraelitis melius fuit quando in multitudinem creverunt, & in corpus politicum coivêrunt, per Leges illas Politicas, & ceremoniales regi, quam ſine illis modo Abrahamico, qui domo potiùs quàm Reipublicæ adaptatus fuit.

10. Per Chriſtum tamen incarnatum erga Eccleſiam Evangelicam melius adhuc actum eſt, eo quod abrogatis his ceremonialibus, & Lex multo clarior, & regimen magis ſimplex & ſpirituale introducta ſunt: Et neque in tenebris Ethnicorum, neque in nudâ ſpe ſeminis promiſſi cum Abrahamo, neque ſub jugo Moſaico, fideles relinquuntur. Sed Deus ſuorum Dominus abſolutus, & benefactor ſicut ſapientiſſimus ita & liberrimus, nec quoad perſonas, nec quod tempora æqualiter ſua dona diſtribuere voluit; nec quæ ipſis optima forent aut omnibus, aut omni tempore donare.

11. Qu. *Qualis jam Chriſtianis obligatio manet, ad Leges Moſaicas politicas ſeu judiciales quas vocant, obſervandas?*

Reſp. Nulla directè quâ Lex fuit Moſaica: Sed 1. Ad omnia quæ ſunt Legis Naturæ; 2. Aut per Chriſtum in Legem ſuam aſſumuntur; 3. Et ad omnia quæ Iſraelitis præcepta erant ex ratione nobis omnibus communi, nos etiam obligamur: Ex conſequenti enim Dei voluntas de officio etiam noſtro inde colligi poteſt

12. De Sacrificiorum differentiis, ratione, uſu, tot ſcripta ſunt per Franzium, Cloppenburgium, & nuperrime per D. Outramum, & multos alios, & de hiſce & cæteris Moſaicis particularibus tam diſtinctè ab omnibus ferè commentatoribus tractatur, ut illis Lectorem potius remittere viſum eſt, quam de iis hic particulariter ſcribere; partim quia non neceſſarium eſt, & partim quia volumen jam ſpiſſum nimis non parum tumefaceret, & partim quia ſcriptori (ad æternitatem feſtinanti) otium deeſt. Quæ etiam de Typis omnibus Veteris Teſtamenti dicta volo; utpote à pluribus jam ſufficienter tractatis.

13. Quandoquidem homines nimium carnales ad externa & ſenſibilia maxime propendent, & erga inviſibilia haud facile debite afficiuntur, & inter Gentes Idololatricas Iſraelitæ degebant, ad Idololatriam magis propenſi fuiſſent, niſi Deus Sacrificiis & cultu externo eos plurimum exercuiſſet. Ab Adamo enim & Noacho totus mundus ſacrificandi uſum traditione receperat: Et inſtitutiones Divinæ quas Gentes corruperunt, Deus non ſtatim abrogari voluit, ſed reformari, donec in temporis plenitudine meliora ſubrogarentur, & gratia & virtus per Chriſtum veniret, qui Vitam & Immortalitatem clarius revelaret.

Addenda,

Addenda, circa Fœdus Abrahamicum & Mosaicum.

§ 1. Sicut Fœdus Dei Patris cum Christo factum, distinguendum est à Fœdere Baptismali cum fidelibus icto; ita & Fœdus Dei cum Abrahamo ut *seminis sui Parente, qua tali*, distinguendum est à fœdere cum posteris ejus facto, imò & cum ipso qua merè fideli.

§ 2. Abrahami *semini duplici* promissa est benedictio: 1. *Naturali*, circumciso, 2. *Gentilibus, fidelibus* non circumcisis.

§ 3. Fœdus Mosaicum factum est cum semine *circumciso, naturali*, in Politeia constitutis (quibus Gentiles per circumcisionem se adjungere potuissent.) Fœdus *Catholicum* factum est *Gentibus conversis non-circumcisis, fidelibus*, baptizandis; Idque per Christum suo tempore plene statuendum fœderis Gratiæ Editione perfectissimâ & ultimâ.

§ 4. Fœdus hoc Catholicum perfectum cum *semine Catholico* factum, locum habere non potuit nisi quando fœdus Mosaicum abrogandum erat: (Quamvis Fœdus Gratiæ Universale Editionis prioris, Adamicum scil. & Noachicum prius extitit.)

§ 5, Sicut Promissiones clariores & ampliores objecta materialia fuêrunt fidei Abrahami) & ejus seminis circumcisi, quam fidei Adami & Noachi, ita & *benedictiones* hujus fœderis majores fuerunt & illustriores. At benedictiones per fœdus Christianum semini Abrahami non-circumciso datæ adhuc majores fuerunt, sicut etiam hujus fœderis promissiones fuerunt ampliores.

§ 6. Fœdus illud quod à Paulo Apostolo & Jeremia Propheta *Vetus* & *Primum* dicitur, non est aut Fœdus *Innocentiæ*, aut fœdus *Gratiæ Primæ Editionis*, ut cum Adamo vel Noacho factum, nec fœdus *Gratiæ Peculiaris* ut cum Abrahamo factum, quâ Patre fidelium, sed *Fœdus Mosaicum* cum *semine Abrahami naturali* statum Politicum jam ineunte, factum; sicut ex contextu clarè patet. Et [*Primum*] dictum est, non quia *simpliciter primum*; sed quia *primum quod* cum semine Abrahami (in Politeia constituto) factum est; cum Israelitis scilicet circumcisis; [*secundum*] autem [*novum*] & [*melius*] fœdus, cum semine fideli Catholico non circumciso postea per Christum faciendum erat.

§ 7. Male autem à quibusdam asseritur, nullum aliud fœdus ante Abrahamicum à Deo factum esse: aut nullum unde peccatores possent justificari; aut nullum aliud simul cum hoc Abrahamico peculiaritatis constitisse; sicut jam ante liquido probatum est.

§ 8. Male etiam ab iisdem dicitur fœdus Mosaicum non ad fœdus aliquod Gratiæ prius pertinere, neque ullius esse aut pars aut adjunctum: Et pessime ab iisdem dicitur, neminem sub fœdere Mosaico justificatum esse (scil. per fidem:) Vere autem dicitur, *Legem* seu *Fœdus Mosaicum*, *Fide excluså*, neminem justificare.

§ 9. Cum Abrahamum ipsum tunc fide justificatum esse constat, male ab iisdem asseritur eum nullum sub Lege habuisse semen fidele: Quasi solum Abrahamum Deus fide ante Christi adventum justificasset! Cum Paulus Apostolus Heb. 11. plures fide prius justificatos enumerasset.

§ 10. Seculis omnibus Ecclesiæ fides fuit eadem, quâ credebant fideles in Deum Omnipotentem, Omniscium, Optimum, ex Quo, per Quem, & ad Quem sunt omnia, Creatorem, Rectorem, Patrem, Sanctissimum, Justissimum, Misericordem; At articuli de mediis, de Mediatore & mediatione, non semper & ubique iidem fuerunt; sed juxta mutationes reales, & personarum & temporum diversitates in nonnullis mutati fuerunt & diversi.

Cap. 11. § B. *De Gestis subditorum sub hac Administratione.*

Actiones hic perpendendæ sunt, 1. Populi confusè; 2. Principum; 3. Bonorum & malorum distincte.

I. Populus,
- 1. Fœdus Circumcisionis accipiebat, & Dei veri cultum professus fuit.
- 2. Legem Mosaicam reverenter accipiebat, & obedientiam fœdere professus est.
- 3. Ductum Divinum per desertum sequebantur; & Ducibus obediebant.
- 4. Magistratibus inferioribus subditi sunt, & Sacerdotes reverebantur.
- 5. Legem severam utplurimum observabant, & jugum illud tolerabant.
- 6. Deo & promissis ejus & Prophetis aliquousque credebant; et in illis gloriabantur.
- 7. Messiam expectabant, & per sacrificia peccatorum remissiones quærebant.
- 8. Sub Regibus piis, quasi Reformati, Zelum Religionis plerumque sunt professi.
- 9. Post peccata graviora graviter afflicti, plerumque Pœnitentes visi sunt.
- 10. Judæi Deum Verum & Legem, non abnegatione explicitâ deseruêre.

At
- 1. Difficultatibus pressi contra Duces sæpe murmurabant.
- 2. Et Deo ipsi diffisi sunt, & *magnas difficultates* credendo rarò superabant.
- 3. Et per incredulitatem & Carnis appetitum, sæpissimè fuêre præceptis inobedientes.
- 4. Per proximorum prosperitatem & suasiones illaqueati, sæpe Deos alienos coluêre.
- 5. In cultûs Divini Locis & Modis sibimet eligendis, sæpissime & contumaciter peccarunt.
- 6. Sub Regibus malis in nequitiam ruêrunt; & Reformantibus sæpe restitêrunt.
- 7. Terrenam Prosperitatem nimium æstimantes, cœlestia nimium sprevêrunt.
- 8. Inde fide degenere, Messiam ut Monarcham mundanum expectârunt.
- 9. Et Legi fere soli adhærentes, Promissa & Fœdus Gratiæ Universale neglexêrunt: Neque Legis ipsius symbola intellexêre; neque Lege aut Gratiæ subserviente usi sunt (hi degeneres.)
- 10. Ideoque in externa, Ceremoniali, & Carnali obedientiâ, nimium hæsêrunt.
- 11. Prosperitate abusi in superbia, gulositate, ignaviâ, Venere, & oppressione, nimis volutârunt.
- 12. Prophetas falsos adulantes sequuti sunt; Verorum, qui peccatores redarguebant, impatientes.

II. Rectores,
- I. Dum à Deo Electi sunt, fuêre,
  - 1. Viri præstantes, & ad opus Regiminis idonei.
  - 2. Non nimium elati, nec ad pompam, Luxuriam, vel superbiam, populum opprimentes.
  - 3. Neque multos depauperantes, ut opes sibi & posteris congererent.
- II. Reges item nonnulli fuêre pii, Reformatores, bonum publicum promoventes, &c.

At
- 1. Reges Boni fuêre pauci; Iique plerumque criminum quorundam maculis conspurcati.
- 2. Mali Reges fuêre plurimi, Idololatriæ vel cultui illicito dediti, flagitiis deturpati, populum opprimentes, Sacerdotium vitiantes, Prophetas Dei persequentes, & falsos, & adulatores sibi eligentes.
- 3 Sub quibus item Sacerdotes & Magistratus inferiores, plerumque eorundem vitiorum fuêre participes.

III. Distinctio tamen Bonorum & Malorum semper locum habuit.

I. Reges & Sacerdotes quidam fuêre egregiè pii & justi; Prophetæ sancti, & miraculis clari; in populo non-pauci Deo fuêre dediti, & Idola & vitia odio habentes; Promissis fidentes; & Legem spiritualiter observantes, ut *Promissis* & rebus æternis subservientem; aliorum peccatis luctu resistentes; & malorum injurias patienter ferentes.

II. Mali autem fuêre carnales, formales, merè Legales, ceremoniales, contumaces, rebelles, Idololatræ, luxuriosi, avari, injuriosi, crudeles, indociles, bonorum osores, Prophetarum Dei derisores & persecutores; malorum & adulantium amatores & promotores. Præcipuè Jeroboam & Reges Israelis ejus successores, Sacerdotium & Cultum Dei corruperunt; & Regno & propriis commodis studentes, in vitiorum & miseriarum illuviem populum præcipitârunt: Donec tandem Deum ipsum deserentes, ab ipso etiam sunt deserti.

Cap. 11. § B. *Elucidationes.*

§ 1. QUamvis acerbè & vere de Israelitarum criminibus Sacræ Literæ & præcipue Prophetæ sæpe loquuntur, cum de exterorum vitâ & vitiis paucis & parcius agitur, non tamen dubitandum est, quin Ethnici eis multò pejores fuêrunt, & flagitiis turpioribus defœdati; quinetiam inter Israelitas non pauci fuerunt vere fideles & sancti, à quorum sinceritate, & totius populi professione, Gens tota sancta dicta fuit.

2. Legis externam reverentiam fere omnes retinuerunt, & ejus authoritatem Divinam & Sanctitatem prædicabant; Hoc enim ad Gentis honorem pertinere vere putabant; Imò quia Legis literam honorabant, inde in externâ suâ observatione justitiam positam judicabant, & talibus suis operibus nimiùm fidebant: Sicut & adhuc inter Christianos hypocritæ Res Sacras quoad nomen, & externam celebrationem venerantur, qui tamen earum sensum penitus ignorant, & internam mentis Sanctitatem & cultum spiritualem omnino adversantur.

3. In Eremo Deus fidem eorum per multas & magnas difficultates tentavit; ubi increduli in alia peccata & mortem ceciderunt, & in terram semini Abrahami promissam non introiverunt: Quo Deus patefecit promissionem saltem quoad individuos, fuisse conditionalem.

4. Sicut ex omnibus mundi gentibus hic populus non magnus, ut peculiaris & sanctus, & dilectus eligitur, ita ex parvo hoc populo Reges, Prophetæ, Sacerdotes, inferiores, valde pauci eximii fuêrunt, vel probati fideles: unde quantum mundus terrestris peccato fœdatus, Deum deseruit, & à Deo desertus fuit, proh nimium patet; & numerus quantillus à Deo libero suæ Gratiæ donatore, ad Sanctitatem & Gloriam electus est.

5. In omni tamen gente qui Deum timebant, & justitiam operabantur, à Deo semper accepti fuerunt: sine Mediatoris verò meritis futuris nemo Deo acceptus fuit: Ergo non mirum est, si *totius Mundi* Christus dicitur *Salvator*.

6. Nil magis in Regibus & hoc populo in Sacris Literis laudatur quam Deo vero ejusque Legibus adhæsisse; neque aliquid tam grave scelus eis imputatur, quam à Deo ad Idola vel suas imaginationes & inventiones deflexisse. Maximus erat eorum honor quod aliis Gentibus Deo fuerunt propiores, & eorum Regimen fuit eminenter Theocraticum; & ita per Prophetas plerumque eorum Rectores fuêre & electi & edocti: Summo igitur in honore inter ipsos fuêre Prophetæ, utpote Dei nuncii & quasi os. Ideoque tam acerbe à Deo culpantur quod more gentium Regem habere voluerunt, (quia à Regimine magis Divino per Prophetas exercito, ad Regimen magis humanum deflectebant;) & ita à Deo & Theocratia longius discedere.

7. Et quamvis non dubitandum est quin justitiam erga homines, cæteraque virtutes Deus semper ut necessaria requirebat, sine quibus ejus cultus hypocrisis æstimatus fuit; nil tamen in tantum Regibus aut laudi aut vitio vertitur, quam quod sacra vel incorrupta tuebantur, aut ea corrumpebant: A vero Deo enim aut Legibus ejus circa res Divinas discedere, est virtualiter omnia vitia.

8. Sapissime tamen & acriter Deus hypocritas reprehendit, qui pro Lege pro Templo, Sacerdotio, Sacrificiis, & ritibus Zelotes fuêrunt, cum tamen carni & mundanis inserviebant, innocentes opprimebant, & bonorum & Prophetarum non adulantium persecutores erant.

9. Male quidam colligunt, impios & sceleratos in Christianorum cœtibus tolerandos esse, quia inter Judæos tales fuêrunt tolerati: At quod factum fuit, ab eo quod fieri debuit, & præceptum est, distinguendum est. Et summe notandum est (quod in capite sequente ostenditur) plurima scelera juxta Legem Mosis extirpatione, abscissione, morte plectenda fuisse: Morte mulctati autem non in sacra communione tolerati sunt.

10. Hoc

10. Hoc autem fortasse non male hinc colligitur, à vera Ecclesia non temere discedendum esse, quia mali ibi male tolerati sunt.

11. Notandum est sortem populi plerumque Regum qualitatem secutam esse: At sæpius populus malus fuit sub bono Rege, quam bonus sub malo Rege: sæpissime autem mali Reges fuerunt malusq; populus: Et vix invenitur Rex eorum optimus qui lapsu aut vitio quodam turpi non fuit maculatus: Minimus autem notantur Jehosaphat, Hezekiah & Josiah: Davidis autem & Solomonis instantiæ tremendæ sunt: Inter priores autem Rectores, Joshua Dux & Samuel Propheta vix ullâ culpâ in Sacris Literis sunt notati.

12. Ob populi autem peccata sæpe (permittente Deo, non efficiente) Reges mali fuerunt, & boni suis peccatis Reipublicæ mala gravia intulerunt; & optimi (in peccati plebis & Sacerdotum vindictam) citò sunt abrepti.

13. Quando durâ servitute diu castigati fuerunt, idque per hostes Idololatras, Idololatriam postea maxime odêrunt; at loco cultûs spiritualis & veræ fidei, natalium nomine superbientes, & Legi, Templo, gentisque antiquæ sanctitati nimium fidentes, ceremoniis, traditionibus, & formalitatibus superstitiosis hypocritice religiosi & Zelotes facti sunt; & cum Messiam summo desiderio expectarent, ejus officii & gratiæ vere salutiferæ & ignari fuere, & inimici, Mat. 3. 1, 2, 3.

14. Carnales quippe adhuc carnalia, & mundana sapiebant, & dum Messiam Liberatorem mundanum expectabant, promissorum Divinorum spiritualium ignaros se ostenderunt, & verâ fide destituti, verum Messiam respuentes eum rejicientes ab eo sunt rejecti sunt; & à vera Olivâ seu statu Ecclesiastico abscissi, nosque Gentiles, exteri & alieni eorum loco recepti sumus & insiti; non paucis tamen Judæis fidelibus Ecclesiæ jam Catholicæ annumeratis: Et ita totus fidelium Israel salvabitur; Abrahami scilicet omne semen spirituale.

Cap. 12.

Cap. 12. § C. *De Administratione subsequente in Politia Judaica.*

Administratio SUBSEQUENS continet, 1. Judicia, 2. Executiones, 1. Præmiorum, 2. Pœnarum.

I. Judicia fuêre,
- 1. Ordinaria,
  - 1. Civilia,
    - 1. Per Principem :
    - 2. Per Seniores populi,

    Quoad modum,
    1. Secundum Legem.
    2. Per Evidentiam & Testes.
    3. Post defensionem, & examen accuratum.
  - 2. Magis Religiosa; per Sacerdotes.
  - 3. Oeconomica, per Patrem Familias.
- 2. In difficilioribus, per Oracula Sacerdotum, vel per Prophetas.
- 3. In maximis per Deum sine homine, ut dictum est, 1. Per sortem, 2. Per executionem.

II. De Executionis *Modo* sat dictum est in Tab. de Administratione Antecedente. De speciebus.

I. PRÆMIANDO DEUS,
1. Vere consentientes ut suos, subditos, filios recipiebat, & ipsis Deus, id est, Dominus, Rex, Amator in sensu speciali Politico, fiebat.
2. Dispositione, Regimine, favore, juxta fœdus hoc ipsos actu prosecutus est.
3. De Regno Gratiæ & Messiâ Promisso eos erudiebat, per typos, Prophetias, *&c.*
4. Preces eorum exaudiebat, & cultum sincerum ut gratum recipiebat.
5. Circumcisos & ore tantum Profitentes, ut Membra visibilia à Rectoribus recipi voluit, & ad sacra admitti : (Præceptivè, non Promissivè vel Donativè.)
6. Totum Populum gratiâ fidelium ut suum Peculiarem honoravit, protexit, ditavit, sæpissime liberavit, & victoriis & Dominio coronavit.
7. Angelum Ducem & Custodes Angelos ipsis peculiariter concessit.
8. Ritè sacrificantibus Pœnæ quædam Temporales juxta Legis tenorem remissæ sunt (sicut verè fidelibus & pœnitentibus Pœnæ æternæ juxta Fœdus Gratiæ Universale.)
9. Liberos eorum multiplicavit ; & bonorum semini specialiter benedixit.
10. Actus etiam Obedientiæ singulares, singulariter plerumque præmiatus est.

II. Quoad POENAS, DEUS eas modis plurimis executus est,
1. Per Rectores ejus Officiales Legis Pœnas ordinariò exequendas statuit.
2. Mali verò Judices, malè plerumque judicabant, vel Justitiæ neglectu, vel subversione.
3. Quo magis Judicium per Rectores perversum est, eo magis Deus rem judicandam in se recepit.
4. Item in rebus difficilis probationis, vel quando humana testimonia erant falsa.
5. Et ubi per Potentum flagitia, humana puniendi potestas defecit.
6. Et circa cordis secreta, & flagitiorum fontes hominibus ignotos.
7. Et in sceleribus maximis, ubi reatus pœnis omnibus humani judicii major erat.
8. Et in reatu multitudinis, ubi potestas humana animadvertere non potuit.
9. Sæpe per malos Angelos, peste, fame, Deus populum rebellem punivit.
10. Item per varii generis morbos, (Deut. 28.) per feras, serpentes, *&c.*
11. Et per hostium crudelitatem, in bello & per captivitates, & deprædationes.
12. Et per mirandas elementorum & meteorum dispositiones.
13. Per proprias item permissas deceptiones, & per conscientias semet cruciantes.
14. Per divisiones, & contentiones, & bella civilia permissa ; Unionis vinculo soluto.
15. Prophetas item deceptores, maledicis, adulantes, aut malos permittendo.
16. Remotione Bonorum à Malo futuro, & malorum exemplorum permissione.
17. Per malos item Reges, Seniores, Sacerdotes, *&c.* & per furorem Populi, verum & bonum persequentis.
18. Per divitiarum & Liberorum jacturam.
19. Per Divini favoris & spiritus subductionem, & malitiæ propriæ permissionem.
20. Per Regni Israelitici defectionem ; & tandem Judaici subversionem, & rejectionem.

Instantiæ singulares (non hic enumerandæ) ê sacra historia depromendæ sunt.

Cap. 12. § C. *Elucidationes.*

§ 1. QUamvis Regnum Israeliticum primò Theocraticum fuit, Deo per Prophetas aut oracula res summas transigente, non tamen sine *officialibus seu Magistratibus* regebat. Lex Mosaica norma judicii fuit, quam neque Reges neque Sacerdotes abrogare, vel in minimis mutare potuerunt; Leges autem subordinatæ quœdam, & mandata ad Legis Divinæ conservationem & executionem pertinentia, ut ipsa etiam Judicia & executiones, Regum, eorumque officialium curæ, potestatique sunt commissa: Et quum Templum ob cultum magis publicum extruendum erat ejus cultûs ordinationem per Davidem & Solomonem (sed spiritu Prophetico ductore) fieri, Legibusque stabiliri Deus voluit.

2. Et Reges ipsi tunc Judicis ordinarii partes egerunt, in civitatum portis tribunal erigentes, & populi causas ibi audientes & explorantes; & eorum sententia finalis contra judicum inferiorum sententiam contrariam valebat: sicut in historia Davidis, Absolomi, Solomonis, & aliorum apparet.

3. Quibus in casibus per Reges ipsos judicandum fuit; quibus per Synedrium, seu concilium magnum; quibus per Sacerdotes; quibus per concilia inferiora & in Synagogis; ex quibus & quot concilia constituta fuerunt, *&c.* à pluribus Judæorum Rempublicam describentibus in plurimis satis spissis voluminibus jam diu declaratum est: At non fine controversiis quas hic agitare aut determinare non est animus: cum ipsa Sacra Scriptura utplurimum satis perspicue hæc delineavit. Legantur Seldenus de Synedriis, & Galespii *Virga Aaronis*, inter alios.

4. Canticum Mosis Deut. 32. eximia fuit Prophetia (sicut etiam Deut. 27. & 28.) de Israelitarum futuris sceleribus & pœnis; quamque eventus postea verissimam fuisse declaravit.

5. Sicut Dei oracula & Revelationes clarissimas Israelitæ supra cæteras mundi gentes habuerunt, & dona majora tum promissa tum donata, ita & acerbissimas castigationes Deus ipsis & minatus fuit, & inflixit: Et veras experti sunt Dei tum promissiones, tum comminationes: Unde B. Paulus & *Bonitatem & severitatem Divinam* reverenter admiratur, Rom. 11. Quantum gratiâ Divinâ sublati fuerant, tantum per peccata sua tandem dejecti sunt, & mundi stupor, humani generis ignominia, & Justitiæ Divinæ monumenta facti.

6. Eorum autem hostes & oppressores (Ægyptii primò, deinde alii) suis sceleribus, & sub ruinâ suâ in perditionem ceciderunt donec penitus absciissi & Politeiâ propriâ orbati Judæi Ecclesia vere Catholica stabilita fuit.

7. Ex parvulæ hujus Reipublicæ Ecclesiasticæ statu, ex eorum peccatis, & pœnis, Ecclesia Catholica monumentum habet monitorium, ex quo peccata sedulò fugere, & erga Deum sancte & obedienter se gerere discat, 1 Cor. 10. 1. ad 14. " Rom. 11. 18, *&c.* Ne gloriare adversus ramos (de fractos;) quod si gloriaris non " tu radicem portas, sed radix te: Per incredulitatem defracti sunt, tu vero per " fidem stas: Ne effertor animo, sed metue. Nam si Deus naturalibus ramis non " pepercit, vide ne tibi quoque non parcat: Vide igitur bonitatem, & severitatem " Dei: In eos quidem qui ceciderunt, severitatem; in te autem Bonitatem, si " permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris.]

Pars Tertia.

CAP. I.

De REGNI GRATIÆ Universalis CONSTITUTIONE in statu Perfectiore: hoc est, De Constitutione REGNI Christi-Incarnati.

Quia Regnum Christi Incarnati eadem & plura continet, quàm Regnum Gratiæ Initiale, eadem igitur in ejus descriptione, cum pluribus illis, recitanda sunt. De CONSTITUTIONE hac Perfectiore dicenti explicanda sunt

I. EFFICIENS. G

I. QUI Effecit DEUS: qui fuit

I. Naturâ
1. Omnipotens, qui potuit Peccatores vel perdere vel redimere.
2. Omniscius, qui novit, quid Gloriam suam optimè demonstraret.
3. Optimus; peccata exosus, sanctus, justus; at Amans & Misericors.

II. Relatione personali & ex operibus

I. Pater, jamjam
1. Creator &
1. Dominus, injuriâ offensus; At juris, possessionis & usûs suorum tenax.
2. Rex; Legislator (Legis violatæ) Justissimus Judex; At Legum Dominus.
3. Benefactor; Ingratitudine lacessitus; At non superatus.
2. Redemptor, qui
1. Christum Salvatorem jamdiu promisit; Fidelis, Verax.
2. Per hoc Promissum Regnum Gratiæ editionis primæ constituit.
3. Circa annorum quatuor millia, Legislatione & aliquali Judicio, idem rexit.

II. Λόγος Filius; Redemptor, qui
1. Jamdiu hoc opus Actualis Redemptionis in se recepisset.
2. Et ita Regni Gratiæ Initialis specialiter MEDIATOR-REX est constitutus.
3. Et illud variè administrâsset; & peccatores plurimos per gratiam liberâsset.

III. Spiritus Sanctus
1. Amor Patris & Filii, Personalis, communicativus, operativus, perfectivus.
2. Qui ab Adamo peccatore injuriâ lacessitus, & ferè expulsus fuerat.
3. At per Gratiam Redemptoris Electos ad imaginem Dei renovâsset.

II. QUÆ; vel ACTIONES Efficientes: Quæ fuere vel

I. PATRIS; ut sunt F

I. Erga Christum, E

I. Antecedentes; ubi D

I. Naturam Humanam
1. Animam
2. Corpus
} Christo dedit, Spiritu Sancto plena, in mundum eum mittens.

II. LEGEM vel FOEDUS illi dedit: ubi PATER C

I. Requirit B
Perfectionem
1. Internam,
2. Externam expressivam

juxta
1. Resignationis & Patientiæ,
2. Subjectionis & Obedientiæ,
3. Amoris & Beneficentiæ,

1. Legem NATURÆ; Sanctitatis.
2. Legem MOSAICAM; Politicam.
3. Legem MEDIATORI Propriam: QUA obligatur Christus A

A I. In terris, ante ejus Aſcenſum,
- I. Potenter
  - 1. Miracula ad Dei Gloriam præſtare.
  - 2. Vincere
    - 1. Diabolum, Tentatorem, qui Hominem viciſſet.
    - 2. Mundum, tentantem, & malignè perſequentem.
    - 3. Mortem, & ejus Metum; Moriendo & Reſurgendo.
  - 3. Pœnas Vicarias ob Mundi totius peccata perferre.
- II. Sapienter
  - 1. Ut Doctor cœleſtis mundum docere
    - 1. DEUM AMOREM RECONCILIATUM.
    - 2. Gloriæ cœleſtis certitudinem & præſtantiam.
    - 3. Media Deo placendi & Gloriam obtinendi.
  - 2. Legem vel fœdus Gratiæ, ut Normam officii, ſpei & judicii conficere.
  - 3. Miniſtros probè inſtructos ad mundi converſionem emittere.
- III. Amanter
  - 1. Hominem animis & corporibus benefacere.
  - 2. Carnis voluptates, divitias, honores abnegare, & vitam deponere.
  - 3. Deum inimicis reconciliare, & damnationem merentibus Gloriam cœleſtem promereri.

II. In cœlis poſt Aſcenſum, ejus Regnum adminiſtrare, ut ſuo loco declarabitur.

B II. Promittit
- I. Chriſto propter ſeipſum:
  - 1. Acceptationem & Juſtificationem & Victoriam.
  - 2. Succeſſum in ſalute hominum obtinendâ.
  - 3. Glòriam, Regnum, præeminentiam & cultum.
- II. Chriſto propter homines:
  - I. Omnes.
    - 1. Fœdus Gratiæ novum, quoad tenorem Univerſale: & in eo
      - 1. Omnium peccatorum Remiſſionem,
      - 2. Spiritus Sanctificantis Auxilia,
      - 3. Jus ad cœleſtis gloriæ hæreditatem

      Univerſis ſub conditione congruâ, cõceſſâ; fidei ſcilicet & pœnitentiæ.
    - 2. Fœderis *INITIALIS Gratiæ* jamjam deſcripti, omnibus in Adamo & Noe facti, *Beneficia* continuantur; ubi *Editio Perfectior* nondum revelatur; nec Gratia rejectione forisfacta eſt.
    - 3. Et Reſurrectio omnium tandem, & Naturæ ſuſtentatio de præſenti, & media quædam ad Fœderis notitiam neceſſaria, conceduntur.
  - II. Plures.
    - 1. Fœdus Gratiæ Perfectius ut actualiter promulgatum & oblatum.
    - 2. Dona interna, & Media externa quædam, communibus præſtantiora.
    - 3. Dignitates & privilegia Eccleſiaſtica (vel conceſſa vel permiſſa.)
  - III. Electos, Salvandos.
    - 1. Media ad Gratiæ efficaciam maximè congrua.
    - 2. Gratiam eventu efficacem & certiſſimè ſuperaturam.
    - 3. Salutem, Juſtificationem, Adoptionem, Gloriam certiſſimè obtinendam.

C III. Spondentem Chriſtum accepit ut Sponſorem & Mediatorem ad Salutem humanam procurandam.

II. Præſtantes

- D II. Præstantes,
  - I. Ut Vindex ad Christi Humiliationem.
    - 1. Christum Paupertati, doloribus & malorum contemptui subjecit.
    - 2. Eum Diabolo & peccatoribus tentandum permisit.
    - 3. Eum Sacrificium fecit pro peccatis,
      - 1. Peccatorum crudelitati eum submittendo.
      - 2. Quoad solamen & defensionem, eum deserendo.
      - 3. In Mortis dolores & Vincula eum tradendo.
  - II. Ut Redemptor ad hominum salutem; *viz.*
    - 1. Cum Christo, ut Principium primum in omni Redemptionis opere, per Potentiam, & Spiritûs missionem, cooperatus est.
    - 2. Et eum, & ejus opera & sacrificium, complacentiâ acceptavit.
    - 3. Cooperationis & Acceptationis Testimonia per voces & opera clarè præbuit.
- III. Consequentes; *viz.*
  - 1. Omnes hujus fœderis ante memoratas promissiones ipse Christo suo tempore præstitit.
  - 2. Omnes item nostræ salutis gratiâ Christo factas, præstitit: (Quæ scilicet ad Regni Gratiæ Constitutionem pertinent: Quæ ex priùs dictis colligendæ sunt; non hîc repetendæ, vel enumerandæ.)

E ut II. Erga homines, *viz.* Connotativè

- I. Per se
  - 1. Vitam, sufficientiam & thesaurum in Christo reposuit, ad omnes Peccatorum supplendas necessitates.
  - 2. Amoris suæ Imaginem clarissimam, in Christo conspiciendam exposuit, ad hominis amorem ipsi conciliandum.
  - 3. Authoritatem Directivam Christo dedit, ut in viam salutis errantes reduceret, & dirigeret.
- II. Per Filium & Spiritum Sanctum, (quibuscum PATER cooperatur); De quibus proximè dicendum est. F

F II. FILII N

- I. Introitu.
  - 1. Incarnatus est; Naturam humanam in arctissimam, *viz.* personalem Unionem assumendo.
  - 2. Fœderi cum Patre consentit; *viz.*
    - 1. Promissionibus paternis credendo, vel improprià Restipulatione.
    - 2. Requisita promittendo, & Legi
      - Naturæ, semet promptè subjiciendo.
      - Mosaicæ,
      - Mediatoriæ
  - 3. Sanctitate perfectissimâ habituali præditus est; & ità fit DEUS-HOMO MEDIATOR SPONSOR.
- II. Progressu.
  - I. In exercitio RESIGNATIONIS & PATIENTIÆ erga *DEUM ut Dominum*: *viz.* ferendo
    - I. Mala Naturæ pœnalia ob peccatum primum, (sed sine peccato): Infirmitates scilicet & incommoda
      - 1. Animi, in infantiâ à perfectis Potentiæ, Scientiæ & Amoris exercitiis, per corpus, impediti.
      - 2. Corporis,
        - I. In Nativitate 1. Imbecillitatem; 2. Necessitatem alimenti, 3. & aliorum opis.
        - II. In Infantiâ & pueritiâ; eadem quodam gradu, cum obscuritate, & aliis vitæ humanæ malis.
        - III. Ætatis adultioris item, 1. Labores, 2. Inediam ex jejunio; sitim; 3. Lassitudines, vigilias, &c.
    - II. Mala Societatis & Relationis, immediata scilicet & mediata: Qualia fuêre
      - I. Oeconomica: Ex Parentum 1. Inferioritate, 2. Paupertate, 3. Occupatione & laboribus.
      - II. Civilia: Membrum fuit populi à Romanis oppressi, & vi injustâ subditi, & jure suo exuti.
      - III. Ecclesiastica: 1. Sub Lege Mosaicâ onerosâ, 2. In Ecclesiâ corruptâ, 3. Sub Regimine vitioso.
    - III. Mala ab aliorum actionibus, voluntariè perpessa; *viz.* vel
      - I. A Diabolo
        - 1. In Christi Corpus, quod deportare aliquandiu ipsi permissum est.
        - 2. In ejus Animum; quem malignis suggestionibus tentavit: H

K I

H
- 1. In primo impetu, 1. Ad incredulitatem de sua filiatione; 2. Ad præsumptionem; 3. Ad obediendum Diabolo.
- 2. In secundo impetu, 1. Ad eandem incredulitatem; 2. Præsumptionem, 3. Obedientiam, 4. Et etiam ad suicidium (αὐτοφονίαν)
- 3. In tertio, Ad Ambitionem, & Avaritiam, & Animum mundanum; & ad ipsius Diaboli cultum.

viz.

I. Vulgaribus; per incredulitatem, insciticm, & inconstantiam.

II. A malignis, 1. Multis, 2. Magnis, 3. Astutis: *viz.* ex eorum

I

II. Ab Hominibus

1. Illecebris & tentationibus malignis.

2. Persecutionibus

1. Per linguam; *viz.*
   1. Irrisionibus.
   2. Calumniis & falsis criminationibus.
2. Per Manus,
   1. Plagis, ludibrio & abusu multiplici (etiam ab Infantiâ per *Herodem.*)
   2. Crucifigendo, latus hastâ persodiendo, & enecando.
   3. In Sepulchri & mortis custodiam eum committendo.

III. A Discipulis suis,

viz.

1. Ex malis eorum naturalibus: cum laborantibus enim compatiebatur (ut in *Lazari* casu.)
2. Ex malis eorum moribus, *viz.*
   1. Interioribus: Ignorantiâ, ambitione, incredulitate (non jam curatis.)
   2. Scandalis & Tentationibus (ut à *Petro* Mat. 16. tentante & postea percutiente.)
   3. Desertionibus: *Petrus* eum negavit; & omnes eum deseruêre & aufugêre.

III. A Deo Patre, qui

1. Displicentiam suam adversùs peccatum, cujus pœnas Christus in se recepit, malorum omnium ab ipso perpessorum causam esse, ad sensum patientis declaravit.
2. Naturam Christi humanam in summis hisce doloribus, quoad solamen actuale deseruit.

K

II. In exercitio SUBJECTIONIS & OBEDIENTIÆ erga DEUM ut RECTOREM: Et ità quoad

I. Objectum Formale, vel cui,

I. Primarium; Subditus fuit

I. DEO RECTORI SUPREMO; Naturæ scilicet humanæ Divinæ.

II. HOMINIBUS ut Dei Officialibus; Potestate derivatâ præditis,

viz.

1. Oeconomicâ: *Josepho* scilicet & *Mariæ* Matri perfectè subditus & obediens fuit, sub Deo.
2. Ecclesiasticâ: Sacerdotibus scilicet in licitis ad officium eorum pertinentibus subditus erat & obediens, etiamsi ad officium non justè vocatis, immo mediis pessimis sese intrudentibus.
3. Civili: *Herodi* scilicet & Senioribus subditus erat; & etiam potestati Romanæ, libertatis Judaicæ injustæ direptrici, se (obedientiâ saltem materiali) submisit.

II. Secundarium: Leges scilicet (Quæ ut signa Voluntatis Imperantis obligant) & ità Legibus obediens fuit,

I. Divinis, *viz.*

1. Legi Naturæ Innocentis: Quam perfectè sine levissimo delicto adimplevit.
2. Legi Mosaicæ:
   1. Fundamentali (& ità circumcisus fœderatus fuit.)
   2. Generali, Decalogo.
   3. Particularibus, *viz.* de rebus
      1. Religionis; dictis ecclesiasticis.
      2. Civilibus; dictis Politicis.
3. Legi Mediationis, vel ipsi ut Mediatori soli datæ.

II. Humanis, Oeconomicis, ecclesiasticis, civilibus, Legi Divinæ non oppositis, sed subordinatis.

M L

II. Quoad

L

II. Quoad Objectum Materiale, vel Quod: & hoc est vel

- I. Proximum; *viz.* Facultates proprias quoad Actus & Habitus: & ità perfectissimè ordinavit
  - 1. Superiores, *viz.* 1. Intellectum, 2. Voluntatem, 3. Potentiam executricem.
  - 2. Inferiores, 1. Phantasiam, 2. Appetitum & sensus, 3. Passiones.
  - 3. Corporis Membra, 1. Organa sensûs, 2. Linguam, organon vocis, 3. Membra Operativa.
- II. Secundarium, externum; Opera scilicet per Leges omnes ante dictas imperata: Et ità fecit
  - I. Juxta Legem Divinam
    - 1. Naturæ, Omnia Opera
      - 1. Pietatis erga Deum.
      - 2. Erga homines, 1. Justitiæ, 2. Charitatis.
    - 2. Mosaicam: circumcisus, omnem justitiam, civilem & Religiosam adimplevit.
    - 3. Mediationis omnia ejus ante recitata officia præstitit, *viz.*
      - I. Potenter
        - 1. Miraculis plurimis veritatem obsignavit, & Patrem glorificavit.
        - 2. Vicit
          - 1. Diabolum
            - 1. Tentatorem; perfectè resistendo, sine peccato.
            - 2. Dei Calumniatorem; Veritatem, Justitiam, Amorem Dei vindicando.
            - 3. Mortis Principem, & Justitiæ Divinæ executorem, homines redimendo.
          - 2. Mundi omnes & illecebras & injurias, has ferendo & illas conculcando.
          - 3. Mortem & ejus metum, moriendo & resurgendo, & alios vivificando.
        - 3. Pœnas Vicarias ob mundi totius peccata pertulit.
      - II. Sapienter
        - 1. Ut Doctor Cœlestis Legem Divinam, 1. Naturæ, 2. Mosaicam hominibus expositit.
        - 2. Ut Propheta, nova multa de Regno Dei revelavit.
        - Præcipuè verò prædicavit
          - 1. DEUM AMOREM Reconciliatum,
          - 2. Vitam Æternam,
          - 3. Media necessaria: 1. Per doctrinam clarissimam;
          - 2. Per vitæ perfectissimæ exemplum;
          - 3. Per signa confirmantia.
      - III. Amanter, *viz.*
        - 1. Morbos sanavit, dæmonia ejecit, mortuos vivificavit; ignorantes docuit, & malos emendavit.
        - 2. Carnis Voluptates, honores, divitias abnegavit, & vitam deposuit, ut Amoris pignus.
        - 3. Inimicis Dei damnationem merentibus, Reconciliationem & vitam promeritus est.
  - II. Juxta Leges humanas,
    - 1. Officia domestica, & fabri lignarii labores minimè recusavit.
    - 2. Officia ecclesiastica juxta temporis illius morem, in licitis, obivit.
    - 3. Officia civilia & tributa etiam injustè regnantibus persolvit, & eorum se tribunalibus submisit.

M

III. In exercitio AMORIS (præter opera AMORIS juxta Legem Mediationis jam recitata,) porrò notandum est,

- I. DEUM Perfectissimè propter ipsum amavit.
- II. Homines perfectè amavit propter Deum, *viz.*
  - 1. Omnes, etiam inimicos, ut homines.
  - 2. Fideles specialiter, ut electos & sanctos.
- III. DEUM ut OPTIMUM & Amabilissimum hominibus amandum clarissimè revelavit,

viz. I. Ut

viz.
- I. Ut nobis BENEFICUM
  1. Per ipsius Benignissimam & Amantissimam naturam.
  2. Per maxima Beneficia hominibus etiam malè merentibus collata.
  3. Per æternæ Gloriæ nobis donandæ procurationem.
- II. Ut BONUM in se ; *viz.*
  1. Per ipsius perfectam sanctitatem, vel Personæ bonitatem, Dei Imaginem.
  2. Per Doctrinæ Divinæ Deum revelantis claritatem.
  3. Per vitæ & mortis suæ, summi Amoris Divini exempl.

N

III. SPIRITUS SANCTI Actiones Regni Gratiæ statum hunc Perfectiorem efficientes, fuère

- I. Per Spiritum Sanctum.
  1. Christus conceptus est ; Animâ ejus creatâ, ut à labe originali foret immunis.
  2. Natura Christi humana per Spiritum Sanctum, Potentiâ, Sapientiâ, Amore perfecta fuit.
  3. Per eum Potentissima, Sapientissima, Optima Christi opera sunt effecta.
- II. Ministris extraordinariis primò, & deinde ordinariis, dona dat ad Evangelii prædicationem necessaria.
- III. Vocatis, ut fœderi consentiant, dat Gratiam (Quod ad plenam Regni constitutionem pertinet)
  1. Potentiæ,
  2. Sapientiæ,
  3. Amoris

  Omnibus ad possibilitatem, Pluribus ad facilitatem, Electis, ad actum, efficacem.

Tantum de Causa Efficiente : sequitur

G

II. FINIS REGNI CHRISTI INCARNATI est vel

- I. Proximus
  1. Ut Deus, Sapientiâ & Justitiâ suâ salvâ, peccata remittat ; Fine etiam Legis meliùs adimpleto, quàm si Lex ipsa à nobis impleta esset, & ut neque Lex, neque Legislator, per condonationem nimis facilem, per subditos de futuro contemneretur.
  2. Ut DEUS sanctissimus (qui cum homine jam peccatore, Communionem amicam sine Mediatore habere non potuit) per Mediatorem idoneum Communionem exerceret.
  3. Ut homo peccatis *Mortuus, cæcus, inimicus*, idoneum haberet salvatorem, *Vivificantem, illuminantem, Reconciliantem*, qui (victo Diabolo qui hominem vicisset) Sanguinis & Meriti pretio, doctrinæ & exempli lumine, ministrorum donis & diligentiâ, Spiritûs sancti operâtione, & propriâ Intercessione, & Regimine potenti, sapienti, gratioso, Peccatores perditos ad Deum, (& sempiternam salutem) reduceret.
- II. Medius, *viz.*
  1. Potentiæ Divinæ,
  2. Veritatis & Justitiæ,
  3. Amoris

  1. Dominii
  2. Regiminis,
  3. Paternitatis

  Congrua & Optima Vindicatio

  1. Contra calumnias Diaboli,
  2. Contra injurias peccati,
  3. Contra præjudicia & errores (Mundi.
- III. Ultimatus, *viz.*
  VOLUNTATIS Divinæ Complacentia
  1. In Potentiæ,
  2. Sapientiæ,
  3. Amoris

  GLORIFICATIONE : *viz.* resplendentium

  1. In Membris Christi particularibus glorificatis,
  2. In Christo glorificato specialiter,
  3. In Universitate creatâ jam Perfectâ.

III. CONSTITUTIO ipsa EFFECTA, (post *Efficientem* & *Finem*) consideranda est ; Ubi sunt

- I. Partes Constitutivæ, sive Essentiales : Quæ sunt
  - I. Partes Relatæ, vulgo Materia dictæ ; Quæ sunt
    - I. DEUS
      1. PATER, Qui per Filium ex Amore datum, mundum sibi reconciliat.
      2. DEUS-HOMO-FILIUS Mediator ; Caput ; Ut DEUS, absolutè supremus ; Ut Homo, Administrator supremus.
      3. Spiritus Sanctus, Vita, Amor, Operator-perfector ; à Patre & Filio ; Vicarius Christi in terris.
    - II. HOMO
      - I. Naturâ adhuc
        1. Intellectûs,
        2. Liberæ Voluntatis,
        3. Potentiæ Executivæ

        facultates habens.
      - II. Lapsu verò
        1. Peccator, vitiatus, Dei desertor, sibi & creaturis deditus, sensitivis facultatibus subditus.
        2. Peremptoriè ad miserias & mortem corporalem jam condemnatus.
        3. Mortis æternæ reus : & Spiritûs Divinis auxiliis à seipso exutus. (in instante priore)
      - III. At Capax adhuc, 1. Sanctificationis, 2. Justificationis, 3. Glorificationis.

II. RELATIONES

II. RELATIONES ipſæ; Quæ ſunt FORMA REGNI, & conſiderantur vel

I. In Genere; & ſunt

1. Dei ad Homines; Qui eſt
   1. Pater, Creator, Reconciliatus.
   2. Filius, Redemptor, Caput, id eſt
      1. Dominus,
      2. Rector,
      3. Amicus
      } ex Jure & facto Redemptionis, juri Creationis ſuperadditis.
   3. Spiritus Sanctus, Regenerator, Vita.

II. Hominis ad Deum; Qui eſt
   1. Creatori Reconciliatus,
   2. Per Chriſtum Redemptus,
   3. Per Spiritum Regeneratus.
   } 1. SUUS, 2. Subditus, 3. Filius, vel Amicus
   } ex obligatione & facto Redemptionis actualis, Creationi & Promiſſis primis, ſuperinductis.

II. Ut Æquivoce juxta gradus Formationis denominatæ; realiter non eædem (ut ſemen & embryo dicuntur Homo,) *viz.*

I. Hominum ad Deum; Qui ſunt REGNI

1. Membra tantùm quod Obligationem,
   viz.
   1. Sui; jure Redemptionis, ad Reſignationem obligati.
   2. Subditi, ad fœderis conſenſum & obedientiam obligati.
   3. Beneficiarii, ut quibus ſalus impetrata gratis offertur, ad gratam receptionem obligati.

   Et ità omnes in quantum ipſis Gratia, vel prædicatione, vel collatione, illuceſcit, in tantum ſunt 1. Reconciliati, 2. Redempti, 3. Gratiâ donati, & ad ſanctitatem vocati, ut ſequitur.
2. Membra tantùm quoad *Profeſſionem*, Sacramenta, & viſibilem Communionem; Qui ad obligationem Divinam, ſuam obligationem ſuperinduxerunt; Quales ſunt omnes Baptizati.
3. Membra ſincerè conſentientes, & ſenſu pleno: *viz.*
   1. Actualiter pleniùs Reconciliati,
   2. Per Spiritum S. verè Regenerati,
   3. Membra Chriſti viva; id eſt
   } 1. Sui, 2. Subditi, 3. Amici
   } quoad Officia & Beneficia, ſincere & ſalutariter.

II. DEI & MEDIATORIS reſpectivè ad Membra jam deſcripta, *viz.* Deus eſt

I. Omnibus
1. In tantum Reconciliatus, ut Remiſſionem & Vitam in fœdere Conditionali illis conceſſerit & gratis illis offerendas præceperit.
2. Redemptor; ut qui ſalutem & Remiſſionem Conditionalem omnibus impetravit; neque peribit ullus ob ſacrificii, aut meriti ſufficientis defectum; neque per anguſtiam fœderis & Remiſſionis conditionalis oblatæ, quaſi ipſius excluſivæ.
3. Spiritus Sanctus Gratiâ aliquali ipſis adeſt; quâ niſi abutantur, ipſos Regeneraturus eſt.

Omnium igitur jure Redemptionis eſt
1. Dominus, jure poſſidens, diſponens, utens.
2. Rector, per Leges ſuas ad obedientiam illos obligans.
3. Salvator, ut ſalutem ſub conditione promerens & concedens offerendam.

II. Baptizatis & conſenſum profitentibus eſt
1. Reconciliatus,
2. Redemptor. Caput,
3. Sanctificator,
} 1. Dominus, 2. Rector, 3. Salvator,
} quoad fœderationem externam; & in foro Eccleſiæ in ſenſu ſalutari ità reputatus, unde quaſi ſinceri fideles tales æſtimandi & tractandi ſunt, donec infidelitatem aut impietatem manifeſtant.

III. Sincerè conſentientibus eſt
1. Pater Reconciliatus,
2. Redemptor,
3. Regenerator,
} 1. Dominus, 2. Rector, 3. Salvator, Amicus
} ut theſauri peculiaris, populi verè ſancti, hæredum promiſſorum
} Specialiter, Efficaciter, Salutariter.

(De triplici hoc Redemptorum ſtatu, ſcilicet, 1. Obligatorum, 2. Profitentium, 3. Verè fidelium, latiùs poſtea in Adminiſtratione dicendum eſt).

II. Partes

II. Partes Regni INTEGRALES (quæ non Eſſentiam conſtituunt ſed Integritatem) Quæ ſunt

- I. Homines ſingulares
  - I. Præſtantes, *viz.*
    - 1. Officio
      - 1. Oeconomico
        - 1. Parentes,
        - 2. Mariti,
        - 3. Heri.
      - 2. Eccleſiaſtico,
        - 1. Indefinito, *viz.*
          - 1. Fundatores temporarii, *viz.*
            - 1. Apoſtoli,
            - 2. Prophetæ,
            - 3. Evangelii Scriptores.
          - 2. Ædificatores ad finem mundi,
            - 1. Evangeliſtæ, qui infideles doceant, convertant & baptizẽt.
            - 2. Doctores
        - 2. Definito, in Eccleſiis particularibus, *viz.*
          - 1. Epiſcopi, Paſtores, Seniores, Doctores Eccleſiarum.
          - 2. Diaconi (& ubi opus eſt, Diaconiſſæ).
      - 3. Civili: *viz.* Magiſtratus ſupremus, & inferiores.
    - II. Ætate: Quibus ſua debetur & reverentia & aliqualis ſubjectio.
    - III. Donis
      - 1. Gratiæ ſpecialis ſalutiferæ,
      - 2. Inferioribus; *viz.* 1. In Eccleſiaſticis, 2. In Civilibus;
      - 3. In Naturalibus & Artibus.
  - II. Inferiores: *viz.* Omnium antedictorum Correlati.
- II. Partes Collectivæ; Quæ ſunt
  - 1. Familiæ,
  - 2. Eccleſiæ particulares,
  - 3. Societates plurimæ Civiles.

III. ADJUNCTA hujus Regni ſunt

1. Angeli; ut Amici, Miniſtri Redemptoris (at Regni Cœleſtis Partes.)
2. Utenſilia vel Bona
   - 1. Animata
     - 1. Senſitiva,
     - 2. Vegetativa.
   - 2. Inanimata
     - 1. Superiora, Cœleſtia.
     - 2. Terreſtria.
3. Hoſtes inteſtini, (quà nobis continuò interſunt,)
   - 1. Aperti, *viz.*
     - 1. Diaboli,
       - 1. Potentiâ abutentes; Tyranni, Perſecutores, Belli authores.
     - 2. Homines, maligni, *viz.*
       - 2. Contra Scientiam; Athei, Infideles, Hæretici.
       - 3. Contra Bonitatem; Impii, Flagitioſi, Sanguinei.
   - 2. Inimici, Hypocritæ, (quà tales, non quatenus fidei Profeſſores ſunt)
     - 1. Privati,
     - 2. Publici, id eſt
       - 1. In Magiſtratu,
       - 2. In Cathedrâ Paſtorali & Scholis,
       - 3. In Domo, Patres-familias,

       qui eadem ſub alio prætextu faciunt, contra Regnum Chriſti, quæ hoſtes aperti, apertè faciunt; & ſæpe non minore ſucceſſu.

CAP.

CAP. I.

Elucidationes.

1. TAntæ sunt in Regno Gratiæ per Christi Incarnationem Mutationes, ut alius *Regni Status* dicendus sit, & ipsam Constitutionem de novo describere, necesse sit.

2. Etiamsi Deus *Liberè* mundum per Mediatorem redemit, & redimere voluit; ejus tamen Volitionem ex naturæ suæ perfectionibus ortam esse dicendum est, & ita illas declaravit.

3. Etiamsi POTENTIA Divina in CREATIONIS operibus eminentissimè se manifestavit, in Mundo tamen reparando, & perditos, per Christum salvando, non parum se glorificavit.

4. Deus Mundum per Salvatorem Redimere decernens, omnia hujus instituti Commoda perfectè perspecta habuit, ad Gloriam suam optimè illustrandam.

5. Voluntatis Divinæ & Sanctitas, & Justitia, & Amor, & Misericordia, Redemptionis nostræ fontes ducendæ sunt.

6. Omnes sanctæ Trinitatis Personæ indivisè in opere Redemptionis co-operatæ sunt: At non omnes uno eodémque modo.

7. Deus per hominis lapsum & perditionem, sui Dominii Jus ex fundamento ortum Creationis non amisit; sed potiùs ut Dominus suorum, juris & possessionis & usus tenax, & ideo suos non volens amittere, Redemptionis author æstimandus est.

8. Rector item mundi non esse desiit per peccatum; sed potiùs quando Redemptionem instituit, hoc facit ut Rector, Naturæ Regnum Vulneratum sanans, & reparationis & futuri Regiminis Media convenientissima eligens.

9. Deus dum sacrificium pro peccatis requirit, spectandus est quidem *præcipuè* ut *Rector*, fines Regiminis per hoc assecuturus; At non *solùm ut Rector*, sed etiam ut *Dominus* & *Benefactor*, *Sacrilegii* & *Ingratitudinis* injuriâ offensus. Tali etenim injuriâ nos Deum peccando affeciisse, ex natura peccati extra Controversiam ponendum est.

10. Amor tamen Benefactoris contra Ingratitudinis injuriam prævalens, & Misericordia Divina demeritum & provocationem superans humanam, Redemptionis & salutis nostræ Causâ est.

11. Pater ipse Mundi Redemptor est, quia Redemptionis *principium primum*; etiamsi λόγ☉ *solus est Incarnatus*, & *Mediator*.

12. Pater priùs Redemptor Messiam promittendo, jam pleniùs Redemptor est promissionem suam præstando, & filium Promissum in mundum mittendo.

13. Iterum Lectorem monendum duco, ne tria distincta Promissa vel fœdera, sub nomine generali [*fœderis Gratiæ*] confundat; *viz.* 1. Promissionem de mundo Redimendo per Messiam: 2. Fœdus vel promissionem ipsi Redemptori factam: 3. Fœdus Baptismi vel promissionem salutis nobis per Christum factam: vel 1. Promissionem Christi; 2. Promissionem Christo; 3. Promissionem salutis per Christum.

14. Legem Christo Homini propriè sic dictam, fuisse datam, ultra dubitationis aleam positum est. At de *Fœderatione* inter *Patrem* & *Filium*, immo inter *Deum* & *Christum Hominem*, res multò obscurior est.

15. Et inter Patrem & λόγον æternum fœdus propriè sic dictum intercedere non putandum est: sed cùm certum sit Quædam per *Filium* esse *facienda*, & quædam ipsi *Filio* ut incarnato *donanda*, & quædam *hominibus* donanda *ejus gratiâ*, Decreta hæc seu Volitiones Divinæ per *Fœderis nomen* à Theologis sæpe appellantur.

16. Et usui huic ansam dedit etiam Spiritûs Sancti in Sacris Scripturis quædam loquendi formula; dum *Prophetias* scilicet de Christo per *Promissionis* verba sæpe exprimit, Quasi Pater hæc Filio (non adhuc homini) promittendo dixisset.

17. At notandum est, Locutiones Allegoricas non sæpe nimis, & ordinariò utendas esse, ne pro propriis ab imperitis habeantur: & quando ex illis Controversiæ oriuntur, tunc semper ad locutiones proprias revertendum esse.

18. Et de fœderatione *Patris* cum *Filio Incarnato*, non levis est difficultas. Christi enim Animum humanum vel in Utero, vel infantiâ, non adeò actualis Intellectionis capacem fuisse, putandum est, ut tale fœdus cum Patre actualiter faceret. Quoniam tamen in *Personâ* Filii Divinâ ante Incarnationem, tales fuêre *Volitiones*, & in Animo *Christi Humano* etiam quando ad *Rationis usum adolevit*, talis *Cognitio* & *Consensus*; ideo in *Fœderis* Formam hæc non ineptè conjicienda existimavi.

19. Nefandus est nonnullorum conceptus, qui in Deo Patre vix quicquam agnoscunt ad Redemptionem pertinens, nisi severitatem Judicis vindictam exigentis, & vix voluntarium per Christi interceſſionem ad miserationem & salutem humanam consensum; & Filio intercedenti, & iram Patris lenienti, Gloriam totam Misericordiæ & Redemptionis adscribunt: Quasi de Patre & Filio dici posset, alterum altero esse magis Amantem & Misericordem.

20. Tantum abest ab hominis peccatoris capacitate, à Creatore aliquid *mereri* per modum *justitiæ Commutativæ*, quâ Quid pro Quo (ut aiunt) datur, secundùm censum utilitatis recipientis, ut etiam ipse Christus ita à Patre propriè promereri nunquam potuerit: Quia nihil Deus recipere potest, quod non antecedenter suum est; & ad ejus perfectionem vel fœlicitatem nihil potest accedere.

21. At à Naturâ Optimâ & ab ipsâ Bonitate, ille dicitur *Mereri* qui *Bonus* est, & *Bona Bene agit*; qui Rectus est, & qui *sibi* etiam benefacit, & aliis, & mundi rectitudinem & ordinem, quantum in se, conservat. Bonum enim quà Bonum Amabile est, id est, Amore dignum, & ita *Amorem meretur*. Et à *Rectore justissimo* ille dicitur *promereri*, qui ad ordinem & fœlicitatem Reipublicæ utilis est, & qui Legibus obediens est, & fines Regiminis optimè promovet, etiamsi Rectori nullam adferat utilitatem.

22. Naturaliter nemo meretur, vel ab *Amatore*, vel à *Rectore*, nisi sibi & suis. Qui *Bonus* est, ideo *Amabilis* est; at non per *Bonitatem* alium facit *Amabilem*, quia non facit *Bonum*, nisi *Bonitatem* ipsi communicando. Et qui Legibus obediens est, non eò inobedientem aliquem reddit præmiabilem. At Benefactor suâ naturâ Benignissimus, & Rector Sapientissimus Paterno affectu regens, dum ad ignoscendum & benefaciendum maximè propensus est, *Alterius Bonitatem* & *Obedientiam* potest accipere, ut *Medium* ad *Justitiæ suæ demonstrationem* & *satisfactionem* sufficiens, & ad omnia Veniæ incommoda devitanda idoneum: Præcipuè si Mediator promerens, sit modo aliquo *Peccatorum Dominus* (id est, *Proprietarius*), ita ut rectè *suos* vocare eos possit; Quia quod *suis* datur, *sibi-ipsi* quodammodò datur: Ideóque qui *sibi* aliquid *meretur*, etiam *sibi* pro *suis*, & *suis sui-ipsius* Gratiâ meretur. Et tale fuit *Meritum* Christi pro redemptione generis humani.

23. Qui igitur Veniæ impedimenta ita removet, & fundamenta Reconciliationis & salutis merendo & satisfaciendo jacet, non ita *Personalis* nostræ *Amabilitatis* (vel, ut cum Patribus loquar, *Meriti*) *necessitatem* ullo modo tollit, sed *futuritatem* procurat: Christus enim Veniam nobis promerendo, Spiritûs sancti Gratiam nobis donandam promeruit, quâ *sancti* & *sincerè obedientes*, & *Dei amatores* facti, personaliter Deo *Amabiles* (vel *Amore* & *Acceptatione in tantum digni*) fiamus. Et in hoc sensu (quodcunque ignorantes ogganniant) non omnino falsum aut incongruum est, (quod ut Pontificiorum dictum absurdum ipsis à nonnullis objicitur) *Christum* scilicet *meruisse secundùm Legem exactissimam suam, nos tandem merentes fieri* (id est, *Amabiles* & *Præmiabiles*) *secundùm Legem nostram Gratiosam evangelicam.* Neque aliter aliquis unquam vel Amabilis fiet vel Salvabilis.

24. De Incarnatione & Unione naturarum personali, postmodum disputandum est.

25. Et de Merito item Justitiæ Christi Habitualis & Actualis ad nostram Justificationem procurandam: Hoc tantùm jam præmitto; Quòd si *Meriti Christi naturam*

naturam & rationem probè tenerent illi Theologi qui de hisce controversiis maximè litigant, dum inquirunt, [*an per Christi Justitiam Habitualem, peccati nostri Habitualis reatus aboleatur? & Actualis per Actualem? aut an satisfactio tantùm Reatum omnem pœnæ deleat, & Justitia Habitualis & Actualis, loco nostræ Justitiæ Habitualis & Actualis præmia promereantur?*] loco talium fictionum & somniorum facile percepissent, [*Omnem Christi Sanctitatem Habitualem & Actualem, cum sacrificio suo Justitiæ satisfactorio, & omnem ejus, Legis Naturæ, Mosaicæ & Mediatoriæ impletionem, Unam constituisse Conditionem Meritoriam, sub quâ Deus per fœdus Novum ut Instrumentum, & Christum, & Veniam, & Justificationem, & Cœlum quoad jus fidelibus gratis donabit.*] Neque futilibus tot sui cerebri Commentis, decisionibus, incisionibus & excisionibus, veritatem salutarem Ecclesiis reliquissent laceratam, obscuratam, & non parùm periclitatam, sub prætextu scilicet accuratioris Theologiæ.

26. Qu. *An Christi Incarnatio sit Meritorum suorum Pars? Et an Natura sola Divina in assumendâ humanâ, mereri dicatur?*

Resp. Negat Amesius, saltem Incarnationem ad *Christi humiliationem* pertinere, quia Deitas non potest humiliari. At dicendum est, 1. Humiliatio est vel *Realis* vel *Reputativa*. Humiliatio *Realis* ad Deitatem non pertinet. At *Reputativè* Deus se *Humiliare* dicitur, dum terrena & humilia respiciendo, condescendit, *Psal.* 113. 6. & de Christo dicitur, *Phil.* 2. 6, 7, 8. quod qui in formâ Dei erat, & Deo æqualis, nullius tamen se fecit reputationis, &c. Et eodem sensu quo Christi Deitas Humiliari dici potuit, dum corpori crucifixo unita fuit, (Reputativè scilicet) eodem sensu etiam in Incarnatione humanitatem assumendo se humili îsse dici potest. Et *Deitatis* quidem Humiliatio vel *Reputativa* & *Relativa* tantùm, eximioris notæ est, quàm Creaturæ ullius humiliatio maxima realis.

2. De *Merito* autem aliter dicendum est: etsi enim Deus de se non ità *meretur*, sicut per justitiam commutativam alius ab alio, vel sicut subditus à Rectore per justitiam Distributivam vel Gubernatricem; tamen sicut *Amabile* vel *Bonum meretur Amorem* & *Laudem* ab *Amante*, ità nemo primariò & propriè à Deo bene *Mereri* potest nisi *ipse Deus*. Et ità Christus filius vel λόγος æternus, de Patre *propriè mereri* potuit, volendo Mediatoris officium in se suscipere, & ità naturam humanam suscipiendo. Etiam Intellectus meus de me ipso bene meretur, Amorem scilicet & Laudem, cùm probè & accuratè Intelligendi officium præstat.

27. Hinc etiam dicendum puto, etiam post Incarnationem, totam Christi & humiliationem, & obedientiam, ideo tam immensæ vel mirandæ apud Patrem fuisse *æstimationis*, *Meriti* & *moralis efficaciæ* ad mundum redimendum, quia Dei ipsius λόγου hominis facti per unionem, opus & meritum fuit: & ad ipsam peccatorum remissionem, multò minùs valuisse humanæ naturæ Passionem, & doloris acerbitatem, quàm *Divinæ naturæ Meritum*, & in passione Christi, & in aliis ejus operibus.

28. Meritorum Christi *pars prima* fuit, & *Naturæ* & *Vitæ* ejus *Perfecta Sanctitas*; dum illud ipsum perfecit, ubi Adamus & omnis ejus progenies defecit; Legem scilicet *Naturæ* Innocentis perfectè adimplendo.

29. Sanctitas hæc Meritoria constitit in perfectissima trium Relationum officiorum præstatione, in Tabula memorata; Perfectâ scilicet ad *Dominum resignatione*, *Rectori obedientiâ*, & *Patris optimi Amore*.

30. Qui Christi Infantis Animum actuali scientiâ perfectâ, de Patre, de se, de suo officio, &c. prædituni fuisse dicunt, non tantùm rem non probatam fingunt, sed S. Scripturæ de Christo dictis contradicunt, *Luc.* 2. 52.

31. Qui Parentibus (reputato alteri) subjectus fuit, cùm sit *Deus*, pueris omnibus & juvenibus mirum dedit subjectionis exemplum.

32. Et qui occupationem fabri lignarii humilem & laboriosam non repudiavit, & carnis ignaviam, acediam & superbiam mundanam mirabiliter condemnavit, & omnes in negotio vel labore aliquo utili vitæ tempus transigere apertè docuit.

33. Quique vitam privatam degit per triginta circiter annos, cùm ad opus tantùm Redemptionis scilicet in mundum missus esset, & non ante annum circiter trigesimum, ad Ministrationem & Doctoratum publicum se contulit, juvenibus quidem superbientibus magnum reliquit documentum, ne citò nimis suum ingenium magnificiant, aut Ecclesiæ ministros & aliorum Magistros se faciendo, ad opus sacrum cui impares sunt, festinando, properent. Et magna quidem Ecclesiæ necessitas esse debet, aut notabilis admodum donorum præstantia, quæ ante annum tricesimum Sacram Cathedram invadentem justificare possit; quando Dei filius, Ecclesiæ Caput & Mediator, in publicum sui officii exercitium citius prodire noluit. Et quandiu in discentium classe manendum & expectandum sit, ordinariò, hinc conjicere non est difficile.

34. Qui vivendi rationem elegit, non divitem & sublimem, sed humilem, pauperem & laboriosam, non carnis voluptatibus abundantem, proculdubio tutissimam nobis vivendi rationem indigitavit; & notabilius multò paupertatem nobis sanctificavit, quàm divitias. Doctrina enim ejus vitæ consona declarat, hanc vivendi rationem ab ipso electam esse, non modò in pœnam ob peccata humana, sed ob exemplum & in hominis carnalis documentum.

35. Christus tamen non vitam extremè & noxiè austeram vixit; sicut Johannes Pœnitentiæ prædicator in deserto; quem statum servitutis & pœnitentiæ magis exhibere oportebat. Sed dum Carnis concupiscentiam, & intemperantiam omnem exemplo suæ humiliationis, jejunii, paupertatis, &c. condemnavit, corpus tamen ad officium obeundum non impotens aut ineptum reddidit. Quo clarè nos docuit, inter carnalium voluptates & illecebras, & monachorum seu fraterculorum quorundam superstitiosam corporis & valetudinis destructionem, vivendi rationem mediam esse optimam, & spirituali vitæ maximè accommodatam.

36. Neque Romanam Usurpationem aut Tyrannidem Christus unquam approbavit, neque quæstionem de eorum Authoritate in Judæos decidere voluit; (multò minùs utrum Imperator aut Senatus Romanus, aut ambo conjunctim habuêre summam Majestatem); sed tantùm ipsorum exactionibus submisit; & etiam injustæ potentiæ, seu Tyrannidi submittendum esse nos docuit.

37. Idem fere dicendum de submissione ejus ad judicia quædam summi Sacerdotis, qui locum non jure tenuit: At ipsum officium tamen magìs honorandum esse, exemplo nos docuit; & Deo quidem officium instituenti obeditur, dum officium injustè possidenti obedimus: (Dummodo ad alterius injuriam non fiat).

38. Etiamsi sacra officia tunc plurimi injustè usurpabant, & ipsa sacra ecclesiastica non parum vitiata fuerunt; Christus tamen à Communione Judæorum in cultu aut Templi aut Synagogarum, non omnino se aut Discipulos suos segregavit; & tunc licitam & debitam esse talem communionem, & exemplo & doctrinâ suâ comprobavit.

39. Atque ita nos docuit non omnem communionem Ecclesiasticam in cultûs modo culpabili & vitioso esse culpabilem.

40. Et per submissionem judiciis Ecclesiasticis & Civilibus, & Cathedram usurpantibus, nos etiam docuit, quòd innocentes se sistendo coram usurpantium tribunalibus, non fiant usurpationis reatûs participes.

41. Cùm Diabolo Christi Corpus deportare permissum fuerit, docemur, quodcunque corpori accidat, salvâ animâ hominem esse salvum: & corpus etiam justissimi posse potentiæ Diabolicæ subesse, sine Divinâ displicentiâ, dum peccatum cavetur.

42. In duabus prioribus Christi tentationibus, præcipuus Diaboli scopus fuit, Christum ad Infidelitatem de Relatione sua ad Patrem pellexisse: Quasi diceret: [Si filius Dei es, potes lapides hos fieri panes jubere, & teipsum præcipitare sine mortis periculo: At hæc non potes facere: Ergo non es filius Dei.] Quâ argumentatione loco Minoris probatæ, in Christum contrariæ probationem per factum, rejicit: Et ita si factum tentasset, Diabolo obedientiam, Deum tentando, præstitisset;

præstitisset; & si malus fuisset eventus (quod Satanas speravit) causâ excidisset, & Satanæ fidei hosti victoriam concessisset.

43. Tentatio hæc opinionem eorum mihi videtur refutare, qui putant Diabolum nesciviſſe Christum fuisse Dei filium. Vix enim tanto conatu Christum ad hujus incredulitatem solicitasset, nisi incredulitatem illam, errorem & peccatum fuisse judicasset.

44. Magnum debet esse animi tentati levamen, horrendas Christi tentationes considerare. Quando enim innocentissimus Dei filius, ad peccatum vel maximum tentatus erat, scilicet ipsum Deum incarnatum, Diabolum colere, vel adorare; certum est nobis tale quid posse evenire; & personæ reatum ex tentationis abominandâ turpitudine minimè metiendum esse.

45. Multitudinis erga Christum inconstantia nos monet, ne auræ popularis afflatum nimis ambiamus, aut multitudini fluctuanti expectatione nimiâ confidamus.

46. Victoriæ Christi de mundo pars major fuit, quòd nunquam per ejus illecebras peccavit, quàm quòd tantas ab illo injurias pertulit.

47. Inter omnes Christi passiones ab hominibus, non minima fuit, quod peccati ipsius (mali pessimi) immo flagitiorum imputationes, toleravit, & qui in mundum venit ut peccata, Diaboli opera, destrueret, peccatoris tamen & Diabolici nomen audire non recusavit.

48. Notabile etiam Patientiæ Christi exercitium fuit, Principibus & Magnatibus exosum fieri, & dignitatem & officium ejus, quasi eorum imperiis & dignitatibus inimica, repræsentari: & ipsum perduellionis criminis accusatum, quasi malefactorem extraordinarium, pacis publicæ turbatorem, superbum, regnandi ambitiosum, latrone & homicidâ pejorem, pœnas publicas ignominiosas maximè dedisse. Omnium scilicet Dominum & Regem universalem, ut perduellem & Regum inimicum crucifigi.

49. Etiamsi Christi Crucifixi Imago à pluribus ad turpem superstitionem abusa fuit, in *mentem* tamen uniuscujusque fidelis adeò penitus imprimenda est, ut quasi Dominum nostrum Crucifixum continuò spectantes, nos Christi crucifixi (mundum spernentis, & à mundo spreti, irrisionibus & omne genus ignominiæ expositi & seipsum exinanientis,) & servos juratos esse & sequaces declaremus: Quod maximum, contra delicias carnales, concupiscentias, superbiam, ambitionem, curiositates, & nimiam vel personarum vel rerum mundanarum æstimationem, remedium erit. Anne Christi crucifixi sequacem decet superflua vel curiositates affectare, splendidè & ornatè vivere, cupiditatibus indulgere? honores mundanos ambire, de nominis famâ, de superioritate, de jure, litigare? vel ob infamiam, calumnias, & injurias ab hominibus mundanis, sollicitudine inquietari? Quamvis crucifixi Imaginis abusui vel usui periculoso inter superstitiosos, indulgere, nemini fidelium aut liceat aut deceat; Christianos tamen ecclesiæ veteris, qui ante talem abusum hanc Imaginem in usu habuêre frequenti, ad mortificationis exercitium promovendum, non quasi peccatores ex hoc condemnamus, nisi quòd posterorum abusum non prævidentes minùs præcaverunt.

50. Neque Mortis terroribus jam fidelium animos concuti decet, cùm Christus moriendo nobis mortem dearmaverit, vicerit & sanctificaverit: Audacter nempe fidelem quemque salutis nostræ Ducem sequi, etiam per mortis januam oportet.

51. Suorum etiam desertionem quam & prædixerat, & ferre & facile adeò condonare, non minimùm Patientiæ Christi fuit exercitium.

52. Notandum autem est Christum, non tantùm suorum ignorantiam (etiam de ipsius morte & resurrectione futurâ) leniter tantùm reprehendisse, sed etiam Petri horrendam abnegationem, cum imprecationibus & juramentis falsis, condonavit; ut quæ ex metu non malitiâ proveniebant: At Petri tentationem Matth. 16. ad mortem devitandam, graviter adeò & infensè tulit, ut acerrimâ objurgatione eum Satanam vocaverit, & iisdem verbis eum alloquutus fuerit,

quibus

quibus Diabolum, etiam post fœdissimam tentationem, antea allocutus esset. Quoniam scilicet ex carnali hujus vitæ æstimatione, & ex studio, deliberatè ea à Petro dicta sunt; & ad eundem vitæ inordinatum amorem, & officii Mediatorii neglectum, & Redemptionis humanæ omissionem Christum allicere conatus est.

53. Hinc igitur nos discimus, *Ignorantiam* etiam turpem, & *metum*, in Christianismi professoribus, non adeò exosum, aut acriter reprehendendum esse, ac tentando ad peccatum; idque ex mente carnali & studio, Diaboli opus & facere & promovere.

54. Qu. *Annon Theologi qui de Justitiâ Christi Passivâ disputant, ipsum subjectum malè fingunt?* vel, *An datur in rerum natura, Justitia aliqua Passiva? Cùm Pati nullius Legis jussum sit, sed Actio tantùm.*

Resp. Tria hîc consideranda sunt, ut materia Legis, 1. Agere, 2. Non-agere, 3. Pati. 1. *Agere* quidem est Legum omnium materia primo præcepta; & officii materia Proxima & primaria. Actio autem hæc prima est *Voluntatis*: Voluntas enim prima facultas, à Deo imperata est, quæ deinde cæteris imperare debet. Et quando *Actio* aliqua *prohibetur*, & ita *non-agere* præcipi videtur, subtilibus ingeniis propono inquirendum 1. Utrum hoc *non-agere* quod *prohibetur*, non semper supponat, vel Naturalem, vel vitiosam ad agendum quandam inclinationem, ab actione *frænandam?* 2. Et ita utrum hæc *frænatio Volendi* non sit *Actio præcepta*, necessaria ad non-agendum? 3. Et ita annon *præcepti* materia, semper *prohibitionis* materiam antecedere oporteat? Id est, Annon, *Nolle*, sit primo debitum, ante *Non-velle?* scilicet, *Nolle Velle*: Et ita quando Deus vetat *Volitiones* aut *cupidines* pravas, mundanas, carnales, Anne nudam unquam Volendi aut Concupiscendi Negationem vetet? Vel potius primò *jubet positivam* concupiscendi aut malè-Volendi *Nolitionem?* Id est, Inclinationis omnis (vel sensitivæ naturalis, qualem Adamus habuit, vel inordinatæ) ad actionem hanc vetitam, frænationem? Et utrum unquam *mera agendi Negatio*, vel *non-velle*, vel *non-loqui* vel *non-facere*, sine positivâ *Nolitione*, inter partes Obedientiæ, vel *Boni Moralis* (vel ut scholastici loquuntur, *Merita*) sit numeranda? Et e. g. si fingamus aliquem de ebrietate, de luxuria impudicâ, nunquam semel cogitasse (& ideo nunquam audivisse; (cogitamus enim de auditis) & nè minimam quidem ad illa inclinationem habuisse, & inde nullam concupiscentiam aut Volitionem, neque odium aut Nolitionem; quæro an hoc esset *Bonum Morale*, vel *Meritorium* ut loquuntur, an tantùm, Mali *moralis negatio*, quæ nullam habet veræ moralitatis *rationem?* Nihil hîc determino sed inquirendum propono.

Et si probaretur, scilicet semper *Velle* vel *Nolle* positivum esse uniuscujusque Legis rem primò præceptam, etiam prohibitionum materiam negativam antecedentem, tunc etiam sequeretur semper primum peccatum consistere in *non-agere*, vel in *Volitionis* aut *Nolitionis* jussæ omissione: *Potentiam* scilicet obediendi humanæ naturæ primò indidit creator: & Potentiâ hâc *non uti* ad actum ab ipso imperatum, utrum sit Bonum Volendi, vel Malum, aut minùs Bonum comparatè, Nolendi, proculdubio peccatum est. Et si peccatum hoc semper *Primum* probaretur, res non contemnendi momenti foret, & ad peccati Naturam & Introitum detegendum.

Et si hæc obtineant, tunc porrò dicendum esset 2. *Non-agere*, id est, *Non-velle*, *non malè* loqui, *facere*, *&c.* esse tantùm objectum Legis indirectè, & secundarium; Quando enim Lex jubet me agendi quamcunque inclinationem frænare, sive *Nolle agere*, aut *Nolle* malè *Velle*, hîc *prima* Legis materia est *Actus*; secundaria est *non-agere*.

At si opinio contraria obtineat, *viz. Nudam actûs mali Negationem*, *e. g.* Mundum amandi, concupiscendi, malum volendi, loquendi, &c. sine ullâ *Nolitione*, esse Bonum morale, tunc consequentia etiam hæc obtinebit, *Non-agere* esse aliquando Bonum Morale primarium & in se: Attamen neque semper, neque plerumque.

3. *Pati* autem, sic ut nunquam *prohibetur* directè & in se, ità nunquam directè & immediatè *præcipitur*: Necessaria etenim est Passio, actione & patiente suppositis:

positis: Si alter me percutiat, me percuti inde necesse est. Si Judæi Christum crucifigant, eum crucifigi necesse est. Neque frustra Lex dicit, Jubeo ut quando Judæi te percutiant & crucifigant, sis percussus & crucifixus. Immo hîc Passionem Deus secundariò vetat; Quia dum vetat Judæos Christum crucifigere, secundùm ipsos, vetat Christum crucifixum esse.

Attamen *Pati* etiam est *Materia Legis tertia*, si non secundaria: Materia scilicet *remota*, etiamsi non *proxima*. Et ita est & præcepta & prohibita respectu scilicet diverso. Præcepta est, dum Christus passionem non recusare, non fugere, non nolenter ferre, jubetur, immo *Volenter ferre* ob fines per se volitos. Prohibita est, quia Judæis prohibita est executio.

Et ita Lex 1. Christo jubet, *Velle* mundum Redimere & Redemptionis opera præstare: 2. Prohibet eum hoc *Nolle* & *Negligere*; & passionem recusare. 3. Ideo *Pati* est materia Legis Mediatoriæ, non proxima, sed *Remota*.

Nomen autem *Patientiæ* non tantùm *Passionem* significat, sed omnia hæc tria essentialiter denotat; 1. Remotè, Passionem; 2. *Non Nolle*, neque *reluctari*: 3. *Velle* Passionem & non-reluctari, ut medium ad meliora.

Non malè igitur Theologi *de Justitia Christi Passiva* disputant, dum Justitiam nullam *immediatè* in *Patiendo* collocant, sed tantum *remotè*; sicut Actus exteriores sunt tantùm materia Legis secundaria (ut Passio tertia), dum *Volitiones* & *Nolitiones* sint semper materia proxima.

55. *Sanctitas* & *Obedientia* Christi Deo placuêre *propter se*, quia *Bona* in se; At Christi *Passiones* Deo nunquam *in se* & *propter se* placuêre, sed tantùm propter aliud. Qui enim non delectatur morte Peccatoris, neque delectabatur morte Filii sui innocentis. In Justitiæ autem declaratione, & mundi Redemptione delectatur.

56. Eandem Christus Legem Naturæ implevit, quam Adamus transgressus fuit, etsi non easdem Leges positivas. Neque quisquam præter Christum eam unquam implevit; id est, sine omni peccato ad vitæ finem usque vixit.

57. Legem Mosaicam Christus implevit, quia Judæus sub Lege illâ factus est. Non quia totum genus humanum ad Legem illam observandam obstrictum fuit, sed dum Legem illam (particularem quidem unius tantùm Reipublicæ, at Divinam tamen) obediendo adimplevit, per illam humiliationem & obedientiam, pro toto humano genere meruit, etiam pro exteris & posteris, qui ad Legem illam observandam nunquam obligati sunt.

58. Lege Mediatoriâ Christus ad plura obligatus est, ad quæ nemo vel hominum vel Angelorum unquam fuit obligatus: (ut mundum redimere, & pœnas humani generis lapsi ferre, &c.) Non igitur in Legis *Mediatoriæ propriæ* impletione Christus ab hominibus imitandus est.

59. Quoniam Christus, qui Intellectione perfectâ præditus est, tam pauca tamen de rebus Philosophicis & secularibus loquutus est, nos inde monendi sumus, ne nimis & inordinatè philosophica & secularia affectemus, neque ea majoribus, *viz.* spiritualibus præferamus.

60. Non tamen inde sequitur, debere nos à talibus in tantum abstinere, in quantum Christus ab iis abstinuit. Non enim quasi illicita, aut non utilia, ea devitavit; sed ut inferiora inferioribus hypodidascalis reliquit: sicut & linguarum usum non ipse edocuit (etsi postea per Spiritûs sancti operationem earum peritiam Apostolis inspiravit): & sicut plures sunt Artes, hominibus & licitæ, & suo loco necessariæ, quas Christus neque docuit, neque ipse exercuit; Quia scilicet officii ejus opera (sicut *Legislatoris*, &c.) fuêre altiora: Hæc tamen omnia subordinatè & docere & studere & exercere licet, & oportet.

61. Perverse admodum Ecclesias perturbârunt, & qui obedientiæ Christi perfectæ usum negant pro nobis *Meritorium*, & qui usum ejus *Exemplarem* ex inordinatâ Socinianorum oppugnatione, extenuant; & ita quæ Deus ad tantos fidelium usus conjunxit, separant. Alterutrum etenim negare, *Usum* scilicet vel *Meritorium* vel *Exemplarem*, vix levius delictum est, quàm Christum ipsum & ejus Mediationem negare.

62. Nihil

62. Nihil omninò majore molimine & doctrinâ & exemplo suo, Christus homines docuit, quàm 1. Deum summè Amare, & Homines propter Deum; 2. Voluntatem nostram & Vitæ & Voluptatum omnem Amorem, *Voluntati Divinæ* absolutè submittere: & nihil omninò Velle, nisi Deum sequendo, & subordinatè & conformiter ipsius Voluntati; & summopere cavere ne Voluntati ipsius nostra Voluntas aut resistat aut præcurrat; & ne aliquid peremptoriè Velimus, quod neque Vult Deus, neque Volendum nobis permittit.

63. Opera Christi Miraculosa ut *Potentiæ* declaratoria, non in se præstantiora fuêre quàm opera *Sanctitatis* & *Amoris*, quæ *Bonitatis* ejus excellentiam declarabant; sed hominibus tamen tunc maximè necessaria fuêre. 1. In tantum enim à *Bonitate* Morali seu sanctitate, natura humana est delapsa, ut ejus pulchritudinem videre non possit, neque pro dignitate illam æstimare. At à *Potentiâ Naturali* & ejus æstimatione non ita delapsa est. 2. Et à Dei ipsius notitiâ in tantum homo defecit, ut vix Deum jam agnoscat, nisi in operibus quæ nullus infra Deum facere potest, & ubi omnes creaturæ insufficientiam suam apertissimè fatentur. Quod nullibi fit æquè clarè ac in Miraculorum operatione: Quantum enim præstare potest creatura in operibus meræ *Sapientiæ* aut *Bonitatis*, nos jam *Insipientes* & *Mali* nescimus: At *Impotentiam* nostram & omnis creaturæ, faciliùs agnoscimus.

64. Etiamsi certissimum est Christum nunquam peccâsse aut errâsse, non omnia tamen quæ ipse dixit & fecit, nos dicere & facere possumus sine peccato; Quia non ex iisdem principiis, ad eosdem fines, vel sub iisdem omnibus circumstantiis, ea nos aut dicemus aut faciemus. Hæretici igitur & Schismatici nostri temporis, qui in jurgiis suis, rixis, & calumniis, iisdem verbis utuntur, quibus Christus contra Pharisæos usus fuit, sub specie sanctitatis dupliciter peccant, dum Christum peccatorum suorum fautorem vel authorem fingunt.

65. Qui Christum novit, ut *speculum* & *Doctorem* (sicut & *Mediatorem*) Divinæ Bonitatis, Amoris, seu Amabilitatis, ut per ipsius inspectionem seu *Fidem Amor Divinus* in mentibus peccatorum incendatur, is Christum *optimè novit*, & in notione maximè Evangelicâ, & veræ Christianismi naturæ congruâ.

66. Dum Christus nobis Deum ut Condonatorem, Reconciliatum, Amicum, Benefactorem, Fœlicitatem nostram revelavit, Amandum scilicet ut Medium ad *nostrum Bonum*, & ita subordinatè ad Amorem nostri ipsorum; hæc tantùm Revelatio *Mediata est*, & subordinata Revelationi Dei ipsius perfectionis, ut in se & propter se, & ut totius Universitatis finis amabilissimi, in quo ultimatè oportet ut omnes animæ facultates acquiescant.

67. Quamvis λόγ☉, persona secunda tantùm Incarnata est, & naturæ humanæ unita sola personam Mediatoris constituit, & ad opera Mediatoris propria in genere hujus Causæ sufficiebat; Hoc tamen *Spiritûs Sancti* cooperationem etiam in humanam Christi ipsius Naturam, non excluſit. Etiamsi secunda persona naturam humanam inhabitavit ad Personæ Mediatoris Constitutionem, Spiritûs Sancti tamen Operatione conceptus est Christus, & per ipsum humana Christi natura perfectè sanctificatur; & ita ultra mensuram spiritu plenus esse dicitur. Et per ipsum item Mirabilia ut Apostolorum, ita & Christi ipsius opera præstita sunt. Unde Christus Blasphemiam in Spiritum Sanctum vocat, Infidelitatem cum contemptu & calumniâ horum miraculorum non tantùm per Apostolos sed & per seipsum etiam præstitorum.

68. Sicut Regnum *Naturæ* fuit *Regnum Filii* & *Spiritûs Sancti*, at *Eminenter* PATRIS; ita *Regnum* Gratiæ est, *Patris* & *Spiritûs Sancti*, at eminenter Filii.

69. *Personæ Relatæ* & *Relationes* (ut *Materia* vel *Subjectum*, & *Forma*) sunt Partes Regni Constitutivæ seu Essentiales: Relationes autem subordinatæ, Oeconomicæ, Civiles, Ecclesiasticæ, cum donorum gradibus, sunt tantùm Partes Integrales.

70. Cætera enumerata sunt tantùm Adjuncta.

Disput.

Disput. 1. Qu. *An fides in Christum Incarnatum (vel Religio propriè Christiana) sit Unica jam ad salutem via? (Vel an aliqui jam extra ecclesiam, vel per fœdus naturæ, vel per fœdus Gratiæ primæ Editionis, vel per media nobis ignota, salvari possint?)*

AD verum hujus Quæstionis sensum intelligendum, I. Notanda sunt hæc præsuppositа. 1. Contra Atheos supponitur Hominem salutis futuræ capacem esse, & ad fœlicitatem cœlestem factum fuisse, & non tantùm ad vitam temporalem & terrestrem.

2. Supponitur non omnes salvandos esse, neque homines quà homines sine mediorum necessariorum usu; id est, sine aliqua Religione.

3. Supponitur Idololatriam Paganorum, aut delusiones Mahumetanorum, aut Infidelitatem Judæorum cum ceremoniis Mosaicis non esse veram Religionem.

4. Supponitur Religionem Christianam esse Divinam, & veram ad salutem viam. Hoc autem, quia libro peculiari (de Rat. Rel. Christ.) jamdudum copiosè probavi, in libro hoc supponendum duco.

5. Supponitur non omnem qualemcunque Religionem professoribus ad salutem esse sufficientem.

6. Supponitur neminem sine Christi ipsius Redemptionis & Reconciliationis opere præstito, salvandum esse, sed omnes salvatos ejus gratiâ salvatos esse.

II. Hisce suppositis, porrò notanda est diversitas Opinionum circa hanc quæstionem inter ipsos Christianos.

1. Quidam opinantur, salutem quidem Christianis fieri & faciliorem & communiorem: Attamen inter omnes infidelium gentes, etiam qui Evangelium audivêre, paucos quosdam esse, qui ex bene vivendi sincero conatu, sunt salvandi.

2. Quidam etiam hoc dicunt de Infidelium gentibus, quibus Evangelium Christi nunquam prædicatum fuit; at cæteris qui Christum repudiârunt, omnem salutis possibilitatem (consequentem) negant.

3. Quidam etiam salutis spem tribuunt iis tantùm Infidelibus, qui neque Evangelium audiverunt, neque audire potuerunt, per quorum culpam non stat quòd Evangelium ipsis non innotescit; Illis autem qui id non audiunt, quia vel flagitiis talem gratiam forisfaciunt, vel quia prædicatores expellunt vel procul amandant, vel quia negligentes de mediis ad salutem necessariis non sufficienti industriâ, etiam apud exteros, inquirunt, salutis omnem spem prorsus negant.

4. Nonnulli dicunt adultis infidelibus spem salutis nullam esse; at omnes eorum (ut & Christianorum) Infantes salvandos esse, ut qui vel nullum habent peccatum ut Pelagiani putant, vel à peccati Originalis reatu, absolutè per Christi sacrificium liberati sunt, ut alii.

5. Quidam autem Protestantium putant, non omnes Infidelium Infantes salvos fore, sed quosdam tantùm, quos non aliter describunt, quàm quòd Electi sunt ad salutem.

6. Plurimi etiam Papistarum (& cum ipsis Liturgiæ Anglicanæ *nuperi alteratores*) putare videntur, omnes quidem Infidelium Infantes in statu salutis esse, qui Baptizantur, etiamsi non fiant vel *Adoptione*, vel *pretio*, Christianorum *proprii*, sed tantùm, parentibus vel invitis, vel Infidelibus manentibus, ad sacrum lavacrum sint abrepti.

7. Quidam opinati sunt Infidelibus negativis, qui nunquam Evangelii auditum obtinuêre, neque *pœnas* neque *præmia* futura manere: Non *præmia*, quia non fœderati Christiani sunt; non *pœnas*, quia mortem temporalem quam solvunt, totam esse Legis naturæ pœnam autumant; & Infideles hos sub nulla alia esse Lege.

8. Plurimi hoc dicunt de Infidelium non baptizatorum Infantibus, at non de adultis; (sicut in Jansenii libro de hac re videre est.)

9. Protestantes nonnulli putant quosdam *inter Infideles* salvos esse, qui de Christo nunquam audivêre; non autem *Infideles*; sed fidem in Christo, etsi

obscuram, ipsis etiam sine Evangelio infusam esse putant: sed hæc, cum res facti sit, sine omni historica probatione fingitur.

10. Quidam hoc de Infantibus electis Infidelium dicunt, semen scilicet vel habitum fidei in ipsorum corda esse infusum: atque ita inter Christianos eos numerandos esse.

11. Quidam affirmant, Deum omnibus etiam Ethnicis objecta fidei externa sufficientia revelâsse, scilicet τὸ γνωστὸν τῦ θεῦ; & media ad salutem sufficientia ipsis per Christum concessa esse: Attamen eorum neminem salvum fore, quia sine interna gratia efficaci, quâ omnes carent, externa hæc media & objecta nunquam efficaciter ad salutem operantur.

12. Moderati quidam dicunt, certissimam esse salutem fidelium; & statum Gentium quibus evangelium non innotescit, (Infantium saltem) nobis omnino ignotum esse; & ut secretum Deo relinquendum.

13. Severiores autem plurimi dicunt, Inter Articulos fidei hoc numerandum esse; Sine fide in Christum incarnatum, mortuum, &c. neminem omninò salvandum esse; neque talium liberis spem ullam manere; neque medium aliquod ad salutem ullo modo sufficiens à Deo concessum esse, illis gentibus quibus non innotescit Evangelium: & contrarium dicentes, & fere dubitantes, inter hæreticos hi nimis orthodoxi numerant.

III. Quid autem de hac controversia tenendum est, jam distinctè hisce propositionibus aperiam.

1. Certissimum est neminem mortalium (neque adultos neque infantes) per Legem vel fœdus naturæ innocentis salvum fieri; Id est, per innocentiam coram Deo justificari.

2. Certissimum item est per opera Legis Mosaicæ, quasi remissionis & vitæ æternæ meritoria, neminem salvum fieri.

3. Idem dicendum est de aliis omnibus operibus, ut Christo oppositis, vel sub ratione meriti quoad justitiam commutativam.

4. Certissimum enim est sine Christi Mediatione, sacrificio, intercessione aut Spiritûs sanctificatione, neminem vel adultum vel infantem salvum fore.

5. Certissimum est statum Ecclesiæ longissimè aliorum omnium statui antecellere, & quoad salutis *certitudinem* & *gradum*, & quoad salvandorum *numerum*.

6. Certissimum est de facto, Deum multò obscuriùs nobis revelâsse, statum futurum eorum qui Evangelium nunquam audivêre, (& adultorum & Infantum) quàm aliorum, præcipuè Christianorum: Notitia quippe rerum nostrarum, maximè ad nos pertinet; non ita alienarum.

7. Siqui inter homines inveniendi forent, quibus *nulla Lex Gratiæ* unquam promulgata fuisset, hi omnes ut tantùm *sub violatâ Lege naturæ primitivâ* Subditi æstimandi forent; & de hisce ita judicandum foret: 1. Eos omnes esse filios mortis, id est, mortis temporalis & æternæ reos, ob violatam illam naturæ Legem, & originaliter & (si adulti sint) actualiter. 2. Contra Reatum istum nullum ipsis remedium datum esse, quod nobis aut ipsis innotescit. 3. Attamen pœnam Legis illius primitivæ esse *Remissibilem*, & Legis illius *comminationem* aliquatenus *dispensabilem*; sicut patet in eventu; Quia per Christum non (ut nos obligat) adimpletur, sed per ejus satisfactionem pœna debita remittitur. Prius enim Legis sensus fuit [*Qui peccat morietur*] & non [*Mediator aut sponsor pro ipso morietur.*] 4. Christo jam mortuo & resuscitato certum est neminem ex defectu sacrificii expiatorii damnandum esse. 5. Igitur utrum Deus, gratiâ illius sacrificii, aliquibus peccatorum Remissionem concederet, omninò ignotum foret; utpote non nobis revelatum. 6. At *privativè Infidelium* status *certissimè* miserrimus foret; utpote qui non solùm sub pœna dispensabili Legis primitivæ sunt, sed etiam sub pœna peremptoria Legis gratiæ ob spretam salutem. Et ita, 7. Si certum esset aliquos sub Lege nulla gratiæ esse, dicendum foret, certissimè eos per Legem primam condemnatos esse; an autem liberantur, nobis omninò ignotum esse; quia sub *pœna* quidem sunt, sed *dispensabili* seu *remissibili*; at Dispensatio seu Remissio nulla nobis innotescit: &

ideo

ideo nemo verè dicere poteſt, vel talem aliquem ſalvum eſſe, vel neminem talem fore ſalvum.

8. Sed reverà hic non eſt humani generis, vel gentis vel perſonæ alicujus ſtatus. *Fœdus Gratiæ* etenim *Initialis*, vel *primæ Editionis*, ut jam probatum eſt, *toti humano generi* factum eſt, & in *Adamo* & *Noë*; & per illos ad poſteros tradendum mandatum eſt; & de facto traditum.

9. Omnes qui ad ſalutem pervenêre ante Chriſti incarnationem, per gratiam hujus fœderis ad illam pervenêre; aut ut omnibus facti in Adamo & Noë; aut etiam ut Abrahamo & Judæis renovati.

10. Per peccata Caini & Chami & ſequentia plurima, hujus fœderis initialis beneficia plurima poſteris amiſſa ſunt; & Deus à quibuſdam magis quàm aliis abalienatus eſt, qui pœnas hujus Legis promeriti ſunt; & ita *Mundus* & *exteri*, & non *Eccleſiæ membra* reputantur; Attamen Lex Gratiæ per hominum peccata non eſt abrogata: ſub Lege igitur Gratiæ ſunt, qui contra Legem illam etiam ſæpiſſimè peccârunt. Etſi enim qui ſemel Fœdus naturæ violavit; (quod idem eſt ac Legis præceptum vel minimum violare) non amplius ſub fœdere eſt: De Legis Gratiæ violatione res aliter ſe habet: Qui etenim ſæpè peccavit, non igitur fœderi aut promiſſioni ſe totaliter ſubduxit; ſed Legi Gratiæ ſubditus eſt qui vel millies præcepta violavit: Lex enim peccatori tali adhuc dicit, *ſi credes & reſipiſces, ſalvaberis.*

11. *Præcepta* igitur *fœderis Gratiæ initialis*, *omnes adhuc obligant*, quibus revelata ſunt, & quibus præcepta fœderis *perfectioris* non revelata ſunt. Promiſſiones item & Comminationes illius fœderis omnibus adhuc vigent, quibus perfectioris fœderis Lex & Status non revelatur & ſuccedit.

12. Dupliciter Lex Gratiæ, initialis hæc univerſalis, hominibus innoteſcit: 1. Per traditionem: Ab Adamo ſcilicet & Noë toti mundo tradita fuit doctrina de miſericordia Divina, de ejus placabilitate, de poſſibilitate Remiſſionis peccatorum, & naturæ humanæ reparationis, de ſacrificio expiatorio, &c. 2. Per ipſam naturam & opera providentiæ, & quotidianam hominum experientiam. Qui enim ex Miſericordia vivunt, & quorum vita quotidiana beneficiis abundat, & qui cernunt Deum erga totum Genus humanum, viam miſericordiæ tenere, & erga neminem viam juſtitiæ rigidæ juxta naturæ innocentis fœdus, hi facilè hinc colligêre poſſent, Deum placatum eſſe, peccata non tantùm remiſſibilia, ſed quadantenus remiſſa; & mundum jam non regi juxta Leges primi fœderis juſtitiæ, ſed juxta Leges miſericordiæ. Sicut igitur Lex prima fuit *Lex Naturæ integræ*, ita *Lex Gratiæ* eſt *Lex Naturæ lapſæ & Redemptæ.*

13. Etſi autem Lex Gratiæ initialis quoad tenorem etiam exteris adhuc viget, quoniam tamen conſequentibus criminibus fœderis *Gratiam auxiliantem ſpecialem* amiſerunt, ſicut certum eſt ſine Gratia neminem ſalvum fieri, ita nobis incertum eſt quibuſnam de facto Gratia illa conceditur.

14. Pluſquam probabile tamen eſt, quòd in quantum unuſquiſque Legis Gratiæ ſubditus aliqualis fœderis Gratiæ adhuc particeps eſt, in tantum eum auxilia habere neceſſaria ad Gratiam majorem aliquam obtinendam. Nemo enim ſub fœdere Gratiæ etiam initialis eſt, qui nullam omnino ejus fœderis Gratiam poſſidet. Et nemo Gratiam aliqualem poſſidet, qui non per eam ad *meliora obtinenda* adjutus eſt. Etiamſi autem hæc Gratia non adhuc ſufficit ad ſalutem, ſufficere tamen potuit ad quandam meliorationem.

15. *Promulgatio* editionis perfectioris fœderis Gratiæ, ſtatum imperfectiorem finivit, ipſis quibus hæc promulgatio facta eſt: Majora ſcilicet & præceptis, & conditioni & promiſſis hujus perfectioris editionis inſunt, quàm in fœdere initiali. At ubi Majora obtinent, Minora (niſi in quantum majoribus incluſa) ceſſant. At ubi editio perfectior nunquam promulgata eſt, imperfecta non ceſſat. Si ceſſat enim, vel per Chriſti ipſam *Incarnationem* ceſſavit, vel per *Evangelii prædicationem*, vel per *Divinam revocationem*, vel quia ſub *Termino* jam *exſpirato* data eſt. Non per Chriſti *incarnationem*, quia incarnatus eſt ad *beneficia majora* non *minora* hominibus concedenda, & ad Eccleſiæ *amplificationem*,

non *diminutionem:* Non per *Evangelii prædicationem* nisi ipsis quibus prædicatur: Non per *revocationem*, nisi ubi *augmentatio* dici possit revocatio; sicut scientia virilis finit scientiam puerilem: Non quia *Terminus durationis* advenit, quia ubi Christus incarnatus per Evangelium non prædicatur, ibi Terminus durationis prioris editionis non adhuc venit. Et ita nulla prioris Beneficia ablata sunt, nisi per peccata amittantur; neque cessant, nisi per augmentationem, supervenientibus perfectioribus.

16. Quædam tamen conditionis fœderis Gratiæ primi, vel partes vel circumstantiæ cessarunt, per ipsam Christi incarnationem. Posthac enim nemo obligatus est, credere *Christum de futuro incarnandum esse*. Fideles ante Christi adventum ejus *Incarnationem* ut *futuram* expectabant. At non video quomodo aliquorum officium esse potuit, post Christi Incarnationem eum credere & expectare adhuc incarnandum esse: Quia *falsum credere* & *non-futurum* expectare tenerentur. Attamen si hoc ipsum die vel mense uno antecedente credere tenebantur, quomodo cessare potuit ista obligatio, iis quibus Christi Incarnatio nondum ullatenus revelata est? Supponamus vel Jobum, vel Abrahamum, vel Symeonem aliquem tunc vixisse, qui ante Christi nativitatem verè sanctus fuit, & Messiæ adventum expectabat; & tamen de ejus incarnatione nihil per annum plus-minùs audivisse? Qualis in hoc temporis spatio fuit hujus ad credendum obligatio? Si in Christum nascitum, tunc falsum credendum fuit: si non ita, quid obligationem ejus ad hoc ipsum credendum, cessare fecit? Si quæstionem hanc solves, quæstionem etiam de Gentium fide debita quæ Evangelium nunquam audivêre, solves.

17. Ad omnia hæc pleniùs intelligenda multum conduceret, si verum fœderis initialis (cum Adamo & Noë facti) *Conditionis* statum probè teneremus; Quæ res quidem ut magni momenti, ita non parvæ difficultatis est. Qui autem hîc veritatem fœliciter investigabit, oportet eum & rabularum & ignorantium superborum censuras patienter ferre, & gradatim vel pedetentim procedere à notissimis incipiendo, & certiora à minùs certis segregando. Exempli gratiâ.

1. Certum est quòd omnis hujus fœderis Fides salutaris, fuit Fides in Deum Redemptorem, id est, in Deum naturâ Misericordem, peccatores lapsos misericordiâ condonante & restituente amplectentem; & modis & mediis convenientibus Justitiæ suæ Gloriæ prospecturum. 2. Fides hæc necessariò igitur peccati & pœnæ demeritæ notitiam cum pœnitentia vera supponebat. 3. Fides hæc necessariò Amoris Divini fruitionem futuram, ut terrenis omnibus longè præstantioris, spectabat & sperabat; & Deus ipse Reconciliatus, Amans & Amandus, ejus Objectum fuit ultimatum. 4. Fides hæc necessariò manifestationi alicui Divinæ hujus miserationis, innixa est, sicut jam *promissiones* Dei, quia Voluntatem ejus beneficam patefaciunt, sunt fidei nostræ objecta; Ita necesse est ut præter naturam Dei misericordem, voluntatis ejus miserentis signa quædam extarent, ex quibus benefaciendi propositum ejus innotesceret. Beneficia autem actualiter collata priùs enumerata, talia omnibus signa sunt; præter Promissum Adamo datum, & per ipsum posteris tradendum. 5. Fides hæc necessariò *Beneficia hæc Media* ut ab Amore, & ad Amorem & fœlicitatem, procedentia, grato animo accipere, credentem causabat. 6. Et officia præcepta, & media ad Remissionem & salutem propriam utenda, obediente animo recipiebat. Hæc omnia de fide hâc antiquorum certa sunt. 7. Certum etiam est Deum Adamo *semen Mulieris caput serpentis contriturum* promisisse; & ita quoad *necessitatem præcepti* saltem, promissionem hanc necessariò ab omnibus Adami posteris credendam esse, quibus patefacta est. 8. Quibus hoc promissum de Messia non traditione vel revelatione novâ patefactum erat, hi nullo naturæ lumine, nullâ ordinariâ Dei providentiâ, nullâ experientiâ illud scire potuerunt. 9. Fieri tamen potest per ipsorum vel parentum peccata, quod non ipsis æquè ac Ecclesiæ, hæc promissio patefacta sit. 10. In quantum vel quo gradu hæc obscura Promissio ab antiquis fidelibus intellecta fuit, vix nobis jam satis notum esse ullo modo potest. Utrum scilicet Deus sensum ejus planiùs vel per verbum aliud, vel per inspirationem aperuit,

ruit, quàm ipsa verba rectæ rationi per se significant: Qui enim nil aliud credit, quàm *semen mulieris caput serpentis contriturum*, neque fidem habet magis distinctam & particularem, is minimè novit aut credit hoc semen mulieris futurum esse Deum & Hominem, sacrificium per mortem pro peccatis, resurrecturum, &c. Neque quis futurus sit; nec quomodo Serpentis caput contereret. 11. Silentium veteris Instrumenti, & Mosis scilicet & Prophetarum & Historiæ Sacræ de fide in Christum distinctiore fidelibus tunc communi, rem adhuc obscuriorem nobis reddit: Paucæ enim & obscuræ Prophetarum quorundam expressiones, & Isaiæ tandem aliquanto planiores, non nobis notum faciunt qualis tunc fidelium vulgarium fides fuit: sed longum & commune illud silentium eam *generalem tantùm* fuisse demonstrat. 12. Vix aliquid ad hujus rei intelligentiam majus & clarius nobis auxilium præbet, quàm instantia ipsorum Christi Apostolorum. De illis autem certum est, 1. Quòd in statu salutis fuêre ante Christi mortem & resurrectionem: si enim ipsius Christi Apostoli, qui ab ipso electi fuêre, & à mundo separati, & talem de Christo confessionem edidêre, & in tantum à Christo dilecti, ut amici & fratres fuerunt, & tot & tantas habuêre promissiones, non tamen fuêre in statu salutis, vix probabile esset ullos in statu salutis fuisse. 2. Vix omnino probabile est fidei speciem aliquam, aut gradum eximiorem, veteris Testamenti fidelibus communem fuisse, quàm ipsi Apostoli tunc obtinuerunt: Immo neque ipsi Abrahamo, Davidi, & cæteris sanctioribus: Quia Apostoli Christum ipsum viderunt, & audiverunt, & distinctiores multò habuêre revelationes. 3. Et certum est, nullum fidei Gradum altiorem ab Adamo ad Christum usque ad salutem *Necessarium* fuisse, quàm fides Apostolorum. 4. De fide autem Apostolorum constat, eos ignorâsse Christum morte pœnali plectendum esse (ut ex Petri verbis Matth. 16. patet); & consequenter eum pro peccatis moriturum esse, & seipsum sacrificium expiatorium Deo oblaturum; & ita in ejus sanguinem pro peccatis effundendum ad Justificationem aut Remissionem minimè tunc confisos fuisse: Item certissimum est eos ignorâsse Christum à mortuis resurrecturum esse: & ideo in ejus Resurrectionem pro justificatione etiam minimè confisi sunt. Patet item eos etiam post Christi resurrectionem de *Regno quodam visibili*, & Judæorum restitutione temporali somniâsse, sicut ob locum maximè eximium in Regno illo inter se antea certaverant: ex quibus non mediocre nobis oritur auxilium ad speciem & gradum fidei sub veteri Testamento necessarium cognoscendum. 13. Denique certum est plures fidei *jam Christianæ* Articulos fidelibus antiquis non fuisse necessarios: e. g. non necessarium fuit ut crederent, *hunc Jesum* ut *Individuum determinatum* esse Messiam; neque eum Mariæ filium fore; neque *modum conceptionis* per *Spiritum Sanctum* tenuisse; neq; eum *crucifixum* vel *crucifigendum* fuisse, multo minùs sub *Pontio Pilato*, & hujus & illius criminis accusatum: neque ut crederent eum *moriturum*, *sepultum*, vel *sepeliendum* esse, *resurrecturum*, in *cælos ascensurum*, & ibi causam nostram in *naturâ nostrâ* glorificatâ Deum & Hominem coram patre acturum esse; neque inde venturum in naturâ humanâ ad vivos & mortuos judicandum. Et quàm tenuis eorum fides in Spiritum Sanctum fuit, ex Discipulis illis *Act.* 19. colligi potest. Ex quibus omnibus Lectori candido descriptionem fidei initialis necessariæ colligendam relinquo.

Luc. 9. & 18. & 24.

Quibus etiam addendum est, Dei nominis sui descriptio, Exod. 34. & Fidei salvificæ descriptio, Heb. 11. 6. non parum luminis de hâc re animo sobrio & candido præbebit: Probat Apostolus sine fide neminem Deo posse placere, quia quicunque ad Deum venit, ut credat oportet Deum esse, & remuneratorem esse diligenter se quærentium: Quæ fidei omnibus necessariæ descriptio esse videtur: Et in gente unaquaque quicunque Deum timet & justitiam operatur, Deo acceptus est. Legatur etiam animo candido, Rom. cap. 2.

18. Proculdubiò absolutè ad salutem necessarium est, ut fides illa quæ salutaris est, Amorem & Amabilitatem Dei Misericordis & Salvatoris credendo, Amorem Dei sanctum & prædominantem in Anima excitaret. Et ubicunque Amor ille Dei effectus est, ibi Amator proculdubiò in statu salutis est: Quia non est possible

possibile Deum, sui Amatores veros non amare, multo minùs ejus Amatores in ignem sempiternum cum sua Imagine conjicere. Sanctitas, quæ consistit in Amore Dei, & vera obedientia, est absolutè necessaria ad salutem: Esse enim salvum, aut beatum sine Sanctitate seu Amore, est mera contradictio; quasi vivere sine anima, vel sanum esse sine sanitate. Fides igitur illa est certissimè salutaris quæ sanctificat, vel Amorem Dei verum in anima generat; & nulla alia fides salutaris est. Qui igitur probare potest, talem in alicujus fidei objecto vel actui defectum inesse, qualis cum Amore Dei & sanctitate consistere non potest, vel qui fidem illam reddit omnino insufficientem & inefficacem ad Amorem Dei excitandum, is solus probabit personam illam non habere fidem salvificam.

19. Certissimum est mortalium neminem, per meram Legem Naturæ integræ (vel per primum fœdus) judicandum esse. Etiam Infantes in quantum aliquid de eorum statu novimus, juxta ordinationem Divinam sunt quasi membra parentum, & illorum boni vel mali participes fiunt. De adultorum autem statu ex jam dictis res clara est. Si nemo mortalium non *Legi Gratiæ alicui subditus est*, tunc nemo mortalium est qui per *Legem Gratiæ aliquam non judicabitur*. At verum priùs: 1. Quia in Adamo & Noë Lex Gratiæ toti humano generi facta est. 2. Quia ex ipsa Natura & experientia constat, unumquemque Gratiæ plurima beneficia possidere, & ex illis obligari ad pœnitentiam & gratitudinem; & nemini non media seu officia quædam à Deo imperata esse, in ordine ad conversionem, & salutem obtinendam. Qui ad media nulla suæ salutis omnino obligatur, jam damnatus est & apud inferos: Qui ad media quædam salutis & conversionis & justificationis utenda obligatur, ille per *Legem Gratiæ* ad ea obligatur. (Lex enim naturæ integræ reparationem non novit). At qui per *Legem Gratiæ obligatur*, per illam etiam *judicabitur*. Eadem enim Lex est norma officii & judicii. At qui per Legem *Gratiæ judicandi sunt, aliqualem* certè *Gratiam habuêre*; (id est, misericordiam, beneficia, dona, non tantùm *præter meritum*, sed *contra demeritum*.) At Gratia omnis ad salutem suâ natura tendit, & ad gradum aliquem erga salutem promovendum, suo genere, sufficiens est. Et quicunque mortalium condemnabitur, ob Gratiæ talis, ad meliorationem quandam suo genere sufficientis, vel rejectionem vel abusum vel neglectum condemnabitur. Ergo totum genus humanum per fœdus Gratiæ initiale cum Adamo & Noë, in propiorem salutis capacitatem positum fuit: Jam autem per *peccata parentum* sequentium *minùs salutis capaces* redduntur, non autem *omnino incapaces*: Gratiam enim fœderis nimiùm forisfecerunt, & amiserunt; at *fœdus* tamen non *fit nullum*, aut *abrogatum*; neque *tota* fœderis *Gratia* illis cessavit: sub capacitate igitur remotiore salutis adhuc manent; at non sub proxima.

Lege *Gellii Snecani Methodum* de hisce.

Quicunque autem Evangelium Christi Incarnati audivêre, per *fœdus* hoc *perfectius* judicandi sunt, vel ut ejus contemptores ad mortem, vel ut fideles ad vitam. Qui verò Evangelium neque audiverunt, neque audire potuissent, si fœderis Gratiæ cum Adamo & Noe facti, conditiones sincerè præstent, salvi fuerint; sin aliter, condemnati. Et hæc ex Dei verbo mihi clara videntur.

20. Quæstio igitur, utrum tales aliqui salventur, in hanc tandem incidit, & revolvitur, *An tales aliqui conditionem fœderis Gratiæ initialis de facto unquam verè præstent?* Cujus per ingenia modestiora talis erit resolutio: 1. Quæstionem facti, an scilicet alii credant, vel Deum diligant, non facilè nobis notam fieri posse; præcipuè de hominibus quos nunquam vidimus. 2. Quòd nobis hoc noviisse non multum opus est; & ideo minùs à Deo patefit, quia nostrâ non refert. 3. Quod certum est, ubi peccata majora contra Gratiam, beneficia fœderis plurima forisfecerunt, & media & auxilia Gratiæ minora suppetunt, ibi salutem esse & multo difficiliorem, & rariorem; & ubi plura Gratiæ media suppetunt, ibi probabile salutem esse ut faciliorem, ita & communiorem. 4. Ex lege tamen charitatis erga Deum & proximum tenemur opinari, nonnullos ex omnibus terræ nationibus fœderis initialis conditiones verè præstare, & inde certò salvos fieri: 1. Quia conditionis illius præstatio non fit illis impossibilis: 2. Quia sicut

de

de Divina Potentia & Sapientia, ità & de Bonitate & Amore & Benignitate ejus, non parva & mediocria, multo minùs minima vel diminuentia cogitare & dicere vero Numinis cultori convenit; ubi nulla Sacræ Scripturæ dicta ad talia aut cogunt, aut cogere videntur. 3. Quia omnino improbabile est ex naturâ rei, Deum Opt. Max. totum mundum per talem Gratiæ Legem jam regere, quæ tantùm ad omnium fere condemnationem sufficeret; at ad nullius omnino salutem. 4. Quia si ante Christi incarnationem per annos circa quatuor mille fides antea descripta sufficiens erat ad salutem, & si tales fuêre fideles extra Ecclesiam Judaicam, (sicut ex instantiis Melchisedeki & ejus subditorum, Jobi & ejus amicorum filiorum Ismaelis, Esaui, Keturæ, &c. & Ninevitarum, &c. fit plusquam probabile), tunc idem de exteris quibusdam adhuc judicandum est. 5. Quia dicta Sacræ Scripturæ plurima sententiæ huic adstipulantur; & nulla contradicunt. Act. 10. 34, 35. *In omni gente qui Deum timet, & justitiam operatur, ab ipso acceptus est.* Lege fidei Noe, Rahab, & aliorum descriptionem, Heb. 11. Rom. 2. 4, 6, 7. *Bonitas Dei te ducit ad pœnitentiam——Qui unicuique tribuet secundum opera sua: Illis qui per patientem continuationem bene-agendo, quærunt gloriam, honorem & immortalitatem, viam æternam——*14. *Quando enim Gentes quæ legem non habent, ex natura faciunt ea quæ in Lege sunt, hæ Legem non habentes, sibi ipsis Lex sunt; & Legis opus eorum cordibus inscriptum commonstrant, conscientiis ipsorum attestantibus, & cogitationibus ipsorum interim invicem aut accusantibus aut excusantibus.* Act. 17. 27. *Ut Deum quærunt si forte palpando eum invenirent, etiamsi ab unoquoque nostrum non procul absit.*

Sententia Justini Martyr. Clem. Alex. & aliorum veterum de Ethnicorum statu satis nota est. Verba Augustini notabili de libro quodam Ciceronis jam amisso, huc transferre (post Cœlium Rhodiginum, Ang. Politianum, Hornium, &c.)

non pigebit. Confess. l. 3. cap. 4. [*Perveneram in librum quendam cujusdam Ciceronis, cujus linguam fere omnes mirantur, pectus non item: Sed liber ille ipsius exhortationem continet ad Philosophiam, & vocatur Hortensius: Hic vero liber mutavit affectum meum, & ad teipsum Dominum mutavit preces meas, & vota ac desideria fecit alia. Viluit mihi repente omnis vana spes, & immortalitatem Sapientiæ concupiscebam æstu cordis incredibili, & surgere jam cœperam ut ad te redirem—— Quomodo ardebam Deus mi, quomodo ardebam evolare à terrenis ad te? & nesciebam quid ageres mecum. Apud te enim est Sapientia. Amor autem sapientiæ nomen Græcum habet Philosophiam; quo me accendebat ille liber.*] Hæc Augustinus. Et de Seneca Lactantius dicit li. 6. c. 24. *Seneca potuit esse verus Dei cultor, siquis illi monstrasset: & contempsisset profecto Zenonem & Magistrum suum Socionem, si veræ sapientiæ ducem nactus esset.*

Nimis igitur temerè, neque satis modestè, sententia hæc moderata Doctorum Ecclesiæ antiquorum à quibusdam Theologis exagitata est, viz. Justini Martyris, Clementis Alexandrini, Origenis, Lactantii & aliorum; qui non tam longè quàm nos à luce Apostolicâ & à sensu Ecclesiæ primitivæ, & zelo & charitate maximè abundantis, abfuêrunt.

At contrà objicitur. Obj. 1. Joh. 14. 6. *Ego sum Via, Veritas & Vita; nemo venit ad Patrem nisi per me.*

Resp. Hoc non dubitatur. Nemo venit ad Patrem, nisi per Christi sacrificium reconciliatum, & per Christi intercessionem admissum; nemo item nisi lumine Christi ductus, & Spiritu Christi tractus, & beneficiis & auxiliis Christi adjutus; & nisi per promissionem seu fœdus Gratiæ per Christum procuratum & factum, jus receptionis obtinet. At non dicit, Nemo qui non audivit me incarnatum esse, Deum & hominem, crucifixum, sepultum, resuscitatum, &c. Aut si hoc probare dictum potuisses, ad populum quibus dictum est applicandum foret; q.d. *Nemo qui Evangelium audit*, &c. Attamen hac responsione non opus est.

Obj. 2. Act. 4. 12. *Nullum aliud nomen sub cœlo datum est, per quod salvi fiamus——*

Resp. Verum hoc: Non alter est inter Deum & homines mediator: non alter Messias expectandus: non aliud pro peccatis sacrificium est. Neque salutis illius spes ulla restat, qui Christum incarnatum ipsi prædicatum respuit. Attamen qui Evangelium nunquam audivêre per idem nomen, id est, per eundem Mediatorem salutem obtinere possunt, sine fide vel notitia ejus incarnationis, Mortis, Resurrectionis, si in *Sapientiam & Misericordiam* Divinam, mundum à peccatis & morte Redimentem & Salvantem, credant, & ea omnia credant & faciant quæ per fœdus Gratiæ initiale necessaria facta fuerunt.

Obj. 3. *Qui naturâ sunt filii iræ, & alieni à Republicâ Israelis, & peregrini à fœdere promissionum, spem nullam habentes, & absque Deo in mundo, hi non sunt sub*

fœdere

fœdere gratiæ, neque salutis capaces, sine fide in Christum incarnatum. At tales sunt omnes Ethnici, seu Gentes extra Judæorum rempublicam. Ergo——

Resp. Duplex hîc supponitur *Peccatum* & *Miseria Naturalis*: Altera ex Adamo, altera ex *propioribus Parentibus*. De *posteriore* textus loquitur, priore præsuppositio: Unde distinctio Apostoli ad Galat. 2. 15. [*Judæi naturâ, non peccatores è Gentibus.*] Judæi ipsi *naturâ fuêre filii iræ ob peccatum originale primum*; utpote qui in lumbis Adami, æquè ac ipsi Ethnici peccârunt: si igitur omnes qui *Naturâ filii iræ* sunt, à fœdere & spe excluſi forent, totus Mundus, tam Judæi quàm Gentes excluderentur. At omnibus iræ filiis per peccatum Adami, Deus in Adamo dedit Gratiæ fœdus peccata remittens, & Spiritum Sanctum & vitam æternam promittens, sub conditione fidei & resipiscentiæ: & ita omnes filii iræ Redempti, sub conditione acceptionis & gratitudinis, fiunt filii Dei reconciliati. Sed Cainus & Chamus & Nimrodes, & tales parentes Infideles, impii, hujus fœderis Gratiam protervè rejicientes, maledictionem primâ pejorem in se & posteros suos, ut à populo Dei fideli separatos, induxerunt. Et ita *filii iræ* jam duplicis appellantur; Iræ scilicet aut *pœnarum* & primi fœderis ab omnibus æquè violati, & secundi fœderis contempti: & ita alieni sunt à *Republicâ Israelis*, quia favore Divino, fidelibus proprio, se spoliârunt, & ob eandem rationem privilegiorum Israelitarum sunt expertes: *Absque Deo* autem esse dicuntur, quia Idololatriæ dediti, verum Deum plerumque ignorârunt; & à *fœdere promissionum alieni* dicuntur, quia fœdus particulare Abrahamicum & Mosaicum, Israelitis peculiare, ipsis neque factum, neque bene notum fuit: Immo & fœderis Gratiæ initialis promissiones vix ipsis plerumque probè notæ sunt; Ideóque sine spe Israelitarum peculiari, & plerumque sine spe per fœdus initiale omnibus datâ, fuêre: Non quòd spem nullam aut fœdus Gratiæ nullum, Deus ipsis (cum genere humano universo) dederit; neque quòd Fœdus hoc violatum totaliter ipsis cessaverit, aut factum fuerit nullum: sed quia Gentes à fœderis hujus clarâ notitiâ, & à *jure* ad Spiritum Sanctum, & beneficiis fœderis specialibus exciderunt: Non tamen ita penitùs, ut nemo inter Gentes omnes inventus sit, qui non à Deo ita totaliter fuerit Apostata, sed de *publicis Gentium societatibus* dictum est, ut Reipublicæ Israeliticæ comparatis; Quoniam nulla per terrarum Orbem Respublica nota est, quæ cum Deo sicut Israelitæ, publicè & specialiter fœderata fuit. Unde textus hujus sensus, & omnium horum attributorum ratio, facilè constat.

Obj. 4. Joh. 17. 3. *Hæc autem est Vita æterna ut te verum Deum cognoscerent, & quem misisti Jesum Christum. Ergo qui Christum non nôrunt, vitam æternam non habent.*

Resp. Nulla quidem salus alicui obvenit nisi per scientiam Dei & Christi; viz. vel *modo obscuriore* & generaliore, ut *sapientiæ Patris misericordis hominem Redimentis vel liberantis à peccato, reatu & miseria ad felicitatem*; vel *modo distinctiore*, ut *Filii Dei Incarnati*, mortui, &c. Notitia prior necessaria facta est per fœderis editionem primam: Notitia posterior per editionem perfectiorem.

Obj. 5. 1 Joh. 5. 19. *Novimus autem nos ex Deo esse, & totum mundum jacere in nequitia.*

Resp. Id est, Omnes mundi Gentes & Societates, ad Ecclesiam Dei comparatæ. Plures jam mundi nationes etiam Religionem Christianam profitentes, in nequitia jacent, quoad praxin communiorem; ubi tamen nonnulli Dei timore præditi sunt.

Obj. 6. Rom. 10. 12, 13, 14, 15. *Idem enim Dominus super omnes est, omnibus qui ipsum invocant locuples: Quicunque enim Dei nomen invocabit salvus erit. Quomodo autem eum invocaverint, in quem non crediderunt? Et quomodo in ipsum credent, de quo non audiverunt? Et quomodo audient sine prædicatore?*

Resp. 1. Dr. Hammondus nostras hunc locum interpretatur, non quasi verba Pauli, sed quasi objectionem Judæi fidelis. 2. Sine prædicatore Evangelii nemo credet in Christum incarnatum; & sine vel Traditione vel prædicatione Divinæ providentiæ, misericordiam condonantem & liberantem peccatoribus exhibentis, nemo credet in Christum juxta tenorem fœderis Gratiæ initialis. Et ipsorum

rum sacrificiorum usus inter omnes mundi gentes, ostendit, Deum Redemptorem (seu misericordiam condonantem) per parentes posteris prædicatum fuisse.

Obj. 7. Rom. 3. 10, 11, 12, 17, 19. [*Nullus justus est, nè unus: nemo intelligit, nemo Deum quærit*, &c. *Omnes peccarunt & à gloria Divinâ defecerunt*, &c.

Resp. Vera sunt hæc omnia de Judæis Ecclesiæ membris (ut expressè dicit Apostolus) æquè ac Gentibus, ex ratione peccati primi Originalis: Ex hoc enim probatur, neminem per viam innocentiæ seu operum, aut ex vi naturæ ad integritatem se restituentis, justificatum aut salvatum unquam fuisse. At non inde probatur, nullam Dei gratiam humano generi datam fuisse per fœdus Gratiæ initiale; aut nullam adhuc extra Ecclesiam Evangelicam juxta fœdus illud concessam esse.

Obj. 8. Rom. 8. 6. *Carnalia sapere Mors est.* 9. *Si quis non habet Christi Spiritum, idem ejus non est.* Joh. 15. 5. *Absque me nihil potestis.* Heb. 11. 6. *Sine fide impossibile est Deo placere.*

Resp. Conceditur, statum carnalem & irregenitum esse statum mortis; & neminem nisi per Christi Spiritum à statu hoc liberatum iri; & ita sine Christo per Spiritum inoperante, nihil salutare possumus: & sine fide nemo sanctificatus est; & ideo Deo placere non potest. At nondum probatur Christum nemini adhuc inter exteros, qui Evangelium non obtinent, suum Spiritum sanctificantem dare, juxta fœdus Gratiæ initiale: & neminem inde credere & *Deum esse*, & *esse Remuneratorem eorum qui eum diligenter quærunt*, etiam peccatorum qui mortem sunt demeriti; & ideo esse peccatorum condonatorem, & miserorum salvatorem misericordem: neque probatur neminem ex fide hâc Deum verè amare, & sanctificatum esse.

Obj. 9. *Nullis nisi Christianis promissio aliqua salutis facta per Deum extat: ergo à nullis aliis vel credi vel sperari potest.*

Resp. Fœdus Gratiæ humano generi in Adamo & Noe factum adhuc extat. At fœdus illud continet promissionem salutis credentibus fide illâ [illud]terum, sine fide in Christum jam incarnatum: Ergo promissio vitæ ita credentibus adhuc extat, & viget, ubi per meliores promissiones non aboletur.

Obj. 10. *Si nulla extat via ad salutem præter Religionem Christianam, quæ à Deo præscripta est, & ubi rectè utentibus certus promittitur successus; tunc nulla via extat præter Religionem Christianam ad salutem sufficiens, vel per quam aliquis salvari possit. At verum prius. Ergo.*

Resp. 1. Conceditur, nullam aliam esse viam tam facilem, certam, & fœlicem, quàm Religionem plenè Christianam: ut etiam neminem non Christianum salvum fieri, qui Evangelio prædicato fidem negat: & neminem non initialiter Christianum, id est, non fidelem juxta sensum fœderis initialis, unquam salvum fieri. 2. At præter fidem in Christum jam incarnatum alia, ut jam probatur, via à Deo antiquitus præscripta est, promissione salutis in fœdere annexâ. Quæ promissio ita credentibus adhuc valet & viget, ubi meliora non illam evacuant, & cessare faciunt.

Obj. 11. *Qui credit salvabitur; Qui non credit damnabitur, & jam damnatus est*, Mar. 16. 16. Joh. 3. 18, 36. *Et vitam non videbit, sed ira Dei manet super ipsum.*

Resp. Expressè hæc omnia in textu dicta sunt, de iis quibus Evangelium prædicatur; sicut legenti facilè patebit; At de cæteris nil tale dictum est.

Obj. 12. *Illa non est salutis via, quæ quid sit ipsa salus non edocet: At nil nisi Religio Christiana quid sit ipsa salus edocet: Ergo*——

Resp. Non alibi tam *clarè* docetur quid salus sit, quàm in Evangelio Christi incarnati. Attamen ante Christi incarnationem hoc sufficienter ad salutem docebatur: & quàm latè patuit fœdus Gratiæ Initiale, (quod universale fuit) tam latè etiam doctrina vera de naturâ salutis patefacta est. Et ex Dei providentiâ misericordis jam peccata remittentis, notum peccatoribus esse potest, salutem consistere *finaliter* in perfecta Dei cognitione, & delectabili per mutuum Amorem fruitione in æternum: & *quoad Media*, in sanctificatione, seu amore illo jam incepto & per fidem in Deum misericordem excitato, & per obedientiam since-

ram operante; & hæc omnia per Spiritum vel Amorem Divinum in cordibus nostris operanda esse.

At quidam nuperi, *Quærentes* & *Trementes* in Anglia dicti, in contrariam ruunt extremitatem, & nullos ad fidem Christianam obligari asserunt, nisi qui Miracula Christi vel sequacium ipsi viderunt; aut statum Christianorum cum Paganorum & Infidelium fere æquant; & utrisque spem omnem salutis ponunt, in interni communis luminis obedientiâ; hoc est, ut unusquisque secundum conscientiæ propriæ dictamen fideliter vivat. Sed contra hos non unum jamdudum scripsi librum, ideóque eos jam dimittendos duco. De quæstione autem hâc ut candidus veritatis amator hæc bene ponderet, obtestor: 1. Quòd certum est per fœdus Gratiæ initialis plurimos ante Christi incarnationem salvatos fuisse. 2. Certum est non solum Judæos tunc salvos fuisse: Abraham putavit 50. justos fuisse in Sodoma: Per quod judicent filii Abrahæ de statu mundi. 3. Certum est Christi incarnationem mundum in statum deteriorem non dejeciisse: 4. Ideóque omnia fœderis initialis beneficia manere iis quibus antecedenter pertinebant, nisi per majora aut per contemptum gratiæ cessent. 5. Sicut igitur *fœdus peculiaritatis* solis Judæis antea datum fuit, at fœdus Gratiæ communis omnibus; Ita *fœdus peculiaritatis præstantius* jam Ecclesiæ Christianæ proprium est.

Disput. 2. *An Deus peccata remittere, & peccatores salvare potuit, sine Christi incarnatione & sacrificio expiatorio?*

DE hac re ita discrepant Theologi etiam Reformati: 1. Quidam (ut Wallæus, Dr. Twissus & alii) affirmativam partem aperte profitentur, ut necessariam ad honorem tuendum Divinæ *Omniscientiæ* & *Omnipotentiæ*. 2. Alii partem tenent negativam, ut necessariam ad *Justitiæ* Divinæ, ad *Christi* & *Christianismi honoris* & *veritatis* defensionem. 3. Alii denique quæsitum inter mysteria Divina, quorum cognitio nobis non necessaria est, numerant; Ideóque disputationem hanc ut inutilem & periculosam devitant.

Siquis autem opinionum harum omnium *commoda* potest extra periculum constituere, & earum omnium incommoda devitare, & neque secreta Divina temerare, neque veritatem aliquam revelatam negligere, is viâ jucundissimâ & tutissimâ incedet.

Ut confusionem devitemus hîc primò distinguenda sunt, 1. Christi Sacrificium, & ejus opera Meritoria: 2. Christi sacrificium, & Angelorum aut aliorum quorundam pœnæ vicariæ: 3. Condonatio peccatorum omnium totius mundi, & condonatio vel hominis, vel peccati unius. 4. Pœna tota demerita, & pœnæ pars aliqua. 5. Obligatio Legis, & finis regiminis. 6. Impunitas & Impunitatis consequentia. 7. Potestas Dei ut Antecedens, & ut Consequens.

Distincta igitur hæc dubia non sunt confundenda. 1. Q. *An Christi opera meritoria & applicatoria Mundum redimere potuissent, sine ejus sacrificio?* 2. An *Angelorum tot incarnatio & passio, quot homines fuere peccatores, Redemptionis opus præstare potuissent?* 3. An *Deus mundi totius vel Adami peccata remittere potuisset sine aliquo sacrificio, vel pœnâ datâ?* 4. An *hominis unius peccatum, vel unicum cujusdam peccatum sine satisfactione pœnali remittere potuisset?* 5. An *pœnæ partem notabilem ferenti, partem reliquam vel aliquam sine satisfactione remittere potuisset?* 6. An *Deus hæc potuit Antecedenter ad Legislationem, vel Creationem?* 7. An *Deus hæc potuit consequenter post Legislationem & peccatum?* 8. An *non-posse oriatur ex obligatione Legis minantis; vel potiùs à necessitate medii ad fines regiminis?* 9. An *non-posse sit ex malo ipsius Impunitatis?* an *potius ex Impunitatis consequentibus?*

Quia verò & temeritatem circa inscrutabilia Divina metuo, & tædium Lectoris devitare studeo, non omnes has quæstiones distinctè disputando tractare statui, sed determinanda à non determinandis segregando, veritatem in propositionibus quibusdam suâ luce ferè notis, declarare.

Prop. 1.

Prop. 1. De potentiâ Dei Antecedenter ad rerum constitutionem, hîc nemo nisi curiosus & temerarius disputabit: *viz.* An Deus talem mundum, tales subditos, tales Leges, cum talibus circumstantiis facere potuisset, unde peccatorum impunitas vel simplex condonatio innoxia futura fuisset? Disputatio talis humanum ingenium non decet.

2. Supposito autem *statu Mundi, naturâ humanâ, Lege naturæ*, immo & *positivâ*, & omnibus in mundo jam creato *circumstantibus*, de Legis sensu & obligatione primò considerandum est.

3. Sanctio pœnalis vel comminatio quatenus in Lege naturæ invenitur, non determinat omnem pœnam debitam certò esse infligendam, neque Rectorem obligat ad pœnam omnem debitam infligendam; sed pœnarum *jus* vel *debitum* peccatoribus statuit; & de *Debito* tantùm *directè*, de eventu autem non nisi *consequenter* determinat.

4. Sanctio pœnalis Positiva Legis primæ, videtur esse mixta, partim de *Debito*, & partim de Eventu etiam peremptoriè loquens: q. d. *Quandocunque fructum hunc edes, non tantùm mors spiritualis per teipsum tibi obveniet, & mors æterna tibi debita erit, sed & mors temporalis certissimè infligenda erit:* eventus enim hanc ita comminationem exponere videtur.

5. Etiamsi Lex pœnalis quà talis Legislatorem non directè & absolutè obligat ad pœnas inferendas, neque directè loquitur de eventu, sed de Debito; Quoniam tamen fit *Norma officii* & *judicii*, quandocunque Lex datur, Rector subditis suis quasi dicit, [*secundum hanc normam judicari expectate*:] Quod dictum hoc implicare videtur [*secundum hanc normam ordinariò subditos judicabo.*] Legem igitur ferendo, dum Rector declarat, secundum hanc normam se *ordinariò judicaturum*, & cùm Lex sit *Juris Regula*, & *Justitiæ* sit *suum*, id est, *Jus unicuique reddere*, Rectoris *Veracitas* & *Justitia* requirunt, ut secundum hanc Legem *ordinariò judicet*; etiamsi *extraordinariò* ex causâ aliquâ speciali ex supereminentiâ potestatis, dispensare potest.

6. Si Legis violatio, præcipuè crassa, frequens, pertinaciter aut animo lubenti commissa, impunè dimitteretur, proculdubio & Lex & Legislator à subditis contemnerentur; & peccatum sine timore committeretur; & ita nulla extarent motiva sufficientia ad obedientiam procurandam, & peccatum impediendum, naturæ humanæ adaptata. Aut enim Legem aliquam pœnalem extare oportet, aut nullam: si nulla fuerit, tunc impunè omne malum perpetrabitur; & quasi dicet Legislator, [*Bonum* sive ametis, sive odio habeatis, malum sive faciatis sive devitetis, eadem vobis evenient consequentia.] Et quid hoc esset nisi Bonum & malum morale quasi æquiparare, & Regimen omne subvertere, & societates omnes dissolvere? Quænam enim Respublica sine pœnis unquam constitit aut consistere potest? Sin autem juxta naturam humanam, præcipuè corruptam, pœnales Leges ad obedientiam & ipsum Regimen sunt necessariæ, necessarium erit ut subditi earum expectent executionem, aut non. Si subditi executionem non omnino expectent, Leges non tantùm inanes erunt, sed deridiculæ, & Legislatori cedent in opprobrium & ludibrium. Neque quisquam inter homines tam stolidus inventus Legislator est, qui subditis diceret, [*Homicidæ mors debita fuerit, at non morietur*; id est, *Morte plectendus est, at non morte plectetur.*] Si autem oportet subditos pœnam *expectare*, proculdubio expectationis hujus aliquam *rationem* seu *fundamentum* etiam extare oportet: Quod nil minus esse potest quàm Legislatoris aliqualis assertio, prædictio, vel Voluntatis suæ de executione significatio. Quando autem puniendi Voluntas Legislatoris ita significatur, *quasi obligatur* per istam significationem, (nisi rarò & ex causâ extraordinariâ dispensandi) ad pœnas istas exequendas, nisi mutabilis, insipiens aut impotens, deceptor & injustus, si non fere mendax, æstimari mavult. Et ita Rectoris sapientiæ, potentiæ, justitiæ, immutabilitatis seu constantiæ, si non & veracitatis, honor ad Pœnas minatas ordinariò exequendas, devinctus esse videtur.

7. Ut Peccati supprimendi media moralia necessaria suppetant, & Boni à malis,

lis, obedientes ab inobedientibus sufficienter per præmia & pœnas distinguantur, hoc maximè Rectoris ipsissimum opus est, & ad sapientiæ, justitiæ, bonitatis, potentiæ & Regiminis sui honorem maximè spectat.

8. Hisce igitur suppositis, qui quærit an Deus (consequenter) mundi peccata impunè remittere possit, idque sine pœnâ vicariâ Mediatoris, mihi quærere videtur, An Deus mundi jam perfectissimus Rector, mundum insipienter, confusè, injustè, ad peccati decus & suum dedecus, & peccatoris deceptionem & subversionem, possit regere?

9. Immo si ex eventu & sacris literis judicare liceat, etiamsi Christus pro peccatis mundi sit sacrificium, in *suo genere*, & ad *opus proprium plenè sufficiens*, non ideo tamen ipsum peccatorem omninò impune dimittere, justissimum & sapientissimum Mundi Rectorem decuit. Si enim Deus generi humano dixisset [Justitiæ meæ & honori læso ita per Christi pœnas satisfit, ut ex nullo posthac delicto vos ipsi pœnas ullas daturi sitis; verùm quodcunque perpetrabitis malum, impunes semper evadetis] hoc omnia fere eadem incommoda intulisset, quæ & absoluta impunitas: Peccatum scilicet promoveret, & regimen omne subverteret. Non enim homines (quales jam sunt aut unquam fuerunt) ideò à peccando abstinerent, quia Christus pro peccatis semel passus fuit, dum ipsis peccâsse nil damni vel pœnæ omnino afferret.

10. Ideóque, etiamsi Christus passus est, & non obstante satisfactionis ejus sufficientiâ & efficaciâ, Deus primi violati fœderis judex, *mortem corporalem* cum vitæ hujus *plurimis ærumnis*, & reo sententiâ prolatâ *adjudicavit*, & continuò *exequitur*; & *Magistratibus* & *Parentibus reos puniendi* officium imposuit; Immo & in fœdere Gratiæ, sub conditione tantùm pœnitentiæ *pœnarum æternarum* promittit remissionem, & impœnitentibus *majorem pœnam* minatur. Ideóque non solis Christi passionibus sine omni pœnâ ipsius peccatoris, aut peccandi libido & audacia in mundo supprimitur & frænatur, aut sapientiæ & justitiæ Regentis plenè & totaliter satisfit. (Etiamsi *satisfactio* in alio sensu sacrificio & meritis Christi solis adscribenda sit, de qua suo loco.)

11. Sacrificii igitur seu satisfactionis Christi finis non fuit, loco omnium ipsius peccatoris pœnarum, ad mundi regimen, & peccati suppressionem, & obedientiæ promotionem, & justitiæ Divinæ demonstrationem sufficere. Certissimum enim est de facto, per *pœnas proprias castigatos* corrigi, & Justitiam divinam aliquatenus demonstrari: *Notus enim est Deus per judicia quæ exequitur*, Psal. 9. 16. & ex ratione rei ipsius notissimum est, solius Christi pœnas ad peccandi frænationem non suffecturas esse.

12. Sacrificii igitur & satisfactionis Christi finis est, non omnes pœnas subditorum suspendere vel impossibiles reddere, sed rationem præbere Rectori justissimo sufficientem, (ex commodis sequentibus) quare fœdus peccata remittens conderet, & pœnitentibus fidelibus pœnas spirituales & æternas condonaret, & temporalibus & corporalibus finem poneret, & interim eas gratiosè moderando, ad peccati mortem & peccatoris salutem uteretur.

13. Si ipse peccator (Adamus & in ipso genus humanum) pœnas debitas dedisset, mundus hic rationalis dissolutus esset, & Creator suum opus statim destruendo mutabilis visus esset; & ab omni Regiminis subsequentis exercitio & gloriâ planè defeciisset; Ideóque ipsius peccatoris *pœna castigatoria*, & rebellium *impœnitentium perditio*, *& pœna vicaria Christi* loco æternæ fidelium satisfactoria, est optima tum sapientiæ, tum justitiæ, constantiæ, veritatis, amoris, misericordiæ Divinæ demonstratio; & omnes Regiminis fines & aptiùs & efficaciùs assequitur, quàm vel *totalis impunitas*, vel *totius pœnæ translatio*, vel *plena legis executio*, quæ est mundi peccatorum perditio, obtinere potuissent.

14. Ex omnibus antedictis constat, Redemptionem mundi per Jesum Christum, fuisse medium aptissimum, & omnium quæ ingenium humanum jam excogitare potest, accommodatissimum, ad salutem humanam modo congruo obtinendam, ad justitiæ, misericordiæ & Amoris Divini Gloriam demonstrandam, & ad omnes Regiminis Divini fines assequendos.

15. Christi

15. Christi passiones pœnales non à Deo volitæ sunt propter seipsas, quasi Deus optimus innocentissimi Filii pœnas amaret quà pœnas, vel quà malum naturale; sed propter pœnarum fines; quatenus scilicet ad salutem hominis promovendam, & gloriam Divinæ justitiæ, veracitatis, amoris, &c. vindicandam, aptissimè conducebant.

16. Non tantùm igitur aut præcipuè gratiâ *Comminationis* ut jam *irrevocabilis*, Deus pœnas infert, & sacrificium satisfactorium requisivit, sed præsertim gratiâ finium jam descriptorum, ut medium ad mundi Regimen & suam Gloriam.

17. Hisce igitur ita concluſis & in lucem clarissimam protractis, vix tutè aut sapienter ultra quæritur, utrum ad hæc omnia Christi satisfactio pœnalis sufficere potuisset sine meritis puritatis & obedientiæ; aut an merita operum sine sacrificio sufficere potuissent: Quando enim Deus machinam ex pluribus partibus consistentem & conflatam, summâ sapientiâ fabricavit, temerariæ arrogantiæ est, ab ipso jam quærere, an pars una sine aliâ sufficere non potuisset.

18. Neque minoris stultitiæ & arrogantiæ est, quærere, an omnium aut plurium Angelorum merita cum pœnis vicariis, huic usui sufficere potuissent? Opus etenim nobis commissum est, Redemptionem & Christum Crucifixum scire & studere; Non autem de alio possibili Redemptionis modo, quærere. Quod non modicæ impietatis & audaciæ peccatum esse mihi quidem videtur.

19. An autem sine Mediatoris pœnis, Deus peccatum aliquod *levissimum* remittere potuisset, si mundus *plerumque* fuisset *obediens*, & in reliquis omnibus se rectè gessisset, vix cautè satis aut tutò, (quia non necessariò) quæritur: Et ni fallor temerariò negabitur.

20. Quod idem dicendum est de quæstione, an pœnarum gradus aliqualis sine satisfactione remitti potuit. Etsi enim Scholastici quidam concludere audent, Deum damnatis pœnæ gradum aliquem remittere, & citra demeritum eos punire, audaces tamen & non necessariæ vel probatæ sunt tales concluſiones, neque minùs audacter & sine probatione concluderetur, Deum pœnæ gradum nullum absolutè posse remittere. Quatenus Legislatorenim est supra leges, & subditos per Leges obligat, non seſe, nisi impropriè & quatenus voluntatem suam immutabilem significavit. Quando igitur media habet sibi nota, quibus impunitatis incommoda possit devitare, & fines omnes Regiminis obtinere sine pœnâ peccatoris, tanquam maximas pœnas dedisset, in hoc casu nobis cæcutientibus non licet concludere, Deum aut falsum, aut injustum esse, si vel peccatum levissimum, vel pœnæ gradum aliquem sine satisfactione per pœnas vicarias, condonâsset.

Atque hæc de quæstione hac per modum determinationis, sine strepitu argumentorum, sufficere possunt.

Q. 3. *Discutienda; Qualis fuit unio naturarum in Christo hypostatica? Ubi etiam de ipsis naturis, & pluribus aliis de persona Christi.*

1. INter maximas Ecclesiæ maculas & opprobria numerandum est, quòd in Christum credentes tamdiu de Christi naturis & personâ litigârunt; & per secula non pauca in partes & sectas tot divisi sunt, ex ignoratione personæ in quem crediderunt. Errores scilicet Cerinthi, Ebionis, Basilidis, Carpocratis, Saturnini, Valentini, Sabellii, Pauli Samosateni, Manetis, crassiores, dum Arius evadere & emendare videbatur, pernicioſæ hæreseos fundamenta jecit; quæ quantas strages animarum & corporum edidit! neque adhuc pestis illa planè sopita est, & inter ejus adversarios quàm funesta & perennia schismata fecit hæresis (ut dicitur) Nestoriana? Et inter adversarios Nestorii quàm tumultuosam & nondũ sedatam hæresin protulit Eutyches? ut de pluribus hinc indè perseverantibus nihil dicam.

2. Baptismus ipse, quo fœdere obligati sumus ad Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, doctrinam Christianam de S. S. Trinitate potissimè conservavit. Et B. Johannis Evangelium duplicem Christi naturam fideles haud obscurè docuit.

3. Christum

3. Christum esse verum Deum, & verum hominem, ex anima scilicet & corpore humano constantem, inter verè fideles minimè controvertitur. An verò tertiam & mediam habeat naturam, scilicet superangelicam, creatam, sed creaturis cæteris omnibus & priorem & digniorem, ab aliquibus dubitatur: 1. Quia dicta quædam de Christo in sacra scriptura, (ut Heb. 1. 2,3. Col. 1. 15, 16, 17, 18, 19. & alibi) potiùs de naturâ media quàm de Divinâ vel humanâ interpretandâ opinantur. 2. Quia de fœdere Dei cum Christo ante incarnationem legunt. 3. Quia non Deitatem immediatè sed naturam hanc mediam, formam humanam in apparitionibus ad patres sub V. T. sumpsisse existimant. 4. Quia ita facillimè putant controversiam inter Arianos & Orthodoxos dirimendam esse.

4. At 1. nulla videtur ex S. scriptura probatio valida erui posse ad dogma hoc stabiliendum: 2. Neque ab Ecclesiâ Catholicâ unquam receptum est: & si non expressè condemnatum est, ratio videtur esse quia nondum ortum fuit: At implicitè videtur condemnari, dum duas tantùm naturas in Christo agnoscunt; & malæ admodum notæ res est in materiâ adeò venerandâ, non probata asserere vel opinari; & ultra S. scripturam & Ecclesiam Catholicam sapere.

5. Ad argumenta, 1. Omnia Christi attributa, de Naturâ Divinâ vel Humanâ interpretari non incommodè possunt (sicut in Commentariis videre est) 2. Quod fœdus Dei cum Christo nondum incarnato vocant, est tantùm Dei decretum, promissio, & prophetica prædictio. 3. Si certum esset non Angelos tantùm, sed Deum ipsum Patribus apparuisse; quid obstat quo minùs Deus immediatè talem formam, & corpus ad usum hunc assumeret? Non hinc sequeretur, Christum sæpius incarnatum esse, & hominem sæpe factum; aut carnem non de genere humano sumpsisse; vel sæpius mortuum esse; aut ante plenitudinem temporis venisse; aut plura habere corpora, aut corpus ultimò assumptum deposuisse, quia priora deposuit, &c. quia nescimus qualia corpora priùs assumpsit, aut quomodo illis fuerit adunatus; sed certum videtur se illa in Unionem personalem non assumpsisse. Ad 4. Difficultates Theologicæ & controversiæ non ex commentis humanis, sed ex oraculis Divinis dirimendæ sunt. Et si verum esset secundam personam Divinam priùs se naturæ superangelicæ creaturarum præstantissimè adunasse, & mediatè per illam naturæ humanæ, dum hoc nobis per Deum nullibi revelatum est, à nobis minimè opinandum est, multò minùs asserendum: Quia non apparere & non esse hîc nobis pro eodem sunt.

6. Item, An Christus genus peccatorum aliud præter humanum, in natura ipsis propria priùs redemit, aut unquam posthac redempturus sit, sunt quæstiones non agitandæ; quia de rebus à nobis omninò absconditis, & ideò ad nos minimè pertinentibus.

7. Incarnatio Christi (quamvis mirabilium maximè mirandum) non debet Ethnicis esse fidei impedimentum; Quia idem fere de Diis suis se credere profitentur, scilicet quòd vel homines fuêre vel humana sibi corpora sæpius assumpserunt.

8. Divina Christi natura per unionem hypostaticam, nullam omnino diminutionem, læsionem, coarctationem vel alterationem realem passa est.

9. Natura Christi humana non fit ipsa natura Divina, neque cum eâ confunditur; sed etiam in unione hac personali natura increata & creata infinitè distinguuntur, dum proximè quantum fieri potest conjunguntur.

10. Anima humana cum corpore humano naturam Christi humanam constituunt; quæ cum naturâ Divinâ æternæ sapientiæ & verbi unam constituunt personam Mediatoris.

11. Modus unionis hypostaticæ est mortalium intellectui incomprehensibilis: quia natura Divina cum actibus ejus & immanentibus & (ex parte Dei Agentis) transeuntibus, est incomprehensibilis. Quædam tamen quæ de Unione illa inscrutabili patefiunt, in doctrina Christiana locum possidere oportet.

12. Unio Naturæ Divinæ cum humanâ incipit à Divinâ ut causâ efficiente.

13. Non

13. Non idem est formaliter quod *Creatio naturæ humanæ*, quamvis à primo ejus existentiæ momento incepit.

14. Unio hæc fuit in ordine ad naturæ humanæ dignitatem, & ad futuras operationes.

15. Quamvis creator infinitus omnipræsens creaturis suis non abest, sed arctissimè eis conjungitur, & omnia ab ipso dependent, quoad esse & operari; unio tamen hypostatica arctior est quàm *Unio Creatoris* cum *suâ Creaturâ*.

16. Arctior item est quàm Unio Dei cum *Anima humana*; quamvis à Deo modo peculiari derivata, upote quæ à Deo spirata dicitur. Deus enim neque cum Mundo, neque cum Animâ humanâ, unam personam vel suppositum constituere dicendus est.

17. Quamvis tota *natura intellectualis præstantissima* (utrum sit Angelica, an superangelica) videtur ordine naturæ primò à Deo proficisci, & arctissimè & maximè immediatè à Deo & esse & dependere; tamen Unio hypostatica est arctior & eximior quàm unio Dei cum natura illa intellectuali præstantissima; Quippe quæ in personæ unitatem non recipitur.

18. Nobilis etiam est unio *fidelium* cum *Christo*, utpote qui ipsius *Membra* vocantur & Spiritu Divino modo peculiari & eximio donantur. Non tamen ad unionis hujus personalis sortem vel naturam pervenit.

19. Unio hæc fit per *peculiarem communicationem* Naturæ Divinæ ad humanam.

20. Communicatio hæc peculiaris partim discernitur in Christi operationibus. In quantum enim Christi operationes aliarum omnium creaturarum operationibus præstant, in tantum etiam hæc communicatio peculiaris aliis omnibus præstat Divinis Communicationibus.

21. Operationes autem Christi præstantissimæ sunt in cœlis in statu Glorificationis, ubi omnes operationes Angelicas transcendit: Quamvis igitur nihil in terris feciſſet quod Angelus facere non potuisset, non tamen hinc sequeretur eum non arctiùs quàm Angelos, Deo adunari.

22. Sed præcipuè ex testimonio Divino hæc Unio nobis certò innotescit: Dum Christus enim se filium Dei esse affirmavit, & Deus hoc verbum ejus & pluribus & indubitatis miraculis confirmavit, testimonium nobis infallibile præbuit, hoc dictum Christi ut Verissimum, per Deum Veracissimum nobis obsignari.

23. Per fidem igitur præcipuè hæc Unio, & Christi Divinitas dignoscuntur.

24. Unioni huic *Reali* conjungitur *Unio Relativa*, quâ *Æterna Dei sapientia per hominem Christum*, ad hoc electum & deputatum, res omnes suas circa mundum condemnatum, ad ejus reparationem pertinentes transigit: Ita ut quod *Christus homo* facit, *Deus Verbum* in ipso & per ipsum primò & eminenter faciat.

25. Qui dicunt possibile esse altiora quædam esse opera superiorum Intelligentiarum, quàm sunt hominum terrenorum reconciliatio & salus; Ideóque personas esse etiam Mediatore nobiliores, & Naturæ Divinæ arctiùs adunatas; Et omnia Christi Encomia hoc tantùm significare, eum esse ad opus humanæ restitutionis Mediatorem electum, & ad hoc à Deo deputatum, & cum Naturâ Divinâ in tantum realiter adunari, quantum opus hoc Mediatoris postulat; dum Authores tamen majorum operum magis etiam Unione (ut somniant) possunt Deificari; etiamsi Christi *naturas* & *officium* & opus hi agnoscere videntur; tamen non tantùm non probata, sed per S. Scripturas improbata & reprobanda dicere mihi videntur. Dicitur enim *Unigenitus Dei Filius:* (quod quâ ratione ad genus humanum tantùm ut à tali filiatione excluſum limitant, non cerno); Et quis Angelorum vel Intelligentiarum, *Deus* in S. literis appellatur? Et in Heb. 1. & 2. ad Angelos comparatus eis omnino præfertur, & dicit Apostolus Eph. 1. 20, 21, 22. Quòd Deus Christum posuit ad dextram suam in cœlestibus, plurimùm supra omnes principatus & potestatem, & potentiam, & dominatum, & nomen omne quod nominatur, non solùm in hoc mundo, sed etiam in futuro; & omnia pedibus ejus subjecit, & dedit illi esse caput super omnia ecclesiæ.] Nec

constat

constat qua ratione hæc *omnia* ad genus humanum limitari possunt.

26. Et quamvis non negamus, Deum creaturas habere hominibus & plures & nobiliores, ideóque & nobiliora habere opera præstanda, quàm est salus humana; nunquam tamen probabunt hæc opera nobiliora à personâ Christo nobiliore administrari! Quin potiùs credendum est etiam eorum operum Christum ipsum supremum esse administratorem.

27. Sin autem regerant, improbabile esse naturam humanam inferiorem supra naturam Angelicam & cœlestem superiorem, in ordine dignitatis & Regiminis constitui, Resp. 1. Nondum probatur Naturam intellectivam animi humani, non esse ejusdem generis cum Naturâ Angelicâ; sicut Christus testatur nos futuros esse Angelis æquales. Et ita quamvis eos *gradu* nobiliores esse agnoscimus, *Natura* tamen potest esse eadem. 2. Constitutio Divina non judicanda est per conjecturas humanas. 3. Si hæ & tales Responsiones non sufficerent, iis potiùs accederemus, qui trinam in Christo naturam ponunt, *Divinam* scilicet, superangelicam & *humanam*, quàm iis qui Christum creaturæ alicui Angelicæ subjiciunt, vel postponunt.

28. Unio non est tantùm *conjunctio, adhæsio, penetratio*, &c. sed est *Negatio entitativa divisionis*, vel *quâ ens est indivisum in se; Cujus consequens est, esse divisum à quovis alio.* Et ita hîc naturarum Unio est qua Christus est *Persona indivisa in se*, unde sequitur esse *divisam à quovis alio.*

29. Cùm dicimus Christum esse *personam indivisam* in se, &c. probè notandum est, 1. Quòd *non dicimus naturas* ejus esse indistinctas. 2. Neque per [*divisam à quovis alio*] volumus aut Christi *substantiam* aut *Naturam Divinam à substantiâ* Patris aut Spiritus Sancti *divisam* esse, aut *Personam* Verbi æterni arctiorem aut nobiliorem Unionem habere cum naturâ ejus humanâ quàm cum personâ Patris aut Spiritûs Sancti: Neque tamen diffitemur quin propriè dicatur Christi Naturam Divinam & humanam eandem indivisam constituere Personam; ut idem de Personâ primâ, secundâ & tertiâ Divinâ non est dicendum. Unio scilicet *substantialis* trium Personarum infinitè arctior & nobilior est, quàm *Unio verbi* cum *natura humana*; quamvis hæc, non item illa, dicitur *Personalis.*

30. Symbolum B. Athanasii dictum est optima mysterii Trinitatis & Unionis hypostaticæ expositio; & per similitudinem Unionis Animæ cum corpore humano Unionem hanc ad nostrum concipiendi modum aptissimè explicat.

31. Sicut anima humana ideo dicitur cum corpore unam constituere personam, non quia ejusdem est cum corpore naturæ (anima enim Petri est congener animæ Johannis, non autem corporis Petri); sed quia ut forma seu Principium informans corpori unitum, in eo & per illud proximè operatur; Ita videtur Unionem Christi hypostaticam non melius, quoad Unitatis *speciem* à nobis concipi posse, quàm quòd Natura Divina, persona scilicet secunda Trinitatis, ut Principium informans naturæ humanæ unitum, in eâ & per eam proximè operatur.

32. Hinc sequitur, modum conjunctionis & operationis Divinæ in Mundo, & in Animâ humanâ, etiam sanctificatâ, non esse modum *formæ* vel *Principii informantis*, sed *Assistentis* tantùm; Aliter cum omnibus Unionem haberet hypostaticæ congenerem.

33. Dissimulandum tamen non est, non minorem videri difficultatem, quomodo Deus intimè omnia pervadens & intimè omnia in omnibus operans, non intimam cum omnibus habere conjunctionem aut unionem, etiam talem, qualem cum Christi naturâ humanâ habet; quàm quòd ita huic Christi naturæ sit unita; Intellectum enim nostrum omninò superat, discrimen propinquitatis, vel operationis assignare. Quidam opinantur Deum omnibus esse *præsentissimum* quidem, & in omnibus omnia immediatè operari, immediatione scilicet *suppositi* (quia infinitus est) non autem *immediatione Virtutis*, quia *Virtutis effluxius* (dicunt) liberè aut exerere potest aut suspendere: & ita (aiunt) operatur immediatè in naturas nobilissimas sibi proximas, & per illas in inferiores; (& addunt, quòd etiam naturis (intellectualibus scilicet) primò operationis ejus recipientibus

multa

multa liberè (& non necessariò) ab ipsis operanda relinquat;) in naturam autem Christi humanam omnia immediatè & plenius operari: sed tantis hæc onerantur difficultatibus, ut Intellectui non præbeant satisfactionem; qui in ignorantiâ solùm circa omnia incomprehensibilia & non revelata, quietem invenit. Ex similitudine tamen operationis solaris aliqualis illustratio nobis offertur. Sol se per radios suos communicat aliquando tantùm ad Accidentia efficienda (ut in parietem, lapides, terram, &c.) Aliquando autem ad Materiæ dispositionem ad formam recipiendam (ut in vivificando semine): Aliquando autem ad ipsam rei essentiam (quamvis ut causa universalis sub Deo primâ operans) ut in *plantis*, (ni fallor.) Quidni igitur idem Numen potest itidem diversimodè se operando communicare; ad accidens, scilicet, & (in Christo) ad essentiam?

34. Q. *Nonne potuit Verbum æternum plures simul Animas seu Personas humanas vel Angelicas unione Personali informâsse, si voluisset?* *Resp.* De sufficientia Naturæ Divinæ non dubitandum est: Utrum autem omnes Angeli aut Animæ in Unitatem illam assumptæ, unam aut plures constituerent personas? est quæstio inanis, ad tempus frustra aut rixis conterendum, potiùs quàm ad ædificationem adaptata.

35. Q. *Nonne duæ in Christo sunt Personæ? quandoquidem Persona Divina fuit ab æterno? Anima autem cum corpore Personam constituunt humanam?* *Resp.* Neg. Anima Christi cum corpore non constituunt Personam, sicut nostra; quia ab initio altiore principio sustentativo informantur: sicut natura Sensitiva vel Vegetativa nostra cum corpore, suppositum non constituit, quamvis in brutis & plantis, nobiliore formâ carentibus, suppositum constituat. Unica igitur Christi est Persona.

36. Q. *Nonne Unica itidem est Natura Christi? humana scilicet absorpta in Divina?* *Resp.* Neg. Natura etenim humana neque est ficta & imaginaria, neque annihilata, neque in Divinam mutata; Quippe impossibile est creatum quid fieri Deum, id est, increatum.

37. Q. *Anne Divina Christi natura dicenda est Pars Christi, vel Personæ?* *Resp.* Propriè loquendo Deus *Pars* dici non potest, quia & Infinitus est & omnia creata infinitè transcendit. Amesius quidem (Medull. l. 1. c. 18.) dicit *naturam humanam fieri quasi adjunctum proprium Divinæ Personæ, à qua assumitur; quasi membrum ejusdem integri* παρέρτε, *cujus Divina natura est quasi Pars altera, &c.* At per [*Quasi*] intelligendum vellet, non nisi Impropriè & Analogicè Naturam Divinam *Partem vel Membrum* dicendum esse. Sin autem *Relativè* tantùm loquamur, minùs impropriè dicitur esse Pars Personæ, quia est natura superior ad inferiorem in constitutione relata. Juxta modum igitur concipiendi humanum siquando Naturam Divinam *Partem* dicimus, improprietas quoad realitatem semper agnoscenda est, ne Blasphemiæ crimen contra Deitatis Infinitatem incurramus.

38. *Nonne Persona* Christi composita est, ex Natura Divina & *humana?* Et nonne composita simplicibus sunt ignobiliora? & ita Christus Angelis ignobilior? *Resp.* Sicut impropriè & Analogicè tantùm Deitas Christi dicitur *Pars Christi*; ita analogicè tantùm & impropriè Christus dicitur *Compositus* ex natura Divinâ & humanâ: Quia Deus & Homo compositionem realem & propriam ingredi non possunt. Reverà Divinitas neque est *Pars essentialis*, neque *Integralis*, neque *subjectum in compositione:* sed sicut conceptibus formalibus de hisce Divinis caremus, ita & nominibus tales conceptus significantibus.

39. Q. An Christus rectè dicitur *Persona secunda* in *Trinitate?* *Resp.* Divina Christi natura rectè sic dicitur. Nomen quidem *Personæ* non est necessarium ad salutem credentium: Idem enim per aliud nomen potest significari: & quicunque in usu nominum in Sacra Scriptura usurpatorum acquiescit, à me nunquam ob hoc criminis erit insimulatus, aut inter reos erroris reputatus. Quandoquidem verò per *Personam* intelligimus [*suppositum intelligens, incommunicabile, quod non sustentatur in aliâ personâ, vel ab aliâ informante,*] verè (quamvis analogicè) hypostases Divinæ dicuntur *Personæ.*

40. Q. *An Christus sit Mediator secundum utramque naturam. Resp.* Affirm. Non est Mediator in solâ Naturâ humanâ, Quia 1. Nunquam sola fuit, 2. Et non esset dignitatis ad hoc officium sufficientis sine unione cum Naturâ Divinâ. In ambabus autem simul naturis Mediator est.

41. Q. *An Christus fuit Mediator in sola Natura Divina ante Incarnationem? Resp.* Non fuit Persona Media inter Creatorem & Creaturam; neque inter Deum quà Deum & Hominem: Fuit autem in ipsâ Trinitate, Persona aliquo modo Medians inter Patrem & Hominem peccatorem.

42. Q. *Quomodo potest Persona secunda in Trinitate esse Mediator respectu ad primum? Resp.* Sicut Intellectus noster potest esse medium quoddam, non tantùm ad motum *Voluntatis*, sed & ad actus *Potentiæ activæ* transeuntes.

43. Q. *Anne Persona secunda est etiam Mediator inter Spiritum Sanctum & homines? Resp.* Etiam, quatenus Spiritus sanctus concurrit in illis operibus erga Hominem delinquentem, ubi *Pater* est Agens *eminentissimus* & principalis: Non autem est Mediator *sub* Spiritu sancto in iis operibus ubi *Spiritus sanctus* est *Eminentissimus* operator: At in illis etiam est Mediator inter Patrem & Homines, Spiritum Sanctum mittens.

44. Q. *Anne Persona secunda est Mediator inter seipsum & Homines? Resp.* Etiam ipse ut salutem & liberationem conferens, est Mediator inter Hominem & seipsum quatenus unus est cum Patre offenso, & concurrit in iis operibus justitiæ ubi Pater est Agens eminentissimus: non autem in iis operibus ubi ad ipsam personam secundam pertinet esse Eminentissimum operatorem (*e. g.* in sui ipsius Incarnatione.) Et quamvis doctrina jam dicta vera est, non tamen est phrasis ordinariò usurpata vel usurpanda, Personam secundam ante Incarnationem, fuisse Mediatorem inter seipsam quà talem, & hominem.

45. Q. *Anne unius naturæ attributa possunt naturæ alteri attribui? Resp.* Toti Personæ attribui possunt: *e. g.* dicendum est [Christus est Æternus, Infinitus, Omniscius, Omnipotens, &c. & Christus est Incarnatus, pauper, tristis, lachrimans, crucifixus, mortuus, sepultus, &c.] Quando etiam nomen alterius naturæ usurpatur, non ad *naturam* illam distinctè, sed ad *Personam* significandam, hîc etiam *alterius naturæ* attributa adhiberi possunt: & in hoc sensu, dici potest, *Deus est crucifixus; & Ecclesiam sanguine suo redemit; & Christus Homo est æternus, immensus, &c.* Hæc autem non est locutio Formalis; scilicet, non dicitur de Deo quà Deo, aut de Homine quà Homine; Ideoque de *Concreto*, non de *Abstracto* dicenda est; *viz.* non de *Deitate*, aut *Humanitate.*

46. Q. *An Maria dicenda est Deipara? Resp.* Deipara verè dici potest, ob rationem jam dictam: Hæc autem non est *locutio formalis:* Non igitur *necessaria* est, quamvis *licita*; neque *locutioni formali præferenda*; (quia forma dat nomen); neque cum scandalo & sine explicatione inter rudiores usurpanda. Infœlicia igitur fuere Episcoporum ingenia, & proterva, & inaniter contentiosa, quando ad mutuam condemnationem, & ecclesiarum lacerationem, ob locutiones hujusmodi vel usurpatas vel non-usurpatas, iracundè & contentiosè festinârunt.

47. Q. *An in Christo (etiam glorificato) sint duo Intellectus, & duæ Voluntates? Resp.* Etiam, 1. Duo sunt Principia Intelligendi & Volendi, quæ Facultates dicimus: Quia duæ sunt Naturæ, Divina & Humana: & natura utraque non esset perfecta, si suis careret principiis seu Potentiis essentialibus operandi: Non est natura humana quæ non habet Intellectum & Voluntatem humanam. 2. Etiam & *Actus* Intelligendi & Volendi *diversi*, nominandi sunt, à diversitate principiorum activorum. 3. Quoniam verò in actibus Christi Humanis, Natura Divina Informans est principium primum, facultates humanas ut subordinatas movens, idque alio modo, quàm sanctos movet per Spiritum sanctum, ideò idem Actus qui est Humanæ naturæ, est etiam Actus Divinæ naturæ; At non sequitur omnem Actum naturæ Divinæ etiam esse Actum naturæ humanæ; Quia natura Divina potest agere præter & ultra humanam. 4. Quoad perfectam harmoniam item & consensum quando utraque natura agit, dici potest unum esse earum actum.

48. Q.

48. Q. *Anne Christus ut in natura humana adorandus est? Resp.* Etiam 1. Quia eadem Persona Deus est; 2. Quia Mediatoris officium hoc jure vendicat: & adoratio quædam creaturæ etiam debetur.

49. Q. *Utrum cultus Divinus humanæ Christi naturæ debitus est? Resp.* 1. Non abstractæ humanitati; sed Christo Homini.

50. Q. *An Christus Homo sit verè Filius Adami, & naturam humanam recepit à Mariâ? Resp.* Etiam, Verè; sed non solùm & simpliciter sicut nos. Non enim præstitit Maria in ejus generatione, tum Matris, tum Patris etiam officium; sed maternum tantùm; Quia Christus conceptus est ex Spiritu sancto.

51. Q. *Quid communicavit vel præstitit Spiritus sanctus in Christi conceptione? Resp.* Solutio hujus Quæstionis plena humanum superat ingenium: 1. Secunda persona Divina per operationem aliquam Spiritûs sancti se principiis naturæ humanæ communicavit, & fabricando sibi domicilium humanum eidem se adunavit. 2. Materiam novam corpoream ad domicilium hoc struendum creâsse non credendum est. 3. De Animâ autem Christi dubia haud facilè solvenda sunt; *viz.* 1. An tota jam creata sit & in corpus infusa (quod plurimi opinantur de omnium animabus) 2. Aut potius miraculosa & supernaturalis operatio Spiritûs sancti Animam humanam Christi produxit per modum Generationis ex Anima Mariæ. 3. Aut potius miraculosa fuit conjunctio operationum; *Creativæ* scilicet ex parte Dei, & tamen *generantis* ex parte *Mariæ* (quod possibile est & maximè probabile.) 4. An in homine Anima sit unica aut plures? Et an sensitiva sit à Maria, & Rationalis creata (quod non verisimile est); Hæc & similia difficillimæ sunt solutionis.

52. Q. *Si Christus sit Filius Adæ, quomodo immunis fuit à labe peccati Orignalis? Quamvis enim dici possit, Spiritum sanctum per modum conceptionis, naturam Christi à* labe inhærente *præservâsse; non facilè tamen intelligitur, quomodo pura fiat à labe seu* reatu imputato; *Quia* ideo imputatur *nobis Adami peccatum, quoniam in* lumbis ejus *fuimus. Resp.* 1. Quamvis *pravitas* sit fortasse in natura nostra quà naturâ ab Adamo derivata, *culpæ* tamen *Imputatio* cadit tantùm in *Personam: Persona* autem Christi denominatur & æstimatur à parte *nobiliore*; & ita Divina est; Ideoque *Persona* ejus non fuit ab Adamo, sed *natura humana* tantùm: *Natura* autem ut dicitur, per Spiritum sanctum à labe præservata est. 2. Filiis Adami plenè sic dictis, id est, generatis modo humano, Adami culpa imputatur. At Christus non fuit ita Generatus: Qui dixit enim, *Crescite & multiplicamini*, utrique sexui, non *unico* hoc dixit? Dum igitur Deus ipse fuit Parens præcipuus, Generatio non tam naturalis, quàm supernaturalis dicenda est.

53. Q. *Nonne humana Christi natura fuit potius condonata & à vitio purificata, quàm per præventionem præservata ab omni pravitate? Quia seminaliter fuit in Maria & Adamo; & ibi fœdata; Quis autem rem puram ex impura sine purgatione proferet? Resp.* 1. Anima Christi non fuit in Maria vel Adamo, Quia *existere* est *esse extra causas*; & Quia Maria non fuit *ejus causa*, sed tantùm *Pars causæ*, neque *Pars principalis*: & Materia corporea non est subjectum capax vitii *moralis*, nisi quantum ad animam fœdatam relatum est: Et si dicas, *Ita omnes ab originali peccato excusatum iri*, Negatur; Quia Anima nostra fuit (etsi non quoad *existentiam*, tamen) *virtualiter* in parentibus, utpote qui *ejus causa fuere* in suo genere *totalis*; At Anima Christi non item.

2. Si res aliter se habuisset, non tamen dicendum esset partem aliquam Christi, depravatam, condonatam, aut purgatam esse: Quia dum in *Maria* fuit, non erat *Pars Christi*: & in eodem Naturæ instanti quo fit *Pars Christi*, *fit pura*. Et *Partes materiales* à corporibus nostris continuò effluentes, non amplius vitiatæ sunt, quando à Persona separantur; sicut Corporis Christi in terris partes effluentes, & corporis sui *partes esse*, & ita ut antea *sanctæ esse*, cessârunt.

54. Hæc hactenùs ad tædium devitandum, brevitate fortasse nimiâ dicta sunt; At ut spero, sanè, & tam clarè, quàm necessaria brevitas permittit: At plurimas

alias difficultates de Naturâ, Animâ, & Corpore Christi, ut minùs utiles lubens prætermitto.

Postscript. De naturis & personâ Christi tot exortæ sunt diversæ opiniones, ut inde moneamur æquè cavere & temeritatem opinandi, & temerariam dissentientium condemnationem: ex utroque enim errore hîc Ecclesia plurimum fuit perturbata: 1. Catholici credunt Christi duas tantùm esse Naturas, Divinam scilicet & humanam, ex animâ humanâ non existente ante incarnationem, & ex corpore compositam. 2. Alii putant Christi animam præexstitisse. 3. Alii putant eum consistere ex Naturâ superangelicâ tantùm creatâ ante cæteras omnes creaturas (quod putavit Arius) & ex Animâ & corpore humano. 4. Alii putant naturam illam superangelicam esse ipsam postea Christi Animam humanam, & eam consistere tantùm ex illa natura & corpore. 5. Alii putant Christi triplicem esse naturam, *viz. Divinam* (Verbi æterni) *superangelicam creatam*, & *humanam*. Et ex hisce quidam putant naturam ejus humanam continere & *Animam novam* & *corpus*: Alii verò *corpus* tantùm Animæ illi præexistenti superangelicæ unitum. 6. Sociniani autem putant eum esse merum hominem exaltatum ex meritis. Quantâ inter hanc dogmatum diversitatem cautelâ fidelibus opus est? Et symbolum Athanasii dictum, à piis omnibus ut lucerna ad scopulos hosce devitandos necessarium, æstimandum, & tenendum est; Quamvis Authoris opinionem de necessitate omnia in hoc symbolo credendi, etiam ad salutem, ut amplectamur, minimè necesse est.

Videat Lector Tract. eruditum Davidis Derodoni *de suppositio* pro Nestorio contra Cyrillum, Pag. 254. inquit ["*Nostra sententia de modo Incarnationis aut Unionis hypostaticæ est* 1. *Verbum Divinum ante & post incarnationem fuit, est, erit* "*idem suppositum & eadem realiter persona.* 2. *Humanitas assumpta à Verbo non* "*pertinet ad essentiam personæ, sed est adjunctum illius substantiale.* 3. *Humanitas non subsistit formaliter per subsistentiam Verbi, id est, non habet illam formaliter: sed est unita subsistentiæ Verbi, ut Verbum operetur per eam salutem humanam.* 4. *Humanitas assumpta à Verbo non est suppositum, quia est unita & adjuncta Verbo ad constituendum Immanuelem Jesum Christum compositum ex persona Verbi & humanitate adjuncta.* 5. *Christus est totum quoddam personale, constans ex secunda persona Trinitatis, & humanitate assumpta; Quod Verbum est idem suppositum quod prius, sed alio modo extrinsecè se habens propter humanitatem assumptam.*

Non desunt autem qui personam duplicem, æternam & temporalem in Christo statuunt, Personæ nomen æquivocè sumentes, & per temporalem volunt Personam Relativam, (*qualis e. g. Regis, vel Mariti dicitur*) *viz. Mediatoris, Redemptoris, &c.*

Disp. 4. *An Christus pœnas infernales, vel easdem specie tulit quæ peccatoribus debitæ sunt.*

DE quæstione hac nimis turpiter litigant Theologi, sed tenebricosè & per confusionem, dum distinguere ubi opus est, aut non valent, aut non volunt. Determinantis autem est, 1. Negativè, 2. Affirmativè, pœnarum Christi naturam aperire; scilicet, 1. quid non tulit, 2. quid tulit ostendendo.

Neg. I. Christus nullas tulit pœnas, quæ etiam peccata sunt. Part. 1. Cap. 15. §. C. Pœnas distinxi in illas quæ *peccator in se* intulit, & illas quas *Deus infligere* dicendus est. Quas etiam utrasque subdistinxi, ut ibi videre est; quas distinctiones jam respicere necesse est. Quomodo peccatum ipsum fit pœna & pœnæ nomen meretur, ibi ostensum est. Hîc autem particulariùs concludendum est; 1. Christus non habuit *Potentiam activam* vel *emortuam* vel *malipotentem*. 2. Neque *Intellectum* habuit aut cæcum aut errantem. 3. Neque *voluntatem* aut *Amore* divino *privatam*, aut ad *Amorem indebitum* perversam. 4. Neque *sensus*, neque *appetitum*, neque *phantasiam*, neque *passiones* habuit, quoad habitum aut actum

actum inordinata, aut contra rationem rebellia. 5. Nunquam à Deo *defecit* vel ut *Domino*, vel ut *Rege*, vel ut *Patre Amantissimo*. 6. Nunquam ad amorem sui ipsius inordinatum perversus fuit. 7. Nunquam imagine Divina orbatus est; aut Satanicâ imbutus.

II. Nullas tales pœnas dedit Christus, quæ sunt tantùm *naturalia peccandi consequentia*: viz. 1. *Amabilitatem nunquam amisit*; aut odibilitatem contraxit. 2. Neque *capacitatem*, neque *jus personalis Justificationis* amisit. 3. Neque *Pacem ex conscientiâ innocentiæ*, & propriæ perfectionis & fœlicitatis, oriundam. 4. Multò minùs aut *Curis*, aut *terroribus* ex conscientiâ malâ peccandi scilicet ortis, *cruciatus* est. Qui enim nullius sui peccati conscius erat, & justitiæ perfectissimæ conscius erat, is nullis conscientiæ cruciatibus fuit obnoxius.

Obj. *Nostrorum peccatorum conscientiam habuit*. *Resp.* Nos peccâsse scivit, & se pœnarum sponsorem voluntarium fieri conscivit: at *se peccâsse* nunquam conscivit: Ergo nullam habuit *peccati conscientiam accusantem* aut affligentem. *Peccare* quidem *malum* est; at pœnarum sponsorem voluntarium fieri non *malum*, sed *bonum* fuit: Ergo non *accusantis* sed *justificantis* conscientiæ materia fuit. Christus se nunquam accusavit aut excruciavit quòd sponsorem pœnæ se fecisset.

5. *Pudore* nullo, vel animi *dolore* ex conscientiâ peccati orto afflictus fuit. 6. Morbosas nullas habuit corporis ægritudines, quales crapula, ebrietas, otium, livor, libido aut alia peccata inducere solent. 7. Nunquam de ipso Diabolus aut Mundus victor triumphavit. 8. Sicut neque peccatum habuit neque uxorem aut liberos, ita in relatis hisce non pœnas tulit, neque peccatum originale posteris propagavit. 9. Nunquam Displicentiæ Divinæ objectum fuit, neque Amore patris unquam privatus fuit.

Obj. *Deus nostri causâ, non ejus, erga Christum Displicentiam, & offensum animum suscepit.*

Resp. Contrà, nostri causâ in Christo potiùs delectabatur. Ideóque quando officium publicè præstandum aggreditur, è cœlis Pater pronunciat, *Hic est filius ille meus dilectus, in quo perplacitus sum.* Deo nempe non displicuit sed placuit, Christum se pro peccatis sacrificium fecisse: Ideóque quod ipsum Deo placuit, non potest esse Displicentiæ fundamentum.

III. Nullas Deus ipse pœnas in Christum inflixit, quæ ex *Displicentia* vel *Amoris Diminutione* aliquâ proveniunt. 1. Nullum Spiritûs sancti auxilium aut communionem quæ ad sanctitatem pertinet, denegavit. 2. Neque personalis innocentiæ approbationem abscondit, aut amoris sui notitiam animo Christi subtraxit aut denegavit. 3. Multò minùs cœlesti fœlicitate in æternum privatus est; 4. Aut ignis infernalis sensum passus est; 5. Aut damnatorum sese cruciantium cogitationibus & reflexionibus obnoxius fuit; 6. Aut ex liberationis & salutis desperatione animus ejus despondebat aut excruciabatur. 7. Neque sub insultibus Diaboli, aut ejulatibus & accusationibus damnatorum ibi vexatus est. Tantum de parte Negativa.

Affirm. Humiliatio Christi & pœnæ ejus perpessæ distinctè adeò in Tabula ipsa Cap. 1. explicantur, ut aliquid hîc vel explicationis vel repetitionis causâ addere, supervacaneum foret. Illuc igitur Lector retrospiciat. Quæ verò ab ipso Patre Christus immediatè passus est, ad duo hæc capita ibi reduxi. 1. Quòd Pater Displicentiam adversùs peccatum (non adversùs Christum) malorum omnium à Christo perpessorum causam ad *sensum* patientis declaravit, & in tantum *Displicentiam Patris tulisse* dici possit, & non aliter; pœnas scilicet illas tulit quas ira Dei & Displicentia adversùs peccatum & nos peccatores, in ipsum sponsorem infligi causavit. 2. Quòd Naturam Christi humanam in summis hisce doloribus, quoad solamen actuale pater deseruit, *solamen*, dico, illud *arbitrariè concessum*, quod non *innocentiæ* & *paterni Amoris noti* effectum vel adjunctum necessarium erat, neque ad *sanctitatis ipsius* perfectionem pertinebat: Hoc enim Christus nunquam orbatus est.

Cùm autem in hac quæstione de Christi passionibus, de reipsa satis constet, nil restat præter litem de nomine, an scilicet hæ pœnæ *Infernales* dicendæ sint;

Quæ

Quæ quidem responsione vix digna mihi videtur. Tantùm dico, etiamsi nonnihil naturæ pœnarum infernalium Christi perpessionibus infuit, tantillum tamen fuit, & in cæteris tanta est imparitas & dissimilitudo, ut nomen *Pœnæ Infernalis*, vel *qualem patiuntur damnati, ipsis non conveniat.*

Determ. 5. *An Christi Passio propriè & formaliter Pœna fuit.*

POena propriè sic dicta est malum naturale ob malum morale inflictum. Materia est *Afflictio*, vel malum naturale inflictum. Forma est relatio materiæ ad causam promerentem.

Culpa est vel *realiter* talis, vel per *falsam reputationem.* Et ita pœna distinguitur in *debitam* ex justitiâ, & *indebitam* ex injustitiâ. Prior est Pœna propriè sic dicta : Posterior est *pœna analogicè* sic dicta ; & tantùm in sensu judicis & aliorum injustè judicantium. *Pœnæ* igitur nomen est ambiguum.

Pœna item in sensu primo & famosissimo est *ipsius delinquentis* malum naturale : Pœna autem in sensu secundo, & Analogico, est malum *naturale*, quod *malum morale* non directè, sed *mediatè* tantùm, aut per accidens consequitur. Et pœna hæc duplex est ; Altera quæ *peccatum alterius Naturaliter* sequitur, id est, ex proximitate naturali patientis ad peccantem ; & ita ob peccata dominorum pœnas consequenter patiuntur vernæ ; & quando delirant Reges, plectuntur Achivi : & in societatibus, tota societas pro criminibus partis alicujus plectitur : & in sensu adhuc pleniore, *filius pro parentum* peccatis dat pœnas. Altera autem quæ alterius peccatum non naturaliter, sed ex *sponsione voluntariâ* sequitur : Et ita ex vi sponsionis, pœnæ vicariæ dantur.

Hisce præmissis, ita breviter concludendum est : 1. Christus non fuit reverâ peccator : Ideóque pœnam sensu primo & famosissimo sic dictam, non dedit.

2. Christus à Patre peccator non reputatus est (Deus enim non falsò judicat) : Ergo pœnam Analogicam ex falsâ reputatione Dei non dedit.

3. Quia Christus conceptus est miraculosè ex Spiritu sancto, ideo pœnas Analogicas ex reatu peccati parentum, non dedit.

4. Quia Christus fuit Voluntarius pœnarum sponsor, ideo pœnas analogicas vicarias ut sponsor dedit. Christi igitur perpessiones quoad *rationem rei*, fuere *malum naturale perpessum ex occasione & causalitate remotâ peccatorum generis humani*, & *proximè* ex *sponsionis* & *consensus proprii obligatione.* Quoad nomen verò non ineptè *pœnæ* dicuntur, dum ad peccatum habent Relationem, ut ad *occasionem*, & ut ad *causam meritoriam remotam*, etsi non *proximam.* Et brevis hæc determinatio loco disputationis sufficere potest.

Determ. 6. *An Christi pœnæ ex Legis obligatione ortæ sint.*

PAucis etiam hæc Quæstio expediri potest. Per *Legem* intelligitur vel *Lex communis naturæ innocentis*, vel *Lex Mediatori propria.* Et prior consideratur, vel quà *Christum ipsum* ut *hominem* obligabat, vel quà *cæteros omnes*, viz. peccatores. *Obligatio* item Legis consideranda est, vel ut *causa remota*, vel ut *proxima.* Paucis hisce distinctionibus præmissis, dico 1. *Lex naturæ communis*, etsi obligabat ad obedientiam & nos & Christum ; ad pœnam tamen *nos tantùm* obligabat & non Christum ; Quia *nos tantùm peccavimus*, non autem Christus. Lex autem *innocentem* ad pœnam non obligat, id est, *justum non condemnat.*

2. *Lex gratiæ Christum* neque ad obedientiam, neque ad pœnam obligabat. Quia ipsius Christi Legislatoris Lex est, non ad *seipsum* per partem præceptivam obligandum facta, (Etsi pars promissoria ipsum obligat) sed nos.

3. Per

3. Per *Legem Mediatoris propriam*, dictam fœdus inter Patrem & filium, Christus ad pœnam pro peccatoribus ferendam obligatus fuit: scilicet, & per consensum & *sponsionem propriam*, & per *Voluntatem* seu *præceptum Patris*. Et hinc *proximè pœnas ferendi* in ipsum obligatio orta est.

4. Per Legem *communem naturalem & positivam*, nos *peccatores* ad pœnam obligantem, etsi Christus non *directè* ad pœnam obligatus est, Pœnarum tamen ejus *Occasio data* est, & obligatio nostri fuit *causa remota* obligationis Christi: Quia nisi Lex nos condemnâsset, Christus pœnas vicarias nunquam vel spopondisset, vel solvisset; Onus etenim nostrum ad nos liberandos in se voluntariè assumpsit; At si *nostrum* priùs non fuisset, illud in se assumere non opus habuisset. *Reatus* igitut *noster*, (qui est obligatio ad pœnas) non est *Reatus Christi*; sed est *mali* à *nobis amovendi* pars aliqua (per Christi sacrificium.) Quia scilicet nos *pœnarum Rei* fuimus, Christus pœnas pro nobis ferre consensit, ut Reatus seu obligatio nostra dissolveretur, & pœnas promeritas nos non daremus. Atque hæc simplex, clara, & sufficiens est Quæstionis hujus determinatio.

Determ. 7. *An peccata nostra Christo fuêre imputata?*

HIc etiam quæstio de Re distinguenda est à quæstione de Nomine, & primò Negativè, deinde Affirmativè determinanda post distinctiones necessarias; Idque modo ad Veritatis non litigii studiosorum palatum adaptato.

1. De Re dicendum est, 1. Quòd Christus non fuit Peccatorum nostrorum aliquo modo author vel particeps; Ideóque sensu naturali & proprio peccata nostra non fuêre peccata Christi: etsi enim filius in patre, & quicunque ad causam, vel occasionem peccandi modo illicito concurrit, & qui officium suum contra aliorum peccata præstandum negligit, cum aliis peccare dici possint, vel peccatorum aliorum esse participes; hæc tamen de Christo non dicenda sunt, ut qui nè levissimo reatu fœdatus est, nè quidem peccati originalis.

2. Quòd omnino impossible est, propriè loquendo, unius peccatum formaliter esse peccatum alterius.

Casum infantum hîc tantùm sepono, etsi 1. aliquando fuêre parentum partes; & tunc eorum peccatum non fuit *alterius* peccatum, sed *partis personæ ejusdem*; 2. Et quando *personæ distinctæ* sunt, uterque jam proprium tantum habet peccatum: Quia tamen quod jam est infantis peccatum, pridem fuit *materialiter* peccatum parentum, (sicut quod jam est *corpus infantis*, pridem corporum parentum pars, si seminis aliquid in corpore maneat, fuit,) & ita participatio hæc est ex ipsâ naturâ, & accidens, personæ individuitatem sequitur, ideóque hic casus fortè ad litem, non autem ad determinationis nostræ infirmationem, induci possit; cum igitur hîc vel excipiendum vel prætereundum esse, ingenuo veritatis indagatori unicuique facilè patebit.

Accidens unum idemque formaliter, non potest esse diversorum subjectorum: At peccatum est *Accidens*: Ergo peccatum idem non potest esse diversorum subjectorum. Ignorantia Petri non est ignorantia Johannis, neque potest esse.

Object. *Nonne silentio, consensu, hortatione, nos aliorum peccati reos sæpè facimus?*

Resp. Etiam *Materialiter*, idque non quoad *materiam* proximam, sed *remotam*; at non *formaliter*: sed *forma* dat nomen. *E. G.* Si ad alterius perjurium aut adulterium tu siles, consentis, hortaris, ille suum peccatum & reatum formalem, tu autem tuum proprium peccatum & reatum possides. Noxa enim caput sequitur, & Accidens subjecti proprii tantùm accidens est. Imò quoad materiam, illius peccatum erat Perjurium aut Adulterium; Tuum autem non *illius Perjurium* aut *adulterium*, sed illud *silentium*, *consensus*, aut *hortatio*. *Pejerare* autem, & ad *perjurium hortari*, non sunt materialiter idem actus, nè *species* quidem, multò minùs *in individuo*.

Object. *At quando peccat societas, nonne idem est membrorum omnium peccatum?* *Resp.*

Resp. 1. Totum non est pars quamvis partes continet. Quatenus est *societatis* peccatum, est *unius* tantùm (viz. societatis) peccatum, & non plurimorum. At quatenus est partis uniuscujusque peccatum, ita tot peccata sunt quot personæ reæ. Relatio scilicet Petri non est Relatio Johannis. At peccati forma relativa est. Imò neque fundamentum Relationum diversarum idem est. Reatûs enim fundamentum, ut est personarum singularium societatis membrorum, est vel 1. Actualis commissio peccati, vel consensus personalis; & tunc non idem sed diversi actus sunt Relationum & Reatûs diversi fundamenta: viz. In eodem Bello consensus & actus Petri non est idem actus qui Johannis: Ad eandem rebellionem, consensus Titii non est idem numero consensus, qui & Sempronii. Dicitur autem idem Bellum, quia ex plurium consensu & actibus conflatum est; sicut idem exercitus dicitur, vel unus, qui è pluribus constat militibus: Unum scilicet aggregatum est. 2. Vel Reatûs fundamentum est *Consensus primus* quo quis membrum se facit illius societatis, eâ lege ut boni vel mali ejusdem societatis particeps æstimetur. Hic autem consensus quo *Petrus* fit membrum non est idem qui consensus quo *Johannes* fit membrum. Ratum igitur habendum est omnino impossibile esse *peccatum* (seu *Relationem* dicas seu *fundamentum*) unius, esse *peccatum alterius*; Sed unicuique suum est peccatum, & suus reatus. Ergo peccata nostra esse verè Christi peccata impossibile est.

Obj. *At Christus primò personam nostram induit; & deinde peccata seu relationes nostras assumpsit: & ita ejusdem Relationis idem est subjectum.*

Resp. Hoc postea suo loco confutandum est: Christus non fit persona nostra vel naturaliter, vel reputativè. Et, si aliter foret, sequeretur, aut totum mundum esse unicam personam, aut Christum tot personas fuisse, quot in mundo unquam fuêre peccatores, pro quibus mortuus est, & sequeretur Christum *formaliter* & *revera peccata sua* habuisse & *peccatorem* fuisse, etsi ex actibus per nos commissis: Quando enim *ille ipse* fit *Relationis subjectum*, Relatio jam *illius* est; & ita *peccatum illius*. Et inde sequeretur Christum ipsum *revera Deo odibilem esse*, & Diaboli imaginem habuisse; quod blasphemum est.

3. Deus nunquam judicavit Christum peccâsse; aut peccatorem eum fuisse putavit. Deum enim errare impossibile est: At Christum peccatorem judicare est errare. Veritas intellectionis, est congruentia intellectionis rei intellectæ; & falsitas est discordantia. Ergo si Christus non *fuit peccator*, *putare* eum peccatorem esse, est errare, seu falsum putare verum esse.

4. Christus nunquam se peccatorem à Deo judicari *consensit*. Quia aliter consensisset Deum falsum esse, id est, Deum non esse Deum. Ergo ex proprio consensu non est peccator reputatus.

5. Christus sicut non peccator à Patre æstimatus est, ita neque tam malus quàm si ipse peccâsset; neque omninò *malus moraliter* vel in gradu leviſſimo à Deo ex ullâ ratione judicatur. Nullus enim *moraliter malus* nisi peccator aut est aut esse potest. Quia *malum morale* nil aliud nisi peccatum est.

6. Deus igitur nullam habuit adversus Christum *displicentiam*, *odium*, aut amoris diminutionem: Nihil enim nisi malum odibile est.

7. Christus potius *magis amabilis*, quàm *minùs* fuit, quia pro peccatis humanis voluntariè fit sacrificium, ut dictum est. Et hactenùs de parte negativâ.

II. 1. Christus sacrificium fieri pro peccatis ipse voluit seu consensit: Pœnarum scilicet nostrarum quadantenus sponsor fuit.

2. Pœnarum igitur sponsor verè à Deo æstimatur.

3. Et pœnas ab ipso voluntariè susceptas, Deum non minùs infligere voluit quàm si Christus ipse fuisset peccator.

4. Etiamsi igitur Christus neque *Reatum facti* habuit, neque *Reatum culpæ*; *Reatum* tamen *quem Pœnæ* seu *ad pœnam* dicunt, in se suscepit. Ad *pœnas* scilicet quia nos obligati sumus ob *reatum culpæ*, ut nos liberemur, ille *se obligavit*, per obligationem propriæ sponsionis.

5. Peccata igitur nostra fuêre *causa remota* passionis Christi; si enim nos per peccatum in pœnarum reatum non incidissemus, neque Christum pœnas tulisse

opus

opus fuisset, ut medium ad nostri liberationem, aliquatenus necessarium.

6. Peccatum sensu proprio est Christo *imputatum*; Non *nostrum*, sed *suum*; non *per Deum*, sed per *Homines*; non *Bonos* sed *malignos*; non *verè* sed *falso*.

Obj. 2 Cor. 5. 21. *Fecit eum pro nobis peccatum qui peccatum non novit, ut nos fieremus Justitia Dei in ipso. Ergo Deus ipse peccatum Christo imputavit.*

Resp. De *nomine imputationis* postea dicendum est. Quoad *rem* dico, duobus modis (quorum uterque in textûs sensu continetur) Christus à Deo peccatum factus est, 1. Quia impios permisit Christum per calumniam peccatorem æstimare, & ut peccatorem cruci tradere, & peccati accusationem & crimen cruci inscribere. 2. Quia istâ permissione, *sacrificium* pro *peccatis* fit, idque per Decretum Divinum, & consensum proprium. Atque hactenus *de Re*.

II. *De Nomine Imputationis* pauca sufficiant. *Imputationis* Nomen tot sensibus sumitur, quot ipse vel enumerare in me non recipiam. Usitatissimi autem sunt hi sequentes. 1. Nihil frequentiùs per *Imputationem intelligitur*, quàm æstimatio vel *judicatio*: vel *Privata* scilicet vel *Publica*: vel *aliquid de alio putare*, vel *judicare*. E. g. [*Hoc malum tibi imputandum est:*] idem significat ac [*Tu author vel causa hujus mali judicandus es.*] De *causatione* autem *Morali* plerumque dicitur. E. g. *Imputatur hoc tibi*, id est, ut *bonum* vel *malum* morale; in *virtutem* aut *laudem* vertitur, aut in vitium, quia aut *ipse hoc feciſti, aut alium facere hortatus fuisti*, aut *aliquo modo author fuisti*: & ita λογίζομαι significat [*existimo, judico, ratiocinando subductis calculis concludo, numero, reputo*;] verè scilicet reputo rem qualis est, non falsò qualis non est. 2. *Imputare* aliquando significat, (non sententiam privatam seu conceptum, sed) *sententiam prolatam* ad pœnam *unà cum executione*; id est, quà *talem publicè judicare* & tractare. Et ita, Psal. 32. 2. in Sept. 2 Cor. 5. 19. Rom. 4 8. ubi Remissio peccatorum describitur per *Non-imputationem*, sensus est, [etiamsi Deus novit nos peccatores esse, & in hoc sensu peccatum nobis imputat, tamen ad *pœnam* ob hoc *peccatum* nos non sententia prolata condemnabit, neque nos puniendo quasi peccatores tractabit:] Et ita hi duo famosissimi sunt imputationis sensus, qui distinguuntur tantùm per objecta; viz. *Peccatum ipsum*, aut *peccati pœnam*; & ita *Deus peccata nobis imputat* quoad *Reatum culpæ*, & in æternum imputabit; id est, nos peccâsse & pecatores fuisse in æternum reputabit: & ita Christo peccatum nunquam imputavit. At Deus nobis condonatis propter Christum, *peccatum non imputat in pœnam*, id est, neque nos ob peccata perdet, neque perdendos per sententiam judicabit; At ita Christo peccata nostra imputata fuerunt, viz. non quà *peccata*, sed quà *rationes pœnæ ferendæ*.

Quia igitur *Culpa* & *Pœna* semper distinguenda sunt; & culpa est pœnæ causa; Christus *Culpam* in se nunquam suscepit sed tantùm *pœnam*; Et ad *pœnam* non obligatus erat sicut nos propter culpam suam, sed ex propria sponsione; & culpa nostra non fuit *causa proxima* ejus passionis; sed tantùm *remota* & *occasio*, & *malum amovendum*; attamen sine culpa nostra Christi passione non opus fuisset ad nos liberandos; hinc patet dicendum esse, 1. Sensu maximè proprio & primario, id est, quoad *Reatum culpæ, quà talis*, peccatum nunquam Christo imputatum fuit, at ipsi peccatori semper imputabitur. 2. At sensu improprio per meram connotatione n dici potest, Peccata nostra Christo imputata fuisse, viz. *quoad reatum pœnæ* (& culpæ ut ad pœnam, at non in se) idque tantùm remotè: non quasi peccata nostra pœnas Christi merita essent, sed quia nisi nobis pœnas merita essent, ille pœnas non dedisset. Et quia *pœna nulla* est formaliter nisi propter peccatum, ideo quatenus Christi passiones fuere *pœnæ* analogicè sic *dictæ*, peccatum (non suum sed nostrum; non causam meritoriam, sed quasi pro-causam meritoriam, & occasionem) connotabant.

1. In tantum igitur *impropriè peccata nostra* Christo imputari dici possunt, in quantum causa fuerunt, unde necessitas ejus passionis orta est.

2. At phrasis hæc, etsi bene explicata, tolerabilis est, non tamen propria est, ideóque non usurpandâ aut nimis frequenter, aut in controversiis, ubi explicatissimè loquendum est.

3. Neque est S. Scripturæ phrasis: Ibi enim non legitur peccatum *Christo imputatum* esse.

4. Ideóque non necessarium est; Quia de hac re phrasin nullam necessariam sacræ literæ ignorant.

5. Quia tamen, quando *Peccatum peccatori non imputatum iri dicitur*, id est, *ut causa efficax pœnarum*, nomen *Imputationis* in tali quodam sensu secundario & improprio usurpatur; non oportet aliquem contra Theologos phrasin hanc usurpantes litem movere; nisi hinc doctrinam aliquam falsam aut introducere aut defendere moliantur.

Determ. 8. *An Christus in nostra Persona reputativè legem inplevit & pœnas tulit: & an judicatus est in sensu forensi esse persona ipsa qua peccavit.*

EX jam dictis quæstioni huic satis clarè & facilè responderi potest; viz. I. Negativè, Christus *non fuit Persona peccans.* Deus Christum personam peccantem esse, non falso putavit: neque potest falsa æstimatio personam mutare, & unam facere aliam. Neque Patris neque Filii *voluntas* de mundo redimendo, Christum peccatorem, vel personam peccantem, fecêre. Sensus forensis Deo judice, est sensus verus & sanus, non falsus.

Arg. 1. Persona *Mediatoris* est persona tertia, neque *offensa*, neque *offendens*. (Non hîc de nomine *Personæ* ut in Trinitate, dicitur, sed ut in usu humano forensi) At Christus in *persona Mediatoris* passus est, seu pœnas dedit: Ergo non in *persona* aut *offensa* aut *offendente*. Etsi enim Persona Mediatoris ex naturâ humanâ quæ specie (etsi non in individuo) offenderat, & ex naturâ Divinâ, & ibi secundâ S. Trinitatis personâ, constituta est; tamen *Pater hîc eminenter Persona offensa, vindicans* dicitur, sicut *Filius* eminenter *Mediator satisfaciens*. Et siquis instaret Personam Mediatoris esse revera & *propriè Personam offensam*, non tamen fuit *Persona offendens*, sed tantùm peccatorum *naturam* assumpsit, non *Personam*.

Arg. 2. Persona reputata peccans, est persona reputata *mala, odibilis, imagine Divinâ* exuta, & *imagine Diabolicâ* induta, damnationem infernalem sine fine aut liberatione demerita, & ab omni bono, odio habenda: At Christus talis nunquam fuit: Ergo non fuit persona reputata peccans.

Arg. 3. Peccatores fuêre personæ ferè innumeræ: Christus fuit realiter & reputativè persona unica: (Deus enim non falso judicat unum esse mille) ergo Christus non fuit realiter vel reputativè persona peccans.

Arg. 4. Persona pœnas ferens quæ peccatrix reputatur, fert pœnas ob peccata *propria* (si enim peccans reputatur, peccator est; Reputatio enim est vera, non falsa) At Christus non pœnas dedit ob peccata *propria*. Ergo non fuit persona peccans reputata.

Arg. 5. Si Christus pœnas tulit in *nostra persona*, tunc nostra persona in Christo pœnas tulit: Id est, nos ipsi reputativè pœnas tulimus: Et ergo, pœnas nullas posthac ferre nos oportet. At pœnas quasdam nos posthâc damus, (& plurimi infernales etiam dabunt.) Si Christus in personâ peccatorum passus est, tunc nemo damnabitur: Quia in personâ uniuscujusque peccatoris passus esset. Generis enim humani Redemptor est: & pœnas dedit ob peccata generis humani. Et Christi satisfactio antecedit *fidem* aut *infidelitatem* humanam circa illam satisfactionem. Porro si Christus in nostrâ personâ satisfeciisset, satisfactionis *beneficia immediatè* seu *statim* nostra forent, quoad jus. Neque jus nostrum per *Legem postea dare*, & sub *conditione suspendere*, æquum fuisset; Quod tamen facit Mediator.

Arg. 6. Qui plenam dedit satisfactionem, *condonatione nulla* eget: neque veniam eum petere oportet. At nos *condonatione* & veniæ petitione indigemus: Ergo nos, sive *persona nostra* non plenè satisfecit: Ergo neque Christus in nostrâ personâ.

Arg. 7. Qui

Arg. 7. Qui *legem perfectè implevit*, nullas omnino pro peccato pœnas debet. At Christus pro nobis pœnas dedit, post *Legis impletionem:* Ergo Legem non in *nostra persona* implevit. Et nos etiam pœnas adhuc debemus; vel saltem debuissemus si Christus post Legis impletionem non pœnas dedisset. Si nostra persona in Christo Legem perfectè priùs implevit, tunc nostræ personæ aut in Christo aut in nobis pœna nulla debita erit: Quia pœna peccatori tantùm debetur. At qui Legem perfectè implevit, non est peccator; neque peccatorum veniam nisi mentiens, petere potest.

Hæc de præsenti sufficiant, quia plura posthac dicenda sunt.

II. Affirm. 1. Christus etsi non persona peccans fuit aut realiter aut reputativè; fuit tamen *Personæ peccatoris quadantenus Vicarius.*

2. Non autem *Vicarius totaliter, absolutè, & ad omnia,* sed tantùm *limitatè* & ad quosdam solùm usus.

3. Neq; *Vicarius instrumentalis* ex nostra electione, aut authoritate missus; Ideóq; non *Vicarius in sensu famosissimo,* pleno aut primario, sed remotè & secundum quid.

Quamvis *persona instrumentalis* non est propriè dicenda persona illa cujus instrumentum est (Quicquid Juristæ quidam confusores dicant) sicut neque penna mea manus mea reputatur, sed manûs instrumentum:

Actus tamen *personæ instrumentalis*, *Principali quadantenus* adscribitur: Quia causa causæ est causa causati; Et qui *personam instrumentalem* mandat, electione & mandato actiones ejus moraliter causat. Non ideo quia est *eadem persona*, sed quia *ejusdem effectûs causa principalis* est, effectus ipsi imputatur. Et ita si nos Christum elegissemus, & ad officium Mediatoris mandavissemus, tunc Christus etsi non *persona nostra*, tamen *personæ nostræ instrumentum* putaretur; & quæ ille feciset & tulisset, nos quatenus *mandantes* & causa principalis, fecisse & tulisse diceremur. At hîc ita se non habet res. A *Deo* tantùm Christus electus & mandatus est: *Dei* igitur *instrumentum* est, non nostrum. Dei igitur intentio bona per ipsum præstita est. Et omnia bona quæ perfecit Christus, Deo ut causæ principali sunt imputanda; Et Deo laudes Christi perfectionis & passionis quà bonæ debentur: Non autem nobis peccatoribus, qui tantùm Redemptore indigebamus, non autem eligebamus aut mandabamus.

4. Quia tamen sponte pro peccatis nostris tulit pœnas, *Vicarius pœnæ spontaneus*, seu *Voluntarius*, non impropriè dicendus est.

5. Et quia *Vicarium pœnæ, nostræ* salutis gratiâ se fecit, ideo *secundum quid*, in sensu *limitato*, & minùs proprio, *Vicarius noster quoad pœnas ferendas*, dici possit. (Modò ultrà, *Vicarii* notio ad sensum non sanum non extendatur.)

6. Et quia *Vicarius*, *vel secundum quid*, (qui est *Personæ* non Principalis sed Instrumentalis) per Juristas quosdam sæpe *Persona Principalis* ineptè seu impropriè vocatur, & Theologi qui inter ipsos vivunt eorum phrases & loquendi modos facilè & sæpè mutuantur; Igitur 1. Theologo prudenti quidem tales loquendi formulæ periculosæ non sunt usurpandæ; At 2. Cum aliis eas usurpantibus protervè & contentiosè litigare non oportet. Quando igitur in Luthero & aliis juxta affectum loquentibus, legimus, Christum fuisse *maximum peccatorem*, vel *maximum reputatum, adulterum* scilicet, *homicidam, mendacem*, &c. aut nos esse tam justos quàm est ipse Christus, ignoscendæ & ex Charitate interpretandæ, non nimis vexandæ, etsi non approbandæ, tales sunt loquutiones.

Determin. 9. *An Christus Mediator illud Legis Præceptum propriè implevit, quo nobis ut subditis Lex illa locuta est, & ad officium præstandum nos obligabat.*

SUpponitur hîc distinctio inter *Legis impletionem*, & *satisfactionem* datam ob Legis *Violationem*: & inter *subditi Impletionem præcepti per obedientiam, & Rectoris impletionem comminationis per executionem, & subditi Impletionem*, ejusdem *Comminationis, pœnas ferendo.* Non de *satisfactione* hîc quæritur, neque de Comminationis Impletione; sed de subditi Impletione *partis præcipientis* per obedientiam illam ipsam quam Lex requirit.

Responsio autem hisce propositionibus Negativis & Affirmativis expedienda est.

I. Prop. 1. Lex eadem universalis unumquemq; subditum singularem obligat.

2. Tot igitur sunt præcepta obligantia, vel præceptorum obligationes terminativæ, quot sunt in mundo aut unquam fuerunt Personæ obligatæ, sicut solis lumen & calor ut in objectis diversis recepta sunt diversa, & illuminatio seu calefactio Petri & Johannis non sunt idem.

3. Subditi unius obedientia non est obedientia alterius: Ideóque Lex quâ Johanni obedientiam imperat, per Petri obedientiam non impletur.

4. Christus quà homo fuit Deo subditus, & ad Legem naturæ perfectè observandam obligatus.

5. Christus quà Deus non fuit subditus; Ideóq; Legi non formaliter obedivit.

6. Si Christus non subditus fuisset neque ad Legem obediendam obligatus, ejus tamen obedientia non nostra fuisset, sive idem quod nobis à Lege imperatum est.

7. Lex enim non dicit, *Petrus obedire tenetur per se aut per alium*; neque Legis *Litera* neque *sensus* novit obedientiæ Vicarium. Cum Lex dicit Petro [*Deum toto corde diliges*] interpres ille falsarius, & præsumptuosè audax est, qui addit [per *teipsum* aut per *alium*] vel [Aut tu *aut alius tui loco Deum diliget.*]

8. Christus quà homo non *meruit à Deo secundum justitiam commutativam*, quâ inter pares, hoc datur pro illo, ad commodum Recipientis: Deus enim nihilo indiget; neque illi aliquid addi potest, aut aliquid dari, quod non jam suum est. Nulla igitur creatura secundum justitiam commutativam à Deo mereri, propriè loquendo, ullatenus potest; sed tantùm quoad justitiam distributivam.

9. Lex igitur quà nobis *e. g.* Amorem Dei imperat, non propriè *impletur*, seu *præstatur*, cùm Christus *Deum amat.*

10. Nemo igitur ex operibus seu præstatione Legis illius aut per se aut per alium justificatur immediatè, aut justificari potest.

11. Neq; quisquam præmium meretur per alterius obedientiam aut meritum; Quia lex universalis imperat singularibus, & cuique suum debitum, officium, & meritum, vel jus est: neque quia *meretur* per se aut per alium, juxta Legem innocentiæ, gloria cœlestis alicui (solo Christo excepto) unquam adjudicabitur.

II. Prop. 1. Christus homo subditus, Legem perfectè implevit, quatenus ipsum obligavit, ut hominem subditum & ut Mediatorem, etsi non quà nos. E. g. Obligantur Reges sua Regna justè regere; & Duces milites rectè gubernare, & bella justa justè persequi; & Mariti uxores diligere; & parentes liberos rectè enutrire, erudire & regere; & omnes artifices sua opera honestè perficere, &c. Hæc autem nunquam Christus præstitit. At omne illud præstitit, quod *sibi ipsi* à Lege præceptum fuit. Regum autem, maritorum, Parentum, militum, &c. opera præstitisse, quia ipsis præcepta fuêre, dum *Christo* non præcepta fuere, *peccare* fuisset, non *obedire.*

2. Deus λόγος naturam humanam ad obedientiam obligatam non assumpsisset, nisi nos redimendi & salvandi gratiâ.

3. Christus Homo Legi obedivit, & propter seipsum & propter nos: Propter *seipsum*, ut subditus ad obedientiam obligatus: Propter *nos* autem ut peccatores miseros, quibus meriti ejus fructus fuere ad liberationem *necessarii.*

4. Etsi autem Christus non stricte in *nostrâ personâ*, tamen ad nostrum beneficium, Legis impletionem & in se recepit & præstitit; & in sensu laxiore dici potest quòd *Vicarius obedientiæ fuit*, sicut & *Vicarius pœnæ*; *ideo* enim *obedientiam præstitit*, quia nos per inobedientiam, à Dei favore, & gloriâ, in reatum & miseriam defecimus, ut per ejus *obedientiæ meritum*, nos remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, & hæreditatis cœlestis jus assequeremur.

5. Etiamsi igitur non dicere possumus, [*Legis præcepta nos per alium implevimus*] (Tunc enim ad pœnam nunquam fuissemus obligati); dicere tamen possumus [*Nos Legis violatores, & ad pœnam obligati, per obedientiæ Christi meritum redempti sumus, condonati & liberati.*]

6. Etiamsi

6. Etiamsi quoque obedientiæ Christi beneficia seu fructus, non nobis per *nudam resultantiam* communicantur vel *immediatè* resultant; Per *novi fœderis* tamen *donationem*, *mediatè*, *efficaciter* nobis communicantur. E. g. Si nos in Christo Legem implevissemus, tunc *immediatè*, nudâ resultantiâ, nos justi, perfecti, innocentes, non pœnam sed laudem & amorem merentes, & nullâ pœnitentiâ, Redemptore per pœnam, aut condonatione, indigentes fuissemus. At quia non nos (vel per nos aut per alium) Legem implevimus, sed violavimus, gloriandi quidem nobis locus non est: At per alterius meritum liberatis, & pœnitendi, & credendi & gratias agendi, debitum incumbit.

Determ. 10. *An Christus patiendo, Legis comminationem quà contra nos implevit; vel potius Dispensationem aut Relaxationem Legis pœnalis promeruit? Vel utrum Christi pœna, fuit* idem *quod peccatoribus debitum est, aut tantùm* æquivalens *&* tantundem?

EX prædictis etiam ad quæstionem hanc responderi potest. I. Neg. 1. Lex unicuique peccanti pœnas minatur, vel debitas facit.

2. Tot igitur ad pœnam ferendam obligationes sunt, quot peccatores.

3. Punitio unius non est punitio alterius; neque per unius Pœnam Legis comminatio contra alium adimpletur.

4. Legis enim neque litera neque sensus dixit [*Nisi perfectè obediens sis, aut tu pœnas feres, aut alius pro te.*] Neque talis Legis sensus sine probatione fingendus est.

5. Christi igitur pœna, non fuit omnino legis illius pœnalis impletio seu executio; sed causa ne executione impleretur.

6. Per ejus pœnas igitur, non *idem* fertur aut *solvitur*, quod à nobis peccatoribus debitum erat; Quia *debita* fuit juxta Legis sensum, *ipsius delinquentis pœna. Sed æquivalens datur aut tantundem, loco ejusdem.*

Probatur, 1. Ex ipsius Legis verbis, [*Anima quæ peccat, ipsa morietur*] [*In die illo quo edes, mortis filius eris*]. Ubi nihil de Vicario pœnæ vel sponsore dictum est.

2. Quia contrà dicentes Legem condemnantem confundunt cum Evangelio liberante. Non enim Lex, sed Evangelium, Vicarium pœnæ seu sponsorem memoratæ aut admittit: Neque per modum Exceptionis, Mediatoris meminit; neque dicit, [*Morieris nisi alius pro te moriatur*].

3. Quia Christus non in nostra persona, sed Mediatoris, pœnas dedit, ut probatum est.

4. Quia si nos per Christum pœnas sufficientes dedissemus, pro peccatis omnibus ab ortu ad mortem, tunc Davidi propter adulterium, aut Paulo propter persecutionem, aut cuiquam alii peccatori, propter maxima flagitia, pœnæ nullæ unquam forent debitæ. Quia debitum idem non bis solvendum est.

5. Et tunc Spiritûs sancti privatio à nativitate ad conversionis tempus, unà cum aliis pœnis in hâc vitâ, injustæ forent.

6. Neque quisquam pro quo Christus mortuus est, peccatorum remissionem petere debet; aut veniâ indiget. Qui enim pœnam omnem debitam dedit per se aut per alium, pœnæ nullius condonatione eget, neque ullius capax est.

7. Neque Christi intercessionem, aut fœderis novi collationem, peccatorum remissionem ulli dare, putandum esset; Quod enim recipere omnino non potes, id nemo tibi dare potest, neque ulla restant media ad illud communicandum. At qui pœnas omnes dedit, pœnarum remissionem non potest recipere, quia pœnarum neque debitor neque capax est. At omnia hæc consequentia falsa sunt, & Evangelium penitus subvertunt: Ergo———

8. Immo jam probatum est, quoad *speciem pœnarum* (viz. odium Dei, Spiritûs amissionem, Desperationem, Conscientiæ accusationes, &c.) utplurimum

Christum

Christum non eandem sustinuisse pœnam, quam damnati, & quæ peccatoribus debita fuit: Multo minùs *numericè* eandem dedit.

9. Vicarium igitur pœnæ accipere, & peccatorem ipsum ideo condonare, est actus Dei Redemptoris, per Legis relaxationem, vel ut *supra Leges* est; at non omninò Legis ipsius executio.

III. Affir. 1. Christo ipsi ex Legis comminatione nulla omninò pœnas ferendi obligatio orta est; Quia nullius ipse peccati reus fuit.

2. Pœnas omnes igitur quas dedit, *nostri causâ*, & loco dedit.

3. Etsi igitur non fuit pœna eadem quæ debita fuit per Legem, *ejusdem* tamen *loco fuit*, & quasi *Vicaria*.

4. In *parte* etiam *aliquâ*, ejusdem *speciei* fuit.

5. Et *eosdem fines Regiminis* obtinuit, idque melius quàm pœna à nobis debita obtinere potuisset.

6. Etsi igitur non *eadem*; *Æquivalens* tamen dicenda est, & *Tantundem*.

Christum quidem innocentem Lex non ad pœnas obligabat: Pœnæ igitur illius non Legem pœnalem adimplebant: At nisi pœnas ille dedisset, nos dedisse oportebat.

Si Christus *ipsam Legis comminationem* implevisset, tunc non Justitiæ Divinæ pro ejus *non-impletione* satisfecisset. Qui igitur Christum dicunt *Idem solvisse, satisfactionem* ejus strictè dictam negant. *Satisfactio* enim non est *solutio ejusdem*, sed *æquivalentis* seu *tantidem*. Vide quæ habet Camero op. fol. p. 363. & Rivet. Disput. de Satisfact. pro Legis relaxatione pag. 253, 254. & Joh. Ballus noster de fœdere pag. 290. & Grotius de satisfact. passim; & Essenius qui eum defendit contra Crellium: & Bilsonus de Descensu Christi p. 45. & 262. & Parkerus & Sandfordus, qui tamen aliter sentire videntur, de Descens. Christi li. 3. pag. 108, 109.

De hoc plura postea, de Christi satisfactione.

Determ. II. *An propriè dici possit Christum* ipsi Legi *quà peccatores ad pœnas obligabat*, satisfeciisse, (*etiamsi eam non patiendo* implevit?) *Aut potius dicendum sit, eum non Legi, sed* Legislatori *quà supra suas Leges est, satisfactionem dedisse?*

HIc antè memorata distinctio supponitur, scilicet, non de *Legis pœnalis Impletione* hîc quæritur (multò minus de *Præceptorum Impletione*,) sed de *satisfactione loco pœnæ ferendæ:* Et quamvis hîc *satisfactio supponitur*, postea tamen probabitur. Et Quæritur utrum *hæc satisfactio sit Legis Pœnalis*, aut *tantùm Legislatoris quà supra Leges est?* Et quæstio eo levioris momenti est, quia fere solùm de nomine.

Porro distinguendum est 1. Inter *satisfactionem* latè *sumptam*, pro *Desiderii alicujus Impletione*; & strictè sumptam pro [*solutione æquivalentis aliter non debiti:*] 2. Inter ipsam *Legem*, & *Legis fines*. Et ita ad clariorem quæstionis solutionem, per gradus hosce jam procedo.

1. Supponitur Hominem Legis præcepta non implevisse.

2. Neque Legis *comminatio* vel per Deum infligendo, vel per hominem ferendo, perfectè impletur; præcipuè in salvandis.

3. Etiamsi prima Legis postulatio est *obedientiæ*, non *pœnæ*; quia tamen obligat ad *Pœnam*, quando non præstatur *Obedientia*, idque ad ipsius præcepti finem *remotum* obtinendum, quando *proximus* non obtinetur; ideò *pœnam totam dare* (quod est *Pœnalem* Legis partem *implere*) dici potest *satisfactio* parti Legis *præcipienti*.

4. Quoniam Christus à primâ conceptione fuit *justus habitualiter* seu *dispositive* vel quoad principia, & facultatum constitutionem; & *justus actualiter* fuit per Legis obedientiam; satisfactio igitur nulla Pœnalis, ab ipso propter seipsum debita fuit.

5 Legis comminationem seu ejus obligationem ad Pœnam, quâ nos peccatores

res obligabat, Christus, ut jam probatum est, non implevit. Nihil enim nisi omnium peccatorum damnatio & mors æterna, est ejus impletio.

6. Locutione remotâ & latâ Christus dici posset, Legis *fines remotas, ipsi non essentiales*, obtinendo, *ei satisfeciisse :* Dei nempe peccati odium, & justitia, non minùs demonstrantur in Christi satisfactione, saltem modo non minùs congruo ad omnes regiminis fines obtinendas, quàm si peccatores ipsi damnati essent.

7. Proprie loquendo, Christus non *ipsi Legi satisfeciisse* dicendus est ; (neque *Legislatori* illius Legis *quà tali* tantùm) sed *Rectori quà supra Leges* est.

Obj. *Finis Legis est Lex :* At *fini Legis Christus satisfecit* : *Ergo Legi. Resp.* Finis Legis proximus, viz. *Debitum* vel *obedientiæ vel pœnæ constituere, est pars ipsius Legis.* At huic fini Christus non propriè satisfeciisse dicendus est. At finis Legis *Remotus*, viz. *Peccati præventio, justitiæ humanæ exercitium & præservatio*, justitiæ Divinæ *demonstratio*, non est ipsa Lex ; etiamsi proverbialiter ita dicitur à Juristis, quia qui fines alio modo quàm puniendo obtinet, *tantundem* præstare putatur ac si peccatorem puniviisset ; At non *idem* præstat.

Arg. 1. *Quod impossibile est* (*quia* contradictionem vel falsam suppositionem implicat) *per Christum non factum est. At Legi satisfacere strictè loquendo, impossibile est———Ergo———*

Probatur Minor. 1. Satisfactio strictè sumpta, est *Redditio æquivalentis indebiti, pro ipso debito*, vel *tantundem pro eodem. At impossibile est ipsam eandem Legem* (de qua loquimur) *commutare* idem pro *æquivalente*, & debitum remittere pro indebito accepto. Ergo———

Minor constat ex naturâ Legis in genere, & ex *hujus Legis* tenore particulari. 1. Lex est Rectoris Voluntatis signum de ipso debito præstando quod instituit : At non est signum voluntatis ejus, de aliis ibi non memoratis ; præcipuè de ipso debito instituto remittendo & commutando. 2. Lex ipsa tantùm dicit, [*Die quo edes morte morieris*] At non dicit (literâ vel sensu) [*aut alterius pœnam vicariam accipiam*].

2. *Satisfactio*, quæ est *æquivalentis reddiți loco debiti*, data est *Legem relaxanti.* At Lex non seipsam relaxat : Ergo non propriè datur Legi ———

Major patet, Quia actus Legis essentialis est *hoc ipsum Debitum facere :* Ergo *commutatio* est *Relaxantis* actus.

3. *Satisfactionem accipere* est Actus *Rectoris* qua supra Leges suas est : Ergo non est actus ipsius Legis. Actus Legis est *Obligare* (aut ad obedientiam aut ad pœnam) : At obligare non est obligationem ipsam dissolvere, remittere aut commutare. Et si hoc non fiat per Rectorem *in ipsa lege*, & tamen *ab ipso* fit, tunc fit *per ipsum* ut *est supra Legem :* Sicut fit ipsa Legislatio, Legis abrogatio, obrogatio, subrogatio, relaxatio aut dispensatio per culpæ remissionem ; Ita etiam hâc commutatione fit.

4. Si Lex ipsa neque Christum unquam ad *pœnam obligavit*, neque Christum Sponsorem vel *facit*, vel *accipit*, vel ejus *meminit* ; neque sensum suum mutare per additionem potest, tunc Christi passio non fuit Legi propriè satisfactio. At verum prius. Ergo & posterius.

Obj. *Quando alter debitum meum solvit, obligatio mea nulla fit ; quia ei satisfit.*

Resp. Etiam de *solutione pecuniariâ* hoc non verum est, nisi ille qui solvit, sit tui *Instrumentum* aut *Vicarius*, aut voluntariè à creditore accipiatur (nisi statuta aut consuetudines alicujus regni id dicant, quod Lex naturæ & gentium non dicunt.) At de pœnarum solutione multo minus verum est. Si Judas mortem meretur, Lex Petrum pro eo mori non obligat, neque voluntariè morientem ut Vicarium pœnæ accipit ; neque ex Petri morte Judas aut justus aut absolutus erit ; sed nihilominus mortis reus erit ; nisi Rector quà supra Leges commutationem hanc voluntariè admittat.

5. Ut ad hanc determinationem & ad priores pertinens hoc argumentum addo. Si aut Legis comminatio propria per Christum impleta sit, aut si nos per Christum idem quod nobis debitum erat tulimus (multo magis si eadem officia præstitimus) aut si per Christum nos ipsi Legi ipsi satisfecimus, tunc per illam ipsam

sam Legem durante hac vita ad obedientiam non sumus obligati. At falsum posterius: Ergo & prius.

Falsum esse posterius patet, quia Legis naturæ pars præceptiva adhuc obligat.

In majore ratio consequentiæ patet: Quia Lex tantùm disjunctivè obligat aut ad obedientiam aut ad pœnam, pro eodem tempore; non conjunctivè & ad obedientiam & ad pœnam (nisi pro diversis temporibus): At Christus Deo satisfecit pro omnibus nostris peccatis ad mortem usque committendis, etiam contra Legem aut Naturæ aut Gratiæ commissis, exceptâ solâ *non-præstatione Conditionis Remissionis.* Et si nos in Christo (aut Legis præcepta jam implevimus, aut) pœnas omnes dedimus, aut Legi plenè satisfecimus pro omnibus peccatis ad finem vitæ hujus committendis, non possumus post talem vel Implectionem præstitam vel satisfactionem datam, ad eandem Legem obediendam durante hac vita obligari: aliter enim ad idem debitum bis solvendum essemus obligati.

Obj. *Obligati quidem sumus per eandem Legem, at non ob eosdem fines.*

Resp. 1. At argumentum probat eandem Legem non posse nos ad debitum jam solutum iterum solvendum obligare, aut ad eosdem fines aut ad alios. 2. Omnis obedientiæ finis est, 1. Bonum seu valetudo mentalis & rectitudo præstantis; 2. Ponum aliorum & publicum; 3. Rectoris complacentia: Et nulla est obedientia debita quæ ad fines hosce non debetur.

Determ. 12. *An Christus Legislatori ipsi propriè satisfecit?* (*Et cujusmodi fuerat Christi data satisfactio?*)

QUoniam tantus inter Christianos, & semichristianos, hæc controversia lites excitavit, eo distinctiùs in ejus solutione agendum est, & præcipuè lis *de nomine*, à lite *de re*, accuratè discernenda est, & hisce propositionibus res tota expediri potest.

Pr. 1. Pœnarum usus multiplex est: 1. Ut odium Dei adversus peccata in eis exprimatur. 2. Ut per pœnas minatas peccata præveniantur; & Amor sui-ipsorum homines in obedientiâ contineret.

3. Ut per pœnas inflictas alii moniti à peccando deterreantur.

4. Ut ita bono publico probè consulatur.

5. Ut Gloria Justitiæ Rectricis conservetur.

Pr. 2. Ipsorum peccatorum pœnæ hos fines poterant obtinuisse; at non sine hisce incommodis. 1. Peccator penitus perderetur, & miseriâ sempiternâ obrutus foret. 2. Tota Dei Creatio inferior perdita fuisset; scilicet mundus hic rationalis, & ejus appendices. 3. Mutabilitas aut *sapientiæ*, *bonitatis*, aut *Potentiæ* defectus, Deo falsò imputata fuisset; dum mundum ita nuperrimè conditum, tam citò perdidisset. 4. Deus ipse non habuisset suam complacentiam, in mundi ordine, & creaturæ obedientia aut fœlicitate.

Pr. 3. Deus ex infinita sua sapientia & *Bonitate* medium invenit, quo sine malis hisce *consequentibus*, hi fines pœnarum boni possent obtineri.

Pr. 4. Medium hoc fuit Christi-Dei-Hominis, innocentis, sponsoris Voluntarii, & Obedientiæ meritum, & Vicaria Pœna.

Pr. 5. Nomen hujus *perpessionis* quo plerumq; utitur Sacra Scriptura est, *Sacrificium pro peccatis*; & ab ejus effectu, *Propitiatio* & *placamentum*; & à Sacrificii pretio, λύτρον: & ita Christus dicitur *Agnus Dei qui tollit peccata mundi*; *Agnus* scilicet *mactatus*, seu sacrificatus: & *sacrificium semel oblatum*, &c.

Pr. 6. *Sacrificium* hoc non ineptè *satisfactio* dici potest; Quia satisfactio, strictè dicta, (ut loquuntur Scholastici) *Redditio æquivalentis aliàs indebiti*, vel *tantidem* loco *ejusdem*.

Pr. 7. Dicitur *satisfactio* remotè per respectum ad legis *præcepta*; *proximè* verò per respectum ad Legis *comminationem*; scilicet, *Ipsius peccatoris pœna*, est

satisfactio

satisfactio ob præcepti violationem, & *Christi pœna vicaria* est directè *satisfactio* ob nostram *impunitatem*, & remotè ob nostram *inobedientiam*.

Pr. 8. De nomine autem non multum litigandum est ; & siqui Sociniani aut alii *satisfactionis* nomen, quia in sacris literis non reperitur, repudiant; necessitatem nominis non asserere debemus ; sed nomine aliquo in sacris Scripturis usitato, (*sacrificio, pretio, propitiatione*, &c.) nos etiam tunc uti satius erit.

Pr. 9. Passio Christi *quà talis* Deo non grata fuit. Neque talis Deus Optimus esse fingendus est, qui sanguine adeò delectatur, ut beneficia sua maxima pro sanguine innocentis vendat ; & peccata remittat, modò ipsi liceat innocentem cruciare.

Pr. 10. Neque ex *magnitudine pœnarum* præcipuè satisfactionis valor æstimandus est : neque necesse fuit Christum *tantum pœnarum dolorem* passum esse, quantum omnes damnandos, immo quantum unum damnatum pati oportebat.

Pr. 11. Neque ad satisfactionis valorem necesse est, quòd pœnæ Christi sint omnino, vel plerumque, *ejusdem speciei*, cum nostris promeritis, viz. ut *spiritum amittat*, ut per *conscientiam cruciatus sit*, ut *desperet*, ut *Deo exosus sit*, &c.

Pr. 12. Ratio autem peculiaris *satisfactionis*, ut ex quâ ejus *valor* æstimandus est, fuit *peculiaris aptitudo Humiliationis Christi ad fines Regiminis obtinendos, & fines pœnarum* Propositione primâ memoratos, sine incommodis, imo cum majore commoditate : viz. Cùm in iis declaretur Dei odium peccati, ad peccati præventionem vel curationem & ad contemptum Rectoris & Legis reprimendum, & ita ad Gloriam justitiæ & sanctitatis Divinæ demonstrandam ; & præterea cùm ad Amoris & Misericordiæ divinæ Gloriam mundo mirabiliter declarandam, admodum adaptatum medium sit. Aptitudo scilicet ad hos fines est *satisfactionis* principalis ratio.

Pr. 13. Ad Aptitudinem hanc constituendam veniunt, *maxima personæ Patientis dignitas*, ut qui *Deus* ipse incarnatus est ; & perfecta ejus *innocentia*, & *perfecta obedientia* in modo patiendi declarata, &c.

Pr. 14. Inanes igitur sunt quæstiones illæ an una guttula sanguinis Christi ad mundum redimendum sufficere potuisset? Et an guttula unica detineri potuisset? &c. Quod *passum & præstitum* est, Remedium & satisfactionem fuisse aptissimam, Deus ipse ex electione ejus & eventu nobis declaravit. At quod aliud Remedium aptum fuisset, dum ille nobis non declaravit, neque nos per subtilissimas nostras collationes, conjecturam facere, vel expiscari possumus.

Pr. 15. Sicut nunquam fuit *finis* satisfactionis Christi, peccatores ipsos ab omnibus omnino pœnis liberare, sed tantùm à *pœnis perdentibus*, & quæ ad mundi subsequens regimen non sunt necessariæ; ita hic non fuit ejus *effectus* : Ideóque non dicendum est à sobrio quoquam, *satisfactionem Christi sufficere* ad peccatum reprimendum, & Divinam justitiam plenè demonstrandam, & hominem ab omnibus pœnis liberandum, sine *pœnis aliquibus ipsius peccatoris*. Quia medii uniuscujusque *sufficientia* ex *fine* æstimanda est : Et hic non fuit *finis* satisfactionis Christi : & Deum homines ipsos & punire & puniendos à magistratibus velle, certissimum est : & pœnæ etiam castigatoriæ reverâ *Pœnæ* sunt ; & *omnes Pœnæ* sunt media ad peccatum reprimendum & justitiam Divinam demonstrandam.

Pr. 16. Quamvis autem Christi satisfactio non ad *omnes fines* satis est, sine pœnis ipsius peccatoris; Pœnæ tamen nostræ non cum *Passione Christi participant*, in *ratione* illa *satisfaciendi* de quâ nunc loquimur. Christi enim *Passiones* dicuntur *satisfactio*, quia sunt *solutio æquivalentis loco pœnæ peccatoris destructoriæ* : At *pœna pœnitentis temporalis*, aut *pœna damnati æterna*, non datur *loco pœnæ destructoriæ* : Ergo non *participant* in *opere satisfaciendi*, ullatenus cum *sacrificio* Christi.

Pr. 17. Pœna Christi Remissionem peccatorum nostrorum nobis procurat, sub ratione *meriti* ; quia est Medium voluntariè ad fines antedictos adhibitum.

Pr. 18. *Obedientiæ* igitur Christi *Meritum* ad fines eosdem concurrere potest.

Pr. 19. Pœna autem Christi est *primò Satisfactoria*, & deinde *Meritoria* : *Obedientia* verò est *Meritoria immediate* & per se.

Pr. 20. Non tantùm *Mors* Christi, sed tota ejus *Humiliatio*, hujus satisfactionis Materia fuit.

Pr. 21. Satisfactio hæc fuit *solutio recusabilis*; Ideóque non *immediatè* & per se remissionem nostrorum peccatorum effecit; sed sub *conditione pacti*, & ut rependenti & accipienti placuit.

Pr. 22. Remissio igitur peccatorum & vitæ donum, non minùs nobis *gratis* & sine *meritis nostris* donata sunt, quàm si absque Christi satisfactione & meritis data essent: Immo majora sunt dona, quia tanto nobis pretio procurata.

Cùm hanc satisfactionis explicationem instituissem, probandi & argumentandi usum nullum vidi: Quippe quòd sacra Scriptura in hisce satis clara sit, & opus hoc à plurimis sufficienter præstitum est; ideóque hîc omittendum duxi.

Determ. 13. *An Christus mortuus descendit ad inferos?*

HIc etiam controversia de Re distinguenda est à controversia de Nomine. De Re autem inter Orthodoxos convenit, 1. Quòd Christi corpus mortuum fuit sepultum. 2. Quòd Anima ejus à corpore separata fuit, substantia sine corpore subsistens. 3. Quòd à Divinâ naturâ λόγου non fuit separata, sed unio personalis continuata fuit. 4. Quòd per unionem illam, & Amorem Dei erga filium sanctissimum, probatur ejus Animam tunc fuisse beatam & in Paradiso. 5. Quòd non fuit Diaboli captivus, aut Deo exosus, aut per conscientiam cruciatus; Ideóque pœnas infernales quales ferunt impii damnati, non tulit. 6. Quòd Anima Christi separata habuit inclinationem quandam ad suum corpus, & desiderium iterum cum eo conjungendi. 7. Quòd Deitas & Anima Christi separata non fuit sine Corpore, *Christus ipse perfectus*; Quia corpus pars Christi, etsi infima, separata fuit in sepulchro. 8. Quòd fœlicitas animæ separatæ igitur non fuit *Christi perfecta fœlicitas*; Quia non *Christi perfecti fœlicitas*. 9. Ex quibus liquet Animam Christi separatam fuisse in *statu pœnali*, etiamsi in statu *beatitudinis*: *status* enim *Animæ separatæ* quà talis, & *diminutio fœlicitatis*, ex defectu *naturalis perfectionis* & *capacitatis*, ambo fuêre *privationes pœnales*. 10. Non igitur ab horâ mortis, sed *Resurrectionis*, Humiliationis Christi status desiit, & *exaltationis* status incepit. In omnibus hisce inter Theologos sobrios concordia est

De sequentibus nil mirum si nulla sit concordia, quandoquidem ni fallor hominibus ignota sunt. 1. An Christi Anima separata fuit in summæ illius Gloriæ statu, quem post Ascensum corporis obtinuit? 2. An damnatis sese ostendit (sicut *Luc.* 16. Abrahamus & Lazarus damnato sensuali)? 3. Utrum per *approximationem* vel *loci mutationem* se illis ostendit, aut tantùm per *luminis congrui manifestationem*? Quod necessariò ignotum esse oportet, dum quæstio de *spirituum localitate*, & *motu* adeò difficilis, nè dicam inscrutabilis est. 4. Quid negotii Christus habuit apud inferos in tali ostensione? Anne tantùm triumphatoris, vel aliud aliquid nobis incognitum? 5. An *mutationem aliquam* fecit in statu *Animarum* Patrum beatarum, & beatitudinis aliquid ipsis addidit, vel ante vel post ipsius Resurrectionem? 6. Quanta & qualis animæ à corpore separatio fuit? An tanta quanta Animæ nostræ separatio à corpore omnino corrupturo? Aut Anima adhuc in corpus aliqualis operatio fuit, ad corpus & humores & spiritus materiales à corruptione tuendos? Certum est Christum verè mortuum fuisse: & certum est ejus carnem non fuisse corruptam, & certum est per influxum Divinum eam à corruptione præservatam esse: At an Animæ ipsius separatæ aliqua causalitas instrumentalis fuit, ad corruptionem devitandam, mortalibus, ni fallor, ignotum est.

Ex controversia, An corpus Christi sit corruptibile an incorruptibile, Schisma valde plorandum factum est in Ecclesia Alexandrina, Pars altera Phantastica *dicta unum sibi eligens Episcopum, altera autem* Corrupticolæ *dicta alterum: de quo vide Liberat. Breviarium in* Binii concil. tom. 2.

De hisce autem ignotis ferè tota inter Theologos litigantes lis est: nisi quòd pauci quidam contendunt Christum etiam pœnas infernales in descensionis statu dedisse, per privationem Gloriæ, & per sensum iræ Divinæ seu miseriæ in Animâ. Quoniam autem hi pauci sunt, & sine omni probatione loquuntur, immo contra expressum

expreſſum Chriſti dictum latroni crucifixo [*Hodiè mecum eris in Paradiſo*] ab illis confutandis jam ſuperſedeo. Et utinam adeò ſobrios, modeſtos & ignorantiæ propriæ conſcios Theologos, Eccleſia Chriſti nacta eſſet, ut de ignotis furiosè rixari & contentiosè litigare tandem deſinerent. Quoniam autem quidam Veterum audacter nimis de Anima Chriſti ſeparata loquuti ſunt, & quia Articulus de Deſcenſu ad inferos in ſymbolum fidei tandem irrepſit, nonnulli hinc anſam ſumunt aſſerendi ignota & diſſentientes condemnandi: Præcipuè quoniam per *Tranſlationes* Articulus ſenſum fere alienum ſortitus eſſe videtur. *Inferi* enim Latinorum durius aliquid ſonat quàm ᾅδης; & nomen Anglicum [Hell] adhuc durius aliquid ſonat quàm *Inferi*: Quid ᾅδης antiquitus ſignificabat, & apud Eccleſiæ Doctores & authores profanos, lege (inter plures alios) Sandfordum & Parkerum in Tract. de Deſcenſ. Chriſti: & moderatam hujus Quæſtionis ſolutionem lege apud Uſſerium contra Jeſuitam: & ſi totum quod pro Deſcenſu dici poteſt, ſimul videre velles, lege Tho. Bilſoni Epiſcopi Wintonienſis Tractatum Anglicum pro Deſcenſu. At fortaſſe qui hiſce paucis contenti ſunt, non minùs ſapientes, & quoad hoc fœlices erunt, quàm qui plura ſcire ſibi ipſis videntur, & non conſentientes hæreſeωs inſimulare audent, & de fide recta & Orthodoxa ſibi ipſis adblandiuntur.

Determ. 14. *An Chriſtus Deo ſatisfecit per pœnas, ut Domino, vel ut Parti læſæ, vel tantùm ut Rectori.*

QUia ad quæſtionem hanc ſatis jamjam reſpondetur, hæc pauca tantùm hîc repetenda duxi.

1. Deus eſt *Dominus* noſter Abſolutus.
2. Peccatum eſt injuria in Deum ut Dominum; Quia ſua contra ipſius Voluntatem & Gloriam pervertit.
3. Deus eſt *Benefactor* noſter.
4. Peccatum eſt injuria contra Deum *Benefactorem* & *Finem* noſtrum; Quia in Gratitudinis & Amoris debiti privatione conſiſtit.
5. Deus pœnas quà pœnas exigit tantùm ut *Rector*.
6. *Satisfactionem* autem ut *Dominus* & *Benefactor* offenſus & injuriâ affectus, & honorem Dominii, *Bonitatis*, *Amoris* & *Beneficiorum* vindicans exigit.
7. Ut Noſter Dominus noſmetipſos requirere poteſt, & ſatisfactionem ob noſtri abuſum. Et ut *noſtrorum* Dominus, *ſua* etiam requirere poteſt cum debitâ uſurâ, & ut Oeconomos nos ad rationem reddendam cogere; & ſatisfactionem ob noſtrorum (viz. quia ſuorum) abuſum expectare.
8. Gloria etiam ſua in omnibus ſuis Relationibus eſt finis ultimus ſui Regiminis; Et quamvis non realiter noceri poteſt, injuriâ tamen affici poteſt, quando contra ejus Gloriam peccamus.
9. Ergo etiamſi *pœnas formaliter* quà pœnas, Deus exigit tantùm ut Rector; *Finaliter* tamen pœnas quà *ſatisfactorias* requirit, non tantùm ut Rector, ſed etiam quà *Dominus* & *Benefactor* Gloriam ſuam vindicans.

Determ. 15. *An Chriſti Juſtitia quam Deo Patri præſtitit ad hominum Juſtificationem & Liberationem, fuit tantùm ejus ſatisfactio pœnalis? aut etiam ejus Juſtitia Sanctitatis? & an habitualis, aut tantùm actualis? & an hæc etiam rectè dicatur non tantùm meritum, ſed & ſatisfactio? & hîc de Divinâ ſuâ juſtitiâ etiam quæritur.*

QUomodo nobis vel imputata ſit, vel proſit hæc Chriſti juſtitia, poſtea ſuo loco dicendum: Hîc autem de ejus *præſtatione*, ad uſus quibus poſtea applicanda eſt. Et multiplex quidem Theologorum de hac re opinio eſt, quando de *Im-*

putatione aut *Justificatione* res agitur, etiamsi quando agitur de *Impetratione*, vix litigant; quamvis ibi reverâ controversiæ materia prima est. Ad *Obscuritatem* & *Prolixitatem* responsionis devitandas, hisce pauculis propositionibus quæstionis statum aperiam.

Prop. 1. Præsupponitur hîc *satisfactionem*, necessariam fuisse, ad peccatorum liberationem. Vulgo dicitur, *Justitiam Divinam* per *peccata fuisse offensam*: Dr. Twissus contra Corvinum hujus locutionis ineptitudinem prolixè demonstrat. Potius dicendum est, *Deum Justissimum offensum fuisse*; vel Pœnam Legis violatæ ita peccatoribus fieri debitam, ut per Justitiam Divinam infligenda fuisset, nisi data fuisset sufficiens satisfactio.

2. Præsupponitur item *datam* fuisse *satisfactionem*, cujus natura jam describitur: sensu scilicet non tantùm *lato*, ut *satisfacere* est *alicujus desiderium adimplere*; sed *stricto*, ut significat *æquivalens aliàs indebitum reddere loco ipsius debiti*; ubi ejus *Acceptatio* per creditorem supponitur. Quando de *nummorum* debitione agitur, dicimus, *eandem* quidem *summam* esse *idem* quod *debetur*, etsi non sit *eadem numerica moneta*. Ita enim intentio creditoris rem statuit. (Falsò tamen dicit *Crellius Creditorem obligatum esse, æquivalens in aliâ specie acceptare.* Qui enim pecuniam mutuam recipit, debitum non solvit, æquivalentis pretii vestem reddendo, nisi vel ipse contractus, vel lex aliqua particularis ita rem definiat.) At de *pœnis debitis* res aliter se habet; ubi partim *Rector* partim *Respublica* loco *creditoris* est; ut jam dictum est.

3. Supponitur etiam Christi Pœnas fuisse *satisfactorias*, & Remissionis peccatorum Meritorias.

4. Non quæritur an præter peccatorum Remissionem etiam necessarium sit ad Gloriam cœlestem obtinendam, ut Præstatores perfectæ obedientiæ reputemur, per Imputationem perfectæ Christi obedientiæ. Hæc Quæstio alibi discutienda est.

5. At hîc tantùm quæritur 1. *Utrum Remissio peccatorum & justificatio procurandæ sint per modum Meriti, & non tantùm per modum satisfactionis?* 2. *Utrum hoc meritum consistat in Justitia Christi Divinâ vel Habituali vel Actuali.* 3. Utrum *hæc Justitia sit etiam pars satisfactionis.*

Ad has tres Quæstiones, distinctè at breviter respondendum est.

I. Ad primam dico, 1. Remissionem peccatorum procurari per *modum meriti*: imò si de causâ procurante effectui *proxima* loqueris, per *solum Christi meritum* procurari; & *satisfactionem* remissionem procurare quà *meretur*, vel in genere causæ efficientis *Meritoriæ*.

2. At si de *remotiore* procurandi ratione agitur, dico, *satisfactionem* etiam Remissionem procurare.

3. Dico etiam *Pœnas* Christi fuisse primo *satisfactorias* & deinde *Meritorias*; At *obedientiam* Christi esse primò *Meritoriam* & exinde *satisfactoriam*, non autem eodem respectu satisfactoriam, quà *pœnæ* satisfactoriæ dicuntur.

4. Christi & *pœnæ* & *obedientia*, si originem spectes, Deo dantur quasi sub formâ fœderis (sensu priùs explicato) ubi Pater promissa facit filio, sub conditione perfectæ obedientiæ, & pœnæ satisfactoriæ ferendæ.

5. In Christi igitur hujus conditionis præstatione, diligenter distinguenda sunt, Aptitudo & obedientiæ & pœnarum Christi ad hoc conditionis officium, & ipsa conditionis forma seu officium *Aptitudo* est ratio effecti *remota*; *conditionis officium* est ratio effecti s *proxima*. Ideo Pater filio promissa præstat, homines Justificando, &c. quia filius conditiones fœderis ex parte sua præstitit. Materia hujus conditionis rectè dispositа,est Christi *satisfactoria pœna cum meritis.*

6. Ratio remota diversa est; viz. *Aptitudo pœnæ* ad officium *conditionis* consistit in ejus aptitudine ad *Gloriam Justitiæ Divinæ demonstrandam.* Aptitudo obedientiæ consistit in ejus *præstantiâ* quâ Deo perplacet, & in ejus aptitudine ad Gloriam *sanctitatis* Divinæ demonstrandam. At ratio proxima, (esse *conditiones fœderis*) est eadem utrisque.

7. *Obedientia* igitur non ideo meretur, quia *Justitiam vindictivam* demonstrat, neque

neque *Pœnæ* quia per se Deo suâ præstantiâ perplacent, sed ambæ sunt causæ meritoriæ nostræ remissionis & salutis, & ambæ sunt *conditiones* donorum promissorum.

8. *Christi habitualis perfectio cum actuali obedientia*, ex justitiâ Divinâ exaltata est conditionis hujus præstatio, & causa hæc meritoria.

II. Ad secundam igitur Quæstionem jam obiter respondetur. 1. Quoniam Mediator non potuit nostram Justificationem & salutem procurare, nisi per modum *meriti*; & quoniam nihil magis apud Deum optimum, sanctissimum *meretur*, quàm quod maximè *ipsi placet*, & nil magis ipsi placet quàm *Bonitas, Sanctitas, Amor, Justitia*; sequitur igitur nullo modo Christum magis Justificationem & salutem nostram merendo procurâsse, quàm per bonitatem, sanctitatem, Amorem, Justitiam, obedientiam. Et quoniam Bonitas, Sanctitas, Amor, Justitia Habitualis, non *minùs* est *Bonitas*, &c. neque *minor Bonitas*, &c. quàm Actualis; neque minùs Deo placet (ut quæ Hominem potiùs quam *merus Actus Bonum* denominat); Ideo *Bonitas Habitualis* non minùs meretur Justificationem & salutem nostram quàm *Actualis*.

III. Et quoniam satisfactionis Ratio est, esse *solutionem æquivalentis loco ipsius debiti*, & *Æquivalentia* consistit non in magnitudine pœnæ, nec tantùm in pœnæ genere, sed præcipuè in aptitudine rei ad eosdem regiminis fines obtinendos; & quoniam unus Regiminis finis est Demonstratio Divinæ Justitiæ punientis, & alius finis est Demonstratio Divinæ sanctitatis, & Amoris; & Legis ipsius Honoris vindicatio; & quoniam Deus per Christi Pœnas Justitiam suam punientem non minùs fœliciter demonstravit, quàm si Mundum perdidisset; etiámque per Christi perfectam sanctitatem, obedientiam, &c. non minùs sanctitatem suam, & Bonitatis Amorem, & Legis æquitatem & perfectionem demonstravit, quàm si nosmetipsi Legi ipsius obedientes perfectè fuissemus; sequitur, Ergo *Pœna Christi* est *Satisfactio*, & *Bonitas meritoria* Christi est *satisfactio*: sed non ejusdem rationis cum satisfactione pœnali. Sed breviter & simpliciter dicendum est, *Deum peccata & pœnas nobis remittere, quia Christus hoc meruit, & perfectione habituali & actuali, & pœnas vicarias subeundo.*

Quid autem dicendum est, de *sanctitate* Christi *Divinâ*? Anne per hanc etiam meruit nostram liberationem & salutem?

Resp. 1. Non propriè dicitur Deum *apud seipsum mereri*, in sensu *Justitiæ* vel *commutativæ* vel *distributivæ*. Tamen si ad nudum *Amoris objectum* spectemus, 1. Nihil tam meretur ejus Amorem quàm sui ipsius Bonitas vel Amabilitas: 2. Et proximè, illud quod Bonitatem suam maximè participat, & ejus clarissima est Imago.

2. At quoad Justitiam distributivam etiam, præcipua Meritorum Christi ratio oritur ex Relatione personæ Divinæ ad Naturam Humanam; unde *dignitas & perfectio* habituum & actionum, oriuntur ex dignitate personæ præstantis.

Obj. *At*, inquit *Paræus, Justitia personæ non est confundenda cum justitiâ meriti.*

Resp. Si *Justitia personæ meretur*, non est distinguenda Justitia personæ contra Justitiam meriti, vel merentem. At verum prius: Ergo.

Obj. *At Christus tenebatur Legi obedire propter seipsum, aliter ipse peccator fuisset: Et nemo meretur propter alium officium proprium præstando.*

Resp. At Natura Christi Divina non fuit obligata, ad humanam subjectam naturam, sibi in unionem personalem assumendam: sed eâ lege eam assumpsit, ut in perfectione ejus pro nobis ex relatione ad Deitatem mereretur. Et secundum Justitiam distributivam, unus potest aliquando mereri propter alium etiam dum officium proprium præstat; si non de *Merito* Rectorem (*Volentem Nolentem*) cogente loqueris, sed de *Merito volenti placente*. Non minus enim opus bonum & placens est, quia *proprium officium* est; sed *magis*. Proprium enim officium perfectè præstare ita Deo placens est & acceptabile, ut ejus causâ præstanti gratificare etiam quatenus *aliorum Mediatori*, paratus sit. Præcipuè autem quando ideò qui præstat subditus factus erat, ut hæc ad hos fines & usus præstaret.

Hic

Hîc autem notandum est, quod jam dictum est, viz. de *Imputatione* hujus Justitiæ maximam Theologorum esse controversiam: Et tres eximiores opinantium classes sunt. 1. Quidam docent Christum ideò perfectè *justum fuisse*, ut ejus justitia nobis *imputaretur simpliciter* & *in se*, ut *nostra*; Quia in *nostrâ personâ legaliter* etsi non *naturaliter* facta est: Et horum quidam dicunt 1. Justitiam Christi Passivam nobis imputari ut *nostram in se*, quâ reatum pœnæ devitemus. 2. Justitiam Christi Activam nobis Imputari ut *nostram in se*, ut perfectè obedientes & cœlum merentes inde nos reputemur. 3. Justitiam Christi habitualem nobis imputari *ut nostram in se*, ut inde *habitualiter Justi* reputemur. 4. At quomodo Justitia naturæ Divinæ nobis imputatur, hæsitant.

2. Quidam autem dicunt *Satisfactionem* quidem Christi *pœnalem*, id est, totam ejus humiliationem nobis ad justitiam imputari: (de modo enim imputandi non litigant); At Justitiam Divinam, Habitualem & Actualem, quæ consistit in Perfecta sanctitate & obedientia, non esse nobis Imputatam, sed esse tantùm *Personæ* ipsius Christi Justitiam quâ ad justificationem nostram promerendam aptus erat. Hujus opinionis Authores & fautores (viz. Olevianus, Cargius, Ursinus, Piscator, Paræus, Scultetus, Alstedius, Wendelinus, Camero cum sequacibus suis Salmurienſibus, Wottonus, Gatakerus, magni omnes Theologi) ideo hâc viâ incedere videntur, quia priorum contradictionem cernunt, dum fingunt nos imputatione perfectè *sanctos* & *obedientes* esse, & tamen imputatione pro peccatis satisfeciſſe.

3. Alii autem de *Imputatione* priùs distinguunt; & negant nos vel *obediviſſe* vel *satisfeciſſe* verè, moraliter, legaliter, in personâ Christi; & negant ita *imputatam* esse nobis ullam Christi Justitiam, ut nos *ejus Authores* & *subjecta* reputaremur; aut nobis *imputatam* esse vel *donatam in se*, ut rem ipsam datam possideremus. At affirmant Christi Justitiam nobis ita *imputatam* dici posse, ut *Causa Meritoria* (vulgo *Materialis*) nostræ Remissionis, Justificationis & Adoptionis, non fictè sed verè æstimaretur; & ita nobis Imputatur, id est, *Datur*, & *Adjudicatur*, non simpliciter & *in se*, sed *in effectis*: Sicut pretium quod datur Victori ad Captivum redimendum, datur captivo non *in se* (ita enim *Victori* datur) sed in *effecto*, scilicet liberatione. Dari dicitur captivo impropriè, quia datur propriè pro captivi liberatione. Et Imputari dicitur captivo, quia tam verè & plenè (etsi fortasse sub conditione gratitudinis) liberatur, quàm si ipse pro se hoc pretium solvisset. Hujus opinionis sunt Guil. Bradshauus & Grotius, & ego me illis libenter adjungo: & addo, Qui simpliciter tantùm dicunt, Christum nostram justificationem & salutem & *sanctitate*, *obedientiâ* & *pœnis meruisse*, *totum & satis* dicunt: neque dividenda sunt effecta, secundum merendi *Actus materiales*: sed dicendum est omnes hos effectus [Remissionem, Justificationem, Adoptionem, salutem] dari (quoad jus) per *modum fœderis*; & quòd uno quasi promisso continentur; & Christi *sanctitatem* & *perfectionem habitualem* & *actualem* unà cum *pœnâ satisfactoriâ* fuisse *ipsius conditionis præstationem* sub quâ hæc jura simul conceduntur; & ita ut coeunt ad *totam eandem conditionem præstitam constituendam*, non *separatim* sed *conjunctim* beneficiorum causa sunt meritoria. Hæc simplex, plana, façilis, antiqua veritas à Recentiorum subtilitatibus obscurata, in lucem iterum vindicanda est: & ad pleraſque Theologorum acerbas de hisce contentiones finiendas, si tantum intelligere volunt, satis erit.

Christi autem sanctitatem & perfectionem esse causam meritoriam nostræ Justificationis & salutis, apparet 1. ex Rom. 5. 19. *Per unius obedientiam multi facti sunt justi*: Non tantùm obedientia passionis ejus hîc intelligitur, quia opponitur Adami inobedientiæ. Textus autem loquitur de Adami inobedientiâ quà tali; Ergo loquitur de Christi obedientiâ quà tali. Ergo etiam de *Omni* ejus obedientiâ. Et Phil. 2. 8. ubi de obedientiâ Christi passivâ loquitur Apostolus, passionis quidem meminit quatenus est *Materia specialis obedientiæ*; At *obedientiæ* tamen in patiendo, quatenus est Virtus illa acceptabilis & meritoria, quæ per passionem sese declaravit. Nisi enim Voluntaria & Obedientialis fuisset passio Christi, grata Deo minimè fuisset.

2. Et

2. Et notandum eſt, quòd ipſa Chriſti ſatisfactio non eſt juſtitia *noſtra Formalis*, ſed *Materialis* ſeu *Meritoria* (quæ hîc ſunt eadem): At proculdubio Chriſti perfecta ſanctitas & obedientia habent non minorem ad merendum aptitudinem, quàm ejus paſſio.

3. Notandum item Deum ſatisfactionem recepiſſe, non tantùm quà Judicem, ſed etiam quà *Dominum* & *Benefactorem offenſum*. Dominus autem injuriâ affectus, non pœnam, ſed *ſui* redditionem poſtulat. Et Benefactor injuriâ laceſſitus honoris Benefaciendi reparationem requirit. Quando igitur objiciunt 1. *Quòd Lex violata, non obedientiam minatur ſed pœnam*; 2. *Et Rector offenſus pœnis placandus eſt*; Reſp. 1. Chriſtus non ideo paſſus eſt, ut Legis Comminatio *impleretur* (Quod nil aliud eſt, quàm ut Peccatores damnarentur); ſed ut *non impleretur*, ſed *relaxaretur*, & *finis* ejus aliter obtineretur. 2. Rector quà ſupra Leges, ſatisfactionem recipere poteſt, etiam per opus aliquod præſtantiſſimum. 3. Deus non tantùm quà Rector recipit ſatisfactionem.

4. Notandum etiam eſt, quòd præter peccatorum remiſſionem, etiam Theologi contradicentes agnoſcunt, majorem quendam fœlicitatis Gradum per Chriſtum nobis procuratum eſſe, (quod Adoptionis titulo conceditur) quàm amiſit Adamus, aut re, aut ſpe: Aut ſaltem aliam fœlicitatis ſpeciem: Quia Chriſti naturam humanam Glorificatam videbimus, cum cœleſti Redemptorum Societate, &c. Nemo autem rationem ſanam reddere poteſt, quare Chriſti *Juſtitia Activa*, hujus Cauſa Meritoria non æſtimaretur: (Ego tamen etiam Chriſti *paſſionem* ejuſdem Gloriæ Cauſam Meritoriam eſſe, una cum Juſtitiâ activâ, non dubito.)

Determ. 16. *An Chriſtus pro omnibus mortuus ſit?* (*vel tantùm pro quibuſdam electis.*)

Clem. Alexandr. Strom. l. 7. p. 2. *Quomodo autem eſt ſervator & Dominus, ſi non eſt omnium ſervator & Dominus? Sed eſt ſervator eorum qui crediderunt, quia ſcire voluerint: eorum autem qui non crediderunt eſt Dominus, ſi cum potuerint confiteri, propriam & eis convenientem acceperunt beneficientiam — Ad communem venit hominum ſalutem.* —

QUoniam Tractatum peculiarem de hac controverſiâ jamdudum ſcripſi (etſi nondum typis impreſſum), Argumentationes hîc omittendo, explicationem controverſiæ & nudam Determinationem hîc tantùm inſtituam.

I. Chriſtus dicitur Mori pro aliquo, 1. Quaſi in illius peccatoris *perſona*, ut pœnæ *Vicarius Inſtrumentalis*, *vel abſolutus*, ita ut ille pro quo moritur vel dat pœnas, æſtimetur ipſe pœnas illas dediſſe. 2. Vel tantùm in perſonâ Mediatoris pœnas vicarias, ita noſtro loco & ad noſtrum bonum dediſſe, ut æquè nobis valeant, ad fines ab ipſo donatore intentos, ſub lege vel conditione ab ipſo inſtituenda, ac ſi nos ipſi pœnas dediſſemus.

Prop. 1. In priore ſenſu Chriſtus pro nemine mortuus eſt. In ſecundo pro *omnibus*, ſicut poſtea explicabitur.

II. Quando Chriſtus *pro* hominibus mori dicitur, vel pro hominum peccatis; homines & eorum peccata conſiderantur, vel 1. Ut pro-*Cauſa meritoria* Chriſti mortis, *efficienter*; 2. Vel ut *Malum amovendum*, in genere cauſæ finalis. In primo ſenſu, Quæſtio ita inſtituenda eſt, *An omnium peccata fuêre pro-Cauſæ Meritoriæ paſſionum Chriſti?* vel, ut loquuntur, *Chriſto patienti imputata fuêre?*

Prop. 2. Hæc quæſtio affirmanda eſt (ut ipſe Paræus in Iren. fatetur). In ſecundo ſenſu, *Quæſtio erit*, *An ad omnium Condonationem*, *Juſtificationem* & *Salutem Chriſtus mortuus eſt?* Ad hanc determinandam pluribus adhuc diſtinctionibus opus eſt.

III. Diſtinguendum eſt inter *Beneficia* Redemptionis *antecedentia* Fidem & Pœnitentiam; & *ipſam fidem & pœnitentiam*, & *Beneficia conſequentia*.

IV. Diſtinguendum eſt inter *Sufficientiam* & *Efficaciam* pretii.

V. Et inter tenorem Legis & Promiſſionis, & Decretum de eventu.

VI. Et inter Donationem Conditionalem & Abſolutam.

VII. Et inter *Realitatem* & *Æqualitatem* beneficiorum.

Prop. 3. Chriſtus in tantum omnium Redemptor eſt, ut jure Redemptionis

ſit

sit totius humani generis (antecedenter) & *Dominus* (seu *Proprietarius*,) & *Rex* & *Benefactor*, scilicet, quoad *Jus Possidendi* & *Regendi* & *Gratias recipiendi*: & totum Genus humanum sit *Regnum Redemptorum*, quoad *debitum* seu *obligationem*.

Prop. 4. In Regno hoc universali Leges Gratiæ universo Redemptorum Regno dedit.

Prop. 5. In hisce *Legibus Beneficia Gratiosa salutaria* omnibus sub conditione conceduntur.

Prop. 6. Iisdem omnibus quædam officia imponuntur, sub ratione *mediorum* ad *salutem* adhibenda.

Prop. 7. Iisdem etiam *pœnæ* hujus salutis & gratiæ contemptoribus ingratis debitæ statuuntur.

Prop. 8. Legum Gratiæ universalium triplex fuit Editio: Prima facta humano generi in Adamo; Secunda humano generi in Noe; Tertia per Christum Incarnatum *omnibus* facta est quoad Legis seu Donations tenorem, etsi non omnibus promulgata est.

Prop. 9. In hac Lege (vel Fœdere, vel Testamento) *Conditionalis Remissio* peccatorum, Justificatio, Adoptio & jus ad cœlestem gloriam, dantur unicuique Adami filio. Et Donatio hæc sacris literis inscripta, & obsignata est.

Prop. 10. In eodem Testamento Fides & Pœnitentia ut media seu conditiones salutis omnibus præcipiuntur: Et media quædam subordinata instituuntur ad fidem & pœnitentiam ingenerandum & promovendum.

Prop. 11. Ibi etiam pœna gravior, Gratiam hanc rejicientibus minata est.

Prop. 12. Ministris Christi mandatum est, hæc omnibus per mundum totum prædicare.

Prop. 13. Omnibus etiam fidelibus præceptum est, juxta capacitatem & opportunitatem uniuscujusque respective, universalem hanc promulgationem promovere.

Prop. 14. Plurima item Gratiæ per Christum promerita Beneficia, omnibus ubique conceduntur, quæ ut à Redemptione, fonte gratiæ proveniunt, ita ad majorem gratiam aptitudine suâ tendunt.

Prop. 15. Cum hisce mediis & Beneficiis concurrit tale Spiritûs sancti auxilium, quale ad mediatam aut immediatam illorum mediorum exercitii potentiam, necessarium est.

Prop. 16. Secundùm Gratiæ Legem aliqualem, & per viam misericordiæ per Christum promeritæ, male-merentibus datæ, Deus genus humanum adhuc gubernat.

Prop. 17. Secundùm eandem Legis Gratiæ editionem, sub qua unusquisque vixit, Deus unumquemque tandem judicabit.

Prop. 18. Quoad *omnia hæc beneficia communia, Christus mortuus est pro omnibus*, non tantùm *sufficienter*, ut dicunt, sed *efficaciter*. Omnia enim beneficia quæ realiter conceduntur, ut realiter & efficaciter donanda Christus promeruit.

Prop. 19. Qui omnia hæc universis concessa, Deum donâsse dicunt, sine respectu ad Christi sacrificium vel meritum, viam struunt ad illorum opinionem recipiendam, qui nullam Redemptionis necessitatem fuisse asserunt.

Prop. 20. Omnia jam enumerata beneficia quæ *per fœdus Gratiæ Antecedenter* donantur (viz. Conditionalis Remissio, Justificatio, Adoptio, &c.) *omnibus æqualiter* conceduntur. Fœdus enim hoc ipsum nullum facit discrimen, donec hominum actiones sese invicem discriminent.

Prop. 21. *Omnia* tamen *Beneficia Antecedentia simpliciter, non æqualiter* conceduntur. Quædam enim (ut Vocatio per Evangelii promulgationem, & Spiritûs auxilia ad credendum & resipiscendum), aliquibus à Deo liberè donantur, in eximiore gradu quàm aliis, ut postea probabitur.

Prop. 22. In sensu consequenti (viz. loquendo de Deo ut *Judice*, & non ut *Legislatore*) Deus Christum dedit, & Christus vitam suam dedit, pro nemine salvando nisi pro *fidelibus* & *pœnitentibus* quà talibus. Id est, per fœdus Gratiæ,

Remissionem,

Remissionem, Justificationem & cætera fœderis dona consequentia nemini dat, nisi sub conditione fidei & pœnitentiæ.

Prop. 23. Christus non decrevit, omnes quoad *eventum* ad salutem perventuros, pro quibus in sensu jam dicto mortuus est.

In hisce cunctis propositionibus determinatur Controversia de *re*: De *nomine* proximè dicendum, *An congruè dicatur Christum mortuum esse pro omnibus?*

Resp. 1. De nomine non nimiopere litigandum, quando inter nos convenit de re.

2. Quia tot & tanta per mortem Christi Beneficia cunctis conceduntur, inde *congruè* dicitur *Christum pro omnibus mortuum esse.*

3. Quia sacra Scriptura hâc loquendi phrasi utitur, ut congrua etiam à nobis utenda est; & cum sacrâ Scripturâ dicere licet, *Christum esse Mundi salvatorem, & Agnum Dei qui tollit peccata mundi*; & pro *omnibus mortuum esse*, & *propitiationem esse pro totius mundi peccatis, &c.*

4. Non tamen congruè dicitur Christum pro omnibus *æqualiter* mortuum esse.

Determ. 17. *An Christus mortuus sit ad promerendam electis* ipsam fidem *&* pœnitentiam? (*Et non tantùm salutem sub conditione fidei & pœnitentiæ?*)

Hic etiam quæstionem de *Re*, à quæstione de *Nomine* discernere debemus. De *Re* autem dicendum est; 1. Effectum mortis Christi *proximum*, à remotis consequentibus discernendum esse. 2. Et *proximum* mortis Christi effectum seu fidem esse *satisfactionem* Deo offenso, per Justitiæ ejus demonstrationem. 3. *Remotiorem* verò effectum esse, peccatorum nostrorum *remissionem*, & salutis donum, sub conditione *fidei* & *pœnitentiæ* per *fœdus Gratiæ*, seu Legis gratiæ promissiones. 4. At quia sine auxilio Spiritûs sancti nemo crederet & pœnitentiam haberet, plenitudo potestatis Redemptori data est, Spiritum sanctum quibus vult, & quibus gradibus vult, donandi. 5. Redemptoris autem consilium est, auxilia non ejusdem gradûs hominibus concedere; sed Gradus variare aliquando juxta hominum præparationes & morales capacitates, aliquando verò tantùm juxta proprium beneplacitum. Et ita quibusdam tales auxilii gradus dare, qui *fidem* & *pœnitentiam* efficaciter operaturi sunt. 6. *Fides* igitur & *pœnitentia* ubicunque inveniuntur, sunt *effectus* meriti mortis Christi; sed fere *remotissimi*; & non vel primarii vel secundarii.

De *Nomine* autem dicendum est, 1. Quæstionem de nomine minoris esse momenti. 2. Haud incongruè dici, *Fidem* & *Pœnitentiam* esse mortis Christi effectus: 3. At minus congruè dici, *Christum mortuum esse ut pretio sui sanguinis nobis emeret fidem & pœnitentiam.* Quia dum fines proximi omittuntur, locutio talis sonare videtur, *Deum ita passiones Christi dilexisse, ut Gratias suas pro ipsius sanguine venderet.* 4. At inter rectè sentientes, ubi locutionem talem neque errores inducere, neque lites provocare probabile est, tolerabilis quidem æstimanda est, & non contentiosè opponenda.

Determ. 18. *An Christus moriturus intendebat, electos quosdam singulares infallibiliter, immutabiliter & invincibiliter adducere ad sinceram* fidem, *&* pœnitentiam, *& inde ad Justificationem, Sanctificationem & Gloriam cælestem?*

Tantâ cautelâ Quæstionis termini formantur, ut ad ejus explicationem nil ultra opus sit, quàm eorum rationem breviter reddere, & ita Quæstionem Affirmare.

1. Notandum est quòd de *Intentione Christi Divinâ* hîc loquor; & ita Quæstio est eadem quoad sensum cum illa dicta de *Electione*: Christus enim quà Deus, omniscius fuit, & voluit quodcunque volendum scivit. At quà homo an ille

qui diem & horam proprii judicii non noverat, electorum suorum numerum & nomina omnia novit; per omnia secula præterita existens & futura; & ita an de unoquoque singulari salvando, specialem habuit intentionem, hæc ego omnino determinare non aggredior.

2. Supponitur igitur *Patris & Spiritûs sancti* eandem esse cum Filii intentionem.

3. Per *Intentionis* nomen, illum Voluntatis Christi actum volo, qui per Analogiam ad actus humanos ita appellandus est: neque actum Voluntatis tantùm, sed etiam Intellectûs illud consilium quod cum volitione Divinâ semper concurrit. Neque ita strictè nomen *Intentionis* hîc sumo, ut quando ad *Finem tantùm* limitatur, & ab *Electione mediorum* distinguitur; sed latiùs, pro Voluntatis Proposito.

4. Intentionem nomino [*adducendi*], quia Christi ipsius opus esse per Spiritum sanctum jam probatur; & ita hanc distinguo & ab *Intentione permittendi*, & ab intentione concursûs qui per voluntatem non concurrentem frustrari poterat. Quamvis autem de *Intentione Efficiendi* loquimur, de *modo efficiendi* non plenè hîc agendum est.

5. Dicimus tantùm de modo, quòd fit 1. *Infallibiliter*, ut à *Scientiâ Intellectûs* non errante: 2. *Immutabiliter*, ut à Voluntatis Proposito absoluto & *immutabili*, & non *conditionali* tantùm, qualis Velleitas describi solet; 3. *Invincibiliter*, ut per Potentiam Divinam insuperabilem efficiendum. Non unum enim nomen hæc tria comprehendens & clarè significans invenio; sed hoc est quod Theologi intelligunt per [*Irresistibilitatem.*]

6. Et de [*personis singularibus*] ut objecto, loquor; Quia decretum hoc distinguo ab illo de *specie* tantùm, quo statutum est, *Fideles omnes salvandos esse.*

7. [*Electos*] autem dico non quasi *ex fidei* prævisione tantùm sed *ad fidem*; *electos* scilicet originaliter ex Voluntate Dei gratiosâ, quâ ad fidem illos adducere decrevit, sicut hîc dicitur.

8. *Sinceram fidem*, terminum primum hîc nomino, ut Decretum hoc discernam à conditionali illâ universali, quâ statutum est omnes *salvandos esse si credant.* Et Justificationem & Salutem nomino ut terminos connexos; Quia quos vocavit, hos & justificavit & glorificavit, Rom. 8. 30. Quæstionem tamen de Perseverantiâ hîc omitto, ad locum suum reservandam.

9. *Intentionem* hanc specialem asserendo, non volo Redemptionem universalem prius descriptam, neque gratiam aliquam communem negare. Gratia enim *specialis universalem* supponit, & optimè hæ inter se conveniunt.

10. Neque Decretum ante memoratum *Universale*, vel *Conditionale*, vel de *specie tantum*, (id est, de *fidelibus salvandis*) hîc *excludo*, quando Decretum hoc de *singularibus* superadditum esse assero; & jam probabo.

Arg. 1. *Quòd Christus sibi proposuit vel decrevit ab æterno, hoc moriturus etiam decrevit.* At Christus ab æterno decrevit quosdam electos singulares, *infallibiliter, immutabiliter & invincibiliter adducere ad sinceram fidem & pœnitentiam, & inde ad justificationem, sanctificationem & gloriam.* Ergo *& moriturus hoc decrevit.*

Major negari non potest. Minor continet doctrinam de Electione singulari, quæ quia suo loco non intactam reliqui, & copiosè à plurimis tractatur (optimè verò à D. Davenantio in Dissertat. de Elect.) hîc potiùs probatam supponam, quàm ex instituto probabo, præterquam quòd obiter fit in Argumentis sequentibus.

Arg. 2. *Si Christus dum incarnatus est, & moriturus finem certum & non frustrandum sibi proposuit, scilicet, Dei Gloriam in quorundam salute; tunc Christus moriturus intendebat electos quosdam singulares ad fidem adducere,* &c. ut dictum est. *At verum prius: Ergo & posterius.*

Antecedens vix aliquis Christianus negabit.

Consequentiæ ratio est, quia nisi ipse Christus ita electos ad fidem adducere decrevisset, de fine suo frustrari potuisset.

Obj.

Obj. *Certitudo finis obtinendi fundari potest in præscientia futurorum contingentium: & tu ipse prius probasti præscientiam mali certam esse posse, sine præcedente Volitione vel decreto.*

Resp. Peccare possumus sine *specificante divinâ cooperatione*; At credere & pœnitere sincerè sine eâ non possumus. Et illud tantùm præscriri potest quod fieri potest.

Obj. *Qui sine divinâ cooperatione specificante credere non potest, is sine eâ non infidelis esse non potest: Ergo ejus infidelitas non erit peccatum.*

Resp. Peccatum est, 1. Quia Impotentia ejus *voluntaria*, immo *Voluntatis* est; imo ipsa *Nolitio habitualis* est: 2. Et ejus ipsa causa est; 3. Et qui *credere* sine *Gratia tali* non potest, plura tamen potest quæ ad Gratiam illam obtinendam *media* sunt, à Deo ipso præcepta & ordinata: & à malis pluribus, & à gratiæ resistentiâ magis abstinere potest: & per horum contumacem omissionem gratiæ auxiliatricis jus omne amittit.

Fateor quidem Deum Potentiam agendi sæpe concedere, ubi non sequitur Actus: Fateor etiam Futuritionis decretum non simpliciter necessarium esse ad rei futuritionem seu eventum (ut de peccato patet) neque ad ejus præscientiam. Attamen 1. Perfectioni Voluntatis Divinæ congruum esse videtur, eam antecedenter extendi ad omne bonum, cujus ipse Deus est causa principalis. 2. Et qui electionem æternam ex provisione fidei esse dicunt, hanc fidem tamen esse donum Dei, aliquando fatentur.

Si autem in hisce responsionibus, aqua Lectori hærere adhuc videatur, hoc Argumentum prætermittat, & hæc suo loco plenius tractata videat.

Arg. 3. *Si Christus nil majus aut melius aut operatus est aut operandum decrevit pro salvandis, quàm damnandis, tunc salvati & glorificati non magis ad Amorem & Gratitudinem erga Christum ut salvatorem, devincti sunt, quàm damnati. At falsum posterius: Ergo & prius.*

Ratio consequentiæ est, quia æquale beneficium, ad æqualem obligat gratitudinem.

Obj. *At fideles glorificantur, & infideles damnantur: Ergo fideles majus accipiunt beneficium.*

Resp. *Consequenter* quidem majus accipiunt, non autem *Antecedenter*. Ergo quoniam *antecedenter*, damnati æquale beneficium recipiebant, ex ipsis solis stat quo minus *consequenter* etiam æquale non recipiant. Ergo saltem *antecedenter* ad æqualem gratitudinem obligantur? Et tunc obligatio illa ob *antecedens beneficium* nunquam cessabit: Et ita damnati æquè obligati erunt ad gratitudinem pro gratiâ *Antecedente*, ac salvati. Quod nihil haud sanum sonare videtur. At si hoc etiam Argumentum non cogit, ad fortius procedo.

Arg. 4. *Quod Christus postea efficit, id priùs efficere decrevit. At Christus electos quosdam singulares infallibiliter, immutabiliter & invincibiliter adducit ad sinceram fidem, & pœnitentiam*, &c. *Ergo hoc efficere prius decrevit.*

De majore dubitari non fas est.

De minore notandum est 1. Quòd non hîc de *donatione morali* per fœdus loquimur; Quâ scilicet non res physica datur, sed tantùm *Jus ad rem*: Ita enim fatemur Christum omnibus æqualiter fœderis gratiam seu beneficia antecedenter donâsse.

2. Neque de *Gratiâ* physicâ inefficaci loquimur.

3. Neque de eâ quæ efficax erit tam ex voluntatis humanæ, quàm Divinæ Determinatione.

4. Neque quæstionem hîc definire satago, utrum *revera* aliqui per Gratiam hanc unquam credunt & salvantur; per Gratiam scilicet quam vocant sufficientem, ubi per auxilium Divinum voluntas humana sè liberè determinat.

5. Fateor etiam quòd si voluntas Divina & humana ut concausæ (etsi non coordinatæ) concursu cooperantur; etiamsi Auxilium Divinum Virtutis aut vis gradus decem aut mille præstabit, & unum tantùm humanæ voluntati præstandum relinquet, non tamen fiet determinatio voluntatis humanæ, nisi gradus

ille undecimus, &c. ab ipsâ voluntate addatur. Et si gradus ille addatur, & ita fiat determinatio, Divina tamen Voluntas non autem humana, causâ determinationis principalis æstimanda erit.

6. Non autem humani ingenii est determinare, quot gradus vis ad actum accedunt à concursu divino, & quot accedunt à Potentiâ liberæ Voluntatis humanæ, in qualibet Voluntatis determinatione.

7. Neque ideo ad eorum opinionem fugiendum est, qui vim totam agendi à solo concursu vel Prædeterminatione divina derivatam existimant: Tota quidem à Deo est, sed non tota à solo præsenti concursu aut influxu: Deus enim Voluntati Potentiam liberè Volendi priùs ut author naturæ & dedit & præservavit: Et *Potentia* non est qua *nihil possumus*: In actu igitur unoquoque gratioso concurrunt, *vis naturalis à Deo authore naturæ, & vis gratiosa ab auxilio Spiritûs sancti*: & dum utraque suam partem præstat, *libera voluntas secunda causa est*, quæ si non Naturale, tamen *gratiosum saltem* auxilium potest (sæpissimè) vel debito vel indebito modo recipere & adhibere.

8. Non talem igitur operandi Modum hîc asserimus, qualis voluntatis libertatem destruit.

9. De *principio* igitur potiùs quàm de *modo* concludimus; viz. Operationem hanc ad Electorum conversionem talem esse, quæ provenit, 1. Ab *infallibili sapientiâ*, 2. Ab *immutabili voluntatis decreto*, 3. Et *à potentiâ victrici*; *simúlque eventûs rationem multò magis* à Voluntate divinâ quàm humanâ petendam esse. Probationes jam audite.

Eph. 2. 8. *Per Gratiam salvati estis per fidem: idque non ex vobis: donum Dei est.* Commentatores qui conclusioni nostræ maximè adversantur, fatentur non tantùm *salutem* sed *Fidem* etiam hoc textu dici *Donum Dei*: Dicunt autem Deum illam dare, dum Christum fidei objectum dat, & Evangelium. Resp. Hæc dare quidem est *Fidei media* dare, non autem ipsam fidem, nisi aliquid aliud accedat. Putántne isti Theologi Facultates hominis vitiatas Gratiâ nullâ indigere, præter objecta & externas suasiones ad credendum? Plurimi habent Evangelium, qui non habent fidem. Illis igitur Deus fidem non dedit.

1 Pet. 1. 5. *Qui per Potentiam Divinam per fidem, servati estis ad salutem.* Qui per Potentiam Divinam in fide conservati sunt, hi à potentiâ Divinâ fidem acceperunt; At fideles per potentiam Divinam in fide conservati sunt. Ergo ——

2 Pet. 1. 3. *Sicut & Potentia sua Divina nobis omnia ea concessit, quæ ad vitam & pietatem pertinent, per scientiam ejus qui nos vocavit ad gloriam & virtutem.* Qui omnia ad vitam pertinentia donat, fidem donat.

Obj. *Fides* expresse in textu excipitur, dum dicitur [*Per scientiam ejus qui nos vocavit*] quod est [*per fidem nostram.*]

Resp. Distinguitur quidem *Fides* à cæteris donis; non autem ut *excepta*; sed ut donum quod donorum consequentium medium est.

2. Et ipsius Fidei actus consequentes includi videntur in [*Omnibus*] hîc memoratis, viz. *Per actum fidei primum, Deus Spiritum suum & cuncta sequentia faderis beneficia confert.* Et si sequentes fidei actus sunt dona Dei, tunc proculdubio & primus talis fuit, quia nobis tunc requiritur, quum minùs idonei sumus ad ejus præstationem quam postquam sumus sanctificati.

Heb. 12. 2. *Jesus est fidei & auctor & perfector.*

Obj. *Hoc dicitur tantùm de fide vel Religione Christianâ objectivâ.*

Resp. Hunc sensum objectivum etiam cum primis inclusum esse non negamus: Sin autem hic totus esset, tunc esse *authorem* & esse *perfectorem*, idem esset: Quoniam doctrinæ perfector est, quum primùm *author* est. At *perfector* potiùs dicitur quando Ecclesiam ipsam credentium perficit.

Phil. 1. 29. *Vobis autem datum est, ex parte Christi, non tantùm credere in ipsum, sed & pro ipso pati.* Ex hoc textu ipse Grotius fatetur probatum dari, *fidem esse donum Dei.*

Joh. 3. 27.

Joh. 3. 27. *Nihil potest homo recipere, nisi ipsi è cœlis datum sit.* Si *nihil*, tunc neque *Fidem*; sin dicant, se hanc non recepisse, quid Apostolo respondebunt, Quid habes quod non accepisti?

Obj. *Hoc dicitur de donis ad ædificationem.*

Resp. 1. Multò magis dicendum est, de speciali gratiâ fidei salutaris. 2. Dictum quidem Universale est nihil nos non receptum habere; ut inde concluderet, Ergo nos dona talia non recepta non habere.

Joh. 6. 44. *Nemo ad me venire potest nisi Pater qui misit me traxerit eum.* Et v. 65. *Nisi à patre meo ipsi datum sit.*

Obj. *Deus eos moraliter trahit qui tractum ejus non sequuntur.*

Resp. 1. *Tractio* hîc memorata idem est, quod [*Dare ad eum venire*]. 2. Qui non crediderunt, Moralem illam habuêre tractionem; At non hanc, quam habuisse negantur.

Luc. 17. 5. *Domine fidem nostram auge:* Ergo fidem dat.

Obj. *Hoc dicitur de fide miraculorum.*

Resp. Fides salutaris non minùs est Dei donum.

Mar. 9. 24. *Domine credo; Incredulitatem meam juva.* Gal. 5. 22. *Fructus Spiritûs est Amor, fides, &c.*

Obj. *Per fidem intelligitur Fidelitas.*

Resp. Si hoc probatum esset, sequeretur *Fidem Evangelicam non minùs Dei donum esse.*

Joh. 17. 2. *Potestatem ipsi dedisti super omnem carnem, ut vitam æternam daret tot quot ipsi dedisti.* Eph. 1. 22, 23. *Et dedit eum esse Caput super omnia Ecclesiæ.* Joh. 10. 15. *Vitam meam pro ovibus depono.* Tit. 2. 14. *Qui pro nobis se dedit, ut nos ab omni iniquitate redimeret. Et sibi populum peculiarem purificaret, &c.* Joh. 11. 51, 52. *Prophetavit Jesum moriturum ——— non pro natione illâ tantùm, sed etiam ut congregaret in unum filios Dei dispersos, &c.* Act. 13. 48. *Quotquot ad vitam æternam ordinati sunt crediderunt.* Rom. 8. 30. *Quos prædestinavit hos vocavit, &c.* Act. 26. 16. & 22. 16. Paulus ideò *Vocatus* est quia priùs *Electus.* Et reverâ nil clariùs conclusionem probat, quàm Pauli, Manasse, Latronis crucifixi, & talium modus conversionis. Cætera prætereo.

Denique notandum est, quòd à contradicentibus conceditur, 1. Deum infallibiliter & immutabiliter decrevisse credentes omnes & solos salvare. 2. Deum omnes credituros distinctè ab æterno præsciviisse; 3. Præscientiam & decretum hoc nè minimo temporis instante distare. 4. Et Christum Deum cùm opus salutis nostræ in se receperat, hos novisse. 5. Christum nobis Relatum esse ut Redemptorem maximè propriè à tempore Lapsûs & promissi (per extrinsecam scilicet denominationem) potiùs quàm ab æterno. 6. Ideóque eodem tempore quando Filius se interposuit ut Mediator, statutum seu ex præscientiâ saltem decretum esse, hos solos singulares credituros & salvandos esse.

1. Hinc igitur sequitur Christum mortuum esse ex decreto singulares quosdam efficaciter salvandi. 2. Quæro item nonne potuit Deus sine injuriâ aliquali contra sui ipsius attributa, plures ad fidem elegisse, vel fide donâsse? 3. Et utrum Christus antecedenter nil majus fecit pro Petro, quàm pro Judâ? 4. Et quando concedit ipse Arminius, Deum Pharaonem, Achabum, &c. in cordis duritiem & impœnitentiam tradidisse ob priora peccata, ut peccatorum mensuram implerent, &c. Quæro annon Manassen & alios non minùs desertione dignos, gratiosè vocavit: Et quare etiam gratiam talem discriminantem indignis pluribus conferre non potest? Et utrum talis gratiæ collatio sit aliquid durius adversus desertos, quàm si omnes æquè desererentur? Concludo igitur Christum pro omnibus mortuum esse, at non pro omnibus æquali decreto seu intentione.

CAP.

CAP. II.

§. A. *De* Administratione (*seu* Regimine) Antecedente *Regni Gratiæ Universalis, in statu perfectiore,* (viz. *post Christi Incarnationem*), *Explicatio Generalis.*

Tantum I. De Constitutione Efficiente & de Constitutione effecta, Regni hujus Gratiæ: sequitur
II. Administratio, *viz.* I. Antecedens. Quod explicandum I. Generaliter, hac Tabulâ: II. Distinctiùs postea.

I. Regiminis Author est
- I. Supremus
  - 1. Absolutè; Deus, Pater, Filius & Spiritus sanctus.
  - 2. Derivativè; Christus, Homo-Caput Ecclesiæ.
- II. Subordinati Officiales Christi, 1. Oeconomici, 2. Ecclesiastici, 3. Civiles.

II. Regiminis Fines sunt vel
- I. Proximi, *viz.*
  - 1. Impetratæ Potestatis Christi exercitium.
  - 2. Impetratæ salutis humanæ recta communicatio;
- I. Per amotionem Mali, *viz.*
  - 1. Ipsius peccati.
  - 2. Reatûs pœnæ, & ità pœnæ ipsius.
- 2. Per collationem boni
  - 1. Relativi
    - 1. Fundamentalis: per Unionem cum Christo.
    - 2. Consequentis: de quo postea.
  - 2. Physici
    - 1. Sanctitatis,
    - 2. Gloriæ.
- II. Remoti: Iidem qui Constitutionis fines; de quibus in Tabulâ præcedente.

III. Regimen ipsum: quod
- I. In Specie est
  - 1. Potentiæ,
    - 1. Dominii,
    - 2. Regiminis,
    - 3. Amoris
  - 2. Sapientiæ,
  - 3. Bonitatis.

  Opus Applicativum (vel Communicativum) Salvificum, Impetrationem, & Merita Christi præsupponens.
- II. Quoad Partes, in triplicis Relationis exercitio ità se habet:
  - I. Christus ut Benefactor, Salvator.
    - 1. Testamentum condit, in quo Universalem peccatorum remissionem, Reconciliationem cum Deo, Spiritum sanctum, & hæreditatem cœlestem, sub Conditione congruâ, gratis donat: nec non additamenta & media necessaria in vitâ hâc præsenti possidenda.
    - 2. Testamentum factum & comprobatum, publicandum curavit; Argumentis scilicet & suasionibus, summâ Ratione & Amore plenis, ex quibus peccatores ad salutem accipiendam consentiant.
    - 3. De medio item & modo Consentientes recipiendi (per Baptismum scilicet) gratioſè statuit.
  - II. Rector (idem qui Benefactor) redemptos neque *Anomos* neque *Autonomos* esse voluit; sed beneficia salutaria, per ordinem *Regiminis Paterni,* conferre statuit: Ideóque
    - I. Doctrinam ad Intellectûs humani obcæcati informationem aptam instituit; *viz.*
      - I. Quà Discipuli fiant.
      - II. Quà Discipuli facti erudiantur; *viz.*
        - I. Per Media Naturalia, *viz.* per librum
          - 1. Creationis.
          - 2. Providentiæ ordinariæ gubernantis.
        - II. Per Media supernaturalia
          - I. Extraordinaria,
            - 1. Inspirationes spirituales.
            - 2. Revelationes per Angelos.
          - II. Ordinaria
            - 1. Verbum stabilitum
              - 1. Dictum, per Apostolos, Evangelistas, &c.
              - 2. Scriptum per eosdem: (Ubi S. Scriptura per media extraordinaria, fit Ecclesiæ medium ordinariũ.)
            - 2. Auxilia
              - 1. Externa; Docentium, & operum divinorum, &c.
              - 2. Interna; Spiritûs sancti.

II. LEGES

II. LEGES Præcipientes de officiis humanis ſtatuit, *viz.*
1. Leges Naturæ Primitivas de Sanctitate, ſuas facit, explicat & confirmat.
2. Leges Medicinales ſuperaddit; de *Mediis* ſcilicet 1. Interioribus, 2. Exterioribus, ab ipſo inſtitutis; quibus ad ſanctitatis Gratiam homines perducantur.

III. Sanctionibus de Præmiis & Pœnis Leges ſuas complevit, & munivit:

viz.
- I. De Præmiis
  1. Amiſſibilibus: ad quæ conſervanda, diligentiâ adhuc opus eſt.
  2. Non-amiſſibilibus: Ad quæ jus habetur plenum & perfectum.
- II. De Pœnis
  1. Remiſſibilibus; ubi media Remiſſionis utenda ſuperſunt.
  2. Irremiſſibilibus; ubi nulla reſtant media remiſſionis.

Item
- I. De Præmiis
  1. Finalibus. Quæ ſunt
     1. Salus hîc incepta.
     2. Salus in æternum perfecta.
  2. Mediis; medicinalibus ad ſalutem.
- II. De Pœnis
  1. Finalibus; deſtructivis (Quæ ſunt ad aliorum tantùm bonum.)
  2. Mediis; ad bonum caſtigatorum.

Ex hiſce compaginatis fit Inſtrumentum illud quod diverſis reſpectibus vocatur, LEX GRATIÆ, FOEDUS GRATIÆ, ſeu NOVUM TESTAMENTUM & EVANGELIUM.

III. Ut Dominus ſuorum (jure Redemptionis)
1. Omnia ad ſuum uſum, id eſt, & ſuam & Paternam Gloriam, ultimatè intendit, dirigit & adhibet.
2. Vitam & omnia neceſſaria ad Mediationis fines, providentiâ ſuâ actu donat.
3. Libertatem tamen & abſolutum Dominium oſtendit in diverſitate Adminiſtrationum,

viz.
1. In Naturalibus, *viz.* Ingenio, vitâ, valetudine, &c.
2. In Mediis ad vitæ ſolamen; ut opibus, amicis, ſolo, &c.
3. In Mediis ad medelam animæ; parentibus, docentibus, rectoribus, amicis, &c.
4. Necnon in Mediorum æqualium diverſis ſucceſſibus, & ad corpus & ad animam.

Tantum de Adminiſtratione Antecedente, Generaliter:
Diſtinctiùs verò explicanda eſt ut ſequitur, *viz.* ut
1. Circa triplex objectum.
2. In triplici periodo.
3. Quoad opus Regendi: ubi conſideranda
   1. Evangelium ipſum, ut *viz.*
      1. Sub triplici Formâ.
      2. Sub triplici Formulâ.
   2. Auxilium triplex.
   3. Reductivè, Inimicus triplex.

De quibus jam ordine dicendum eſt.

CAP. II. §. A.

Elucidationes.

§. 1. CHriſtus ſit ſupremus Dei Oeconomus, ſupra omnia, Caput Eccleſiæ, cui omnia ſunt tradita, & omnes aut volentes aut nolentes ſubjicientur. Eph. 1. 21, 22, 23. Joh. 13. 1, 3. & 17. 2, 3.

2. Etiam in ſuâ Infantiâ Chriſtus erat Eccleſiæ Caput, Propheta, Rex, Sacerdos; Quoad deſignationem ſcilicet ad opus poſtea præſtandum, & Relationem inde reſultantem: Perſona quippe fuit in incunabulis ex naturâ divinâ & *humanâ*, & patris miſſione, & ſui ipſius ſponſione ad opus hoc præſtandum adaptata; quanquam ad opera mediatoria plene exequenda, ad docendum ſcilicet, & juſtitiam omnem actu adimplendam, humana ejus natura non fuit idonea donec ad maturitatem quadantenus adolevit.

3. Et eodem quidem ſenſu quo Chriſtus Infans fuit Eccleſiæ caput, propheta, Rex,

Rex, &c. Christianorum etiam Infantes sunt Ecclesiæ membra, discipuli Christi, subditi, &c. Quod summe notandum est contra Ingratos qui fidelium Infantes Christi Regno visibili exterminant, & in diaboli regno visibili ponunt.

4. Quanquam Jus Mediatorium Regale fundamentale non defuit Christo in statu suæ humiliationis, tunc tamen hoc Jus non apertè & ad mundi notitiam fuit exercendum. Quomodo enim simul peccata nostra ut agnus Dei mactatus, & pro peccatis sacrificium ferre potuit, & visibiliter regnare & hostes suos conculcare?

5. Hinc etiam & homines & dæmones diu prohibuit, se Christum esse palam declarare: Gloria quippe sui nominis opportunè postea expectanda erat. Et quia opera illa (miracula, Resurrectio, &c.) adhuc præstanda manebant, ex quibus ejus veritas & Divinitas probanda erat, nimis apertam Divinitatis suæ assertionem media ad probationem & convictionem necessaria, importunè antecedere noluit.

6. Fundamenta futuri Regiminis Christus in statu humiliationis posuit; & Leges Apostolis suis postea promulgandas tradidit: At à mortuis *resurgens* se Regem plenius declaravit, & Regimen apertius in se recepit; Et in cœlos *Ascendens* & *Glorificatus* quasi inthronizatus & *Coronatus* est; Et *Spiritum sanctum effundens* actuale Regimen plenius exequutus est.

7. Quòd *Christus in naturâ humanâ Glorificatâ* sit Gratiæ Divinæ conferendæ *Medium Universale Politicum*, à nemine Christiano, quod sciam, dubitatur: Utrũ autè sit etiam *Medium Universale* in genere causæ physicè efficientis, fortasse ut obscurius disputari potest: itidemque, An Gratiæ infundendæ detur *medium* aliquod physicè efficiens? vel potiùs *Immediate* à Deo ipso infundatur? Sed de hisce postea suo loco dicendum est, hoc tantùm hîc obiter præmisso; viz. Omnia Deus operatur per *Essentiam* (non habens *Accidentia* operativa): Essentia hæc est omnipræsens, cuncta in se continens: Nullum igitur datur medium Deum à creaturâ quâcunque separans: Quoad proximitatem omnia Immediatè operatur: immò non minùs immediatè quàm si nullo omnino Medio uteretur: & inanis est distinctio *Immediationis Suppositi & Virtutis*: Virtus enim *Divina* & *Suppositum* sunt una eademque omnipræsens Essentia: Neque Virtus aliqua accidentalis Deo ascribenda est: Attamen sub Deo creaturæ in creaturas etiam operantur; Et Deus qui ubique æquè præsens est, non tamen æquè ubique operatur. In res creatas sibi præstantiâ proximas, operatur sine causis secundis: At rerum ordo nobis indicat eum in creaturas inferiores & ignobiliores, per superiora & nobiliora operari. In primas igitur seu supremas datur sola operatio Dei ipsius: In inferiores, datur operatio duplex, Dei ipsius scilicet & creaturæ superioris: Et Deus operationem suam ad modum causæ secundæ per quam etiam operatur, sæpe modificat aut moderatur: Non enim quantum potest in unaquaque operatione agere dicendus est. Quantùm verò cooperatione aut Angelorum aut superiorum quarundam Intelligentiarum utitur in gratiâ efficienter conferendâ, mortalibus vix notum est. At *CHRISTUM* Glorificatum esse Ecclesiæ & militantis & triumphantis quasi *Solem*, & caput perfectè adaptatum, communicationi huic destinatum esse, non est dubitandum: Homo quippe non est creaturarum præstantissima & Deo proxima: Ideóque operationes Divinas ut per *Media* quædam expectet, par est: Præcipuè cùm Peccator jam factus, cum sanctissimo Numine communionem immediatè (vel sine Mediatore) habere non potest: Creaturarum autem nullam Christo Glorificato præstantiorem esse aut potentiorem, opinari fas est: Neque datur alius ex officio constitutus inter Deum hominémque Mediator: Dicendum igitur videtur, Christum in naturâ humanâ Glorificatum, non tantùm politicè, sed & modo quodam ineffabili *effectivè*, esse Medium universale sanctitatis communicandæ; & cum Spiritu sancto in mentes nostras operari.

CAP.

CAP. III.

Sub§. 1. *De Administratione hac ut circa triplex Objectum variâ*, viz.

I. Circa *Mundum*: Qui jam Redemptus, est Regnum Christi in sensu imperfecto; *viz.*

{1. Quoad Christi Jus. / 2. Quoad hominum obligationem, } non autem { 1. Quoad eorum Consensum, / 2. Aut jus ad salutem fœdere datam.

Mundus autem non jam sub simplici reatu peccati primi originalis est, sed in pejus progressus consistit,

1. Ex Ethnicis, *viz.* 1. Idololatris, 2. Atheis, 1. Deum verum nescientibus, 2. Aut non credentibus.
2. Ex Infidelibus, qui 1. Non credunt in Christum Mediatorē, 2. Et qui in Mahometē aut talem credunt.

I. ETHNICORUM consideranda sunt

1. Status Regiminis: Reguntur autem per Deum { 1. Per Legem Naturæ, quoad præcepta. / 2. Juxta fœdus gratiæ Adami & Noe.
2. Status Personalis: suntq; utplurimū { 1. Et in communi lapsûs Adamici fœditate & reatu; / 2. Et sub pœnâ defectionis majoris, ob peccata avorum, & in fœditate majore, & ita jam *Diaboli Regnum* sunt de facto permissō, etsi Christi de jure.
3. Remedia ipsis concessa sunt, { 1. Omnia fœderis Gratiæ initialis Beneficia Antecedentia, quæ ipsi non contemptu rejecerunt. / 2. Media Evangelica postea enumerata.

II. INFIDELIUM.

I. Regimen idem est quod Ethnicorum jam descriptum (nisi Evangelium habeant.)

II. Status personalis considerandus est { 1. Negativè Infidelium: si qui (sicut Judæi fideles ante Christi Incarnationem) verè credunt, amant & obediunt, juxta fœdus Gratiæ initiale, hi fœderis illius beneficia & salutem sortientur, etsi fœdus perfectius non audiunt. / 2. Privativè Infidelium; *viz.* Quoad fœdus { 1. Initiale, / 2. Perfectius. { 1. Peccato & miseriæ primæ subsunt / 2. Et sub reatu & desertione majore ob contemptum gratiæ.

III. Remedia sunt, { 1. Fœderis Gratiæ initialis ea beneficia Antecedentia, quæ non per contemptum rejecerunt. (*viz.* Mundus visibilis, vita, salus & beneficia naturalia, pœnarum præsens remissio, castigationes, &c.) / 2. Evangelica.

1. Evangelium ipsum; Doctrina scilicet cœlestis cum fœdere Gratiæ; Quod instrumentum adaptatum est ad homines convertendos, & quoad tenorem Universale est.
2. Ministri ad hoc prædicandum ordinati, & instructi; Quorum considerantur
   1. Aptitudo; facultas seu dotes, *viz.* Spiritus { 1. Extraordinarius, / 2. Ordinarius.
      1. Potentiæ, 2. Sapientiæ, 3. Amoris,
   2. Opus, erga Infideles; 1. Evangelizare, 2. Exemplo & bonis operibus lucrifacere.
3. Fideles item omnes 1. singulatim, 2. Sociati in Ecclesiis, sunt medium ordinatum ad Infidelium conversionem. { 1. Per doctrinæ lumen, mediis privatis communicandum. / 2. Per vitæ sanctitatem, Innocentiam, Amorem & bona opera. / 3. Per unitatem, concordiam & harmoniam inter se.

Pœnæ autem ob spreta Remedia sunt, 1. Beneficiorum priorum amissio. 2 Addendorum spes diminuta; & quæ post descripta sunt.

Christus tamen ut Dominus absolutus, quibusdam majora, quibusdam minora media concedit.

II. Circa *Baptizatos*, & ore tantùm profitentes: Quorum conſideranda ſunt

- I. Regimen: quod eſt
  - 1. Supremum { 1. Per Leges naturæ, nondum ceſſantes { ambæ ſunt
    2. Per Leges medicinales inſtitutas; Quæ { Leges Chriſti.
  - 2. Subordinatum, { 1. Oeconomicum; Liberi fœderati à parentibus piè educandi ſunt.
    2. Eccleſiaſticum: eidem enim ſubſunt cui ſinceri fideles.
    3. Civile: ſub quo *Chriſtianorum* privilegia expectare poſſunt.
- II. Status Perſonalis, eorum ſcilicet baptizatorum, qui Spiritu Chriſti non ſunt prædíti: ſuntque
  - I. In Genere HYPOCRITÆ: Quia fidem, obedientiam & Amorem profitentur, quæ non habent.
  - II. In Specie { 1. HYPOCRITÆ *Accedentes*; qui ex Ignorantiâ ſinceritatem ſimulant, erga eam accedentes.
    2. *Recedentes*; Qui ſcientes ſinceritatem quam non habent, ſimulant; Ab eâ recedentes.
  - I. Utriuſque ſtatus eſt, à peccato, reatu, miſeriâ, Satanâ, non verè ſed apparenter, liberari.
  - II. Diſtinctè { 1. Hypocritæ *Accedentis* ſalus magìs ſperabilis eſt quàm exterorum; Quia Gratiæ mediis fruitur.
    2. Hypocritæ *ſcientis* & *Recedentis* ſtatus, exterorum pejor eſt; Quia per ſimulationem peccatum majus fit, & pluribus Dei beneficiis ingratus abutitur.
- III. Remedia, ad ſinceram cordis converſionem, à Chriſto ordinata ſunt:
  - I. Communia ipſis cum Infidelibus jam memoratis.
  - II. Specialia, Eccleſiæ viſibilis baptizatorum privilegia: Quæ ſunt,
    - I. Externa { 1. Sacra Scriptura; & Inſtitutiones Divinæ, quibus utuntur.
      2. Miniſtrorum officia; Prædicationes, Lectiones, preces, diſciplina, & inſpectio.
      3. Communio Sanctorum, ſacra & Charitativa; in precibus, ſacramentis, exemplis, &c.
    - II. Interna: Spiritûs ſancti Auxilia, mediis ordinatis congrua.

Fœderis quidem Jure hæc ad Hypocritas ut donata non pertinent; Quia fœderi non verè conſentiunt. Neque hæc requirere aliquis non verè fidelis debet (ut qui hypocriſeos propriè conſcius eſſe poteſt.) Si tamen hæc poſtulat eccleſia (ignara Cordium, at non Profeſſionum) ea concedere debet; & media eccleſiaſtica iis applicare, hac intentione, ut ſi ſinceri ſint ædificentur; ſin minus, convertantur.

III. Circa verè FIDELES; Quorum

- I. Regimen eſt per Fœdus ſeu Legem Gratiæ Evangelicæ.
- II. Status eſt, verè 1. Liberatus à peccati Domino & reatu; 2. Jus Adoptionis habere ad Gloriam Cœleſtem.
- III. Donanda reſtant, 1. Eccleſiæ viſibilis privilegia, ut ipſis jure proprio debita, per fœderis donationem.
  2. Beneficia plurima temporalia, ſanctificata; & pro ſeipſis & pro aliis.
  3. Auxilia & operationes ſpiritûs ſancti ſpecialia: præmia obedientiæ, ad majora præmia, media.

Et ex hiſce { 1. Gratiæ major Gradus, ſive incrementum (ſub conditione diligentiæ)
2. Perſeverantiæ donum.
3. Glorificatio actualis.

Elucidationes.

Elucidationes.

I. *De Administratione circa Mundum jam redemptum.*

1. QUoniam Mundus etiam infidelium est Christi REGNUM, non autem EJUS ECCLESIA, hinc sequitur *Regnum* & *Ecclesiam* Christi, non esse nomina ejusdem omninò significationis. *Regnum* enim Christi Mediatoris late sumptum, eos omnes in se continet, qui sunt *subditi obligati* seu *de jure*: Regnum autem strictius sumptum *consentientes* seu *fœderatos subditos* tantum continet; & hoc solum Regnum est idem quod *Ecclesia*; quæ vox pro Regno latissimè sumpto, nunquam sumitur.

Clem. Alex. Strom. l. 7. p. 2. *Ei subjecta est universa militia Angelorum & Deorum Verbo Paterno quod sanctam suscepit Oeconomiam ac dispensationem, propter eum qui subjecit. Per quæ sunt etiam ejus omnes homines, sed alii quidem per agnitionem, alii vero nondum: & alii quidem ut amici, alii vero ut servi fideles, alii vero ut absolute servi. Hac ratione qui est omnium Græcorum & Barbarorum Dominus, persuadet iis qui volunt, neminem enim cogit ab ipso salutem accipere, sed pars Domini est opinio credentium.*

2. *Dominium* autem Christi adhuc latius se extendit quàm *Regnum*. Dæmonum etenim & brutorum & inanimatorum *Dominus* est, non item *Rex*: (Quamvis *Dæmonum Rex* sit quà Deus creator eos propter peccata puniens.)

3. Ex Redemptione universali Christi triplex relatio honoraria orta est. 1. *Benefactoris*, unde jus habet ad totius mundi fidem, gratitudinem & amorem; 1. *Domini* seu *proprietarii*, unde jus habet omnes & omnia ad fines suos ad libitum disponendi. 3. *Rectoris*, unde jus mundum humanum regendi, & judicandi. Novum sc. est triplex hoc jus, ex fundamento Redemtionis, præter antiquum à creatione ortum. Qui Redemptionem igitur negant universalem, fundamento negato, itidem negant Christi quà Redemptoris ad mundi Relationem hanc triplicem, Benefactoris scilicet, *Domini* & *Rectoris*. Plorandus autem est Ecclesiæ status, cum aut ex insciti à aut potestate opinionis alicujus privatæ, hoc quibusdam verè piis non esse peccatum aut Christo injuria videtur.

4. Sub primâ Redemptoris promissione, homo ut in Adamo lapsus tantùm fuit præsens subjectum cui facta est promissio: At in lapso considerabatur ad omne malum dispositio progressiva, nisi per gratiam fieret impeditio.

5. Juxta triplicem suam Relationem, Christus 1. Omnibus non pauca confert *beneficia*, quæ ad animarum medelam suâ naturâ sunt utilia. 2. Omnibus etiam ut Rector quædam agenda præcipit, quæ ad animarum itidem medelam conducunt: 3. Et ut Dominus de suis quod sibi placet semper facit, neque æque omnibus benefacit, sed pulchrâ diversitate delectatur, sicut etiam Deus creator in mirandâ suorum operum varietate.

6. Sicut Lege naturæ integræ in Creatoris operibus & mente humanâ inscriptâ regendus erat homo adhuc integer (positivis tamen insuper additis); ita & Lege naturæ lapsæ in Redemptoris operibus & beneficiis, & conscientiâ humanâ inscriptâ regitur mundus redemptus; supernaturalibus insuper Ecclesiæ revelatis & donatis.

7. Nemo mortalium ab omni gratiâ (sicut Diaboli) excluſus est; aut sub solâ lege naturæ integræ est subditus; Omnes sunt sub Lege gratiæ vel primæ vel posterioris editionis: Omnes gratiæ aliqualis medicinalis sunt participes: Et ipse Cain si bene agere voluisset, ab ipso Deo acceptationis audivit promissionem: Non minus Job quàm Israelitæ Deo charus fuit: & in Sodoma Abraham quinquaginta fideles fuisse aut justos putavit. Et in omni gente, qui Deum timet & justitiam operatur, Deo gratus est, Act. 10.

8. Non pereunt Ethnici ob Adami aut Originale solum peccatum, aut solum ob naturæ integræ leges violatas; sed quia Mediatoris quædam remedia gratiosa aut negligentiâ aut contemptu rejecerunt.

9. Quoniam novi quidam fidei articuli post Christi Incarnationem necessarii facti sunt, jam Infidelibus annumerandi sunt qui nil aliud credunt, quàm quod ante Christi Incarnationem à vere fidelibus credebatur; & quod jam vere fidelem constituere potest, ubi fœdus (seu Lex) Gratiæ prioris editionis solum revelatum est.

10. Sicut tota Dei ecclesia non in Ecclesiâ Israeliticâ olim comprehensa fuit, quamvis fœdus peculiaritatis ipsis cum proselytis proprium fuit; Ita & ubi Evan-

gelium explicite prædicatur & recipitur, in ultimâ scilicet editione, ibi solum est fœdus *peculiaritatis* ; At tota ecclesia & omnis Christi gratia non illis limitibus coarctatur.

11. Sapientis Christiani non est, aut de jure Christi aut mundi redempti beneficiis diminutè aut contèmptim vel loqui vel cogitare,aut etiam populi peculiaris majora privilegia, aliorum illis exæquando , vilipendere.

Elucidationes.

II. *De Administratione circa mere Baptizatos, seu Hypocritas.*

1. BAptizati omnes non vere fideles sunt hypocritæ : Quicunque enim vere baptizatur,is fidem veram, consensum fœderalem, & deditionem sui practicam profitetur ; scilicet aut personaliter si adultus sit, aut quando adolescit fœdus hoc agnoscit & renovat, si jure fœderis in infantiâ baptizatus fuit ; Ideóque jus ad peccatorum remissionem & vitam æternam habet quicunque talis est,quale n adultus baptizandus se profiteri necesse habet. Ergò hypocrita est qui is non est quem esse se profitetur ; sincere scilicet credens & consentiens.

2. Non tamen hic mere hypocrita est, neque omne quod profitetur bonum simulatum esse opinandum est : fortasse enim vere de peccatis aliqualiter dolet, & liberationem desiderat, & mediis quibusdam uti paratus est, &c. In tantum igitur hypocrita non est. Quia verò fœderi baptismali se consentire falso profitetur, in hoc hypocrita est.

3. Quidam hypocritarum & malorum catervam inter paucos sinceros in ecclesiis cernentes, credere nolunt fidem aut consensum salutarem (fidelium proprium) ab omnibus adultis baptizandis aut ad Eucharistiam admittendis necessario profitendum esse : Quia Deus odit hypocrisin ; Ecclesiæ autem visibili privilegia plurima contulit, & proh quantum coarctaretur Ecclesia si soli sinceri fideles reciperentur! Fidem igitur quandam *dogmaticam* communiorem hi fingunt à baptizatis seu visibilibus Ecclesiæ membris quà talibus,solam necessariò profitendam esse, ne plurimi aut fiant hypocritæ aut extra ecclesiam relinquantur.

4. Multipliciter peccat hic error. 1. Quod ipsum baptismum,ipsam ecclesiam, & ipsam Christianitatem corrumpit, Catechumenos quippe & fideles confundit,Baptismum novum introducit,qui etiam sincero recipienti peccata non abluit, neque remissionem & cætera fœderis jura confert. Nullus autem à Deo Baptismus institutus est, qui ad præsentem peccatorum remissionem non est recipiendus. 2 Ecclesiæ Catholicæ judicio & praxi constantissimo hæc fictio adversatur : Nullum quippe baptismum agnovit ecclesia, qui sincero recipienti peccata non abluit & baptizatum in statu salutis posuit. Neque fidem aliam ab adultis professam accepit, præter objective salutarem. 3. Imo *fidem & fœdus Christianum* subvertit : Quasi juxta fœdus baptismale credentes, consentientes & Deo Patri, Filio & spiritui sancto se devoventes,non tamen salvandi forent. Quomodo autem quis probare potest se adoptatum, justificatum & salvandum fore, nisi quia fœderi baptismali sincere & practice consentiat. 4. Imo (dum charitatem hi prætendunt) Charitatem Christianam insci oppugnant. Hinc enim sequitur, neminem mere quà baptizatum & professorem fidei fœderalis & ecclesiæ membrum visibile,æstimandum esse justificatum aut salvandum, neque ut talem amore speciali amandum esse ; sed ad quemcunque hoc amore amplectendum necessarium esse, ut aliquid supra professionem consensus baptismalis in eo percipiamus, & ita tota visibilis Ecclesia quà visibilis inter damnandos ponitur, donec aliquid melius nobis appareat.

5. Et veritas fidei *objectiva* & *subjectiva* ab omnibus Ecclesiæ membris adultis profitenda est. Eadem quippe est fides quæ omnibus credenda in Evangelio proponitur,

nitur, scilicet in Deum Patrem, & Filium & Sp. sanctum : Hâc minor non est fides Christiana; Hâc major non ad esse Christiani requiritur. Et qui non profitetur, quantùm mens ejus ipsi nota est, se verè hæc credere & fœderi huic sincere consentire, non est baptizandus.

6. Obj. *Anne igitur omnes de sinceritate suâ dubitantes repellendi sunt?* Resp. Minime ; neque omnes de Christi ipsius veritate dubitantes. Fides vera potest esse infirma & dubitans. Hoc autem requirendum est, ut profiteatur Catechumenus, *quamvis non sine imbecillitate & dubitatione, tamen quantum ipse sibi notus est, se Deo Patri, Filio Redemptori, Spiritui S. vere fidere ad justificationem & salutem obtinendas.* Non absolute necessarius est ille fidei Christianæ gradus quem certitudinem subjectivam vulgo nominant; nedum certitudo talis suæ sinceritatis in actu credendi aut amandi: sin autem seipsum caute probans post diligens scrutinium non invenit suum animum potiùs ad credendum propenderequàm ad non credendum, nescio quomodo hic fidem profiteri potest quam omnino non in se invenit ; nec quare Ecclesiæ pastor fidem non profitentem inter fideles reciperet.

7. Pessimi sunt hypocritæ crasse simulantes, sibi noti, vel sibi ignoti, quia scire suam nequitiam nolunt: Qui autem sincere communioris gratiæ actus exercent, & ad meliora aspirant, & consensum fœderalem ideo falso profitentur, quia aut fœderis conditionem aut seipsos non rectè intelligentes, se verè fideles falso existimant, quamvis hi peccant falsâ sui æstimatione & professione, multo minùs tamen quàm priores; & per accidens inter ecclesiæ visibilis membra privilegia non pauca nec contemnenda obtinent, & unde fortasse ad fidem sinceriorem postea perducantur. Regulariter autem inter Catechumenos hisce morandum esset, donec sincere crederent, & ibi gratia divina expectanda.

8. Hypocritarum præsentia non innocentibus in peccatum imputatur, neque sinceros Dei gratiâ aut benedictione privat.

9. Quamvis à quibusdam hypocritis maxima ecclesiæ detrimenta oriuntur, scandala scilicet, dissidia, schismata, hæreses, persecutiones, apostasiæ, &c. ex aliorum tamen donis non parvum ecclesiæ commodum sæpe obvenit: Eorum enim quidam sunt docti, Orthodoxi, fidei non inutiles expositores, doctores, & propugnatores ; justi & diligentes rectores, & pacis amantes: Ideoque in Ecclesiâ ad finem mundi tales à Deo permittentur.

10. Quia autem non nisi per fructus nobis noti sunt, solum quando in flagitiis manent impœnitentes, per pastores ejiciendi sunt, utpote non aliter nobis certò patefacti.

11. Qu. *Quid autem faciendum est quando quis hypocritam se esse & fuisse ore tantum fateatur?*

Resp. Qui talia de se fatetur, aut est *credere nolens*, aut *credere volens*. Qui dicit se neque credidisse (sed simulâsse) neque credere velle, ob simulationis, infidelitatis & impœnitentiæ simul flagitia ejiciendus est: Qui vero dicit se simulasse, sed credere jam velle, probandus est per Pastorem prudentem utrum aut ignarus aut melancholicus hæc falsò de se suspicet aut dicit, & tunc de se rectiùs judicare docendus est: sin autem vere dicat, & de præterito & de præsenti; tunc pœnitere debet de simulatione præteritâ, & se Deo fide dedere de futuro, & ut pœnitens in ecclesiæ gremio amplectendus est.

12. Si nomen *Ecclesia* sumatur in sensu secundario & analogice, hypocritæ ejus membra univoce dicuntur; hoc est, quoad politiam externam: sin autem in sensu primario & univoce sumatur, pro Christi corpore politico vivente, tunc hypocritæ non sunt membra ejus univoce, sed analogice & æquivoce tantum dicta. (De quo plura in Tract. Angl. speciali.)

Elucidationes.

Elucidationes.

III. *De Adminiſtratione circa vere Fideles.*

§. 1. VEre fideles maxime proprie Chriſti Eccleſia & membra dicuntur, utpote qui ſoli ejus ſanguine abluuntur, ejus ſpiritu illuminantur, vivificantur & ſanctificantur, & juſtificati & filii adoptati gloriam cœleſtem poſſidebunt.

2. Horum præcipuè gratiâ Chriſtus ſe ſanctificavit, in ſacrificium pro peccatis ſe obtulit, & ut novi fœderis Mediator apud Deum & homines intercedit: Caput enim ſit ſupra omnia Eccleſiæ, Eph. 1. 23, 24. Horum item præcipue gratiâ eccleſiam viſibilem colligit & conſervat, ſacrum Miniſtrorum officium inſtituit, eos donis ſuis multifariis inſtruit, Eph. 4. Etiam hypocritarum dona & opera electis præcipuè profutura ſunt.

3. Quamvis gloria tum Creatoris tum Redemptoris in toto mundo clare elucet, & omnibus nos Dei gratiam optare debemus, ſpecialem tamen Dei amorem erga electos, & Chriſti erga ſancta ſua membra mirari & grato animo agnoſcere, ſacræ literæ & res ipſa nos docent. Sicut Deus Creator in omnibus Maximus, non æque tamen in lapide vel muſcâ ac in ſole nobis gloriam ſuam oſtendit: ita & Deus Redemptor totius quidem mundi aliquantiſper ſervator eſt; ſed præcipuè, efficaciter & glorioſè credentium: Et cito veniet in ſanctis ſuis glorificandus, & in omnibus fidelibus admirandus, 2 Theſ. 1. 10.

4. Non verbo tantum ſed & Spiritu S. ejuſque non tantum lumine (aut motione) reſiſtibili, ſed & efficaciſſimo, vere fideles electos docet Chriſtus, eoſque intrinſece vi amoris invincibilis & regit & ad gloriam ducit. Non igitur ad hypocritas ſed ad ſincere fideles is reſpicere debet, qui in verbo Divino Chriſtianiſmi excellentiam non ſatis cernens, eam in ſpecimine ſeu exemplo humano etiam cernere cupit; & in illis *Dei opus* à Diaboli & humano caute ſecernendum eſt.

5. Quoniam vero in ſuis ſanctis Chriſtus ſpecialiter glorificandus eſt, quantopere à piis omnibus grato animo ejus gratia fovenda eſt, & vitæ cœleſti fidei, amoris, & ſanctitatis ſtudendum eſt, ne Chriſto pro gloriâ dedecus fiamus?

CAP. IV.

Sub§. 2. *De Adminiſtratione hâc ut ſub triplici periodo variatâ:* viz.

I. Sub CHRISTI ipſius Adminiſtratione perſonali, ante ejus Aſcenſum: Ubi dicendum quid fecit,

- I. Circa LEGES.
  - 1. Ipſe ſolus Teſtamentum, ſeu fœdus Gratiæ condidit; & LEGEM UNIVERSALEM eccleſiæ Catholicæ, omnia univerſaliter ſubditis obſervatu neceſſaria continentem.
  - 2. Legem hanc ſive Teſtamentum, vel Evangelium probationibus plenis confirmavit, *viz.*
    - 1. Teſtimonio Patris, 2. Miraculis, 3. Imagine Dei intrinſece impreſſâ; *viz.* Potentiæ, Sapientiæ & Amoris Divini: & morte illud obſignavit. (De his plura poſtea.)
  - Evangelium confirmatum ipſe primus prædicavit (at ferè ſolis Iſraelitis) *viz.*
    - 1. Authoritate, 2. Sapientia, 3. Amore, expreſſis, 1. Voce, 2. Exemplo vitæ, 3. Beneficiis.
- II. Circa MINISTROS, *viz.*
  - I. Initio Evangelii, *viz.*
    - 1. Perſonas elegit: 1 Duodecim Apoſtolos, 2. 72. Inferiores miniſtros.
    - 2. Ipſos inſtruxit, 1. per doctrinam, 2. per opera, 3. per gratiam ipſis infuſam.
    - 3. Ipſos pro tempore exercebat, 1. Prædicando, 2. Baptizando, 3. Miraculis.

II. Ante

- II. Ante Aſcenſum, *viz.*
  1. Reſurgendo, & poſtea cum ipſis converſando, eorum fidem confirmavit.
  2. Doctrinam & Leges Eccleſiæ tradendas, Apoſtolis plenè tradidit, & mandatum dedit de earum fideli traditione, & rerum eccleſiaſticarum ordinatione.
  3. Spiritum ſanctum ipſis promiſit, in gradu ſcilicet eminenti; Quo *viz.* poſſent
    - 1. Eccleſiam rectè docere, *viz.*
      1. Doctrinam & mandata Chriſti memoriâ perfectè tenendo.
      2. Addenda ſubſervientia infallibiliter proferendo.
      3. Evangelium Authoritate, ſapientiâ & Amore prædicando.
    - 2. Miraculis plurimis Doctrinam confirmare, potenter operando.
    - 3. Spiritum eundem inſtrumentaliter aliis communicare.
- III. Quoad ſucceſſus,
  1. Eccleſiam fundavit; At parvam & infantilem.
  2. Partem organicam eminenter inſtructam reliquit, ad cætera perficienda.

II. Sub APOSTOLORUM Adminiſtratione poſt Chriſti Aſcenſum: ubi dicendum eſt,

- I. Quid Chriſtus ipſe per ſe fecit in cœlis, in hâc Adminiſtrationis parte, *viz.*
  - I. Erga Deum; INTERCEDENDO.
  - II. Erga Homines, *viz.*
    - I. Apoſtolos Quos prius vocatos)
      1. Spiritu ſancto promiſſo donat,
        1. Ad infallibilitatè judicii in mandatis exequendis.
        2. Ad eminentem Dei & hominum Amorem.
        3. Ad opera Potentiæ, Linguarū, Miraculorum, &c.
      2. Cooperatione auxiliatur per eundem Spiritum in prædicando, vivendo, operando.
      3. Succeſſu mirabili teſtimonium ipſis præbet, & ipſos beat.
    - II. Cæteros inſpiratos, Quorum quoſdam
      1. In gradu ſublimiore locando fecit
        1. Apoſtolos,
          1. Matthiam, ſorte.
          2. Paulum, vocatione.
        2. Prophetas,
        3. Evangelii ſcriptores.
      2. In loco ordinario fecit plures
        1. Evangelii prædicatores ad Gentes convertendas & baptizandas.
        2. Eccleſiarum particularium Epiſcopos, Paſtores, Presbyteros.
        3. Diaconos, Epiſcopis ſubſervientes in Eccleſiæ miniſterio.
      3. Multos in vita privatâ donis extraordinariis, ſanctitate eximiâ, Martyrio honoravit.
    - III. Donis ordinariis inſtructos Chriſtianos: Quos conſideratos ut
      - I. Singulatim
        1. Verè fideles ſanctificavit, & ſpeciali gratiâ donavit.
        2. Alios communiter donis inſtruxit ad Eccleſiæ ædificationem.
      - II. Aſſociatos fecit
        1. Miniſtros ordinarios
          1. Ad mundi converſionem & Eccleſias colligendas.
          2. Ad Eccleſias particulares docendas & regendas; *viz.* 1. Epiſcopos, Paſtores, Presbyteros, 2. Diaconos.
        2. Gregem vel populum, quem donavit
          1. Miniſtris ut dictum eſt inſtructis.
          2. Gratiis & dotibus perſonalibus antedictis.
          3. Inſtitutis ſuis, & communionis beneficiis.

II. Quid per APOSTOLOS fecit; ubi inquirendum, 1. QUINAM ſint? 2. QUID fecerint?

I. QUI?

- I. De NOMINE Apoſtolorum, quod tripliciter in S. Literis ſumitur, *viz.*
  1. Eminentiſſimè pro duodecim (numero tribubus Iſraelis adaptato)
  2. Eminenter, pro Paulo, quia per Chriſtum immediatè vocatus eſt.
  3. Senſu latiore; pro Barnaba & Paulo, ut per Spiritum extraordinariè miſſis.
- II. De RE: Apoſtolorum eminentiſſimorum deſcriptio hæc omnia continet.
  1. Teſtes ſpeciales fuere vitæ, doctrinæ & factorum Chriſti; & (excepto Judâ) Reſurrectionis ejus & Aſcenſus.
  2. Nominatim per Chriſtum ſunt Electi.
  3. Mandata ab ipſius ore immediatè receperunt.
  4. Mandati materia fuit, ut teſtificarentur de rebus quas ipſi vidiſſent, præter ſequentia.
  5. Mundus indefinitè fuit eorum provincia.
  6. Extraordinariis Sp. Sancti donis inſtructi ſunt, quibus ad officium præſtandum facti ſunt idonei.
  7. In hoc officio ſe exercuerunt.

II. QUID

II. QUID fecerint APOSTOLI, & ex quibus conſtabat eorum officium.

I. In Genere
- I. Opera fecere, 1. Eminentiſſimæ Potentiæ, 2. Sapientiæ, 3. Amoris, ut decuit.
- II. Miniſtros Chriſti ſubordinatè participes officii, 1. Regalis, 2. Prophetici, 3. Sacerdotalis.
- III. Et Subordinatè participes ejus, 1. Proprietatis, 2. Rectoratus, 3. Amicitiæ.

II. Particulariter: 1. Teſtimonium ſuum de Chriſto, ejus doctrinâ, vitâ, miraculis, morte, Reſurrectione & aſcenſu, mundo præbuerunt. 2. Fœdus Gratiæ (id eſt, Evangelium ſtrictè dictum) mundo prædicârunt; & peccatores ad fidem & pœnitentiam hortati ſunt. 3. Linguarum donis inſtructi hoc eo efficacius fecerunt, ad infideles præcipuè convincendos. 4. Donis ſanandi & dæmonia ejiciendi beneficis, populum ſibi & Chriſto conciliabant. 5. Miraculis item plurimis eorum doctrinam & Teſtimonia Deus ipſe confirmavit. 6. Converſos Baptiſmate in ſacrum fœdus & Eccleſiam Univerſalem excipiebant. 7. Modum & formam baptizandi ſuis exemplis per plurimos annos Chriſtianis nota fecerunt. 8. Confeſſiones item Baptizandorum neceſſarias recipiebant; & conſequenter *Articulos fidei Chriſtianæ* neceſſario credendos ab omnibus & profitendos & membrorum Eccleſiæ viſibilis *qualitatem neceſſariam*, ut publicè *nota Eccleſiæ* fecerunt. (non enim baptizabant niſi fidei profeſſores, neque profeſſio fidei fit ſine Articulis profitendis, ſaltem materialiter notis, ſi non in eadem verborum formulâ expreſſis.) 9. Eccleſias de facto colligebant, per plurimas terrarum orbis nationes. 10. Eccleſiarum particularium hetærias & formam de jure ſtatuerunt. 11. Officium paſtorale de facto in omnibus Eccleſiis ſanciverunt. Et de *jure*, ut Chriſti Munus & inſtitutum notum Eccleſiis omnibus fecerunt. 12. Diaconos ordinarunt & Diaconatum inſtituerunt, ex Spiritus Sancti ſpeciali determinatione, & notabili Eccleſiarum neceſſitate. 13. Viduas item Diaconiſſas ad egenorum & ægrotorum curam, & juniorum moderamen ſtatuerunt. 14. Diem Dominicum, ut conventibus Eccleſiaſticis dicatum, & ad res religionis peragendas ſacrum, per annorum plurimorum praxin univerſalem & conſtantem, declarârunt. Quod etiam Eccleſiarum continuata praxis ad hunc uſque diem hiſtoricè nobis notum fecit. 15. Modos neceſſarios publici cultus, tum præceptis tum praxi quotidianâ ſtabiliverunt. 16. Ex ipsâ naturâ depromptas Regulas generales de circumſtantiis variabilibus, pro re natâ determinandis, ductu Spiritus Sancti Eccleſiis tradiderunt. 17. Doctrinam ſacram contra hæreticos, & Chriſtianorum Unitatem contra ſchiſmaticos (non gladio, ſed) lumine & potentia ſpirituali, defenderunt. 18. Diſciplinam ſacram in Eccleſiis & ſtatuerunt & exercuerunt. 19. Spiritum ſanctum quoad dona extraordinaria, aliis per manuũ impoſitionem inſtrumentaliter communicarunt. 20. Etſi non Apoſtoli, tamen Miniſtros Generales qui Nationes facerent diſcipulos & baptizarent, & qui nulli particulari Eccleſiæ aſtricti, plurimarum curam ſuſtinerent, poſt ſe ordinatione Divinâ reliquerunt. 21. Quamvis eorum unuſquiſque ſeorſum infallibili Spiritus Sancti ductu ſunt potiti; Conjunctim tamen poſt conſultationes rationales, harmonicè ſymbola conjicientes, majorem habuere certitudinem ſubjectivam, & majorem apud populum fidelem authoritatem. 22. Provincias non habuere ita unicuique appropriatas, quaſi alteri jus ibi operandi defuiſſet; ſed operis gratiâ ſe prudenter & per ductum Spiritus S. per mundi nationes diſtribuerunt. 23. Quum vivâ voce & operibus Eccleſias & ſacram Doctrinam & ordinem rite collocaſſent, fere diſceſſuri, & Hiſtoriam ſacram, & omnia Chriſti & Spiritus Sancti præcepta, Eccleſiæ univerſali neceſſaria, ad firmitatem & futuram Eccleſiæ certitudinem in SCRIPTURA ſacra conſignarunt, & ſacras has Literas ut infallibilem & ſufficientem, Chriſti & Sp. Sancti Legem, doctrinæ & praxeos normam, reliquerunt. 24. Perpeſſionibus voluntariis & morte, teſtimonia & opera ſua tandem obſignarunt.

Hinc ſequitur, 1. Regimen Apoſtolorum fuiſſe Regimen *Chriſti*, per *Spiritum Sanctum*, extraordinariò ſc. operantem. 2. Regimen hoc fuiſſe fundamentale, & Regimini ordinario ſequuturo præſuppoſitum. 3. Partem hujus Regiminis fundantem *extraordinariam* fuiſſe *temporalem*, at partem *ordinariam, duraturam*. 4. Ideoque Apoſtolos quandoque vocatos eſſe, Miniſtros, Oeconomos, presbyteros, &c. Quandoque vero *fundamentum* Eccleſiæ, & *ſtabilitatem* ſeu *baſin* & *fulcrum* veritatis. (Ita enim & Timotheo præceptum eſt ut *ſe gereret in Eccleſia, Domo Dei viventis*, στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. ubi not. quod *Eccleſia* dicitur *Domus* Dei, *Timotheus* vero (non Eccleſia) fulcrum & baſis veritatis in Eccleſia: & dum verſio Anglica ponit [*the pillar*] pro [*a pillar*] ſenſum aliter clarum incautis reddit obſcuriorem.

2. Evangelii ſcriptores, Prophetæ & cæteri inſpirati partem item ſuam eminentem in fundantibus hiſce operibus habuere; ut Apoſtolorum coadjutores.

3. Ordinarii quoq; ejus ſeculi Paſtores & fideles ad Eccleſiæ ædificationem multum contulerunt.

III. Ab

III. Ab Apoſtolis ad finem uſque mundi: Ubi conſiderantur I. Caput, II. Objectum, III. Media.

I. CAPUT, eſt ſolus ipſe CHRISTUS Glorificatus; Dominus, Rex, Salvator Eccleſiæ:

viz.
- 1. *In Cœlis*, ut Salvator, Amicus, Sacerdos, pro nobis intercedit.
- 2. *A Cœlis*, Spiritum Salutis, vivificantem, illuminantem, ſanctificantem donat (cum aliis beneficiis.)
- 3. *Ad Cœlos*, *Vitæ*, *Luminis & Amoris* influxu, nos elevat, dirigit & attrahit.

Vicarium Caput Univerſalis Eccleſiæ humanum aut *Conſtitutivum* aut *Regens* nunquam ordinavit; utpote qui probè novit, neminem mortalium hujus operis capacem eſſe;

viz.
- 1. Ut Doctorem, Eccleſiam univerſalem, Sapientiâ, infallibiliter Docere.
- 2. Ut Regem, Eccleſiam univerſalem Potentiâ cum Sapientiâ Gubernare.
- 3. Ut Sacerdotem, Eccleſiæ univerſali in ſacro cultu præeundo, pro ipsâ intercedere.

Unici autem Imperii Romani Conſtitutiones malè factæ circa Epiſcoporum prærogativas ſuperbiæ Romanæ anſam dedêre, in Eccleſiam totius orbis univerſalem, Regnum uſurpandi.

VICARIUS autem Chriſti Internus, inviſibilis, eſt SPIRITUS SANCTUS PARACLETUS, id eſt, ADVOCATUS vel AGENS Chriſti univerſalis in terris.

II. OBJECTUM eſt triplex jam antè memoratum, *viz.*
- 1. Singulariter
  - 1. Homines-Redempti nondum Chriſtiani.
  - 2. Baptizati vel Religionem Chriſtianam profitentes.
  - 3. Fideles, ſincerè Chriſtiani.
- 2. Generaliter
  - 1. Mundus Redemptus.
  - 2. Eccleſia ut Viſibilis, & profitens.
  - 3. Eccleſia ut Regenita, fidelis, myſtica.
- 3. Collectivè; Societates, 1. Oeconomicæ, 2. Eccleſiaſticæ, 3. Civiles.

III. MEDIA Regiminis vel Adminiſtrationis hujus ordinariæ ad finem ſunt

I. LEGES, *viz.*
- 1. UNIVERSALES toti Eccleſiæ uniuſcujuſque ſeculi neceſſariæ; Quæ
  - 1. Sunt { 1. Lex naturæ, 2. Sacra Scriptura: } de quibus poſtea pluribus dicendum eſt.
  - 2. Factæ ſunt
    - 1. Per *ipſum Chriſtum*, & Apoſtolis traditæ.
    - 2. Per SPIRITUM SANCTUM in Apoſtolis, ad hoc à Chriſto vocatis.
- 2. Particulares, pro perſonarum ſtatu, loco & tempore utiles, at mutabiles; Quæ
  - 1. Sunt
    - 1. Præcepta de Lege Dei obſervanda; & peccandi prohibitiones.
    - 2. Regulationes modorum & mediorum ad priora utilium; officialibus mandatæ.
  - 2. Factæ ſunt
    - 1. Oeconomicæ, per Patrem & Matrem-familias.
    - 2. Eccleſiaſticæ; per uniuſcujuſque Eccleſiæ particularis Paſtores.
    - 3. Civiles (etiam circa ſacra) per Civiles Magiſtratus.

II. OFFICIALES ſive Miniſtri; qui ſunt

1. PARENTES, vel Oeconomici
- 1. Miniſtri Eminenter AMORIS, Amore Naturali (& ſancto) ad hoc inſtructi.
- 2. Doctores & Rectores Oeconomici; qui Sapientiâ familias ſuas inſtruant & regant.
- 3. Et Domini ſuorum, Potentiâ muniti, & ex re propriâ ad curam ſpecialem obligati.

2. PASTORES Eccleſiaſtici,
- 1. Miniſtri eminenter SAPIENTIÆ Donis ad doctrinam ſacram inſtructi.
- 2. Amoris etiam Miniſtri; Amore Dei & animarum ad opus hoc imbuti.
- 3. Authoritate etiam Paſtorali ad Eccleſiæ regimen pollent, etſi non Eccleſiæ Domini.

Súntque vel
1. Ministri Generales; qui prædicatione ad exteros, Baptizando, Ecclesiis colligendis, & postea, pro tempore ex occasione ædificandis, operam impendunt.
2. Particulares vel *fixi*; Qui Ecclesiæ particularis curam ordinariam gerunt.

3. MAGISTRATUS,
1. Ministri eminenter POTENTIA, gladio muniti ad Regimen coactivum.
2. Qui tamen Sapientiâ instructi, Sapientiam Evangelicam promovere debent.
3. Et ut servi *Amoris*, omnia ex Amore & ad Amorem gerere.

Tantum de Administratione hâc 1. Ut circa triplex objectum, 2. Ut triplici periodo præstitâ. 3. Dicendum sequitur plenius adhuc de ipso REGENDI OPERE: *viz.* I. De EVANGELIO, II. De triplici AUXILIO, III. Reductivè de triplici INIMICO.

Elucidationes.

I. *De Administratione, per Christum corporaliter præsentem.*

§. 1. CHristus incarnatus quoad naturam humanam, in primo naturæ instanti fuit Dei creatura; in secundo peccatorum Sponsor obedientiæ & pœnis se voluntariâ humiliatione dimittens: In tertio autem nostræ salutis per meritum justitiæ & sacrificii procurator: In quarto super peccatum, mundum, Diabolum, & mortem justificatus victor & triumphator: In quinto, salutis promeritæ prædicator, & fœderis & Legis gratiæ author & promulgator. (Quamvis in ordine temporis hoc passionem & resurrectionem ejus antecessit.) In sexto autem Judex & consummator.

2. In terris Christus Rex terrenus modo mundano regnans esse noluit: 1. Quia humiliationis statui non erat congruum. 2. Quia ab hominibus potestatem recipere noluit. 3. Quia modo sublimiore regnaturus est, & non ad modum mortalium & suorum ministrorum. Talia regna donare ipsius erat; non modo officiali administrare.

3. Christus simul tempore & servus fuit & Rex: Quà servus legibus Patris obedivit, & pœnas vicarias pro nobis passus est: Quà Rex autem Legem Gratiæ statuit, & positivas ejus partes seu adjuncta condidit: Officiales suos elegit, & potestate donavit, ejus mandata eis commisit; Inimicos modo humiliationi ejus congruo, vicit, & conatibus eorum ministerialibus mirandos dedit successus.

4. Quanquam id quod Apostoli Spiritûs sancti virtute speciali & per Christi mandatum fecerunt, eadem nobis obligatoriâ authoritate valet, quâ Christi ipsius dicta seu conciones; Christo tamen placuit ore proprio Legem gratiæ explicite condere, & fœderis Sacramenta instituere, & omnia fidei & religionis essentialia & integralia magna clarè prædicare; & Apostolis hoc solum mandare, ut Evangelium prædicantes & baptizantes, ea omnia quæ ab ipso eis præcepta erant, baptizatis observanda traderent, & per Spiritûs sancti inspirationem subordinata quædam ordinarent & statuerent, & omnia sacris Scriptis seculis futuris præservarent. Et sicut Moyses in tota Dei domo fidelis fuit legislator, non Legem ipsam, sed mandata quædam accidentia seu subordinata, suis Apostolis determinanda relinquens.

5. Omnia igitur quæ ad Christum Legislatorem attinent ipse perfecit, & opus ejus proprium nemini præstandum commisit: Necessario igitur partes Christi propriæ à nostris dignoscendæ sunt: Qui enim Christi opera aut emendanda, aut præstanda in se recipiunt, ejus Potestatis seu prærogativæ sunt usurpatores.

6. Qui

6. Qui Christo in opere Legislationis imperfectionem imputare audent, non miror si & omnia ejus opera pariter incusent: & qui imperfectum aut Deum aut Salvatorem fingit, revera Deum & Salvatorem negat.

7. Sicut autem Christi meritum stat cum necessitate obedientiæ nostræ præmiabilis, & sanctitas cum nostra sanctitate; ita & ejus doctrina, regimen & Legislatio cum doctrinâ, regimine & Legislatione humanâ consistunt, modò Christi propria prærogativa ei intacta servetur.

8. Esse totius orbis terrarum Rector & totius Ecclesiæ in terris Caput, aut Episcopus Universalis, est Christi ipsius prærogativa; Nemo enim mortalium hujus regiminis naturaliter capax est, vel ad id per Christum deputatus: Pseudo-vicarius igitur Romanus dum Christi ipsius prærogativam usurpat, læsæ Majestatis reus, contra Regnum ejus (quanquam ejus nomine & sub falso mandati ejus prætextu) rebellis, hoc nomine à plurimis *Protestantibus* dictis, Antichristus appellatur.

9. Et quoniam solius Regis Universalis est, Leges universales condere, nemo mortalium igitur *Leges universales* condendi potestatem habet.

10. Hinc etiam sequitur, ad neminem pertinere Leges condere locales seu Ecclesiasticas quæ universalium rationem habent, aut ejusdem cum Christi ipsius legibus sunt naturæ & rationis: 1. Quia omnis potestas humana ecclesiastica potestati Christi supremæ subordinata est; non coordinata. 2. Quia omnia Christi ipsius opera sunt perfecta, & humano non indigent supplemento. 3. Quia nullâ ille suis ministris potestatem dedit, ejus opera additionibus suis emendandi. E.g. Christus duo fœderis Gratiæ Sacramenta instituit: Quo nobis innotescit Sacramentorum talium institutionem ad ipsius Legislativam potestatem pertinere: Ideóque peccaret quicunque tertium tale Sacramentum institueret, quamvis solum propter Ecclesiam quandam particularem: Cum enim ad Christi ipsius officium hoc pertinet, ejus Leges non sunt imperfectionis insimulandæ. Diem etiam Dominicam Christus (per se & per Spiritum suum in Apostolis) ad sacra peragenda separavit: siquis etiam alteram septimanæ uniuscujusque diem ad usum eundem ordinariò separaret, & subditis suis Sabbatum alterum imperaret, nonne Christi officium usurparet, aut Leges Christi de imperfectione argueret?

11. Ipse Christus totum gratiæ fœdus ita condidit, & clare prædicavit, ut nihil Apostolis nisi adjuncta & elucidationes & determinationes quædam particularium generaliter tantùm ab ipso præceptorum, addendâ reliquit.

12. Q. Nonne Pauli Epistolæ quædam necessaria, E. g. de Justificatione & Prædestinatione, clarius Ecclesiæ quàm ipse Christus *explicavit? Resp.* Christi ipsius dictis major, cæteris paribus, reverentia debetur, quàm dictis Apostolorum. Maxima & necessaria pro tempore ipse protulit, modoque clarissimo & maximè congruo: Sed articuli quidam E. g. de morte & resurrectione & ascensu ejus ut præteritis nondum erant necessarii; & auditorum gratiâ multa adhuc fuêre explicanda; & errores novi refutandi: Etiam ministris ordinariis suum opus Christus reliquit, & sacræ Scripturæ assiduè ab illis sunt exponendæ; (sicut Leges civiles per Jurisperitos); At non ideò eorum dicta vel scripta Christi dictis sunt anteponenda. Nihil clarius aut dulcius fidelibus videri oportet, quàm quæ Christi ipsius ore prolata nobis tradita sunt.

13. Ideo Christus ipsius naturam, officium & authoritatem ante resurrectionem ejus noluit apertissime prædicari, quia congruum erat, fidei evidentias ipsas & probationes priùs actu extare, quàm homines ad credendum apertissimè vocarentur: ne credendi rationes illis non satis essent perspectæ.

14. Et quanquam Deus mundum vocâsse per Christi ipsius ministerium potuisset, ex multifariâ tamen suâ sapientiâ gregem parvam ipse selegit, & discipulorum ministerio & Spiritûs sancti effusioni pleniori messem uberiorem postea colligendam reliquit: Et se, quando sublatus esset, sibi omnes attracturum promisit: Pompam & dominium mundanum dum habere hic noluit, sequacium igitur turmas ante exaltationem suam habuisse, incongruum videri potuisset.

II. *De Christi Administratione post Ascensum ejus per Apostolos.*

§. 1. QUoniam Christus Syriace loquutus est, at Evangelistæ nobis Græcè tantum ejus dicta tradiderunt, sequitur non ipsa ejus dicta in terminis, sed eorum translationes tantum eos plerumque nobis scriptas reliquisse.

2. Hinc ratio occurrit, quare cum varietate aliquâ verborum, Christi dicta ab illis referuntur ; (etiam ipsa Precatio Dominica) Quia dum non verborum recitatores sed interpretes fuêre, sat erat quod ipsum sensum, quamvis verbis diversis, fideliter descripserunt.

3. Plurimi tamen Judæorum præcipuè urbanorum Græcæ linguæ non fuêre ignari: Ideoque Apostolorum translationes & facilè intelligi & probari poterant.

4. Spiritum sanctum Christus ideò Apostolis & promisit & dedit, non tantum ad miracula & opera mirabilia patranda, sed ad eadem *infallibiliter* facienda, dicenda & scribenda, quæ auxiliis ordinariis *modo communi humano*, defectivo & fallibili peragi poterant: Nimirum ut Christi dicta & opera quæ audiverunt & viderunt, infallibiliter tum intelligerent, & memoriâ tenerent, tum scriptis posteris referrent. Sine ope enim hâc speciali Sp. sancti, per errorem, inadvertentiam, oblivionem aut per alias imperfectiones humanas aut naturales aut morales, inter vera etiam falsa nobis tradere potuissent.

5. Qu. *Quomodo scire possumus in quibus & in quantum Spiritu sancto instructi sunt Apostoli?* Resp. Per Christi promissiones: Ipsis quippe promissus est Spiritus sanctus, qui in omnem eos veritatem duceret, & omnia Christi dicta, mandata & opera nobis referenda eorum memoriæ inscriberet. Promissio autem Christi per præcepta ejus exponenda est: Ad eadem enim opera perficienda Spiritus sanctus eis promissus est, quæ præstanda in mandatis à Christo habuerunt ; quo Ecclesia ejus rectè colligeretur & ædificaretur.

6. Quanquam igitur nec impeccabiles, nec quoad omnia absolutè infallibiles facti sunt, (Hoc enim ad ecclesiæ fundationem non necessarium erat) ; Nisi tamen in eis omnibus fuissent infallibiles, quæ ad futuram ecclesiæ directionem eis Christus mandavit, & in quibus peragendis auxilium hoc Spiritûs sancti promisit, quomodo Christus hanc promissionem suam præstitit ? Et quomodo ecclesiæ fides aut regula vitæ nobis certa foret ?

7. Christi facta dictaque *Scriptis* vere nobis tradere, Christi mandatum Apostolis esse dicendum est : 1. Quia aliter Evangelium gentibus & seculis posterioribus juxta Christi mandatum prædicare & tradere non potuissent : 2. Quia Christus ipse per Spiritum sanctum eos impellendo hoc mandavit. Scriptura est prædicandi modus ; isque maxime extensus & durabilis. Non igitur ferendi sunt qui *supra mandatum* hoc Apostolos fecisse effutiunt.

8. Quia præsentibus primò Evangelium prædicandum erat, Apostoli primis annis ore tantum id prædicarunt ; (& eorum plurimi nihil in scriptis ecclesiæ reliquerunt) : Quando autem distantibus loco & tempore prædicandum erat, & terras relicturi erant, & nè sacra doctrina vel historia postea mutatione corrumperetur, sacra (eorum & Spiritus sancti) Scriptura omnino opus erat.

9. Ex Christi mandato Apostoli primò Judæis, deinde gentibus prædicantes, credentes baptizarunt, ecclesias passim collegerunt, Pastores & Diaconos eis ordinârunt, Christi præcepta eis tradiderunt, & per Spiritum sanctum Canones universaliter necessarios condiderunt, & dubia quædam in rebus fidei, cultûs, disciplinæ & morum solvendo, amorem, unitatem, & pacem strictissimè præcipiendo, ecclesias etiam ædific runt.

10. Sigillum doctrinæ, testimonii & potestatis Apostolicæ fuerunt Spiritus sancti dona jam dicta peculiaria, impressa nimirum & expressa : 1. Dona *Potentiæ*, expressa per miracula, & Spiritûs ejusdem per manuum eorum impositionem quamplurimis communicationem. 2. Dona *Sapientiæ Divinæ*, expressa in sacrâ doctrinâ, prophetiâ, linguarum prius ignotarum usu & interpretatione, & concordi

cordi & peritâ eorum officii præſtatione. 3. Dona eminentis *Sanctitatis* & *Amoris*, expreſſa in miniſterii, doctrinæ & vitæ ſanctitate, ſui & omnium terrenorum abnegatione, ex zelo veritatis & ſalutis animarum.

11. Sacræ literæ per Evangeliſtas (Lucam & Marcum) exaratæ ejuſdem cum ipſis Apoſtolicis ſunt authoritatis; Quia 1. (præterquam quod probabiliter ex 70. diſcipulis à Chriſto prius miſſis fuerunt) per ejuſdem Spiritûs S. eadem dona & peritiâ, & poteſtate & authoritate muniti ſunt: Non enim voce tantum, ſed & Spiritûs ſancti donis ſpecialibus & inſpirationibus, Chriſtus poteſtatem hanc peculiarem communicavit.

12. Apoſtolorum igitur aliorumq; inſpiratorum eccleſiæ fundatorum Canones, totam Catholicam ſequentium ſeculorum eccleſiam obligant: Quia regulam infallibilem ita tradere, eorum officii mandati fuit, ad quod per Spiritus ſancti dona peculiaria ſunt inſtructi: Fundamenta igitur eccleſiæ, & columnæ ſunt vocati.

13. Non tamen hinc ſequitur Chriſtum Caput aliquod Vicarium, aut perſonale aut collectivum, ſuper eccleſiam univerſalem inſtituiſſe: Apoſtoli enim non eccleſiæ caput, ſed primarii miniſtri fuerunt: & evangeliſtæ cum illis in Scripturis edendis & canonibus condendis à Spiritu ſancto ſunt adhibiti. Et Apoſtolorum provincia deputata non fuit mundus univerſaliter, ſed indefinitè ſumptus: neque per ſolos Apoſtolos eccleſiæ particulares fuêre fundatæ: Neque peccarunt Apoſtoli quod in omnibus mundi regnis evangelium non prædicarunt.

14. Nec ſequitur Chriſtum voluiſſe aliquos Apoſtolis ſucceſſuros, qui canones fabricarent eccleſiam univerſalem (nedum omnium ſeculorum) obligantes; Opus hoc enim legiſlationis univerſalis unius ſeculi fuit, & ipſius Chriſti per Spiritum ſanctum, per dona infallibilitatis, eminentiſſimæ ſanctitatis, & miraculorum præſtandum: Quæ ſeculis omnibus ſequentibus neque donanda erant, nec donata ſunt.

III. *De Adminiſtratione ab Apoſtolis ad finem mundi, Elucidationes.*

§. 1. EX jam dictis ſatis patet, Epiſcopos ordinarios non eſſe Apoſtolos, nec eis ſuccedere in opere proprie Apoſtolico: Ideóque non in ſacris Literis aut Legibus totam eccleſiam obligantibus condendis: Quodque donis infallibilitatis aut miraculorum ad hæc neceſſariis non inſtructi ſunt ordinarii eccleſiarum Epiſcopi, de facto à nemine ſano dubitatur.

2. Sicut ſub Lege vetere diſtincti erant Prophetæ, novum aliquod à Deo nunciantes, ab ordinariis Sacerdotibus Legem jam ſtabilitam exponentibus & exequentibus; ita & novæ Legis viri Prophetici & Apoſtolici qui immediate aliquid nobis per Spiritum enunciant, diſtinguendi ſunt à Miniſtris ordinariis, Legis Divinæ non conditoribus, ſed interpretibus & prædicatoribus.

3. Magnæ tamen utilitatis ſunt miniſtri ordinarii, utpote 1. Legum univerſalium divinarum & ſacrarum Literarum primarii conſervatores, doctores, & prædicatores; 2. Animarum patres ſpirituales, Regenerationis & baptiſmi miniſtri; 3. Eccleſiarum particularium ædificatores, doctores, ſacerdotes & rectores, 4. Et ſacri officii ad poſteros propagatores.

4. Quamvis Chriſtus Apoſtolos tum primùm inſtituens, eos copioſe de ſacri miniſterii officiis inſtruxit, *Parentes* autem & *Principes* officio & authoritate ſuâ jam munitos inveniens, præcepta eis pauca de novo tradidiſſe videtur; hos tamen vere *Chriſti miniſtros* eſſe de jure, non minùs quam Eccleſiarum Epiſcopi, conſtat: A Chriſto poteſtatem ſuam recipiunt; & pro Chriſto eâ uti obligantur.

5. Unicuique Chriſti miniſtro opera *Potentiæ*, *Sapientiæ* & *Amoris* ſimul præſtanda imperantur: At eminenter opera *Potentiæ* ſunt *Magiſtratuum*, *operæ ſapientiæ Doctorum* ſeu Sacerdotum; & opera *Amoris Parentum*; ad quæ præſtanda ideo ſpecialiter ſunt inſtructi.

6. In

6. In trium horum officiorum debitâ & concordi præſtatione, ſalus eccleſiæ quoad media potiſſime conſiſtit: nimirum ut munus proprium unuſquiſque intelligat, & fideliter obeat, & alienum non invadat, ſed omnes harmonice ſe invicem opitulentur. Ex horum autem ignorantiâ, inſidiâ, perfidiâ, invidiâ, diſcordiâ, confuſione, & tyrannide, domorum, regnorum & eccleſiarum ſequitur corruptio, confuſio & ruina.

7. Q. *An mens Chriſti de eccleſiæ Regimine ad finem uſque ex eventu interpretanda eſt? & quod actu extitit, eum juſſiſſe dicendum eſt?* Reſp. Sicut Leges Divinæ pro hominum ſanctitate & amore, ſunt eorum obedientiâ multo perfectiores, non tamen fruſtra datæ ſunt, quia Legiſlatoris oſtendunt perfectionem, & à fidelibus, quamvis non perfectè, fideliter tamen obſervantur; Ita & Leges de Regimine eccleſiaſtico rectum imperant, & à non paucis probe quamvis imperfecte obediuntur, neque tyrannidi, ſuperbiæ, confuſioni aut impietati, quantumcunque hæc obtineant, ullatenus favere ex eventu putandæ ſunt, utpote quæ vehementer prohibent & damnant.

8. Fanatici & Mahometani ferendi non ſunt, qui fingunt Oeconomiam Evangelicam eſſe imperfectam, inter Moſaicam & Spiritûs ſancti regimen ſpirituale, quod igitur ut perfectius, ſacris Scripturis exauctoratis, prædicant aut expectant. Regimen enim hoc evangelicum, quamvis Naturali ſuccedens, Glorioſo imperfectius eſt, revera conſiſtit (ſicut homo ex corpore & animâ) ex Verbo externo, & Spiritûs ſancti interno opere quo animis Chriſtus medetur, quo regnum Diaboli deſtruitur, eccleſia ædificatur, & ſanctitate Gloria inchoatur.

CAP. V.

Subſ. 3. *De ipſo* EVANGELIO *ut ſub triplici* FORMA: *Et* I. *Ut* TESTAMENTO *vel Donatione.*

Juxta triplicem Chriſti Relationem EVANGELIUM triplicem FORMAM ſortitum eſt; & I. Eſt TESTAMENTUM, DONATIO, FOEDUS, promiſſio, AMATORIS, Benefactoris, Salvatoris: ubi conſideranda

I. BENEFACTOR ipſe; Qui eſt
- 1. Deus Pater, Fundamentaliter; mundo donans
  - 1. Filium ut Redemptorem per Impetrationem.
  - 2. Credentibus, Filium Salvatorem per Applicationem.
  - 3. Media ad ſalutem ſubordinata.
- 2. Filius Eminenter eadem largitus eſt.
- 3. Spiritus Sanctus perfectè donat
  - 1. Miniſtros extraordinarios, & Scripturas cum miraculis.
  - 2. Miniſtros ordinarios cum donis ædificantibus.
  - 3. Fideles ſanctificatos cum Gratiis ſalutaribus.

II. DONA Evangelica; Quæ ſunt
- I. DEO oblata à Chriſto pro hominibus; ita
  - 1. Seipſum dedit Redemptorem per Sponſionem.
  - 2. Meritum ſuæ Reſignationis, Obedientiæ & Amoris Deo obtulit.
  - 3. Et ſeipſum dedit Sacrificium (& pretium) pro peccatis.
- II. HOMINIBUS ipſis data; Quæ ſunt
  - I. FUNDAMENTALIA; & ita in Fœdere fundamentali nobis quoad *Jus* donantur, ſecundum quid.
    - 1. DEUS PATER NOSTER in Relatione, ut jam per Chriſtum nobis Reconciliatus.
    - 2. Chriſtus ipſe Relativè Caput noſtrum,
      - 1. Ut Salvator, Amicus, Benefactor.
      - 2. Ut Rector, Præceptor, Dux ſalutis.
      - 3. Ut Dominus theſauri ſui peculiaris.
    - 3. Spiritus ſanctus, Relativè & Activè, ut Vita noſtra, Inoperator, Perfector.

II. CON-

II. CONSEQUENTIA directè quæ priorum fructus & fines ſunt, *viz.* Relationum Beneficia, ut

- I. AMOR Dei Patris Reconciliati, erga nos ut Regenitos per Spiritum, & filios in Chriſto: unde
  - 1. Acceſſus Fiducialis; ut ad Omnipotentiam, Sapientiam, Benignitatem nobis Amore unitam.
  - 2. Acceptatio Divina placida 1. Perſonæ noſtræ, 2. Actionum bonarum, 3. Oblationum.
  - 3. Communicatio omnis Boni in ordine ad æternam fœlicitatem in Perfecto mutuo Amore.
- II. GRATIA Chriſti, *viz.*
  - 1. RECTORIS, *viz.*
    - 1. Doctoris, vel Prophetæ; quæ eſt, ex Sapientiâ ſalutari *Erudiri.*
    - 2. Imperatoris vel Legiſlatoris; Præceptis æquis ſalutaribus gubernari.
    - 3. Judicis; Juſtificationis expectatio. (Ipſa præſtatio eſt pars Regiminis conſequentis.)
  - 2. DOMINI: Quæ eſt 1. Poſſideri, 2. Conſervari, 3. Tractari, ut pretioſum ſuum peculium.
  - 3. AMATORIS vel SALVATORIS; Quæ eſt
    - 1. Donum Spiritus ſancti; & Peccati per illum mortificatio.
    - 2. Adoptio, & odii & iræ Divinæ remotio; & jus Amicitiæ Divinæ.
    - 3. Remiſſio Pœnæ Legalis, & Damni & ſenſus.
- III. COMMUNIO Spiritus ſancti fœderati; de quâ plura poſtea.

III. Conſequentia reductivè, *viz.* LIBERATIO 1. A Carne, 2. A Mundo, 3. A Diabolo.

III. MODUS donandi triplex, *viz.*

I. Quædam ABSOLUTE omnibus donantur, (vel *ipſis* ſcilicet vel *pro ipſis*;) quæ ſunt:
1. Chriſtus ipſe ut Redemptor impetrans, cum Sacrificio ſuo & Meritis, à Patre datur mundo, & Patri offertur pro omnibus.
2. Patris Reconciliatio initialis, vel in tantum, quantum per dona ſua ſequentia ſignificatur.
3. Lex Gratiæ ſeu Fœdus novum, quoad ejus Tenorem, & quoad mandatum id cunctis offerendi.
4. Per hoc fœdus, *Jus Conditionale* ad remiſſionem & Gloriam, omnibus Abſolutè datur.
5. Prædicantium Miniſtratio, quantum ad Mandati univerſalitatem.
6. Media quædam actualia in ordine ad converſionem & ſalutem obtinendam.
7. Beneficia plurima naturalia, & tandem Corporis Reſurrectio.

II. Quædam ABSOLUTE QUIBUSDAM tantum donantur, *viz.*
1. Beneficia plurima perſonalia communiora; ut Dona præſtantia, ſuperioritas, opes, naturalia, &c.
2. Evangelii actualis prædicatio; quam aliquando ex mero Dominio Deus maxime immerentibus concedit.
3. Gratia prima efficax electis, quam quandoque maximis ferè peccatoribus donat.

Quæ omnia dantur tantum *in ſe* per actualem poſſeſſionem; At nullum *jus antecedens* per fœdus ipſum datur Individuis: *Promiſſa* quidem de hiſce concedendis præcedunt; ſed tantum 1. Societatibus, 2. Quibuſdam indefinitè, facta; ſingulis autem ſunt quaſi prophetiæ tantum vel promiſſiones indeterminatæ.

III. Quædam ſub CONDITIONE OMNIBUS donantur per Fœderis tenorem, *viz.*
1. Unio Relativa jam deſcripta cum Patre, Filio & Spiritu ſancto, cum Beneficiis ſtatim conſequentibus, qualia ſunt Reconciliatio, Remiſſio, Adoptio, Communio Spiritus ſancti, &c. donantur ſub conditione conſenſus fœderalis, (id eſt, fidei & pœnitentiæ) poſtea explicandi.
2. Juris hujus *Continuatio* datur ſub conditione *Conſenſus continuati*, & in ſincerâ fœderis præſtatione fideliter opere expreſſi.
3. Remiſſio peccatorum notorum poſt Regenerationem perpetratorum, datur ſub conditione renovatæ particularis fidei & pœnitentiæ, univerſali ſuperadditæ.
4. Amor, Approbatio, & Gratia major, conceditur ſub conditione majoris fidei, pœnitentiæ, ſanctitatis.
5. *Particulares* item *Sanctitatis partes, particularia* habent annexa beneficia; & ex naturâ rei, & ex promiſſione; ut mitibus Pax; Parentum cultoribus longævitas, &c. promittuntur.
6. Jus immediatæ poſſeſſionis Gloriæ cœleſtis, & Reſurrectionis ad vitam; & Juſtificationis Finalis, & Glorificationis plenariæ, dantur ſub conditione vincendi & perſeverandi.

Elucidationes:

Elucidationes.

§. 1. IN omni Regimine Divino, Dei *Benefactoris Amor & Fundamentaliter, & Finaliter* summe ostenditur & glorificatur. Rector esse non potuit, nisi priùs esset *Benefactor*; & per *Regimen ad majora Beneficia* nos ducit. Ante *Regimen naturale*, prius ex Amore communicativo nos creavit, & omnia ad vitam & salutem necessaria nobis gratuitò donavit; deinde obedientiam & amorem imperat, quo majora adhuc obedientibus impertiat. Populum Israeliticum primò ex servitute Ægyptiacâ per miracula potenter liberat; & deinde Deo Liberatori ut grato animo obediant, jubet; quo terram promissam obedientibus impertiat. Sub Evangelicâ autem administratione Deus eminentissimè primò *Benefactor* est; & Filium Redemptorem cum Beneficiis antecedentibus gratis peccatoribus impertiens, deinde Donorum ejus gratam receptionem & usum imperat, quo ad perfectiora Gloriæ dona nos conducat.

2. Evangelium igitur primò *Dona absolute* data continet, deinde *Promissiones majorum conditionales*, denique *doctrinam & præcepta* necessaria quibus ad majora obtinenda modo congruo ducamur.

3. TESTAMENTUM igitur rectè dicitur, quo sua Christus moriturus modo debito quasi legata gratis donat.

4. Hinc *Fides* illa quæ ad sequentia obtinenda fit necessaria, est *Fiducialis horum donorum acceptio, juxta naturam, & ad fines & usus eorum*; quæ ex ipsâ rei naturâ ad receptionem moraliter necessaria est.

5. Obedientiæ tamen & sanctitati non tantum non obest hæc gratuita donatio, sed & medium ad illud & aptius & efficacius est, quàm omnes Legis operum minæ & terrores: Maximus enim Amor Amorem maximum & gratitudinem accendit. Amor autem est ipsa sanctitas, & obedientiæ promptissimum, fortissimum, & constantissimum principium: Nec sine conditionibus donantur beneficia consequentia: Gratiæque auxilia ad conditiones præstandas suppeditantur: Infidelibus etiam impœnitentibus & ingratis pœnas maximas ipse Christus in Evangelio minatus est.

6. Peccatoribus, egenis, jam Lege condemnatis, quid boni nisi per modum gratuitæ donationis obvenire potuit? Neque dignitatem enim vel *meritum*, neque potentiam habuimus: Nec boni aliquid creatura unquam habuit, præter quod à Primo & summo Bono recepit.

7. Beneficia antecedentia absolutè per Christi Testamentum donata jam sæpè recitata sunt; Inter quæ eminet Promissio seu Fœdus Gratiæ conditionale, (Christi sacrificio & merito præsuppositò), viz. *Donatio universalis Remissionis peccatorum, Justificationis, Adoptionis, Sanctificationis & Glorificationis, sub conditione fiducialis, gratæ & congruæ acceptionis*; id est, *consensûs fœderalis.* Hæc autem à beneficiis consequentibus, id est, actuali Remissione, Justificatione, Adoptione, Sanctificatione & Glorificatione, semper distinguenda sunt. Fœdus seu Donatio conditionalis ipsa *absolutè* nobis donatur; Beneficia autem fœderis ejus, sub conditione.

8. Ipsa fides etiam Dei donum est: Fides scilicet non *objectiva* tantum quæ creditur, sed & *subjectiva seu activa quâ creditur.* At Gratia credendi, seu quâ fœderi consentiendo conditionem consequentium beneficiorum præstamus, non mediis & modis iisdem nobis donatur, quibus beneficia consequentia; ut pluribus suo loco explicatur.

9. Cum dicit Apostolus Testamentum non valere dum vivit testator, Heb. 9. 16, 17. non vult Gratiæ fœdus tunc incepisse quando Christus crucifixus est, aut fidelibus non antea jus dare ad salutaria fœderis beneficia: sed in morte Testatoris aut morali aut naturali, id est, aut promissâ aut obitâ fœdus esse fundatum; & post mortem Christi actualem ejus Testamentum (seu fœdus ultimæ editionis) plenè probatum esse & stabilitum.

10. Deus

10. Deus ipse Pater, Filius & Spiritus sanctus est sui donum: non sicut donantur utensilia aut bona inferiora quorum sumus proprietarii: sed sicut Rex datur subditis, medicus ægrotis, egenis sublevator; Relativè scilicet, quà *Deus Pater reconciliatus*, Gubernator, finis, summum bonum & objectiva fœlicitas; *Deus-Homo Redemptor*, Doctor, Rex, salvator, caput salutis; *Deus Spiritus sanctus Christi* vicarius & advocatus, vivificator, illuminator, sanctificator, consolator, corroborator, vitæ æternæ arrhabo.

11. Omnia Testamenti beneficia à Paulo Apostolo comprehenduntur sub *Gratiâ Christi, Patris Amore, & Spiritûs sancti communione*; Ubi *Gratia* Christi primùm ponitur, quia ad Patris Amorem fœlicitantem via seu medium est; & Spiritûs sancti communio ultimò ponitur, quia Amoris paterni fœlicitans operatio communicativa est: Non igitur tam communis, antecedens Dei Amor hic intelligitur, quàm Amor consequens fœlicitans specialis. Amor autem Dei tunc conciliari nobis dicitur, quando *Complacentiæ Divinæ* nos objecti simus capaces, & quando effectus ejus speciales nobis communicantur: Nulla autem Dei ipsius mutatio hîc intelligenda est.

12. Qui Testamentum Christi solis aut fidelibus aut electis legata aliqua donare asserunt, jam priùs refutantur: si solis fidelibus hoc fieret, ipsa fides & fidei media non essent Christi dona seu legata: si solis electis donatio fieret, fœdus conditionale, Evangelii prædicatio, & Gratia communior præparativa, quæ pluribus non-electis conceduntur, Testamento seu donationi Christi non adscribenda forent, sed aliunde solùm expectanda; quod non dicendum est.

13. Ex Donationis communis conditionalis sufficientiâ in suo genere, ea fieri in sacris Literis dicuntur, quæ tamen quoad eventum nunquam actu effectum connotatum producunt. Ità Deus in Christo fuisse dicitur mundum sibi reconcilians, & eorum peccata ipsis non imputans; Quia quantum ad Filium ejúsque sacrificium donatum & ab ipso acceptum, hæc verè facta sunt; quanquam per plurimorum infidelitatem ipsis quasi irrita facta, desideratum finem non obtinuerunt; Peccatum scilicet mundo in tantum non imputari dicitur, in quantum remittitur: Remitti autem à Deo Redemptore dicitur, quatenus in merito & sacrificio Christi virtualiter remitti dici potest, quia non stat ex eorum defectu quod non actu & plenè remittitur, & quia in fœdere oblato verè remittitur sub conditione gratæ fiducialis receptionis. Ità & Matth. 18. 32. Servo malo ingrato & plectendo dicit dominus, *Ego totum tibi id debitum remisi*] quia in tantum remissum erat, ut nisi propter ingratitudinem nunquam requireretur: Ità & Heb. 1. 3. Christus *peccata nostra* ante ascensum suum *expurgasse per se* dicitur, quia sacrificium purgativum suo genere pro omnibus sufficiens obtulit, quamvis plurimi ingrati non actu sint purgati. Hoc enim aliquis dicitur feciſſe, quod quantum ad partes suas attinet fecit: Immò illud vulgò *factum esse* dicitur, quod nisi irrationabiliter frustretur à recepturo, fieret: & *donari* id vulgò & non ineptè dicitur, quod sub conditione gratæ receptionis donatur, quamvis à respuente ingrato non recipitur.

14. Sensu tamen plenissimo Electi sunt Legatarii, in quorum salutem Sacrificii & Testamenti beneficia etiam maxima, ex decreto divino efficaci sunt procurata, & donata: qui ex intentione Christi speciali redimuntur, & verè hæredes fiunt promissionis.

15. Donationis seu Testamenti partis conditionalis idem tenor & sensus est, electis, fidelibus, & non-electis infidelibus ingratis, quanquam non idem effectus. Eadem promissio Evangelica jus vitæ dat recipienti, quæ respuenti jus non actu efficaciter donat sed offert. Discrimen ex decreto gratiáque Divinâ, & ex ingratorum infidelitate oritur, potiùs quàm ex Testamenti seu Donationis conditionalis tenore.

16. Christi ipsius *Sacrificium, meritum, sanctitas & justitia habitualis aut actualis personalis* Deo non nobis data seu oblata sunt; nec *Ipsum Legatum* fuêre, sed Testamenti seu Donationis causæ procurantes; itidémque omnium Legatorum

causæ; sicut plenius suo loco postea explicatur, & pleniſſimè Libro Angl. de *Justificatione*, & altero de *Justitiâ Justificante*.

17. Qui Christi Testamentum ità malè interpretantur, quasi omnia sua dona simul & semel electis aut fidelibus eò donâsset, aut falsitatis id falsò incusat, aut res ipsas evidentes ut negent necesse habent: Electi enim ante fidem non efficaciter vocantur, non justificantur, non sanctificantur, &c. Et *fideles* à peccatis, à tentationibus, à pœnis non plenè primò liberantur: non pauca eorum peccata sunt postea remittenda, & magis adhuc mortificanda; mali habitus magis eradicandi, boni augendi; effectus Divinæ displicentiæ amovendi, inimici superandi, correctiones ferendæ, mors ipsa & corporis corruptio obeundæ, resurrectio, justificatio finalis & glorificatio adhuc recipienda sunt. Quantillum thesauri promeriti & conferendi fideles regenerati adhuc quasi infantes spirituales recipiunt? Et ipsam ecclesiam Christus grano sinapis assimilat, quod primò seminum fere minimum est; ideóque non omnia Testatoris legata simul & semel eam recepisse dicendum est. Sapientissimus quippe Benefactor & Testator dona sua media ad finem optimè obtinendum ordinavit: sicut ex eorum magnitudine & dignitate divitias liberalitatis & misericordiæ suæ ostendit, ità & ex Ordine, mensurâ, tempore & modo, sapientia ejus cum Dominio elucebit: non statim omnia tyronibus confert, quia in operibus obedientiæ, & tentationum palæstrâ adhuc exercendi sunt: Donatione conditionali non pauca conferuntur, (quæ tamen electis ex decreto efficaci sunt) quò per Regimen morale & viam sapientiæ, ad officia sua præstanda & beneficia modo debito recipienda, legatarii-subditi cierentur. Quædam tamen absolutè Dei solius opere collata sunt, consensu recipientis minimè expectato, nè sibi peccatores liberationem suam nimis adscriberent, aut per eorum malitiam, fragilitatem aut inconstantiam, eorum fœlicitas desiderata & misericordiæ & amoris Divini gloria minùs obtineretur.

18. Neque Libertinis igitur Antinomis aut Autonomis auscultandum est, qui dona divina adversus donatorem obvertunt, promissiones contra præcepta, & gratiam contra modum conferendi: Gratiam non gratiam esse argutantes si gratæ acceptionis & usus adsit conditio, quanquam per gratiam antecedentem præstanda: Quasi Rectoris supremi esset homines solùm *sanctificando* ab ejus contemptu & donorum ejus rejectione & abusu frænare; non autem *præcipiendo*, *minando* & *promissiones faciendo* sub *conditione* nè gratia per ingratos contemnatur: Nec in tentoria superborum divertendum est, qui naturæ viribus fidentes Gratiæ necessitatem ferè negant.

19. Sicut opera (non solum Trinitatis ad extra, sed &) *Potentiæ*, *Sapientiæ* & *Amoris* Divini sunt indivisa (quamvis distinguenda); Ità & Christi Redemptoris salvandi Methodus principiorum seu primalitatum harum effecta, in Regimine Divino nexu & harmoniâ mirabili conjungit; & instrumentum illud idem quod per modum *Testamenti* seu *Promissionis salutis dona gratis* confert, per modum conditionis præstandæ illa sæpissimè nobis impertit, & per modum *Legis officia* necessaria præcipit, & per *modum doctrinæ* ad officia & beneficia nos ducit: nec quisquam nisi miserè imperitus hæc optimè conjuncta & concordantia inter se committet.

20. Neque partes hæ puræ separatæ in Evangelio sunt, sed unaquæque alterius est particeps: Doctrina & Leges sunt donativa & beneficia: Promissiones & beneficia sunt instrumenta regiminis: & Potentiæ & Dominii opera & gubernativa sunt & donativa.

21. Sicut Doctrina & Lex, ita & *Testamentum* seu *Donatio* suam summam habent objectivam, seu compendium, in quo cætera dona virtualiter continentur, aut ex quo ut fonte derivantur; videlicet *ipsum Christum: Hoc enim testimonium est, Quod vitam æternam dedit nobis Deus: & hæc vita in filio ejus est: Qui habet filium habet vitam: qui non habet filium Dei vitam non habet:* 1 Joh. 5. 11, 12. & Rom. 8. 32. *Qui etiam proprium filium non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit*

didit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis gratis donabit? Sicut Rex qui ſe maritum egenæ gratis donat, Reginæ itidem honores & bona ei donat.

22. Chriſtum habere non eſt ejus carnem veram ore manducare, aut ſanguinem ejus verum ore bibere, neque ut dominos nos eum poſſidere, (ut jam dictum eſt); neque ejus eſſentiam fieri eſſentiam noſtram, aut accidentia ejus noſtra accidentia; ſed Chriſtum fieri noſtrum ad officium ſalvatoris pro nobis præſtandum, & ſacrificium, meritum, & juſtitiam ejus, (divinam & humanam, habitualem & actualem) fieri noſtra ad uſum & fines eorum proprios nobis obtinendos: Chriſto relativè & ſpiritualiter uniti (propiùs multò quàm membra politica ſuo capiti, aut uxor marito) ab ipſo recipimus internè donum Spiritus ſancti, & externè Gratiæ fœdus donativum, cum relativis beneficiis jam ſæpè memoratis ejus tenore & virtute donativâ collatis.

23. Chriſti *Sanctitas* & *Gloria cæleſtis* non ſunt noſtra eodem ſenſu aut modo quo Chriſti ſunt, formaliter ſcilicet ipſa in ſe poſſeſſa; (ſanctitas quippe Chriſti Divina nil aliud reale eſt quàm eſſentia Divina, & Sanctitas humana eſt ejus perfectio perſonalis); ſed ſunt noſtra, quia noſtræ formalis ſanctitatis & gloriæ cauſa communicativa: Ità & Chriſti Juſtitia etiam fit noſtra, ut cauſa noſtræ perſonalis juſtitiæ; non Deum aut Chriſtum nos conſtituens de ejus modo, ſed noſtro, nos juſtos verè faciens.

CAP. VI.

De EVANGELIO II. *Ut eſt DOCTRINA Chriſti DOCTORIS.*

I. Ex parte **DOCENTIS** hîc conſideranda ſunt

- **I. DOCTOR,**
  - 1. Primarius; Ipſe **CHRISTUS**, 1. Dum in terris, 2. Jam in cœlis glorificatus.
  - 2. Vicarius, **SPIRITUS SANCTUS.**
  - 3. Miniſtri
    - 1. Publici; Officiales Chriſti, *viz.*
      - 1. Naturales: Parentes (& ſub illis Præceptores conductitii ſunt)
      - 2. Inſtituti: Paſtores, 1. Extraordinarii, 2. Ordinarii.
    - 2. Privati: Proximus Scientiâ præſtans, alios ex charitate docere privatim debet.
- **II. DOCTRINA** Chriſti diſtribuitur vel conſideratur
  - **I. SUBJECTIVE** juxta Facultates recipientium: & ita eſt Doctrina
    1. De *credendis*; quorum ſummarium eſt ſymbolum Fidei.
    2. De Volendis, ſeu Appetendis; Quorum ſummarium eſt Oratio Dominica.
    3. De Agendis; Quorum Summa Generalis eſt Decalogus.
  - **II. OBJECTIVE**; per partes Materiæ traditæ (de quibus totus hic Liber), *viz.*
    - I. In Genere: De Regno ſeu Familiâ Divinâ.
    - II. Specialiter
      - I. De Regni Conſtitutione.
        - 1. De Authore & modo efficiendi.
        - 2. De Partibus
          - 1. Materialibus: *viz.*
            - 1. De Parte Imperante.
            - 2. De Parte ſubditâ.
          - 2. Formali, de qua jam dictum eſt.
        - 3. De Fine.
      - II. De Adminiſtratione, id eſt
        1. Antecedenti; id eſt Legiſlatione: ubi de Officiis humanis, 1. Erga Deum, 2. Erga ſeipſum, 3. Erga proximos.
        2. Conſequente, id eſt 1. Judicio, 2. Executione judicii.
        3. De Actibus humanis, Hiſtoricè: (Quæ omnia copioſiùs in ſuis locis hîc tractantur.)

III. MODUS Docendi; *viz.*

I. Quoad *Ordinem Objectorum*, docet
- 1. Religionis Essentialia.
- 2. Integralia.
- 3. Accidentalia.

1. Finem.
- 1. Deum.
- 2. Christum.
- 3. Media inferiora.

2. Viam.
- 1. Officium erga Deum.
- 2. Erga nosmet ipsos.
- 3. Erga alios.

II. Quoad *Actum docendi*: Qui est

I. Quoad modum per *seipsum*: 1. Voce, (dum in terris vixit) 2. Signis, 3. Exemplo; Præcipuè 1. Humilitatis, 2. Lenitatis, 3. Amoris, 4. Obedientiæ, 5. Contemptus mundanorum, 6. Patientiæ, ad mortem usque.

II. Per Spiritum sanctum; Qui facit
- 1. Doctores,
- 2. Fideles
  - 1. Vivificante,
  - 2. Illuminante,
  - 3. Sanctificante (id est, Amorem faciente)

} influxu & operatione

III. Per Ministros
- 1. Extraordinarios: Qui 1. Voce, 2. Opere, 3. Scriptis pro futuris seculis, docuerunt.
- 2. Ordinarios; Qui Regulam illam servarent, explicarent & applicarent:

viz.
- 1. Per *Doctrinæ lumen*, congruè unicuique exhibitum.
- 2. Per *Sacramentorum* fœderis *Amorem*, & cultûs Divini lætificans exercitium.
- 3. Per Sacræ Disciplinæ frænum & vigorem, (ut postea copiosiùs).

II. Ex parte DISCIPULORUM Christi: ubi considerandæ se offerunt sequentia;

I. Ubi discunt:
1. In Mundo, ubi verbum malis prædicatur ut convertantur.
2. In Ecclesiâ; ubi & ad conversionem hypocritarum, & ædificationem fidelium prædicatur.
3. Domi; ubi Parentes & Patres familias quotidie docere inferiores debent.
4. In Scholis, ubi Præceptores sunt quasi Parentum adjutores conductitii.
5. In consortio proximorum; ubi privata consilia & exempla boni, vigent.

II. A quibus discunt
- I. Internè, per Spiritum sanctum; sine cujus ope, mira est vitiati ingenii stupiditas.
- II. Externè.
  1. Publicè:
     1. A Ministris Christi, verbum Sapientiæ mundo vel ecclesiæ prædicantibus.
     2. A Parentibus, & præceptoribus, Quorum opus nobile est juventutis eruditio.
     3. A Rectoribus Civilibus, Qui non bestias sed homines regunt: Ideóque doctrinâ, & non gladio solo, aut vi solâ coactivâ.
  2. Privatim: A proximis 1. Superioribus ætate, 2. Superioribus sapientiâ, 3. Æqualibus.

III. Ex quibus:
1. Ex operibus Divinis; libro naturæ, homini erudiendo primo scripto.
2. Ex sacra Scripturâ; Libro Spiritûs sancti, ad medelam naturæ depravatæ scripto.
3. Ex sacris Concionibus, & publicâ pastorum doctrinâ & hortationibus.
4. Ex libris, & colloquiis sapientum familiaribus.
5. Ex piorum exemplis imitandis.
6. Ex Judiciis Dei præmiantis & punientis, & experientiâ propriâ Regiminis Divini.

IV. Quibus conatibus:
1. Ab aliis: 1. Auditione, 2. Lectione, 3. Colloquio.
2. Nobiscum; Meditatione practicâ, seriâ & constanti.
3. A Deo; Precibus, desideriis ferventibus, & fiduciâ fideli.

V. Quomodo:
1. Humilitate insigni, ut decet homines & nuperæ & præsentis Ignorantiæ conscios.
2. Agnitione reverenti & *authoritatis* Docentium, & *sapientiæ*.
3. Appetitu seu cupiditate sciendi.
4. Intentione animi sincerâ praxeως; *magis* pro *affectu* & *opere*, quàm mortuâ notione.
5. Diligentiâ summâ & Fortitudine, ad vincenda impedimenta.
6. Assiduitate & constantiâ, & patientiâ.

VI. Quibus gradibus:
1. Primo instante, Discentes, cæci sunt & Ignorantes *Auditores*.
2. Per primam instructionem efficacem fiunt *Pueri*: *viz.* Ignorantiæ conscii & *dociles*, neque per superbiam informationem spernentes.
3. Deinde fiunt fundamentalia scientes, & scientiæ adhuc augendæ cupidi.
4. Inde in Discendo fiunt diligentes & ita plurium tandem gnari.
5. Denique *Patientes* fiunt in diligentiâ; Et inde progressu temporis egregiè *Sapientes*.

VII. Quorsum:
1. Ad Intellectum scientiâ & fide nobilissimâ perficiendum.
2. Ad Voluntatem inclinandam, dirigendam, & delectandam, in Bono intellecto.
3. Ad Actiones rectè peragendas per habitus & Actus
   1. Scientiæ,
   2. Prudentiæ,
   3. Artium.

Sciendo Deum, & Omnia in Deo; ad Deum Amandum perfectè in æternum.

Elucidationes.

Elucidationes.

§. 1. OFficium Christi *Propheticum* seu *Doctorale* non minùs ejus officii generalis (mediatoris seu salvatoris) pars est, nec minùs necessariò, etiam ad Justificationem, credendum, quàm ejus *Sacerdotium.*

2. Ipse Nicodemus dicere potuit, Joh. 3. 2. [*Rabbi, scimus te à Deo venisse magistrum; nemo enim potest hæc signa edere quæ tu edis, nisi Deus sit cum eo.*]

3. Sicut Deus dicitur *solus Bonus*, quia nemo hominum primitivè, simpliciter, absolutè Bonus est; ità & *Christus solus Doctor* seu *Magister* noster appellatur; Matth. 23. 7, 8. & *omnes nos fratres*,] quia nemo præter Christum nobis Doctor primarius est & absolutæ potestatis & infallibilitatis.

4. Pleraque de Christi Doctrinâ in Tabulâ satis clarè explicantur. Hîc tamen addenda sunt, I. Quale sit discrimen inter Christi & Philosophorum aliorúmque *doctoratum* & doctrinam. II. Quare necessarium erat Redemptorem nostrum *Doctorem* cœlitùs missum fuisse. III. Quid hinc ad praxin nostram dirigendam sequitur.

5. I. Doctoris autem nostri cœlestis supra alios præcellentia hisce consistit: I. Quod *Persona* fuit *Deus-homo*, perfectissimæ igitur *Sapientiæ, Amoris & Potentiæ*: Philosophi autem merè homines, imperfecti & corrupti ingenii, mali & impotentes, Joh. 1. 1.

6. II. Officium Christi *Doctorale* fuit pars *Mediatorii* quo homines Deo reconciliat, & salvat: Doctor nempe *supremus* est; Idémque Rex, Legislator, Judex universalis, finalis, 1 Tim. 2. 5. Isa 2. 3. Gal. 6. 2. Qui aliis verè *Doctoribus* dat doctrinam, sapientiam, & potestatem, 1 Pet. 5. 4. Heb. 13. 20. Maximus scilicet ecclesiæ Episcopus, Pastor & Caput est.

7. III. Quoad Missionem, 1. A Deo immediatè per incarnationem miraculosam missus est. 2. Sapientiâ cœlesti miraculosè & supra omnes instructus; 1 Cor. 1. 24. Mat. 13. 54. Luke 2. 40. 3. Per prophetas diu antea prædictus: Isa. 53. Isa. 9. 6, &c. 4. Non tantùm Doctor primarius, Joh. 20. 21. sed & veræ doctrinæ secundarium objectum est, Joh. 17. 3. 5. Deus ipse non solùm per illum, sed & *in illo* locutus est, Joh. 12. 45. & 14. 24. 6. Pluribus miraculorum testimoniis ejus doctrina confirmata fuit: Heb. 2. 4. Act. 7. 22, &c. 7. Non Regioni alicui particulari, sed toti mundo Doctor assignatus est: Joh. 4. 42. & 8. 12. & 1. 3, 4, 19, &c. Mar. 16. 15. Luc. 2, &c. 8. Alii ab ipso suam recipiunt potentiam & authoritatem, Mat. 28. 19. Rom. 10. 10, 11, &c.

8. IV. Quoad doctrinæ Materiam, 1. Ante Incarnationem, 1. Ipse Naturæ instaurator media scientiæ naturalia toti generi humano dedit & conservavit. Psal. 19. 1. Pro. 1. 20, &c. Act. 14. & 17. Rom. 1. 20, 21. 2. Fœdus gratiæ etiam universale dedit peccatoribus & Deum misericordem, peccata remissurum eis prædicavit; Gen. 3. 15. Exod. 34. Rom. 2. Prov. 1. 23, &c.

9. 2. Post Incarnationem, 1. Legem Naturalem exponendo illustravit; Mat. 5. 2. Jugum Legis Mosaicæ quà tale fregit, Act. 15. Gal. 3. & 4, &c. 3. Legem Gratiæ clariùs edidit & perfecit; articulos quosdam fidei, Sacramenta, Ministerium Evangelicum, &c. addendo.

10. Particulariter Christi Doctrinæ (hoc libro expositæ) hæc capita sunt principalia. I. Homines docuit scire Deum; 1. In substantiâ fundamentali quà *Spiritum* & Vitam essentialem, æternam, immensam, necessariam, independentem, perfectissimam, &c. 2. In Trinitate Principiorum, quà Essentialem *Potentiam-vitalem, Sapientiam* & *Amorem*, vel *Purum Actum Vitalem, Intellectum, Voluntatem*: 3. In Trinitate Personarum quà Patrem, Filium, Spiritum Sanctum: 4. In tribus conceptibus modi existendi activi, quà Potentiam-inclinatam, quà intus Activam, & quà ad extra operantem. 5. In tribus Relationibus Causalibus, *Ex Quo, Per Quem*, & *Ad Quem sunt omnia*; ut Causam scilicet *Efficientem, Gubernantem* & *Finalem*. 6. In tribus Relationibus ad hominem Operativis, *viz.* quà *Creatorem, Redemptorem, Sanctificatorem*. 7. In tribus Relationibus

lationibus consequentibus Politicis primariis, *viz.* quà *Proprietarium* (seu *Dominum*) *Rectorem*, & *Benefactorem*. 8. In perfectione omnium attributorum suo loco priùs descriptorum.

11. II. Homines docuit *Dei opera*, quæ scire scilicet nostrâ interest: etiam cœlestia, invisibilia, cœlum, Angelos, etiamque dæmones, &c.

12. III. Homine n scire etiam homines ille optimè docuit: Quales scilicet sumus in naturæ principiis constitutivis; In Imagine Dei naturali, Potentia-Vitali, Intellectu & Voluntate: Quales in Imagine perfectivâ, facti sumus, *Vitalitate* scilicet *spirituali*, *sapientiâ* & Amore: Quales jam depravati & perditi: Quales redempti & reparati: Breviter, Qualis homo est Formatus, deformatus, & reformatus, seu Institutus, destitutus, & restitutus.

13. IV. Hominis ad Deum Relationes optimè docuit, *Quà sui*, quà *subditi* & quà *Amati*, vel breviter, Quà *Filii* sumus.

14 V. Leges Divinas etiam & condidit & optimè exposuit, Naturæ scilicet & Gratiæ hic priùs delineatas.

15. VI. Sapientiæ, & Sanctitatis pulchritudinem, necessitatem & utilitatem optimè ostendit.

16. VII. Peccati fœditatem, & malignitatem, & peccatorum stultitiam & reatum optimè denudavit.

17. VIII. Historiam operum Divinorum & humanorum, præcipuè de hominis Creatione, Lapsu, pœnis, liberatione, optimè per Spiritum suum hominibus tradidit.

18. IX. Miserandum impiorum statum optimè aperuit.

19. X. Tentationum laqueos optimè detexit.

20. XI. Regnum Satanæ & inimicos animarum & ecclesiæ quomodo debellandos optimè monstravit.

21. XII. Judicia Divina & in hâc vitâ & futurâ proferenda & exequenda veriſſimè & clariſſimè prædixit.

22. XIII. Statum Gloriæ cœlestis etiam sufficienter aperuit; *viz.* & ejus Locum, (in cœlis), ejus Objectum finale, *Deum* visum, amatum, amantem, & Christi, & cœlestium gloriam: Et actus beatificantes, (Dei Visionem, Amorem, Laudes) & societatem cœlestium beatorum; & horum omnium perfectionem & sempiternitatem.

23. XIV. Media etiam seu viam ad Gloriam plenè demonstravit; per quem scilicet, & quomodo, quibus auxiliis, receptionibus & actibus ad illam perveniendum est. Tantum de Materiâ.

24. V. Omnes alios & *Modo Docendi* Christus magister antecellit: *viz.* 1. Non ex authoritate humanâ, sed Divinâ & Dei nomine mundum allocutus est. 2. Modo etiam non carnali & Logicorum nugace, sed Divino & Spirituali. Non verba inania & argutias futiles contexuit, sed Res ipsas maximas & necessarias, modo omnibus etiam vulgò congruo, proposuit. 3. Dei etiam, Veritatis & animarum Zelo & amore, audientium corda emollivit & penetravit. 4. Non verbis solis sed vitæ perfectissimæ exemplo docuit. 5. Non defectivè, sed totam sapientiam hominum saluti necessariam aperuit. 6. Pluribus Miraculis nunquam confutatis, doctrinam suam confirmavit. 7. Ministros etiam emisit miraculosè qualificatos, qui sua testimonia miraculis plurimis obsignârunt. 8. Providentiâ etiam gubernante, & præmiis & pœnis etiam temporalibus, piorum protectione & hostium perditione, sæpè docuit contradicentes. 9. Et quod maximè notandum est, Spiritum sanctum effundendo, quæ docuit electis suis etiam effecit: Aures hominum & oculos aperuit, corda dura emollivit, & Legem & Evangelium hominum mentibus ingessit & inscripsit; Fidem, pœnitentiam, amorem, sanctitatem quæ præcepit, etiam dedit & effecit: Peccata quæ prohibuit, efficaciter destruxit: Non in omnibus quidem (sicut nec omnes ægrotos sanavit) sed in quamplurimis ad gloriam ordinatis. Hæc nemo philosophus, nemo Theologus, sed solus hic Spiritus sancti donator facere potest: Alii loquendo docent; Christus etiam operando & efficiendo; Ideóque quamplurimos

mos verè sanctos facit, & corda eorum supra mundana & vitam ipsam hanc transitoriam ad cœlestia elevat; quæ philosophorum nullus efficit.

25. VI. Quoad finem, Christi Doctrina aliis præcellit. Non docet homines ut plurimi Philosophorum, doctè insanire; aut tempus nugando & litigando inaniter conterere; aut spinis curarum suas animas vexare; aut superbiendo dominari, & divitiarum cupidine aut spe inani sese decipere; aut ut generis humani pestes bello & sanguine, apprehensionibus & persecutionibus mundum perturbare; sed finis ejus doctrinæ est, homnines peccatores ad Deum reducere, & amabiles Deo reddere; stultos verâ salutari sapientiâ induere; malos facere bonos, superbos humiles, feroces mites, se & alios turbantes quietos, divisos concordes, ut sibi & aliis homines benefaciant, utiliter & in pace vivant, spe & gaudio moriantur, & in cœlis Deum videndo & amando in æternum perfectè sint fœlices, & miseriam ipsius peccati, & pœnarum infernalium certissimè evadant. Huc tendit omnis Christi doctrina; & siquid huc tendens ab aliis aliquibus doctoribus traditur, aut à verbo aut Spiritu Christi illud suâ mensurâ receperunt.

26. II. Summè necessarium sapientiæ Divinæ visum est, talem Doctorem mundo mittendum esse 1. Quò misericordia & sapientia Divina glorificetur. 2. Quo necessitas humana sublevetur: Tali quippe doctore egemus, qui cœlestia hominibus clarè rotuit aperire, & de eorum veritate fidem facere, & ipsas discentium mentes illuminare, & corda obstructa & obdurata aperire & emollire; Quæ omnia vires Philosophorum & humanas omnes longè superant. Homines enim sunt ignari, inter se dissidentes, incerti, lubrici, & mali: & Doctorem infallibilem omnes ipsi desiderant: etiam Angeli minùs idonei sunt utpote nobis ignoti, terribiles, minùs familiares, & qui Spiritum Sanctum donare non possunt, nec corda audientium per se renovare.

27. III. Ex dictis clarè patet, 1. In quantas & quàm horrendas tenebras genus humanum per peccatum præcipitatur; Qui sicut Deos se fore per scientiam malè ambirent, non nisi per Deum incarnatum è tenebris crassissimis erui potuerant.

28. 2. Hinc etiam insufficientia Philosophiæ & sapientiæ mere-humanæ constat. Quantillum in Aristotele, &c. invenitur, de Deo reconciliato, de animarum verâ medelâ, de Spiritu Sancto, de spe salutis æternæ, de vita & morte obeunda sancta, tuta & jucunda?

29. 3. Hinc patet Religionis Christianæ præcellentia, & Ecclesiæ prærogativa, quæ non nugis & siliquis pascitur, non tricis & logomachia ludificatur, verâ consolatione non destituitur, incertis non confunditur, sed maximis, necessariis, utilibus, jucundis, certissimis, cœlestibus, per ipsius Dei filium eruditur.

30. 4. Hinc constat quàm firmum fidei nostræ fundamentum sit. Omnes Satanæ conatus huc tendunt ut fides nostra deficiat aut subvertatur. At ipse Dei filius ejus Author, fundamentum & perfector est: Quis alius tanta miracula potuit perpetrare? Quis mortuos suscitare, & à mortuis resurgere? Quis nuntiis & discipulis suis Spiritum sanctum donare? Quis Dei imaginem primò in sua doctrina, deinde in suis discipulis, eos vivificando, illuminando, sanctificando, formare potuit?

31. 5. Hinc constat S. Evangelii authoritas & usus, ad homines erudiendos, sanctificandos, regendos, ad lites de religione dirimendas, &c.

32. 6. Hinc patet etiam 1. Quod omnes Christiani sunt Christi discipuli, & hominum solùm ut Christo subordinatorum. 2. Unde ecclesiarum Doctores authoritatem suam derivant. 3. Quis Doctorum Doctor est; & quantum flagitium est falsa & mala in Christi nomine temere docere. 3. Hinc constat etiam & quæ & quomodo docere debent. 1. Non docuit nos Christus honores & mundana ambire, nec bonos etiam infimos spernere, persequi, aut opprimere: neque malos dum sanabiles aufugiendo negligere, neque infirmos vi cogere ad dictamina nostra approbanda; neque emortuam Religionis imaginem extollere quò pietatem sinceram & vividam destruamus; neque licentiam peccandi ex doctri-

nâ

nâ gratiæ colligere; ſed Deum & homines amare, regnum cœlorum primò quærere, Deo obedire, confidere, mala pati, &c.

2. De modo; Chriſtus non frigidè docuit, non formaliter, hypocritice, nugaciter, contentiosè, invidiosè, ſuperbè, &c. ſed ſeriò, clarè, ſummo Dei & animarum amore, &c.

33. 7. Hinc cauſa etiam malitiæ, contentionum, ſchiſmatum, & omnium malorum patet; viz. Quod à Chriſto Doctore diſcere homines recuſant: Horum enim omnium remedium eis obtulit; & jam diu ſanati eſſent ſi modò ipſum audirent.

34. 8. Hinc patet etiam quàm inexcuſabiles ſunt doctrinæ Chriſti contemptores. 1. Gratia *Doctoris* cœleſtis honore digna eſt. 2. Gratiâ *ſui* amplectenda eſt; Nullibi tam neceſſaria, tam magna adeò clarè, ſeriò & certò revelantur. 3. Noſtri etiam gratia recipienda eſt: Doctore & tali doctore ſummè egemus: ſine horum fide aut ſcientia neque ſanctè neque tutè neque jucundè aut vivere poſſumus aut mori. Si pretio cœleſtium ſcientia acquirenda eſſet, quis non cum Simone eam pecuniâ ſtatim emeret? Si Angelus aliquis, aut à mortuis quis reverſus ſpem daret cœleſtia nobis enarrandi, quantocyus feſtinaremus ad doctorem talem audiendum? Qui vere credit Chriſtum eſſe Dei filium, & ab ipſo ut Mundi Doctorem miſſum eſſe, proculdubio is doctrinam ejus reverenter & grato animo promptéq; recipiet. Non alius datur Eccleſiæ Doctor univerſalis, ſupremus & infallibilis; Doctrina ejus ſuavitate cœleſti prædita eſt, & ſorti humanæ admodum congrua eſt: Quo longius progredimur, eo melior & ſuavior nobis apparebit. Auxilia habemus externa operum & Miniſtrorum Chriſti, & internè Spiritus ſancti; & *qui Prophetam hunc non audit, à Dei populo abſcindetur.*

CAP. VII.

De EVANGELIO III. *quà LEGE Chriſti REGIS: ubi conſideranda ſunt*

I. PARTES vel PERSONÆ.

- I. Legiſlator: Qui eſt quoad
  - 1. Perſonam; Chriſtus, Deus-Homo, Redemptor, Rex.
  - 2. Quoad ſufficientiam, 1. Potentiâ, 2. Scientiâ, 3. Amore præditus.
  - 3. Quoad jus Regendi, 1. Redemptione promeritum eſt, 2. A patre datum, 3. Per credentes agnitum.
- II. Subditi: 1. Homo, 2. Lapſus, *viz.* in peccatum & miſeriam, 3. Homo reſtaurandus.

II. LEX ipſa cujus Partes ſunt,

- I. Præfatoria (ad præcepta) ERUDIENS, 1. Hiſtorica, 2. Prophetica, 3. Doctrinalis.
- II. IMPERANS: de Agendis & non Agendis: Pars Legis principalis; Quæ duplex eſt, *viz.*
  - I. LEX PRIMITIVÆ SANCTITATIS. Cujus
    - 1. Materia eſt
      - 1. Summatim, AMOR DEI & PROXIMI.
      - 2. Diſtinctiùs
        - 1. Erga Deum; 1. Reſignatio, 2. Subjectio, 3. Amor & Gratitudo.
        - 2. Erga Homines, 1. Juſtitia, 2. Charitas. 3. Submiſſio.
    - 2. Forma eſt ſignificatio Voluntatis Dei Creatoris & Redemptoris, conſtituens debitum perfectionis neceſſitate præcepti; & ſinceri deſiderii & conatus ad perfectionem, neceſſitate medii.

II. LEX

II. LEX MEDICINALIS: quæ requirit

I. Initio
1. FIDEM in DEUM Patrem, Filiũ & Spiritum ſanctum; id eſt, fieri Chriſtianum, *viz.* per fidem, id eſt 1. Aſſenſum, 2. Conſenſum, 3. Fiduciam ut medium neceſſarium, ad Chriſtum, medium principale.
2. Reſipiſcentiam; id eſt, Converſionem animæ, à ſeipſo, & à Creaturis, ad Deum & ſanctitatem: Quæ hîc conſideratur, non ſub ratione ſanctitatis; ſed ſub ratione mutationis ad ſanctitatem.

II. Progreſſu.
I. Directè
I. Generaliter.
1. Fidem, id eſt
1. Aſſenſum,
2. Conſenſum,
3. Fiduciam practicam
1. Continuare.
2. Reſipiſcentiam: id eſt
1. Reſignationem & Patientiam,
2. Subjectionem & obedientiam,
} 2. Exercere.
3. Amorem & opera Amoris, 3. Augere.
II. Particulariter, *viz.* Præcepta omnia particularia fideliter obſervare.
II. Reductivè; oppoſitè
1. Carnem,
2. Mundum,
3. Diabolum
1. Pro inimicis ſeriò habere.
2. Fideliter & conſtanter reſiſtere.
3. Vincere.

III. RETRIBUENS: id eſt,

I. PRÆMIANS: Præmia vero ſunt quæ ſequuntur.
1. Sinceræ Fidei & *Pœnitentiæ* (id eſt, conſenſus fœderalis) præmium eſt, jus unionis Relativæ cum Patre, Filio & Spiritu ſancto; & Adoptionis, Remiſſionis, & Communionis jam deſcriptæ.
2. Conſenſûs continuati cum ſincera præſtatione, Continuatio ejuſdem juris præmium eſt.
3. Particularis pœnitentiæ præmium, eſt particularis plenior remiſſio.
4. Particularium quorundum operum, particularia etiam congrua ſunt præmia.
5. Magnæ Fidei & ſanctitatis præmium eſt Amor, Approbatio & Gloria magna.
6. Perſeverantiæ finalis & victoriæ, præmium eſt jus immediatæ Glorificationis, &c.

II. PUNIENS: POENA verò eſt vel

I. REMISSIBILIS, id eſt, cujus Remiſſio ſub conditione poſſibili præſtandâ offertur, *viz.*
1. Atheiſmi pœna eſt, Deſertio Divina; & privatio luminis ſupernaturalis & naturalis.
2. Infidelitatis & impœnitentiæ pœna, eſt Privatio juris antedicti, ad relationes & Communionem cum Deo, Patre, Filio & Spiritu ſancto; & debitum Deſertionis & miſeriæ ſempiternæ.
3. Peccatorum auctorum pœna, eſt miſeria antedicta aucta.
4. Notabilium quorundam flagitiorum pœna eſt, miſeria hîc major, & futuræ acceleratio.
5. Fidelium peccatorum graviorum pœna eſt, Diſplicentia gravior Divina, & aliqualis deſertio, & privatio communionis Spiritûs ſancti; præter caſtigationes coporales.
6. Fidelium peccatorum leviorum, Diſplicentia & caſtigatio levior, pœna eſt.
7. Si eveniret amiſſio ſinceri Amoris, pœna eſſet Amiſſio juris ad fœderis beneficia.

II. IRREMISSIBILIS, *viz.*

I. Non-damnans;
1. Pœna communis temporalis peremptorie pro Adami peccato denunciata, continuatur.
2. Privationes Gratiæ Gradus cujuſdam, id eſt, perfectionis, etiam piis in hac vitâ.
3. Pœnæ multæ temporales caſtigatoriæ, & in nos & in alios, & in ſocietates.

II. Damnans, *viz.*
- 1. Pœna infidelitatis & impœnitentiæ finalis: (etsi in tempore remissibilis fuit.
- 2. Pœna infidelitatis & impœnitentiæ insanabilis (quæ ideo semper finalis est) *viz.*
  - 1. Blasphemiæ contra Spiritum sanctum, Quæ est peccatum infidelis adeò contumacis, ut Christi & Apostolorum miracula, Diabolo ex animo adscribat, & pleno consensu, nè ex iis de veritate Christianâ convinceretur.
  - 2. Apostasiæ totalis, illius qui Illuminatus & sanctificatus fuit. (Quod videtur idem peccatum esse cum priore; Quia talis vix aliter fieret Apostata.) (de eventu non loquor.)

N. B. Quod Lex Naturæ hîc supponitur; per quam etiam piorum peccata primo instanti mortem æternam merentur, quæ secundo instanti per fœdus Gratiæ remittuntur.

III. FINES Legis sunt,
- 1. Legem esse Instrumentum Regiminis.
  - 1. Ut Normam officii,
    - 1. Ad honorē sanctitatis,
      - 1. Ad omnium convictionē.
      - 2. Ad electorum salutem.
      - 3. Ad mundi ordinem.
    - 2. Ad infamiam peccati.
  - 2. Ut Normam judicii,
- 2. Legem esse specimen & speculum in quo sanctitatis, justitiæ, misericordiæ, Amoris, sapientiæ, potentiæ Divinæ imago glorioſa reluceret.

Tantum de EVANGELIO ut sub triplici *Formâ*: Dicendum restat de EVANGELIO ut nobis revelato in triplici *Verborum Formulâ*.

Elucidationes.

1. QUi Christum Legislatorem esse ex animo negat, eum verè Christum esse negat: esse Christum enim essentialiter includit, esse Regem; Rex autem non est, ad quem regimen non pertinet. Regiminis autem pars prima & nobilissima est Legislatio.

2. Tantum abest à veritate Christum non esse Legislatorem, ut verè dicendum est, nullum jam extare Legem Divinam quâ regendum est genus humanum, quod non est Christi Regis Lex: Pater quippe, neminem (sine Christo) *judicat, sed omne judicium filio commisit*, Joh. 5. 22.

3. Lex quidem naturæ, non *primo* & *de novo* fit per Christum Mediatorem, nisi in iis quibus *ipsa natura nova* fit: At 1. Lex naturæ jam *Christi Lex est*; naturæ scilicet redemptoris, reparatoris & Domini, cujus manibus omnia à Patre tradita sunt: 2. Naturæ etiam mutatæ Leges quædam per Mediatorem factæ sunt; E.g. Ut homo peccator & miser resipiscat, & liberationem cupiat & quærat, &c. 3. Fœdus seu Lex Gratiæ cujuscunque editionis, Mediatoris Lex est. 4. In ultimâ hujus editione continentur, non pauci novi articuli fidei, cum institutionibus Evangelicis, E. g. de Sacramentis, & cultu, de Ministrorum vocatione & officiis, de die Dominico, &c. Articuli etiam *fidei* sunt *mandata Legis*, quatenus in Lege Christi credendi præcipiuntur: Affectus etiam ut & cogitationes nostri interiores, Evangelica sua opera, & modos, jam habent à Christo præscriptos. Et reverâ qui Legem quà Christi non agnoscit, obedientiam vere Christianam præstare non potest: *Formalis* quippe *obedientiæ ratio* deest; viz. *Authoritas præcipientis agnita*, cujus gratiâ & vi obedientiæ actus omnis est præstandus.

4. Lex Christi est norma officii humani & judicii Divini; secundum hanc jam vivendum est & secundum hanc ad vitam cœlestem aut ad gehennam judicabimur: Nonne igitur nostrâ quamplurimum interest hanc Legem agnoscere & observare?

5. Etiam per Prophetas Christum Regem & Legislatorem futurum sæpe prædictum fuit, Regimenque in humeros ejus impositum esse, & Legem ejus è Zion exituram: Quod etiam ipsi infideles Judæi in Messiâ agnoscunt expectandum, quamvis Legem Mosaicam eum abrogaturum non credunt.

6. Cordatis

6. Cordatis igitur omnibus plorandus est morbosus Ecclesiæ status; cum ex contentionis & oppositionis æstu, (ne dicam phrenesi), non pauci, non contemnendi nec mali Theologi, non tantùm Christum Legislatorem fuisse negant, sed plenis buccis, hoc asserentes dicunt Arminianos, Papistas & Socinianos: Et quomodo in has sectas honorem cumulare, & sibimet infamiæ & erroris notam impingere, aut certiùs aut faciliùs possent? Unde autem viris bonis hæc tanta deliratio? Ex zelo scilicet imperito & perverso contra Justificationem quam vocant ex operibus: Ut probent neque fidem, neque resipiscentiam, neque preces aut actum aliquem humanum esse *conditionem Justificationis* (aut ut aiunt quidam, salutis) tenendum putant, Christum tantùm absolutam gratiæ, justificationis & salutis promissionem fecisse electis, at nullam condidisse Legem aut fœdus conditionale, ne hinc probaretur juxta hanc Legem, & ex conditionis hujus præstatione, fideles dicendos esse eatenus justos, & ita coram Deo judicandos esse & justificandos. Anne verò Socinianorum aut quorumvis errores per pejores, immò per infidelium opiniones confutandi sunt? Talibus non eget justificatio, gratia aut fides defensoribus.

7. Qu. *Anne vero infideles & damnandi, Theologi tam boni judicandi sunt? Resp.* Absit: sed potiùs timendæ & fugiendæ sunt tentationes omnes, quæ ad factiones, dissidia, perversas & malignas contentiones & disputationes, Theologos solicitant: Unde quid opponendum sit adeò vehementer & intensè student, ut quibus fiat argumentis modò negotium expedire videantur, fere susque deque habent; Nec suarum dictionum inconsistentiam considerant; Ita ut quod reverâ credunt, ore tenus fere negant, & haud credere videntur quia temere & ignari contraria asserunt. Et dum Spiritu Papali fratres damnant & hæreticant, seipsos sobriis omnibus tremendi faciunt exempla, quibus spectantes à judicio temerario & à malignâ fratrum hæreticatione, & à zelo cæco & contentioso deterreantur.

8. Ad horum deceptionem non parum conducit, quòd quia *Notiones fœderis, promissionis, Doctrinæ & Legis* non sunt confundendæ, *Res* omnino divisas per nomina hæc significari autumant. Cum reverâ Deus nullam fecit (lapsis saltem) *Legem*, quæ non est *Fœderis* ejus aliqua pars. Neque ullum instituit *fœdus*, quod non est etiam *Lex* aut *Legis pars*. Idem scilicet Regiminis Divini organon morale, quodam respectu dicitur *Fœdus* & alio *Lex*. Quà debitum obedientiæ, præmii & pœnæ constituit, *Lex* est: Quatenus mutuo consensu res agitur, *Fœdus* dicitur. At pleniore sensu LEX dicitur quam FOEDUS. Quædam enim in *Lege* quà tali esse solent, quæ non sunt in *Fœdere*: Nihil autem in Fœdere divino est, quod non est in Lege Divinâ. Doctrina Evangelica historica & moralis est Legis quasi procœmium & ratio: Præcepta (etiam credendi & Gratiam recipiendi) sunt Legis pars primaria (quà Legis). Gratiæ & Gloriæ promissio est Legis pars præmians. Gratiæ rejectio, & infidelitas & omne peccatum contra gratiam ibi prohibentur. Et partem pœnalem ad Legem pertinere à nemine negatur. Et à subditis etiam requiritur obediendi consensus & promissio, quia sine consensu obedientia nulla est; Voluntas quippe est subjectum primarium moralitatis. Et reverâ plerumque in sacris Literis nomen illud & Hebraicum & Græcum quod [*Fœdus*] interpretamur, Legem Divinam quà Legem significat, viz. Dei statutum, dispositionem, seu institutionem de hominum *officiis præstandis* & retributione expectandâ, cui subditi fidere & consentire debent.

9. Notiones igitur Christianæ *Doctrinæ, fœderis & Legis*, sunt unius ejusdémq; organi moralis *Conceptus partiales* seu *inadæquati*; Quamvis qui partem aliquam seorsim considerabit, à cæteris eam distinguere licet, & nomen proprium ei parti tribuere.

10. In hoc autem præcipuè ratio *fœderis* Testamenti *& Legis* discriminantur; Quòd Evangelii quà *fœderis* pars primo-significata, est *Promissio* seu *Donatio* sub conditione consensus facta & oblata; Nomen *Testamenti* autem primò significat *Donum Legatum* quà tale: Lex autem primò significat *Debiti constitutionem*, scilicet quid debitum erit ab hominibus erga Deum, & quid à Deo hominibus erit retributum; & ita est Norma officii & judicii: Ideóque Legis nomen est maximè comprehensivum.

11. Qui dicunt Legem Mediatoris seu Gratiæ, pœnam nullam peculiarem peccatoribus minari, falluntur & fallunt. Post opus Redemptionis & fœdus Gratiæ jam factum, ubi sub conditione fidei jus salutis & regni cœlorum omnibus conceditur, *Non-liberari, non justificari, non habere Spiritum Sanctum, Deo non reconciliatum esse, non adoptatum, non hæredem esse Regni, Communione cum Deo, Christo, sanctis non frui*, exterisque sanctorum privilegiis carere, revera sunt *pœnæ peculiares*; Jam enim *Privationes* sunt, quæ si Redemptor mundo non datus esset, meræ *Negationes* fuissent. Quis etiam Christianus negabit Gratiæ Evangelicæ contemptum, infidelitatem, & impœnitentiam pœnis severioribus etiam ex ipsius Legis Christi tenore seu comminatione fore punienda ?

12. Falluntur etiam qui opinantur Gratiam minùs gratuitam esse, quia per Gratiæ Legem sub conditione fidei & consensus jus ad impunitatem & vitam nobis conceditur; aut conditionem hanc supponere sine Christi gratia eam ab hominibus præstandam esse, & aliter non esse verè conditionem. Sine Gratiâ Christi Lex Christi nihil à nobis præstandum requirit. Gratia autem per media à Deo sapientissimo instituta conferenda est: Idem quippe Gratiæ largitor qui interiùs per Spiritus sancti efficientiam hyperphysice eam in animâ operatur, per media externa moralia simul eandem operabitur. Præcepta autem promissiones conditionales, cum comminationibus, quibus peccatores sui amantes, intellectuales & libere agentes, ad officia præstanda, gratiam amplectendam, & miseriam devitandam congruè moverentur, Deus optimus & sapientissimus media moralia Gratiæ communicandæ aptissima esse judicavit.

13. De *Lege Morali* (sic dictâ) non paucæ nuper controversiæ agitantur. An scilicet Lex moralis sit Lex Christi. Et an omnis Lex Christi sit moralis. Quid intersit inter Gratiam & Moralitatem, &c. De quibus scripto Anglicano nuperrime (cum aliis) sententiam meam declaravi: Hîc igitur plurima præteriens hæc pauca tantùm observanda propono. Lex aliquando dicitur *Moralis* quia de *Moribus* seu officiis humanis loquitur: & ita omnis Lex *Moralis* est. Aliquando autem *Moralis* hic idem significat quod *Naturalis*: Et de Lege Naturali satis antea tractatum est. Ita etiam *Moralitas* aliquando sumitur pro *officio* humano vel *peccato*; & dividitur in *Bonum Morale* & *Malum*; unde *Ethica à Physica* seu merâ naturalitate distinguitur. Quandoque verò sumitur pro parte illâ Moralitatis quæ sine Revelatione supernaturali ex mero naturæ lumine cognosci potest, aut à Philosophis, E. g. in Ethica Aristotelis & aliorum, traditur. Amotâ autem nominis ambiguitate quid restat quod inter Christianos cordatos est verè controversia? Quo magis culpandi sunt rixosi Theologi, qui ex nominis ambiguitate quod explicare negligunt, invicem opprobria jaculantur, & ignarum vulgus calumniandi artem improbam ita docent. Qui verò Christi Evangelium temnentes aut obiter & cursorie tantum prædicantes, nil fere præter Philosophorum Ethicam, seu Religionem mere naturalem auditoribus inculcant, concionatores Christiani, seu Christi Ministri vocari vix merentur.

14. Objiciunt autem infideles; [*Christus se Regem aut Judicem fieri noluit, & Regnum suum hujus mundi non esse affirmavit. Ideoque solum Doctor, non Legislator dicendus est.*] *Resp.* 1. Se Regem per homines fieri noluit; multò minùs Regni alicujus particularis, utpote qui Rex universalis per Deum ipsum jam factus erat: Psal. 2. Eph. 1. 22, 23. Joh. 17. 2. Mat. 28. 19, 20, &c. 2. In formâ servi & statu humiliationis mundanam gloriam sibi sumere noluit; neq; Regnum mundanum personaliter post Resurrectionem suam administrare: In statu verò Gloriæ cœlestis, nomen habet supra omne nomen, & caput sit super omnibus Ecclesiæ. 3. Ante & post Incarnationem per spiritum suum in Prophetis & Apostolis, & Incarnatus ipse in terris ore proprio Legem Gratiæ vere tulit, & promulgandam seu prædicandam ministris suis commisit, cui ab omnibus ad finem usque seculi sub pœnâ damnationis obediendum est, Mat. 28. 19, 20. Omnes itidem juxta Legis Gratiæ illam editionem sub quâ vixerunt, ut Judex universalis citò judicaturus est. Cætera in Tabulâ ipsâ satis clara videntur.

CAP.

CAP. VIII.

De EVANGELIO in triplici Formulâ, & I. Contractiſſime in FOEDERE SACRAMENTALI.

Ubi I. De ipſo FOEDERE: II. De MODIS. Et I. De BAPTISMO. II. COENA DOMINI.

EVANGELIUM continetur
- I. Contractiſſimè; in Fœdere Sacramentali; 1. Baptiſmatis: 2. Cœnæ Domini: ubi Religionis *Eſſentialia.*
- II. Latiùs; in tribus ſummulis; 1. Symbolo fidei. 2. Oratione Dominica. 3. Decalogo: ubi neceſſaria *Integralia.*
- III. Latiſſimè; in ſacris Scripturis Canonicis; ubi etiam Minora & *Accidentalia.*

De FOEDERE obſervanda ſunt

I. PARTES contrahentes quæ ſunt
- I. DEUS
  1. PATER, Offenſus-juſtus-miſericors, quoad pretium Reconciliatus.
  2. FILIUS; Chriſtus Redemptor; Qui ſalutem humanam pretio impetravit.
  3. SPIRITUS SANCTUS; Author conceptionis Chriſti, donorum Apoſtolicorum, & ſanctitatis fidelium.
- II. HOMO Rationalis. 1. At Peccator. 2. Et filius mortis. 3. Sed ſalvabilis, & Redemptus. Qui fatetur 1. Se Peccatorem eſſe. 2. Et Reum miſeriæ ſempiternæ. 3. Sine alio ſalvatore.

II. FOEDUS ipsũ: (Quod & Religio & Fides Chriſtiana quoad eſſentialia)
- I. Ex parte Dei, ubi
  - I. ACTUS: Qui ſunt
    1. OBLATIO fœderis cum beneficiis, & *Obligatio* ad conſenſum ſub pœnâ.
    2. STIPULATIO: vel conſenſus ipſius peccatoris *Poſtulatio.*
    3. TRADITIO præſentium, & PROMISSIO futurorum fœderis Beneficiorum.
  - II. OBJECTUM, *viz.*
    1. STIPULATIONIS; eſt idem quod Humanæ Promiſſionis, poſtea deſcriptæ.
    2. OBLATIONIS, TRADITIONIS, PROMISSIONIS eſt
       1. DEUS Relatione, ut fœderatus.
       2. Relationis fructus, *viz.*
          - I. Deus Pater erit actu reconciliatus-Amator, *viz.* Principium, Dirigens, Finis.
          - II. Filius Redemptor erit Caput-Mediator, actu ſalvator, quoad applicationem, *viz.*
            1. Dominus populi peculiaris, poſſidendi, utendi, protegendi.
            2. Rector ad fœderatos 1. erudiendum, 2. imperandum, 3. judicandum, *i. e.* juſtificandum.
            3. Benefactor qui donabit 1. Spiritum ſanctum, 2. Pacem cum Deo, 3. Pœnarum remiſſionem.
          - III. Spiritus ſanctus erit, 1. Vita, 2. Illuminator, 3. Sanctificator (ad Amorem, &c.)
  - III. FINIS, qui OBJECTUM REMOTUM eſt.
    1. Liberatio ab ipſo Peccato ad ſanctimoniam.
    2. Liberatio à Diſplicentiâ Divinâ, ad ejus Complacentiam ſeu Amorem æternum.
    3. Liberatio à pœnis Legalibus ſeu poſitivis, ad ſummam & æternam Gloriæ fœlicitatem.

II. Ex

II. Ex parte HOMINIS ; ubi etiam obſervanda ſunt

I. ACTUS.

viz.
1. ASSENSUS Intellectûs ; Fides dicta in ſenſu arctiore.
2. CONSENSUS Voluntatis ; Fœderationis actus principalis.
3. DEDITIO actualis , ſeu FIDUCIA PRACTICA per potentiam executivam.

II. OBJECTUM ſeu MATERIA horum Actuum ; *viz.* OBJECTUM FOEDERALIS

I. ASSENSUS, *viz.* 1. DE VERITATE Articulorum, 2. DE BONITATE rei, 1. In ſe, 2. Relative ad nos.

I. DEUM eſſe
- 1. In ſe
  - 1. Subſtantiam, 2. Vitam, 3. Perfectiſſimum.
  - 1. Omnipotentem, 2. Omniſcium, 3. Optimum.
  - 1. Patrem, 2. Verbum-filium, 3. Spiritum ſanctum.
- 2. Relative
  - I. Ad omnia
    - 1. Cauſam efficientem primam ex quo
    - 2. Cauſam primam dirigentē per quem
    - 3. Cauſam ultimam finalem ad quem

    } ſunt omnia.
  - II. Ad hominem ſpecialiter,
    - 1. Dominum abſolutum , ad habendum, diſponendum, utendum.
    - 2. Rectorem ſupremum , ad docendum, Imperandum, Judicandum.
    - 3. Benefactorem ſummum, & Finem Amabiliſſimum.

II. Chriſtum eſſe Deum-Hominem, mundi Redemptorem, per ſacrificium, meritum, & interceſſionem ; & inde de jure Dominum, Rectorem, Benefactorem: Qui verè credentes liberabit 1. A peccato, 2. A diſplicentiâ Divinâ, 3. A pœnis Legalibus.

III. Spiritum Sanctum eſſe Deum ; Authorem ſacræ ſcripturæ, & miraculorum atteſtantium ; Credentibus Principium intus operans, 1. Vitale, 2. Illuminativum, 3. Amoris ſeu ſanctitatis.

2. Item Deum Fœdus hoc cum hiſce beneficiis mihi jam offerre ; & paratum eſſe Conſentienti donando tradere ; & fidelibus promiſſiones præſtiturum. Hi ſunt Aſſenſus Articuli.

II. CONSENSUS,

- I. Quoad terminū à quo: *viz.* Liberatio
  - 1. Ab ipſo Peccato, per Spiritum ſanctificantem.
  - 2. A Divinâ diſplicentiâ per Amorem Reconciliatum.
  - 3. A pœnis etiam Legalibus per Chriſti ſacrificium, meritum & interceſſionem.
- II. Quoad Terminum ad quem.
  1. Deum hunc ſolum mihi futurum eſſe Deum ; Dominum, Regem, Patrem-amatorem : & me fideliter futurum illius Peculium, ſubditum, & filium-amatorem.
  2. Chriſtum hunc ſolum mihi futurum ſalvatorem ; Dominum, Regem, Amicum : & me Redemptum ejus Peculium, Diſcipulum-ſubditum, Salvatum.
  3. Spiritus ſancti Doctrinam Evangelicam operibus ejus confirmatam me accipere : & ipſum recipere, ut Vitæ, Luminis, & ſanctitatis ſeu Amoris authorem.

III. DEDITIONIS ſeu FIDUCIÆ PRACTICÆ objectum eſt
1. Ipſa PERSONA fœderata primariò Deo dicata ; cum ſuis omnibus concomitanter.
2. Peccata, pœnitentiâ verâ ſincerè deſerenda ; & conatu ſincero mortificanda.
3. Peccati cauſæ, Caro, Mundus, Diabolus, ut Dei & noſtri Inimici, renunciandæ.

Plura de hiſce vide Cap. 11. in Anatomiâ fidei.

III. MODUS CONTRAHENDI fœdus, eſt
1. Privatus.
2. Solemnis: *viz.* per ſacramentum
   1. Baptiſmi vel initiationis.
   2. Cœnæ Domini ſeu Confirmationis & Communionis.

De quibus in ſequentibus.

Eluci-

Elucidationes.

§. 1. FOEDERIS nomen in sacris literis 1. Legem statutam, seu dispositionem aut constitutionem aliquam Divinam sæpe significat: & ita διαθήκη sæpe sumitur. (Vid. Grotii Præfat. in Annot. in N. Test.) 2. Non raro etiam *Promissionem* aliquam *Divinam* significat. 3. At sæpe etiam contractum, ex mutuâ promissione: Et de fœdere hoc mutuo jam nobis differendum est.

2. Quoniam autem fœderis Beneficia à Deo Benefactore gratis donantur, & consensus noster fœderalis cum obedientiâ à Deo Rege præcipiuntur, idem illud quod ex mutuo consensu proprie FOEDUS dicitur, essentialiter etiam est *Lex* & *Donatio*: & per conceptus hosce inadæquatos res verè intelligenda est.

3. Non semel prius monitum est; 1. Promissionem absolutam de salvatore mundo donando, 2. Et Legem Redemptionis Christo impositam cum promissione præmii, *fœdera Gratiæ* dici posse, & sæpe dicta esse. At 3. Cum *Fœdere hoc mutuo Evangelico* inter B. Trinitatem & Peccatorem credentem, non esse confundenda.

4. Fœdus hoc Evangelicum (Baptismate primo celebrandum) est RELIGIO CHRISTIANA; ejus quippe *totam Essentiam* in vero sensu suo continet & *partes integrales* aut antecedentes, aut secuturas supponit.

5. Ubi *Fœdus hoc prædicatur*, verè intelligitur & recipitur, ibi prædicatur, intelligitur & recipitur Evangelium & Christianismus: Quod factum fuit, pluribus annis ante N. Testamentum Literis mandatum.

6. Apostolorum, Evangelistarum & aliorum concionatorum opus fuit, hoc fœdus peccatoribus in Christi nomine offerrre, eosque ad sincerum assensum & consensum & fiduciam adhortari, Prophetias & historias præsuppositas & confirmantes simul prædicantes.

7. Sacrarum literarum hoc fœdus est quasi medulla; cujus partes earum cæteræ sunt integrales vel quasi accidentia.

8. Christi ipsius & Apostolorum *Miracula* (non primo *sacras literas nondum existentes*, sed) *Evangelium prædicatum*, viz. *hoc fœdus explicatum*, cum sacra historiâ & præcognitis, *primo* obsignarunt: deinde verò idem fœdus quà literis mandatum; & denique consequenter totum sacrarum Literarum Canonem.

9. Vera fidei justificantis & salvificæ descriptio est, Quod talis sit doctrinæ Evangelicæ Assensus, qui *Fœderi huic consensum fiducialem* generat.

10. Fœderis hujus tres partes, Fiducialis *Assensus*, *Consensus*, & *Praxis*-promissa, in tribus summulis, viz. *symbolo fidei*, *Precatione Dominica*, & *Decalogo* per Christum edito & explicato, ab Ecclesiâ ut expositæ, receptæ sunt & nobis traditæ.

11. *Christo actu* obedire non est pars fœderis ut primo facti, sed obedientiæ *votum* ejus pars est. Ipsa obedientia autem consequens est *fœderis præstatio*.

12. Non omnes sincere fœderati æquè clarè & distinctè fœderis doctrinam intelligunt, neque eodem firmitatis gradu consentiunt: At fœderis partes essentiales saltem confusè sunt intelligendæ, & consensus sincerus necessariò præbendus est.

13. Quicunque huic fœderi sincere consentit, & Deo Patri, Filio, & Spiritui sancto se devovet, is statim jus recipit unionis cum Christo, remissionis peccatorum, Adoptionis hæreditatis celestis, & auxilii Spiritus sancti: Ad horum autem beneficiorum continuationem, incrementum, & ad ipsam Glorificationem, fidei & consensus continuatio, fœderis præstatio, perseverantia & victoria necessariæ sunt.

14. Cum fœdus hoc dicitur *Conditionale*, sensus est, ejus plurima beneficia sub conditione (prius dictâ) donata esse.

15. Qui fœdus hoc conditionale esse negant, Evangelium corrumpunt, & nisi

do

de verbis male intellectis litigarent potiùs quam de re, id fere ſubverterent.

16 Inanem reddunt rationem, dicentes *Conditionis* nomen quiddam ex viribus noſtris præſtitum ſignificare : omne enim opus humanum eſt virium noſtrarum opus : At vires nobis nullæ ſunt niſi à Deo libere donatæ. Conditio autem ut requiſitum in Lege, ſeu fœdere, eſt *Lex addita negotio eventum ſuſpendens donec præſtetur*, ut eam deſcribunt Juriſtæ : Præſtita autem impedimentum removet.

17. Nos autem non omnem Dei Gratiam ſub conditione datam eſſe ſomniamus : Univerſalem quippe plurimam abſolute datam prius fuſe aſſeruimus : Promiſſio Redemptoris, ipſe Redemptor, Evangelium, Apoſtoli, Fœdus conditionale oblatum, &c. abſolute donata ſunt. At quamvis hæc *Fœderis* largius aut aliter ſumpti dona dici poſſint, non ideo fœderis baptiſmalis natura obſcuranda eſt ; aut fœdera Dei diverſa confundenda.

18. Etiam ea quæ decreto immutabili Deus liberrime dare ſtatuit, ſub conditione tamen Lege Gratiæ inſtitutâ, ſapientiſſime confert ; Quo cum homine agat juxta naturam ejus, & rationabiliter & libere agentes, congrue ad ſua officia præſtanda, ut & beneficia recipienda, moveat.

CAP. IX.

De *MODIS Fœderandi* : & I. De *BAPTISMO.*

MODUS fœderandi BAPTISMALIS conſideratur vel ex parte

I. DEI :

- I. Internus : Qui eſt 1. Conſenſum hominis Authoritate imperare, 2. Sapientiâ ſuadere, 3. Amore trahere.
- II. Externus modus eſt per inſtrumenta ; *viz.*
  - I. Per EVANGELIUM, ubi
    1. Fœdus ipſum clare deſcribitur.
    2. Sacramentum Baptiſmi inſtituitur ; & miniſtrorum mandatum conſcribitur.
    3. Ipſa Donatio Divina inſtrumentalis authentica continetur.
  - II. Per Miniſtrum Baptiſmatis ; Cujus eſt in Dei nomine & per ejus mandatum
    1. Ipſum fœdus cum Gratiâ fœderis offerre.
    2. Stipulari : id eſt
       1. Fidem, conſenſum & deditionem interrogando, poſtulare.
       2. Reſponſum, id eſt profeſſionem & promiſſum fidei, conſensûs deditionis accipere.
    3. Conſentientem Profeſſorem & Promiſſorem Baptizare.
- III. Per SIGNA, *viz.*
  - I. Materiale : Aquam : Quæ
    1. Sanguinem Chriſti mundantem,
    2. Gratiam Spiritus ſancti purificantem & vivificantem,
    3. Reconciliationem Patris beatificantem

    ex inſtituto ſignificat.
  - II. Actiones : ubi ſunt
    - I. Receptio Miniſterialis ad & per Baptiſmum : Quæ, 1. Significat, 2. Obſignat, 3. Inveſtiturâ moraliter exhibet, [*Deum recepturum* pœnitentem fidelem, devotum, ad unionem & ulteriorem Communionem, cum Patre reconciliato, Filio Capite, & Spiritu ſancto inoperante, ut ſuum, ſubditum, amicum : & ad unionem & communionem Eccleſiæ univerſalis.]
    - II. Aquæ applicatio per immerſionem ſignificat Baptizatum acceptari ceu credentem in Deum Patrem, Filium & Sp. ſanctum, & in ſanguine, morte & Reſurrectione Chriſti ; & & ut Pœnitentem, carni, mundo & peccato, deſiderio & propoſito mortuum & ſepultum.
    - III. Receptio ablutiex ſurgentis, 1. Significat, 2. Obſignat, 3. Per inveſtituram tradit baptizato Deum ipſum, Partem, filium, Sp. ſanctum, ut ipſius Deum Patrem, Caput, Vitam ; ut Dominum, Rectorem, Amicum ; in Unione præſente, ad Amorem, Gratiam & Communionem futuram ; una cum præſenti peccatorum remiſſione, & jure ad ſanctorum Communionem & ad Gloriam ſempiternam cum Chriſto & Eccleſia triumphante.

II. HO-

II. HOMINIS; ubi

- I. Fœderatio Interna, neceſſaria coram Deo, conſideratur quoad
  - I. Actus: ubi neceſſarium eſt,
    1. Ut ſit conſenſus Intelligentis (planè Ignorantis conſenſus nullus eſt.)
    2. Ut ſit Voluntarius ſeu ſerius conſenſus; & non verba ſine corde.
    3. Ut ſit Actualis Deditio; & non Velleitas inefficax.
  - II. Objectum: ubi neceſſe eſt
    1. Ut Totam-Eſſentialem Fidei ſummam credamus.
    2. Ut Totum-Eſſentiale fœderis Bonum conſentiendo accipiamus.
    3. Ut nos totos (Eſſentiales ſaltem, & Integrales, & omnia noſtra conſequenter) Deo dedamus.

    Et ita ut totum Peccati corpus renunciemus.
  - III. Modus neceſſarius eſt
    1. Ut fiat ſincere, id eſt, ex voluntatis propoſito Dominante.
    2. Ut ſit de præſenti, & non tantum de futuro (ut Matrimonium differt à promiſſione matrimonii)
    3. Ut ſit de futuro etiam, ad finem vitæ, ut abſolutum ad conſtantiam vinculum ſine Reſervatione.
- II. Fœderatio externa neceſſaria coram Eccleſia, eſt INTERNÆ prioris Profeſſio per ſigna, *viz.*
  - I. Per Verba: ubi
    1. Neceſſaria ſunt tantum Verba intelligibiliter conſenſum ſignificantia.
    2. Optima autem ſunt, 1. Antiqua & recepta, 2. Plena, 3. Clara.
  - II. Per Actiones ſignificantes, ubi
    - I. Sui oblatio ad Baptiſmum ſignificat Deſiderium & Conſenſum profeſſum fœderis ineundi.
    - II. Immerſio profeſſio eſt, ſe credere in Chriſtum crucifixum, ſepultum & reſuſcitatum: & voto pœnitentiali ſe mortuum & ſepultum eſſe carni, mundo & peccato.
    - III. Emergendo & exſurgendo profitetur, per fidem in Chriſtum Crucifixum & reſuſcitatum ſe reſurgere à morte peccati & irâ Dei, & condemnatione Legis, ut novam Creaturam renatam, ad novam vitam ſanctitatis, Adoptionis & Juſtificationis; ut actu jam devotum Patri, Filio & Sp. ſancto, ut ſuum, ſubditum, filium amatorem; & ſe communionem habiturum cum Eccleſiâ univerſali cui inſeritur.

Per totum Baptiſmum autem Baptizatus Sacramentaliter fœdere recipit Deum Patrem, filium, & Spiritum ſanctum in Relationibus & ad fines fœderis, cum beneficiis fœderis jam donatis: Et ſeipſum Deo dedit, vovet, obligat, in correlationibus ad eoſdem fines, & ad officia ad fines eos neceſſaria obeunda.

Elucidationes.

1. QUi Baptiſmum definiunt omiſſo fœdere, eum verè non definiunt. Baptiſmus enim eſt ſolemnis Dei & Hominis fœderatio (Dei ſc. *conferentis* & Hominis *recipientis*) ſub *ritu* & *formulâ* ablutionis, & fidei in Deum Patrem, Filium & Sp. ſanctum, cum conſenſu fiduciali profeſſionis, & practicæ deditionis.

2. Quamvis Fidelium Infantes jure Divino ſunt baptizandi, baptiſmus tamen potius deſcribendus eſt ut ab adultis fœderatoribus recipiendus: 1. Quia in perfectiſſimâ ejus adminiſtratione pleniſſime deſcribitur, & clariſſime ejus finis & uſus intelliguntur; ſicut Anatomia clariùs in animali adulto quam in embryone celebratur. 2. Quia etiam in baptiſmate infantili partes eædem quæ in adultorum

baptismate fere à parentibus seu pro-parentibus, partim liberorum gratiâ quo baptismatis jus habeant, & partim eorum nomine celebrandæ sunt. Jus enim baptismatis non illis obvenit quà hominibus, nec quà mere (cum toto mundo) redemptis: Aliter omnes etiam infideles eorumque liberi baptizandi essent: Quod nunquam agnovit ecclesia Christiana. Neque ex S. Literis constat nisi fidelibus eorumq; liberis (aut ex generatione aut adoptione, aut saltem vere propriis) jus baptismatis ulli à Deo concessum esse. Qui vere coram Deo jus baptismatis habent, etiam jus habent ad peccatorum remissionẽ, justificationem, Spiritum sanctum & regnum cœlorum. Sin autem totius mundi infantes jus habeant ad justificationem, Sp. sanctum & glorificationem si modo baptizentur, vix crederet sobrius aliquis eos etiam hæc omnia non possessuros sine baptismate, quando ex eorum culpâ aliquâ non stat quo minus baptizati erant. Neque credendum est Deum misericordem post eorum redemptionem tot infantum millia damnaturum, ex mero defectu ceremoniæ seu solemnizationis baptismalis, ipsis etiam naturaliter omnino impossibilium.

3. Apostolus etiam clare asserit, 1 Cor. 7. 14. Nisi parens infidelis per fidelem sanctificatus esset (quo semen sanctum ex illis oriatur) eorum *liberos immundos futuros* esse (id est, non sanctos & ecclesiæ membra) *jam vero esse sanctos.*

4. Duobus jamjam disputationibus linguâ Angl. exaratis plenè probavi Deum infantes quasi parentum fere partes eodem loco seu ejusdem conditionis statu habere quo parentes, quantum ex fœdere ejus nobis patefactum est: & plurimas in S. Literis extare promissiones de speciali Dei favore erga liberos fidelium quæ de aliorum salute nullæ factæ sunt.

5. Quia Infantum jus baptismale scriptis Anglicanis jamdudum propugnavi, operi illi hîc supersedendum duxi.

6. Qui omnes Infantes per Christi sacrificium & meritum à peccato originali liberatos esse opinantur, absolute sc. sine ullâ conditione ad remissionem prærequisita, non tamen eis jus obvenire cœlestis hæreditatis, 1. Medium fingunt statum viatorum, inter filios mortis & filios vitæ æternæ, id est, inter filios diaboli seu irregenitos, & filios Dei seu regenitos: 2. Statum medium etiam vitæ futuræ fingunt, inter damnatos & glorificatos, eumque sempiternum. Qualis autem ille status sit, aut ubi, aut unde esse probatur, se omnino nescire, fateri coguntur. 3. Ex manente etiam peccato originali sc. naturæ pravitate in adultis prius baptizatis, hi experientiâ confutantur. Non plenè etenim à peccato liberantur, qui illo adhuc inquinati sunt & debilitati. 4. Male etiam & fidem parentum & baptismum ad peccati originalis ablutionem non-necessaria fingunt. 5. Immò & adultorum baptizandorum fidem & pœnitentiam ad usum hunc non-necessario male opinantur, utpote sine quibus jam diu à peccato originali liberatos eos esse asserunt: (nisi forte peccatum illud remissum & mortuum redire & revivisscere existiment: Et quando hi adulti convertuntur & baptizantur, eorum peccatum originale bis remissum, & mortificatum esse.)

7. Qui omnes Infantes per Christum & à peccato originali liberatos & regni cœlestis hæredes absolute factos esse asserunt, 1. Sine S. Scripturis hæc fingunt, 2. Et contra scripturas: 1. *Adultis* quippe per fœdus gratiæ fit *omnis peccati* remissio quando credunt & baptizantur, si priùs fuêre infideles non-baptizati: Ergo eorum peccatum originale non à nativitate eis remissum erat, multo minùs plene abolitum. 2. Contra infidelium infantes plurima extant in S. Literis pœnarum denunciationes; ergo in hoc statu peccatum originale eis non plene aut actu remissum est, multo minus regni cœlestis fiunt hæredes. 3. Omnis remissio pœnæ infernalis, omnis justificatio, adoptio, & regni cœlestis donatio in S. Literis memorata, quæ aut universalis est aut fidem & omnem ex parte nostrâ conditionem antecedens, est mere conditionalis: Absoluta antecedens nullibi invenitur; conditione igitur non præstitâ nullius est actualis justificatio aut adoptio. 4. Quorsum infantum fieret baptismus si sine baptismo omnes certo liberati erant? (Quod Augustinus sæpe contra Pelagianos urget). 5. saltem nullum fieret Infantum discrimen

discrimen ante baptismum, nec fideles potius quam infideles baptizandi; & non baptizati æque justificati essent.

8. Qui solum actum & receptionem baptismatis faciunt remissionis & salutis infantium conditionem, nimis facilem fingunt quibusdam, & incredibiliter duram (ut jam dictum est) viz. impossibilem plerisque. Neque credendum est si milites Americanorum aut Tartarorum infantes mille vi ad baptismum raperent, eos hinc glorificandos esse, cæteros autem damnandos qui in militum manus non inciderunt: aut claves regni cœlorum ita positas esse in militum aut uniuscujusque potestate, ut quoscunque ad baptismum rapere possint, ii certò salvandi forent; Quod si verum crederetur, non facile crederem Deum misericordem hos milites ideo puniturum, quia parentibus invitis vi & armis infidelium liberos abripiebant, quo per baptismum gloriæ cœlestis fierent hæredes: Neque bellum ullum honestius & utilius judicarem, quam quo, ad plurimos infidelium liberos ita salvandos tale facinus perpetratum esset.

9. Quæro etiam an fides (seu fidei professio) offerentis seu sponsoris necessaria est, ad salutarem infantium baptismi receptionem? Si non, tunc aut infidelis in ecclesiâ ut sponsor credendus est (quod inter Christianos inauditum est) aut nullus omnino sponsor est necessarius; (sine quo tamen Ecclesia Anglicana infantem nullum baptizandum judicat.) Sin autem sponsorem seu parentem esse fidelem necessarium sit, quo infanti jus baptismatis obveniat, sequitur quæsitum, scil. Infantes non quà mere redemptos, sed etiam quà fidelium parentum aut pro-parentum liberos baptizandos esse.

10. Qui vere baptizatur, fit fœderatus, & vel realiter vel imputatione fœderi consensum præbere ab ecclesiâ judicatur. Infantes autem non actu consentiunt: & nullius consensus ipsis imputatur, nisi ejus qui jure eos repræsentat, aut jure eorum nomine uti, eosque promittendo obligare potest. Quod autem non parentes solum naturales & adoptantes, aut proprietarii, sed unusquisque etiam Christianus qui pro infante spondere in se recipiet, hoc jus habeat eum repræsentandi, & obligandi, & consensum talem præbendi qui infanti jure divino imputabitur, ex S. literis adhuc nunquam probatum ego vidi.

11. Adultis baptizandis adeo necessaria est fidei & consensus sinceritas, ut eâ absente, ex baptismo jus nullum oritur ad remissionem aut salutem; nulla quippe nisi sincerè credentibus & consentientibus ejus promissio in verbo Dei invenitur. Ex hypocriticâ igitur professione *Parentis* aut *sponsoris*, quæ ad propriam salutem minimè conducit, non potest *infanti* jus illud oriri. Cùm vero non *quà homini*, nec *quà mere redemto*, sed quà *sincere credenti*, aut *credentis filio*, jus salutis ex fœdere Divino donatur, sequitur nemini ex fidei professione hypocriticâ jus illud obtingere.

12. Coram ecclesiâ tamen utpote cordis secreta nesciente, baptismum externum recipiendi jus datur, ex professione objective verâ quamvis subjectivè hypocriticâ: & qui consentire videntur, reverâ consentire (judicio non certò sed probabiliter judicante) æstimandi sunt: Unusquisque enim sub Deo sui ipsius cordis scrutator est: Et ex hypocrisi sibi ipsi damnum obtigit, & unumquemq; vult Deus, suæ salutis esse aut electorem aut recusatorem, quoniam ipsius erit aut præmium aut pœna.

13. Dum Papistæ inter se litigant an ex opere operantis, aut ex opere operato jus ad baptismi beneficia oritur, nescire aut oblivisci nonnulli videntur, magis ex fide & deditione baptizati, aut propriâ aut imputatâ jus illud oriri: Baptismus quippe non primò jus confert, sed illud per investituram solenniter tradit. Promissio seu Testamentum Christi est juris nostri fundamentum, cujus baptismus est executio quædam & obsignatio.

14. Seminis fidelium propria aptitudo hujus juris recipiendi (quæ ratio promissionis dicitur) in hisce constat: 1. Quod cùm naturaliter parentum fere partes sint, iisque charissimi, Deus sanctorum summus amator, gratiâ parentum eos amat (sicut constat in plurimis S. Literarum promissionibus): 2. Quia sancti

omnes seipsos & sua omnia Deo absolute devovent: Ideoque ex parentum ipsâ sanctitate eorum Liberi quantum in ipsis est, Deo devoti sunt: Quodcunque verò Dei ipsius mandato ei devotum est, proculdubio ab eo acceptum est. Modus autem hujus dedicationis est fœderatio: sicut Deut. 19. & passim patet: Parentum quippe est (potiùs quàm aliorum) Deo Infantes suos fœderatione solemni tradere & obligare. 3. Quia cum Infantes ipsi neque credere possunt neque consentire, jure naturali Parentum Voluntas quasi ipsorum esset, pro eis bonum eligere potest: sicut in contractibus & societatibus humanis, Parentes pro liberis suis (etiam nondum natis) contrahunt, eosque ad conditiones præstandas obligant, dummodo in eorum non damnum sed commodum fiat. Sin autem ad malum parentes liberos obligare vellent, quando adolescunt eos dissentire fas est: Et si fœdus baptismale in Infantum factum esset injuriam, ut adulti id repudiarent par esset.

15. Sicut sub fœdere innocentiæ seu naturæ Deus generationi humanæ benedixit, & semen Adami (ipso perseverante) ut sanctum accepturus erat; Ita & sub promissione & fœdere Gratiæ probari non potest Deum unquam Ecclesiam habuisse, cujus fidelium infantes non fuêre membra, (quamvis ex naturali imperfectione imperfecta), id est, Deum unquam eos ab Ecclesiâ suâ exclusisse. Constans quippe fœderis Gratiæ hic tenor fuit; [*Ego ero Deus tui & seminis tui in eorum generationibus fœdus meum observantis.*] Ingrati igitur sunt qui tale Infantium beneficium negligunt aut recusant.

16. Quandoquidem sub promissione, fidelium infantes fuêre Ecclesiæ membra & fœderati, quis credat Christum, qui incarnatus gratiam dedit uberiorem, eos omnes ab Ecclesiâ suâ exclusisse?

17. Quoniam per solam infidelitatem ipsi Judæi sunt abscissi, hinc patet Judæos fideles & consequenter eorum liberos nunquam fuisse abscissos.

18. Sin autem qui Infantes jure baptizantur, postea adulti non sincerè fœderi consentiunt, beneficiorum fœderis salutarium jus omne amittunt.

19. Hinc maximum obvenit Ecclesiæ detrimentum, quod sub ceremoniâ formalis cujusdam confirmationis (immo & sine illâ) post baptismum infantile sine seriâ fœderis renovatione, tacitè aut ignorantes, stupidi, aut planè impii adulti ad sacra recipiuntur: cum non minore *fidei* & resipiscentiæ seriâ professione, ab adultis fœdus renovandus sit, quàm si adulti primò baptizandi essent.

20. Baptismi etiam præteriti maximus fidelibus usus est: *viz.* I. Ex fœdere baptismali natura fidei justificantis, & salutaris innotescit: *viz.* Quod non est, tantum credere nos justificatos esse, aut Christi justitiam quâ justificemur recipere, sed fideles pœnitentes nosmet totos Deo Patri, Filio & Spiritui sancto dedere, & fœderis beneficia cum Christo gratis data grato animo omnia acceptare.

II. Religionis Christianæ essentialia hinc etiam innotescunt; in Baptismo quippe benè intellecta ea omnia continentur.

III. Hinc etiam veræ Conversionis innotescit ratio: quippe nil aliud est quàm eadem illa resipiscentia, fides & consensus quæ in fœdere baptismali profitenda sunt.

IV. Christianorum visibilium, indeque unionis Ecclesiasticæ tessera est seu symbolum: Verè baptizati quippe Christiani sunt, & ut Christiani amandi, & ad communionem recipiendi, dummodo fœderi consensum constantem profiteantur, & neque dictis, neque factis hanc professionem invalidam seu incredibilem reddant.

V. Hinc Schismaticorum plurimorum finiendæ lites sunt: Cum alii sanctitatis altioris professionem ut ad communionem necessariam requirunt; alii autem suis dogmatibus tum plurimis tum dubiis & non necessariis assensum: alii denique dominio seu regimini usurpato, etiam in plurimis inutilibus, immo malis, subjectionem juratam seu promissam obedientiam: hi omnes Schismatis authores sunt; at in baptismali fœdere Ecclesia unienda est. Objectiones Schisma-

Schiſmaticorum facilè ſolubiles, refellere hic non eſt locus. Hoc ſolum moneo; ſicut non jus civitatis, ita nec jus communionis eccleſiaſticæ, per omnem errorem, inobedientiam aut peccatum amitti.

21. Per baptiſmum fide ſincerâ recipientis (aut perſonali aut imputatâ) celebratum, peccati pœna infernalis & deſtructiva remittitur; non autem *pœna omnis caſtigatoria* temporalis, ſicut nec ſanctificatione perfectâ peccatum ſeu pravitas originalis perfectè expurgatur.

22. Quanquam hypocrita ſeu apoſtata non iterum baptizandus eſt quando reſipiſcit, fœdus tamen pœnitens renovare debet, & qui poſt baptiſmum carnaliter & impie vixerunt, non niſi poſt pœnitentiam ſunt abſolvendi, aut ad Eccleſiæ S. communionem recipiendi.

23. Qui morte inopinatâ aut parentum piorum ignorantiâ ſeu errore, aut ex opportunitatis defectu baptiſmo privantur, non ideò fœderis ejuſque bonorum jus amittunt.

CAP. X.

II. De *SACRAMENTO COMMUNIONIS vel COENÆ DOMINICÆ in ſpecie & exiſtentiâ.*

Obſervanda ſunt, De Specie

I. EFFICIENS, CHRISTUS MORITURUS, Sacramentum de ſpecie inſtituit (ut & primum individuum tradidit.)

II. FINIS.
- I. Proximus, *viz.*
  - 1. In Genere; ut CHRISTI CRUCIFIXI Præſentiæ vicem ſuppleret communicantibus.
  - 2. Specialiter, ut ab ipſo Inſtitutum
    1. Signum *commemorativum*, ad Intellectûs juſtam apprehenſionem.
    2. Signum *fœderativum*; ad Voluntatis *profeſſionem* & ſui *obligationem.*
    3. Signum *Tradens*; 1. Per Inveſtituram ex parte Dei, 2. Et ſui Deditionem ex parte Hominis.
- II. Remotior
  - 1. Ad perſonale
    - 1. Exercitium,
    - 2. Profeſſionem,
    - 3. Incrementum

    1. Fidei, 2. Spei, 3. Amoris & 1. Pœnitentiæ, 2. Obedientiæ, 3. Patientiæ.
  - 2. Ad Eccleſiæ in hiſce
    1. Publicam Profeſſionem ſolemniter faciendam.
    2. Conſignationem, ut ab exteris diſcriminatæ.
    3. Communionem ſanctam fraternam, & conteſſerationem.
- III. Ultimus eſt (ut omnium)
  1. Gloria cœleſtis perſonalis, in communione æternâ cum Eccleſia & Chriſto glorificatis.
  2. Gloria cœleſtis Eccleſiæ in perfectiſſima Amoris communione cum Patre, Filio & Spiritu ſancto.
  3. Gloria Patris, Filii & Spiritûs ſancti, in Amore Redimente & Glorificante reſplendens.

III. EFFECTUM,

III. EFFECTUM, seu SACRAMENTUM ipsum Individuum EXISTENS (extra quod species est tantùm Notio Logica) ubi

- I. ACTORES (vel PERSONÆ)
  - 1. Primarius
    - 1. Principalis: DEUS PATER, FILIUS, SPIRITUS sanctus.
    - 2. Ministerialis: Pastor administrans, Oeconomus Christi.
  - 2. Secundarii: 1. Communicantes, 2. Pastor ut eorum Interceſſor.
- II. MATERIA
  - 1. Significans
    - 1. In esse Naturali
      - 1. Quoad Rem, est 1. Panis, 2. Vinum.
      - 2. Quoad Modum rei, est 1. Panis fractus, 2. Vinum fusum.
    - 2. In esse Disposito morali; est Panis & Vinum *Consecratum.*
  - 2. Significata
    - 1. In esse Naturali
      - 1. Quoad Rem est 1. Caro, 2. Sanguis Jesu Christi.
      - 2. Quoad modum rei est, 1. Caro crucifixa, Sanguis fusus.
    - 2. In esse Morali; est Caro & Sanguis Consecrati Mediatoris.
- III. OPUS SACRAMENTALE,
  - I. PRÆPARATORIUM ad DISPOSITIONEM MATERIÆ signorum; *viz.* CONSECRATIO quæ nil aliud est quàm SEPARATIO hujus *Panis* & *Vini* ad hunc sacrum usum, per mutuum consensum Dei & Hominum, per Actiones debitas regulariter significatum: Ubi Actiones sunt
    - I. DEI
      - 1. Per SE
        - 1. Institutio & Præceptum, Hoc Agendi.
        - 2. Promissio acceptandi factum. (Quæ jam diu præstita, in esse Morali tamen ad Consecrationem præsentem pertinent.)
        - 3. Mandatum ad Ministros hæc declarare, & in ejus nomine Res seponere & acceptare.
      - 2. Per Ministrum 1. Accipere Panem & Vinum, 2. Acceptationem declarare, 3. Ea *Benedicendo* separare.
    - II. ECCLESIÆ.
      - 1. Deum PATREM agnoscere, Panis, Vini & omnium CREATOREM, & inde etiam
        - 1. Creaturæ Dominum seu Proprietarium: cui nil nisi sua dare possumus.
        - 2. Nostri Rectorem, per cujus mandatum hæc agimus.
        - 3. Mundi Benefactorem, qui ut *vitam* dat & *cibum*, ita *Christum Animæ* vitam & cibum.
      - 2. Portionem hanc Panis & Vini, Deo, ut ex Donis suis, ad sacrum hunc usum dedicamus.
      - 3. Acceptationem Divinam humiliter petimus & expectamus.

      Ex hisce CONSECRATIO constat.
- II. PERFUNCTUM vel essentiale est, ex parte 1. Dei, 2. Et hominis, conjunctim, triplex, *viz.*
  - I. COMMEMORATIO: ubi Actus sunt
    - I. DEI:
      - 1. Per SE
        - 1. Institutione & Præcepto,
        - 2. Promissione,
        - 3. Mandato ad Ministros jam extantibus.
      - 2. Per Ministrum: Qui
        - 1. Panem & Vinum *sumendo*, & *Corporis* & *Sanguinis* Christi ea jam repræsentativa esse declarando, Christum salvatorem mundi palam prædicat.
        - 2. Panem frangendo, & Vinum poculo infundendo, Christum hostiam pro peccatis repræsentat & commemorat.
        - 3. Hæc exponendo & ostentando fidem invitat: Q. d. Ecce agnum Dei qui tollit peccata mundi.
    - II. Ecclesiæ; *viz.* Præsentes, erudientes, intuentes
      - 1. Nos Peccatores morte æternâ dignos confitemur.
      - 2. Fidem in Christum Crucifixum, Sacrificium pro peccatis profitemur.
      - 3. Deum nos per Christum Crucifixum reconciliatos, acceptare petimus.

II. CON-

II. CONFOEDERATIO; ubi ſunt Actus (quidam Moraliter præſentes tantum, alii & Naturaliter) *viz.*

- I. DEI,
  - I. Per SE:
    1. Fœdus priùs factum & Chriſti morte & miraculis obſignatum & ſanctum.
    2. Inſtitutio modi ſeu rationis hujus fœderis ineundi, quâ nos ad fœderationem obligat.
    3. Mandatum ad Miniſtros, ſuo nomine fœdus nobiſcum percutiendi: (Hi moraliter jam fiunt.)
  - II. Per Miniſtrum: Qui Dei nomine
    1. Teſtamentum ſeu fœdus Chriſti proclamat & offert.
    2. Conſenſum Profitentes excipit, & fœderantes placidè amplectitur.
    3. Signa inſtituta eis tradit, & ita fœderis Divinas promiſſiones eis palam obſignat.
- II. Eccleſiæ: *viz.*
  1. Per Actiones, 1. Præſentiæ, 2. Panem & Vinum Accipiendi, 3. Edendi & Bibendi.
  2. Et per Voces 1. Paſtorum in nomine Eccleſiæ; 2. Noſtras, palam profitemur *Conſenſum Confirmatum* Fœderi Chriſtiano, cum Patre, Filio & Spiritu ſancto.

(Partes fœderis priùs deſcriptas hîc iterùm recitare non opus eſt.)

III. COMMUNICATIO mutua: Ubi Actus ſunt

- I. DEI:
  - I. Per SE: *viz.*
    1. Actus Moralis Fœderis priùs ſtabiliti, non quà *promiſſio* eſt ſed *Donatio.*
    2. Mandatum ad Miniſtros, per ſigna inveſtientia jura fœderatorum nobis *tradere.*
  - II. Per Miniſtrum, qui nomine Dei
    1. Se dedentes Deo Patri, Filio & Spiritui ſancto, feſto ſacro recipit.
    2. Jura omnia præſentia fœderis (priùs deſcripta) illis tradit;
    1. Per *inveſtituram Vocis*, Dei placitum & donationes pronunciando.
    2. Per *inveſtituram Actionis*, Corpus & Sanguinem Chriſti illis tradendo.
- II. Eccleſiæ, vel uniuſcujuſque communicantis, *viz.*
  - 1. Externi,
    1. In Communione Sanctorum actualiter ſeſe exhibere.
    2. Panem & Vinum Conſecratum & oblatum, Accipere, Edere, Bibere.
    3. Per Vocem Paſtoris, & ſuam, *ſe* & *ſua* omnia, Deo ſolenniter tradere.
  - 2. Interni,
    1. In exercitio Fidei, Spei & Amoris, in Communione Eccleſiæ veræ perſeverare.
    2. Corpus & Sanguinem Chriſti donatum, ut cibum ſpiritualem accipere; & cum iis jura fœderis & primaria & conſequentia.
    3. Gratitudine ſe & ſua omnia Deo per Chriſtum animitus tradere & vovere; ad obedientiam & Amorem exercendum, augendum, perficiendum.

Eluci-

Elucidationes

CAP. X.

De Sacramento Cœnæ Dominicæ.

§. 1. UNum idemque Gratiæ fœdus per utrumque Sacramentum, Baptiſmum ſcilicet & Euchariſtiam obſignatur. Neque alia *fœderis Gratiæ Sacramenta* à Chriſto inſtituta ſunt; quamvis de officiis particularibus alia quædam *Sacramenta* dicere licet: Talia ſunt *Sacramentum ordinis*, *Matrimonii*, *Regum inaugurationis*, ſeu *unctionis*, &c. Fœderis baptiſmalis per adultos ſolennis renovatio, ſub manu antiſtitis, ejus precibus & benedictione concomitantibus à quibuſdam *fœderis Sacramentum* dicitur: ſed impropriè: De nomine autem non eſt litigandum.

2. Cum ad uſum imaginum aliorumque viſibilium quaſi inviſibilia referentium homines valdè proclives Chriſtus novit, ipſe Panem & Vinum loco imaginum elegit, quæ ipſius carnem & ſanguinem, pro peccatis ſacrificium fidelibus repræſentarent.

3. Tantum abeſt à vero Chriſtum Paſtoribus ordinariis novorum fœderis Sacramentorum inſtitutionem commiſiſſe, ut nè ipſis Apoſtolis hoc commiſit, ſed à ſeipſo inſtituta ſola eis tradenda & celebranda mandavit.

4. Sacramenti hujus uſus eſt, 1. Significare, 2. Obſignare, 3. Exhibere, ſeu inveſtiendo tradere.

5. Ipſe Chriſtus cum ſuis beneficiis per ſacra ſigna nobis verè datur & traditur; modo ſcilicet morali; ſicut per traditionem clavis, domûs datæ aut venditæ jus & poſſeſſio per inveſtituram traditur.

6. Monſtroſum Tranſubſtantiationis figmentum, omnium ſenſuum certam perceptionem negans, fundamenta non tantùm fidei ſed & converſationis humanæ ſubvertens, plurima miracula per unumquemque Sacerdotem ad libitum facienda fingens, & contradictiones & impoſſibilia ſtatuens, quoniam alibi planè profligavi, hîc prætereundum judico.

7. Tota Chriſtianæ Religionis medulla in Sacramento hoc practicè explicata continetur: Et Rei igitur & Modi gratiâ per Chriſtianos ſæpè celebrandum eſt: Quod in omni fere S. Synaxi per ſæcula priora à Chriſtianis præſtitum fuit: Quoties autem celebrandum ſit, ſub regulâ generali prudentiæ humanæ determinandum relinquitur.

8. Sacramentum hoc à Chriſto inſtitutum quo fidelium communio pura ſervaretur, & eorum fides confirmaretur, & ſacro convivio & cibo cœleſti ſpes, amor & obedientia roborentur, & eorum corda gaudio ſpirituali exhilarentur, ſerpentis tamen aſtu & hypocritarum nequitiâ, & fidelium infirmitate, in materiam contentionis, ſuperbiæ, tyrannidis, & ſchiſmatis, jamdiu in eccleſiis non paucis verſum eſt. Pontifex Romanus ſcilicet ſub prætextu poteſtatis clavium, ſuper omnibus totius orbis incolis ſibi poteſtatem judicialem vendicat, quo (etiam de ignotis, apud Antipodes) an à ſacris & eccleſiæ communione ſint arcendi ſe judicem ſupremum factum eſſe aſſerit: Indeque per ſua Anathemata Reges & Imperatores à Thronis ſæpè dejecit, & poteſtatem ſuam dejiciendi negantes Hæreſios cujuſdam Henricianæ dictæ, ex Conciliorum ſuorum decretis, reos inſimulat. Et proh quam nefandæ ſtrages in oriente & occidente ſæpè facta fuerunt, ſub prætextu hæreticos & indignos (à ſuis dogmatibus ſcilicet diſſentientes) à ſacris arcendi! Anathematizandi poteſtas uſurpata reges, regna, amorem fraternum & pacem per orbem Chriſtianum quaſi turbine non ſemel ſubvertit. Et inter bonos & puritatis & pacis amatores, quot lites proh gliſcent, circa admiſſionem & rejectionem, communionem & excommunicationem!

Unde

Unde quidam communionis confusæ, & totius ferè disciplinæ ecclesiasticæ rejiciendæ, male ansam arripuerunt.

9. Sicut etiam prophanorum temeritas sibi judicia Dei arcessit, dum corde & ore immundo hisce sacris accedunt; ità & timidi nonnulli verè fideles hinc animi anxietates potiùs quàm gaudium non rarò hauriunt, ex timoris scilicet excessu, nè indignè Domini corpus & sanguinem sumendo, damnationem loco salutis acciperent.

10. Fœdus obsignatum & ipsius Christi hujus Sacramenti institutio ejus quasi vita & efficaciæ causa est. Moraliter quippe (sicut de baptismo dictum est) operatur, *repræsentando* scilicet, *significando*, *obsignando*, & per investituram jus verè ad ipsum Christum exhibendo, & *confirmando*: Et hoc sensu scilicet quoad jus collatum, Christus ipse (cum peccatorum remissione & adoptione) nobis verè donatur & recipitur, ut priùs dictum est.

11. Non solum signorum materia (Panis & Vinum) hujus Sacramenti sunt partes visibiles, sed Actiones item Sacramentales, quæ ideò pariter ejus definitione memorandæ sunt.

12. Ad fidelium consolationem non parum conducit, quod suis ministris officialibus hæc sacra eis tradenda Christus commisit; & quod pastor verè dicere potest, *In ipsius Christi nomine, per mandatum ejus, ego corpus & sanguinem ejus pro peccatis sacrificium, tibi gratè recipienda trado.*]

13. Sacramenti hujus partes non sunt confundendæ: Partes ministri scilicet Christum donatorem repræsentantis, & partes peccatoris fidelis recipientis: Pars præparatoria ab ipsa Communione: Et hîc Commemoratio Sacrificii, Confœderatio, & Communicatio, distinguenda sunt.

14. Veteris ecclesiæ mos fuit in parte præparatoriâ Panem & Vinum primò *Deo offerre*: De circumstantiis autem hîc non est litigandum, modo verè ad sacrum hunc usum seperentur. *Consecratio* autem est pars præparatoria omninò necessaria; quâ scilicet *Panis* & *Vinum* verè moraliter seu sacramentaliter in *corpus* & *sanguinem* transferuntur; (scilicet sicut argentum cudendo fit nummus.)

15. Consecratio hæc revera est justa *Panis* & *Vini* ad sacrum hunc usum *designatio* & *separatio* ex Dei mandantis & hominis obedientis consensu: Cujus modus est institutionis divinæ recitatio, & ecclesiæ obedientis & consentientis grata per pastorem professio, & actualis consecrationis pronunciatio, precibus pro Divinâ benedictione conjunctis.

16. Falluntur autem & fallunt qui dicunt, ex nudâ pronunciatione verborum [*Hoc est corpus meum*] fieri consecrationem quamvis horum recitatio ad consecrationem attinet.

17. Post consecrationem prima pars est *Sacrificii* (seu Christi sacrificati) *commemoratio*: ad quam Panis fractio & Vini effusio ut actiones Sacramentales pertinent. Deinde Christum sacrificatum gratitudine agnoscere, & cœtui ostentare, ut *agnum Dei qui tollit peccata mundi.*

18. Post commemorationem sequitur *fœderatio renovata*; quam Deus peragit fundamentaliter in tenore fœderis, & applicative per ministrum obsignantem fœdus & Christum recipientibus tradentem: Et Recipientes recipiendo, edendo & bibendo, consensum profitentur.

19. Fœderatio & communicatio simul fiunt; ubi est *Donatio Divina* & *Participatio humana*: ut sicut *Panis* & *Vinum* corpori nutriendo apta sunt, ità Christus virtute sui sacrificii, & Spiritûs, nobis vita & robur spirituale factus fide recipitur.

20. Corpus (seu Caro) & Sanguis Christi nobis donari dicuntur, moraliter quoad jus ad sacrificii ejus beneficia; Et non primò quales jam in cœlo glorificati sunt, sed quales fuere in terris crucifixi: Unde constat non *res ipsas*, sed earum *fructus* nobis propriè in possessionem datas esse: Quod enim *non est*, non ita *dari* potest: At Christi caro & sanguis quales fuere sacrificati, non *jam sunt*:

Ergo tales in se non donantur: Tales autem in *fructibus* vere nobis donantur; sicut *in se* Deo Patri in cruce fuêre oblati.

21. Sicut ministri actus tradendi Dei gratuitam donationem, ità & recipere, edere, bibere ad digestionem, & robur vitale, fidei naturam & opus aptissimè significant.

22. Sicut *Panis & Vinum* in ipsam corporis nostri substantiam vertuntur, ita *Unio* Christi spiritualis cum fidelibus ut suis membris incomprehensibilis quidem & inexplicabilis, hinc nobis significatur. Unio videlicet non qua nos simus Christus, aut Christus sit nostra substantia aut persona, aut quâ cessat nostra individuatio; sed quâ una simus ecclesia, seu qua corpus Christi mysticum simus; & ejus Spiritu verè vivificamur.

23. Quamvis ex suâ naturâ Sacramentum hoc moraliter tantum operatur, Christus tamen Spiritûs sancti auxiliis suis institutis comitatus, modo inscrutabili cum eis & per ea operando (dum sensibus nostris signa externa accommodat,) sese mentibus fidelium ingerit, & fidem suscitat, & amorem divinum in corda nostra suaviter diffundit. Et qui ad sacrum convivium & communionem fideles invitat, non inanes eos dimittit, neque spiritualem secum communionem denegat.

24. Eucharistia non est Sacramentum initiationis, sed confirmationis, roborationis & communionis; ideóque soli fideles jam baptizati, & perseverantes, sunt digni hujus S. cœnæ convivæ: Et quamvis indignè accedentes fortasse ibi primò convertantur, non tamen sub hac spe his ita accedere licet.

25. Baptizati hypocritæ non magis Christo grati sunt quam non-baptizati infideles, nec Sacramenti beneficia salutaria & specialia magis obtinent: Per fœdus enim hîc obsignatum jus nullum nisi sincere consentientibus donatur.

26. Ecclesia tamen hypocritas jure recipit, & communionem ejus externam concedit: Non quia Deus hoc hypocritis promisit, aut fœdere donat, sed quia Pastores & populum corda aliorum nescientes, fidei professores recipere mandavit.

27. Sacramenti igitur hujus recipiendi coram Ecclesiâ jus oritur, ex *baptizatorum continuatâ fidei validâ seu credibili professione, cum particulari hujus Sacramenti cognitione; & desiderio communionis cum Christo & Ecclesiâ.*] Deo autem judice nemini jus plenum aut propriè dictum obvenit, nisi sincere fideli, neque aliis beneficia salutaria donantur. Justificatur Ecclesia quæ hypocritas recipit; Ipse hypocrita autem accedens & recipiens non justificatur.

28. Sin autem ex prophanâ pastorum negligentiâ in Ecclesiæ S. communionem recipiantur aut nondum Christiani, aut quicunque per hæresin, impietatem aut flagitia fidei Christianæ professionem suam incredibilem & irritam reddiderunt, hoc ipsis Ecclesiæ corruptoribus & proditoribus in crimen (perfidiæ scilicet) vertitur; Plebi autem innocenti communicanti non imputabitur.

29. Siqui autem ex plebe debitam criminum reprehensionem & peccantium admonitionem omittant, hi peccant, non quia cum talibus communicant, sed quia ad eorum reformationem sua officia non præstiterunt, ideóque corruptionis ecclesiasticæ rei sunt.

30. De recipientium gestu contentiones hujus sæculi hominum plorandas infirmitates demonstrant: & consilii Paulini (& ipsius Spiritûs sancti) Rom. 14. & 15. aut ignorantiam, aut oblivionem aut contemptum. O fœlices Ecclesiæ quarum membra non gravius peccant quam aut genuflexione, aut statione aut accubitu Eucharistiam recipiendo! O fœlices Pastores qui non majoribus plebis peccatis (aut suis) affliguntur! O miseræ Ecclesiæ quæ nè in minutis hisce dissentientes tolerarent, pastoribus silentium imponunt, plebes affligunt, Ecclesias dissipant, & Schismata & confusiones invehunt! Quamvis ex instantiâ primorum Communicantium certissimum est *accubitum* esse licitum, & videtur convivis valdè congruum; non constat tamen Christum velle hunc gestum nobis ut necessarium præscribere, & donum è manibus Dei ministri genuflectentes nos

recipere

recipere non licitum esse. Genuflexionem autem non esse necessariam patet, tùm ex instantiâ institutionis, seu Christi Mysteria accumbentibus tradentis, tum ex usu Ecclesiæ per mille fere annos conciliis generalibus confirmato (E. g. Conc. Nic. 1. Can. 20. & Trull. &c.) strictè quippe prohibitum fuit, nequis Christianus aut Die dominicâ, aut aliâ aliquâ inter Paschatem & Pentecostem, genuflectendo adoraret. Neque per concilia posteriora hæc conciliorum decreta abolita sunt, sed post annos circiter mille, aut desuetudine aut privatâ authoritate.

30. Quoniam hoc est Sacramentum non tantum communionis cum Christo, sed & cum Ecclesiâ & fratribus; ideò amor fraternus, ut & unionis & pacis Ecclesiasticæ Zelus, hic summe necessaria sunt. Et qui fratribus fiunt inimici aut irati, dona apud altare ii relinquere debent, donec cum fratribus reconciliationem petant, & deinde dona afferenda sunt, Matth. 5.

31. Nefandus hujus Sacramenti abusus est, quando tyrannidis, schismatis, & superbæ infirmorum rejectionis, fit medium vel instrumentum; & quo hypocritæ sibi adulantes se aliis sanctiores ostentarent; non minor fortè quam ebriorum & aliorum prophanorum accessio.

32. Ideo frequenter hæc sacra sunt administranda, nè deficiat fides, aut amor frigescat; & quia fideles ita quotidie ut coram Deo se gerere debent, quò semper huic sacræ communioni sint parati. Et vigilandum est tum nè ex raritate amor tepescat, tum nè ex frequentiâ & usu in ejus contemptum seu in prophanam formalitatem incidamus.

33. In usu hujus Sacramenti Christi adventus glorioſus semper fide & spe vividâ prospiciendus est. Faciendum est scilicet in ejus commemorationem donec adveniat: Et cogitandum est quantum Christus tunc Gloria suo corpori crucifixo & sacrificato antecellet: Et quanto itidem nos cum Christo glorioſo glorificati, nobis peccatoribus mortalibus & corporibus corruptibilibus incarceratis, post Christi glorioſum adventum præcellemus. Cætera in Tabulâ ipsâ videantur.

CAP. XI.

II. *De EVANGELIO ut in tribus SUMMULIS: Et* I. *De SYMBOLO FIDEI.*

Sicut Hominis 1. Intellectus, 2. Voluntas, 3. Potentia activa, sunt subjecta Sanctitatis; Ità Evangelium ad has facultates sanctificandas adaptatum, tres Religionis partes continet, *viz.* 1. Credenda, 2. Volenda, 3. Agenda; Quorum Summulæ sunt 1. Symbolum fidei, 2. Oratio Dominica, 3. Decalogus.

SYMBOLUM fidei est { 1. Articuli fidei necessarii quoad *sensum*; 2. Articuli iidem quoad *ipsa Verba*: } Estque { 1. Contractissimum Generale. 2. Explicatius. De quibus——

I. AUTHOR SYMBOLI
- 1. Contractioris, [*Credo in Deum Patrem, Filium & Spiritum Sanctum*] fuit Christus ipse, Matth. 28. 20.
- 2. Explicatioris,
  - 1. Quoad Sensum, & Verba hunc sensum planè significantia; SPIRITUS SANCTUS in Apostolis. Probatur: Quia Apostoli Gentes baptizantes, Confessionem fidei Christianæ, non sensu diversam sed eandem, ab unoquoque baptizando (adulto) exigebant: Aliter Christianismus & baptismus in baptizatis diversis, diversa fuissent.
  - 2. Quoad Verba: Variata sunt per pastores, sed cum cautelâ: Probatur, per 1. Linguarum diversitatem, 2. Formularum diversitatem.

II. FINIS Spiritûs ſancti & Apoſtolorum & ipſius Chriſti, fuit

- I. Ob Individuos fideles, *viz.*
  - 1. Ad FIDEI,
  - 2. BAPTISMATIS,
  - 3. PRAXEΩS
  - 1. Facilitatem; nè multis obruti difficilè intelligerent vel crederent.
  - 2. Communitatem; ut quod facilè eſt Multorum fiat, dum difficilia ſunt Paucorum.
  - 3. Puritatem; ut reverà Chriſtiani fiant, dum Chriſtianiſmus non eſt res ignota.
- II. Ob Eccleſiam, *viz.* ad ejus
  - 1. *Unitatem*; contra Schiſmata: ut *Una* ſit in *Unitate fidei.*
  - 2. *Puritatem*; ut fides, Baptiſmus, & ipſa eccleſia, intemerata præſerventur contra hæreſes.
  - 3. *Ordinem Regiminis*
    - 1. Contra Tyrannidem; nè non neceſſariæ Profeſſiones requirerentur.
    - 2. Contra Licentiam; nè neglectu debitæ profeſſionis religio pereat.

III. SYMBOLUM ipſum (EXPLICATIVUM Symboli contractiſſimi trium Articulorum) methodicè continet.

- I. AGENTEM: in numero & Perſonâ [CREDO]: Unuſquiſque profitetur ſe *Credere*; & non alium pro ſe.
- II. ACTUM,
  - 1. In ſe: CREDO
    - 1. *Aſſenſum* præbeo *Veritati* fidei hujus Chriſtianæ per Intellectum.
    - 2. *Conſenſum* præbeo Voluntate *Bonitati*, & ſimpliciter & comparatè conſideratæ.
    - 3. *Fiduciam practicè* pono in ejus Firmitate; Me *Deo dedendo* & *adverſa* deſerendo.
  - 2. In Circumſtantiâ TEMPORIS; CREDO de præſente, & non tantum Credam de futuro.
- III. OBJECTUM,
  - I. In UNITATE DEUS: Qui eſt
    - 1. Οὐσία vel Subſtantia:
    - 2. VITA: Quæ eſt
      - 1. Potentia-actus,
      - 2. Intellectus,
      - 3. Voluntas,

      viz.
      - 1. Virtute.
      - 2. Actu.
      - 3. Actione.
    - 3. Perfectiſſimus.
  - II. In TRINITATE 1. PERSONARUM, 2. PROPRIETATUM, 3. RELATIONUM ex operibus: ubi
    - I. PERSONA PRIMA eſt PATER, *viz.*
      - 1. PATER Filii, Verbi, Chriſti, 2. Omnium per Creationem, 3. Renatorum per Gratiam
      - 2. PROPRIETAS, vel Agendi PRINCIPIUM primum eſt OMNIPOTENTIA; PATRI eminenter attributa.
      - 3. RELATIO PRIMA eſt [CREATOR] *Cœli & Terræ*, id eſt, totius mundi; ubi non excluduntur cæteræ Perſonæ & Principia, etiamſi PATRI & OMNIPOTENTIÆ eminenter attribuitur.

      Præter has, in nomine DEI includuntur RELATIONES ORTÆ, 1. Dominus, 2. Rex, 3. Amator & Amandus.
    - II. 1. PERSONA SECUNDA eſt FILIUS UNIGENITUS,
      - 2. PRINCIPIUM vel PROPRIETAS ſecunda eſt λόγος, *viz.*
        - 1. Ut VIRTUS formalis; SAPIENTIA, RATIO.
        - 2. Ut ACTUS; VERBUM MENTIS.
        - 3. Ut ACTIO; VERBUM EMISSUM.
      - 3. RELATIO ſecunda (ex opere) eſt [SALVATOR] cujus Officii vel REGNI hîc memorantur

I. CONSTITUTIO,

- I. Passiva; ubi sunt
  - I. Quasi Materia 1. Caput (*Deus-Homo*), 2. Membra (*credentes.*)
  - II. Forma: Mediator; *viz.* 1. Salvator, 2. Rex, 3. Dominus. Quæ omnia sic exprimuntur [*Et in Jesum Christum Unigenitum filium ejus, Dominum nostrum.*]
- II. Activa: vel Efficiens; *viz.* Causa

I. Ingressûs
- I. DEUS, *viz.*
  - 1. Pater, ut Christum generat & misit in mundum.
  - 2. Filius, humanitatem assumens.
  - 3. Spiritus sanctus, per quem Christus est conceptus.

  (Omnes vel expressè vel implicitè hîc continentur.)
- II. HOMO: [Natus est ex Maria Virgine.] (Animâ extraordinariò à Deo emanante.)

II. Progressûs: *viz.* Per Impetrationem Meritorum
1. Passus est sub Pontio Pilato.
2. Crucifixus & mortuus est.
3. Sepultus, descendit ad ἅδου.

III. Inaugurationis & Egressûs ex statu Humiliationis, ad plenam Regni possessionem.
1. Tertiâ die resurrexit à mortuis.
2. Ascendit in cœlos.
3. Sedet ad dextram Dei Patris Omnipotentis.

II. ADMINISTRATIO

I. In Genere & cum Patre Intercessio [ad dextram Dei sedet ut Intercessor.]

II. Erga nos
- I. Per SEIPSUM: ubi
  1. Legislatio, vel Fœderis institutio: (In *sessione ad dextram Dei*, & in articulo de Spiritu sancto & Remissione peccatorum inclusa.)
  2. Judicium: [Indè venturus ad judicandum vivos & mortuos] (De quo plura postea)
- II. Per VICARIUM suum Spiritum sanctum Administratorem perficientem.

III. 1. PERSONA TERTIA est SPIRITUS DEI (immo Deus) in quem etiam credendum est.
2. PRINCIPIUM, vel PROPRIETAS tertia est in concreto [SANCTUS] id est, BONITAS, AMOR.
3. RELATIO tertia est (ex opere) [PARACLETUS] & [Regenerator] seu [Sanctificator.]

Cujus OPUS est, ECCLESIA: *viz.* Quatenus est

I. CONSTITUTA (Capite Christo supposito jam facto)

I. Ex Materiâ
- I. Organicâ: ubi Spiritus sanctus sacros MINISTROS
  - 1. Extraordinarios
    - 1. Dotibus adornat,
      - 1. Docendo
        1. Voce.
        2. Sacris Scriptis.
      - 2. Agendo
        1. Officia sacra.
        2. Miracula.
    - 2. Assistit, *viz.*
  - 2. Ordinarios: ordinariè 1. Adornat, 2. Assistit.
- II. Communi; ubi Spiritus sanctus Membra facit
  1. Vivificando mortuos in peccatis.
  2. Illuminando cæcos in Ignorantia.
  3. Sanctificando per Amorem Inimicos carnales.

II. Ex Formâ: ubi

I. Ipsa Forma, ECCLESIA: id est, Populus Christo unitus, vel Regnum Christi.

II. Proprietates Formales:
- 1. SANCTA est
  1. Per fœdus externum; quo Deo Sacramentaliter consecrata est.
  2. Per fœdus internum; quo Deo animitùs devota est.
- 2. UNA est: ex Relatione ad Unum Regem, Christum, & ex coalitione membrorum inter se.
- 3. CATHOLICA est; id est, non sectæ vel notioni alicui limitata, sed ex Omnibus per totum orbem Christianis, seu fœderatis consistens (Quæ etiam materialis proprietas est.)

II. AD-

II. ADMINISTRATA: *viz.* COMMUNIO SANCTORUM; Quæ eſt

- I. PRIVATA
  - I. Interna,
    1. In eadem FIDE,
    2. Et SPE,
    3. Et AMORE: *viz.* Communione Vitali.
  - II. Externa,
    1. In Communicatione ſpiritualium; 1. Scientiæ, 2. Amoris, 3. Obedientiæ (quantum in nobis).
    2. In Communicatione bonorum corporalium, juxta Juſtitiam & Charitatem.
- II. PUBLICA: Quæ eſt
  - I. Chriſtianorum in Societatibus: præcipuè in ECCLESIIS PARTICULARIBUS, vel ſacris cœtibus. Ubi
    - I. Miniſtri
      1. Sub Chriſto Doctore Eccleſiam docent.
      2. Sub Chriſto Sacerdote, in cultu (precibus, Sacramentis, laude) Eccleſiæ præeunt.
      3. Sub Chriſto Rege, Eccleſiam Regimine Rationis & Amoris ducunt.
    - II. Populus
      - I. Erga Miniſtros.
        1. Docentes eos, ut Diſcipuli humiles & dociles audiunt.
        2. In cultu, ut cultores Dei concordes ſequuntur.
        3. Eccleſiam regentibus in debitis obediunt.
      - II. Ad invicem, Ut Corpus concordium, 1. In eadem Fide, 2. Amore, 3. Cultu, Deum colunt.
  - II. ECCLESIARUM particularium communio inter ſe, eſt
    - I. Interna: in eadem Fide, Spe & Amore.
    - II. Externa:
      1. In conſtantibus & neceſſariis, *viz.* in eâdem
         1. Profeſſione
            1. Quoad Regulam.
            2. Quoad Articulos.
         2. Sacri Miniſterii ſpecie.
         3. Sacrorum Inſtitutorum uſu.
      2. In Mediis mutabilibus,
         1. Per nuncios, res eccleſiarum invicem communicantes.
         2. Per literas communicatorias.
         3. Per Synodos, non ad Paſtores regendos, ſed ad Concordiam & pacem, & Robur eccleſiarum. Non per fictionem neceſſitatis Patriarcharum, Primatum, Metropolitanorum, Conciliorum Univerſalium, Canonum, multo minùs Papæ, ut viſibilis Eccleſiæ univerſalis Capitis; Cardinalium, aut reliquæ, eccleſiæ Humanæ, cohortis; ſed per Media licita, Fini adaptata, & puritati & ſimplicitati Apoſtolicæ primitivæ congrua.

III. SALVATA; de quâ tres ultimi Symboli Articuli ſunt, *viz.* Credimus,

- I. REMISSIONEM Peccatorum, *viz.* Liberationem à Reatu Pœnæ
  1. *Omnibus* à Chriſto *impetratam.*
  2. *Nobis* etiam *oblatam.*
  3. *Pœnitentibus fidelibus donandam.*
- Pœnæ, ſcilicet
  1. *Peccato eſſentialis*, remiſſæ per *Sanctificationem.*
  2. Immediatè *conſequentis*, remiſſæ per *Reconciliationem* cum Deo.
  3. *Legalis*, remiſſæ per *Juſtificationem.*
- II. RESURRECTIONEM CARNIS (ubi ANIMA eadem corpori purificato readunatur.)
- III. VITAM ÆTERNAM: *viz.*
  1. Per Juſtificationem cum Adoptione quoad Jus, *Donatam.*
  2. Per Juſtificationem finalem, *Adjudicatam.*
  3. Per Glorificationem, *Collatam.*

N. B. Quòd *Salus* hæc ſive *Beneficia* Eccleſiæ in hiſce tribus Articulis expreſſa, ſunt, 1. Regiminis Chriſti *Conſequentis*, 2. Et *Spiritus ſanctificantis*, fructus: Ideóque ſub ſecundo Symboli Articulo (de Chriſto) Regimen Chriſti *Antecedens* tantùm continetur; At *Conſequens* ſub hoc Articulo tertio; Quoniam 1. Chriſtus per Vicarium Spiritum ſanctum utplurimum conſequenter regit; & 2. Opus *Mediatoris*, & *Opus Spiritus ſancti coeunt*, ad Salutem & Beneficia hæc producenda.

Et hic eſt verus *Symboli* ſenſus, & methodus vera, & (ni fallor) accurata.

Elucidationes

Elucidationes

CAP. XI.

De Symbolo Fidei.

1. Qu. *Quinam fuêre ſymboli authores? Reſp.* 1. Chriſtus ipſe totius *Fidei Chriſtianæ author* fuit: aut per ſe immediatè aut per Spiritum ſanctum in Apoſtolis. *Per ſe* quidem Doctrinam Chriſtianam prædicando tradidit; & ſi eſſentialia ab Integralibus, non ſeorſim, ea ſeligendo, diſtinctis capitulis tradidit, tamen ipſa rerum differentia ipſi Authori adſcribenda eſt. Sicut aliud eſt opus Divinum Cor & Cerebrum facere membra nobiliora, à vilioribus realiter diſcriminata, quamvis non ſeparata; Aliud autem Anatomici, cor & caput à cæteris diſſectione ſeparantis; Ita & aliud eſt Chriſti opus ſymboli materiam ab aliis minoribus non ſeparatam ſed diſtinctam tamen tradentis; Aliud autem Catechiſtæ hæc actualiter à ſe invicem ſeparantis.

2. At reverâ Chriſtus ipſe utrumque præſtitit: Cum fœdus enim gratiæ Sacramentale inſtituit, omnia ad ſalutem planè neceſſaria, in ipſo concinnavit: ex parte Dei neceſſaria nobis omnia promittuntur; & ex parte noſtri omnia neceſſaria ſub ratione conditionis & officii, ſummatim imperantur & ſtipulatione Divina poſtulantur, Matth. 18. 19, 20. Symboli totius ſumma continetur.

3. Et per Spiritum ſanctum item Apoſtolos inſpirantem hos tres Articulos (de fide in Patrem, Filium & Spiritum ſanctum) neceſſariis explicationibus illuſtravit, ut in 1 Cor. 15. & 12. 4, 5, 11. & alibi videre eſt. Nullus enim eſt ſymboli Articulus qui non clariſſimè in ſacra Scriptura continetur, & cujus Neceſſitas etiam inde probari non poteſt.

4. Qu. *Anne vero ſymboli ſive horum Articulorum tota Authoritas ex S. Scripturâ pendet? An potiùs S. Scripturâ prior, & majoris fuit authoritatis?*

Reſp. 1. Symboli noſtri omnia ipſiſſima Verba, in hac formula compaginata, S. Scripturâ poſteriora fuerunt. Sicut probari poteſt ex comparatione formulæ unius Irenæi, duarum Tertulliani, Marcelli in Epiphanio (formulæ noſtræ, ſimillimæ) cum aliis alibi de hac re memoratis *; Et ſicut ex articulis ſerò additis facilè patet; Quos Lector in Tractat. R. Uſſerii & Voſſii de ſymbolis inveniat.

* *In Paſtore Reformat. Poſtſcript.*

2. At ipſiſſima Formulæ Verba non ſunt Symbolum in ſenſu primario: Aliter ſymbolum non in lingua aut Latinâ, aut Gallicâ, aut Anglicâ, aut ulla præter Græcam (vel Syriaco-chaldæam) inveniri poſſet. Verba autem linguarum diverſarum, & ejuſdem Linguæ diverſa, idem ſymbolum conficiunt, dum eoſdem Articulos quoad ſenſum continent.

3. Ne materia tamen mutaretur, iiſdem etiam Verbis plerumque idem exprimere, ſicut tutiſſimum eſt, ita (in minoribus tantum, & explicationibus quibuſdam libertate ſumptâ & conceſsâ) Eccleſiæ veteri mos fuit.

4. Symbolum dictum Apoſtolicum nil aliud eſt, quam *Tres fidei Articuli in fœdere ſacramentali ab ipſo Chriſto traditi*, una cum explicationibus quibuſdam terminorum generalium; Sicut ex reipsâ patet, & ex additamentis gradatim & diverſis temporibus factis; & ex copioſiſſima probatione Sandfordi & Parkeri in Tract. de Deſcenſu Chriſti ad Inferos.

5. *Articuli tres fœderis ſacramentalis*, per plures annos Novi Teſtamenti Scripturam anteceſſerunt: & toto hoc tempore non minoris fuêre authoritatis, ut à Chriſto per Apoſtolos & alios ore traditi, quam poſtea cum extarent Sacræ Literæ.

6. Ex

6. Ex officio Apostolico & Ministeriali, ex necessitate baptizandorum, ex statu honorabili Ecclesiæ (non ex mere ignorantibus constitutæ), ex historia Ecclesiastica, & tandem ex constanti ecclesiarum usu (catechizandi & symbolo utendi), satis constat Apostolos (quamvis non priùs-instructis-Judæis, tamen) Centibus & ignorantibus baptizandis, *Tres fœderis Articulos* particularius explicasse: neque omnes promiscue baptizati erant, qui, sensum nescientes, tantum dicerent, *Credo in Patrem, Filium & Spiritum sanctum*: Sicut per Ministros particularior facta est explicatio, ita per Baptizandos particularior facta est professio. Unde ab ipsis Apostolis ecclesiarum omnium semper mos fuit, symboli explicationem & Professionem hanc, adjungere Baptismo.

7 Symboli igitur usus quoad sensum, & quoad verba sensum apte exprimentia, (pauculis exceptis quæ in Usserio ubi supra videre est) multo antiquior est quam S. Scriptura Novi Testamenti (sicut & symbolum veterum Judæorum antiquius erat Scripturâ Veteris Testamenti). Per plures enim annos ante Novum Testamentum literis exaratum, ecclesiæ per mundi regiones colligebantur, & myriades per Baptismum & symboli professionem Christianorum albo sunt inscripti; & symbolum ideò dictum est, quia ex hujus professione Christiani à non Christianis, Orthodoxi ab Hæreticis, quasi per tesseram dignoscebantur. *Usus* igitur, ideóque & *Authoritas Symboli*, quatenus est fœderis Christiani Sacramentalis necessaria explicatio & *professio*, est N. T. Scripturâ antiquior.

8. Non tota igitur *fœderis* aut *symboli Authoritas* hodiè ex S. Scriptura pendet: 1. Quia Scripturam antecessit: 2. Quia *seorsim* per se in omnium Christianorum Baptismate, & omnium ecclesiarum publicâ & constante confessione, æque clarè, æque certò, posteris traditum est *fœdus* cum explicatione symbolicâ, ac ipse S. Scripturarum codex.

9. Modo igitur duplici nobis traditum est *Fœdus cum symbolo*; 1. Traditione hac orali, 2. Deinde ut in corpore S. Scripturæ etiam continetur: Neque disjungendi aut opponendi sunt gratiosi hi Divinæ providentiæ actus; sed ut conjuncti summa gratitudine agnoscendi.

10. Neque major nobis, neque minor est Authoritas Fœderis & Symboli antea descripti, quà scriptorum, quam quà ante & post Scripturam seorsim traditorum. Utroque enim modo Authoritas est verè Divina: & authoritate Divinâ major nulla est. At sicut Articuli hi *essentiales* sunt maximæ tum præcellentiæ, tum necessitatis, præ Religionis partibus Integralibus & Accidentibus; Ita etiam per duplicem antememoratum Traditionis modum, nobis adveniunt, clariore Lumine & pleniore evidentiâ Authoritatis Divinæ, quàm reliquæ S. Literarum partes; utpote & *Primæ Intentionis*, & quibus *cætera subserviunt*, & qui ab omni corruptione ex translatorum errore, aut scribarum incuria, & ita Lectionum diversitate, conservantur: Quamvis explicationes pauculæ formulæ antiquissimæ adduntur. Et hæc de symboli Authoritate ad Quæstionem hanc responsio sufficiat.

5. Veritates revelatæ, fidei Divinæ objecta, non fidem salvificam constituunt, quia scriptæ sunt, nec quà ore traditæ (ex modo scilicet revelandi); sed quà Divinæ ex naturâ rei & ex ordinatione Divinâ ad finem necessarium, necessariæ & adaptatæ: Sive ex *ore*, sive ex *scriptis* traditæ, si verè credantur, salvificæ erunt.

6. Non *omnes* autem Veritates divinitùs revelatæ in Sacra Scripturâ ejusdem sunt aut necessitatis aut efficaciæ: E. g. Credere genealogiæ aut chronologiæ particulam aliquam, neminem (sine fide essentialium) salvum faciet.

7. Quia unusquisq; cui Articulorum essentialium Fides necessaria est, non tanto pollet judicio, quo à cæteris sacræ Scripturæ partibus hos articulos segregare possit; Utilitatis maximæ quidem opus fuit, & ipsis Apostolis dignum, hæc in symbolo tradere segregata.

8. Symboli usus in ecclesiâ est necessarius & indefinens: ut Christianorum scilicet

scilicet & ecclesiarum orthodoxarum tessera, cujus Professio in baptizandis, & aliis quorum fides probanda est, est postulanda.

9. Quoniam Methodus symboli, quoad Essentialia ab ipso Christo facta est, & in Trinitate fundata, & eadem, quæ ipsius Theologiæ & Scripturæ methodus proculdubio perfectissima est: Et qui ex Anatomiæ Theologicæ ignorantiâ totius Scripturæ aut Theologiæ methodum, ex particularium numero, discernere non possunt, hîc tamen partium principalium ordinem & quasi Scripturæ stamina, facilè cernere queant.

10. De Methodi autem partibus quoniam clarè satis in Tabulâ expressis, aliquid hîc Elucidationis addere, supervacuum esset.

11. Paucula quædam verba de Christo, magis ad personæ, incarnationis & passionis ipsius descriptionem & fidem adhibita sunt, quàm ad rei dictæ credendæ necessitatem absolutam, significandum: E. g. Nomen *Mariæ*, & *Pontii Pilati*, ad *Incarnationis* & *Mortis* Christi historiam clarè tradendam, conducit: At qui eorum nomen ignorat, tamen fidelis & salvus esse potest.

12. Articulus de *Descensu ad inferos* in formulis antiquissimis non invenitur; de quo lege Usser. de Symb. & Sandfordum cum Parkero suprà memoratum.

13. Si probari posset hunc Articulum ab Apostolis inditum esse, non tamen translationes, Latina & Anglica, [*ad inferos*] & [*into Hell*] inde *sensui* aut *dictioni* Apostolorum congruæ esse probarentur: ᾅδης enim indeterminatè locum Animarum separatum significat; non autem *Gehennam*, *Inferos*, *Hell*, aut locum damnatorum magis quam *beatorum*.

14. Ex hoc autem Articulo Ecclesia doctrinam de Animarum immortalitate prædicat; & somnium hæreticorum de Animarum somno, aut nullitate post mortem clarè damnat.

15. Neque negamus Animæ Christi etiam in Paradiso, statum à corpore separatum quà talem, fuisse Humiliationis ejus partem; sicut & beatorum jam in cœlis separatio illa quà talis pœnalis esse videtur: Anima enim corporeæ communionis desiderium retinet, & mors quà mors non corpori tantum sed & Animæ per se pœna est.

16. Nomen DEI in primo Articulo Personarum unicuique tribuendum est; quamvis de *Filio* & *Spiritu sancto* non repetatur. Et ordo objectivus in fœdere Sacramentali (cujus symbolum est expositio) testatur sicut Patrem, ita & *Filium* & *Spiritum sanctum*, unum & verum DEUM esse (De quo lege Jos. Placæum.)

17. Principaliter notandum est, non solum *Personarum æternarum ut in se* Trinitatem, credendam esse, sed & uniuscujusque *Personæ* ad Fideles *Relationem* & *Relationis opera*. Ideóque in Deum ut Patrem & Creatorem, in Filium ut Dominum & *Redemptorem*, in Spiritum sanctum, ut Christi Advocatum, Agentem, & nostri Sanctificatorem & Consolatorem, necessariò credendum est.

18. Item credendum est, non tantùm Deum verè esse Creatorem & Patrem, Filium Salvatorem, &c. sed & omnium verè fidelium Patrem, Salvatorem, Sanctificatorem esse; neque hoc solum sed & *Mihi ipsi* juxta sensum fœderis & sub ejus conditione Deum Patrem, Salvatorem, &c. fore: Id est, *Mihi oblatum*, & *Mei* si fidelis sim. At me verè fidelem esse non est symboli Articulus, (neque credendum, sed sentiendum,) Ideóque, neque *Me absolute* esse Dei Filium, &c.

19. Idem de Peccatorum Remissione dicendum est. Peccata mea absolute actualiter remissa esse, non credendum est; sed tantum remissa sub conditione Fidei, & actualiter si fidelis sim.

20. Quamvis Animarum Immortalitas, aut malorum Damnatio, in symbolo non expresse inveniuntur; Prior tamen est in Articulo de Descensu (ut dictum est) & posterior in Articulo de Judicio futuro, & in Articulo de Resurrectione, & Vita æterna ut implicata subintelligitur. Cætera in Tab. patent.

CAP. XII.

De ipsâ FIDE *Divinâ, Christianâ: (De quâ & antea Cap. 8. de Fœdere.)*

FIDEI Divinæ Christianæ Anatomia fit, describendo Causas, 1. Efficientes, 2. Constitutivas, 3. Finales.

I. Efficientes sunt
- I. Prima & Principalis DEUS, Qui
  - I. Generaliter causare hîc præsupponitur: idque
    - 1. Ut Causa Naturæ
      - 1. Creatæ,
        - 1. Hominis.
        - 2. Objectorum.
        - 3. Mediorum naturalium.
      - 2. Sustentatæ,
      - 3. Actæ,
    - 2. Ut Legislator, Media generalia instituens.
  - II. Specialiter causat
    - I. Objecta Fidei
      - I. Realia, principalia, *viz.*
        - 1. Christum Hominem, ejus officium & opera.
        - 2. Beneficia donata, cum Rebus aliis Revelatis.
      - II. Logica, Organica,
        - 1. Revelationem Naturalem
          - 1. Quoad signa.
          - 2. Quoad sensum seu significationem.
        - 2. Revelationem Supernaturalem
    - II. Media
      - 1. Personas & officia earum,
        - 1. Principalem Christum, Angelum Fœderis.
        - 2. Subordinatos
          - 1. Extraordinarios, Apostolos, Prophetas, &c.
          - 2. Ordinarios, Pastores, Parentes.
      - 2. Res,
        - 1. Primariò; Verbum Divinum, Naturale & Scriptum.
        - 2. Subordinata; Sacramenta, Conciones, Libros.
    - III. Ipsam FIDEM per hæc Media & per Spiritûs sancti operationem.
- II. Secundæ Instrumentales
  - I. Personæ, jam nominatæ.
  - II. Res:
    - 1. Primaria
      - 1. Ipsa Revelatio per opera & Verba.
      - 2. Ejus confirmatio per miracula & effectus.
    - 2. Secundaria, prædicatio, &c. jam dicta.
- III. Secunda Principalis; *viz.* Ipse Fidelis, (Virtute Intellectivâ, Volitivâ, Practicâ.)

II. Causæ Constitutivæ sunt, I. Fidei Actus (priùs Lectoris gratiâ nominati.) II. Objecta, *viz.*

- I. Actus ex triplici hominis facultate distinguendi sunt, (Fides enim omnium facultatum opus est.)
  - I. INTELLECTUS, est *Fiducia Intellectus*, *viz.* ex Fidelitate alterius notâ judicare, seu Assentire.
  - II. VOLUNTATIS, est *Fiducia Voluntatis*, *viz.* ex Fidelitate alterius notâ, Velle, consentire, acceptare, acquiescere.
  - III. POTENTIÆ ACTIVÆ, est *Fiducia Practica*, *viz.* ex Fidelitate alterius notâ & volitâ.
    - 1. *Deditio* sui ipsius per fœdus internum ad Relationes & obligationes officiales.
    - 2. *Nisus* interior ad officia fœderis præstanda; obedientiæ principium seu origo.
    - 3. *Ausus* animæ ad ardua omnia toleranda aut superanda.
- II. Objecta: (è quibus Actuum specificatio: (Ideóq; prius Actus in Genere tantùm nominantur)
  - I. FORMALE, *cui Fides* habetur, est FIDELITAS DIVINA, in Dei
    - Omnipotentiâ,
    - Omniscientia,
    - Optimitate

    } consistens.

    (Trini scilicet Fidei Actus, unum idémq; est Objectum Formale; ideóq; una Fides est, unius hominis, in una Dei Fidelitate).

II. De

II. De objecto MATERIALI nota

I. Objecta *Generica* hîc præſupponuntur, *viz.* 1. Objectum *Fidei*, quatenus eſt *Aſſenſus*, eſt *Verum* ; *quatenus* eſt *Volitio*, *Bonum* ; quatenus *Activitas*, *Agendum*. 2. Objectum *Fidei* quà *Fidei*, eſt
  1. Logicum, ſignale : 1. Aſſertio, 2. Promiſſio, 3. Præceptum.
  2. Reale, ſignificatum, 1. Res aſſerta, 2. Res promiſſa, 3. Res præcepta.
3. *Fidei* quà *Divinæ* objectum eſt
  1. Logicum : *Divina*, 1. Aſſertio (de præterito, de præſenti, vel de futuro,) 2. Promiſſio, &c. 3. Præceptum.
  2. Reale ; *viz.* Materia à Deo, 1. Aſſerta, 2. Promiſſa (vel minata,) 3. Præcepta (& prohibita.)

II. De Objecto materiali *Fidei Chriſtianæ* in ſpecie conſideranda ſunt, 1. Ipſa Materia ; 2. Conditio objectiva

I. Fiduciæ Intellectus,

I. Objecti Logici,
  I. *Materia*, eſt Revelatio Divina per ſigna { Naturalia, Supernaturalia, } { 1. Aſſertiva, 2. Donativa, 3. Præceptiva, } { quà Vera, Logicè, } *viz.*
    Evangelii, ut 1. In fœdere, 2. In formulis, 3. In S. Scriptura, prout antea explicatum eſt.
  II. Conditio objectiva, { 1. Ut ipſa ſigna (Verba) certis Authoritatis Divinæ Evidentiis prædita ſint. 2. Ut & Verba & Evidentiæ illæ, nobis revelentur.

II. Objecti Realis,
  I. Materia eſt Evangelica (ſingulariter in S. Scripturis, contenta, ut ante dictum eſt.)
    1. Res Aſſerta (& reductive negata.) { 1. Hiſtoricè de præterito ; Creatio, Redemptio, &c. 2. Declarativè de præſenti, *e. g.* Chriſtus, Juſtificatio, Adoptio. 3. Prophetice de futuro ; *e. g.* Reſurrectio, judicium, &c.
    2. Res promiſſa, & oblata ; Quà Phyſicè Vera, Bona (& Reductivè Mala.)
    3. Res præcepta ; quà verè Officium, Bonum, Agendum (& reductivè Prohibita.)

II. Conditio objectiva eſt,
  I. Privativa, { 1. Nè ſit res ſenſibus, 2. Nec Intellectui per ſenſus } in ſe Evidens, quà talis.
  II. Poſitiva, { 1. Ut ſit facultatibus congruum ; Intelligibile, Appetibile, Poſſibile. 2. Ut ſit à Deo Revelatum, per objecta Logica priùs deſcripta.

II. Fiduciæ Voluntatis
  I. Objectum Logicum Organicum, eſt { 1. Quoad Materiam hoc Verbum Divinum, quà Bonum, 1. In Veritate, 2. Ut Medium. 2. Quoad Conditionem Objectivam ; ut ſit 1. Revelatum, 2. Creditum, ut dictum eſt.
  II. Objectum Reale, *viz.*
    I. Quoad Materiam ; Res Evangelii, quà Bona, in ſe, Verè, & nobis & aliis. Particulariter autem,
      I. Bonum Primum & Ultimum : DEUS { 1. In ſe, quoad Eſſentiam & perſonas. 2. Ut Noſtri Deus ; Dominus, Rex, Amator

- II. Secundum: Christus Homo, ut in se, Personaliter, & Relativè ut noster salvator.
- III. Opera Divina, & Beneficia, præterita, præsentia, futura, priùs enumerata.
- II. Quoad Conditionem Objectivam; ut sit
  1. Voluntati sanæ congruum, & verè amabile.
  2. Organicè revelatum & Propositum, ut Vo- lendum.
  3. Et Reductivè, ut Malum Nolendum.

III. Fiduciæ Practicæ Objectum est

- I. Logicum, Organicum
  - I. Quoad Materiam, est Lex Divina Christiana, quà talis; præcipiens & prohibens.
  - II. QuoadConditionem Objectivam
    1. Ut verè Divinæ Authoritatis Evidentiis prædita sit.
    2. Ut Lex cum Evidentiâ illâ sit Promulgata.
- II. Reale
  - I. Quoad Materiam
    1. Quam: nosmetipsos Deo dedendos.
    2. Ad Quam: Agenda & Habenda, (ad intra primò.)
    3. Contra Quam: Difficultates, Pericula, Patienda.
  - II. Quoad Conditiones Objectivas; ut divinitus hæc omnia nobis proponantur, per Legem.

III. Finales
- I. Nostri, 1. Unio cum Christo & Ecclesia, 2. Beneficia
  - Relativa: Remissio, Reconciliatio, Adoptio.
  - Realia
    1. Sanctitas, 1. Obedientia, 2. Amor, 3. Victoria.
    2. Glorificatio, & perfectio.
- II. Christi Mediatoris Gloria & Complacentia.
- III. Dei Gloria & Complacentia in Christo & Ecclesiâ.

Elucidationes

CAP. XII.

De Fide Christianâ.

1. DEus est causa Fidei efficiens Principalis & Prima: sed per Media moralia, & juxta Ordinem & Naturæ & Legis suæ, ab ipso prius statutum.

2. Fides Christiana, est vel *objectiva* quæ extra nos est in S. Literis & Symbolo: vel *subjectiva*, quæ intra nos & nostri est: De secundâ hîc differo.

3. Fides non est Actus aliquis unicus Physicus sed unus Moralis ex physicis pluribus conflatus, Qualis est, fidendo & consentiendo & fœderando accipere Maritum, Medicum, Herum, Regem, &c. & contra sentire est, si non insanire, saltem totam Christianismi fabricam convellere.

4. Fides non est Actus Unus aut plures *unius* tantum *facultatis*, sed totius animæ, id est, omnium: sicut & objectum ejus non est *Verum* tantum, sed & *Bonum* & *Agendum*, triplicis scilicet facultatis objectum triplex.

5. Sicut

5. Sicut autem facultates sunt radicaliter Unica Virtus formalis Unius Animæ, quamvis triplex ut ad objectum triplex; Ita & Actus fidei itidem sunt Unus & Radicaliter in Unione facultatum, & terminative ex uno objecto Formali; sicut etiam objectum Formale Unicum est & fundamentaliter in Divina Perfectione, & proxime summatim in *Divinâ Fidelitate*, seu Fide (ad quam Fides nostra refertur) & triplex tamen est in Divinis proprietatibus: Quicunq; enim vere in sensu Christiano in Deum credit, Formaliter fidit *Omnipotentiæ, Omniscientiæ* & *optimitati* Divinæ, quæ Fidelitatem ejus conjunctæ constituunt: Unde credere in Christum est Fidei seu fidelitati Christi me totum ad salutem obtinendam committere.

6. At *Fidei* nomen sæpe aliàs angustiùs sumitur pro Actu solius Intellectûs, quo veritati revelatæ Assensum præbemus; & ita quidem à *consensu voluntatis* distinguitur. At hæc fides non est Receptio Christi neque aliquem facit Christianum, aut Regenitum, aut Realem quà possessa, aut Visibilem quà professa. Qui enim non profitetur se sponte Christum accipere, & se Christo tradere, & fœderi consentire, in album Christianorum non est recipiendus. Immo nisi voluntaria sit, non est virtus, aut moraliter bona.

7. Quoniam de mente aut Voluntate alterius nil cognitum nobis est, nisi per *signa*; & inter *signa Verba* aut dicta aut *scripta* sunt usitatissima & notissima; *Verbum Dei* igitur Objectum fidei Divinæ *proximum* seu Organicum dicendum est.

8. Sicut copula in propositione stat medio inter subjectum & prædicatum, ita & *Signum* seu *Verbum inter Mentem* dicentis, & *Rem* Volitam, prædictam, promissam, assertam, &c. utrinque scilicet respiciens: significat enim & *Mentem dicentis*, & *Rem dictam*, v. g. [*Deus creavit mundum*] significat, *Dicentem hoc asserere*, & *Rem assertam ita se habere* [*Qui credet salvus erit*] significat, *Deum hoc velle*, & nobis notum facere; & rem ita futuram esse.

9. Necessario igitur *Objectum* & *Scientiæ* & *Fidei Logicum* seu *signi*, (quod & *Organicum*) distinguendum est ab *objecto Reali* seu *significato*: (& reverâ si omnes scientiæ ad partes hasce duas reducerentur, *Realem* & *Organicam*, seu de *Rebus* significatis & de notionibus & verbis significantibus, doctorum res jamjam multò melius processissent.)

10. Non tamen *Verbale* seu *Logicum* ita à *Reali* distinguimus, quasi *Verba* nihil Realitatis haberent; sed (ex penuriâ nominum) ut *signa* à *rebus significatis*, distinguamus.

11. Utrinque autem & de *Mente dicentis* & de *Re dictâ*, [quod *hisce signis aut verbis* (aut verè aut falsò) *ostentantur*,] non est *quid Creditum*, sed *scitum*: At [*Vere*] & [*non falso*] hæc ita significari, est *Res credita*. *Signum* esse, *scio*; *Verum* esse, seu *Verè significare*, *credo*.

12. Inter homines *Verba* sepe *Verè* significant *mentem dicentis*, quando *non Vere* significant *Rem dictam*: Quia *impotens*, aut *fallibilis* est qui dicit. Et sæpe *Res dicta vera* est, quando *dicentis mens non verè significatur*; Quia mendax vera insçius profert. At *Verbum Divinum* semper *utrinque Verum* est.

13. Res eadem materialiter potest esse & *causa* dictionis, & *subjectum*; mens scilicet aliquid de seipsâ significare potest: ut quum dico [*ego fidelis sum*] & quum Deus dicit [*ego omnipotens, omniscius, optimus sum.*] Hic vero distinguitur *mens eadem* quà *signum edens*, & quà propositionis *subjectum*: *mens dicens* est *verborum & veritatis causa*: *mens* quà *subjectum* dicti est Res per *signa* seu *Verba* secundario notificata.

14. Nisi *Dicentis Fidelitas* prius aliter innotescat, per *Verba* seu *assertiones* ejus, non fidei fit objectum: Ipsa enim *Verba asserentia* non *credenda sunt*, nisi ob dicentis *Fidelitatem*. Qui dicit [*Ego Verax seu fidelis sum*] non ideo *Verax* est; neque ideo ei credendum est; nisi aliter eum *Fidelem* esse patefit.

15. *Deum* igitur *Fidelem esse*, cui semper *credendum est*, *scientiæ Objectum est*, *fidem omnem Divinam* necessariò antecedentis: Neque *Deo* is *Credere* potest, qui eum prius *Fidelem* esse non novit.

16. In

16. In instanti tamen secundo *hoc idem* potest esse *objectum fidei*, quod ut *Notum* fidem antecedit: *viz.* Quando novi Deum fidelem, & audio eum *Fidelem* se *asserentem*, idem etiam quatenus assertum credo, quod prius aliter novi: sicut etiam *res visa* potest esse secundario objectum fidei.

17. Mentem igitur seu *Voluntatem dicentis*, Veram esse, *non primò creditur*, id est; Quà *Dicti causa*, non est *objectum* fidei *Materiale*, sed tantum quà *dicti subjectum*. *Verba* igitur seu *signa non* ad finem eundem *mentem dicentis & Rem dictam significant*. A *mente* scilicet *verace* ideo procedunt seu proferuntur, ut *per ea Res dicta aut Vera innotescat*.

18. Quamvis autem *mens dicentis* quà talis, non est *objectum quod creditur*, est tamen *objectum* seu *Fundamentum cui creditur*; Immo *solum objectum primarium cui* fides habetur. Huic scilicet *soli* fides credentis innititur, de dictorum Veritate: Ideo *vera* esse *Dicta credo*, quia *Dicentem Veracem* seu *Fidelem* esse scio: In Fidelitate igitur Dicentis solâ animus acquiescit.

19. Tria igitur objectorum Fidei Genera esse patet: 1. *Fidelitas* seu *credibilitas* dicentis, fons dicti & ejus veritatis; 2. *Verbum* seu *signum prolatum*; 3. *Res significata*. 1. Deum *Fidelem* & *Veracem* esse scio, quà *Deum*, scilicet *perfectum*; Omnipotentem, Omniscium, Optimum; Ideóque, 2. *Dicta* ejus *vera* esse, *scio*: id est signa *mentis veracis*, *vera tantùm* proferentis, de *Rebus Verè* seu sicut sunt. 3. Ideóque *Res dictas* seu dicto significatas *veras* esse, id est, reverà aut *esse*, aut *fuisse*, aut *futura esse* sicut dictum est, *scio*.

20. Fides igitur est *verè quædam scientia*: & omne *credere* fide Divinâ est *scire*: At quia scientiæ hujus *Fundamentum* est *Fidelitas Divina*, cui totum innititur Fidei ædificium, unde *Deo Fidem habere* dicimur, ideo *scientia* hæc *Fides* dicitur.

21. In *Fide* autem humanâ res aliter se habet: Hominum enim nemo est *infallibiliter fidelis*, ideóque non certum est an vera dicat; & an res dicta sit dictioni congrua: Ideóque fides humana non est scientia, neque certa, (quà talis.)

22. Qui dicunt Fidem habere *Evidentiam Credibilitatis*, non autem *Evidentiam Certitudinis*, vera dicunt de *Fide humanâ*, *falsa* autem de *Fide Divinâ*, ubi eadem est evidentia *credibilitatis* & *certitudinis*.

D. objecto Fidei Formali plura præcipue à Roberto Baronio cont. Turn. dicta sunt, & à M. A. Spalatens. in Rep. b. Eccles. cum quâdam dissonantiâ.

23. *Fidelitatem Divinam* igitur cum Scholasticis dico *Objectum Fidei* non *Materiale* sed *Formale*, utpote non *Quod creditur*, sed *cui creditur*: sed dum terminorum horum rationem aliter clariùs explico, de ipsis terminis lis nulla oriatur: neque super terminos ipsos ego multum adstruo. Propriè loquendo *objectum omne* est Actûs quasi *materia*, id est, *terminus*; & tamen Actus ab objectis specificantur. Quoniam verò ut in *Actu* ità & in *objecto*, est aliquid *Genericum* & *Commune*, & aliquid *speciale*, ideo objectum illud *specificum* dici potest, & *Formale*, ex quo Actus specificatur. *Fides* autem *quà Fides* seu *Fiducia*, specificatur ab objecto *cui fido*, non ab objecto quod *verum credo*: & ità *formale* hoc objectum dico. At inquit Castaneus Dist. Philos. O. p. 141. [*Objecti formalis species adeò confusè ab omnibus ferè authoribus traditæ sunt, ut difficile fuerit, omnium explicationes & sententias, propter diversissimas & confusas terminorum appellationes in ordinem ullum dilucidum reducere.*] Pet. Hurtado de Mendoza Metaph. Disp. 1. Proem. §. 1. p. 695. dicit, *Objectum formale est, quod propter se, vel ratione sui cognoscitur, creditur aut amatur: Materiale quod non propter se, sed propter aliud. Sic præmissum est objectum formale cognitionis, & conclusio materiale: Finis est objectum formale voluntatis, (vel Bonum quà bonum) media materiale.*] At aliorum dicta investigare non vacat: mea explicare sat est.

24. Verbum Divinum sicut significatione duplici jam dictâ præditum est, ità particeps est & naturæ objecti *Formalis* & *Materialis*, utpote & *Qui creditur* & *Quod creditur*. Quatenus enim est *signum mentis* & *voluntatis* Divinæ, nobis satis notum, ità est *objectum formale organicum secundarium*: *verbo* enim *Fidelis Fidem habemus* ut mentis ejus indici seu signo, cui primariò fidem habemus. Quatenus autem *Rem dictam* significat, est *objectum* fidei *materiale organicum*: & quia *Verum* id *Credimus*, ideo veram Rem dictam esse credimus.

25. In

25. In Actu *Fidei Christianæ Intellectuali* continentur omnia hæc ordine subalterno; *viz.* 1. Intelligere, 2. Judicare, 3. Assentire, 4. Credere, 5. Deo credere, 6. Deo doctrinam Christianam per Christum & Spiritum sanctum (in S. Scripturis) Revelanti credere. 1. Fides Christiana est Fides Divina: 2. Omnis Fides Divina est Fides: 3. Omnis Fides est Assensus: 4. Omnis Assensus est Judicium, sive *Assentire* est Judicare: 5. Omne Judicium est Intelligentia: ergo Fides Christiana est Fides Divina, est Fides, est Judicium, est Intelligentia. At non omnis Intelligentia est *judicium*, neque omne *judicium* est Assensus, nec omnis Assensus est *Fides*, neque omnis *Fides* est *Fides Divina*, nec omnis *Fides Divina* est *Fides Christiana* (e. g. Fides Adami ante lapsum.)

26. Non minimæ hîc difficultatis quæstio est, An *Veritas sit objectum Fidei Materiale an Formale? Resp.* De nomine nè sit lis, utpote inutilis. At ut ipse summo studio & *mentem* & *rem* explicatissimè aperiam, dico, Illud ego *objectum Formale* dico, quod sicut *Fundamentum Relationis* locum habet *Causæ efficientis* quoad *Rem creditam:* Et ità *Authoritas Imperantis* est objectum *formale* obedientiæ, quia est *causa efficiens* & *Debiti* seu *officii*, & *materiæ* obedientiæ. Ità etiam *Fidelitas dicentis* est *objectum Formale Fidei*, quia est causa *Efficiens* & *Veritatis Dictionis*, & *materiæ credendæ* (*scilicet Logicæ.*) *Veritas* ergo *Logica Dictionis*, ut consistit in *Conformitate Verborum* seu signi ad *mentem dicentis*, non est *Quid credendum materiale*, sed est primò *Quid sciendum*, deinde *objectum Formale Organicum cui fidendum* est (ut antea dictum est): At *Veritas* quà *Conformitas Verborum ad Rem dictam, seu signi ad Rem significatam* quà subjectum dictionis, est quidem *Primum* & necessarium & commune *Fidei objectum materiale:* At non merè quà *Fides* est, sed quà *Assensus*; Omnis scilicet assensus est *veritati* assensus, seu *Hoc verum esse* judicare. Quoad ipsum verò *Assensum*, *Veritas evidentiæ* est *efficiens veritatis conclusionis* in Esse objectivo: Ideóque *veritatem evidentiæ* seu *præmissorum* quà talium (non autem quà *propositionum*) dicerem *objectum Formale Assensûs:* At *Veritatem dicti*, seu *conclusionis*, dicerem *Primum* & *Essentiale objectum materiale Assensus.* Omnis Assensus est Veritati assensus. Et Veritas est adeo proprium Assensûs objectum, ut qui *objectum Formale* illud vocitant, non omnino inepte loquantur; Quandoquidem *objectum materiale Primarium* est, & actum quodammodo *specificans.*

27. Quodcunque objectum est & *Materiale* & *Formale*, & *Intelligentiæ* & *Judicii* & *Assensûs*, & *Fidei*, & *Fidei Divinæ*, hoc omne ut in *Fide Christianâ* inveniatur necesse est. Sicut omnis essentia *Generis* est in *Specie*: (sicut de *Actu* ante dictum est.) Utrum vero *objectum Formale superioris* (e. g. *Assensûs*, Fidei) concurrit ad constituendum *inferioris* (e. g. *fidei Divinæ*) *objectum Formale* an tantum *materiale*, solutionis est non tam difficilis quàm non necessariæ; utpote de notionibus non-necessariis.

28. Ex dictis jam liquet, 1. *Fidelitatem Divinam*, viz. *Essentialem Dei perfectionem*, esse *causam efficientem Veritatis Verbi*, ideoque *primarium* & *principale Fidei objectum Formale.* 2. *Verbum* quà *signum mentis Divinæ*, ejusque *Veritas* in hâc significatione, esse *materiale objectum cognitionis* seu *scientiæ*, & *Fidei* quà talis, *objectum Formale organicum secundarium.* 3. *Verbum* verò quà *signum Rei dictæ*, esse objectum *scientiæ:* Quà *Verum* autem in hac significatione, esse *objectum Fidei materiale* quidem, sed ita *necessarium omni* & *semper*, etsi non *soli* fidei *proprium*, ut non multum sint culpandi qui illud *Formale* vocant. 4. *Res* autem per *verba declarata*, est *objectum* fidei *materiale ultimatum.* Et hæc de *objectis* fidei sufficiant.

29. Hinc patet quid judicandum sit de controversiâ inter Rob. Baronium & Turnbullum. An scilicet *Revelatio* ad *objectum Materiale*, *an ad Formale pertineat?* Revelatio enim nil aliud est quàm *Verbum* seu *signum*, cum ejus ostensione seu prædicatione: De *hoc autem* ut & de ejus *Veritate* satis jam dictum est. Qualis copula est inter subjectum & prædicatum in propositione, tale fere *Verbum* seu *signum* est inter *mentem dicentis* & *Rem dictam* in fide (ut jam dictum est.)

30. De

30. De Revelandi, Confirmandi, Credendi mediis aliis capite de S. Scripturâ & alibi suo loco dictum est.

31. Traditio Verbi Divini, posteris est medium necessarium ad eorum auditum, vel visum, propter distantiam temporis & loci à primis prædicatoribus: Illius seculi & loci homines Christum & ipsos Apostolos & Prophetas audiverunt; nos autem distantes per ora vel manus aliorum tradita, eadem verba ut recipiamus necesse est. De mediis & certitudine Traditionis alibi dictum est.

32. Objectum fidei Logicum seu *Organicum* & *Reale*, *significans* & *significatum*, sunt *materiæ* quasi *Corpus* & *Anima*, non in hâc *vitâ*, at in futurâ tamen, separanda.

33. Fidei Christianæ partes *Communes* sunt *Revelationis Naturalis*, id est, per *signa Naturalia*: Partes *speciales* sunt tantum Revelationis supernaturalis.

34. *Mens Divina* non est objectum fidei, nisi quà *Revelata*; neque *Res ipsæ* nisi per Verbum jam patefactæ.

35. Nihil à Deo dictum, seu Verbum Divinum esse, judicandum est, sine validâ probatione seu evidentiâ.

36. *Hoc* ergo vel *illud*, e. g. *sacram Scripturam esse Verbum Dei*, est objectum *primo scientiæ*, non *Fidei*; Quodcunque enim fide divinâ creditur, est per Verbum aliquod Divinum revelatum: sin autem necessariò *credendum* sit S. Scripturas esse Verbum Dei, hoc *dictum* est per *aliud aliquod Verbum*, & ita in infinitum: At si dicas, per *idem Verbum* hoc dictum esse, *Resp.* 1. Non [*idem dictum*]: hæc diversa sunt [*Christus est Mediator*] & [*S. Scriptura est Verbum Dei.*] Quòd *in eodem libro* sunt, vel *simul dicta*, non eandem faciunt esse propositionem. 2. Sin de eadem hac posteriore propositione loqueris, non *Omni* sed *Deo* solum dicenti, [*Hoc est Verbum Dei,*] credendum est fide Divina: Ergo prius ordine *sciendum* est *Deum hoc dicere* antequam ut à *Deo dictum credi* potest. Causa effectu prior est: Qui dicit, *Credo S. Scripturam esse Dei Verbum, quia Deus id dicit*, ita fatetur se priùs intelligere Deum id *dicere*. Revera autem S. Scripturæ Authoritas Divina etiam (cum aliis mediis) ex seipsa nobis *innotescit*: non autem primò ex seipsa hoc *credendum dicente*; sed ex seipsa hoc *sciendum* per evidentias divinitatis demonstrante.

37. Causa efficiens instrumentalis Fidei sunt S. Scripturæ, ideoque ut sæpe dixi objectum secundarium Formale, quamvis non [*eas esse verbum Divinum*] sed [*Veras esse quia Verbum Divinum*] est primum *Materiale*.

38. Quod hactenus aperire de duplici objecto conatus sum, etiam ipsius naturæ ordini est congruum. Revera enim (quod utinam physici considerarent) objectum *ipsius sensûs* est vel *passivum* vel *Activum*: Objectum omne *quà objectum* est *Passivum*, & tantum *Terminativum*, & non omnino *motivum* aut *effectivum*, sed quasi *materia* actûs constitutiva. Objectum autem *Activum* est *simul objectum* quà *passivum* est, (omne enim *Activum*, creatum est etiam *passivum*), & *causa efficiens* quà *Activum*. Ita *Lapis* est *objectum* visus *passivum terminativum*, non *motivum* aut *efficiens*. At *Lumen* est *objectum passivum terminativum*, & simul *causa efficiens Activa movens*. Ita etiam de *Deo* & de *Verbo* dicendum est, qua *relative* & *intentionaliter passivis*, & *objectis terminativis*, & qua *Activis* & *fidem efficientibus*.

39. Quamvis Fidei nomen pro nudo *Assensu* Intellectûs aliquando sumitur, & Fides Christiana salvifica (quæ semper est triplicis Facultatis) ab *Intellectu* incipit; Ideoque ejus objectum jam latius explicavi; *Fiduciæ* tamen *Voluntatis*, & *Fiduciæ Potentiæ Activæ objecta propria*, *Fidei* salvificæ constitutionem ingrediuntur.

40. *Fides* Christiana quamvis in omnibus facultatibus, est *Eminenter in Intellectu*: & in symbolo Fidei ita exprimitur *Amor* seu *sancta volitio*, (quà non tantum Actus Physicus sed *virtus salvifica*) est omnium facultatum, sed *eminenter voluntatis*; & ita *Precatione Dominicâ* exprimitur. *Obedientia Interna* est omnium facultatum; at *eminenter Potentiæ Activæ*; & ita *Decalogo* exprimitur.

41. At

41. At & *Fidei* & *Amoris* & *obedientiæ* & omnis *boni moralis*, quà *moralis* & virtutis, ſedes primaria eſt *voluntas*; Ideoque ejus *Habitus* dicuntur *morales*: *Intellectus* vero & *Potentiæ Activæ Habitus* & *Actus* ſunt *morales* tantum ſecundariò, quatenus ſunt Potentiarum à *voluntate Liberâ* imperandarum. *Virtuoſitas* igitur & *Moralitas Fidei* eſt *primo voluntatis*.

42. *Bonum* multiplex reſpectivè eſt objectum *Fiduciæ Voluntatis*: viz. 1. *Fundamentaliter* Bonum *Divinæ Fidelitatis*. 2. *Bonum Inſtrumentalitatis Verbi* quà mentem Divinam patefacit. 3. *Finaliter*, *Bonum oblatum*, *promiſſum*, *patefactum* (Deus ut Finis, Gloria, Gratia, Mediator, ejus opera & merita, &c.) 4. *Bonum inſtrumentalitatis Verbi* quà *Bona Finalia*, & *Realia promittit*, ſignificat, &c.

43. Quoniam proprius VERBI *uſus* & *Bonum* eſt *Inſtrumentalitas* ejus, ut *Signum* & *Medium objecti Primi fundamentalis*, & *Ultimi & finalis*, & *mediorum* aliorum; Ideo non alia quærenda eſt *Verbi perfectio*; non alia fingenda *illius neceſſitas*, aut locus alius in fide conſtituendâ. Et qui in tantum & *Huic Verbo*, & *Hoc Verbum* credit, quantum ſufficit ad *Uſum* jam dictum, & quantum ejus *neceſſitas Organica* requirit, proculdubio *verè fidelis* æſtimandus eſt.

44. *Potentiæ Activæ Vitalis*, ut in aliis, ita & in *Fide* duplex operatio eſt: Prima facultates cæteras ſuperiores ſuſcitare, ut *Principium Activitatis*; Deinde cum cæteris (idque eminenter) facultatem *Locomotivam* inferiorem excitare ad obediendum.

45. *Præcepta* Divina per Intellectum creduntur, non tantum quà *Vera mentis Divinæ*, ſed & *officii humani Signa*; & *officium* ipſum quà vere *præſtandum*.

46. *Credere in Chriſtum*, *Infidelibus* à Deo præceptum eſt.

47. Actus igitur *Obedientiæ Divinæ* eſſe oportet: Credendum eſt, quia credere jubentur.

48. Ideo ſupponitur *ſcientiam Numinis*, *& fidem aliqualem Divinam*, *fidem in Chriſtum* antecedere.

49. At *prima notitia Deitatis* non eſt *actus obedientiæ*; neque primò, *credere Chriſtum eſſe vere Chriſtum* poteſt eſſe *Chriſto obedire*: Nulli etenim *formaliter obedimus*, cujus *Jus Imperandi* non prius agnoſcimus.

50. Primò igitur *Chriſtum credimus*; deinde & *Chriſto credimus*; & hoc poſterius eſt *Obedientiæ Radix*, ſcilicet *ſubjectio*, & *Deditio* noſtri ipſorum ad Chriſto de futuro obediendum. Ubi etiam Voluntatis *conſenſus* eſt principaliter incluſus.

51. Fides igitur in *Chriſto* non eſt *ipſa obedientia formaliter* & ſtrictè dicta: ſed ad obediendum conſenſus, ſui obligatio, ut & *Animi diſpoſitio*, & *primus conatus*. *Obedire* enim formaliter non idem eſt ac *Fidere*.

52. At Fides primo poteſt eſſe pars *Materialis obedientiæ Dei*, & fides omnis poſt primam poteſt eſſe pars *materialis obedientiæ Chriſto*: In Chriſtum nempe Fiduciam habemus, quia ab ipſo *juſſum* eſt.

53. *Auſus* & *Niſus* eſt ille *Fiduciæ* Actus, quà ſtatim per *Potentiam Executivam* in obedientiam prorumpit.

54. Ideo *Fides ſalvifica* ſæpiſſime per Chriſtum deſcribitur per hunc effectum; Crucis ſcilicet tolerantiam, omnium, etiam vitæ ipſius, abnegationem & derelictionem; & contra maxima pericula Auſus.

55. Quando ægrotus prius dubitatione, & medicinarum amaritudine deterritus, at à medico promiſſis invitatus, dicit [*Audebo*]; Quando qui navi & Gubernatori prius diffiſus, & maris aſpectu territus, ad Regnum tamen obtinendum in navem invitatus, dicit, (mente ſcilicet) *Audebo*; ita mente dicendo ſimul exprimit Aſſenſum, Conſenſum, & Deditionem ſeu *Auſum*; *Intellectûs* ſcilicet, *Voluntatis* & *Potentiæ Activæ Fiduciam*; & prior ſtatim *medico*, alter *nauclero* ſe ſtatim expreſsìm tradit; & inde prior medicinam ſumit, alter autem navim conſcendit. Et ita res ſe habet in naturâ & operatione Fidei Chriſtianæ, per *Amorem* ſcilicet *operantis*.

56. Uſus Fidei eſt, *Amoris* & *obedientiæ* excitatio, (ſicut follis ad ignis accenſionem): & inde ad Animæ perfectionem & Gloriam, & ad cætera Tabulâ memorata.

morata. Et sicut Christus quà Mediator non est *Finis ultimate ultimus*, sed *Medium* seu *Via* ad Patrem; Ita *Fides in Christum Mediatorem* non est Gratia seu Actus *finalis* & *perfectissimus*, sed *Medium* ad *Amorem Divinum* suscitandum, & ad *obedientiam* præstandam, & ita ad *sanctitatem* & ad Gloriam: & ultimate ad Gloriam Divinam.

De Fide quà Justificante postea in Cap. de Justif. dicendum est: & de hisce plura in Cap. de Sacris Scripturis.

Qu. *Quot & quænam sunt Fidei Christianæ partes essentiales (seu Fundamentales) & quomodo certò dignoscuntur?*

Diligenter quæso notet Lector hanc brevem & claram explicationem controversiæ de numero fundamentalium seu essentialium. At copiosius Quæstio ferè eadem Lib. 1. discutitur, & quamvis ex oblivione hic eadem fere recitantur, quia brevia tamen, ad Lectoris ut puto commodum non obliterantur.

Resp. 1. CHristianismus non est Nihil: Ideóque describi potest; & partes habet Essentiales ab Integralibus & Accidentibus distinctas.

2. Quia *Fundamentalium* nomen metaphoricum ideóque ambiguum est, & ingeniis tum crassioribus, tum veritatis inimicis, confusionis, & deceptionis diu ansam præbuit, *Essentialium* nomen ego potius utendum esse duco.

3. Partes Fidei Essentiales sunt, quæ verè *fidelem* seu Christianum, quantum ad Fidei Objectum pertinet, constituunt.

4. De *fide* autem & de *Christiano*, non æquivocè, sed *propriè* & in sensu famosiore hoc intelligendum est. De fide scilicet Salvifica, & Christiano justificato.

5. Necessariò hîc distinguendum est inter *Objectum Logicum, organicum significans*, & *objectum Reale*: & quoad prius, inter Literam, seu ipsum signum, & sensum, seu significationem, & notionem.

6. Nullum objectum individuum signale, seu Grammaticum, potius quam aliud, est Fidei *Essentiale:* sed aut hisce aut aliis verbis idem sensus exprimi potest.

7. Objectum Logicum, quoad *Sensum*, illud fidei essentiale est, sine quo *Objectum reale significatum* (per *verba* & *sensum*) verè credi & haberi non potest. (E.g. Deus reconciliatus, Christus Salvator, Spiritus sanctus, Justificatio, Adoptio, Sanctificatio, Gloria, &c.)

8. *Objecta Realia significata* ea sunt Fidei *Essentialia*, in quibus ipsa salus essentialiter consistit, vel quà *Finis*, vel quà medium necessarium.

9. Ad salutem necessaria sunt 1. Beneficia salutaria nobis à Deo donata; 2. Officia nostra quæ à Deo fiunt Beneficiorum recipiendorum conditiones. Qui enim conditiones ex parte suâ præstat, proculdubio Beneficiorum particeps erit: Et qui Beneficiorum salutarium compos est, re ipsâ salvatur. Objecta igitur hæc omnia *Essentialia* tum *Realia*, tum *Logica*, in *Fœdere Sacramentali* continentur: Nihil enim ad salutem ex parte *Donatoris* necessarium est, quam *Deum fieri nostrum Deum*, & *Patrem reconciliatum*, & *Christum nostrum Caput* & *Salvatorem*, & *Sp. Sanctum* nostrum *Sanctificatorem*, *Consolatorem*, &c. Neque ex parte nostrâ aliquid amplius necessarium est, quàm *Deum Patrem, Filium* & *Sp. sanctum* ut *oblatos acceptare*, & *fœderi* verè *consentire*, & *nosmetipsos* Deo, in hisce *Relationibus, totos*, verè & absolutè tradere; & consensum hunc ad finem usque continuare, & promissa fideliter præstare.

10. Falluntur igitur aut fallunt periculosè, qui aut *Rerum ipsarum Veritatem Metaphysicam*, aut *propositionum quarundam Veritatem Logicam*, (seu *Moralem*) putant *esse adæquatum Fidei salvificæ objectum: Rei* enim ipsius *Bonitas* quæ & *eligibilitas*, & *Verbi Bonitas* quà *Medii* ad fidem salvificam constituendam, non minùs necessaria sunt, quàm *Veritas*.

11. Sin autem de *Parte* tantum Fidei (*Intellectuali* scilicet) non autem de *totâ* quærunt, dicendum est, Quod si objectum totum in *fœdere* continetur, proculdubio & *omnes* ejus partes. Nihil igitur aut *Reale* aut *Logicum* (si modo *intellectum*) ad fidem salvificam necessarium est, quod non in *fœderis Re & sensu* continetur.

12. Hinc

12. Hinc omnis *verè Baptizatus* (ex parte Ecclesiæ, & sui, externâ & internâ) est *verè fidelis* & *Christianus* & *salvus erit*: Aliter *Dei fœdus* salutem promittens falsum foret.

13. Sin autem *ignarus* aliquis *fœderis Verba non intelligit*, non ideò eorum aut *sensus* aut *Res* variant aut deficiunt: Idem enim est verborum *sensus in se*, quomodocunque intelligantur.

14. At profectò *ignoranti plura verba explicatoria necessaria* sunt: Et ita videre est, totam hanc Papistarum Controversiam huc recidere, non quid sit *objectum Reale*, neque *Logicum* quoad *sensum Verborum*; sed *Logicum* quoad *signum* seu *ipsa Verba*. Ridiculum quidem, nisi in re seriâ & pessimorum effectuum: Planè enim dicimus, Neque hæc, neque illa Verba, Græca, Latina, Anglica, esse fidei objectum essentiale; sed Verba ea quæcunque sine quibus *Res* & *Sensus* credi non possunt: Hæc autem tam diversa sunt, quàm audientium ingenia. *Sapiens* per *pauca* verba sensum probè recipit: *Insipiens* vix per *plura*: Et quo ignorantior aliquis est, eo plerumque *verbis pluribus* eget. Quibusdam autem longa Concione aut Catechismo opus est; & mere Anglis quidem verba Anglica, Gallis Gallica ad fidem, quia ad intellectionem sunt necessaria: Nec aliter verba ulla sunt *fidei Essentialia*, aut ut loquuntur Fundamentalia. Et jam Lectoris Conscientiam appello; Nonne *pudenda omnino & Papistarum* lis, & Protestantium quorundam ignorantia est, de *Articulis Fidei Fundamentalibus*. Doctissimi D. Bezæ verba in Annot. in cap. 12. ep. ad Rom. notanda judico: *viz.*

["v. 6. εἴτε προφητείαν κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως· Potest τὴ ἀναλογίας vocabulum dupliciter exponi: Nempe vel pro convenientiâ sive congruentiâ quadam, vel pro eo quod antea μέτρον vocavit: Harum igitur interpretationem si priorem sequaris, significavit Apostolus Verum CANONEM prophetiæ, id est, interpretationis Scripturarum veræ à falsâ discernendæ, nempe si ad Christianæ fidei axiomata ἀυτόπτα exigantur, symbolo comprehensa quod Apostolicum vocant. Et quod jam inde ab initio Evangelicæ prædicationis, veluti Evangelii Epitome scriptum fuit; ideóque norma & regula fidei meritò à Tertulliano vocatur.]

Q. 2. *An fides Divina habet Evidentiam Veritatis?*

R. 1. POntificii qui Reformatorum dissentiones ut opprobria & crimina ipsis impingunt, de ipsâ fidei naturâ seu ratione formali, & fundamento, id est, de ipsâ Religione Christianâ inter se dissident, acritérque militant: A *Lomino* quodam & Pet. Talboto Archiepiscopo Pontificio Dublinensi nuper editus est Liber contra Blackloistas (id est Tho. White, seu Anglum ex Albiis ejusque sequaces) Sargentium, totumque Cleri Anglicani Papistici Capitulum, ut Hæreticos seu Hæreseos fautores, quia *Veritatis Evidentiam fidei Divinæ necessariam esse* asserunt: Et sententiam Romani Pontificis eos ut hæreticos damnaturam & quærunt & expectant. Et Thom. Whitum, (seu Blackloum) jampridem Papa condemnavit. Talboti autem (& plurimorum quidem Scholasticorum aliorumque Papistarum) sententia est, fidem esse miraculum, immo miraculorum maximum, non habentem evidentiam *veritatis, sed tantum credibilitatis*, scilicet *Moralem*: Verba Talboti sunt pag. 292. [*Disce tandem certitudinem fidei non fundari in evidentiâ ullâ naturali aut supernaturali; sed in lumine supernaturali quod claram evidentiam veritatis fidei minime gignit, etsi summam illi firmitatem tribuat.* Ingenue etiam fatentur, *Infallibilitatis* seu *Veracitatis Ecclesiæ Romanæ*, nullam extare evidentiam, nisi moralem probabilitatis: ideóque aut probabiliter tantum, aut miraculosè Ecclesiæ isti fidendum esse.

De quæsito autem dicendum judico, 1. In fide Divinâ nullam dari evidentiam *Credibilitatis* quæ non sit etiam *Evidentia* Veritatis. Quid enim *Credibile* dicitur nisi, *Hoc aut illud Verum esse*. Immo omnis evidentia credibilitatis Divi-

næ est evidentia *Certitudinis*. *Omne* etenim Verbum Dei Verum esse certissimum est.

2. At distinguendum est inter *Evidentiam Rei in se*, & evidentiam ab intellectu *receptam*: Item inter receptionem seu intellectionem *ejus claram* & *obscuram, distinctam* & *confusam*.

3. Deus nihil credendum nobis præcipit, sine evidentiâ Veritatis: *Evidentia* quippe est ipsa *Veritatis perceptibilitas*: *Imperceptibile* autem percipere nemo tenetur. Ideo verum esse omne Dei Verbum credimus, quia *Rationem*, id est, *Evidentiam Veritatis* percipimus: Rei aut Verborum Veritatem sine evidentiâ aut credere aut intelligere, est quasi sine lumine rem (id est invisibilem) videre. Miracula quidem fidem adjuvant; at fidem ipsam propriè *miraculum* dicere, non est fidei amici, sed prævaricatoris & inimici.

4. Eadem *Veritatis Evidentia* non ab omnibus æquè recipitur; A quibusdam autem non recipitur. Intellectûs scilicet & Voluntatis præparatio necessaria est: Recipitur enim ad modum recipientis. Veram evidentiam, etiam demonstrativam quidam citò, quidam serò, quidam clarè, quidam obscurè, quidam indubitanter, quidam hæsitanter cernunt.

5. *Credibilitatem* percipere nil aliud est quàm *Veracitatem* seu *fidelitatem* percipere testantis, & *testimonii* seu *rei Veritatem* percipere, ex *evidentia* hâc, testantis scilicet fidelitate.

6. Sicut Appetitus naturalis suam habet (aut intrinsecam essentialem, aut conjunctam) perceptionem, e. g. quâ ciborum percipit delectabilitatem, ita & Voluntas in sese, aut Intellectus Voluntati conjunctus suam habet *Bonitatis* perceptionem, quam non solum ratiocinando, sed & immediatè quasi sentiendo, seu gustando exercet; ex congruitate scilicet *facultatis & objecti*.

7. Quia idem Spiritus author est & sacræ Scripturæ seu fidei objectivæ, & luminis interni seu fidei & amoris subjectivi, ideo maxima hîc invenitur congruentia: Unde quasi gustando anima bonitatem & suavitatem sacræ Scripturæ percipit, cum Spiritus sanctus in eam operando appetitum spiritualem ingenerat.

8. Plurimùm autem potest Voluntas in Intellectum; & Bonitatis, congruentiæ, & suavitatis perceptio, multum valet ad Veritatis fidem conciliandam: & cogitationes circa *volita* & *delectabilia* seu *necessaria* alacriter suum opus peragunt.

9. Non tamen sine perceptione *Intellectivâ* hæc agit Voluntas per Spiritum sanctum excitata; sed plerumque inferior seu communior quædam fides præcedit; semper autem Spiritûs ejusdem illuminatio, itidemque intellectûs Veritatis perceptio quædam ei concomitantur.

10. Triplicis perfectionis impressio fit per Spiritum sanctum in sacris literis, *Vitalitatis* scilicet (seu Potentiæ) *Sapientiæ* & *Amoris*; Itidemque triplex perceptio fit simul in animâ per S. literas & Spiritum sanctum; *Vitalitatis* scilicet, *Veritatis* & *Bonitatis*: simulque excitatur anima ad *Vitalitatem*, *Assensum* & *Amorem*.

11. Animæ facultates superiores inferiorum perfectiones quamvis non formaliter, tamen eminenter in se continent: & Anima quà Intellectiva & Volitiva eminenter, quamvis non formaliter, sentit.

12. Hæc eminens *sensatio Intellectûs* à Scholasticis dicitur *Intuitio*, *Voluntatis* autem *Amor*, seu *Complacentia*, quæ est sensus placidus congruitatis seu bonitatis.

13. Hujus generis est animi *perceptio sui ipsius*, seu suorum actuum immanentium; etiamque fortasse primorum principiorum intellectio (aut saltem hujus similis): Et aut Intuitionem talem, aut perceptionem intuitioni proximam habet anima per Spiritum sanctum illuminata & *Bonitatis* & *Veritatis* & *Vitalitatis* sacræ doctrinæ.

14. Perceptio discursiva eo magis animo satisfacit, quo ad *intuitionis* naturam

ram magis appropinquat, & non tantùm *Verba*, sed *Res ipsæ* & earum *evidentiæ* per verba percipiuntur : & eò minùs efficax est, quo magis *mere organica*, & *artificialis*, & in *verbis* ipsis seu arte disputandi consistit.

15. Sicut plurimi indocti suorum actuum immanentium conscii, animarum suarum existentiam quasi essentiali & intimo sensu quodam percipiunt, qui tamen *modo artificioso* seu *Logico* animam aut definire aut scire non possunt ; ita & animæ cibus congruus (*Bonitas*, *Veritas* & *Potentia* scilicet Evangelii) per sensum quendam spiritualem à plurimis percipitur, antequam fide seu scientiâ artificiosâ seu discursivâ bene percipitur.

16. Sicut autem non est visio sine lumine objectivo, neque actus ullus objectivè transiens, sine suo objecto & medio necessario, ita & perceptio hæc spiritualis non est sine objecti evidentiâ perceptibili ; sed sicut visus fit per congressum luminis externi objectivi & luminis interni visivi, ita & perceptio hæc spiritualis fit per congressum Luminis evidentiæ objectivæ cum intellectu illuminato.

17. Lumen hoc Evangelii objectivum idem est Intellectui, quod Bonitas objectiva Voluntati : est Perfectionum Divinarum, (Potentiæ, Sapientiæ & Amoris) Imago quædam impressa & refulgens. (De quâ plura in libro Anglic. de *Vitâ fidei*.)

18. Si Dei Imago in Animâ sanctificatâ percipi verè potest, quare non & Imago ejus in SS. Evangelio quo fit hæc in animâ impressio ? Si sigillum meum sciri potest in cera, quare non & in chalybe sculptum quo in ceram fit impressio ? Sicut Perfectiones divinæ in *operibus* ejus refulgentes authorem indicant, ita & suo modo etiam in Evangelio.

19. Si ipsum Evangelium authorem nullo modo indicaret, & omnibus scriptis humanis potentia, Lumine & Bonitate non præstaret, argumenta extrinseca & artificialia id hominibus haud efficaciter commendarent. Omne opus Divinum proculdubio opera humana præcellit : & nisi aliquid contineret humani ingenii vires verè superans, authorem Deum minimè ostentaret : Qui solem & sydera contemplatur, facilè credet ea Dei, non hominum opera esse : non itidem qui horologium aut ædificium videt.

20. Non autem necessarium est quo Divinum probetur, *totum opus* esse mere miraculum, aut vires humanas planè superare : Scribere, Hebraicè & Græcè scribere, res visas & auditas enarrare, de virtutibus & vitiis differere, præstari possunt & sine miraculo, & sine inspiratione aut gratia speciali ; Scribendi tamen modus, cum conjunctione supernaturalium, & ingenium omne humanum transcendentium, etiam materiam communem divina authoritate quasi animant, & totius operis authorem divinum indicant.

21. Fides divina non est unicæ facultatis actus, sed (ut Davenantius post alios rectè notavit) totius animæ, seu facultatum omnium superiorum opus : *Fides* est quà *Deo* & in Deum fido ; & *fiducia* sæpè appellatur ; Intellectus fidendo veritati assensum præbet ; Voluntas fidendo fœderi oblato consentit ; & ad media prosequenda, & opposita deserenda Potentiam executivam applicat : Objecti igitur evidentia unicuique fidei actui essentiali aptatur.

22. Non in puncto seu re unica hæc *evidentia objectiva* consistit : sed in pluribus Spiritûs sancti testimoniis diagnosticis, quæ in probatione Veritatis non sunt separanda ; *antecedentibus* scilicet *constitutivis*, *concomitantibus & subsequentibus*, de quibus alibi copiosè tractatum est. Evidentia igitur S. Scripturæ *constitutiva*, non sola per fidem supernaturalem est spectanda.

Q. 3. *Utrum Evidentiæ Divinæ revelationis* (seu *authoritatis*) *perceptio*, sit actus fidei ipsius divinæ? *an quiddam antecedens?*

R. 1. FIdes formaliter & propriè dicta est quà *Verbo Divino agnito fidem habeo*; seu fiducia in Dei revelantis testimonio posita. Et ita & materiam testimonii & authorem priùs agnitum esse præsupponitur. Qui Christi ipsius conciones audiverunt, priùs nôrunt & Verba & Christum ipsum ea locutum esse, quàm ejus verbis fidem habuerunt. Imò non pauci auditu certissimò percepe-runt hæc Christum dixisse, qui tamen eis minimè crediderunt. Et Deum ip-sum non pauci non solum mendacem, sed mendaciorum omnium causam pri-mam prædeterminantem & necessitantem fingunt. Qui proculdubio si Ver-bum aliquod Divinum esse agnoscerent, non ideò ei fidem adhiberent. Cum Moyses Deum loquentem audivit, & tabulas ipsius digito scriptas recepit, non stricte loquendo dicitur eum *credere* hanc esse vocem Divinam, aut tabulas hasce Dei digito scriptas esse; sed potiùs hæc *novisse*. Qui credit enim *Testi-monio credit*; idque propter Veracitatem seu fidelitatem testantis: Veracitas igitur testantis, & ipsius testimonium ut præcognita supponuntur: si huic testi-monio credo propter aliud testimonium, & illi propter aliud, ita procedendum esset in infinitum. Sin autem dicatur, Hoc testimonium fide recipiendum esse propter seipsum, hoc verum est sensu priùs explicato, scilicet, *propriâ luce* (cæ-teris concurrentibus) hoc divinum esse verbum *percipimus*; Hoc autem ex evi-dentiâ percipimus antequam ei propriè fidem habere possumus.

2. At si *Fidei* nomen largiùs sumatur, pro omni illâ animi illuminati actione, quâ per gratiam Spiritûs sancti utitur in receptione testimonii Divini, ita conce-dendum est, & *Scripturæ intellectionem*, & *authoris agnitionem*, hujus fidei verè partes esse. Et sacræ Literæ quidem nominibus circa mores moraliter utuntur, ut plures actus physicos significantibus, & rarò anguste juxta subtilitatem physi-corum aut Logicorum.

Q. 4. *An omnes S. Scripturæ libri capita, versus, & verba singularia, lucis propriæ evidentiâ fide Divinâ recipiuntur; an solæ partes nobiliores?*

Resp. 1. PArtes doctrinales quamvis æque veræ, non æque tamen sunt evi-dentes, aut necessariæ: sicut Gloria Divinæ Potentiæ, Sapientiæ & Amoris nobis clarius elucet in cœlo, sole, syderibus, &c. quàm in cœno, arenula, bufone, &c. Ita & in narratione Evangelicâ Incarnationis, concionum, vitæ, mortis, resurrectionis, ascensionis Christi, in promissione salutis, &c. clarius elucet quàm in quibusdam commatis inferioris, puta historicis, genealogicis, chronologicis, numeris, circumstantiis, &c. Et sicut præstantiæ & necessitatis, ita & divinæ authoritatis & veritatis notæ intrinsecæ, constitutivæ, in illis quàm in hisce magis illustres sunt & evidentes.

2. Partes S. Scripturæ singulares considerantur vel seorsim in se, vel conjun-ctim cum totâ. Seorsim consideratæ partes non paucæ, (verba, dicta, ver-sus, &c.) tales sunt in quibus Divinæ authoritatis evidentia sufficiens etiam fide-libus minimè cernenda est (sine inspiratione seu revelatione aliâ divinâ.) In re tam clarâ instantias proferre frustra esset.

3. Sicut Gloria Dei opificis magis elucet in totâ mundi, cœli aut terræ fa-bricâ, quàm in una arenula, lapide, musca, &c. & in toto homine quàm in membro aliquo minimi decoris; ita & Dei authoritas magis elucet in totâ S. Scripturâ, & sacræ doctrinæ systemate quàm in parte aliqua minore: In totâ tamen hæ partes suâ pulchritudine non carent; (sicut & crines & ungues cor-poris utilia sunt ornamenta): Earum autem divina authoritas potius ex unione cum tota Scripturâ, & à partibus nobilioribus, quàm ex seipsis percipi-enda est.

4. Non

4. Non paucæ sacræ Scripturæ partes, neque ex evidentiâ propriâ, neque ex evidentiâ partium nobiliorum, vel totius, aut probari aut cerni possunt (sine revelatione aliâ) esse Divinæ; nisi aliunde, Traditione scilicet & evidentiâ morali, earum unio authentica cum totâ prius probetur. Quis unumquodque verbum, dictum, ceremoniam Mosaicam, numerum, historiam, genealogiam, hominum aut locorum nomen, revera sacræ Scripturæ partem esse ex evidentia aliqua intrinseca constitutiva noviſſet; aut sine evidentia extrinseca historicâ & morali?

5. Probatur hoc 1. Ex reprehensione acri D. Pauli contendentium circa quæstiones de Lege, & genealogiis, ut inanes & stultas & pietati inimicas; quas ex inhærenti evidentiâ statim decidendas non judicat. 2. Ex fidelium dissentione circa multas S. Scripturæ particulas, verba, versus, capita, libros, e. g. etiam totas Epistolas, *viz.* Jacobi, Petri 2. Judæ, Joh. 2. & 3. immo & ad Hebræos, Apocalypsim: Ad quam decidendam totorum librorum quidem inhærens evidentia non parum contulit; At testimonium Ecclesiarum historicum (ferè solum in minutioribus, & ut primum præcipuum de totis hisce libris) ad litem hanc finiendam fuit adhibitum.

6. Eruditis omnibus palam notum est, etiam in Scriptura Novi Testamenti plurimas esse exemplarium variantes Lectiones, & nullum extare exemplare primò & absolutè adeò authenticum ut cætera per hoc sint corrigenda: Ideóque neque evidentia inhærens aut partis aut totius, neque ipsa Traditio historica, neque ulla alia inspiratio aut revelatio, fideles adhuc certos fecerunt, quænam harum Lectionum diversarum sunt Dei verba, & quæ sunt hominum errores.

7. Non solent eruditi ad controversias de hisce diversis Lectionibus aut Veteris aut Novi Testamenti, appellare homines fortissimæ fidei, aut verborum evidentiam inhærentem; sed exemplarium aut antiquitatem aut numerum & communiorem receptionem, & probabiles ex contextu conjecturas.

8. Fideles quorum experientiam de hisce postulo, mihi promptè fatentur, sine testimonio historico se nec posse nec unquam potuisse, ex evidentiâ inhærenti hasce controversias de variis Lectionibus per fide n decidere; Neque certò percipere, Cantic. Solomonis e. g. Paralipom. &c. esse Divina, & Ecclesiasticum, Sapient. Solomonis, &c. mere humana.

9. Quando Christus & ejus Apostoli Libros Vet. Testamenti à Judæis receptos receperunt, & D. Paulus, Rom. 3. dicit *Illis commissa fuisse oracula Divina*, mihi videntur potiùs ad Judæorum receptionem & traditionem, q àm ad criteria inhærentia nos mittere, ad verba, versus, & libros quosdam divinos à non Divinis seu Canonicis discernendum.

Q. 5. *Utrum Evidentia hæc inhærens sit priùs & potiùs in Sacræ Scripturæ verbis & literis, an in ejus materiâ & doctrinâ, an æquè in utrisque?*

Resp. 1. VErba considerantur vel *materialiter* ut *exarata* & *sonantia*, vel formaliter ut *significantia*. In priore sensu neque prima neque ulla est sufficiens evidentia inhærens, ea Deum habuisse authorem inspirantem. Fideles indocti qui neque *Hebraica* neque *Græca* norunt, per fidem minimè cernunt verba ignota Hebraica & Græca quà talia esse divina: neque norunt quænam verba linguarum ignotarum sunt ipsa quibus primitus sacra doctrina fuit expressa. Neque doctissimi ex evidentia inhærente hoc norunt. E. g. Nemo nisi ex evidentia historica scire potuisset, quænam Danielis capitula Hebraice, & quænam Chaldaice scripta fuere: neque an Christus lingua Hebraica, aut Syriaca, Chaldaica aut Græca locutus est; Aut in qua Evangelia primo scripta sunt? 2. Et in hoc sensu materiali Translatio nulla est Dei Verbum, sed tantum S. Scriptura in linguis originalibus. 3. Et ut dictum est, lites de diversis Lectionibus ex verborum evidentia non possunt determinari.

2. De Verbis autem formaliter ut *significantibus* dicendum est, 1. Verba ut significantia, & materiam significatam ut corpus & animam simul fidei esse objecta:

jecta: Ideóque etiam Translationes, quamvis non materialiter, tamen formaliter, quoad *verba*, quæ ejusdem cum originalibus sunt significationis, verè dicuntur esse *verba Dei*. 2. Quamvis autem verba materialiter sunt sensui proxima, deindè sensus grammaticus, Materia tamen significata, quæ verborum quasi anima est, præcipuè evidentiam Divinitatis continet: Qui Christum ipsum audiverunt, priùs ipsum verborum quàm materiæ significatæ authorem agnoverunt: sensatio enim intellectione prior est; & intellectio rei ut sensatæ prior intellectione discursiva: Nos autem qui authorem non novimus per sensus, in *Materia* primò Majestatis & Sanctitatis Divinæ impressionem precipimus, & in *Verbis* præcipue ex materiâ significatâ, sine quâ verba sunt quasi cadaver: Verborum tamen præstantia aptitudinalis ad significandum, suo ordine etiam est spectabilis.

Q. 6. *Utrum evidentia hæc inhærens & S. Scripturæ constitutiva fiat pars argumenti quo certò probetur S. Literas esse divinas?* Aff.

Resp. SUppositâ distinctione inter argumenti *partem*, & *totum* argumentum, & inter recipiens seu subjectum *dispositum* & *indispositum*. dico, de argumenti *parte*, supposito subjecto dispositio, quæstio affirmanda est. Validum scilicet est hoc argumentum: [*Quodcunque scriptum per Spiritum sanctum signatum est, evidentiâ antecedente prophetiæ, evidentiâ inhærente constitutivâ divinitatis, evidentiâ concomitante miraculorum certorum, plurimorum & nullâ contrariâ veritate infirmatorum, & evidentiâ subsequente effectuum vires humanas longè superantium, hoc certò est verbum divinum obsignatum: Tale autem est sacra Scriptura:* Ergo, &c.]
Imo suppositis supponendis valet argumentum à solâ evidentiâ inhærente: viz. [*Quodcunque scriptum Dei Imaginem & authoritatem certò Lectori bene dispositio in se cernendas exhibet, id certò Deum habet authorem: At S. Scriptura, &c.*] Proculdubio valida evidentia valide probabit conclusionem.

Q. 7. *An probatio discursiva à fide aliena sit? aut eam destruat aut evacuet?*

Resp. 1. NOn unicus est fidei actus, præcipuè largiùs sumptæ: Merè argumentari non est fidere: At circa materiam uniuscujusque partis hujus argumenti fides exercetur; viz. [*Omne Dei verbum verum est: S. Evangelium est Dei verbum: Ergo S. Evangelium verum est.*] Hæc dicere aut ore aut mente, *non est fidere:* At fides in utraque propositione & conclusione sincerè professâ exprimitur. Qui dicit [*Omne Dei Verbum verum est*], dicit, *se credere vel scire Deum esse veracem*; formale scilicet fidei divinæ objectum. Qui dicit [*S. Evanlium est Dei Verbum*] dicit, se aut scire hoc aut credere. Qui dicit [Ergo *Evangelium verum est*] dicit, *se inde scire aut credere id verum esse.* Hi sunt actus fidei in sensu largiore: At fidei strictè dictæ actus, est tantum fidere, vel fiduciam habere, in Deo, Christo, Evangelio, veritati ita agnitæ.

Q. 8. *Utrum fides sit quædam Scientia?*

Resp. SI per *fidem* intelligis *Assensum quà talem testimonio divino*, quædam vera *scientia* est: Scimus Deum veracem esse: & scimus ex evidentiis jam dictis Evangelium esse revelationem divinam: ergo scimus id verum esse. Et nullus quidem datur conceptus intellectualis qui non est quædam scientia, nisi scientia strictius sumatur, non pro notitia, sed ut ab *intelligentia, sapientia, prudentia & arte* à philosophis distinguitur. Et S. Literæ fidei assensum, *scientiam* seu *cognitionem* sæpe dicunt, 2 Cor. 5. 1. Joh. 21. 24. Rom. 8. 28. 1 Joh. 3. 2. Joh. 4. 25. & 11. 24, &c.
2. *Fidere* autem seu *fiduciam habere*, ab *assensu* & cognitione formaliter distinguitur:

guitur: Primo Deum veracem esse, fidelem & bonum scio: Deinde Evangelium ejus Verbum esse ex evidentiis intelligo: Ideóque Deo primariò, & ejus Verbo secundariò fido; & fidendo acquiesco.

Q. 9. *An fides sit eo minùs spiritualis aut supernaturalis, quo magis sit rationalis & cognitio?*

Resp. HAud pauci dum suæ rationi male dispositæ argumentis demonstrativis satisfieri expectant & satagunt, cùm culpâ suâ se frustratos percipiunt, magis increduli fiunt & à fide alienati: Quidam etiam indocti sine disputatione fiunt fideles. At in hominem Deus operatur juxta naturam recipientis; & dum ratione verè utimur, ratio seu intellectus noster à Spiritu sancto potiùs illuminatur, quàm cùm cogitare & ratione uti negligimus: Sicut Amor divinus à Spiritu sancto in cordibus nostris accenditur cùm de Amabilitate divina serio cogitamus, potiùs quam cùm ejus ignavi obliviscimur; ita & fidem infundit Spiritus sanctus sæpissime dum de fidei evidentiis seu rationibus seriò meditamur: Unde dicunt Scholastici (qui de Infusione plurimum loquuntur) *habitus infusos se habere ad modum acquisitorum*; & ex parte nostra eadem facienda sunt ad habitus infusos obtinendos plerumque, quæ ad habitus acquisitos: Immo habitus idem diversis respectibus potest esse *infusus* & *acquisitus*. Et quo pluribus & melioribus argumentis seu rationibus bene intellectis ad credendum aliquis impellitur, eò faciliùs & fortiùs, cæteris paribus, is credet. Et ignorantia harum rationum, seu veritatis evidentiæ, ad multorum apostasiam vel jactationem præparatio est.

Q. 10. *Utrum ex solis evidentiis extrinsecis,* (e. g. *Miraculis*, &c.) *sine perceptione evidentiæ inhærentis, S. Scriptura salutariter credi potest?*

Resp. Neg. QUi evidentiam constitutivam non percipit, nil percipit in sacris literis quod ab homine fieri non potest: Majestatem igitur, Sapientiam & Bonitatem divinam in eis non percipit: Ideóque eis salutariter non credit. Si duo mihi ostendas e. g. horologia, aut ædificia, & dicas, Hoc à Deo, *illud* autem ab homine factum esse, cum tamen omnimodo sint æqualia, vix crederem, *illud* à Deo miraculosè factum esse, quod à mero homine fieri potuisset; neque si id crederem, Dei Sapientiam in opere illo multum mirarer, (nisi quod homini etiam tale dedit ingenium qui eadem præstare potuit.) Qui in ipsis S. Literis divinum opus non percipit, eis vix aut nè vix ita credere potest, quò animam ejus salutariter sanctificent.

Q. 11. *An evidentia moralis certitudinem præbeat? Et falsitatis impossibilitatem probet?*

Resp. NEgat Talbotus & alii Papistæ: nos affirmamus. Evidentia dicitur *Moralis*, quia ex moribus, & libero arbitrio validitas ejus oritur. In duabus instantiis autem hæc evidentia moralis infallibilem præbet certitudinem: 1. Quando certò prius probatur testimonium esse infallibilis testis; Qui ex perfectione scientiæ, bonitatis & potentiæ aut falli aut mentiendo fallere non potest. Evidentia hæc moralis est etiam Naturalis, quia ex principiis perfectissimæ naturæ quamvis liberæ. 2. Quando in testimonio humano ex causis necessariis & naturalibus, necessitas libertati testis conjuncta est. v. g. Certitudinem habemus moralem, Angliæ, Galliæ, Hispaniæ antehac fuisse Reges; Germaniæ, Constantinopolis, Imperatores, Romæ Pontifices prioribus seculis ante nos natos:

tos: quæ etiam est certitudo naturalis. Homo quippe, immo ipsa Voluntas suam habet naturam; & quædam ex necessitate naturali volumus, quædam nolumus. Ubi causa necessaria impossibilis est, ut ejus sint effectus est etiam impossibile. Ut plurimorum seculorum homines quorum res, consilia, opiniones, affectiones, vitæ cursus sunt contraria & plerumque invicem inimica, simul tamen aut casu aut conspiratione ad posteros decipiendos mendacio concordarent, dicendo Reges fuisse Angliæ, Galliæ, &c. ideò impossibile est, 1. Quia non datur causa adæquata hujus effectûs in naturâ humanâ: 2. Quia effectûs contrarii causæ extant necessariæ; quas facilè quisque posset enumerare. Ex hisce principiis alibi olim probavi, Christianitatis Veritatem testimoniis iis moraliter probari, quæ physicam nobis præbent certitudinem; & falsitatem Evangelii probant esse *impossibilem.*

Q. 12. *An Argumenta hæc dici possint demonstrationes?*

Resp. DEmonstrationis nomen ambiguum est; & philosophis inter se non convenit quid dicendum sit demonstrari. Strictissimè sumptæ, demonstrationes non sunt; nedum perfectæ scientiam perfectam efficientes; Talem quippe scientiam viatori obvenire negandum est; & negationem benè post alios Smiglecius de demonstr. probavit. Dico autem cum eodem, Log. Disput. 14. Qu. 3. p. 539. [" *Si conclusio Theologica, sit necessaria, erit demon-*
" *strativa & scientifica, quia demonstratur propter quid conclusionis: Quamvis au-*
" *tem præmissæ sint mediatæ, & non resolvantur ad immediatam, potest tamen ex illis*
" *inferri conclusio demonstrativa; quia tunc præmissæ mediatæ debent resolvi, quando*
" *pendent in sua notitia à suis principiis immediatis, ita ut sine tali resolutione non*
" *sciantur: At si præmissæ sine resolutione in sua principia possint æque perfectè cog-*
" *nosci, tunc poterit etiam ex illis inferri conclusio scientifica: Et ita accidit in præ-*
" *missis Theologicis quæ certissima & indubitata fide creduntur: Unde propter hanc*
" *perfectam certitudinem potest ex illis inferri conclusio demonstrativa: quia ad sub-*
" *stantiam demonstrationis satis est ut sit demonstratio per causam veram perfectè cog-*
" *nitam, & quod non contingat aliter se habere: Fateor tamen demonstrationes theo-*
" *logicas non esse omnino perfectas: Etsi enim non desit illis certitudo, deest tamen*
" *evidentia cum ex principiis inevidentibus & solâ fide creditis procedant*].

Ubi notandum 1. Quod præmissarum certitudinem fatetur: 2. Et quod perfectè possunt *cognosci* dum indubitatâ fide creduntur: 3. Per *Evidentiam* igitur quam negat, necesse est, ut non intelligat *objectivæ veritatis perceptibilitatem*, sine quâ cognitio certa haberi non potest; sed fortè *sensibilis* quædam evidentia: 4. Smiglecio asserente, conclusio non fortior esse potest quam debilior præmissarum: Cum igitur conclusionem esse demonstrativam dicit, nil minùs de præmissis dicere putandus est.

Q. 13. *An rectè dicitur à Talboto contra* Blackloistas *& aliis non paucis demonstrationes ab omnibus statim necessariò intelligendas esse? Ideoque omnes futuros fideles si fidei articuli demonstrentur?*

Resp. Neg. 1. INquit *Smiglecius, demonstrationum termini* à plurimis non intelliguntur; ideóque deerit assensus. 2. Multorum ingenia adeò obtusa sunt & stupida ut etiam per se clara non percipiunt. 3. Doctoribus non egerent si necessario statim scirent. 4. Demonstrationes late sic dictæ sunt quæ ex certis & priùs demonstratis concludunt, quamvis non ex sensibilibus aut immediatis primis principiis: Et veritatum plurium quamvis clarissimarum connexio, non facilè per ignorantes percipitur. 5. Proculdubio Dei existentia demonstrari potest; Non tamen ab Atheis percipitur. 6. Præjudicia etiam demonstrationes frustrare experientia clamat: E. g. etiam ab omnibus

bus Sanorum sensibus fit demonstratio existentiæ Panis & Vini in Eucharistiâ post consecrationem : Non tamen à Papistis recipitur hæc demonstratio.

Q. 14. *An dictis omnibus quæ non sunt immediatè à Deo, potest subesse falsitatis possibilitas? Et talia omnia sint incerta?*

Resp. Neg. ALiter nulla nobis esset fidei certitudo. Deus enim per Apostolos & prophetas nobis locutus est, & non immediatè per seipsum. Immo ipsi prophetæ ab Angelis suas visiones & revelationes acceperunt ; A quibus etiam Legem Moses recepisse dicitur : Et utrum in ipsâ prophetarum inspiratione Deus Angelorum ministerio nunquam usus est, mortalibus ignotum est. Si veracitas divina nobis tunc solum certa esset, quando immediatè hominibus ipse loquitur, fides Christiana planè rueret, diruto ejus objecto formali.

Q. 15. *Quomodo crediderunt Christiani ante scriptum novum Testamentum?*

Resp. 1. CHristum & Apostolos concionantes audiverunt, & Spiritus sancti opera testificantia oculis perceperunt : Verborum igitur & factorum realitatem non primò crediderunt, sed sensu nôrunt.

2. Eorum divinam missionem & authoritatem ex evidentiâ multiplici prius memoratâ perceperunt, *antecedente* scilicet *inhærente*, *concomitante* & *subsequente*, quæ *unius Spiritus sancti testimonium* constituunt. 3. Qui Christum aut Apostolos non ipsi audiverunt, aut miracula eorum viderunt, idem tamen Evangelium ab aliis receperunt, & cum eo dictorum & Miraculorum certissimam narrationem historicam. 4. Et Sp. sanctus hæc media fecit efficacia.

Q. 16. *An sine speciali Spiritus sancti operatione seu gratiâ Sacræ Scripturæ rectè credi possint?*

Resp. GRatia *specialis* dicitur quæ *speciales*, id est, verè Christianorum prios effectus producit. Fides quædam communior per Gratiam communiorem datur : Specialis autem & salutariter efficax, per Gratiam tantùm specialem. Idem Spiritus Fidei subjectivæ qui & objectivæ author est.

Q. 17. *Utrum tempore aut naturâ prior est Gratia subjectiva mentem ut credat illuminans, an objectum formale fidei, & materiale, & inhærentis evidentiæ lux?*

Resp. NUlla hîc mihi videtur ratio dubitandi, quamvis aliorum alia mens est : 1. In esse reali proculdubio objectum actum fidei antecedit : At illuminatio Spiritus fidei actum immediate producit, circa objectum præexistens. 2. Lux sacræ doctrinæ est medium illuminationis & fidei, ideóque eas antecedit. 3. In actu autem credendi objectum quà *receptum* seu creditum, & illuminatio Spiritus quà creditur, sunt simul tempore. Illuminatio ex parte illuminantis, est principium illuminans, id est, ipse Deus qui est ante omnia creata : Illuminatio recepta ad fidem est ipsa fides initialis : Fides in actu & fidei objectum sunt relata, quæ sunt simul natura, definitione & cognitione (ut verè D. Derodon Metaph. de Relat. p. 135.) Objectum verò fidei in se fuit ante nostra secula existens.

Q. 18. *Anne fides illa salutaris est, quâ ex argumentis non veris S. Scriptura ut verbum Dei creditur?*

Resp. CRedendi dantur plures rationes seu argumenta: Si nulla receptarum rationum sit vera, captum meum fugit quomodo ex omnibus falsis rationibus quis fidem habere veram possit: Sin autem vel ex unâ aliquâ ratione verâ & validâ ad credendum movetur, e.g. ex vestigiis Divinitatis in ipsâ S. Scripturâ perceptis, quamvis multa alia fidei motiva ignorentur, & loco eorum falsa quædam recipiantur, fides tamen ex Spiritus sancti operatione potest esse vera & salutaris, quamvis manca & imperfecta.

Q. 19. *An fides illa sit salutaris quâ credit aliquis necessarios fidei & amoris & obedientiæ articulos, non autem ipsa S. Scripturæ Verba?*

Resp. 1. S. Scripturæ verba huic aut notificantur, aut non: 2. Item notificata vel omnia non creduntur, vel tantum aliqua.

1. S. Scripturæ verbis notificatis siquis nullam adhibeat fidem, non supponendum est istum fidei articulos verè credere, fide scilicet divinâ. 2. Idem dicendum de *Necessaria* aliqua non credente, quamvis S. Scripturæ alia quædam credat. 3. Sin autem quis omnes fidei, amoris & obedientiæ articulos verè necessarios ex S. Scripturæ verbis credat, quamvis ex ignorantiâ seu pravâ parentum seu doctorum educatione, cætera Divina esse non credat, hæc fides quamvis manca potest esse salutaris. E. g. Si Papistæ rectè crederent Libros Apocryphos esse Canonicos, Reformati tamen hoc negantes essent verè Christiani, dum omnes Christianitatis partes essentiales habeant. Ecclesiæ illæ quæ Epistolas Jacobi, 2 Pet. ad Hebr. & Apocal. non receperunt, fuere tamen verè Christiani. Neque opinandum est omnes illos fuisse infideles aut hypocritas qui Pauli Apostoli authoritatem parvifacerent, at aliorum Apostolorum scripta & dicta receperunt.

2. Fides autem sacræ necessariæ doctrinæ, verbis aliis tantum expressæ, salutaris esse potest, ubi verba S. Scripturæ minimè notificantur. 1. Christus enim in Gratiæ fœdere promisit salutem omnibus in Deum Patrem, & Filium & Sp. sanctum verè credentibus, Mar. 16. 16. Matth. 28. 19, 20. Joh. 6. & 3. 16. In Christum autem aliquis credere potest sacrâ doctrinâ sine verbis Scripturæ notificatâ. 2. Plurimi salutariter crediderunt diu antequam S. Scripturæ extiterunt. 3. Tria millia simul per Petri Concionem sunt conversi, Act. 2. 37, 38. qui novum testamentum nondum scriptum legissent aut lectum audivissent. 4. Non opinandum est eos omnes qui per unam Pauli Epistolam, aut Apostoli alicujus concionem fuere conversi, cætera omnia verba jam in Canone scripta unquam audivisse. 5. Qui baptizati tunc & postea fuerunt, fideles ab Ecclesia æstimati sunt: At totius Sacræ Scripturæ (veteris aut novæ) lectio, auditus, aut notitia à baptizandis ut necessarium nunquam fuit ab ecclesiâ requisitum. Sed ex articulis fidei intellectis & creditis, & consensûs fœderalis professione, jus baptismi recipiendi semper agnoscebatur. 6. Etiam hodie instantiæ non paucæ fidei salutaris sine verbis S. Scripturæ (immo sine ipsius Libri notitiâ,) notæ sunt: 1. In India orientali plures a Jesuitis & Fratribus ad fidem Christianam conversi sunt, per nudas Conciones & Catecheses, S. Scripturæ notitiâ sæpè malè suppressâ: Plurimorum autem Japonensium martyria per antea-inauditas persecutiones & tormenta, sinceros eos Christianos esse nos opinari planè jubent. 2. Non paucis etiam Christianis barbaris in Armenia, Georgia, Circassia, Mengrelia, Abassia, immo & Græcia, sacræ literæ sunt ignotæ, & ex symbolo fidei, oratione dominica, Decalogo, Catechismis, Liturgiis & traditione tota ferè materia fidei ab eis hauritur. 3. Etiam in Europâ Papistæ sacras Literas à vulgo abscondunt, & prædictas solum formulas cum sua traditione credendas proponunt;

nunt; ubi tamen omnis fidei materia absolutè necessaria continetur. 4. Immo & Reformatorum nonnulli ex Catechismis & formulis illis suos liberos perplures annos instruunt antequam ipsis S. Scripturæ verba nota sint.

Pessime igitur à quibusdam concluditur, aut *verè credentes in Christum non fore salvandos* (contra ipsam fœderis promissionem); *aut sine ipsorum S. Scripturæ librorum aut verborum notitia veram fidem in Christum esse impossibilem*; (quando & circa ipsorum Ethnicorum salutem non parvis difficultatibus urgemur.)

Q. 20. *Anne fides illa potest esse salutaris, quæ doctrinas omnes absolutè necessarias recipit, at ex libris Apocryphis, falso judicatis esse divinis & canonicis?* E. g. Si Libri Clementis, Hermetis, *Augustini, Lutheri*, &c. *Scripturæ divinæ Canonicæ putarentur?*

Resp. EX præcedentibus huic quæstioni satisfit. Qui in ipsâ sacrâ doctrinâ divinitatis vestigia percipientes, eam fide sincerè recipiunt, salvabuntur: Et nullibi in S. Scriptura extat, [*Omnes libros aliquos Apocryphos ex errore ut Canonicos recipientes damnandos esse.*] S. Scripturâ autem carentes maximo credendi medio organico destituuntur.

Q. 21. *An fides illa sit salutaris quæ credentem non certum facit, sed dubitantem & timidum relinquit?*

Resp. 1. NUllius viatoris scientia aut fides absolutè perfecta est: Et ubi fides est imperfecta, dubitationis aliquantum aut actualis aut virtualis semper manet. Fidelissimis orandum est, *Domine credimus, incredulitati nostræ succurre: Domine, fidem nobis adauge.* 2. Fides si sincera quamvis imbecillis, salutaris est: Sincera est si spem veram, amorem & obedientiam parit; si regnum Dei & ejus justitia supra omnia quærantur, & vitæ futuræ promissæ in tantum fidamus, ut ejus gratiâ mundana, carnalia, peccata, & ipsam vitam deserere parati sumus. Sicut Christus est *Via ad Patrem*, ita *fides* est *medium amoris & obedientiæ*, quæ præcipuè propter finem necessaria est. 3. Fides semper habet certitudinem objectivam; id est, Dei verbum est infallibiliter verum; at non semper certitudinem subjectivam, seu credentis.

Q. 22. *Utrum melius est dubitanti rem solicitè explorare, & ad omnes objectiones responsiones quærere? An potius animo obfirmato dubitationibus silentium ponere aut eas abjicere.*

Resp. 1. SI jamjam res probè fuit explorata, & contra dubia & objectiones fides benè stabilita, ut cogitationes illæ dubitantes abjiciantur necesse est; neque animus ita Satanæ subjiciendus est, ut ad libitum cogitationes impias nobis injiciat, & molestiam nobis creando fidem & pacem concutiat aut turbet: neque inimico Dei & nostri concedendum est, ut ad placitum contra Deum, aut Christum, aut Evangelium, disputationem nobiscum ineat.

2. Si objectionibus in tantum satisfit, ut fides probè stabiliatur, novis & inanibus objectionibus solvendis non est immorandum.

3. Sin autem quis fide humanâ, aut malè fundatâ jam credidit, aut maximas contra fidem objectiones ignorans, eis solvendis minimè par est aut paratus, ut obfirmetur ejus fides adversus talium incursus opus est.

4. Non autem infirmi objectionum gravitate aut torrente obruendi sunt, sed gradatim juxta recipientis vires dubia proponenda & simul à doctore perito fideliter solvenda sunt.

5. Neque

5. Neque enim opus hoc per ipſos dubitantes inferiores ſine ope periti doctoris (ubi hoc auxilium obtineri poteſt) peragendum eſt.

6. Fidelibus etiam omnibus incumbit, ſolicite laborare, ut fides eorum magis adhuc roboretur, & adverſus oppugnationes omnes firmetur, ideóque ut objectionibus ſolvendis ſint parati, quo ſeipſos & proximos & religionem defendant. Et nudum Voluntatis propoſitum, & cogitationum dubitantium ejectio, ſine lumine Veritatis & mentis irradiatione, non eſt fides, nedum firmata. At à quærente non indulgenda eſt dubitatio, ſed vincenda; neque probanda ſacra Veritas quaſi in ſe incerta, ſed ut clarior & firmior fiat fides explorantis.

QUæſtiones, An Spiritus ſanctus in unoquoque fideli operante? & An ſacræ Scripturæ ſint Lex Divina & Regula fidei & morum, alibi tractantur: Prior ſcilicet ſub Capite de Auxil. Spiritûs ſancti: Altera ſub Capite de S. Scripturis; ubi plura de fide.

CAP. XIII.

II. *De* ORATIONE DOMINICA, *Summulâ* VOLENDORUM (*vel Appetendorum*). *Ubi eſt*

I. PRÆFATIO: & ibi

I. Supplicandus: ubi

- I. QUIS abſolutè, *viz.* DEUS; (non Angeli, non Sancti, &c. à quibus, non quæ *Dei*, ſed quæ ſuorum ſunt, & modo tantum ipſis congruo petenda ſunt vel expectanda)
- II. QUIS RELATIVE, PATER NOSTER, *viz.*
  - 1. Fundamentaliter
    1. Pater Omnium hominum CREATIONE.
    2. Pater Omnium Laſorum REDEMPTIONE.
    3. Pater omnium fidelium REGENERATIONE.
  - 2. Formaliter
    1. Dominus vel Proprietarius abſolutus } ex jure fundamenti antedicti.
    2. Rector Supremus.
    3. Benefactor ſeu Amator ſummus, & finis Amabilis.
- III. QUIS quoad ATTRIBUTA prima Eſſentialia: [QUI ES IN COELIS:] Quorum verborum ſenſus includit
  - I. PRINCIPIORUM TRINITATEM, *viz.* Quod Deus in Cœlis eſt, ideóque
    1. OMNIPOTENS: Qui petita omnia donare, & mala amovere poteſt.
    2. OMNISCIUS: Cui & nos, & noſtra, & omnia ſunt notiſſima.
    3. OPTIMUS: Fons Bonorum: Ex quo, per quem & ad quem ſunt omnia.
  - II. SUBSTANTIALITATEM, hiſce Formalitatibus ſeu principiis ſuppoſitam.
  - III. Et PERFECTIONEM in Attributo ÆTERNITATIS: Quæ utraque in verbo [ES] exprimuntur.

II. Supplicantes:

- II. Supplicantes: *viz.*
  - I. Quoad Essentiam: Homines (in pronomine [NOSTER] & [NOBIS]).
  - II. Quoad Relationem, FILII DEI; *viz.*
    1. Ut Homines Creatione.
    2. Ut Peccatores redempti, Redemptione.
    3. Ut sancti, Regeneratione: Ideóque
       1. Ut Sui.
       2. Ut SUBDITI.
       3. Ut FILII; Qui
          1. Ex ipso,
          2. Per ipsum, &
          3. Ad ipsum vivunt.
  - III. Quoad Qualitatem,
    1. Dependentes à Deo.
    2. Inopes & miseri.
    3. Peccatores & indigni:

    Attamen
    1. Amantes Deum & Patrem.
    2. Amantes seipsos ut Homines.
    3. Amantes alios ut fratres.

    Quæ omnia per ly [Noster] significantur.
- III. Compellatio [Pater noster, qui es, &c.]

  Ubi profitemur
  1. Relationes & Attributa Divina antedicta.
  2. Relationes nostras ad Deum antedictas.
  3. Actionem præsentem animi, *viz.* Quòd
     1. Corda & Spem à Creaturis avocamus.
     2. Ad Deum ea convertimus; &
     3. Ab ipso petita expectamus.

II. PRECATIO: Cujus est

- I. Pars Prima; de FINE; secundum ordinem Æstimationis, Volitionis & Intentionis, descendendo; *viz.*
  - I. Ob Finem Simpliciter, *viz.* DEUM; in ly [TUUM] sæpe repetitum, expressum.
  - II. Ob Finem Subordinatum secundarium, *viz.* Res Deo *Placentes*; Quæ ita hîc ordinantur.
    - I. Prima & Summa est, GLORIA DIVINA, in ly [*Sanctificetur nomen tuum*].
    - II. Secunda est, Summum Gloriæ Divinæ MEDIUM [*Adveniat Regnum tuum*: id est, *Tibi Creatori-Redemptori, Regi Universali totus terrarum orbis vere subjectus fiat.*]
    - III. Tertia est, Medium Secundum, hujus consequens, [*FIAT VOLUNTAS TUA*] quasi dicat
      1. Voluntati tui-*Regentis*, prompta universalis præstetur *Obedientia.*
      2. Voluntati tui-*Dominantis*, sit placida submissio.
      3. Voluntati tuæ *Optimæ complaceatur*; & *tui Benefactoris* voluntas mundum fœlicitet.
  - III. Ob Finem *infimum*; id est *Homines*, ut sancti & fœlices sint in Voluntatis Divinæ obediente impletione,

    viz.
    1. Universaliter, Mundum.
    2. In Societatibus particularibus.
    3. Individuos.

    Quæ omnia per phrasin [In Terris] exprimuntur.

- I. Hæc de FINE in se.
- II. Quibus additur Finis MODUS & GRADUS in Exemplari [SICUT IN COELIS.]

  Ubi profitemur
  1. Nos orantes Cœlum fide prospicere, & cum cœlitibus communionem Amoris colere.
  2. Ad eorum perfectionem adamatam, nos summis desideriis & conatibus adspirare.
  3. Et hanc perfectionem & fœlicitatem tandem obtinendam nos sperare.

- Particulariter autem MODUS exemplaris hîc expressus & petitus est, ut fiat Voluntas Dei,
  - I. Per unumquemque
    1. Summâ Luminis perfectione, sine ignorantiâ & errore.
    2. Summâ Amoris perfectione & sanctitate, sine philautia, sensualitate & inimicitia.
    3. Summâ Vivacitate, conatu & Constantiâ.
  - II. Per Omnes conjunctim; Summâ Concordiâ Judicii, Amoris & Operis.

II. Pars Secunda; de MEDIIS & rebus Noſtris; Ideóque juxta Ordinem Executionis, Aſcendendo,

viz.

I. Ob NATURÆ ipſius *præſervationem* per Media Vitæ & Salutis naturalis neceſſaria: [*Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*] (*Gratia* enim & *Gloria Naturam* præſupponunt.)

Ubi profitemur
1. Dependentiam à Deo: 1. Simpliciter per ly [*Da*] 2. *Conſtantem*, per ly (*hodie*) vel [*per diem*].
2. Charitatem per ly [*nobis*] ut qui aliis tanquam nobis ipſis bona velimus.
3. Moderationem & ſanctum finem, per ly [*Panem*] & [*quotidianum*] ſeu potiùs [*ad ſubſtantialem.*]

II. Ob Peccatorum priorum Remiſſionem: ubi ſunt
1. Petitio [*Remitte nobis debita noſtra.*]
2. Ratio à Conditione præſtitâ [*Sicut & nos remittimus debitoribus noſtris:*] q. d. [Niſi fide & pœnitentiâ ad Amorem erga te & fratres, tui gratiâ, perducti eſſemus, fatemur peccatorum pœnas nobis à Deo Sanctiſſimo Juſtiſſimo nunquam remittendas eſſe.]

III. Ob futuram tutelam; *viz.*
1. A Mali Mediis Tentationibus [*Ne nos inducas in tentationem*] Talibus *viz.* quæ ad peccatum, & perditionem tendunt, & non tantum ad victoriam & mercedem.
2. Ab *ipſo Malo: viz.*
I. Efficiente, *viz.* 1. Perſonali: *viz.* 1. Diabolo, 2. Ejus ſervis impiis. 2. Actionibus efficientibus; multarum ſpecierum.
II. Effecto 1. Principaliter, ab ipſo Peccato. 2. A peccati pœnis promeritis. 3. A malorum injuriis, quatenus nobis malis.

III. CONCLUSIO: Petitionum *Ratio*, & TERMINATIO in *Fine ultimo hic laudato*; *Aſcendendo*,

Ubi *viz.*
I. QUID laudatur, vel materia quam laudamus,
I. REGNUM DEI Univerſale varie adminiſtratum, ſecundum ſubjecti rationem: [*NAM tuum eſt REGNUM.*]
II. PERFECTIONES ejus Eſſentiales [POTENTIA] ubi [Sapientia & Bonitas] includuntur.
III. GLORIA: id eſt, Incomprehenſibilis ſupereminentia & Beatitudo Divina. Rom. 11. 36. 1 Cor. 10. 31.
II. QUALIS, vel Materiæ laudatæ modus [*In Secula Seculorum*] ubi [ÆTERNITAS] ut alias perfectiones Modales includens ponitur.
III. QUIS Laudatur; vel FINIS CUJUS, ultimatè Ultimus; *viz.* DEUS, in ly [TUUM.]

Ab Ipſo primo Efficiente omnia quærimus.
Ab Ipſo Gubernante Auxilia expectamus.
Ad Ipſum & propter Ipſum ut Finem Ultimum cætera volumus, & in Ipſo ut Fine acquieſcimus.

Et per [ly] [*Amen*] Conſenſum, & deſiderii realitatem & ſpem profitemur.

Elucidationes

Elucidationes

CAP. XIII.

§. 1. VOlitiones seu desideria sunt quasi anima præcationis : primus igitur hujus formulæ usus est, esse *Regulam Volitionum*, sicut symbolum fidei est Regula summaria *Credendorum*, & Decalogus Agendorum : Ipsius igitur cordis, id est *Voluntatis* (facultatis liberæ & imperantis) actus & *habitus*, ad hujus formulæ Normam & quoad Materiam & Modum curâ summâ sunt formandi. Et nisi ad ipsam hanc Methodum cordis desideria habitualiter formentur, aut impia, aut monstrosa, deformia & manca erunt. Maximi igitur usûs est *Oratio Dominica*, unde non tam quid Deo dicendum, quàm ad quid & quo ordine Voluntatis Actus & Habitus Amore & Constantiâ dirigendi sunt, colligendum est : Et sicut Religionis subjectivæ, *Amor* est quasi *Cor*, cui *Fides* ut *Caput* seu *Oculus*, & *Obedientia* ut *Manus* antecedenter & consequenter subserviunt ; Ita & Religionis Organicæ & Objectivæ, hæc *Regula Amoris quasi Cor est*, cui *Symbolum* & *Decalogus* sunt quasi oculus & manus.

§. 2. Methodus Orationis Dominicæ est Circularis, (sicut Sanguinis in venis & arteriis), partim Synthetica, partim Analytica. A Deo incipit, & per Deum, in Deo desinit. In Laudibus Dei agniti incipit, scilicet bonorum quæ petuntur causæ efficientis ; & Laudibus Dei, preces audientis, & Gratiam petitam donantis, concluditur. A *Deo* & *Fine*, secundum ordinem Æstimationis, Volitionis & Intentionis Petitiones incipiunt, descendendo. A nobis & mediis, secundum ordinem executionis, ascendendo, definit in Deum ubi incepit : & ita Laudibus ejus tota consummatur.

3. Juxta tenorem hujus Precationis in orante supponitur fides in Deum quà Omnipotentem, Sapientissimum, Optimum, Benefactorem misericordem, per Christum reconciliatum, Deum nostrum ; & spiritus Adoptionis, quo affectu filii in Deum Patrem dependet, & ad bona omnia necessaria obtinenda ad Deum se suppliciter applicat.

4. Deus *in Cœlis* esse dicitur, non quasi finitus ibi inclusus, sed ibi eminentissimè operando se ostendens, ad beatorum fœlicitatem ; sicut Anima est in capite ut ibi modo eminente operans : & sicut *à Cœlis*, ita & *ad Cœlos* sunt omnia petenda : Inde veniunt ; illuc tendunt : & orantem decet animus & conversatio Cœlestis ; Inde enim spes & gaudia fidelium, ibi eorum thesaurus, ibi patria, civitas & amici ; & illuc quotidie properamus. Animus mundanus & carnalis orantem dedecet.

5. In Orante etiam supponitur *Amor fraternus*, & *communio cum sanctis*, & *Unitatis* Christianorum desiderium ; ideóq; numero plurali precandum est, ut proximos amantes sicut nosmetipsos, eorum causam Deo Commendemus.

6. Cùm *Patrem nostrum in Cœlis* Deum dicimus, non solùm *causam efficientem bonorum* eum esse profitemur, sed & *Finalem* ; quem in Cœlis nos omnes cum Christo & Angelis in æternum perfectè simul Amare, Colere & Laudare speramus.

7. Qui Dei sanctissimi Gloriam, Regnum & Voluntatis impletionem non Finem ultimum intentione, oratione & opere sibi sincerè proponit, is non ut verè fidelis & Dei filius precatur.

8. Quamvis Gloria etiam Dei Omnipotentiæ, & Majestatis petenda est, sanctitatis tamen nostræ sinceritas maximè patet, quando Gloriam *sanctitatis* ejus maximopere optamus : etiam impii Dei *Omnipotentiam* velle possunt, cùm *sanctitatem* ejus odio habent.

9. *Regnum Dei* hîc *Paternum* intelligimus, ejus *Dominatum* & *Amorem* includentes ; hominúmq; submissionem, subjectionem & fœlicitatem.

10. *Venturum* precamur *Regnum Gratiæ* quoad amplificationem & splendorem, & sinceram & universalem hominum subjectionem : deinde etiam Regnum Gloriæ.

11. Quanquam fateor, me Prophetiarum sacrarum non ita gnarum esse, quò difficultates de Millennio omnes solvam, & prudentis non est de ignotis judicare ; quia tamen preces fide Deo offerendæ sunt, utpote qui eas se auditurum promisit, hinc fateor spem aliquam mihi effulgere, in his terris Evangelium magis adhuc prævaliturum, & Dei nomen hîc magis sanctificandum fore, & Regnum ejus universaliùs & clariùs hîc emicaturum esse, & Voluntatem Dei adhuc faciendam esse in terris sicut in cœlis : preces enim hæ præceptæ non frustra effundendæ sunt.

12. *Voluntas Dei facienda*, est præcipuè ejus *Lex*, seu Voluntatis regentis de hominum officiis significatio, quæ à subditis suis liberè facienda est : Deinde Voluntas ejus benefaciens & præmians ; Voluntas autem absolutè decernens quâ talis proculdubio eventum decretum sortietur, volentibus nolentibus cunctis creaturis ; In quibusdam tamen preces ejus implendi erunt media.

13. Sicut in *Fidei Articulis* & *Legis præceptis* contrariorum renunciatio & prohibitio semper includuntur ; ita & dum petimus bona, mala contraria deprecamur ; id est, Atheismum, Idololatriam, Infidelitatem, blasphemias, hominum superbiam, tyrannidem, persecutiones, sensualitatem, quibus Divina profanant, Dei Gloriam contemnunt, adversus Regnum ejus sunt rebelles, & adversus ejus Leges immorigeri ; carnalem suum honorem, regnum, & cupidines quærentes & se efferentes opponunt.

14. Quò etiam ad Cœlestia animi nostri eleventur, in desideriis nostris Cœlitum perfectio nobis proponitur ut finis & exemplar. Unde constat quantâ impietate optimorum pietas quasi nimia, & obedientia quasi nimis stricta à carnalibus & malignis irridetur : cùm etiam sanctissimi in terris Dei nomen non honorant, Dei regnum non promovent, & Voluntatem ejus non præstant, ea curâ, alacritate, aut eo zelo qui vel à beatorum infimo fit in Cœlis.

15. Orationis Dominicæ Ordo etiam patefacit, homines animi privati & angusti, suis primò studentes, & orbis terrarum sanctitatem, fœlicitatem, & obedientiam rebus suis non præferentes, ad sincerè, sanctè & ordinatè precandum esse adhuc omnino inidonei ; & mentes bono publico & universorum inhiantes, (præcipuéque Dei Gloriæ, Regno & Voluntati implendæ), ad orandum esse rectissimè dispositas & præparatas.

16 Qu. *An omnibus à precando abstinendum est, donec adeo sanctè ac jam dictum est sint dispositi? Resp.* Minime : sicut enim *quædam Gratia* communior est, specialem antecedens, & officia quædam omnibus communia, ita & omnibus, seu plurimis, seu ipsis irregenitis quædam preces sunt communiter congruæ : & spiritum sanctum à Deo petere & gratiam ejus specialem, communioris gratiæ opus est.

17. Qu. *An talibus, autem hâc precatione Dominicâ uti liceat, sine sanctâ illâ suppositâ fide & dispositione*, dubitatur. *Resp.* Sensu proprio & pleno eâ uti non possunt ; & quod nec faciunt nec possunt, fingere non licet. At 1. Lege Dei tales obligantur primò Evangelio obedire, quò verè fideles fiant, & deindè *fidei* professionem & desideria proferre : 2. Et ejusdem rei, (*e.g.* Gloriæ & Regni Divini) infidelibus sunt Volitiones sinceræ & prævalentes, in aliis autem quibusdam per Gratiam communiorem, sunt Volitiones quædam frigidæ, non omnino fictæ, quamvis non satis validæ nec ab habitu dominante. Hi autem qualia habent desideria quamvis torpida, precibus Deo exprimere oportet, meliora petentes ; Idque verbis Orationis Dominicæ facere licet, modò juxta proprium plenúmque sensum se illa minimè proferre agnoscant : & dum desideria sua precando suscitant, fortasse gratiæ auxilium ea ad sinceritatem elevabunt.

18. In secundâ hujus Orationis parte, quà bonum quatenus nostri directè petimus, ab imo incipimus ad summa ascendentes ; & petitione quartâ panem substantiæ necessarium petimus, quia nisi *Esse* conservetur, *Bene esse* non dabitur :

&

& sine *substantiâ* nulla sunt *accidentia*. Vitam igitur & tempus quo ad æterna præparemur necessarium, & æstimare & à Deo petere oportet.

19. Per *Panem* omnia ad *vitam* & vitæ opus & solamen necessaria intelliguntur. Et superflua aut peccati & cupidinis cibaria minime petenda sunt. Avaritiam igitur, ambitionem, gulositatem, ebrietatem, & omnem intemperantiam & carnalitatem hac petitione reprobamus & missa facimus.

20. *Quotidie* hæc nobis à Deo dari petimus, quo dependentiam nostram in Deum profitemur, & curis inanibus & fiduciæ carnali renunciantes, à Deo patre nos omnia expectare confitemur, & in ejus sapiente & optimâ rerum dispositione nos acquiescere.

21. Qui per *Panem Christum* significari autumant, à veritate longe aberrant: & ratio illa [Quia aliter Christi nulla in hac precatione mentio invenitur] nulla est: 1. Christus enim & à Deo missus, & fide receptus hîc præsupponitur; Infidelibus enim & à Christo alienis hæc formula non præscripta fuit. 2. Et Gratia Christi in præfatione, conclusione & omnibus petitionibus connotatur. Non nisi per Christum Deus *Pater noster* reconciliatus est: non nisi per Christum ejus nomen sanctificatur: ejus Regnum est Christi regnum, ejus Voluntas implenda est Christi Lex: per Christum vitam & vitæ solamina nobis donat: per Christum solum peccatorum petimus & accipimus remissionem: cujus gratiâ etiam aliis ignoscimus: per Christum à tentationibus, peccatis, Diabolo & miseriis liberationem & tutelam petimus: per Christum Deo regnum, Potentiam & Gloriam laudando ascribimus. Nihil in oratione Dominicâ sine Christo est.

22. In quartâ petitione etiam profitemur hunc mundum non nobis esse patriam, nec vitam corpoream ejusque voluptates nobis finem, sed ut peregrini & viatores necessaria in itinere solum petimus & expectamus.

23. In quinta petitione nos peccatores esse fatemur, & quotidie peccantes quotidianâ remissione opus habere. Fatemur etiam nobis remissionem non nisi Dei dono (per Christum gratis dato) posse obvenire; neque per viam innocentiæ aut nostræ satisfactionis proprie sic dictæ, ejus obtinendi spem ullam nobis manere: Fatemur etiam Remissionem actualem & plenam neque ex merâ electione neque merâ Redemptione nobis nondum-fidelibus datam esse, neque quum primum verè credimus statim totam esse perfectam; sed à Deo quotidie ad mortem usque petendam esse & recipiendam.

24. Per *Debita nostra* significantur tum Debitum pœnæ propter peccata ferendæ, tum ipsa pœna quà debita. Pœna igitur etiam renatis ob peccata quotidiana in tantum in primo instante debetur, ut verè ejus remissione egeant: Quamvis non adeo plene iis debetur ac infidelibus; neque ipsis irregenitis adeo plene ac si nulla pro ipsis data fuisset per Christum satisfactio. Male dicitur igitur à nonnullis viatoris Remissionem & Justificationem primo credendi momento (aut in hac vitâ) absolute perfectam esse: etiam usque ad Resurrectionem corporis pœna aliqua removenda est, mors scilicet inimicorum ultimus tunc solum perfecte per Christum vincendus est.

25. Nostra aliorum condonatio hîc memoratur, non ut causa nostræ remissionis meritoria: sed ut argumentum à Dei ipsius in nobis gratia & ejus ordinatione, qui illud proculdubio plenius ipse præstabit, quod ex misericordiæ suæ participatione & imitatione nos peccatores invicem præstare voluit; & ita à conditione ab ipso ordinatâ, à nobis præstitâ.

26. In sexta petitione imbecillitatem nostram ob peccati & carnis reliquias fatemur; Propriisque viribus quibus tentationes superemus fidendum non esse; nedum eligendas tentationes esse aut per nosmet faciendas, aut in illas incaute aut volenter ruendum esse.

27. Præservationis etiam media hîc notantur observanda, ab omnibus qui peccata & pœnam evadere expectant. Quicunque a Diabolo, peccato & miseriâ præservari vult, à tentationibus etiam ut liberetur eum summopere precari & conari oportet. Tentationum igitur species, diversitates, rationes, & pericula intelligenda sunt, & aptissima remedia paranda & adhibenda: & in militiâ hâc

nos omnes semper armatos, peritos, vigilantes & fortes esse, si salvari speremus, necesse est.

28. Malum illud à quo liberari petimus, est 1. Diabolus, iste malus, 2. Peccatum, 3. Dei ira, Pœnæ, miseria; 4. Tentationes quibus ad malum seducamur.

29. Quamvis præservationem à tentationibus & malis à gratiâ Divinâ speramus, supponitur tamen hîc vigilantiam nostram & industriam ut media esse necessaria, iisque libere sed fideliter utendum esse. Et gratiæ expectatio nostros conatus non minuere, sed magis excitare debet.

30. Qui non vult à tentationibus & peccatis etiam carni suavissimis liberari, is petitionem hanc Deo offerre nisi hypocriticè non potest.

31. Non solum mala positiva, sed & privativa hîc intelliguntur; ideoq; & gratia & gloria hîc petuntur, utriusque mediis connotatis.

32. Dei Regnum, Potentia & Gloria, in conclusione per modum laudis memorantur, necnon ad fidei & spei nostræ corroborationem: Laudes enim Divinæ sunt cultûs ejus pars nobilissima, ideoque è conclusione congruè locatæ.

33. Sicut à notione Finis ultimi perfectissimi seu altissimi in præfatione incipimus juxta ordinem *intentionis*, descendentes inde ad notiones inferiores (à Gloriâ Sanctitatis Divinæ, ad Regnum suum, & à Regno ad obedientiam subditorum), ita & à notione finis inferiore in conclusione ad supremam juxta ordinem executionis gradatim ascendimus: per *Regnum* enim hîc intelligitur, *Regnum administratum*: & per *Potentiam*, perfectiones Dei essentiales, præcipuè ut ad regimen hoc relatæ; & per *Gloriam* tum Regiminis finis ultimatus, tum Majestas & incomprehensibilis supereminentia Divina.

34. Per ly, *Amen*, & desiderium, & fidem & spem petitorum exprimimus, & cordis intentionem sinceram profitemur.

35. Nuperum quorundam infirmorum dubium pluribus hîc solvere piget; *An scilicet hujus formulæ ipsis verbis ordinariò in precando uti fas sit?* Non mirum est eos omnem precandi formulam humanam illicitam esse affirmare, cùm Christi ipsius verba ut illicita rejiciant! si de verbis hisce dubitatur, quare non itidem de omnibus S. Scripturæ verbis?

36. Seniore autem mente dubitatur, *An formula hæc semper aut plerumque necessariò sit utenda? Resp.* Desideria nostra juxta formulæ hujus sensum & ordinem tam necessario sunt ordinanda, quam praxis nostra juxta sensum & ordinem decalogi. Verbis ipsis etiam sæpe uti plerumque convenit; & maxime quando dubitatur, ne verbis aliis minus congruis aut comprehensivis desideria nostra non expressimus; aut ubi ex ecclesiæ aut audientium more, aut rectorum jussu expectatur. Aliter autem precantis ipsius conditioni, usui, & experientiæ (cæteris rectè pensatis) oranda verba exigenda à Deo relinquuntur: neque semper aut hisce aut alia verborum formulâ uti nobis præceptum est.

37. Qu. *Nonne brevi hâc formulâ sine longiore verborum ambage, & publicè & privatim plerumque utendum sit? & cùm verbis & arte oratoriâ Deus minime movetur, quorsum pluribus precaremur?* *Resp.* Ipsi Apostoli quibus formula hæc immediatè tradita fuit, & post illos universa Ecclesia verbis aliis & pluribus Deum precari solebant. 2. Non ad Deum mutandum sed ad pœnitentiam, fidem, spem, amorem, &c. nostrum exercendum, & ita animum nostrum ad Deum elevandum, preces adhibentur: & optatum sortiuntur finem, 1. Quà promissionis conditionem præstando, 2. Quà ipsâ animi receptivâ dispositione, ad Gratiam & bona promissa recipienda nos idonei fimus: 3. Immo ipsa animi debitâ activitate, dum gratia inhærens agitur, quodammodo augetur. Sicut nauta qui uncâ littus apprehendens naviculam ad littus trahit, dum littus ad naviculam aduncare conamine videtur; Ita & fervide & diutius precando bona desiderata obtinemus quia ad recipiendum jam dispositi sumus & capaces, & nosmet ad Deum, ejus auxilio, sursum movemus, dum ipsum velle movere & quasi ad nos detrahere videmur. Non Deum

um sed hominem mutando, tam certò bona petita preces debitæ obtinent, quàm si Dei ipsius mentem orando mutaremus. Certâ autem experientiâ constat brevis precatiunculæ paucis verbis animos nostros ad debitum fidei, spei, amoris, pœnitentiæ, &c. exercitium, & idoneam ad spiritualia recipienda dispositionem, non satis plerumque promoveri: Uno follis afflatu non ignis bene accenditur, qui pluribus excitabit. Nec tam paucis gressibus quam diutius ambulando aut laborando, naturalis noster calor suscitatur. Recipitur autem ad modum recipientis: & sicut fœnestris occlusis cubiculum tenebratur, apertis autem statim illuminatur; ita & dispositis hominum animis gratia Divina allucet, (gratiâ præveniente eas præparante); & sicut in naturalibus ita & in moralibus mutationes & diversitates pleræque fiunt ex subjectorum recipientium mutationibus & diversitate.

Nemo igitur nisi illi qui omnino sunt nescii quid sit Deum sincerè & fervidè precari, & fidem, spem, & Amorem precando exercere, potest ex animo tenere, solum raris, aut brevibus precatiunculis nobis ad finem orandi obtinendum opus esse.

38. Qu. *Nonne male dispositus à precibus abstinere debet, donec per spiritum S. bene disponatur?* *Resp.* Jam dictum est, bonam dispositionem aut Spiritus sancti auxilia, non media negligendo, sed Deum supplicando expectandam esse: Nimirum qui Gratia indiget majore, ex minore quam jam possidet, eam precibus à Deo petat: & qui gratia indiget speciali, ex communi aut præparatoriâ quam habet, eam petat. Non enim aufugienti aut otioso, sed petenti juxta promissionem Dei gratia donanda est.

39. Qu. *Anne cum impiis in eâdem domo aut cœtu Deo preces fundere pio licet?* *Resp.* Disciplina & ecclesiastica & domestica, quâ impiis & flagitiosis impœnitentibus pœna justæ censuræ quâ pudefiant infligenda est, non est negligenda: At ab officio & beneficio nostro, aut à Communione Ecclesiasticâ aut domestica non est recedendum, quandocunque impii aut sui aut rectorum culpâ sint præsentes: sin autem ex nostrâ sit culpâ, hæc emendanda est non locus noster deserendus, aut officium omittendum: Et nisi quando admoniti obstinati excommunicandi sunt, potius ad preces hortandi sunt, quam à cœtu piorum fugandi: Et aliorum peccatum non nobis imputatur: neque peccant eo quod precantur, sed quia male precantur & peccata non deserunt. O si à *nostris* peccatis satis recederemus, malorum consortium dum in loco & opere proprio invenimur, non nobis in vitium aut detrimentum verteretur.

40. Quæstiones de Angelos, animas separatas, aut pro mortuis orando, aut coram Imaginibus genuflectendo, &c. quia à pluribus satis superque jamjam tractatas, prætereo.

41. Vita spiritualis ita per preces fideles & fervidas & operatur & se ostendit, & incrementum recipit, & ad Communionem Divinam & Cœlestia aspirat, ut omnium animis inscribendum est illud Apostoli, *Indesinenter orate.*

CAP.

CAP. XIV.

III. *De* DECALOGO, *ut Christi incarnati Lege, & ab ipso explicato.*

DECALOGUS ut LEX CHRISTI
(ut distinctus { 1. A naturali Adamico, 2. A Legali Mosaico } habet { 1. Authorem & fundamentum Evangelicum. 2. Finem & usum Evangelicum. 3. Materialia quædam in sensûs sui ambitu Evangelica.

Partes ejus sunt TABULÆ DUÆ, in quibus PRÆCEPTA DECEM; Quæ sunt

PRIMUM Præceptum (sequentium fundamentum, fons & summarium) in veri sensûs ambitu hæc continet,

I. PRÆCEPTIVE, REGNUM CHRISTI præponit; *q. d.* [Ego sum Dominus Deus Redemptor tuus; non habebis, &c.]

I. CONSTITUTIONEM: *viz.*

I. MATERIAM vel Partes, quæ sunt { 1. DEUS-CHRISTUS, (Objectum primò Fidei, deinde obedientiæ, &c.) 2. REDEMPTI.

II. RELATIONES FORMALES,

viz.

I. DEI Patris, Filii incarnati, Spiritus sancti, erga Homines; Quæ sunt

I. Fundamentales; *viz.* 1. CREATOR, 2. REDEMPTOR, 3. REGENERATOR.
II. Ortæ; ut DEUS est jure tum Creationis tum Redemptionis.

I. DOMINUS Proprietarius
II. RECTOR Supremus;
III. BENEFACTOR, SALVATOR, AMATOR & AMANDUS; *viz.*
Relationes, etsi sæpe memoratæ, hic ad Præceptum explicandum recitandæ.
1. Ut Mediator, Summum Medium.
2. Ut DEUS, Summum Bonum.

II. HOMINIS; erga Deum & ad invicem; Quas prius descriptas Lector videat.

II. ADMINISTRATIONEM PRIMARIAM fundamentalem, *viz.*

I. FINEM & Præmia Primaria in ipsis Relationibus formalibus proponendo. DEUS noster erit.
II. MEDIA PRIMARIA, seu Officia Fundamentalia nobis imperando: *viz.* Ut nos jure Redemptionis,

I. SUI,
1. DOMINO REDEMPTORI absolute nosmet resignemus & dedamus.
2. Voluntati & usui Redemptoris nos totos devoveamus.
3. In dispositionibus & operibus Ipsius placide acquiescamus.
} RESIGNATIO hic eminet.

II. SUBDITI; *viz.* ut

1. DISCIPULI Christi Præceptoris,
1. Humiliter (ut pueri)
2. Libenter
3. Diligenter
1. Ignorantiæ & necessitatis conscii.
2. Docenti FIDE credamus.
3. Summa attentione discamus.
} FIDES hîc eminet.

2. RE-

- 2. REGENDI
  - 1. Præcepta Christi debemus — Sincere, integraliter, constanter — 1. Intellectu, 2. Voluntate, 3. Opere — 1. Retinere, 2. Diligere, 3. Facere — OBEDIENTIA filialis & grata hic eminet.
  - 2. Christi Præmiantis — 1. Promissionibus (Fide) credere, 2. Promissa sperare, 3. Promissorem Amare debemus — SPES hic eminet.
  - 3. Christi Minantis — 1. Comminationibus credere, 2. Pœnas timere, 3. Et diligenter devitare debemus — TIMOR hîc eminet.
- 3. JUDICANDI: Quorum est,
  - 1. Ut *Peccatores* sunt — 1. Peccata animo contrito fateri, 2. Justitiam punientem justificare, 3 Ad emendationem seriò festinare — POENITENTIA hîc eminet.
  - 2. Ut Fideles fœderatores sunt — 1. Sinceræ præstationis, Conditionis conscii esse, 2. Obedientiæ tamen fateri imperfectionem, 3. Sanctitatis Amatorem & Donatorem Glorificare — BONA CONSCIENTIA hic eminet.
  - 3. Ut Justificandi, debent — 1. In Benignitatem & misericordiam Divinam, 2. In Sacrificium, Meritum, & Intercessionem Christi, 3. In verissimas novi fœderis promissiones, fiduciam ponere — FIDUCIA hîc eminet.

III. BENEFICIARII Redempti, Amici, Membra sumus. Officium nostrum erga Deum, est,

- I. Ut BONUM NOBIS — 1. Animo grato BENEFICIA ACCIPERE, 2. Per ipsa in Deo gaudere, 3. Ad gloriam ejus omnia referre — GRATITUDO hîc eminet.
- II. Ut BONUM IN SE *viz.* OPTIMUM, in — 1. Naturæ, 2. Gratiæ, 3. Gloriæ, — Operibus nobis notum — Totum, totaliter, constanter — Amare — AMOR hic eminet.

ET PERFECTAM DEI Scientiam, & Amorem, & fruitionem desiderare, Ubi AMOR PERFECTUS, GRATUS, GAUDENS imperfecta tandem finiet & absorbebet.

II. PROHIBET,

- I. Omnium antedictorum Privationem quoad — 1. Materiam, 2. Formam, 3. Finem, — 1. Quoad Essentiam, 2. Integritatem, 3. Accidentia debita — ut 1. Atheismum. 2. Infidelitatem. 3. Impietatem.
- II. Contraria Positiva, *viz.*
  - I. Quoad Objectum
    - I. Idololatriam, *viz.* Cultum Idoli — 1. Maximi, SUI-IPSIUS. 2. Numinis alicujus fictitii, ut solis, Dæmonum, &c. 3. Creaturæ alicujus inferioris, cui prærogativæ Divinæ aliquid tribuimus.
    - II. Falsi Mediatoris alicujus Fidem; ut Mahometæ, &c.
    - III. Maligni aut mendacis spiritûs fidem & obedientiam, & carnis concupiscentiam.
  - II. Quod Actum — 1. Hæreses Dei naturam, aut relationes aut prærogativas subvertentes. 2. Odium Dei, Christi, Spiritûs Sancti, Sanctitatis, Justitiæ, &c. Divinæ. 3. Maligna Regni Divini, Veritatis, Pietatis, Oppositio, persecutio, rejectio.

N. B. Quòd etiamsi non tantùm Idololatria *Personalis* & *Formalis*, sed etiam *Materialis*, (seu usus omnis *Mediorum* ad Idololatriam) in Primo præcepto per *consequentiam* prohibetur; nil vetat tamen quo minùs in *secundo Præcepto*, res eadem *Directè* iterum prohibeatur. In primo enim præcepto ut Summario, fere omne peccatum per *consequentiam* seu *indirectè* prohibetur, cùm tamen in præcepto speciali unumquodque, postea specialiter directè prohibeatur.

SECUNDUM

SECUNDUM PRÆCEPTUM directè Negativum

I. PROHIBET,

- I. Directè, SIMULACHRA vel
  - 1. Facere ad Deum repræsentandum. Vel
  - 2. Externo cultu colere, sicut numen coli solet.

  Quia Prius est Actualis Blasphemia & Mendacium; Quasi Deus Creaturæ similis foret.

  Secundum, est vel circa simulachrum
  - 1. *Dei ficti:* & hoc est *Idololatria* prima Corporalis (indirectè in primo præcepto prohibita.) Vel
  - 2. *Dei veri:* & hoc est
    1. Blasphemia itidem ut prius; & inde,
    2. *Idololatria Materialis* & Corporalis, *q.d.* Talem colo.
    3. Medium ad aliorum Idololatriam, ut scandalum.

  Et ita in hoc Præcepto directè prohibetur
  1. Idololatria corporalis ut Dei ficti, juxta intentionem colentis.
  2. Idololatria materialis, interpretativa, Corporalis, per scandalum, quæcunque sit intentio.
  3. Blasphemia Actualis contra Deum verum per cultum simulachri ut ejus imaginis.

- II. Consequenter, Omnem Dei cultum, 1. Naturæ, 2. Voluntati suæ contrarium, qualiscunque mentis puritas prætendatur: ut quo, mendacio & opprobrio Deus afficitur;

  viz.
  1. Contra *Vitam* Dei; quando per saxa aut alia inanimata repræsentatur.
  2. Contra ejus *Omnipotentiam*, per repræsentationes, verba vel actiones impotentiam significantes.
  3. Contra ejus *Omniscientiam*; quasi (sicut Idola) secreta & res omnes non perfectè teneret.
  4. Contra ejus *Sanctitatem*, quando turpiter & communibus & contemptibilibus colitur.
  5. Contra ejus *Bonitatem*, quando invitè, parcè & animo nolente Deum quasi Malum colimus.
  6. Contra ejus *Spiritualitatem*, quando ceremoniis & actionibus externis tantùm vel maximè colitur.
  7. Contra ejus *Æternitatem*, quando per caduca repræsentatur, vel ut mutabilis colitur.
  8. Contra ejus *Immensitatem*, quando verbis aut factis limitatur, & Omnipræsentia ejus negatur.
  9. Contra ejus *Sufficientiam* aut Independentiam; Quasi non omnibus suorum necessitatibus sufficeret.
  10. Contra ejus *Dominium*; Quasi aliquid non suum Deo dare creatura posset.
  11. Contra *Regnum* & *Majestatem* ejus; cùm ex nostra voluntate contra illius, vel rebus prohibitis Deum colimus.
  12. Contra *Gloriam* & *Magnitudinem* ejus; cùm nugis, ludicris & pueriliter aut sordidè eum colimus.
  13. Contra *Veritatem* ejus; Quando falsa Deo imputantur, vel ut falsus sit expectatur.
  14. Contra Justitiam ejus; ubi injusta Deo imputantur, vel à Deo petuntur.
  15. Contra ejus Amorem, Benignitatem & Misericordiam; Quando per verba, vel sacrificia crudelia, ut hominum Osor vel Crudelis perhibetur; vel Amor ejus occultatur.

II. PRÆCIPIT,

- I. Idololatriæ Materialis & corporalis detestationem, & oppugnationem debitam.
- II. DEUM VERUM, ut Mortalibus innotescit, Spiritualiter, castè, purè, COLERE
  - 1. In operibus suis Creationis & Providentiæ.
  - 2. In Christo.
  - 3. In Sacra Scriptura & Sanctis.

  CULTU scilicet congruo
  1. NATURÆ & Attributis suis.
  2. Legi ipsius vel ut
     1. Præcipienti, *viz.*
        1. In Specie.
        2. Vel in Genere.
     2. Approbanti.

III. MOTIVA subjungit,

- I. A Dei *Zelotypiâ* circa cultum ejus, etiam Corporalem & Materialem.
- II. Per Sanctionem Legalem; quà
  1. Pœnas speciales etiam in terris minatur contra Idololatras & eorum progeniem.
  2. Benedictiones speciales promittit sinceris Dei cultoribus & eorum progeniei.

TE

TERTIUM PRÆCEPTUM

I. PROHIBET directè omnes Dei ſubditos

- 1. Mendaces Dei *Deſcriptiones* fingere ; & de Naturâ, Voluntate, & operibus ejus mentiri.
- 2. Ad *Finem prohibitum* Dei nomine, & Divinis abuti ; (*viz.* ad veneficia, ad deceptiones, ad Hæreſin, ad Schiſmata, ad Superbiam, ad Perſecutiones, Oppreſſiones, ad mala tegenda, &c.)
- 3. Quoad *Modum*, Dei *Nomine* verbis aùt ſcriptis abuti
  - 1. Mendaciter : ut in *perjurio*, & *hypocriſi*, & votis mendacibus.
  - 2. Blaſphemè, ut per Dei & ſacrorum *irriſionem* & opprobrium.
  - 3. Leviter & inaniter & cõtemptim, ut in jocis, juramẽtis & votis temerariis.

Perjuri Vota non ſolventes, prophani Religionis inviſores, hæretici, ſchiſmatici, hypocritæ, præcipue *ſacerdotes*, hic maximè peccant.

II. PRECIPIT, nos nomen Dei, Creatoris, Redemptoris, Sanctificatoris, & omnia Divina ſanctificare

viz.
- 1. Verâ Intellectùs conceptione, & ſanctâ æſtimatione,
- 2. Sancto Voluntatis Amore & affectibus,
- 3. Sanctis Operibus
  - 1. Linguæ,
    - 1. In cultu ſolemni
      - 1. Confeſſione → NOMEN DEI, & res ſacras SANTIFICARE, & ejus Honorem & Gloriam tueri.
      - 2. Laudibus →
    - 2. In Converſatione privata,
  - 2. Vitæ : Pietatis, obedientiæ, &c.

III. SANCTIO POENALIS additur, de vindictâ Divinâ certiſſimâ adverſus Nominis ſui Sancti & Glorioſi Prophanos Temeratores.

QUARTUM PRÆCEPTUM

I. PRÆCIPIT facienda : Ubi obſervanda ſunt

I. QUID, *viz.*

I. PRINCIPALITER

- I. OPUS faciendum
  - 1. In Genere ; Sanctitatis Opera, vel Sanctificare.
  - 2. In ſpecie
    - 1. Opera Creatoris → ſanctâ Commemoratione
    - 2. Redemptoris → celebrare.
  - 3. Specie ſpecialiſſimâ
    - 1. Verbum Dei prædicando, explicando, applicando.
    - 2. Sacramenta Communionis adminiſtrando.
    - 3. Laudes & preces Deo fundendo.
- II. TEMPUS Operi deſtinandum.
  - *viz.*
    - I. In Genere [Dies unus in ſeptem.
    - II. Specialiter fuit
      - 1. A Creatione ad Chriſti Reſurrectionem, Dies SEPTIMUS ; At hinc eſt
      - 2. A Reſurrectione ad finem mundi, DIES DOMINICUS, *i. e.* PRIMUS.
- III. REQUIES SANCTITATI accommoda : Quæ
  - 1. Ceremonialis fuit ad ſanctitatem Ceremonialem.
  - 2. Jam autem ut Sanctitati Evangelicæ accommoda ſit requiritur.

II. SUBSERVIENTER,
- 1. PRÆPARATIO Proxima, per prævisionem neceſſariam [MEMENTO].
- 2. Præparatio Remota : [SEX DIEBUS LABORABIS, &c.] Quod & conceditur & præcipitur.

II. QUIBUS,
- I. Proprie
  - 1. Hominibus, *viz.*
    - 1. In Genere, Omnibus, privatis, 1. Incolis, 2. Advenis.
    - 2. Specialiter Societatibus
      - 1. Oeconomicis, 1. Præcipue Patrifamilias, 2. Aliis.
      - 2. Eccleſiaſticis, 1. Paſtoribus, 2. Populo.
- II. Improprie, Brutis, ſcilicet de eorum requie.

III. QUARE

I. Ab INSTITUENTE, { 1. In Principio, DEO CREATORE. 2. Jam autem & CHRISTO REDEMPTORE.

II. A FINE, *viz.*

I. PROXIMO: Qui eſt commemoratio & celebratio debita operum 1. Creationis, 2. Redemptionis: Et ſpecialiter Reſurrectionis Chriſti.

II. Remotiore: ut { 1. Perſonæ. 2. Cœtus & Societates humanæ Deo ſancti ſint.

III. Ultimo; Ut gratâ hac celebratione & Cultu, Deo Creatori & Redemptori & Sanctificatori, ſuus Honor & Gloria in ſanctis perſonis & cœtibus conſervetur & reſplendeat.

II. PROHIBET { I. Omnium horum Præceptorum neglectum, & Officiorum omiſſionem privativam. II. Omnia hiſce *Contraria poſitiva*: Quæ brevitatis gratiâ, ex *Præceptorum* materiâ colligenda relinquo.

QUINTUM PRÆCEPTUM,

I. Parte Primariâ,

I. PRÆCIPIT Majeſtatis Divinæ Imaginem in Parentibus honorandam; & eſt quaſi Cardo ſeu nexus Tabularum, partim ad Primam, & partim ad Secundam pertinens: Ubi ſunt

I. OBJECTUM { 1. Primarium { 1. Naturale: PARENTES; In quibus lucet Imago { 1. Divinæ Creationis in Generatione. 2. Et inde { 1. Dominii in Proprietate. 2. Regiminis in Gubernatione. 3. Amoris, in Parentum Amore ad liberos. 2. Evangelicum: Parentes Spirituales, per quos ad Gratiam & Gloriam pervenimus. 2. Secundarium, ſcilicet RECTORES per CONTRACTUM, Qui ad Exemplar Parentum ſunt Honorandi, *viz.* Superiores { 1. Domeſtici: *viz.* 1. Primarius, Maritus, 2. Secundarius, Herus, 2. Subſerviens, Tutor. 2. Eccleſiaſtici, quantum ad nudum officium & contractum; ut ſuperiores ſunt 3. Civiles, 1. Supremus, 2. Officiales ejus, 3. Domini inferiores, heri.

II. ACTUS, HONORARE, *viz.*

I. In Genere, eſt 1. Proprietatis, 2. Authoritatis, 3. Amoris-Paterni { Agnitio-Grata-Practica.

II. Cujus PARTES { I. Internæ ſunt { 1. SUI Deditio, Submiſſio & Patientia erga Parentes ut Dominos. 2. Reverentia, Subjectio & Animi obſequium erga Parentes ut Rectores. 3. Gratitudo & Amor ſummus, conſtans, erga Parentes ut Amantes & Benefactores. II. Externæ ſunt { 1. Ad uſum & honorem Parentum vivere, & onera ab ipſis impoſita tolerare. 2. Ipſorum Mandatis obedire, & caſtigationes cum proficientia ferre. 3. Bona externa noſtra ipſis communicare, & honorem & bonum eorum promovere.

III. Species

III. Species ſunt juxta objectorum ſpecies: Superior unuſquiſque juxta propriam Authoritatem, Dignitatem aut Bonitatem honorandus eſt: Ideóque Officium, & Dignitas ſuperiorum Naturalium, & per Contractum Domeſticorum, Eccleſiaſticorum, Civilium internoſcenda ſunt.

II. Pars Connotata hujus Præcepti item continet (ſubjecto ſuppoſito, *viz.* ſuperioribus)

- I. Objectum: *viz.* Inferiores omnes ad Superiores antedictos, correlatos, naturales, civiles, *&c.*
- II. Actus ſuperiorum erga Liberos & Subditos (de quibus plura poſtea dicendum eſt.)
  1. Potentiâ eos tueri ut SUOS.
  2. Sapientiâ eos regere & docere.
  3. Amore eos amplecti, & illis præcipue in maximis benefacere.

- II. PROHIBET
  1. Subditis, — Officiorum horum (& quæ poſt enumerantur)
     1. Omiſſionem & neglectum.
     2. Contrarias Diſpoſitiones & Actus.
  2. Superioribus,
- III. SANCTIO, PRÆMIANS eſt
  1. Explicita Promiſſio etiam temporalis Præmii (æterno ſuperadditi.)
  2. Implicitè minatur hujus vitæ mala præcepti hujus violatoribus, ſupra alios.

SEXTUM PRÆCEPTUM, (*& Primùm de Officio noſtro erga Proximos privatos æquales*).

I. PROHIBET HOMICIDIUM; id eſt

- I. ANIMARUM corruptionem per Peccatum & Perditionem in Miſeria: Ubi Gradus peccandi ſunt
  - I. Quoad AGENTEM.
    1. Maximus peccandi Gradus eſt, cum homo IPSE ſe perdit: Quia unuſquiſque ſibi proximus.
    2. Proximus Gradus eſt, cùm fit per Curatores,
       1. Per Parentes naturales: Quia maximè naturæ leges violant.
       2. Per Paſtores Eccleſiæ: Quibus Animarum cura mandata eſt.
       3. Per Reges & Magiſtratus: Qui pro Animabus etiam Dei Miniſtri ſunt.
       4. Per Tutores: Qui animarum curam in ſe recipiunt.
    3. Gradus tertius eſt, quando fit per Amicos qui Amorem ſummum profitentur.
    4. Quartus, quando fit per conſanguineos & affines, qui ad Amorem ſpecialem ſunt obſtricti.
    5. Quintus quando fit per Beneficiarios; Qui etiam contra Leges Gratitudinis peccant.
    6. Sextus quando fit per Proximos: Qui alios ſicut ſeipſos diligere obligantur.
    7. Septimus, quando fit per vindictam illicitam inimici; Qui homines quà homines diligere debet.
- II. Quoad EFFECTUM: ubi Gradus peccandi in Animarum perditione ſunt tales.
  1. Maximus, PLURES perdere: Papa igitur, & Imperatores, Reges, Rectores mali, maximè peccant; & uſurpantes Patriarchæ, Metropolitani, Dioceſani, quorum ambitio eſt quamplurimas eccleſias prodere.
  2. Deinde, qui Regum & Nobilium, & doctorum & eximiorum animas perdunt.
  3. Qui Animas ſuæ Curæ commiſſas perdunt; juxta Gradus prædictos; *viz.* Filiorum, Conjugum, Gregis, ſubditorum, &c.
  4. Qui non levibus peccatis, ſed flagitiis atrocioribus Animas penitus perdunt.

III. Quoad ACTUM: ubi in Animarum perditione Homicidii Gradus tales sunt.

I. Primus, ipso PECCANDI actu: Peccator ergo magis se *Perdit*, quàm Diabolus aut Tentator aliquis.

II. Qui alios ad Peccandum & per consequens ad Miseriam *propellit*: Ubi Reatûs Gradus sunt,

I. Maximus, Intellectum & Voluntatem simul Doctrinâ perniciosâ corrumpere; ubi peccant,
1. Parentes, qui filios, & mariti qui conjuges peccare instruunt, & erroribus imbuunt.
2. Pastores, qui in nomine Dei doctrinam falsam pernicioſam prædicant (& ita Tutores.)
3. Privati seductores, qui peccata extenuant, vel malum pro bono laudant, & bonum vituperant.

II. Secundus; Vi alios ad Peccandum cogere; *viz.*
1. Malis Legibus, ubi modis plurimis peccatur.
2. Coactione *mandatorum*, per Parentes, Reges, Dominos, Conjuges, Tutores, *&c.*
3. Coactione Executivâ: ut per flagella, per gladium, per carceres, vel alias pœnas aut minas.

III. Ad Actum peccati alliciendo; ubi Voluntatem ad prohibita flectere satagunt, etsi non approbata.
1. Verbis
1. Suadendo
1. Directè ad ipsum peccatum; præcipuè quando fit magno conatu.
2. Ad media peccandi, & in viam tentationum.
2. Irrisionibus, opprobriis, contumeliis, calumniis, sicut impiorum mos est.
2. Factis, *viz.*
1. Illecebras sensibus offerendo; *viz.* vini, escarum, ornamentorum, spectaculorum, ludorum, lucri, *&c.* quibus ad gulositatem, superbiam, lasciviam, avaritiam stulti alliciuntur.
2. Per Excitationem Passionum, per injurias, oppressiones, *&c.* & mercedem mali ostendendo.
3. Per Scandala,
1. Per mala exempla ad malum invitando.
2. Per offensiones, à bono ad malum depellendo.

III. Qui Media ad Animarum Salutem necessaria, negligit: Ubi Gradus Homicidii sunt,
I. Quando Peccator Animæ propriæ curam rejicit: & ita Impius omnis se maximè perdit.
II. Quando Animas suæ Curæ commissas negligit; ubi maximi Animarum perditores sunt
1. Reges & Magistratus negligentes,
2. Pastores Ecclesiastici negligentes,
3. Parentes & Tutores negligentes,
heu quanti Satanæ Ministri! Et quanti Animarum perditores! Et quàm tremendum ipsis moratur judicium & perditio!
III. Quando Proximorum Animas negligit ubi ipsi incumbit eorum salutem promovere.

II. VITÆ & SALUTIS Temporalis perditionem, vel Homicidium propriè dictum; Ubi Gradus peccandi sunt,

I. Quoad AGENTEM,
1. Cum *Homo seipsum* perdit; ut ebrii, gulosi, lascivi, ignavi, qui mortem sibi plerumque immaturam conscisc unt; & Vitam pro turpi & brevi voluptate vendunt.
2. Cum parentes filios suos necant; aut furore, aut, quod frequentissimum est, gulæ indulgendo.
3. Cum Reges & Domini suos subditos opprimendo perdunt, excruciant injustè aut affligunt.
4. Cum Amici & Consanguinei necessarios suos destruunt; quod compotationibus, commessationibus, &c. sæpe fit.
5. Cum *proximos* suos proximi lædunt, quod ex contentionibus sæpe fit.
6. Cum etiam inimicos injustè lædimus, aut contra charitatis leges.

II. Quoad

II. Quoad EFFECTUM: Ubi peccandi Gradus sunt tales:

1. Maximus est, ubi perduntur aut læduntur PLURES; Horrenda igitur flagitia sunt
   1. BELLA injusta, quibus milleni trucidantur; Quo vix majus peccatum in corpora committitur.
   2. Tyrannorum oppressiones & sævitiæ; & Dominorum malorum crudelitates.
   3. Malignorum Cainitarum, Ecclesiarum persecutiones & vastationes.
2. Parricidæ, Regicidæ & Rebelles, qui *Maximos* lædunt.
3. *Bonorum* hostes, qui *Optimos*, etiam Ecclesiæ Pastores fidissimos persequuntur.
4. Curatores qui *fidei-commissos* perfidè lædunt; ut subditos, filios, conjuges, &c.
5. Qui *Innocentem* aliquem vel proximum, vel advenam, vel inimicum lædit.

Et quoad *Rem*,
1. Quando VITA ipsa aufertur; præcipuè cum diris cruciatibus.
2. Quando vitæ solamina & necessaria auferuntur.
3. Quando membra auferuntur, aut corpus & salus vulnerando, contundendo, &c. læditur.

III. Quoad ACTUM & Modum, ubi Homicidii Gradus tales sunt.

1. Quando sub *prætextu Religionis, Justitiæ, Regiminis*, à persecutoribus, Judicibus, &c. cives trucidantur.
2. Quando fit ex *instituto*, & *malitiâ*, præcipuè malignitate, & deliberatè & sine pœnitentiâ.
3. Cum fit ex *effræni furore* cum proposito necandi; & per actus positivos.
4. Cum fit ex *avaritia* vel *crudelitate*, per necessariæ & debitæ sustentationis privationem.
5. Cum pericula vel insidiæ ad aliorum malum voluntariè struuntur.
6. Cum alii ut instrumenta injuriarum aut necis Legibus, mandatis, pretio aut suasione provocantur.
7. Quando temeritas, avaritia, superbia, ira, etsi non ex proposito, malum aliis struunt.
8. Quando fit ex merâ negligentiâ aut frigiditate Charitatis.
9. Quando non totum officium præstamus ad aliorum liberationem & salutem.
10. Quando per maledicta vel jurgia iram malam exercemus, & in aliis excitamus.

II. PRÆCIPIT,
1. VITÆ & Salutis Proximorum, Animarum & Corporum, curam diligentissimam.
2. Curæ hujus exercitium,
   1. Bona aliis faciendo, & mediis ad salutem eorum fideliter utendo.
   2. Aliorum mala spiritualia & corporalia fideliter oppugnando.
3. Mentis & vitæ tale conservare temperamentum, Charitatem, scilicet, Pacem, mansuetudinem, Patientiam, quod ad aliorum salutem, præcipuè *Publicam*, nos efficaciter & constanter disponat.

SEPTIMUM PRÆCEPTUM.

I. PROHIBET

I. Animi,
1. Incastas *Dispositiones*; vel Privativas vel Positivas: Multo magis
2. Incastas *Cogitationes*; præcipuè amatas, indultas, & frequentes: Et magis
3. Deliberationes, Volitiones, Intentiones, proposita fornicandi, &c.

II. Corporis,
1. Usum non-necessarium irritamentorum cupidinis; qualia sunt vinum, crapula, ignavia, otium, ornatus allicientes, nimia familiaritas & approximatio, lusus immodesti, spectacula irritantia, libri amorosi, corporis nuditas immodesta, illecebræ verborum, &c.
2. Actus, tactus, oscula, verba immodesta; turpiloquium, lasciviam & conatus impudicos, præcipuè voluntariam feminis rejectionem.
3. Concubitum illicitum, cujus diversi gradus sunt & modi,

viz.

- 1. Malus uſus thori conjugalis, *viz.* ad corporis debilitationem & mentis corruptionem.
- 2. Fornicatio ſeu concubitus innuptorum, 1. Etſi conjugium intendant; 2. Et magis ſi non.
- 3. Adulterium, *viz.*
  - 1. Concubitus Nupti cum innuptâ.
  - 2. Concubitus innupti cum conjuge alienâ.
  - 3. Concubitus nupti cum conjuge alienâ.
- 4. Peccatum Sodomiticum, vel turpitudo cum perſonâ ejuſdem ſexûs.
- 5. Inceſtus, vel 1. Per ſtuprum, 2. Conjugium in gradu prohibito lege Divinâ.
- 6. Concubitus cum beſtiis.
- 7. Succubarum veneficarum cum Spectris vel Corporibus Diabolicis concubitus.

II. PRÆCIPIT,
- I. Prohibitorum odium, reſiſtentiam vigilantem, & cautam devitationem.
- II. Poſitivè inſuper,
  - 1. Animæ Puritatem, negotiis & delectationibus ſanctis deditæ, & appetitui juſtè imperantis.
  - 2. Animi & Corporis exercitia in vocationis laboribus quotidianis cum diligentiâ.
  - 3. Conjugium neceſſarium, & uſum ejus ſanctum, ad ſeminis ſancti procreationem.
  - 4. Caſtitatis aliorum curam & diligentem (quantum in nobis) conſervationem.

OCTAVUM PRÆCEPTUM.

I. PROHIBET

I. Animi,
- 1. Diſpoſitiones (privativas vel poſitivas) contra proximorum *jus* Proprietatis.
- 2. Cogitationes injurioſas, præcipuè indultas & frequentes.
- 3. Deliberationes, Volitiones, propoſita omnia contra proximi proprietatem.

II. Praxin, *viz.*
- 1. Nimiam circa mundana, & opes acquirendas diligentiam;
- 2. Conatus verborum vel factorum alios fraudandi aut ſpoliandi;
- 3. Furta omnia, rapinas & fraudulentas & injurioſas acquiſitiones & uſurpationes.

Præcipuè
- 1. Bella injuſta, quæ ſub titulo victoriæ, immaniſſima tegunt latrocinia.
- 2. Regum, Magiſtratuum & Judicum (qui ſalutis publicæ & proprietatis cuſtodes ſunt) oppreſſiones, per Leges injuſtas, judicia aut violentiam, corruptiones, depeculationes, &c.
- 3. Prælatorum Eccleſiaſticorum Animarum nundinationes, & lucri gratiâ factam eccleſiæ, veritatis & pietatis injuriam & conculcationem.
- 4. Magiſtratuum, juriſconſultorum, Medicorum, Presbyterorum, Pædagogorum, artificum, ſervorum, &c. ſalarii, minervalis, mercedis aucupationem & acceptionem officio & merito poſthabito & omiſſo.
- 5. Dominorum & divitum extorſiones, & pauperum expilationes, & debitæ mercedis detentionem.
- 6. Lucrum ex Perjurio, mendacio, fornicatione, aleâ, &c. vel exebrietatis, crapulæ, ſuperbiæ, &c. ſuſtentatione, aut aliâ lucrandi arte illicitâ.
- 7. Lucrum injuſtum exemptione, venditione, vel alio quocunque contractu fraudulento.
- 8. Latrocinia violenta; præcipuè cum periculo & terrore ſpoliatorum, & ad luxuriam nutriendam.
- 9. Mutuatum, conductum, vel aliàs debitum, non integrum reddere; & mutuum accipere vel cum propoſito non reddendi, vel ubi reddendi nulla probabilitas reſtat.
- 10. Furta ſecreta, etiam viliorum, ad paupertatis neceſſitates relevandas.
- 11. Combinationes, conſenſus, vel conniventia ad aliorum fraudes, furta vel oppreſſiones.
- 12. Quando ſervi & operarii laborem promiſſum & venditum non præſtant.

Et

Et consequenter SACRILEGIUM, ut peccatum majus quia contra jus divinum hîc prohibetur,

- 1. Omnis Impietas; per quam Peccator se & sua contra Jus, & Votum baptismi, à Deo abalienat.
- 2. Quando Personæ sacræ, & eorum dotes, Magistratus *viz.* aut Ministri Ecclesiastici abalienantur, *viz.*
  - 1. Per vim injustam aliorum, aut Potentum aut Populi, per Rebellionem, aut persecutionem.
  - 2. Per ipsorum negligentiam; quando se à Deo ad mundana & libidines vertunt, & ab officiorum exercitio sese quasi deponunt, & silentium sibimet imponunt, saltem magnâ ex parte.
- 3. Bonorum sacratorum, ædificiorum, fundorum, nummorum, utensilium, injusta & non-necessaria alienatio.

II. PRÆCIPIT

- I. Animi,
  - 1. Bonorum temporalium justam æstimationem, & præservationem, absque prodigalitate, luxuriâ & sumptibus non-necessariis; & usum eorum sanctum & sobrium.
  - 2. Dispositionem ad industriam & labores debitos; nè ad furta tentemur, per paupertatem.
  - 3. Dispositiones, Cogitationes, Volitiones ad Jus & proprietatem tuendam necessarias.
- II. Quoad Praxin,
  - 1. Assiduum in vocatione laborem & industriam, ut habeamus quo alios relevemus; *viz.* 1. Per industriam propriam, 2. Liberos & servos in laboribus & artibus educare & adhibere.
  - 2. Frugalitatem & bonorum justam præservationem, & liberos & servos ad frugalitatem educare.
  - 3. Aliorum bona & proprietatem tueri; præcipuè Publicum; Civile, Oeconomicum, Ecclesiasticum.
    - 1. Aliis benefaciendo, 1. Ex charitate privatâ, 2. Vel ex officio publico.
    - 2. Damnum injuriâ illatum resarciendo,
      - 1. Per Restitutionem, si à nobis facta sit.
      - 2. Per Justitiam Rectricem, si ab aliis.

NONUM PRÆCEPTUM

I. PROHIBET

- I. Animi,
  - 1. Dispositiones omnes,
  - 2. Cogitationes Voluntarias,
  - 3. Volitiones & Proposita,

  viz.
  - 1. Contra Veritatem,
  - 2. Contra Justitiam,
  - 3. Contra Innocentes,

  viz.
  - 1. Falsa credere.
  - 2. Falsa comminisci.
  - 3. Falsa velle credi.
- II. Quoad Praxin, *viz.* 1. Mendacia, 2. Injustitiam, 3. Oppressionem innocentium (injustitiæ effectum).

- I. Quoad Objectum,
  - I. Propius
    - 1. Mendacium est vel
      - 1. Universale; contra Religionem ipsam, & Regulam Veritatis, Dei Verbum.
      - 2. Particulare; contra Veritatem particularem
        - 1. Theologicam,
        - 2. Civilem.
    - 2. Injustitia est vel
      - 1. Contra Justitiam alicujus Universalem; ut cùm Pius aut Bonus censetur Impius & Malus.
      - 2. Contra Justitiam Particularem; quando quis in re particulari falsò alium criminatur.
    - 3. Oppressio est vel
      - 1. Contra Jus & bonum alicujus Universale, ad ejus perditionem:
      - 2. Contra Jus & bonum alicujus Particulare, ad injuriam particularem.
  - II. Remotius quando est
    - 1. Contra Animam aut Vitam proximi,
    - 2. Contra honorem ejus,
    - 3. Contra Bona communia, opes, censum,

    viz.
    - 1. Plurimorum, contra borum publicum.
    - 2. Particularium
      - 1. Mei ipsius,
      - 2. Relatorum, amicorum, &c.
    - Item
      - 1. Contra superiores
        - 1. Naturales,
        - 2. Civiles,
        - 3. Ecclesiasticos.
      - 2. Contra æquales.
      - 3. Inferiores.

II. Quoad

II. Quoad Actum,
- 1. Mentiri contra alium { 1. Mendacia temere recipiendo, 2. Mendacia faciendo, 3. Mendacia ut credantur conando.
- 2. Contra Justitiam, *viz.*
  - 1. Publicam,
    - 1. Falsò accusare, Quando *viz.* fit { 1. Per Actorem & Oratores. 2. Per Testes.
    - 2. Falsò & injustè Judicare, 1. De Lege, 2. De Causâ, vel aliquâ ejus parte, 3. De Personâ.
    - 3. Judicia injusta injustè exequi. (Justitiæ publicæ subversio hîc principaliter prohibetur).
  - 2. Privatam, *viz.*
    - 1. Injusta de aliquo fingere, & velle ab aliis credi aut fieri; Vel talia promovere.
    - 2. Injusta voluntariè audire, recipere, & à quibusvis dicta mala temerè credere.
    - 3. Injusta 1. Dicere, (per obtrectationem, calumniam, *&c.*) 2. Facere, (per vim aut fraudes).
- 3. Opprimere Innocentes sub prætextu Justitiæ,
  - 1. Publicæ,
    - 1. Per Tyrannidem sub prætextu Authoritatis & Regiminis.
    - 2. Per Falsitatem, sub prætextu Rationis, Sapientiæ, & veritatis tuendæ, orthodoxiæ.
    - 3. Per Hypocrisin, sub prætextu Voluntatis Divinæ, Boni publici, *&c.* (Ut faciunt Tyranni Ecclesiastici.)
  - 2. Privatæ; *viz.* per Potentiam, mendacia, vel hypocrisin; 1. Per se, 2. Vel per alios.

III. Quoad Agentem: Cum sit
- 1. Per Rectores, { 1. Civiles; *viz.* Reges, Dominantes, Judices; ubi & Militum Duces, *&c.* 2. Ecclesiasticos: qui circa res Animarum & Spiritualium injusti sunt. 3. Oeconomicos; qui contra naturam erga suos injusti sunt.
- 2. Per Doctores & Sapientiæ Professores, qui injustitiam aliis laudant.
- 3. Per Æquales, 1. Amicos, 2. Proximos, 3. Inimicos, injustos.

II. PRÆCIPIT dispositiones, Volitiones & Actiones hisce peccatis contrarias: Quas lector colligere potest.

Præcipuè, { 1. Veracitatis, 2. Justitiæ Gubernantis, 3. Defensionis Innocentiæ } { Studium, Curam & diligentiam accuratam, seriam, assiduam; Maximè verò *Justitiæ Publicæ* conservationem.

DECIMUM PRÆCEPTUM est Tabulæ secundæ summarium.

I. PROHIBET
- I. SUITATEM vel Philautian; id est, sui ipsius vel Personæ propriæ.
  - 1. Inordinatam ÆSTIMATIONEM, quæ est SUPERBIA, ut adversus proximum.
  - 2. Inordinatam ADHÆSIONEM vel Sui-Amorem, comparativè ad alios.
  - 3. Inordinatum SUI STUDIUM vel OPERAM QUÆSTUARIAM; comparativè ad alios.

  (SUPERBIA verò, SUI AMOR & SUI STUDIUM, ut contra DEUM, in Primo Præcepto prohibentur.)
- I. SUPERBIA essentialiter continet (sed principaliter est in Phantasiâ & Intellectu)
  - 1. Intellectûs inordinatam ÆSTIMATIONEM, { 1. Suæ Magnitudinis seu Potentiæ, 2. Suæ Sapientiæ, 3. Suæ Bonitatis.
  - 2. Voluntatis desiderium ut ab Aliis, { 1. Supra veram *Dignitatem* nostram *Æstimemur*, in eorum cogitationibus. 2. Supra veram *Bonitatem* nostram Amemur; & omnium Amor ad nos convertatur. 3. Supra locum nostrum, 1. Laudibus, 2. Promotione, 3. Præcedentiâ, efferamur.
  - 3. Ambitionem Practicam, vel Conatus ad præeminentiam indebitam obtinendam.

II. SUI-

II. SUI-AMOR continet (in Voluntate)
1. Inordinatam CHARITATEM, vel Adhæsionem sibi-ipsi; per complacentiam.
2. Inordinatam *Intentionem* sui-ipsius, ut omnium *Finis*, ad quem referenda sunt.
3. Inordinatum desiderium sui-boni Naturalis seu sensitivi, & ab aliis Placeri.

III. SUI STUDIUM continet studium inordinatum,
1. SUÆ VITÆ naturalis, & Mortis devitandæ:
2. SUÆ VOLUPTATIS vel Vitæ Solaminis, naturalis.
3. Mediorum ad utramque
1. Sensibilium Delectantium.
2. Honoris, præeminentiæ, laudis.
3. Divitiarum, & proventûs ad carnis satisfactionem.

II. PROXIMI NEGLECTUM comparativè, & propter nos ipsos;
viz.
1. PROXIMI CONTEMPTUM; vel HONORIS ejus injustam diminutionem.
2. PROXIMI ODIUM, vel AMORIS debiti defectum.
3. BONI aliorum debiti neglectum, vel per Injustitiam aliis malefacere; *viz.* contra PROXIMUM INJURIAM.

III. Horum mala consequentia, *viz.* prohibetur nobis,
1. Sorte propriâ non esse contentis, sed plura aut alia inordinatè concupiscere.
2. Quæ proximorum sunt, nobis concupiscere, & attrahere injuriosè.

II. PRÆCIPIT IMPARTIALITATEM, seu Communitatem, id est, Æqualitatem *Æstimationis, Affectus* & *Studii*: (utinam Nomen aptius haberemus, quo affectum SUITATI contrarium exprimeremus)

viz.
I. CHARITATEM, & idem est quod
1. Diliges Proximum tuum sicut Teipsum.
2. Quod Tibi fieri vis, hoc Alteri feceris: (Et è contra)
II. JUSTITIAM,
III. CONTENTATIONEM; quâ sors nostra quoad externa, à Deo assignata, nobis placet.

De *Contentatione* sat dictum est implicitè inter *Prohibita*. De CHARITATE & JUSTITIA plura dicenda sunt, ut de fundamentalibus & summariis Tabulæ secundæ officiis.

N.B. Quod sicut Tabulæ primæ Præceptum primum AMOREM DEI *directè* præcipit, & *Opera* Amoris tantùm generaliter, consequenter & implicitè; & reliqua illius Tabulæ præcepta, *Opera Amoris Divini directè* præcipiunt & particulariter; *Amorem ipsum* verò implicitè ut præsuppositum: Ità Tabulæ secundæ præceptum hoc *Ultimum*, *Proximi Amorem* & *Justitiam* ipsam in affectu, directè præcipit, & *Amoris* & *Justitiæ Opera* tantùm generaliter & consequenter; & reliqua quatuor illius Tabulæ præcepta (ratio enim quinti alia est) *Amoris* & *Justitiæ Opera directè* præcipiunt & particulariter, ipsum autem *Amorem* & *Justitiam* internam, implicitè, per suppositionem.

§. I. *De CHARITATE, seu Dilectione Proximi: Ubi.*

I. NATURA Charitatis, seu Causæ Constitutivæ considerandæ sunt; ubi sunt

I. ACTUS:
1. Intellectus: Proximi Bonum & Statum rectè ÆSTIMARE, & ità eum *Honorare*.
2. Voluntatis,
1. *Complacentia* in ejus Bonitate, & Bono adventitio.
2. *Benevolentia:* (Ubi mali *nolitio* & de eo displicentia reductivè est.)
3. Potentiæ executivæ; Beneficentia, seu *Studium* & Conatus ad aliorum bonum.

II. OBJECTUM, *viz.*

I. MATERIALE: *viz.*
I. Primarium, seu Personale; *viz.* Proximus, *viz.* Homo ejusdem Societatis,
viz.
1. Sancti; qui sunt ejusdem Ecclesiæ Catholicæ (etiam Angeli & Beati triumphantes).
2. Carnales, Naturales, ejusdem sicut Naturæ, ità & Mundi terrestris,
viz.
1. Publici: ut Reges, Pastores, Parentes, *&c.*
2. Privati, *viz.*
1. Necessarii,
1. Relatione, Fratres, *&c.*
2. Amicitiâ.
2. Vulgares, *viz.* 1. Propinqui, 2. Advenæ, 3. Inimici.
II. Secundarium seu Reale: *viz.* Omnia quæ Proximo Bona sunt.

II. FORMALE: Quod est

- I. In Genere; BONITAS, à Deo derivata.
- II. In Specie quod est
  - 1. BONITAS GLORIÆ; Quæ Naturæ & Moris & operum perfectionem continet; estque
    - 1. Angelorum,
    - 2. Beatorum.
  - 2. Bonitas GRATIÆ
    - 1. Specialis, & Physicæ seu Realis & Relativæ, in omnibus Regeneratis.
    - 2. Minùs specialis, *viz.*
      - 1. Physicæ; (seu Realis)
        - 1. Scientiæ, Prudentiæ, Artium.
        - 2. Semi-virtutum Ethicarum.
        - 3. Operum Bonorũ secundum quid.
      - 2. Relativæ
        - 1. Magistratuum, &c.
        - 2. Doctorum & Pastorũ Ecclesiæ, &c.
        - 3. Parentum, (quà sub Christo in Regno Gratiæ positorum.)
  - 3. Bonitas NATURÆ humanæ, *viz.*
    - 1. Essentialis; quæ est
      - I. Substantia spiritualis.
      - II. Forma, seu Virtus
        - 1. Activa, Vitalis.
        - 2. Intellectiva, Rationalis.
        - 3. Volitiva, Libera.
      - III. Capax Gratiæ, seu sanctitatis initialis, & inde Gloriæ & perfectionis.
    - 2. Accidentalis, *viz.*
      - 1. Qualitatis & Actionis: estque
        - 1. Acumen & claritas Intellectûs.
        - 2. Voluntatis Dispositio bona secundùm quid.
        - 3. Opera bona secundùm quid (sed infimo gradu.)
      - 2. Relativa
        - 1. Potestativa; Magistratuum, herorum, &c.
        - 2. Sapientialis; Docentium.
        - 3. Amica; Parentum, Conjugum, Amicorum.

N. B. Bonitas hæc quæ primò Naturalis est, quatenus Redempta, & reparata, est item *Gratiæ*: & ità hæc in *existentiâ Mixta* est: Et propter hanc Bonitatem omnis Viator diligendus est à nobis, & à Deo dilectus est.

II. EFFICIENS Causa, *viz.*

- I. Principalis; DEUS, AMOR, Amorem, Spiritum Sanctum in corda nostra effundit.
- II. Subserviens,
  - I. MORALIS, *viz.*
    - I. Persona,
      - 1. CHRISTUS-HOMO, Amoris Doctor & Exemplar; Mediator, Intercessor.
      - 2. Conservi
        - 1. Pastores, qui ex officio speciali Amori serviunt per doctrinam.
        - 2. Rectores, qui authoritate inimicitias & dissidia sopiunt.
      - 3. Amici,
        - 1. Speciales,
          - 1. Naturales: Parentes, consanguinei.
          - 2. Electi,
            - 1. Arctissimè juncti, Conjuges.
            - 2. Minùs arctè, Amatores.
        - 2. Communes, & ordinarii; Proximi omnes.
      - 3. Ipse Amator, dum seipsum ratiocinando ad Amorem suadet.
    - II. Actio, *viz.*
      - 1. Circa Objectum, *viz.* Actio
        - 1. Dei, proximum faciendo Bonum & Amabilem.
        - 2. Aliorum, ad Bonitatem, seu amabilitatem suadentium.
        - 3. Hominis amandi, se Amabilem præstantis.

2. Circa

- 2. Circa Amatorem est Actio,
  - 1. Christi, *viz.*
    - 1. Verbum;
      - 1. Lex ad Amorem obligat.
      - 2. Doctrina Amorem docet.
      - 3. Promissiones, &c. ad Amorem movent.
    - 2. Beneficia: quibus ad amandum se in suis nos inducit.
    - 3. Exemplum Amoris perfecti quod nobis præbuit.
  - 2. Conservorum
    - 1. Rectorum, judicio lites dirimentium.
    - 2. Suasio, publica & privata Docentium.
    - 3. Ipsius Amandi,
      - 1. Bonum & Amabilem se præstare.
      - 2. Beneficiis obligare.
  - 3. Ipsius Amantis,
    - 1. Rationes Amoris motivas sibi inculcare.
    - 2. Proximi Bonitatem credulitate observare.
    - 3. Malum de proximo non facilè credere.

II. Physica: Voluntas Amatoris Actum Amoris elicit,
- 1. Sanctificata per habitū Amoris, 1. Divini, 2. Et inde Humani.
- 2. Adjuta per Gratiæ Divinæ operationem.

III. FINIS, *viz.*

I. Habitus, est
- 1. Sanitas Animæ Amantis, & pulchritudo ejus in imagine Divinâ.
- 2. Operationes; vel Actus Amoris, qui sunt,
  - 1. Prosecutio
    - 1. Directa, estque
      - 1. Desiderium; unde dicitur [*Amor Concupiscentiæ.*]
      - 2. Spes; unde dicitur [*Amor Spei*] vel [*Sperans.*]
      - 3. Quærendi diligentia; unde dicitur [*Amor quærens.*]
    - 2. Impedientiū fuga; *viz.*
      1. Sentiendo dolorem, unde dicitur [*Amor dolens.*]
      2. Eventum timendo, unde dicitur [*Amor Timens.*]
      3. Irascendo; unde dicitur [*Amor irascens.*]
      4. Solicitum esse de successu; estque [*Amor curans.*]
      5. Opponendo, & superando; & est [*Amor fortis.*]
      6. Patiendo; unde dicitur [*Amor Patiens.*]
  - 2. Fruitio, quæ est
    1. Actus Amoris, seu complacentiæ non impeditus, vel [*Amor Perfectus.*]
    2. Gaudium in Bono amato, & dicitur [*Amor Gaudens.*]

II. Habitus & Actus simul,

I. Homo & hominis Bonum, *viz.*
- I. Singulorum, *i. e.*
  1. Amantis,
     1. Naturæ Perfectio.
     2. Fœlicitas in complacentia & gaudio amoris.
  2. Amati; ut ei Benefaciat Amator, unde dicitur [*Amor Benevolentiæ.*]
- II. Pluribus; *viz.*
  1. Primus; Qui est Amantium Unio Moralis, seu Individuorum moralis coalitio.
  2. Secundus; Societatum Omnium humanarum debita Constitutio (per Amoris cementum.)
  3. Ultimus; Societatum & Mundi recta, commoda & suavis Gubernatio; ad bonum publicum.

II. DEUS-AMOR, Qui Amoris nostri & Principium, & Finis est: Bonitas enim & Amor ejus in Creatis, impressus, & expressus, est Medium *exhibens* & *excitans*, quo animi nostri ad Deum ipsum summè Amandum potenter & suaviter alliciuntur. Et in *Amore nostro Deus-Amor* Glorificatur.

---

§. II. *De* JUSTITIA *ut in nono & decimo Præcepto jussâ; Ubi etiam de* JURE.

I. NATURA JUSTITIÆ continet (supposito subjecto)

I. ACTUS qui sunt
- 1. Intellectûs; Æstimatio justa & judicium.
- 2. Voluntatis; Volitio & Affectiones justæ.
- 3. Potentiæ executivæ; Praxis justa.

} Quorum Dispositiones seu Habitus etiam hîc includo: unde Justitia dicitur Habitus aut Virtus.

II. OBJECTUM FORMALE: quod est JUS: estque

1. Jus Primarium, *viz.* Divinum: Quod est Personarum & rerum Congruitas Relativa Moralis ad Deum, *viz.*
   ut { 1. Efficientem, ex Quo omnia; authorem *naturæ.* 2. Gubernatorem, Per Quem; authorem *Ordinis.* 3. Finem ad Quem; authorem *perfectionis.*
2. Jus secundarium subordinatum; Quod est Congruitas Relativa Moralis personarum & rerum inter se, vel ad invicem, ut juri primario subordinantur.

III. OBJECTUM MATERIALE; Estq; { 1. Personæ { 1. Divinæ, 2. Humanæ. 2. Res (unde species sequentes, Juris & Justitiæ.)
   { I. In Genere,
   { II. In specie: estque

I. JUS DOMINII, vel Proprietatis; (& Justitia ejusdem speciei) estq;

{ 1. In Proprietario, directe { 1. Jus habendi, 2. Jus utendi, 3. Jus disponendi, per alterationem, alienationem, &c.
{ 2. In aliis consequenter, *viz.*
  { 1. Negative, Debitum non invadendi aliena, aut vi aut fraude.
  { 2. Passivum; Jus Recipiendi, 1. Per donum, 2. Per contractum, (diversimodé.)
    Estque vel { 1. Jus individuorum, 2. Jus Societatum.
      { 1. Fundamentaliter, Per Naturam.
      { 2. Per Acquisitionem, { 1. Per actiones proprias. 2. Per derivationem ab aliis.
        { 1. Per donationem { 1. Hæredibus. 2. Arbitrariam.
        { 2. Per contractum.
        { 3. Per vim justam.

II. Jus POLITICUM seu Regiminis: Quod est

I. Regentis, { 1. Jus Imperii, id est { 1. Leges ferendi. 2. Judicandi. 3. Exequendi.
             { 2. Prærogativorum.

Et hic

I. Præsupponitur JUS DIVINUM SUPREMUM UNIVERSALE, & inde

{ 1. Jus Naturæ & Gentium, *viz.* Debitum & Nationum & totius humani generis ad invicem, ex obligatione Divinâ Legis naturæ universalis.
{ 2. Jus Regendi in summâ Potestate: *viz.* 1. Obligatio, 2. Authoritas: (suppositis prærequisitis) (Deus enim dat summam Potestatem, etiamsi Populus, 1. Eligat, 2. Limitet.)
{ 3. Jus fœdera servandi, 1. Inter Regem & Populum, 2. Et omnes; (specialiter.)

II. Ponitur HUMANUM; *viz.*

{ 1. Domesticum. 2. Ecclesiasticum. 3. Civile. } Et hisce subordinatum { 1. Tutorium, Curatorum & patronorũ. 2. Scholasticum. 3. Militare, &c.

Cujus objectum est

{ 1. Subditorum *Personæ:*
{ 2. Res: *viz.* eorum
  { 1. *Proprietates*, ut Legibus regulatæ, *viz.* { 1. Ad bonum publicum. 2. Ad juris singulorum securitatem.
  { 2. *Actiones*: { 1. Bonæ, præceptæ. 2. Licitæ; Quas Lex indifferentes esse vult. 3. Malæ; prohibitæ.
  { 3. Receptiones: *viz.* { 1. Præmiorum. 2. Pœnarum.

II. Sub-

- II. Subditorum: Quorum Jus eſt
  - I. Agendi; id eſt, Obedire.
  - II. Habendi
    - 1. Protectionem
      - 1. Perſonarum.
      - 2. Proprietatum.
    - 2. Præmia debita bene merentibus.
    - 3. Pœnas debitas male merentibus.

III. JUS AMICITIÆ (& Juſtitia): Quo

- I. In Genere
  - 1.
    - 1. Bonus unuſquiſq; Jus habet *Amari*, juxta Bonitatis ſuæ gradum cognitum.
    - 2. Unuſquiſq; Bonum cognitum *Amare* obligatur.
  - 2.
    - 1. Benefactor omnis Jus habet Gratias accipiendi.
    - 2. Beneficiarius ad Gratias habendas, agendas, referendas obligatur.
- II. In ſpecie
  - I. Jus Amicitiæ Univerſalis in quâ tenetur homo homini. Quâ omnes tenentur
    - 1. Invicem *Amare*, propter bonum commune naturæ, & Relationis humanæ.
    - 2. Invicem *Benefacere*: Ideoque contractuum fidem ſervare, & à maleficiis abſtinere.
  - II. Jus Amicitiæ ſpecialis: *viz.*
    1. Inter Conjuges.
    2. Inter Parentes & Liberos.
    3. Inter Chriſtianos fideles, ſpecialiter ad invicem.
    4. Inter Paſtores Eccleſiaſticos & gregem.
    5. Inter Rectores & Populum.
    6. Inter amicos integerrimos.
    7. Inter Benefactorem & Beneficiarium.
    8. Inter Conſanguineos & Affines.
    9. Inter Domeſticos, conſervos, condiſcipulos, commilitones, ſodales, &c.
    10. Inter Proximos: Quorum omnium jura ex jam dictis patent.

II. Cauſa EFFICIENS, Juſtitiæ Regulatæ eſt Juſtitia Regulans: ſcilicet

- I. Juſtitiæ, ut Inſtitutæ & Debitæ eſt cauſa
  - 1. Primaria, fundans: Dei Natura & Voluntas.
  - 2. Secundaria, obligans, fundamentum; *viz.* Lex
    - 1. Divina
      - 1. Naturæ.
      - 2. Supernaturaliter Revelata.
    - 2. Humana.
  - 3. Exemplaris: Chriſtus.
- II. Juſtitiæ ut Conſtitutæ, in eſſe reli cauſa eſt
  - 1. Proxima: Homo, Intellectu & Voluntate rectè *diſpoſitus*.
  - 2. Diſponens & Excitans internè; Spiritus Sanctus.
  - 3. Dirigens & excitans externè; Eædémq; Inſtituentes,
    - 1. Exemplaris, Chriſtus.
    - 2. Obligans, Lex.
    - 3. Suadens, Miniſtri.

III. FINIS
1. *Juſti Rectitudo* & *Fœlicitas.*
2. Societatum & Mundi *Ordo* & Fœlicitas.
3. Sapientiæ, Bonitatis, Juſtitiæ Divinæ Repræſentatio-Gloria: & Voluntatis Divinæ Complacentia.

§. III. *De*

§. III. *De AMORE SUI-IPSIUS ut imperato in Decalogo.*

Quamvis Amor ſui-ipſius in *Lege Moſis* ut Naturalis præſupponitur; in *Evangelio* tamen & Lege Gratiæ perfectioris, expreſsè & inſtanter juſſus eſt: Ubi conſideranda ſunt,

I. Ejus NATURA; *viz.*

- I. *Ut in ſe*; Eſtque Rationalis æſtimatio & Amor ſui-ipſius in quantum Boni, *viz.* in debitâ ſubordinatione & relatione ad Deum, ut *Creaturæ* ejus Rationalis, *Redemptæ*, & (ſi ita ſit) *ſanctificatæ*; ut ejus Peculiaris, ſubditi, filii; capacis Deum perfectè amandi, glorificandi & ipſi placendi in æternum (Amor naturalis, ſenſitivus, neceſſarius, individuitatis comes hîc præſupponitur.)
- II. Ut Nota per Contrarium; *viz.*
  - I. Sanum: *viz.* Sui-quâ Mali 1. Diſplicentia, 2. Ira, 3. Odium, ſed moderatum.
  - II. Inſanum:
    - 1. In exceſſu, *viz.*
      - 1. Amor errans, ſuperbiens, ſe nimiùm æſtimans & ſibi adhærens.
      - 2. Amor corruptus, ſenſualis: Quando Amor rationalis fit carnali ſubditus & ſerviens.
    - 2. In defectu: Amor languidus; ad ſui, præcipuè animi præſervationem ignavus.
    - 3. In oppoſitione: Diſplicentia, Ira, odium contra ſe inordinatum (Melancholiæ & paſſionis morbus.)
- III. In Ordine neceſſario: ubi opus eſt,
  1. Ut Amor ſui-ipſius ſit abſolutè ſubordinatus Amori Divino.
  2. Ut Amore Rationali (etſi non *ſenſitivo*) *Bonum publicum*, & *Meliores* nobiſmet ipſis præferamus.
  3. Ut Animi ſanitatem & fœlicitatem præferamus bonis corporalibus.

II. Ejus OPERATIONES: Quæ ſunt

- I. Internæ: *viz.*
  - I. Circa terminum ad quem: *viz.*
    - I. Finem: *viz.* Velle ſui perfectionem & fœlicitatem.
      - 1. Deum amare
        - 1. Perfectè in æternum.
        - 2. In viâ quantum fieri poteſt.
      - 2. A Deo amari
    - II. Media:
      - 1. Fini proxima: vel ejus partes inferiores: Velle Glorificationem, Adoptionem, Juſtificationem.
      - 2. Salutem efficientia: Velle, 1. Chriſtum ſalvatorem, 2. Spiritum Sanctificatorem, 3. Fœdus promiſſionum.
      - 3. Remotiora: *viz.* 1. Beneficia Divina accipere: 2. Opera & Verbum ejus ſcire, 3. Præceptis obedire.
  - II. Circa terminum à quo, *viz.*
    - I. Peccatum: *viz.* 1. De præterito pœnitendo: 2. Præſens odio habendo, 3. Poſſibile fugiendo.
    - II. Diſplicentiam Divinam: 1. Ut per reconciliationem amoveatur: 2. Ut cautelâ præcaveatur.
    - III. Pœnas Legales; 1. Præteritas ad lucrum vertendo: 2. Præſentes rectè amovendo, 3. Minatas præcavendo.
  - III. Circa Subjectum: *viz.* ſummâ curâ
    - I. Promovere
      - 1. Intellectûs informationem, quoad, 1. Diſpoſitiones, 2. Actus, 3. Habitus.
      - 2. Voluntatis Charitativas, 1. Diſpoſitiones, 2. Actus, 3. Habitus.
      - 3. Potentiæ executivæ, 1. Fortitudinem, 2. Promptitudinem, 3. Activitatem.

      viz. 1. In Senſuum, 2. Cogitationum, 3. Affectuum, debito regimine.

- I. Propter *Animam* directè,

II. Re-

- II. Removere
  - 1. Ab Intellectu; 1. Ignorantiam, 2. Infidelitatem, 3. Errorem.
  - 2. A Voluntate, 1. Cordis duritiem & malignitatem, 2. Concupiſcentiam, 3. Hypocriſin & ſuperbiam.
  - 3. A Potentiâ Executivâ, 1. Languorem, 2. Ignaviam, 3. Servitutem carnalem.
- Et inde
  - 1. A ſenſibus & Appetitu, 1. Intemperantiam, 2. Effrænationem, 3. Mollitiem.
  - 2. A Phantaſiâ, Imaginationes, 1. Falſas, 2. Confuſas, 3. Pellicientes.
  - 3. Ab Affectibus, 1. Stupiditatem, 2. Perverſitatem, 3. Ferocitatem.
- II. Externæ
  - 1. Devitare, 1. Peccata externa actualia, 2. Et tentationes ad peccandum.
  - 2. Bonum
    - 1. A Deo petere, per preces & alia media inſtituta.
    - 2. Ab hominibus quærere, 1. Auditione, 2. Lectione, 3. Converſatione.
    - 3. Communicando augere, confeſſione, inſtructione, liberalitate.

II. Propter Corporis proſperitatem, & inde finaliter propter animam per corpus: Ubi ſunt operationes

- 1. Fundamentales
  - 1. Deo placere, ſanctitate, obedientiâ, gratitudine.
  - 2. Superioribus placere, fidelitate, obedientiâ, amore.
  - 3. Proximis placere, lenitate, juſtitiâ, charitate.
- 2. Immediatæ,
  - 1. Poſitivæ
    - 1. Edere, bibere, dormire, laborare.
    - 2. Neceſſaria providere.
    - 3. Gratis data gratè accipere.
  - 2. Frænantes
    - 1. Ne corpus lædamus, nedum perdamus.
    - 2. Guloſitatem, ebrietatem, fornicationem, ignaviam, &c. devitare.
    - 3. Ne cenſum vel opes ſtultitiâ, ſocordiâ vel prodigalitate perdamus.

III. FINIS, ſcilicet ut Amor ſui ipſius ſit Principium,

- 1. Receptivum; *viz.* 1. Per appetitum Finis: 2. Per Mediorum electionem & conſenſum.
- 2. Operativum
  - 1. Erga Finem Naturæ, *viz.* Fœlicitatem.
  - 2. Erga Media fœlicitatis.
  - 3. Utrumque ſimul: erga finem ultimum: Ut dum noſmetipſos propter eum præcipuè amamus; Noſmet etiam Deo abſolutè reddamus: & Amare & Amari perfectè cupiamus.

CAP. XIV.

Generales Elucidationes de Methodo & Senſu Decalogi.

LEctores qui Decalogum bis explicandum nollent, aut priorem aut poſteriorem explicationem poſſunt omittere. Non autem ad eorum placitum Scripturæ Methodum deſeram.

1. Tres ſpecies officiorum in Decalogo præcipiuntur: I. *Publica, viz.* Pietatis, directe *erga Deum* Rectorem ſupremum: II. *Media*; partim *publica* & pietatis, partim privata & *humanitatis*, viz. *Erga Officiales divinos*, & ſocietates. III. Privata, humanitatis erga Proximos.

2. In Primo Præcepto, præmiſſo Jure Divini Regiminis, & præmio humanæ fidelitatis, *fœderalis conſenſus & præſtatio fidelis*, hominibus imperatur: q. d. [*Ego & de jure tibi Deus hæc impero, & de facto tui Deus ero gratioſus ſi conſenſum & obſequium præſtes: Me igitur, & Me ſolum, conſentiendo & mihi debitum officium præſtando, & alios omnes renunciando, Deum, mente, corde & operibus, habebis.*]

3. Præ-

3. Præceptum igitur hoc *Primum* est aliorum omnium Fundamentum, & quasi anima: & *obligat Generaliter* ad omnia ea officia, ad quæ *specialiter* per cætera præcepta obligamur. *Relationem* enim ipsam *subditi* ponit, & Relationis illius officia in genere imperat: & sicut *subjectio* differt ab *Obedientiâ*, ita saltem hoc præceptum à reliquis: Vim enim suam omnem ab hoc dependenter cætera recipiunt: Ipsum enim *objectum Formale obedientiæ*, viz. *Authoritas præcipientis*, hîc ponitur, sine quo *pars materialis* cæterorum, non vera fuerit Obedientia.

4. Primum igitur Præceptum est summarium totius *Decalogi Generale*, sed primariò primæ Tabulæ, de officiis pietatis.

5. Summarium illud toties sacris Literis repetitum, [*Dominum Deum tuum diliges totâ mente, toto corde, & totis viribus tuis*] nil aliud est quàm primum hoc ipsum præceptum.

6. Officium hic præceptum est, 1. Per Intellectûs Assensum, 2. Per Voluntatis Amorem, 3. Per operum præstationem, DEUM nostrum agnoscere, *viz.* 1. In verâ Deitatis Naturâ, ut Maximum, Sapientissimum, Optimum; 2. In Trinitate Personarum, & Relationum fundamentalium, ut Patrem Creatorem, Filium Redemptorem, Spiritum Regeneratorem; 3. In Relationibus formalibus, ut *Proprietarium*, *Rectorem*, *Amicum*; per Resignationem ut *suos*, per *subjectionem* ut *subditos*, & per *Dilectionem* ut Gratos *Amatores*.

7. Peccata hîc prohibita sunt, 1. Ex *defectu* vel Privativum, *Atheismus* seu *Impietas*, 1. Intellectûs, 2. Voluntatis, 3. Operis. 2. Positivum, *Idololatria* (sub quo Polytheismus). In excessu autem veræ pietatis seu Amoris Divini peccare non est possibile.

8. Idola sunt, vel *Primaria*, vel *Secundaria* subordinata. Primarium totius mundi carnalis *Idolum* est, *Unusquisque sibi ipsi*, seu CARO, seu VITA CUM VOLUPTATE SENSITIVA; & Communis Idololatria est, Philautia, SUITAS CARNALIS (da veniam nomini) seu SENSUALITAS; & omnis Carnalis, sive Deum verum, sive fictum (*Solem*, *Lunam*, &c.) colere videatur, non verè ut *Deum* (summum bonum & finem ultimum) eum colit, sed tantùm ut *Medium* ad *sensitivam suam vitam & voluptatem*. Homo etenim à *Deo* ad *seipsum sensualem* priùs quàm ad *Idolum* aliquod exterius peccato lapsus est.

9. Hinc Christus & doctrinâ, & exemplo & fœderis tenore, notabiliter adeò homines à vitâ sensitivâ & suitate revocat: & *sui-abnegationem*, etiam & *ipsius vitæ*, & omnium mundanorum desertionem, discipulis suis etiam sub pœnâ salutis sempiternæ amittendæ imperat. Neque vitæ, doctrinæ aut fœderis Christi sensum probè intelligere quis potest, qui *Vitam & Voluptatem Sensitivam* Idolum esse *Primarium*, *Commune*, *periculosissimum* non intelligit.

10. Omnium etenim Præceptorum (ut postea dicetur) hæc SUITAS seu SENSUALITAS est Violatio, sicut AMOR est omnium impletio.

11. Peccatum materialiter idem, diversis respectibus, in Præceptis dialogi diversis prohibetur.

12. Quintum Præceptum ad Tabulam utramque respectivè pertinens, quasi utriusque cardo est, vel nexus. Quatenus enim Rectores sunt Dei officiales, & Potestate ab Ipso receptâ nobis imperant, & Doctores & Parentes in Dei nomine, & ejus mandato fulti, ejus Doctrinam aut Præcepta inferioribus tradunt, obedientia ita Deo, & authoritati quadantenus derivativè Divinæ, à subditis perhibenda est: & ità ad Primam Tabulam saltem respicit, si non eatenus pertinet (eique ab antiquis pluribus annumeratur.) Quà verò superiorum Mandata, & dignitates sunt, Humana, Obedientia itidem & Honor ipsis debita sunt humana, & ad secundam Tabulam pertinent.

13. Si superiorum Authoritatem ut à Deo derivatam & pendentem, ut ejus scilicet officialium, subditi recte perspicerent, plurimum inde commodi societatibus & toti mundo proveniret: 1. Hinc enim subditorum item obedientia esset quandantenus, subordinate scilicet, divina; & Deum ipsum in Rectoribus hono-

honorarent; Veraque hæc foret, religiosa & Deo grata obedientia. 2. Ideoque nullam dari Authoritatem cernerent, nisi à Deo; Ideoque nullam adversus Deum; neque ullum esse Jus Regendi, contra Gloriam, Regimen, aut mandata divina; Nullique contra Deum esse obtemperandum. 3. Et hoc recte perspecto abstinerent privati à sacrilegâ istâ & falsâ assertione sui Juris aut Potestatis, Regendi Authoritatem dandi Rectoris: Libertate ipsis à Deo concessâ contenti, quâ jure plerumque *Personas* aut *Familias* ipsis Imperaturas *eligunt*, & ne *proprietates & jura subditorum sine jure invadant*, prospiciunt; & siquando Rectores Providentia Divina-vere-intelligibilis, ipsis eligat & obtrudat, submisse eos ut à Deo electos recipientes: Potestatem electis conferendi Jus ipsum regendi, ad Deum Regem supremum solum pertinere agnoscerent. 4. Et ipsi Rectores hoc probe pensitantes, sibimet nullam arrogarent potestatem à Deo non (aut mandato generali aut speciali) ipsis concessam, aut quod ad Dei Gloriam, ut medium non conduceret; multo minùs contra limites à Deo ipsis positos, aut contra Majestatem, aut mandata Divina.

14. Inter Injurias contra proximos, homicidium primò nominatur, quia & Regni hujus Divini subditum è medio tollit, & vitam, naturæ rem charissimam, adimit, & omnium hujus vitæ bonorum incapacem interemptum reddit.

15. Homicidio proximè adjungitur Adulterium, non tantùm quia uxor est mariti quasi caro, sed præcipue quia confusio in liberorum Generatione & Educatione, quid pejus est, quàm confusio possessionum, aut privatio divitiarum.

16. Nonum additur Præceptum ad bonorum omnium antedictorum necessariam politicam conservationem; Quo scilicet Justitia humana illibata ab iniquorum illusionibus servetur: Ideoque veracitas hominibus strictè imperatur, & mendacium omne, præcipuè contra proximos, & falsum testimonium ad justitiam subvertendam, à Deo hîc prohibetur & condemnatur.

17. Et quia Judices politici ultra hæc procedere non possunt, & quia particulares quædam injuriarum species, fortasse quandoque à malis & iniquis inventæ forent, quæ vix clarè ad ullum antedictorum præceptorum possunt reduci, Deus omnia erga Proximos officia summatim in Decimo Præcepto virtualiter imperavit; cujus verus sensus est, [*Proximum tuum diliges sicut Teipsum,*] & [*Suitatem* seu *Philautiam istam depones, quâ Proximorum Amor extinguitur, & homines sua inordinatè quærunt, quæ proximorum sunt neglectis,* aut *cupiditate sibi arreptis.*]

18. Præceptum igitur hoc Decimum est verè secundæ Tabulæ summarium, *charitatem* & *Justitiam* erga proximos præcipiens, ut omnium aliarum particularium officiorum Radices & Genera & compendium; & SUITATEM seu *Philautiam* prohibens, quà *Charitati* & *Justitiæ* contraria est, & aliorum bona sibi semper attrahere concupiscit.

19. Non tamen *ante præcepta* secundæ Tabulæ particularia ponitur, sicut *Primum* præceptum ante particularia Tabulæ primæ: Quia *Primum* præceptum (ut dictum est) *utriusque Tabulæ* præceptorum *fundamentum est,* & totius obedientiæ continet *objectum formale*, ex quo quasi *vivunt* officia particularia: At non ita præceptum Decimum, neque tantæ virtutis est *Charitas* & *Justitia erga proximos*: non igitur *Fundamenti* loco ponendum erat, sed *summarii*; & omnia *aut dicta* aut nondum dicta, *Generaliter* & in *Virtute* continens (*universales* scilicet duas erga proximum virtutes præcipiens, & Universale itidem Vitium prohibens,) aptissimè quidem Præceptorum *agmen claudit.*

20. *Philautia* aut *suitas eadem* prohibetur in primo præcepto; quatenus est *Idololatria* aut *sui exaltatio adversus Deum*; & in *quinto* præcepto quatenus *subditos erigit* aut *incitat* adversus superiores; & in *ultimo* Præcepto quatenus *Charitati* & *Justitiæ* proximis debitæ maxime adversatur. Recte igitur ante dixi, *suitatem* seu *sensualis vitæ* & *Voluptatis* amorem, esse Legum Divinarum Universalem Virtualem Violationem: De quâ tamen alibi copiosius dictum est.

21. Expositionem hanc Decimi Præcepti Christus ipse nobis prohibet, dum in Matth. 19. 18, 19. cætera omnia Tabulæ secundæ mandata recitans, loco decimi ponit [*Proximum tuum diliges sicut Teipsum.*]

22. Sicui potius dicendum videtur, *Amorem* quidem *Proximi sicut sui ipsius*, esse verum hujus præcepti officium, & *Justitiam* eminenter in *Amore* contineri, ut minus & inferius in Perfectiore & Majore; at eandem Justitiam & *Privatam* & *publicam*, etiam ut *Virtutem Universalem* potius, in *Nono præcepto* imperari, ut de re uniuscujusque judicio relinquenda, & de dicto non omnino improbabili, equidem minimè contendo. Et tantum de Decalogi Methodo; Cætera in uniuscujusque Præcepti explicatione sunt dicenda.

Elucidationes

CAP. XIV.

§. 2. *De Decalogo & I. Præcepto.*

1. Q. 1. *AN Christus Decalogo aliquid addidit?* Et *utrum Decalogus Christianus plus continet quàm Decalogus Mosaicus? Resp.* Affirmant quidam & Negant alii, sine necessariâ Quæstionis explicatione, ad Lectoris *ignorantis* deceptionem, *scientis* verò fastidium. Si per *Decalogum* intelligatur *ea ipsa Verborum formula à Deo per Angelum Mosi tradita, quæ tabulis lapideis scripta fuit*, quæstio erit aut de *Verbis* aut de *sensu*: & de utroque quidem plane inanis est: Idem enim semper est idem: Quando fit *Aliud* non amplius Idem est: Necessitate existentiæ (quæ per nullam potentiam destruitur) eadem verba sunt eadem, & idem sensus est idem. Neque Tabularum lapidearum Verba vel sensus à Christo sunt alterati; sed quatenus *Formæ Fœderis Mosaici* pars *materialis* fuit, Decalogus omnino sublatus seu abrogatus est. Sin autem hic sit Quæstionis sensus, *An Christus Rex Legislator jam incarnatus nova condidit præcepta, & partem omnem Legis Mosaicæ Naturalem materialiter retinens sui fœderis partem fecit, eique particularia quædam præcepta adjunxit, quæ omnia jam ad Methodum Decalogi reducta, Decalogus Christianus dici possint:* Affirmo; nec res probatione eget: Quis enim Christianus negat Christum esse Legislatorem? Quis negat eum *Legem Naturæ* quà talem nunquam abrogâsse, sed etiam Legis Mosaicæ partem *Naturalem* communem retinuisse? Quis negat eum præcepta quædam addidisse, de *Credendis* scilicet, de *Appetendis* & de *Agendis?* Denique quis negat hæc omnia ad Decalogi Methodum *quoad Naturam rei* pertinere, & rectissime tradi? quamvis *quoad Verba* in Sacris Literis non ita simul describuntur. Nulla utique Theologorum nostrorum systematicorum Methodus quoad *Verborum formulam* in S. Scripturis invenitur: At quoad *rei* & *sensus* verum ordinem, nil magis Methodicum est quàm Doctrina Christiana; & qui *Scripturæ Methodum* probe callet, is veram & unicam *Theologiæ methodum* invenit: & ita dicendum est *Decalogum Mosaicum* quædam addidisse *Decalogo Adamico* seu Naturali (ut jam probatum est). Et in *Decalogo Christiano*, id est, Lege Christianâ eâ Methodo traditâ, plura contineri quàm in Decalogo Mosaico? Neque pluribus de hac controversia litigare opus est.

2. Qu. 2. *An Decalogi Christiani primum præceptum, fidem, consensum, Amorem, gratitudinem, & obedientiam erga Christum Mediatorem Incarnatum imperat? Resp.* Affirm. Sicut *Decalogi Adamici* (ita enim dici potest) præceptum primum *Amorem Dei Creatoris* imperabat; & præceptum primum *Mosaicum* Amorem erga Deum item *Liberatorem ex servitute Ægyptiacâ, & ita Redemptorem per semen promissum*; Ita etiam præceptum primum *Christianum* Fidem & Amorem

&

& obedientiam imperat, erga *Deum Patrem & Filium Redemptorem*, & *summam* continet Fœderis Christiani.

Obj. *At primum præceptum ad Deum ipsum solùm nos obligat; & non ad Creaturam aliquam: ergo non ad naturam Christi humanam.*

Resp. Non merè quà Creaturam; sed quà per unionem hypostaticam naturæ Divinæ conjungitur. Ita enim etiam *Christus totus* est Fœderis caput.

Obj. *At præceptum primum loquitur de Deo Principio & fine, secundum autem de Omnibus Mediis: Christus autem quà Homo Mediator, Medium est ad Deum.*

Resp. De mediis distinguendum est: Christus ita medium est ut sit etiam *caput fœderis*, seu *Pars prior fœderata*, immo & *ipse Deus*; & natura Divina jam non immediate in se, sed mediate in humanâ & per humanam, nobiscum fœdus Gratiæ percutit, & se videndam, & amandam prius præbet. Ita igitur ut est pars seu caput Fœderis, præceptum primum de eo loquitur; quamvis sub ratione generali Medii & Imaginis Dei, in præcepto secundo invenitur.

Obj. *At præceptum primum tantùm cultum naturalem imperat; secundam verò cultum institutum: Christum verò colere, non naturæ* sed *Institutionis est.*

Resp. Cultus dicitur *Naturalis* vel ex *Natur Objecti*, vel *Revelationis*, vel *Actus.* 1. Quoad *Objectum*, Christus habet propriam suam Naturam; 2. *Revelatio* autem ejus (& debiti nostri) *supernaturalis* quidem fuit. 3. *Colendi* autem *Actus* seu *modus* quoad obligationem potest esse vel *Naturalis* vel *Institutus*, vel quoad quædam à Deo non determinata, *Arbitrarius* (ut per capitis nudationem, &c.) Revera etiam *Præceptum primum Obedientiam omnimodam* & *cultum* etiam per *Institutionem debitum*, nobis imperat: quamvis *Generaliter tantum*, & non *specificativé*. Ideoque sana non est hæc (quorumcunque) horum præceptorum expositio. Sin autem aliter se res haberet, de obligatione quoad Actus diversos seu modos colendi, non autem quoad objectum cultus, seu Actum in Genere, intelligenda foret. Deus ipse quippe per Revelationes supernaturales fidelibus innotescit: & ita Christus Mediator: Qui Nihilominus per primi præcepti obligationem, in Genere saltem colendus est. Utrum vero aut Pater aut Mediator colatur, hoc modo an illo, hoc actu externo an alio, aliquo modo quidem pertinet ad præceptum secundum, quamvis non juxta ita distinguentium sententiam.

3. Qu. 3. *An ipsa Christi humana natura per primi præcepti obligationem est colenda?*

Resp. Immo, quatenus personaliter Naturæ Divinæ adunata est: non autem seorsim per conceptum separantem seu abstractivam.

4. Qu. 4. *An Spiritus sanctus ut tertia S. S. Trinitatis Persona ut caput fœderis & colendus primo præcepto contineatur.*

Resp. Affirm. Neque Christianis dubium est.

5. Qu. 5. *An Spiritus sanctus ut Christi Advocatus, modo speciali sub novo Testamento fidelibus donatus, ad Evangelium promulgandum, miraculis probandum & salvandos omnes sanctificandum, sit objectum fidei & cultus, juxta sensum primi Præcepti Decalogi Christiani?*

Resp. Affirm. Non solum hic colendus exhibetur, quà Æternæ Trinitatis Tertia Persona, sed ut *Spiritus Christi Regenerator*, ejus Agens & Advocatus, & Gratiæ Operator & perfector: Et ita *Pars* est in fœdere Christiano.

6. Qu. 6. *An Baptismus præcipitur in primo Præcepto*, aut *secundo.*

Resp. In *primo* quatenus est ipse *Consensus fœderalis* cum *Patre, filio & Sp. Sancto*: & ita est ipsa Primi præcepti præstatio initialis; Quasi diceret, *Fœderatione sacrâ seu Voto Teipsum totum mihi trades Deo Patri, Filio, Sp. Sancto, & sancte posthac hoc fœdus intemeratum servabis,*] & hic est verus primi Præcepti sensus. At in secundo Baptismus imperatur, quatenus quoad signum & modum externum est fœderationis medium (saltem juxta sensum antedictorum interpretum.) Idem etiam de Sacramento cœnæ Dominicæ sentiendum est.

7. Qu. 7. *An Amor sit primi præcepti & Tabulæ summa; cum Resignatio & subjectio Deo Proprietario & Rectori æquè necessariò ibi requirantur?*

Resp. In *Amore* hæc includuntur, ut in perfectiore. Et *sicut* quando *Deus* unico Relationis nomine se Regeneratorum PATREM dicit, per PATREM intelligi vult & *Proprietarium*, & *Rectorem*, at *præcipue Amatorem* & *Amabilem*; Ita etiam quando *Deum* ut *Filii Amare* jubemur, ut etiam *Deo* ut *Domino* nos totos dedamus, & *Deo Regi obediamus*, necessario inclusa intelliguntur. At rem distinctè (ad claram & distinctam scilicet *cognitionem*) explicantis est, *Relationem Trinam* cum *triplici officiorum genere* distinctè recensere.

8. Qu. 8. *An officia primi præcepti secundum animi quasdam affectiones numerare convenit*, viz. (*Fidem, Timorem, Amorem, Spem, desiderium, gaudium, zelum*)? *Et an hæc sit hujus præcepti & cultûs naturalis sufficiens explicatio?*

Resp. Negatur secunda, Quia & confusa est & defectiva; Quamvis plerisque in more ita positum est. Probationes Tabula demonstrat.

9. *Quomodo* autem *distribuenda sint*, ibi etiam monstratur, scilicet juxta triplicem Relationem mutuam, & juxta triplicem mentis humanæ *facultatem*; & si laxius omnia enumerare lubet, ibi videre est, quo jure hæc numerum implent; *Resignatio, Fides, Obedientia, Spes, Timor, Pœnitentia, Bona Conscientia, Fiducia, Gratitudo, Amor cum Gaudio.*

10. Ibidem etiam & in præmissis sufficienter patet, quomodo Primum præceptum violatur; scilicet contra *Deum* per Idololatriam, contra *Christum* per fictionem alius mediatoris; contra *Spiritum Sanctum* per *fidem* in *spiritum* aliquem mendacem, & carnis concupiscentiam, (præter omissiones;) & quoad *facultatum* actus, per Intellectus Ignorantiam, Infidelitatem, Hæreses; per *Voluntatis* aversionem à Deo, & perversionem ad Creaturas, seu Carnales Voluptates; & per Pietatis & obedientiæ practicæ omissionem, aut oppositionem, aut contraria.

Elucidationes

CAP. XIV.

§. 3. viz. *Præcepti secundi Decalogi Christiani.*

Qu. 1. *AN simulachrum omne vel Imago in* Præc. 2. *prohibetur? Resp. Neg.* Usum civilem nemo Christianus improbat.

Qu. 2. *An eorum usus omnis Religiosus ibi (aut alibi) prohibetur? Resp. Non* omnis. *Religionis* nomen significat aut omnia quæ Moralitatem Christianam constituunt; Interna scilicet & externa Amoris & obedientiæ opera: & ita res civiles etiam, & opera Justitiæ & charitatis sunt partes Religionis: vel significat tantum primæ Tabulæ officia; & ita adhuc quæritur,

Qu. 3. *An omnis imaginum usus in cultu Divino, sit prohibitus? Resp.* Minime: In cultu divino enim non tantum sunt objecta seu Media per quæ Deo cultus offertur, sed & circumstantiæ, & accidentia, & incitamenta: *e.g.* Imagines sacræ historiæ in Bibliis Anglicis Genevensis Versionis, quatenus mentis vel minima sunt auxilia, ad Deum colendum animum incitant: non tamen ideo sunt prohibitæ.

Qu. 4. *Anne verò Imagines omnes quæ Media Cultûs fiunt, sunt prohibitæ? Resp.* Distinguendum est inter *media cultu*, & *media* tantum *cultûs*; vel inter media *cultus receptiva*, & *incentiva*. Imagines antedictæ in Bibliis Genevensibus, bene sunt media animum ad Deum colendum incitantia; Ita enim unaquâque vel persona vel *re* fideles uti, & licitum est & utile. De mediis autem *cultûs* iterum distinguendum est: sunt enim vel *Divinæ Institutionis*, vel *humanæ inventionis*: Priora tantùm, non posteriora licita sunt. Deus ipse Christum hominem

nem fecit Imaginem ſuam viventem, *Medium Cultus* & *Cultum* neceſſarium, per quem ad Patrem veniendum eſt, & in & per cujus manus noſtra omnia cultus ſacrificia Deo offerenda ſunt. Neque ſibi ipſi Deus poteſtatem ademit, Parentes, Paſtores, Reges ita ſub Chriſto in tali honore conſtituendi, in quo ipſos quà tales ut à Deo & proper Deum, colendo, Deum ipſum in & per illos colere dicamur. At *media culta* ſeu *colenda*, (ut *Deum ita colamus*,) *humanæ inſtitutionis* in ſecundo præcepto prohibentur.

Serpens ænea quidem *medium cultus* fuit, at 1. A Deo inſtitutum, 2. Et non *medium cultum*, ſed tantùm medium inſtructivum, memorativum & incentivum. Templa item venerari convenit, ut & ſanctos homines; & ita *cultus creaturis debitus*, etiam ut ad Deum creata referuntur, ipſis deferendus eſt. Sicut etiam & Parentibus, Paſtoribus & Regibus: At hoc non eſt cultum proprie Divinum ipſis offerre, vel ut mediis receptivis, vel ut termino ultimo. Ut mediis item cultus incentivis, & Paſtoribus, & Bibliis, & Templis, & cantus harmoniâ, & muſicâ & omnibus creaturis ſuo loco uti convenit: At non ut mediis quibus & per quæ cultus Dei eſt ipſi offerendus.

Immo media quædam ſunt *per quæ* inſtrumentaliter Deus recte colitur, (ut genuflexione, ſtatione, capitis nudatione, muſicâ) quæ tamen non ſunt *media culta*, *ad quæ* cultus ipſius numinis offertur.

Qu. 5. *Anne præter Imagines cætera omnia cultûs media à Deo non inſtituta, aut ab homine inventa, ſint prohibita? Reſp.* Si non omnes Imagines, ut patet, nedum omnia alia media: Omne aut ſimulachrum aut Imago, aut quodcunque ab homine inventum, quod fit medium, non tantum cultûs (non proprii ſed Divini) ſed & *cultum*, *terminativum*, *receptivum*, cui proximiùs, (ut Deo ultimate) cultum offerimus, eſt Idolum, in hoc præcepto prohibitum. At media cultus adjuvantia non prohibita, immo in genere etſi non in ſpecie à Deo præcepta, plura alibi recenſuimus: Qualia ſunt Scripturarum in capita & verſus diviſiones, bibliorum impreſſiones, tranſlationes, Pſalmorum metra, melodia, muſica, concionum & precationum methodus & verba, cum pluribus hujuſmodi, quæ à nemine fere licita eſſe non conceditur.

Qu. 6. *Quiſnam igitur eſt proprius hujus præcepti ſenſus: & quid* per *ſimulachra & imagines* hic *intelligitur? Reſp.* In Tabula huic quæſtioni reſpondetur: 1. Simulachra aliqua vel Imagines facere ad *Deum repræſentandum*, ut *practica blaſphemia*, primò prohibetur: 2. Deos item alienos fictos, ſub *ſimulachrorum formâ* colere, in primo & ſecundo præcepto prohibitum eſt; In primo, quà Dii falſi ſunt; In ſecundo, quà per ſimulachra coluntur. 3. *Talem* etiam ſimulachro vel erga ſimulachrum cultum offerre, *qualem Deo* aut *vero aut falſo cultores offerre ſolent*, & qui ex more cultus Divinus eſſe videtur, quamvis Deo aut nulli aut vero intentione animi offeratur, ultimatè, & ſimulachro aut Imagini tantùm ut medio terminativo; hoc directè etiam in ſecundo mandato prohibetur: partim quia eſt *Idololatria Corporalis* & Interpretativa, & partim quia alios ad Idololatriam pelliceat.

Qu. 7. *Nonne autem plura adhuc præter craſſiora iſta hic prohibentur?* Reſp. Etiam ſecundario; ſcilicet ex paritate rationis, cultus omnis veri Dei qui *naturæ* vel *Relationibus* vel *Præceptis* ejus contrarius eſt, prohibetur. Quamvis autem non *particulariter* prohibetur, quodcunque cadit ſub prohibitione *generali*, de *non addendo Legibus divinis*, ut prohibitum ipſum reputandum eſt.

Qu. 8. *Quomodo autem inter licitè & illicitè addita internoſcere poſſumus, lumine certo & divino?*

Reſp. 1. Nulla datur poteſtas niſi à Deo potentiſſimo: Qui igitur addendi poteſtatem ſe habere putat, mandatum ſeu conceſſionem Divinam monſtret. 2. Quando res vel rei modus à Deo præcipitur tantùm in Genere (vel Lege Naturæ vel ſcriptâ), & inde aut hæc aut illa ſpecies disjunctivè fit neceſſaria, non autem hæc aut illa ſpecies unica determinativè, ibi hominem de ſpecie determinare, non licet tantùm ſed oportet. E. g. Lege divina Pſalmos Deo canere præceptum eſt: Igitur aut hic aut ille aut alius Pſalmus canendus eſt; & aut

hâc

hâc aut aliâ verſione ſeu metro: & aut hoc aut alio tono & modulamine, &c. Hic igitur quænam ad homines determinatio pertinet, ex ipſâ lege liquet. 3. E contra, quæ nè *Genere* quidem à Deo præcipiuntur, aut quæ *jamjam* in *Specie* à Deo ipſo determinantur, humano arbritrio relicta non eſſe, patet. 4. Præcipuè quando Chriſtus Legiſlator Authoritatem ſuam Imperantem in quibuſdam cultûs ſpeciebus inſtituendis jam exercuit, ejuſdem jam ſpeciei aliquid ſine Mandato addere, nil aliud eſſe videtur, quàm poteſtatem eandem Legiſlativam uſurpare, & Chriſtum & ejus Legem de imperfectione inſimulare. E. g. Quando Chriſtus unam Eccleſiaſticam formam inſtituit, quando Miniſterii Evangelici ſpeciem inſtituit, quando ſui fœderis Sacramenta inſtituit, ſiquis ſubditus ejus jam *aliam Eccleſiæ formam, aliud miniſterium ſacrum, alia Sacramenta fœderis* inſtitueret, neſcio quomodo ab uſurpationis crimine juſtificatus erit. Et quando Chriſtus ſua Sacramenta fecit, Chriſtianiſmi *Teſſeras* & *Symbola*, ſiquis e. g. *Signum* ſeu *Imaginem Crucis* ita ipſi aut Baptizando applicaret, ut planè fieret publicum Chriſtianiſmi ſymbolum aut Teſſera, (quamvis non omnes omnino Sacramenti uſus eadem Imago obtineret) non video quomodo à crimine uſurpationis fuerit immunis. Cum enim Rex Angliæ ordinem Militum S. Georgii inſtituit, & ſimul Stellæ Imaginem illius ordinis ſymbolum: Quæro anne ipſi jam placeret, ſubditorum aliquem ejuſdem ordinis aliud ſymbolum ſeu Inſigne publicum ſuperaddere, idque non ſibi tantùm, ſed ut Legiſlatorem etiam aliis. 5. In re dubiâ pars tutiſſima eligenda eſt. At in novis ſymbolis inſtituendis, & non-neceſſariis Divino cultui addendis, pars tutior eſt abſtinere. Tot enim & adeò congrua Deum colendi media ipſe Chriſtus jam inſtituit, & tot officia nobis imperavit, ut de defectu nemo ſanus queri poſſit; at quaſi de exceſſu iidem plerumque ſua addentes obmurmurant, & officia hæc divinitùs præcepta præſtare, ut nimia, detrectant: Proh quomodo ſe tales condemnant, dum non tantùm non-neceſſaria ſua additamenta, (immo illicita) abſque ulla à Deo data authoritate aliis obtrudant, ſed & fidelibus Chriſti miniſtris ſilentium imponunt, & ex vinea Domini ejiciunt, & opus à Deo ipſo præceptum ad animarum ſalutem, præſtare, ſub pœnis graviſſimis prohibent, niſi ipſis & ſuis additamentis ſubſcriptione & juramento priùs ſe aſtringant!

Q. 9. *Quænam eſt pars ſecundi præcepti præceptiva?* R. 1. Cultum prohibitum deteſtari, & Idola jam deſcripta fugere. 2. Deum verum ut ſe hominibus patefecit in ſuis operibus, in Chriſto ſui Imagine verâ, & in ſacris Literis colere, cultu ſcilicet naturæ & Legi ejus congruo; Legi dico vel in genere, vel in ſpecie præcipienti, approbanti, non-prohibenti.

10. In erroribus aliorum redarguendis, qui præceptum hoc ulterius adhuc extendunt, & contra omnes ferè accidentium cultûs determinationes humanas ejus ſenſum malè detorquent, vel qui ad cultum tantùm inſtitutum partem præceptivam malè coarctant, morari neque licet neque lubet.

Elucidationes

Elucidationes

CAP. XIV.

§. 4. *Tertii Præcepti Decalogi Christiani.*

1. IN Tertio Præcepto *Modus Internus* Divini cultus (ut in ſecundo externus) continetur, ut plerique autumant. Vel potiùs in ſecundo tractatur de vero medio eligendo, & falſo repudiando; in Tertio verò de *medii* hujus, id eſt, *Nominis* Divini, & ſacrorum *uſu*.

2. *Maximorum, Veriſſimorum & Optimorum* abuſus eſt peſſimus: & ſacra temerare ad perniciem via eſt certiſſima & breviſſima. Sancta ſanctè tractanda & peragenda ſunt: Sanctificabitur Deus ab omnibus ipſum appropinquantibus: Cum ſacris ludere valdè periculoſum; Illudere autem & ea profanare periculoſiſſimum.

3. Maxima hujus præcepti violatio eſt Divinum nomen Blaſphemare, vel opprobriis Deum laceſſere: *Falſa* itidem, *impia, mala*, de Deo fingere, & nomini ſeu Verbo ejus affingere: Hoc faciunt omnes falſi Prophetæ, & qui mendaciis, & doctrinæ falſæ aut Dei Verbum aut Spiritum authorem prætendunt. Periculoſiſſimum igitur eſt aut S. Scripturas corrumpere, aut Inſpirationes aut Viſiones aut alias Revelationes Divinas ſimulare; & opiniones privatas ſub Dei nominis authoritate venditare; Quod tamen phanaticorum & dogmatiſtarum plurimorum mos eſt.

4. Perjurium omne, quo Deus ut falſorum teſtis, quaſi verorum, advocatur, hîc directè prohibitum eſſe, nemo dubitare poteſt.

5. Idem dicendum eſt de votis temerariis, & impiis, & de votorum & juramentorum obligationis violatione.

6. Hypocritæ omnes hoc præceptum quotidiè violant: Reverâ enim eorum (quà talium) tota Religio (ſubjectiva, quum objectivè vera) nil aliud eſt quàm Legis hujus violatio; Quando concionantur, quando audiunt, legunt, orant, Sacramentis ſe obſtringunt, ludum (ſed perniciosum) agunt & Nomen Divinum fruſtra uſurpant, & ad tegendam hypocriſin & falſitatem.

7. Et eminenter tales ſunt, qui non ſubjectivè ſed & objectivè Religionem ſibi faciunt hypocriticam: Utpote qui inanibus commentis, & ludicris ſuis multiplicibus cæremoniis Deum colunt: Et totum ferè cultum Dei corrumpendo, in mortuam Imaginem & cadaver illum vertunt; & Templa faciunt formalitatum Theatrum; & quaſi in ſcenam prodeuntes hiſtrioniam exercerent, Deum nugis adeò puerilibus & mimicè colunt, quaſi ipſis in mente foret ut talium amatorem publico contemptui eum exponere & blaſphemare.

8. Hujus præcepti etiam contemptores ſunt, qui ſanctitatem & ſanctos contumeliis afficiunt, & ut malos Dei veros cultores perſequuntur, & Miniſtros ejus populi Magnatum odio per mendacia ſua exponunt.

9. Idem de iſtis dicendum eſt qui ſacra & ſanctos in irriſione habent, & Nomen Dei temerarie in ludis & jocis ſuis volutant.

11. Neque culpæ hujus ſunt immunes qui ſomnolenter, ignavè & quaſi aliud agentes Deum colunt, & non animo ſuſcitato, ſeriò & reverenter.

12. Nulli igitur hujus præcepti vincula frequentiùs & perniciosiùs rumpunt, quàm falſi Prælati, & hypocritici Sacerdotes, qui plurimorum antedictorum criminum reatu ſe fœdant, & Dei eccleſias & populi animas fœdare conantur.

13. Immo omne *Mendacium* eſt Præcepti hujus aliqualis violatio; dum Mendax Deum præſentem & mendacii conſcium, quaſi inſcium contemnit. Immo & *omne peccatum*, præcipuè præſumptuoſum, prophano hoc numinis contemptu aggravatum eſt.

14. Neque putandum eſt hoc Tertium præceptum eſſe mere Negativum; ſed

eadem

eadem omnia quoad *modum* ibi præcipiuntur, quæ quoad Rem, sunt in cæteris primæ Tabulæ præceptis : Vera scilicet Dei nominis & Divinorum æstimatio, reverentia, honor : Voluntatis devotio : Amoris & cæterorum affectionum zelus: In confessione nominis Christi, & Religionis, in sacris eloquiis & laudibus Divinis, in cultu Divino publico, domestico, secreto, dispositio mentis, & expressio verbalis, & gestus corporis, & Numini & rebus sacris congrui ; Actiones etiam vitæ, nomini & professioni sacræ, consentaneæ : Et, ut verbo omnia dicam, ut quodcunque agamus, & quoad rei intentionem, & modum præstationis, ad Gloriam Divinam agamus.

15. Neque frustra contra profanos & hypocriticos Divini nominis & sacrorum Temeratores, hîc additur specialis pœnarum comminatio ; utpote quæ in tales certissimè & plerumque citissimè à Deo ipso exequenda est.

Elucidationes

CAP. XIV.

§. 5. *Quarti Præcepti Decalogi Christiani.*

1. Qu. 1. *Quidnam in quarto Præcepto Mosaico fuit morale? Et quid sub Christo retentum?*

Resp. Per Morale si intelligatur omne quod pertinet ad *Mores*, Lex nulla non moralis est : Sin Quid *naturaliter* revelatum & obligatorium intelligatur, quæstionis sensus erit, *Quidnam est de Jure naturali?* Sin autem, *Quid à Christo retentum & stabilitum* & ad finem usque duraturum, aliam adhuc requirit responsionem.

1. Deum in sacris cœtibus & familiis reverenter & solenniter coli, est officium ex obligatione Juris Naturalis. 2. Ejusdem Juris est, Tempus aliquod determinatum ordinariè ad sacrum hoc opus separandum esse, & non unumquemque ut exlegem hîc relinqui, ad proprii arbitrii electionem. 3. Ejusdem Juris est, quando majora non obstant, hunc Diem separatum eundem esse per omnes gentes, ut simul eundem Deum cultu concorde celebrent ; & qui per diversas terræ plagas negotiantur, sacrorum ordinem intemeratum servent. 4. Ejusdem juris naturalis est hunc Diem neque nimis frequenter recurrere, quò à laboribus necessariis avocemur ; neque rarò nimis, quò animarum profectus impediatur. 5. Ejusdem itidem juris est, hujus diei sacra opera rebus mundanis non perturbari, aut per negotia aut voluptates carnales, quæ sacris negotiis & voluptatibus sunt impedimenta & contraria. 6. Ejusdem juris est, Rectores præcipuè Patres familias curare, ut hæc omnia à subditis suis (quantum fieri potest) ritè peragantur. 7. Suppositâ Revelatione Divinâ de Christi Resurrectione, Spiritûs sancti missione, &c. *die primo*, Rationi valdè consentaneum apparebit, hunc diem præ aliis ad opera Redemptionis celebranda separandum esse. 8. At libere fatemur Diei septimi aut primi determinationem potiùs quàm è sex aut octo unius, & potiùs quàm alius ejusdem hebdomadis, ex revelatione supernaturali omninò pendere. 9. At Diei Dominicæ determinatio (Lege de septimo ut Sabbato observando abrogatâ) est obligationis *perpetuæ* ad finem usque mundi, quamquam non *Naturalis*, sed *positivæ*, ex hac revelatione supernaturali.

2. Qu. 2. *Quomodo clarissime probatur Diem Dominicum esse Divinæ institutionis?*

Resp. De hisce pauciissimis hîc agendum, quia de *Diei Dominicæ institutione* Divinâ Tractatum scripsi peculiarem. Hoc autem ordine probanti procedendum est. 1. Christus Apostolis ut Ministris primariis huic negotio electis, Mandata dedit, de Doctrinam suam, Præcepta & Institutiones Ecclesiæ fideliter tradendo, & de ordine & disciplinâ in Ecclesiis particularibus stabiliendis,

Luc.

Luc. 6. 13. Mat. 28. 18, 19, 20. Joh. 20. 21. Luc. 10. 16. Mat. 10. 40. 1 Cor. 15. 3. & 11. 23. & 4. 1, 2. Gal. 1. 11, 12. Mat. 16. 19. Joh. 13. 16, 20. & 17. 18. Act. 1. 2. Eph. 4. 11, 12, &c. 2. 20. 2 Pet. 3. 2. Act. 14. 23, &c.

2. Spiritum sanctum Christus Apostolis promisit, ad omnia hæc mandata fideliter præstanda; Qui scilicet eos in omnem Veritatem perduceret, & ejus factorum & dictorum bene memores efficeret, & ut Ecclesiæ Rectores ipsos regeret. Luc. 24. 49. Joh. 15. 26, 27. & 16. 7, 12, 13, 14, 15. & 17. 8, 17, 18. Mat. 28. 20. Act. 1. 4, 8.

3. Hæc omnia Apostolis promissa Christus verè præstitit, Spiritum sanctum ipsis donando, quo omnia sua mandata rectissimè exequerentur. Heb. 10. 23. Tit. 1. 2. Apoc. 19. 11. Joh. 20. 22. Act. 2. & 15. 28. Heb. 2. 4. 1 Pet. 1. 12. Rom. 15. 19, 20.

4. De facto Apostoli Diem primum septimanæ, ad cœtus Ecclesiasticos & sacra peragenda præcipuè in Redemptionis & Resurrectionis commemoratione solemniter celebrandâ, separaverunt. Quod cùm sit *materia Facti*, historicâ tantùm gaudet evidentiâ: Ubi primas tenent sacræ literæ, Joh. 20. 1. Luc. 24. 1. Mar. 16. 2. Mat. 28. 1. Luc. 24. 13, 33, 36. Joh. 20. 19, 20, 21, 22, 26. Act. 2. Act. 20. 7. 1 Cor. 16. 1, 2. Apoc. 1. 10. conjunctim. Secundas autem tenent historiæ seu testimonia & ecclesiastica & profana: Quippe evidentiâ luculentissimâ certissimè probari potest, ab ipsis Apostolorum temporibus ecclesias omnes per terrarum orbem Diem Dominicum ut sacrum observasse, nè unâ quidem ecclesiâ verè Christianâ, immo nec personâ unâ (quantum probari potest) dissentiente: Quod clarè probatum dedi in Tractatu priùs nominato de Die Dominicâ; & plenius Dr. Young sub nomine Theophili Loncardiensis.

3. Qu. 3. *Nonne Sabbatum septimæ Diei adhuc à Christianis observandum est?*

Resp. Minimè: Prob. Quia ad ejus observationem sanctam non obligamur aut Lege Naturæ, aut Positivâ Adamo factâ, aut Noacho, aut Mosaicâ, aut Christi incarnati: Ergo Lege nullâ. Enumeratio proculdubio plena est.

Et 1. Observationem hujus Diei potiùs quàm alius non esse obligationis Naturalis probatur: 1. Quia rei ipsius Natura nullam omnino nobis evidentiam præbet talis obligationis. Neque simpliciter ex Naturâ doctissimus naturæ indagator & interpres probabit unquam Diem septimum esse sanctificandum. 2. Quia nè in unâ quidem Gente, nedum per totum terrarum orbem, etiam inter rerum peritissimos, hoc unquam ut naturæ dictamen receptum erat. 3. Experientia Christianorum communis testatur, se nullam talem evidentiam Naturalem discernere: Immo doctissimi & studiosissimi quarti Præcepti assertores, (quales Dr. Bound, Amesius, Dr. Young, &c.) Diem particularem (& septimum & primum) de jure Positivo, non autem naturali fuisse asserunt.

2. De Lege positivâ Adamicâ item res clara est. 1. Quia nos Christiani sumus sub administratione perfectiore, ubi infantilia ista evanescunt: Neque de obligatione aliquâ ex Positivis Adamicis, in Evangelio vel verbulum unum extat. 2. Quia Lex Christi nobis alium Diem sanctificavit: Neque duo in unaquaque septimana observanda sunt Sabbata. 3. Quia Sabbata omniâ univocè sic dicta in Novo Testamento expresse revocantur.

3. De Lege Noachi eadem responsio per omnia sufficit.

4. Lex autem Mosaica quà talis (Decalogo non excepto) neminem ad diem septimam observandum obligat. 1. Quia Lex ista quà Mosaica Genti nulli præter Judaicam à Deo data fuit: ut jam probatum est. 2. Quia totum fœdus Mosaicum, & Lex ista quà Judaica, & pars illius fœderis, partim per Christi adventum, & partim per Reipublicæ Judaicæ dissolutionem, cessavit; quod etiam suo loco probatum fuit. Et de ipso Decalogo patet ex 2 Cor. 3. 3, 7, 11. Heb. 7. 11, 12, 22. & 9. 18, 19. Eph. 2. 15. Act. 15, &c. 3. Quia ipsum Sabbatum cessasse ab Apostolo affirmatur.

5. Quod autem Christi Lex neminem ad Diem septimum sanctificandum ut Sabbatum obligat, inde patet, 1. Quia, ut dictum est, Christus Legem Mosai-

cam aut abrogavit, aut mortuam esse declaravit. 2. Quia Christus & Spiritus sanctus in Apostolis Diem alium instituerunt. 3. Quia Col. 2. 16. Sabbata abolita esse expressè declaratur: Ideóque à Christianis non observanda.

4. Qu. 4. *Utrum Dies Dominicus est Sabbatum, & ut Sabbatum observandus?*

Resp. Quæstio est vel de *Nomine* vel de *Re*. 1. De nomine non est litigandum, si de *re ipsâ* constet. Appellatio Spiritûs sancti Apoc. 1. 10. est *Dies Dominicus*; & sæpe *Dies Primus:* Neque unquam *Sabbatum* dicitur in sacris Literis: Ecclesiæ itidem antiquæ nomen *Diei Dominicæ* retinuerunt, & per Nomen hoc eum à Sabbato Judaico distinxerunt: & *Sabbati* nomen plerumque ad Judaicum ab ipsis appropriatum fuit. Quandoque tamen (sed raro) Diem Dominicum quidam appellârunt, *Sabbatum Christianum*; sed ita semper ut analogicè loqui & per allusionem ad Sabbatum Judaicum (secundum quid) eos locutos esse patet: sicut etiam nomine sacrificii, Altaris, Sacerdotis, &c. usi sunt, & Baptismum quandoque vocant *Circumcisionem.*

2. *Sabbati* nomen in sacris Literis significat *Diem sanctum requiei partim Ceremonialis:* & quoniam *Requies Ceremonialis Sabbato Essentialis fuit*, igitur *Sabbata* ipsa in sacris Literis cessasse (ut futurorum umbras) dictum est.

2. De re igitur (sepositâ lite de nomine) constat, Sabbata Ceremonialia cessasse, & Diem Dominicum, tale non æstimandum esse. At siquis Diem sanctum, à Deo scilicet, ad ejus cultum, præcipuè in sacris cœtibus solenniter celebrandum, separatum, appellabit *Sabbatum*, tale Sabbatum est Dies Dominica.

5. Qu. 5. *Quænam præcipuè observanda, ut hæc Diei mutatio, & Sabbati prioris cessatio planè constet?*

Resp. 1. Observandum est, Quantum sanctionum ecclesiasticarum negotium à Christo Apostolis mandatum fuit, ab ipsis post illius Resurrectionem & Spiritûs sancti descensum perficiendum: & quantillum ab ipso Christo priùs publicè peractum est.

2. Quantum Administratio Evangelica Legali Mosaicæ antecellit: & quantam sibi Gloriam tribui ex opere Redemptionis Deus voluit, à salvandis, & quantùm se in Christo peccatoribus Gratiosum & Amatorem patefecit: & quàm prolixè fœderis mutatio probatur. Ep. ad Hebr.

3. Quod post Peccatum & Maledictionem Deus-Creator nobis Ignis consumens est, & terribilis, & Terra ipsa maledicta: neque Deo Creatori accedere peccatori fas est, nisi per Mediatorem: Ideóque Rationes Opus Creationis celebrandi, quamvis non cessant, tamen plurimùm mutatæ sunt.

4. Quantum fidei Christianæ certitudinis, & Gloriæ, & quantum fidelium Requiei & Solaminis, juxta Evangelium, pendet ex *Christi Resurrectione?* Quæ fuit quasi novæ administrationis, & novi Regni, aut Mundi initium, & de Satanâ Triumphus, & quasi diluculum Immortalitatis & vitæ cœlestis.

5. Porrò probè observandum est, Quantum administrationis Evangelicæ, ecclesiarum scilicet & colligendarum & regendarum, & Legum suarum promulgationis, SPIRITUI SANCTO ut suo AGENTI seu ADVOCATO à Christo reservatum & tributum est: & quanta de Sp. sancti hoc officio in sacris literis dicta sunt: Immo ipsæ S. Literæ hujus Authoris sunt, sacros Scriptores inspirantis: Et adversus Spiritum sanctum blasphemia ista est peccatum irremissibile. Spiritûs sancti igitur in Apostolis determinationes non parvi pendendæ sunt.

6. Observandum est etiam quanti periculi res sit, Ep. ad Gal. & alibi, Legem Mosaicam restituere, præcipuè verò hoc jugum Gentilium fidelium cervicibus imponere.

7. Itemque quàm clarè & expressè Paulus Col. 2. 16. inter umbras temporarias Sabbata Mosaica enumerat.

8. Item, & quamdiu Ecclesiæ Diei Dominicæ sanctâ observantiâ gaudebant, priusquam N. T. sacræ literæ scriptæ sunt.

9. Quantum Facti evidentia in ipsis S. Scripturis tradita est, Act. 20. 1 Cor. 16. 1, 2. Apoc. 1. 10.

10. Quàm

10. Quàm fuit impossibile omnes ubique Ecclesias, nemine contradicente, Diem dominicum ut Apostolicæ ordinationis, ab ipsis eorum temporibus observasse, si ab ipsis non ita ordinatum esset ?

11. Quòd tantæ Evidentiæ historicæ rejectio, per rationis paritatem ad ipsius S. Scripturæ certitudinem labefactandam non parum conducit. Talia probè pensitata hanc litem citò diriment.

6. Qu. 6. *Quâ horâ Diem Dominicum inceptum esse tenendum est ?*

Resp. 1. Si alius alicujus Diei inceptionem nosse possumus, etiam & hujus : Sin nullius, ignorantiæ talis necessitas scrupulorum rationes utplurimum eximet. 2. Quoniam Dies Dominica non ut Sabbatum Ceremoniale observandum est, Tempus autem & Requies hîc Operis sacri causâ præcipiuntur, Christianos ideò non adeo ut Judæos de Diei inceptione sollicitos esse oportet. 3. Qui juxta morem Gentis ubi commoratur, Diem & incipere & finiri judicabit, institutionis finibus optimè satisfaciet. Tantum enim temporis saltem hâc die sacris operibus impendet, quantum operibus communibus cæteris septimanæ diebus ; neque somno plus dicabit, quàm noctu usitatum est : Quæ ordinariò conscientiæ benè moratæ dubiis hîc satisfacere possunt : siquid autem noctu extraordinariò faciendum evenit, 1. Non colendi & sacra faciendi, sed dormiendi tempus in quæstione erit : 2. Plerumque rei Necessitas scrupulum eximet : 3. Et dum juxta morem diei inceptionem & durationem æstimat, scandalum omne & aliorum periculum devitabit. Neque plura de minutulo hoc dicere opus est.

7. Qu. 7. *Quibusnam operibus Dies Dominica separanda est ?*

Resp. Quoniam *Dies ipsa*, & non tantum diei pars aliqua sacris separatur, tota igitur, non pars tantùm ita impendenda est. Et I. Præcipuè in publicis Religionis exercitiis in sacris cœtibus : Ubi specialiter Redemptionis & Resurrectionis Christi commemoratio, solenniter & fide gaudente, quasi in die festo Christiano, celebranda est. Gratiarum actiones cum Laudibus Divinis alacriter fundendæ : Peccatorum tamen admixtâ confessione, quia per peccatores : Precibus item fidelibus & ardentibus Deus invocandus est : Ob beneficia Gratiæ agendæ : Verbum Divinum & catechumenis & fidelibus prædicandum : Communionis sacramentum fide & reverentiâ debitâ celebrandum : Oblationes & contributiones sacræ Deo offerendæ : Disciplina Ecclesiastica juste & prudenter exercenda : & populus in Dei nomine per Pastorem benedicendus.

II. Quod autem à cultu publico Ecclesiastico tempus supereſt, in sacris negotiis *Domi* impendendum est : Per Patrem familias scilicet inferiores in Deo rectè colendo dirigendi sunt & excitandi : Tempore matutino opportunè suscitandi ; Ad cultum publicum sacris exhortationibus & precibus præparandi : Prandendi & negotiorum communium necessariorum tempus debitis limitibus coercendum : Literæ sacræ legendæ : Ignorantes catechizandi vel aliter debitè instruendi : Laudes Divinæ cantandæ : Colloquia sacra fovenda, & profana & inania aversanda ; ut & Ludi, otia, & negotia mundana non-necessaria. Et omnia à primo ad ultimum adeò reverenter, seriò, & placidè tamen & delectabiliter peragenda, ut quoad opera, quoad lucrum spirituale, & voluptatem, Dies Dominicus, septimanæ cæteris ut revera sanctificatus, plurimùm præcellat.

III. Quod item à sacris ecclesiasticis & domesticis Tempus supereſt, in Pietatis *secretis* exercitiis impendendum est : *viz.* In secretis precibus, gratiarum actionibus, Lectionibus, Colloquiis & Meditationibus, præcipuè de Redemptionis opere, de statu animæ, de gaudiis cœlestibus, & de publicè auditis. Et ubicunque deficit *Cultus* debitus *Ecclesiasticus*, ibi plus temporis in *Domestico* impendendum est : Et ubi ambo desunt, ibi diutiùs in sacris *secretis* immorandum est.

Summè autem notandum est, Diem Dominicam non inutili quiete seu otio sanctificari, sed sacris exercitiis, nec tam in mundanis laboribus cessandis, quàm in sacris peragendis ; & quicunque hisce sacris ita seriò se exercent, ut ipsorum & familiæ necessitas planè postulat, locum nullum relictum esse quæstioni isti car-

naliter-delirantium, invenient, An licitum sit Die Dominico aut otiari, aut jocari, aut ludere, aut epulis, aut inanibus aut mundanis non planè necessariis, tempus sacrum conterere? Et qui seipsum & alios verè novit, ut & diei negotia & commoda oblata, & Verbo Divino de rebus spiritualibus & æternis vere credit, & ipsius & aliorum ex vera necessitate & utilitate interesse percipiet, diem totum, quantum fieri potest, in sacris collocare, neque frustra & sine fruge, horæ momentum effluere sinet: Neque magis quæstionem movebit, An liceat ludis vel aliis inanibus id perdere, quàm, An liceat sanguinem suum inaniter effundere, & Aurum oblatum respuere, & in cœnum projicere: Carnalis quippe animus & sui & rerum spiritualium ignarus, disputationum talium author est plerumque & promus-condus.

8. Qu. 8. *Quænam non-agenda Die Dominicâ, prohibentur?*

Resp. 1. Mala nunquam sunt agenda: De ebrietate igitur, gulositate, luxuria, ignavia, & aliis carnis fructibus, nullus restat dubitandi locus. 2. Labores, cogitationes & colloquia circa mundana, quando sacris magis necessaria non fiunt, sunt prohibita: Quia & opera pietatis & nostrum commodum, aut destruunt, aut iis impedimenta sunt. 3. De ludis & otio & aliis sensualibus oblectamenis, quæ rebus Divinis impedimento sunt, & non iis magis necessaria, idem statuendum est. Proh quàm inepti sunt inter voluptates sensuales lascivientes, aut ludorum strepitu mentes distractæ & alienatæ, ad res spirituales & æternas seriò contemplandas, & sancta sanctitate necessariâ peragenda!

9. Qu. 9. *Quænam corporalia seu mundana, Die Dominicâ non illicita sunt?*

Resp. 1. Is mentis & corporis Labor, sine quo res sacræ non rectè peraguntur, non est prohibitus, sed præceptus. Ut, Sacerdotum in Templo antehac labor, ita & concionatoris seu Pastoris, & populi sub Evangelio: e. g. Longius iter facere ad concionandum aut audiendum, quando aliter melius fieri non potest. 2. Quamvis in corpore ornando tempus inaniter non perdendum est, aliquanto tamen solito ornatior fieri & procedere, ut in sacris solennibus & festis, & licitum est, & conveniens. 3. Ex eâdem item ratione licet etiam ciborum lautiorem apparatum habere; Quamvis in eis parandis nè majora impediantur, & servorum animæ detrimentum non-necessarium incurrant, summopere curandum est. 4. Opera communia quando revera necessaria, non sunt prohibita, sed imperata: Necessaria autem sunt quæ in aliud tempus differri non possunt, sine majore dispendio, quàm ex eorum præsente præstatione probabiliter oriturum est. Hîc autem sinceritate & summâ prudentiâ opus est, quâ spiritualia cum mundanis rectè comparemus, & de communibus ut spiritualium mediis judicemus, non autem carnalem cupidinem aut mentem, judicem statuamus. Et ne aliorum animæ peccato irretiantur, & perdantur, res *scandalosæ* aliàs licitæ, cautissimè devitandæ sunt. 5. Quando minutula adeò sunt negotia aut Verba communia, ut pro temporis brevitate, non omnino rei alicui Divinæ sunt impedimento, ut peccata non sunt devitanda: Quia Judaicum hoc Sabbatismum redoleret, ubi requies erat ceremonialis, nec sapit Diei Dominicæ observantiam Christianam, ubi requies tantùm ut sacris exercitiis adjutoria, seu medium imperatur. 6. Ex hisce item de ludis, otio & delectamentis judicari potest: Quantum enim aut *adjutoria*, aut *impedimenta* sunt animo, rebus Divinis seriò exercendo, tale dubium est quale ex sinceritate præcipuè & prudentiâ, solvendum est. 7. Idem etiam de studiis communibus, historiæ scilicet, *Philosophiæ*, &c. judicandum, & de pluribus aliis, de quibus ex eadem regulâ, ex fine lis tota An licita sint, aut prohibita, decidenda est.

10. Qu. 10. *Cujusnam ponderis aut necessitatis est Diei Dominicæ sancta observatio?*

Resp. 1. Ad cultum Dei publicum celebrandum, & ita ad Religionem inter homines conservandam, nè Mundus scilicet in Atheismum aut Impietatem labatur, Diei sanctæ observatio summè necessaria est: Et experientia palàm testatur, Diei Dominicæ sanctificationem, & ipsam Religionem, ubicunque terrarum, simul stare & cadere.

2. Pluri-

2. Plurimorum rerum Divinarum alta *Ignorantia*, incuriæ, infidelitas, ſenſualitas, & alia perniciosiſſima animorum mala, hujus auxilii neceſſitatem omnibus non itidem ignorantiâ vel carnalitate ſopitis, indubitatè indigitant.

3. *Paupertas* item, & *ſervitus* plurimorum eandem planè indicant hujus Diei neceſſitatem: Malè enim aliter ex dominorum crudelitate aut cupiditate, ſervorum & filiorum quoad animas res ageretur; Immo & quoad ipſa corpora, dum avari vix requiem neceſſariam eis concederent.

4. Hujus Diei item ſancta obſervantia ad ſacrum *Miniſterium* in eccleſiâ ſucceſſivè continuandum ſumme neceſſaria eſt. Ubi enim *dies*, ibi *opus* diei negligitur & obſoleſcit: Et ubi *opus*, ibi *Officium*; vel ſaltem in aliud contemptibile degenerat, & cum illo ipſa Religio.

5. Dum ſacrorum domeſticorum neceſſitas & debitum ita agnoſcuntur, Patresfamilias ad dona neceſſaria acquirenda excitantur, & familiæ piorum fiunt quaſi Eccleſiæ; quæ aliter citò ad ſenſualitatem, ignorantiam & impietatem omnimodam properant & præcipitantur.

6. Hinc etiam dum individui fiunt ſapientes, ſobrii, pii, juſti, Regnorum & Societatum omnium una oritur fœlicitas: E contrariis verò contraria eveniunt.

7. Denique flagitiorum multitudo præcavetur, dum omnes in rebus divinis toto Requiei tempore exercentur, & quomodo erga Deum & homines, ſuperiores & inferiores, ſe gerant, bene diſcunt: Quibus omiſſis, & tempus Requiei erit tempus male agendi, & hominum animi & vitæ criminibus ſcatentes, eos ad invicem lupos, inimicos, peſtes, intolerabiles, univerſaliter ferè redderent. Ideóque non tantùm Sectarum omnium Chriſtiani, ſed & Mahumedani & omnes qui aliquem habent Religionis ſenſum, unum plerumque ſeptimanæ diem ad numen colendum & ſacra tractanda quodammodo ſeparant. Ex hiſce & pluribus aliis utilitas & neceſſitas facilè liquet.

II. Qu. II. *Quid ſentiendum eſt de diebus ſacris humanæ inſtitutionis?*

Reſp. 1. Partem aliquam diei uniuſcujuſque ad Dei cultum privatum ſaltem, ſeparandam ordinariò eſſe, à nemine ferè pio dubitatur. Et quod de *parte* præceptum eſt, de *toto* non prohibetur. 2. De diebus item *Humiliationis* & *Gratiarum actionis*, ex juſtâ occaſione obſervatis, à paucis quod ſciam dubitatur. 3. Et ſi majorum aut Liberationum aut Malorum Commemoratio fieret *Anniverſaria*, à paucis etiam de jure aut convenientiâ dubitatur. 4. Quandoquidem Apoſtoli & Martyres notabiliores, in magnum Eccleſiarum beneficium à Deo donati ſunt, non equidem probare poſſum Anniverſariam tanti beneficii gratam Commemorationem, ſtato ſcilicet die, prohibitam eſſe: Et cùm mihi privato liceat diem anniverſariæ commemorationis, ob peccata, aut liberationes extraordinarias obſervare, non video quare tale quid Eccleſiis item non liceat. 5. Quando malè dies anniverſarius in hunc uſum *imperatur*, ſcilicet ſine juſtâ authoritate, Dei verbum tamen prædicatum ibi fas eſt audire, ſine tyrannidis aut erroris approbatione. Multò magis ab operibus mundanis publicè ad aliorum offenſionem agendis, Chriſtiano utpote pacifico & miti abſtinendum eſt.

At contrà 1. Quando dies aliquis ad malos uſus, ut Idololatriam, aut cultum in ſe prohibitum, ſeparatur, neque uſum neque inſtitutionem approbare licet. 2. Quando aut Papa aut generale concilium (quod falsò vocant) aut Imperator aliquis, Leges condiderit de die aliquâ obſervandâ (aut de quoquam alio) quaſi *Univerſæ Eccleſiæ obligatorias*, nihil agendum eſt unde hujus uſurpationis approbatio rationabiliter colligatur: Nemo enim præter Chriſtum *Eccleſiæ univerſæ* Rex aut Legiſlator eſt. 3. Quando Tyranni aut Civiles aut Eccleſiaſtici ſine authoritate in Eccleſiarum Libertates & pacem involant, ſuperfluas & ſuperſtitioſas (immo aliter licitas) dierum & temporum obſervationes imperantes, *ſub ratione formali obedientiæ*, non obſequendum eſt: Quamvis ſi utilitas propria vel Eccleſiæ id requirit, *Materialiter* in re aliter licitâ obſequi licet; id eſt, *idem quod* imperatur, non *quia imperatum*, ſed quia nobis aut aliis bonum agere. 4. Etiam in caſu aliter non prohibito, dies tot conſecrandi non

ſunt,

sunt, quorum observatio non stare potest cum necessariis ad familias alendas laboribus. 5. Utrum potestati alicui humanæ liceat diem anniversarium observandum imperare, ob Christi Nativitatem, Circumcisionem, Mortem, aut aliam aliquam Redemptionis partem, ob quam Christus ipse Diem Dominicum sanctificavit, aut Diem instituere potuisset si voluit, (Causâ scilicet in Apostolorum temporibus æquè ac nostris existente,) mihi ipsi adeò dubium est, ut in medio relinquam: Quia licitum hoc esse probare non possum, id non asseram: & quia omnino prohibitum esse probare non possum, quietè & pacificè sicut dubitantem decet me geram. 6. Et in omnibus hujusce commatis litibus, expressam hanc nobis tradidit Apostolus determinationem, Non-necessaria talia ut necessaria non urgenda esse, neque ob talia invicem aut despiciendum, aut judicandum esse, multo minus crudeli zelo persequendum. 7. Diem autem non tantùm *Anniversarium*, sed *septimanæ uniuscujusque unum*, consecrare ad *Christi* aut *Mortis*, aut *Nativitatis*, &c. aut *Spiritus sancti descensus* Commemorationem, præter Diem Dominicam, quin usurpatio prohibita foret, nullus dubito. Hoc enim foret & eandem quâ Christus usus esset potestatem arrogare, (saltem si aliis imperatum foret) & eum de Legislatione defectivâ accusare.

12. Qu. 12. *An cessat creationis Commemoratio cessante Sabbato Judaico?*

Resp. Minimè: sed per Redemptorem ad Creatoris Laudes, & quoad aptitudinem, dispositionem, factum, & acceptationem, provehimur. Nemo rectè creationis opera contemplari potest, nemo eis rectè uti, & nemo pro eis gratus, Creatoris Laudes rectè celebrabit, præter Redemptos, qui per Mediatorem Creatori sunt reconciliati, & qui Deum Patrem Amatorem jam sentiunt, & quibus creaturæ non ut antea maledictæ sunt: Per Filium igitur viam ad Patrem, ad Deum Patrem accedendum est: & in virtute Spiritûs sancti Redemptionis & Creationis memoria simul, spirituali alacritate celebranda est.

Cætera in ipsa Tabula patefiunt.

Elucidationes

CAP. XIV.

§. 6. *Quinti Præcepti Decalogi Christiani.*

1. SIcut *Natura* contractum omnem humanam antecedit, ita *Parentes* ut *Objectum Primarium*, potiùs quàm Reges, Mariti, aut Heri, in hoc Præcepto nominantur.

2. Honor superioribus hîc imperatur, non tantùm quia nobis dominantur, aut imperant; sed ex Relatione ad Deum summum Patrem, & Imperatorem, à quo Potestatem accipiunt, & per quem, in cujus nomine, & ad quem, seu ad cujus Gloriam regunt; & cujus Majestatis seu Paternitatis Imaginem modo peculiari gerunt. Sicut enim *Naturalis* Dei Imago est in *Omnibus*, & *Sancta Moralis* Imago est in *Sanctis* tantùm, ita *Paternitatis*, seu *Majestatis* Imago est egregiè in *Rectoribus* & *Superioribus* eorum subditis (quamvis aliquatenus etiam in *omnibus*, ut super bruta sunt.)

3. Ideóque dixi Præceptum hoc ut utriusque Tabulæ copulam, respectivè ad utramque pertinere, ut explicatum est.

4. Parentes modo eminentiore hanc Imaginem divinam gerunt erga filios suos quàm Reges: Nam, 1. *Generatione* magis *Creationem* imitantur; & *naturæ* & *personæ*-subditæ sunt Causæ efficientes; At *Reges* non item. 2. Quia ex naturæ instinctu & Dei ductu, majore dilectione filios suos fovent & regunt, quàm Reges. 3. Quia ad eorum victum, & vitam sustentandam, ab incunabulis magis quàm Reges invigilant & laborant. 4. Quia ad eorum animas curâ majore & speciali,

ſpeciali, & inſtruendas, & à vitiis purgandas, & ſanctificandas & ſalvandas, incumbunt. 5. Quia magis eorum ſunt Proprietarii, quàm Reges, (Infantes quippe ſunt Parentum quaſi *Partes*,) & propriè (quamvis non pleno Dominatu) eos poſſident, ut *Suos:* Rex autem quà Rex non eſt Proprietarius, ſed Rector.

5. Hinc non Regibus totius populi Infantes Deo fœdere Baptiſmali conſecrare ſine parentum conſenſu licet: At Parentum eſt ſuos Liberos, quia verè & maximo jure SUOS, Deo ſacramentaliter dedicare.

6. *Parentum* item Poteſtatis *Prima ſpecies* eſt; Non autem *cauſa efficiens totalis*, neque *cauſa formalis*, Poteſtatis *Regalis* ſive *Politicæ*. Malè enim Regum poteſtati & honori conſulunt, qui totos illos ex Paternitate derivant, aut ipſis jus ſolum Parentum tribuunt, 1. Pauciſſimi etenim Reges Jus tale ipſorum aut Paternitatis aut Primogenituræ originalis probare poſſunt: Immo aut per *Arma*, aut per *Electionem* Jus eorum acquiſitum eſſe, neceſſe eſt ut omnes ferè fateantur. 2. Neque ejuſdem *Speciei* eſt *Regimen Civile* cujus eſt *Paternum:* ſicut *fundamentum* Relationis non eſt idem (ut patet) ita *objectum* ſeu correlatum non eſt idem: Finis item non idem eſt; nec idem opus; ideóque nec eadem Poteſtatis ſpecies.

7. Qu. 7. *Utrum major ſit Patris an Regii authoritas in filios?* ſcilicet, *ſi eorum contraria ſint præcepta, cuinam filiorum obedientia potius debetur?*

Reſp. Sicut poteſtatis ſpecies differunt, ita alterutrius propriæ ſpeciei major eſt authoritas. Filiorum igitur dubitantium eſt ſpeciem utramque diſcernere: Quod quia pueruli non poſſunt, natura docet eos potiſſimùm per Parentes regendos eſſe, ideóque parentibus præcipuè deberi obedientiam. Species autem ex finibus maximè diſcernuntur. Regiminis *Civilis* Finis eſt *Civitatis* ſeu *Reipublicæ bonum*; *Oeconomiæ* & *Regiminis Paterni* finis eſt, *Bonum familiæ*, & *perſonale liberorum*. Si quando igitur mandata Regalia & Paterna contraria ſint, 1. Quærendum eſt An Rex in ſuæ poteſtatis orbe moveat, ad *Bonum publicum* ſcilicet imperando? An paternum regimen uſurpet? Et ita de Paternis itidem mandatis? Et qui extra proprium vagatur orbem, ei minima debetur obedientia. 2. Sin autem intra orbem proprium movendo, non alterius quis invadat provinciam, tunc fines proximi & momenta mandatorum conſideranda ſunt: Mandatum ſcilicet Regis aut verè aut falsè aut dubiè ad bonum reipublicæ eſſe dicitur: 1. Si verè, tunc bonum illud Reipublicæ cum bono vel malo privato aut perſonali comparandum eſt: Et Animam ſuam perdere, aut contra Deum peccare nemo tenetur propter Reipublicæ commodum: Neque maxima ſua bona abjicere, aut vitam deponere, ad bonum aliquod minimum ſeu minus Reipublicæ, conſideratis conſiderandis: Inter bona enim ſemper Maxima (rectè æſtimata) eligenda ſunt, quia Bonum diligitur quà bonum. Propter verum autem ſeu apparens majus bonum commune, noſtrum minus deſerendum eſt, & Regibus in caſibus iſtiuſmodi eſt obediendum. Plurimorum autem Bonum quamvis *in ſe materialiter & ſingulis minus*, *quatenus tamen plurimorum*, poteſt eſſe *majus:* & *Vita unius* minoris pretii eſt, quàm *communis utilitas* ſeu *libertas*.

2. Sin autem Bonum publicum in mandatis civilibus *falsè prætendatur*, & falſitas benè nota eſt aut *certa*, contra Mandata Parentum omnino non obligant. Talia etenim Regum Mandata quæ conſideratis conſiderandis, *non ſunt ad Bonum publicum*, multo magis quæ ſunt *contra bonum publicum*, extra caſum ſcandali, neminem in foro conſcientiæ obligare (quamvis fortaſſe in foro prudentiæ ad malum ſuum devitandum) ſcribunt Bapt. Fragoſo de Regim. Reipubl. Gregor. Sayrus in Clavi Regia, (maximi Caſuiſtæ) cum pluribus ab ipſis citatis.

3. Sin autem res *dubia* ſit, conſiderandum eſt, 1. An per juſta ſtudia innoteſcere nobis poteſt? 2. An itidem finis mandati paterni res dubia eſt, an certa? 3. Quanti erit periculi aut detrimenti utrinque ſi fortè obediendo aut non obediendo erretur. Si enim Bonum civilis obedientiæ *dubium* eſt, Paternæ autem *certum*, cæteris paribus *certum* eligendum eſt. At ſi ex parte alterâ ſubditi error

magnum

magnum aliquod malum inferret, ex alterâ autem *parvum*, casus impar est, & plerumque in casu dubio *majus malum* curâ majore devitandum est.

Idem etiam dicendum est, quando dubium est utrum Rex an Pater extra Potestatis suæ limites vagatur, ad officium suum minimè pertinentia imperando.

Opus autem *puri Amoris ad Animæ & Corporis salutem* magis pertinet ad *Parentes*: sed *Publici ordinis*, salutis, fœlicitatis procuratio, ad *Magistratus*.

E. g. Si Princeps Lege jubeat Pueros omnes erudiri sub tutoribus Papistis, aut indoctis aut impiis, aut in discendo Catechismum Tridentinum aut alium erroneum, aut in cœtibus vitiosis sub Pastoribus hæreticis aut inutilibus, Deum colere, & Parentes planè contraria imperant: Parentibus hîc obediendum est, 1. Quia hi *juxta Deum*, Reges *contra Deum* imperant: 2. Quia ad animarum salutem, at Reges contra illam imperant. 3. Quia revera non ad bonum publicum imperant hi Reges, sed ad ejus malum. 4. Quia salus Animæ ut pretium ad bonum publicum redimendum, non est rejicienda. 5. Quia magis ad Parentis quàm Regis officium pertinet, Magistros, Catechismos, Pastores, Cœtus pueris eligere: Quamvis à *Malis* possunt subditos arcere, & Leges generales de bonis eligendis condere. Sicut etiam *Medicos* à venenis & noxiis propinandis frænare, & Leges generales medendi statuere, non autem medicorum opus particulares medicinas eligendi & applicandi, in se suscipere oportet.

Ex hisce judicandum est, & de contrariis Pastorum, Parentum & Regum mandatis, itemque quid faciendum est quando *ipsius subditi judicium practicum* de suis actionibus, Rectorum judicio est adversum. *Parentes* scilicet, *Pastores* & *Magistratus* unicuique propria habent officia: Et in officii proprii operibus unusquisque judex est. Parentes enim & Pastores Regibus quidem quoad *Fines Reipublicæ*, id est, secundum quid, subordinantur; non autem *simpliciter*; sed quoad officia sibi *propria coordinati* sunt.

8. Ad plurima hujusmodi decidenda, fundamentum hoc summâ observatione tenendum est; *Officii* omnis hujusmodi *Potestas* cum *obligatione* ad officii opera conjuncta est: Et officium essentialiter consistit ex *Obligatione* & *Potestate* ad opera: Ex relatione igitur ad *Opus Potestas* mensuranda est. Quæratur igitur primò, An Rex (sub pœnâ vindictæ Divinæ) obligatur, ad Religionem, Pastorem, cœtum, libros unicuique subditorum eligendos? An Pater potiùs quàm Rex, ad officia hæc præstanda obligatur? An Regi aut Pastori potiùs cura incumbit, quodnam S. Scripturæ caput, quem Textum concionator eligeret? Quisnam individuus ad Baptisma, & ad communionem ecclesiasticam admittendus est? Quibus verbis, quâ methodo concionandum & orandum est? Quo gestu, quibus vestibus, signis, formulis, utensilibus, utendum est? Quâ horâ, quamdiu, sacra peragenda? Et cujuscunque *proprium* seu *præcipuè opus* est (per obligationem Divinam) ejus *præcipuè Authoritas* est: (ex concessione Divinâ) & ei præcipuè imperanti parendum est. Per *opus* autem faciendum, non volo *opus imperatum* (Rector enim opera jubet, quæ non ipse operatur) sed *Opus Imperandi*.

9. Ita etiam quæratur, Utrum adultus unusquisque non habeat & *obligationem*, *curam & potestatem*, ad innocentiam suam servandam, ad peccata devitanda, & propriam animam ædificandam, & salutem obtinendam, & *Parentis* & *Pastoris* & *Regis* æquales, & majores? Quibus citra dubium omne positis, clarè patet, Quòd in rebus hujusmodi, ubi Puer aut Parenti aut Pastori potiùs quàm Regi obedire debet, ibi & *Judicio suo practico rectè instituto*, etiam potiùs obediendum est: Neque animam suam perdere, neque peccatum perpetrare, neque judicio suo fideli in talibus contraire, ob Regis reverentiam aut obedientiam licet; Neque media à Deo instituta aut præcepta ad nostram aut aliorum salutem, ob Regum prohibitiones, negligere licet, aut Pastoribus, Parentibus aut privatis.

10. Si Papa Romanus, aut Prælati aut Pastores, non verè vocati, sed Officium usurpantes, aliquid malum, aut dubium in sacris imperarent, nulla ipsis formalis

malis obedientia debetur: Immo neque si rem Indifferentem, aut Bonum præciperent. Ubi enim nulla est Authoritas, ibi nulla formalis obedientia debita: Quia *objectum* obedientiæ *formale* deest.

11. Qu. *Quid autem pio viro & pacis amatori, in hoc casu faciendum est? Resp.* Usurpatio non est approbanda: Et nulla obedientia quà talis formaliter, præbenda est: quia Authoritas nulla est. At de obedientiâ *materiali*, reipsâ scilicet aut faciendâ aut non faciendâ, è fine plerumque & effectis & consequentibus prævisis, (in re licitâ) judicandum est.

12. Qu. *Nonne rem (si non aliter præceptam, saltem indifferentem) non agere semper tenemur, quando à tyrannis verâ potestate non præditis, imperatur?*

Resp. Minime: Tunc enim in potestate uniuscujusq; Tyranni foret aut mandata Divina, aut commodum, aut saltem Libertatem Christianorum, ad libitum subvertere: si hoc enim ipsi innotesceret, quâcunque re nos privare vellet, eam statim nobis imperaret: & ita domo, cibo gratiore, vestibus, sociis, libris, si modo non planè necessariis, jubendo nos pro sua libidine exuere poterit.

13. Quamvis plurima inveniantur in sese indifferentia, ut accidentibus tamen stipata, & circumstantiis vestita, pauca admodum indifferentia manent, quæ scilicet æquè ad bonum conducunt & ad malum, aut neutrius media apta sunt futura: Et quæ ita Indifferentia sunt, non Moralis alicujus Actus (Boni aut Mali) objecta sunt. Medii autem alicujus Bonitas ex aptitudine ad finem promovendum æstimanda est; si igitur aliquid à Tyranno vel potestate non prædito nobis imperatur quod, circumstantiis omnibus & accidentibus consideratis, ad bonum potiùs quàm ad noxam aliquam conducit, hoc statim faciendum est, non ut Imperatum sed ut Bonum: sin autem ad malum accidentaliter potius tendit, (aut in se à Deo nobis prohibitum sit) non faciendum est; Quia quà Malum à Deo prohibetur; & nullâ authoritate ad id faciendum obligamur.

14. Qui non est Tyrannus seu potestate orbatus quoad ipsum officium, extra officii tamen oles vagando, ea jubere potest quæ sunt meræ libidinis, & nullius planè Authoritatis: & in hoc casu, nulla ipsi *formalis obedientia* debetur (ut Hookerus, quamvis cætera Potestati civili nimis iniquus, Pol. eccl. l. 8. fine rectè observavit.)

15. Hic quamvis *materialiter tantùm* obediendum est, *gratiâ finis*; quando Bona accidentia malis præponderant; *Materialis* tamen hæc obedientia *formali proxima* est, & ejus quasi participat: Quoniam enim Rector *in aliis* veram habet imperandi potestatem, *officii & Legum ejus Honor & Reverentia à subditis conservanda sunt:* & *hujus finis Bonitas* est Ratio necessaria obedientiæ *materialis*, nisi aliquando majora accidentia huic præponderarent. Media igitur hîc via tenetur inter simpliciter obediendum & non obediendum.

16. Cautione hâc (cum aliis quibusdam minoris notæ) probè observatâ, verum est quod Fragoso, Sayrus (prius citati, cum pluribus aliis melioris ordinis Casuistis Pontificiis) statuunt, conscientiam nullius obligari ad formalem obedientiam cujuscunq; Legis humanæ, quæ certò non facit ad Bonum publicum, multò minus quæ huic Bono adversatur: Quia nulla datur à Deo potestas Regendi, nisi ad (saltem non contra) bonum publicum. At quia Reipublicæ interest, & à Deo præceptum, ut Rectorum Honor debitus præservetur, Imperata ex hoc fine semper facienda sunt, nisi cùm fini huic hoc adversum est, vel nullo modo necessarium.

17. Hæc probè observata, conscientiis scrupulosis circa mandata humana facienda aut non facienda, quietis plurimum præbebunt.

18. Qu. *Quis autem judicabit an Regis aut Pastoris aut Parentis mandatum, justum sit? & ad finem Regiminis, verè adaptatum? Arcana Majestatis hoc plerumque subditorum animis indemonstrabile reddunt?*

Resp. 1. Sicut qui *discet*, ita & qui *obediet*, in pluribus ut *Rectori credat*, necesse est. Ubi igitur res in propatulo non est, sed Rectoris pectore jure abscondita, & subditus talia Regiminis arcana scrutari aut non potest, aut non debet, ibi justa Lex (seu mandatum) æstimanda est. 2. Ubi verò res aut suâ naturâ aut casu in aperto ponitur, & non levibus argumentis subditis constat,

Legem contra Bonum commune factam esse, ibi Lumini evidentiæ non resistendum sed obediendum est; neq; Judex aliquis ad contrarium falsò judicandum, veram ullam obtinet potestatem. 3. Judicium est vel publicum vel privatum; Judicium *publicum* ad Judicem publicum solum pertinet. Per hoc judicatur, quis ob Legum violationem *puniendus* est. Judicium *privatum* (hîc memorandum) est *Privatæ Discretionis*, quâ quisq; suum officium exequendum discernit. Et si hoc ad unumquemq; non pertineret, aut *semper* hominibus obediendum esset (etiam in Deo blasphemando, & Republicâ perdendâ) aut & *nunquam*, obedientia non foret *actus humanus*: & necessariò privs subditos naturam & rationem humanam exuere oportet, quàm suarum actionum Judicium discretionis habere desinent. 4. Et Regum & Prælatorum adulatores qui hoc esse subditorum negant, Reges ipsos & Prælatos perdere conantur; non tantùm quâ sicut Herodis adulatores dum Deos ipsos faciunt, Deum ad eorum perditionem provocant; sed quia subditis hinc potestatem omnem auferunt, Rectores à non rectoribus, & inter Regis & Usurpatoris mandata, discernendi. 5. Frustra item obedientiæ præcepta hominibus tradunt concionatores, si nulla de eis discernendi potestas suppetit. 6. Hîc etiam tenendum est quòd sicut *Jus Regendi*, ita *Jus discernendi* cum *Debito*, conjunctum est: & ubi *Debitum nullum*, ibi *nullum Jus* est. Ita Infantium & stultorum neque *Legum Discretio* est, neq; discernendi debitum: sed sicut bruta animalia gubernanda sunt: & Puerorum, ignorantium, fœminarum, longè absentium, &c. quale discrimen *Obligationis* est de Regum, Pastorum, Parentum *mandatis discernendis*, tale etiam discrimen *Juris* seu *Potestatis* discernendi est. Et siquis inter homines inveniatur cui judicare non competit de Legis Justitiâ, tali proculdubio non peccatum foret isti Legi, quamvis injustissimæ, Reipublicæ pernicioſissimæ, & maximè impiæ, indeliberatam præbere obedientiam.

19. Regiminis civilis Jus omne à Deo summo Rectore datur, neq; à fonte alio magis potest originem suam trahere, quàm *Ens* ab alio quàm ab Ente Primo.

20. Regimen Civile in Genere fit necessarium Lege Naturæ; per quam Homo fit animal-sociale, Rationale, imperfectum tamen, non sibi aut regendo aut protegendo sufficiens: Et dum in *naturâ* ipsâ (ex consensu totius mundi) *Regiminis* hujus apparet *necessitas*, in eâ itidem ut *signo*, apparet *Divina voluntas*, quæ *significata Lex* est, ad ordinem hunc genus humanum obligans.

21. Sicut autem *Rerum natura* in quibusdam est *mutabilis*, ita pari ratione & *Lex naturæ* mutabilis est. Ideoque quando per peccatum, *Legum* & *Pœnarum* major orta est *necessitas*, *Legi naturæ* itidem *hoc Regimen* statuenti quid additum est.

22. Fortasse tamen solitarius aliquis in desertis inveniri potest, qui ad vivendum in societate, aut sub alterius regimine, non obligatur. At raræ hæ exceptiones, regulam non dubiam reddunt, sed firmant.

23. Lex scripta Divina Legi naturæ superaddita, Regimini civili magis firmum adhuc supponit fundamentum.

24. Ex *lege hâc Divinâ* de *Regimine civili* ut *necessario*, immediatè, resultat *Jus Regendi* personæ debitè vocatæ seu electæ.

25. Falsum est igitur, *Populum* propriè *dare* Regi hoc Jus seu Potestatem. Neq; enim habet Populus *Jus Regendi* aut ad *Utendum* per se, aut *Dandum* aliis.

26. Jus tamen est Populi plerumq; (non semper) *Personam eligendi*; semper autem *Electæ Consentiendi*: & qui Jus hoc *electionis* male dicit, *Jus Dandi Regiminis potestatem*, de verbo tantùm inepto litem frustra movet.

27. Sicut quando Civitati per Chartam suam aut Legem, Rex tribuit potestatem quotannis eligendi Magistratum, cujus Potestatem in Chartâ ipse describit; & ita totum Jus Magistratui huic immediatè fluit à Chartâ ut Voluntatis Regis instrumento, & nullo modo à populi electione, quæ tantùm *Personæ* dat *capacitatem* seu *dispositionem receptivam*, & non omnino est causa aliqua Potestatis

testatis *efficiens*, (nemo tamen nisi ab eis *electus potestatem recipit*): Et sicut quando Deus suâ Lege jam statuit *Maritum* esse conjugis *Rectorem*, at conjugis jus est *personam eligendi*; eligendo tamen non *dat potestatem*, sed *dispositum* seu *capacem* facit *recepturum*; Ita & de potestate *civili* judicandum est.

28. Quando dicimus omnem Potestatem supremam esse à *Deo Immediate*, sensus est nullum intercedere *medium effectivum*, seu *donativum*; non autem nullum intercedere *medium Dispositivum*, seu *conditionem sine quâ non*.

29. Dum eligit Populus *Familiam* unde Regum successio oriunda est, Personas successivè elegisse putandus est.

30. Magistratus autem Inferiores, quoniam Rectoris *supremi* sunt *officiales*, non tantùm ab ipso *eliguntur*, ut *ipse* à *Populo*, sed insuper *ipsam Potestatem* à *supremo recipiunt*. Ille enim habet *Potestatem* & *Regendi* & *Rectores vicarios statuendi*; non item *Populus*.

31. Ratio autem quòd Populus quamvis Personam eligit, non tamen pro arbitrio eum potest deponere, patet; 1. Quia non nuda *eorum Electio*, sed etiam *ejus consensus*, ex quibus fit *Contractus*, *Dispositionem* hanc *Receptivam* constituunt. Nemo enim *invitus* fit *Rector*. In *contrahendo* autem probabile est, eum Regimen in se non recepisse, nisi sub conditione immunitatis & securitatis à popularis mutabilitatis malis. 2. Quia populus ante Reipublicæ constitutionem *liber*, jam fit *subditus*, & eatenus *non liber* nec *sui juris*, quatenus *subditus*.

32. Sicut *Deus* est *Rex summus*, ita *Leges* ejus fiunt *solæ universales*, & supra omnes Regum Leges; utpote & ad *subditos* & *Reges ipsos* regendos institutæ: Quoad Deum & ejus Leges, Reges omnes fiunt subditi.

33. Quodcunque Mandatum & Jus regendi, quoad *Gradum*, aut *Potestates particulares*, Deus omnibus concessit Regibus, aut *Lege naturæ* aut *Scripturis*, id nullo jure per populum illis auferendum est.

34. At ubi Deus rem indeterminatam reliquit, & populo *Libertatem aliquam* non ademit, ibi per *pacta antecedentia*, *Potestatem* seu *Jus Rectorum limitantia*, *Libertatem* & *Jus suum* securum reddere, populo omnino fas est.

35. In hoc casu Rector si tales invadat *reservatas Libertates*, eatenus non *Rectorem* agit, sed grassatorem, & *sine Authoritate* & *contra jus* id agit.

36. Cui nulla est *Proprietas* aut *Libertas*, & nullo modo sui Juris est, is aut *Verna*, aut *Infans* aut *Morio*, aut aliter mente captus est: non autem *tantum subditus*.

37. Dupliciter igitur Rectoribus etiam supremis Potestatis ponitur *terminus* seu *limes*: 1. *Omnibus* per *Leges Divinas*: 2. *Quibusdam* ex *populi Pacto* (*explicito* aut *implicito*) quo *proprietates* suas & *Libertates* reservant.

38. Si nulla talis est *reservatio*, aut *proprietas* aut *Libertas*, totius Populi Possessiones, & Vita, ad arbitrium & nutum Imperantis possunt adimi.

39. Hic status Regiminis non est Respublica: ejus enim *Bonum publicum* est *finis essentialis*: sed est simplex seu *Absolutus Dominatus*.

40. Rector quà Rector non est *Dominus*, id est, *Proprietarius*; Diversæ enim sunt Relationes. Ideoque aliud *Regendi*, aliud *Bona possidendi jus*, & juris fundamentum est.

41. Quamvis *Homo* seu *Populus naturâ* non habet *Jus Civile Regendi*, *Jus* tamen habet vel acquirere potest *Possidendi*: & *Populi Proprietas ordine præcedit* Regum jus Regendi; *e. g.* sicut naturâ possidemus *membra corporis*, *capillos*, &c. ita *Generationis jure* possidentur *Liberi*, & jure *contractus conjuges*, & *fructus laborum* & *opera facta*, jure itidem naturali ex operatione, & ita de aliis justis acquisitionibus.

42. Sin omnia hæc jura ad membra, uxores, liberos, &c. Voluntati Imperantis totaliter ita tradant, ut inde ex ejus mero arbitrio penderent, qui vernas se fecere, sicut vernæ ut gubernentur, expectent fas est.

43. Utrum suprema Potestas sit in *Uno*, in *Pluribus*, an in *Plurimis*, in Sacris Literis non est universaliter statutum & determinatum: nec universaliter Jure Naturali.

44. Tanta est Populorum, & rerum humanarum differentia, ut hîc Monarchia, illic Aristocratia, alibi Democratia, & pluribus Politia mixta, optimè convenire possit: Et nulla harum absolutè necessaria, nulla absolutè prohibita est; Nulla quæ Gentem peccatricem beatam, aut gentem sanctam infœlicem, reddat.

45. *Omnes* autem esse verè *Reipublicæ simul Rectores*, impossibile est: Eadem enim foret *Pars Imperans* & *Pars Subdita*. *Democratia* igitur non est *omnium* Regimen, sed *Plurimorum*.

46. Et confusio quidem magna in ipsa constitutione verè Democraticâ appareret, quandoquidem *Pars Imperans*, parte subditâ major est; & aliquatenus contra Naturam est, quòd *Plures* sint *Rectores* quàm *Obedientes*, aut Plures Doctores quàm Discipuli: Quia non adeò beato esse generi humano datur, ut præcellentia illa dona, Rectoribus & Doctoribus necessaria, sint plurimorum communia.

47. *Populi* Jus *Rectores eligendi* (aut semel aut quotannis) *Democratiam* non constituit, nisi ipsius populi item *Pars major*, vel *magna* saltem ad ipsum Regimen eligatur. Cùm enim *Eligere* non sit *Regere*, non potest Regimen formaliter denominare.

48. De cæteris ad Rectores & Regimen pertinentibus tot dicta sunt, in *Directorio meo Christiano*, & alibi, & postea hîc cap. 16, 17, 18. ut de his hîc plura jam addenda esse non ducam.

Elucidationes

CAP. XIV.

§. 7. *Sexti Præcepti Decalogi Christiani.*

1. Qu. 1. *AN Lex hæc Mosaica reverà sub nomine Homicidii, Iram nocentem, temerariam & opprobria prohibuit? Aut potius hæc à Christo huic præcepto sunt addita?*

Resp. Lex Mosaica consideranda est, 1. Ut Lex ipsius Dei, norma actionum humanarum, & Judicii Divini; & ita proculdubio & Affectûs & Linguæ hæc peccata tunc prohibuit. 2. Ut mere politica, & Norma Judicii humani, Magistratus scilicet; & ita non ad Mentis peccata pertingit; quia de secretis & minimis Magistratus non judicat.

2. Q. 2. *An Lex hæc quà Mosaica aut tantùm quà Christiana, Animarum cædes verè prohibet.*

Resp. Responsio Qu. priori data hîc sufficit. At notanda sunt 1. Spiritualem Legis sensum non ante Christum clarè patefactum fuisse; nè in ipsâ quidem Lege, præ Evangelicâ patefactione. 2. Rariùs igitur & obscuriùs hic sensus ab Antiquis, etiam Piis Doctoribus explicatus est: Ideóque dixit Christus [*Quod Antiquis dictum est audivistis*] Mat. 5. 3. Neque dubitandum est quin hypocritici Pharisæi hinc ansam arriperent, præcepti sensum falsis expositionibus corrumpendi; A quibus eum Christus hic ut Doctrinæ Reformator, vindicat.

3. Qu. 3. *An simpliciter à Christo prohibetur, fratrem vocare stultum?*

Resp. Minimè; sæpissimè enim ita impii vocantur in sacris Literis: Sed injustè & per opprobrium fraternæ Charitati contrarium, aliquem probris aut maledictis infectari prohibitum est.

4. Quantum Corpori præcellit Anima, tantum Animarum perditio est pessimum homicidium.

5. Pessimi

5. Pessimi autem omnium homicidæ sunt *Impii Parentes*, qui partim negligentiâ & contemptu, & partim malis consiliis, documentis & exemplis liberorum suorum animas perdunt: Quoniam maximi Amoris vinculis ad eorum salutem summâ curâ & diligentiâ promovendam, obligantur.

6. His proximè crudelitate aggravatâ accedunt, *Mali Pastores*, falsi Doctores, qui aut insciti â, aut contemptu, & impiâ negligentiâ, & vitæ malæ exemplo, gregis animas perdunt, quas sacrâ doctrinâ, diligentiâ & exemplo instruendas & ita salvandas in se recipiebant.

7. Qui autem non tantùm *suam operam* ad animarum salutem non *impendunt*, sed *aliorum* etiam vi aut fraude impediunt, modis pluribus & eminenter sunt animarum perditores.

8. Rectores item Civiles, in quantum etiam populi salus spiritualis ab ipsis quærenda est, si operam hanc non fideliter præstent, (multo magis si malis Legibus, judiciis, pœnis, exemplis eam impediunt,) ut Animarum & proditores & perditores à Christo animarum Redemptore judicabuntur.

9. Idem ferè dicendum est de *Magistris*, *Tutoribus* & aliis quibus juvenum educatio committitur, qui per negligentiam, malignitatem, errores, aut sensualitatem, in castra Diaboli, animarum inimici, transeunt, & in ejus præceptis, & ad ejus placitum sibi commissos erudiunt.

10. Omnium pessima & inexcusabilis est crudelitas, quando Peccator *sui ipsius Animam* perdit. Quis enim nobis ipsis nos impensiùs amaret? Quis nobis propior? Cui potiùs Animarum nostrarum Cura commissa est? Cujâ magis interest, an Beati, an Miseri simus in æternum? Quis potiùs nostri misereretur, quum per obduratam & obstinatam crudelitatem, nostri ipsorum nolumus misereri?

11. Magnates autem & Reges perdere, per adulationem, prava consilia, aut exempla, pejus est quàm hominis privati animam perdere. Et Pastoris Ecclesiastici judicium, doctrinam, conscientiam, vitam corrumpere, deceptione, aut tentatione, aut ad peccandum compulsione, pejus homicidii genus est quàm animam privati cujusdam ita innocentiâ spoliare. Et qui tota Regna, Ecclesias, aut multos simul in peccatum præcipitant, crudeliores multò sunt quàm qui paucorum perditores sunt.

12. Inter omnes Corporalis Homicidii species, mihi omnino pessima videtur, *Illicitum Bellum*: Non *pauci* enim sed *plurimi* trucidantur; non per subitaneam iræ provocationem, sed *summo studio* & de industriâ: neque pœnitere solent tales homicidæ, sed sicut summo conatu malum perpetrare, ita summâ superbiâ de perpetrato, quasi de effectu fortitudinis, gloriari: Præterquam quòd paci, Religioni, civilitati, & omni bono, etiam humanitati, status Belli plerumque inimicus est.

13. Qu. 4. *Anne suicidæ, spes ulla salutis est? Quandoquidem in ipso peccato, ideóque sine pœnitentia moritur.*

Resp. 1. Nemo pius & prudens talia de spe veniæ alicui periclitanti dicet, quæ ipsum ad peccandum provocare apta sunt: At nihil falsum necessarium est ad peccatum devitandum. 2. Qui ex peccati *dominio habituali*, aut hoc, aut aliud peccatum perpetrat, & sine pœnitentiâ moritur, peribit in æternum. 3. At nemo moriens non moritur in aliquo peccato, saltem *omissionis*, *viz.* in culpabili fidei, spei, amoris infirmitate. 4. Et omnes ferè sui-interfectores quos ipse unquam novi, fuêre homines haud sani cerebri, turbatæ & morbosæ phantasiæ; aut multùm scilicet melancholici, aut maniaci, aut phrenetici, aut in febre delirantes; & plerumque non pessimi, & sæpe verè pii sed morbosi. In tali autem casu qui mortuorum amicis eorum damnationem certam pronunciaret, neque Theologi, neque amici, neque Christiani officium præstaret. Præstantissimorum quidem non unum probè novi, qui melancholiâ planè victi, ita vitam hanc miseram finierunt, & quin ad cœlites transierunt, nullus dubito.

14. Homi-

14. Homicidium tam Negative, quàm per actus positivos perpetratur; & qui non pascit, non defendit, non præservat, ubi fieri hæc oportet, is trucidat: Præcipuè ubi animarum aut corporum cura, alicui maximè incumbit. Cætera in Tabulâ, & in *Directorio Christiano* patefacta satis sunt.

Elucidationes

CAP. XIV.

§. 8. *Præcepti Septimi Decalogi Christiani.*

Qu. 1. *AN Adulterium hîc prohibetur sub ratione sui ipsius pollutionis? An tantum sub ratione injuriæ adversus proximum? Et ita an fornicatio etiam prohibetur, commissa sub conditione meretrici lucrosâ?*

Resp. 1. Adulterium quatenus est *sui ipsius Pollutio, sensualitatis* inordinatæ exercitium, mentem à deliciis spiritualibus abalienans, *directè* quidem in Decalogo, id est, Lege *Christianâ* prohibetur; At non nisi *indirectè* & *consequenter* in Decalogo *Mosaico:* Amor sui ipsius scilicet ibi *præsupponitur*, potiùs quàm directè imperatur. At qui dicit, *Diliges proximum tuum sicut Teipsum*], dum sui-ipsius dilectionem præsupponit, eam *indirectè* & *consequenter* imperare videtur. Saltem *Lege Naturæ* imperatur, quam Lex Mosaica supponit, & Lex Christiana continet.

2. Adulterium autem directè Lege Mosaicâ hâc prohibetur sub multiplicis injuriæ ratione: 1. Quatenus inordinata generatio confusiones in republicâ causat, & liberorum debitam educationem impedit. 2. Quatenus marito prolem alienam sustentandam & educandam obtrudit. 3. Quatenus animam meretricis polluit, & pravis affectibus, & peccati reatu. 4. Quatenus marito innocenti conjugem priùs castam jam reddit pollutam: Relatio enim & proximitas hoc ipsi injuriosum reddunt.

3. Fornicatio igitur omnis est hujus præcepti violatio, quamvis id non violat tot modis quot adulterium. Animam quippe & meretricis & suam polluit, & magnum illud malum, Procreationis inordinatæ introducit.

Qu. 2. *Quare dicitur à Christo eum adulterium jam corde perpetrâsse, qui fœminam ad libidinem aspicit?*

Resp. 1. Quia sua Anima jam polluta est: 2. Quia Dei præceptum Voluntate (peccati primâ sede) violatur: sicut qui furari aut occidere tantùm cupit, quamvis alterum non læsit, Dei præceptum mente violavit.

Qu. 3. *An adulterium aut fornicatio peccatum est, quando per ætatem nondum provectam non fieret generatio? Aut quando non perfectâ coitione, aut seminis præterjectione, generandi possibilitas præcavetur.*

Resp. Affirm. 1. Quia adhuc manet reatus mutuæ pollutionis & animæ & corporis; Et ex talibus fœdis delectationibus, mens pessimè fœdatur, & in phantasia & affectibus proles Satanæ procreatur; per quam quasi cogitationum clavem, in mentem quasi intrare potest, & imaginationes pravas multiplicare, & animum corrumpere, & ita sanctas cogitationes & affectus propellere, ferè quandocunque libet. 2. Quia Dei mandatum est non tantùm de *Fine* sed & de *Mediis:* Quoad *finem* quidem *Prolis confusa Generatio & Educatio* maximè prohibetur: At ut medium, *Confusa omnis & illegitima coitio prohibetur;* etiamsi non finem prohibitum attingat; neque attingere potest. Quia malus finis aliter non satis præcavetur, nisi per talem universaliorem prohibitionem: Si quibusdam enim quasi non generantibus liceret confusa coitio, via latissima ita ad non licita sterneretur.

4. Obj.

4. Obj. *At nulli marito aut reipublicæ ita fit injuria.*

Reſp. 1. Marito fit injuria quando conjugi fit injuria etiamſi volenti: & quando conjugis Amor laſcivis illecebris ab ipſo ad alium allicitur. 2. In ſimplici fornicatione iſta imperfectâ, & tibi ipſi & meretrici fit injuria ut jam dictum eſt. 3. Et Deo fit injuria dum Lex ejus violatur.

5. Obj. *At inter conjuges ex iiſdem actionibus, de mentium & phantaſiæ pollutione idem eſt periculum.*

Reſp. 1. Non *tantam* eſt periculum, 1. Quia nitimur in vetitum; 2. Quia juſtè Deus animam ſponte & libidinoſe peccantem in pleniorem Satanæ poteſtatem permiſſione ſuâ tradit. 3. Et ipſa hominum experientia probat cupidinem non ita inordinatè ardere, & phantaſiam polluere, erga conjugem ſicut erga meretricem, quod peccantium confeſſio frequens teſtatum facit.

2. Idem autem inter alios, quod inter conjuges non licet: Et ſi ad pejorem libidinem devitandam, tales amplexus inter conjuges permittantur; qui tamen non ſine inordinatâ aliquâ libidine fiunt, non inde ſequitur mediis prohibitis eandem libidinem excitandam eſſe aut exercendam.

3. Denique ſi tantùm inordinata prolis procreatio hîc prohibita foret, ſequeretur, nefandum iſtud Sodomitarum flagitium non prohibitum eſſe, quod falſum eſt.

6. Obj. *Quod naturale eſt, etiam brutis commune, non eſt peccatum: At tale eſt cupido venerea, &c.*

Reſp. 1. Si hominem ſe brutum facere aut brutum agere non eſſet peccatum, tunc ſe hominem præſtare non oporteret. Si omne illud homini quod beſtiis liceret, quorſum ratio, quorſum Reſpublicæ? quorſum Leges & judicia? Quare non ad ſatietatem edere & bibere, & ex rapacitate vivere, & omnia ex libidine metiri, liceret? 2. Nonne homini Naturale eſt, eſſe Rationale, & per Rationem libidinem & appetitum regere & domare? Homini Naturale eſt Facultates habere & Inferiores regendas, & Superiores rectrices. Anne iſte juxta Naturam humanam vivit, qui facultates inferiores ut ſubditas non reget? Quaſi equus ſeſſorem gubernaret, non ſeſſor equum? Quare igitur venenum non hauris, quandoquidem appetitui placet? Quare non omnino virtutem & pietatem deſeris, & ad appetitum & libidinem vivis?

7. Obj. *At Amor eſt Affectio omnium præſtantiſſima; ſocietatum vinculum, beneficiorum fons, bonorum operum mater prægnantiſſima, odio & iræ & malevolentiæ contraria: Ideò ejus exercitium non eſt malum.*

Reſp. Corruptio optimi eſt peſſima. Malè *locato* & *exercito Amore* nil pejus. Sicut Amor Dei eſt Cor Virtutum, ita Amor Idolorum, ſeu creaturarum inordinatus eſt vita & ſumma omnium vitiorum. Amore igitur nil potiùs fovendum; Amore nil potiùs cavendum; nil magis excitandum; nil magis frænandum; & ſub regimine rationis & Legis Divinæ exercendum. Amoris Divini & Humani ordinati hæ laudes quidem debitæ ſunt: Amor libidinoſus autem non eſt *vinculum*, ſed *venenum* ſocietatum; non boni fons, ſed omnium malorum ſcaturigo; ipsâ irâ & malevolentiâ pejor: Ideóque dicitur per Sp. ſanctum, *Nè mundum diligite aut mundana: Qui mundum diligit, Patris dilectio ipſi non ineſt.*

8. Obj. *Anne ſui pollutio, per ſeminis voluntariam ejectionem eſt prohibita?*

Reſp. Affir. Etiam pluries; ſaltem ſub genere immunditiei ab Apoſtolo damnata: Per iſtam ſcilicet cupido prohibita exercetur, & per exercitium peſſimè augetur: & plurimorum experientiâ nimis probatum fuit malum inde animi habitum oriri, & in hujus reatum ita plerumque irâ Divinâ animadverſum eſſe, ut eum aut ſtupor & aſotia ſequitur, aut horror, qui nunquam reum perſequi ceſſat, donec à peccando ipſe ceſſet.

9. Adeò magna, & ſancta & neceſſaria ſunt opera, propter quæ Anima humana & condita & redempta eſt, & adeò neceſſarium eſt ad hæc opera fideliter præſtanda, ut Anima ſit pura, caſta, pravis affectibus & cupidine vacua, ut Deo ſincerè devota, negotiis hiſce maximè intendat; & adeò miſerè phantaſiam, cogitationes

tationes & affectus fœdant & pervertunt, & Amorem & Zelum divinum extinguunt cupidines & delectationes hæ carnales, ut audacter concludendum sit, neminem aut eas aut earum media esse licita opinari, nisi qui ipsis jam vitiatum & obcæcatum habet intellectum.

10. Obj. *Quum phlebotomiâ, vomitu, egestione humores superfluos ejiciendo, liceat corpus exonerare, quare non itidem, ad corporis salutem, seminis ejectione idem liceret?*

Resp. 1. Quia ejectionis voluptas est libidinis inordinatæ & noxiæ exercitium, & incrementum, incommoda antedicta inferens. 2. Reverâ viris talis casus non datur: sperma enim est humor ultimæ concoctionis perfectissimus, cujus dispendium ad virium itidem dispendium maximè conducit: Neque alicui viro ita ad redundantiam & corruptionem properat, quin abstinentiâ, labore, sudore & egestione, multo melius corpus exoneratur, & hæc mala omnia præcaventur. Primæ enim concoctionis humorem exturbando, secundæ concoctionis humor optimè & tutissimè minuitur; & primæ & secundæ concoctionis humorem extrahendo, tertiæ concoctionis humor tutissimè minuitur, & redundantia & corruptio ejus in viris præcaventur, dum illius scilicet fomes & pabulum subducitur. Neque viris tantum thesaurum humoris perfectissimi, olei scilicet spermatici, natura suppeditare solet, qui corpus ita oneraret, ut vilioris humoris subtractio ad exonerationem non sufficeret: & siqui Medici contrarium asserunt, aut ignorantiâ aut libidine ipsi sunt decepti, aut impudici aliorum sunt deceptores. Fœminarum autem affectus hysterici legitimam requirunt medicationem.

11. Summopere hîc omnes, præcipuè juvenes, illecebras, tentationes & occasiones devitare debent; Aliter enim vix unquam peccatum præcavebitur. Initiis autem præcipuè resistendum: Proh quantum incendium scintilla una sæpè suscitat! Inordinatus oculi unus aspectus, tactus unus immodestus, carnalis affectûs prima indulgentia, tantorum sæpissimè fit peccatorum initium, & cladis tantæ spiritualis semen, quantum vix unquam, inexpertus potuit suspicari.

12. Oculorum igitur regimen vigilantissimè exercendum est; Aspectus immodesti, nuditates, oscula, amplexus, tactus lascivi, maximopere fugienda sunt; Peccandi enim initia sunt, & tremendi progressus & perditionis via, unde rarò nimis sine magnâ conscientiæ vastatione, gressus revocantur.

13. Et phantasiæ semel aut bis pollutæ, adeò mirandam quidem Satanas sæpe obtinet possessionem, eamque ita in potestatem suam & ad nutum redigit, rationem, scientiam, admonitiones, & proposita omnia superando, ut horum sobria observatio benè evincere possit Diabolorum adversus homines & sanctitatem inimicitias, & bellum Satanicum ad hominum perditionem, etiam ipsis ferè sensibus demonstret.

14. Qui autem in tremendam hanc abyssum nollet præcipitari, neque libidinis primò, deinde Gehennæ, flammis perire, supra omnia tria ista Sodomæ peccata Ezek. 16. 49. eum summopere devitare necesse est: 1. Superbiam, 2. Victûs plenitudinem, 3. Otium: Et humiliter inter septa modestiæ vivendum est; præcipuè autem assiduis laboribus, & mens & corpus exercenda sunt, per quos lascivis cogitationibus aut factis, nullum omninò otium concedatur: Quando enim per negotia & constantem diligentiam, nugari aut malè cogitare non vacat, peccatum optimè præcavetur, otium autem est lectus libidinis, & immunditiarum nidus: Neque fundus alius horum criminum tam ferax est. Abstinentiâ item debitâ vires libidinis minuendæ sunt: Divitum igitur plerumque vita libidinosa, & salus difficillima est; Eorum enim superbia, Appetitus-delectatio & Otium, generosus, honorificus, & ferè necessarius habentur vivendi Modus. Non mirum igitur si & fœdissimis luxuriant libidinibus.

15. Plurimum etiam ad innocentiam & animarum ab immunditie conservationem interest, personæ allicientis proximitatem, & peccandi opportunitatem summopere devitare. Incendium fit ex ignis & stipulæ approximatione: Distantiâ

ſtanciâ debitâ præcavetur. Qui facilè & per opportunitatem peccare poteſt, ſæpiſſimè peccat. Qui epulas aſpicit, nil mirum ſi guſtet: Qui guſtat, nil mirum ſi mandet: Neque qui mandit, ſi deglutiat: Neque qui venenum deglutivit, ſi miſere pereat. Aufuge igitur ſi tutus eſſe cupis, & nè peccato, morti, inferis proximum eſſe concupiſcas: Summæ hîc prudentiæ eſt, talem vivendi rationem eligere, ex quâ peccare fit planè aut ferè impoſſibile. Satanæ enim axioma eſt, Fruſtra eſt Potentia peccandi, præcipuè facilè, quæ non reducitur in actum.

16. Cogitationum item Regimen vigilantiſſimum hîc ſummè neceſſarium eſt; quo circa bona conſtanter exercitæ, à malis aut amoveantur, aut citiſſimè deteſtatione avocentur: Nè ſcilicet ſecretò (at Dei in conſpectu) audaciùs peccemus, quia cogitationum immundities hominibus non innoteſcit: Et nè per cogitationes concupiſcentia magis accendatur; & indè via ſternatur ad peccati perpetrationem & ad mortem. Jac. 1. 15.

Caſus Conſcientiæ & cætera vide in *Directorio Chriſtiano.*

Elucidationes

CAP. XIV.

§. 9. *Præcepti Octavi Decalogi Chriſtiani.*

1. Qu. 1. *ANne inter Chriſtianos, ſaltem perfectiores licita ſit Proprietas? An & quomodo Chriſtianorum omnia eſſe communia oportet?*

Reſp. 1. *Proprietas* quædam *Naturalis* eſt; & Chriſtus Naturæ jura non deſtruit, ſed reſtaurat. 2. Ubi non eſt *Proprietas*, ibi non poteſt exerceri *liberalitas*: Egeno non dare poteſt, aut nudum veſtire, &c. cui nil proprium ſuppetit, quo opera charitatis agat. 3. Et quomodo talentorum ſibi commiſſorum rationem reddere aliquis poteſt coram Deo, qui nulla talenta habet niſi aliorum communia? 4. Neq; *furtum* eſſe poteſt, neque defraudatio, ubi nulla eſt proprietas. Neque contra tyrannicos oppreſſores qui innocentes mulctant, & pauperum jus invadunt, Deo precari eum decet, cui nihil eſt *proprium*, & qui proprietatem putat illicitam eſſe. 5. *Proprietatis* igitur *malus uſus* auferendus eſt per *Charitatem*; non autem *Jus aut Titulus* negandus. Dum proximum diligere me oportet ſicut meipſum, meis omnibus ad ejus bonum ſicut ad mei ipſius uti itidem oportet: At ſub directione Legis divinæ, diſtributionis menſuras & modos præſcribentis. Et ita primi Chriſtiani per *potentiam Charitatis* quoad *uſum*, non per *amiſſionem* ſeu rejectionem *Juris* ſeu *proprietatis*, *nil ſui* eſſe dixerunt, & *omnia communia habuêre.*

2. Qu. 2. *Nonne verò bonum vel perfectius eſſet, Proprietatem omnem abjurare, & nihil proprium poſſidere?*

Reſp. 1. Proprietas *naturalis* non eſt abjuranda; neque *accidentalis* quæ in *naturali* fundatur; qualis eſt veſtimentorum, quæ proprio corpori adaptantur, quando veſtimenta aliorum morboſa, redolentia, nobis morborum cauſæ eſſent: & neceſſe eſt ut unicuique *cibus proprius* ſit quando ſumitur, & potus quando hauritur. 2. In quibuſdam Caſibus *Res omnes propriæ*, (exceptis omnino neceſſariis) neceſſariò deſerendæ ſunt: *viz.* Quando aliorum ſumma neceſſitas, vel Reipublicæ commodum, hoc fieri per Charitatem poſtulat: Et quando Chriſti gratiâ tempore perſecutionis omnia potiùs deſerimus, nè veritatem deſeramus. 3. Et negotia mundana quando impedimento nobis ſunt potiùs quàm adjumento aut utilia, deponere aliquando convenit: at non ad *otium*, ſed ad vitam *utiliorem.* 4. Proprietatem autem ſimpliciter abjurare, aut ei omnino

nino renunciare non licet (nedum oportet) 1. Quia servi sumus & Oeconomi Dei: & nullam habemus Proprietatem absolutam, sed analogicam & à Deo dependentem: Et Heri bona sibi commissa Oeconomum projicere, aut sine Domini consensu tradere, non licet. 2. Quia Proprietatem & propria projicere, est *Officium* à Deo impositum projicere: Deus enim Bona omnia nobis ideo commisit, ut quasi per instrumenta Domini opus per illa perficeremus. At utensilia projicere, non est fideliter operari. Ab Ignavo quidem ingenio multo facilius opes, honores, Magistratus, &c. abjiciuntur semel, quàm per totum vitæ spatium piè, sobriè, diligenter ad usum Domini adhibentur. 3. Immo talentorum ex usu incrementum à Deo judice ab Oeconomis requiretur. At projicere & abjurare, non est multiplicare: Ignavi igitur & inutilis servi præmium, non fidelis, abjectione tali demeritum fuerit, Matth. 25. 4. Immo abjuratio talis esset Leges dare Deo, nè nobis posthac sua bona mandaret; dum ea sic oblata aut spernere aut repudiare juramus: Et ita ferè servitio Dei renunciatum erit.

3. Qu. 3. *An subditorum omnia bona Rectorum communia sunt?*

Resp. 1. Qui *bona omnia aliorum sua* esse velit, ex lege æquitatis etiam *mala communia* haberet: si *liberi boni* subditorum Regis sunt, quare non itidem *mali?* Et si *liberi* & *pecuniæ* sint Rectorum communes, quare non itidem liberorum *sustentatio*, & pecuniarum *acquisitio?* Si *fruges*, quare non & *labor?* 2. *Proprietas* (ut jam probatum est) ex jure Naturæ Regimen antecedit: sicut Regimen supponit *Homines regendos*; ita & *Proprietatem* regendam: Quæ ubi *nulla* est, *regi* non potest. Si omnia sunt Regis, de subditorum proprietate nullæ Leges fieri possunt. 3. Si omnia subditorum sint Regum, hoc aut donatione Divinâ fit, aut humanâ. Nullus enim effectus est sine Causâ. At Donatio divina talis non invenitur, neque in Lege naturæ, neque in S. Scripturâ: Ergo nullibi. At procul dubio Proprietarius *primus* est quisque privatus; Liberorum scilicet Generatione; fructûs laboris sui ex ipso labore, & ita de aliis: Ergo proprietatis ad Rectores à privato derivandæ causam aliquam fore necesse est. Sin autem per *Consensum* aut *Donationem* uniuscujusque fit, consensus iste probandus est: Et inde omnes subditi pro mancipiis seu vernis reputandi sunt. De non probato autem hoc minimè asserendum est; dum unusquisque naturaliter in tantum sui amator est, ut sua omnia eum alteri donâsse sine probatione non sit præsumendum.

2. At omnia subditorum bona propria sub *Regimine* Rectorum sunt. Et sicut in Republica Bonum commune cujuslibet bono privato præferendum est; Ita & ad Bonum publicum uniuscujusque bonum privatum per Rectores applicandum est. An verò hoc fieret, *cum* vel *sine* populi consensu, & utrum *Regis*, an *Senatus* erit, de *mensurâ*, & *tempore*, de *quanto* & de *quando* judicare, & quomodo & sub quibus limitationibus Rectores subditorum propria requirere fas erit; hæc ex uniuscujusque Reipublicæ constitutione colligenda sunt.

4. Maxima & crudelissima latrocinia sunt Bellatorum injustorum, & Principum & Magnatum populum opprimentium; quippe qui non paucos sed plurimos, suis bonis etiam necessariis spoliant; & ad tantam rerum penuriam vulgus plerumque redigunt, ut præ labore, egestate & curis, animarum statum & vitam æternam curare vix possint, & vita ipsis continuus ferè fit dolor & ærumna.

5. Prodigalitas item & Luxus hujus præcepti sunt pessimæ violationes: Dum ad appetitum & ventrem, & phantasiam gratificandam, jus Animæ, jus Liberorum, jus Reipublicæ læsum est. Immo Jus Dei ipsius, dum Bona sua ad opera tantùm bona concessa, odiosis suis inimicis, superbiæ, luxuriæ, pigritiæ, sacrificia offeruntur.

Casus Conscientiæ & cætera sunt in *Directorio Christiano.*

Elucidationes

Elucidationes

CAP. XIV.

§. 10. *Præcepti noni Decalogi Christiani.*

1. PEccatum hoc Præcepto prohibitum est *Injustitia* præcipuè *judiciaria*: & officium præceptum est *Justitia* præcipuè *Judiciaria*, seu *Distributiva*.

2. *Justitia* est vel *Relatio* vel *Qualitas* vel ejus Actus, qui est *Agendi Modus*. *Justitia* quæ *Relatio* est, est, 1. *Jus* habere; *viz.* aut Jus Dominii, aut officii, aut privilegii, aut Agendi; unde dicitur quis Juste possidere, Jus regendi habere, aut potestatem ad officii opera, Jus ad honores, Juste hoc vel illud agere, *&c.* aut Jus habere ad Judicis Justificationem, & ad præmium, vel impunitatem: & hæc Justitia est *Reatui* opposita, & *Justus* est qui non est *Reus pœnæ* seu obligatus aut ad pœnam aut ad damnum resarciendum: & de hâc plerumque loquimur in doctrinâ de Justificatione. 2. Aut Juste *Agere* vel *Egisse*: *viz.* Ipsius Actionis Relatio ad Regulam; & hæc Justitia opponitur *Peccato* (de quibus plura suo loco). De *Justitia Relativâ* postea dicendum est in Tabula seu capite de Judicio.

De *Justitia* aut *Qualitate* seu ejus *Actione* hîc agendum est. Et hæc est *Virtus quâ suum cuique tribuimus*, vel *Actione suum cuique tribuere*.

3. Justitia hæc respectivè in omnibus Tabulæ Decalogi secundæ præceptis imperatur: *viz.* In quinto quatenus consistit in honorem superioribus debitum, &c. tribuendo: In sexto quà contra proximi vitam nil injustum agimus: In septimo & octavo quatenus itidem injuriâ neminem afficimus contra ejus Possessiones vel Uxorem vel Castitatem: & ita quatenus Justitia ad particularia tantùm hæc objecta refertur: At in *nono* hoc præcepto *in se* & *propter se* imperatur; *Justitia* scilicet *quà Justitia*, præcipuè *judiciaria*: Neque mirum est eandem Virtutem juberi, idemque vitium prohiberi diversis respectibus in diversis aut omnibus præceptis. Immo tanta est & tam arcta Virtutum moralium & vitiorum conjunctio, ut vix, aut ne vix, aliquid in *Uno aliquo Præcepto jussum* aut *prohibitum* inveniatur, quod non indirectè & per consequentiam, in *unoquoque* Præcepto aut jubetur aut prohibetur: Tam longe illi errârunt qui ad Decalogi perfectionem pertinere putant, nequid bis in diversis præceptis jubeatur aut prohibeatur.

4. In decimo autem Præcepto prohibetur hæc *injustitia* in *Radice* & *Genere* SUITATIS seu *Partialitatis*, & Justitia jubetur in *Radice*, *Charitate*, in qua eminenter continetur; & ut *suitati* contraria.

5. Quando autem inter *Justitiam* ut *Qualitatem* & ut *Relationem* distinguo, hoc tantùm volo; Quamvis omnis *Justitia formaliter* considerata, in *Relatione* quâdam consistit, Usus tamen obtinuit, *Justitiam* quà consistit in *Relatione formali* ad totam Regulam seu Legem, & hominem dicit *Justificandum*, à quibusdam vocari *Justitiam Universalem*, ab aliis *Legalem*, ab aliis *Relativam*: At Justitiam quæ *Materialiter* consistit in *Habitu* vel *Actione suum cuique tribuendi* vel cum *omnibus juste agendi*, dici *Justitiam*, *Virtutem singularem*, seu ejus exercitium: Hîc autem denominatio non sumitur ex actionis congruentiâ ad Regulam seu Legem; sed immediate ab *objecto*, scilicet *Proximi jure*, seu jure-possessis: & ita *hæc Justitia* est magis *Particularis*, & *Humana* in ratione nominis; non Personam denominans ut *Legi obedientem*, aut ut *ex Lege consequenter judicandum* (de quà postea) sed tantùm, quà *alteri sua juste tribuentem*, & ita *Injustus* est *Injuriosus*; sensu autem *Relativo*, seu magis *Universali*, Injustus (ut dictum est) est aut *Peccator* aut *Reus-condemnandus*, Justus autem aut *Innocens*, aut *Justificandus*.

6. Quintum præceptum *Societatum Relationes* instituit, & mutuorum officiorum *fundamentalem obligationem statuit*: Nonum autem de ipsius *Administrationis exercitio*, de *Judiciorum* scilicet justitiâ.

7. Justitia juxta Animi facultates distribuitur, in *Intellectûs justam* æstimationem, *Voluntatis justas Volitiones*, & *Potentiæ* justas *Actiones*. Injustitia itidem est aut *Erroris*, aut *Malignitatis*, aut *Tyrannidis* seu oppressionis, aut Defectuum contrariorum.

8. *Erroris injustitia*, est *censura* seu *æstimatio injusta*. Mentis censura injusta est aut realiter *falsa*, aut reputativè falsa, quando deest *mali evidentia*, & *verum* quidem judicatur, sed minimè notum, aut ex veritatis justâ probatione.

9. Homines censorii, qui sine vocatione, aut sine evidentiâ, aut ex famâ mendace, aut ex incertis, de aliorum causis, actionibus, aut qualitate & statu, temerariè judicare audent, Dei ipsius nefariè jus usurpant, & quâ mensurâ aliis metiuntur, ab aliis itidem ipsis mensum erit: & qui facilè alios condemnant, facilè condemnabuntur.

10. Actionum injustitia, oppressiones, persecutiones, & aliæ injuriæ, ab injustitiâ hac mentali, & injustis suspicionibus, plerumque oriuntur: & privatus aut impotens qui de proximo malè *opinatur*, *virtualiter* eum malè *tractat*. Qui enim injustè alterum *malum esse censet*, injustè eum *ut malum tractaret*, si modò posset, & judicium publicum & executio ad ipsum pertinerent.

11. Nesciunt igitur, proh nesciunt, ipsi oppressi & injuriis affecti, & præcipuè in Religionis negotiis ab aliis dissidentes, dum pessimè de adversariis suis opinantur, quàm virtualitèr & reputativè ipsi itidem sunt aut persecutores, aut crudeles & injusti vindices: & dum animi sui has radices amaras latentes ignorant, proh quantâ in impœnitentiâ & innocentiæ suæ falsâ præsumptione, diu dormitant!

12. Injustitia privati *judicii* ut semper à *voluntatis* culpâ aliquâ oritur, ita & ad malignitatem augendam plurimum conducit. Immo omnis *malignitas* seu *odium injustum*, injustis mentis opinionibus, suspicionibus seu censuris ortum suum debet: Neque injustè alteri malum volumus, nisi quà malo, aut in se, aut nobis, aut aliis. De proximo igitur *bona judicare* seu *sperare*, & *mala* de ipso non *nisi cogente evidentiâ* opinari, est Justitiæ Radix, & Injustitiæ omnis primaria devitatio.

13. Etiam *Plurimis*, & *Piis* etiam contra Proximum non temere credendum est: Plurimorum enim famam sæpissime mendacem esse, quotidianâ fere experientiâ probatum est: & quod unus hodie susurrat, cras mille palàm prædicant: & cætera pii & justi, in rumoribus & calumniis prædicatis recipiendis, etiam & effutiendis & circumferendis, haud raro proh nimiùm audaces & injurioſi sunt.

14. Quando autem ad judicandum de aliis vere vocati sumus, *plurimorum* quidem & maximè *piorum* validissimum est testimonium, sed non quà *famigerorum*, sed ex *visu* aut *evidentiâ certâ* aut *credibili testantium*; re omni probe explorati, & partis utriusque (non unicæ) omnibus æquè auditis & pensitatis; ex probatis scilicet, non ex susurratis & male suspectis de proximo judicandum est.

15. Suspicio autem quæ ad cautelam & mali præcautionem tantùm necessaria est, & ad personam condemnandum non extenditur, sed ad nostri vel aliorum justam defensionem, alîus est rationis, & sub censuræ injustæ genere non continetur: Neque enim aut verbis aut factis ad aliorum injuriam exprimitur, sed tantùm ad nostrum & aliorum peccandi & pereundi periculum devitandum adhibetur.

16. Non injustæ igitur censuræ est, sed rei verissimæ assertio, naturam humanam universaliter depravatam esse censere, & homines omnes esse mendaces & vanos, id est, fallibiles, impotentes, corruptos, partim malos, & ad mentiendum nimis dispositos, & quibus nunquam absolutè fidendum est, sed cum *mutabilitatis* & defectionis suppositione; Quippe quibus mentiri & fidentes fallere, non tantùm *possibile* est, sed & *futurum*; nisi quo minus hoc fiat, stet per gratiosam Dei ipsius præventionem. Maledictus igitur iste à Deo pronunciatur, qui homini

homini fidit, & carnem facit ſuum brachium, & cor à Deo abducit: Neque pœnitens ſeu culpam confitens (ut nonnulli commentatores malè autumant) dixit Davides, Pſal. 116. *Omnes homines eſſe mendaces*; ſed idem quod Apoſtolus, Rom. 3. 4. *Deus ſit verax, homo autem omnis mendax*: ſe in Deum ſolum, non in mendacem, id eſt, fallentem hominem, ſpem ſuam poſuiſſe, profitendo.

17. Homini igitur fidendum eſt ſicut homini, id eſt, inſufficienti, fallibili, inſtabili, quadantenus malo, cum non parvæ diffidentiæ admixtione: Deo ſoli autem ſicut Deo: Neque aliter Lælii aut Ciceronis dicta, de perfectâ Amicorum fiduciâ, abjectâ omni ſuſpicione, interpretari poſſumus, niſi ſumma humanæ infirmitatis ignorantia authori imputanda ſit.

18. At juſta naturæ humanæ accuſatio non magis contra proximum eſt, quàm contra *noſmetipſos*, neque *hujus* potiùs quàm *alterius* opprobrium: At, ut loquitur Seneca, dum *omnes mali ſumus*, naturæ vitium ut commune, non ut cujuſdam ſingulare opprobrium, nuncupandum eſt: Neque *hic præ illo* temerè accuſandus.

19. De diverſis autem diverſe ſentire, prout unuſquiſque magis vel minus veracitatis, pietatis, fidelitatis ſigna edat, & de quorundam ſinceritate minùs fidenter quàm de aliorum cogitare, non famæ aut honori proximi injurioſum eſt. De unoquoq; enim judicandum eſt (quando omnino judicandum) ſecundum veritatis evidentias; neq; contra evidentiam de quocunq; aut bene aut male licet judicare. At omnis *dubitatio* de alterius ſinceritate, aut criminis *ſuſpicio* etiam quando juſta, non juſtam faciet ejuſdem *cenſuram* ſeu *condemnationem*, causâ nondum penitùs exploratâ.

20. Nullibi fere majore & præſumptione, temeritate, & reatu de aliis falſa teſtimonia, cenſuræ & judicia, frequenter & fere ſine pœnitentiâ feruntur, quàm in foro Eccleſiaſtico, de ſtatu animarum, & jure ad fratrum Communionem; etiam per cætera pios, at de præcepti hujus ſenſu nunquam rectè ſentientes. Unde, proh Eccleſiarum lacerationes, ſchiſmata, perſecutiones, & triſtis iſta Religionis Chriſtianæ facies, de quibus quotidie gaudet Diabolus, triumphant Mahumedani, epulatur Papa Romanus, & lachrymantur omnes pii!

21. Zeli ſcilicet & pietatis pars neceſſaria, inſciis hiſce ſciolis eſſe videtur, de proximorum ſinceritate temerè & per ſigna neq; neceſſaria neq; certa judicare; & ex propriis ſuſpicionibus alios non bene notos condemnare; & qui maximè de aliorum pietate dubitat, aut iniquiſſimè pronunciat, is propriæ pietatis & zeli, eò magis ſignum obtinuiſſe præſumit.

22. Peſſima autem *Eccleſiæ conſtitutio* eſt, quæ fit per *Falſa teſtimonia contra proximos*, & injuſtas aliorum cenſuras, quantumvis ſtricta, ſancta, & prophanitatis immunis Eccleſia illa eſſe videatur. Et dum zizania evellentes, triticum evellunt, & ignorantiam, & profanitatem ejicientes, verè fideles etiam ejiciunt, ne Chriſtum etiam cum ſuis quadantenus ejiciant, timendum eſt; & tandem ne Babel ſub nomine Sionis exſtruatur, & ne ex iiſdem principiis inter ſe diviſi, etiam ipſi dividentes male ruant.

23. Ad Communionis autem Eccleſiaſticæ jus, Lex Evangelica nobis eſt Titulus, id eſt, fundamentum Juris; Tituli autem ſeu Juris Conditio eſt *Fidei Chriſtianæ & veræ Pœnitentiæ Profeſſio*: Quia unuſquiſq; præter Deum, eſt Cordis propriæ conſcius ſcrutator & pronunciator, ideo uniuſcujuſq; *Profeſſio* quà talis (ſine aliâ ſinceritatis probatione) coram Eccleſiâ valida eſt, donec falſam eſſe ab alio probetur. Falſitatis probatio fit aut per *contraria verba ejuſdem* magis ſeria & credibilia, aut per *facta contraria*, diſſimulationis ſeu mendacii ſigna, allegata & probata: Probationem hanc publicè, coram Judice idoneo Eccleſiaſtico, parte alterâ palàm auditâ, fieri oportet. Hic verus eſt Communionis Titulus; hæc debita exploratio: Qui aliter ex ſecretis ſuſpicionibus aut ſuperborum præſumptionibus, aut poſtulatione non-neceſſariorum, quaſi neceſſaria eſſent, rem expediunt, per *Injuſtitiam* quaſi *Juſtorum Societatem* ſtruunt, & ex *falſis contra proximos* teſtimoniis, Eccleſiam Deo ædificant, & per animarum injuriam, ad animarum ſalutem, viam ſternere præ ſe ferunt.

24. Ne-

24. Nefanda quidem, quamvis non rara, hujus præcepti violatio est, quando non tantùm personas singulares calumniis quis onerat, sed & plurimos, scilicet aut totas dissidentium sectas, aut gentes: Ita temerarii quidam de Anabaptistis, quidam de Independentibus, quidam de Presbyterianis, de Prælaticis, de Conformistis, de Papistis, & præcipuè plurimi Papistæ, & Prælatici de dissentientibus, & quos vocant, Hæreticis, sæpe nimis inverecundè falsa plurima effutiunt, & fere nil mali de iis dicere quidam verentur. Sicut injustorum bellatorum latrocinia se habent, comparata furtis singulorum; ita & hoc genus calumniatorum se habet ad mendaces adversus hunc aut illum individuum.

25. Omnium autem maximè exosa ista sunt mendacia, & maledicta, quæ contra *Pios*, Religiosos, Deo placentes, Animam-curantes, peccatum-fugientes, bonitati studentes, ex *malignitate* seu inimicitiâ Carnali & Satanica evomuntur. Qualia inter nos hoc sæculo in plurimorum profanorum, ebriorum & malignantium ore quotidie volutantur, dum pios dicunt *Præcisianos*, *Puritanos*, *Zelotas*, *Hypocritas*, (ita enim dicuntur qui factis Deo & æternæ saluti non renunciant per impudentissimos hypocritas, qui Religionis ejusdem quam ipsi profitentur, praxin seriam convitiis insectantur.)

26. Malignitatem etiam pernicioſissimam sapiunt ista Mendacia, quæ contra fideles Christi Ministros Principum auribus ingeruntur, & coram Magnatibus venditantur, ab eorum osoribus, plerumq; à Clero carnali & maligno, & Prælatis Ithacianis; ex livore nimirum & invidia; quia Boni plerumq; meliùs audiunt, & avidiùs audiuntur, & populo in honore sunt, quàm ignari & ignavi quamvis divites & magnifici, animarum proditores.

27. Qui privatim etiam obtrectando aliorum famæ insidiari satagunt, & secretis suis criminationibus eorum honorem labefactare, ubi per absentiam neq; sontes proficere, neq; insontes se defendere possunt; quiq; absentes scommatibus, aut vituperiis lacerant, præcepti hujus etiam non minimi sunt violatores.

28. Crimen semper duplex est *Injustitia:* Alterum quoad *materiale*, sive malum ipsum quo proximum afficimus; & ita in aliis præceptis prohibetur: Alterum *formale*, quo *jus* alterius violatur; & Leges seu limites æquitatis transgredientes, societatis & conversationis ordinem perturbant.

29. Et magna quidem Injustitiæ aggravatio est, quòd Justitia quæ subvertitur, res Divina sit; septum scilicet tyrannidi & iniquitati restringendæ à Deo positum; innocentiæ perfugium, societatis vinculum, bonitatis & nequitiæ publica discriminatio, justorum tutela, grassatorum coercitio, sine quâ Proprietas, pax, amor, in rapinas, homicidia, odium transeunt, cuiq; exercendæ & conservandæ, Magistratus Dei ipsius Ministri ordinantur. Duplex igitur *Injustitiæ* crimen est, quando Justitiæ rejectione & privatione *Mundi ordo*, pulchritudo & harmonia subvertuntur & fœdantur, & quando injusta, latrocinia, fraudes, cædes, sub Justitiæ, rei divinæ prætextu perpetrantur.

30. Quantò malum per injustitiam proximo illatum majus est, tantò, cæteris paribus, ex materiâ, peccatum gravius est.

31. Graviùs etiam per injustitiam peccatur, à *Regibus* quàm ab eorum *Ministris*; à *Judicibus*, quàm ab inferiore magistratu: Quia ubi maxima datur *Potestas*, ibi & maxima *fidei-commissio*, & maxima ad Justitiam exercendam obligatio.

32. Nemo hominum severiorem, à Deo vindice supremo, vindictam expectare debet, quàm Principes, Judices & Magistratus injusti: qui non, ut eorum subditi peccantes, mediatè per homines judicantur, sed se immediate in iræ Divinæ barathrum projiciunt: terribile autem valde est, in Dei viventis manus ita incidere.

33. Eò graviùs etiam peccant *testes falsarii*, quò Deo ipso etiam coram mentiuntur, quasi blasphemantes negarent eum aut cordis scrutatorem esse, aut mendacii & injustitiæ osorem: & sicut Justitiam ejus temnunt, ita ut justitiæ contemptores cum primis etiam in hoc mundo plerumq; pœnas gravissimas dare

dare ſolent; & monumentis eorum digito Numinis quaſi inſcriptum hoc relinquitur; *Diſcite Juſtitiam moniti, & non temnere Numen.*

34. Eò graviùs etiam à *teſtibus* hiſce falſariis peccatur, quò innocentes omni privant remedio: Per teſtes enim cauſa omnis fere neceſſariò exploranda eſt: Juxta teſtimonia judices juſtiſſimos ſententiam ferre oportet: neq; famæ igitur, neq; rerum neceſſariarum neq; vitæ, à malitiâ teſtium aut judicum falſariorum, tutamen plerumq; ordinarium ullum reſtat.

35. Hinc duplici ex ratione juſtorum oppreſſorum cauſam aut defendendam, aut vindicandam Deus ipſe in ſe recipit: & quia Judex ſupremus & juſtiſſimus eſt; & quia ex aliorum injuſtitiâ, cauſæ deciſio in ipſum devolvitur; ut & oppreſſorum appellatione & querelâ.

36. Ex pluribus rationibus & per præcepta plura, *mendacium* prohibetur: *Mendax* enim peccat, 1. Adverſus *Deum*, ejus Omniſcientiam, ſanctitatem aut juſtitiam practicè negando. 2. Contra ſeipſum, dum ordinem & rectitudinem moralem, & linguæ uſum, ſibi ſubvertit, & ſeipſum aliis reddit fallacem cui non fidendum eſt. 3. Contra proximum dum mentiendo ei infert injuriam; & contra Rempublicam, dum verum linguæ uſum ſubvertendo, & homines infidos invicem reddendo, cum fide mutuâ ſocietatis vinculo, ipſam etiam rempublicam & ſocietatem omnem labefactat.

37. Quod de mendacio dicitur, multo magis de Perjurio dicendum eſt; utpote quo perjurus vindictam Divinam in ſe quaſi poſtulando accelerat; & ſæpiſſime etiam ante ſupremum judicium Deum perjurii vindicem experitur.

Cætera in Tabulâ clara ſatis ſunt: & de Perjurio, Mendacio, & caſibus conſcientiæ de iiſdem, & de Injuſtitiâ, in Direct. Chriſtiano pluribus jam tractatum eſt. Hoc ſolum addo, non levibus ex cauſis ab Imperatoribus primis Chriſtianis Epiſcopi impetrarunt, ne *Impii* aut *Infideles* adverſus Chriſtianum aliquem in judicio teſtimonium ferrent, & ne eorum juramenta valida æſtimarentur.

Elucidationes

CAP. XIV.

§. 11. *Decimi Præcepti Decalogi Chriſtiani.*

1. QUÆ de Decimo præcepto dicenda ſunt, plurima jam in Tabula propria, & in Elucidationibus Generalibus, §. 1. dicuntur: SUITATEM ſcilicet prohibet, & AMOREM PROXIMI ſicut ſui ipſius præcipit; & Decalogi Tab. 2. ſummarium eſt, ipſo Chriſto, ut jam dictum eſt, ita id exponente.

2. Partes SUITATIS ex facultatis humanæ triplicis pravitate rectè numerantur, *viz.* SUPERBIA, SUI-AMOR *inordinatus*, & SUI-STUDIUM *inordinatum.*

3. Et ipſa SUPERBIA quamvis præcipuè in facultate Apprehenſiva ſit, ad *voluntatem* tamen (ubi maxima ejus malignitas) & in Praxin ſeu conatum ſe extendit. Et circa objectum itidem triplex ſe exercet, ſcilicet *ſui-magnitudinem, ſapientiam, bonitatem:* ex quibus volunt homines, & *magni* haberi, & in alios *dominari*, & *ſapientes* æſtimari, & aliis eſſe quaſi *Oracula* & *Regulæ*; & *optimi* æſtimari, & ab aliis nimis *Amari.* At hæc non ultrà repetenda ſunt.

4. Quoniam SUITATIS in genere, & SUPERBIÆ, SUI-AMORIS, & SUI-STUDII deſcriptiones non dantur ſub Præc. primi Explicatione, quatenus ſcilicet ſunt immediatè contra Deum; hinc igitur deſumendæ ſunt, ne ſæpius eadem repetantur, quæ non *materialiter*, ſed *reſpectivè* tantùm differunt.

5. Optimè diſtinguendæ ſunt *Bonitatis ſpecies*, ut inde de *Amore* unicuiq; debito rectè diſcernendo judicemus.

6. Sicut

6. Sicut in Deo, ita & in nobis, *Hominem* amare quà *Hominem*, tantum distat ab Amore *Sancti* quà *Sancti*, quantum objecta inter se differunt.

7. Non amat ille *Hominem* quà *Hominem*, qui non amat eum (quamvis adhuc impium) quà naturam habet & Gratiæ & Gloriæ *capacem*.

8. Amor seu *Charitas* est Virtutum omnium Tabulæ secundæ quasi Cor, fons & perfectio: & sicut omnes Actiones verè Bonas ab Amore erga Deum provenire oportet, ita ut à fonte secundario seu cisterna, omnia erga proximum officia, à proximi Amore profluere necesse est: & sine Amore tantùm cadavera officiorum præstantur.

9. Humanitatis igitur & moralitatis simul is maximè Amicus & conservator est, qui aliorum Amorem maximè promovet; & maxime inimicus is reputandus, qui Amorem extinguit.

10. Sicut ii qui *Deum malum* esse blasphemè dixerint, Dei Amorem inimicissimè perdunt, ita qui *Proximum* suum *malum*, id est, aliis pejorem, esse censet, directè & efficacissimè destruit Amorem erga *Proximum*. *Amabilem* enim esse nil aliud est nisi *Bonum esse*: & qui dicit proximum non esse *Amabilem*, plane dicit eum *non Amandum* esse.

11. Obj. *Nonne Deus ipse nos amat, quamvis malos & sui inimicos? Resp. Amare* dicitur proprie, qui in alio *Complacentiam* habet: & ita Deus neminem amat nisi quatenus *Bonum*. Bonitas enim est *Amoris formale objectum*, sine quo *Amor* esse in actu non potest. Et ita Deus neminem Amat, nisi quà Bonum. In *malis* enim est *Bonitas Naturalis*, *Intellectus*, *Voluntas*, *Potentia-Vitalis*; unde sunt *Capaces* Deum amandi, Deo serviendi, &c. & in tantum sunt *Amabiles*. At *Amare* etiam impropriè, metonymicè scilicet, dicitur, qui *alicui bene vult*, ut *ipsi bene sit*; Quod dicitur *Amor Benevolentiæ*; & re verâ est *Benevolentia* quæ *Amoris* strictè dicti *fructus* est, aut antecedens. Et ita quidem *Deus* nondum creata, id est, nihil *Amare* dici posset; Quia ab æterno voluit omnia creare, & omnia valdè bona facere, id est, verè Amabilia. Et ita si potestas nobis daretur, aut creandi, aut malos in bonos efficaciter convertendi, Optimos & Amabiles homines crearemus, & pessimos in optimos mutaremus, & ita verè Amabiles faceremus.

12. Charitatis maximi inimici & perditores, sunt, 1. Homines sese nimiùm æstimantes, sibi nimiùm adhærentes, & studentes: 2. Qui regulas de aliis judicandi falsas sibi fingunt, & Principia Amori inimica, aut gratiâ SUITATIS, aut sub prætextu PIETATIS in seipsis fovent.

13. Maximi igitur Charitatis & consequenter humanitatis, moralitatis & Christianissimi Amici sunt, homines amantes, mites, pacifici, qui contentiosorum animos placare student, & principia & veritati, & sanctitati, & Amori, paci, unitati amica, & retinent, & propagant, & propugnant: & è contrà Amoris maximi sunt inimici, qui partibus studentes, & *Veritatis*, *Sanctitatis* & *Gloriæ Divinæ* zelum prætendentes, Principia hæc & dogmata Pacifica, conciliatoria, quasi tepiditatem, indifferentiam, & carnalitatem sapientia, & ad syncretissmum malum adaptata, convitiis & criminationibus onerant, oppugnant.

14. Sapientia, zelus & pietas terrena, sensualis, diabolica, ex notâ hac, à sapientia, zelo & pietate verè divinâ, dignoscitur, quòd prior se ipsam extollit, alios deprimit, contentiones suscitat, amorem & pacem extinguit & lacerat: Posterior verò seipsum deprimit, proximum honorat, lites sopit, amorem studiosissimè accendit, Ecclesiæ & fratrum unitatem & concordiam summo zelo, nisu & constantiâ conservat; Jacob. 3. 15, 16, 17.

15. De Amore cætera quærantur in Tab. & in Direct. Christ. & in Libro dicto de *Vita Fidei* cap. 25. p. 3. de Amore erga alios: ubi pluribus de hisce jam dictum est.

Elucidationes

Elucidationes

CAP. XIV.

§. 12. *Præc. Decimi Sect. 2. & 3. de Justitia & Amore sui ipsius debito.*

1. *Justitia* quatenus SUITATI contraria, & in AMORE eminenter (ut in perfectiore) contenta, in decimo præcepto imperatur.

2. Justitia æque omnibus debetur, (suum enim cuiq; reddendum est): At *Amor* quidem omnibus, sed non æque, sed magnâ diversitate secundum differentias Amabilitatis.

3. Sicut *Amori Divino Obedientia omnis*, ita & *Amori proximi Justitia omnis*, eminenter inest.

4. Qui Proximum sicut *seipsum Amare* debet, ut *seipsum Amet* præceptum esse semper præsupponitur. Et quamvis *Amor Vitæ & Voluptatis sensitivæ*, homini *naturalis & fere necessarius est*; *Objecti* tamen vere *fœlicitantis Amor*, *Dei*, scilicet, *sanctitatis & Gloriæ Cœlestis*, adeo *non necessarius* est, seu *merè Naturalis*, quin eum *juberi* & divinâ Gratiâ & mediis omnibus *promoveri*, & conservari, opus sit.

5. Sicut ex inordinato carnali sui-amore, iniquitas omnis & pernicies ortum ducunt; ita & ex *ordinato & spirituali sui-amore* plurima præstantur officia, sine quibus ad fœlicitatem perveniri non potest.

6. Animarum enim incuria, & neglectus, in impiis & obduratis tantus est, ut insano tali videantur convenire qui seipsum summo odio habet, & sui perditionem & miseriam percupit; nec pejus quidquam sui osor infensissimus, contra propriam salutem, & ad maximam sui miseriam summo suo studio facere potest, quàm peccatis delectari, Deum, Cœlum, Christum, media salutis, negligere & spernere; Neq; Diabolus ipsi peccatori viam certiorem & media magis efficacia ad damnationem suam potest ostendere aut imperare.

7. Tantus est in impiis omnibus etiam Amoris-sui ordinati defectus, ut inde fiat quòd per rationes clarissimas, hortationes vehementissimas, per media deniq; omnia à Deo ipso ordinata, se persuaderi non sinant, ad tantam erga Animas suas, id est, seipsos, misericordiam exercendam, quantam ad vitam proximi, immo inimici, conservandam exercere debent; aut quantum etiam homines ferociores erga corpora aliorum adhibere solent. Et qui totis annis quotidie ad fatigationem laborabit, pro vitæ corporeæ rebus necessariis; ad Animæ tamen salutem obtinendam, vel minimam fere diligentiam quasi nimiam existimat. Et qui noxia quamvis dulcia devitabit, ingrata vorabit, immo sanguinem & membrum aliquod amittet, ad vitam conservandam; vix Dei, Pastoris, amicorum suasione, vel ludum, vel spectaculum, vel cibum, vel poculum prohibitum, ob Animæ suæ salutem devitabit.

8. Immo ipse Diabolus nemini malorum tantum nocet, aut nocere potest, quantum ipse sibi: Neque omnes peccatoris inimici, & Infernales, & terreni, ad ejus sempiternam miseriam tantum præstant, nec ipsum tantis periculis, damnis, nocumentis obruunt, quantum ipse seipsum: Idq; suâ sponte, immo obstinatè, nemine cogente, at animæ ejus amatore unoquoq; frustra renitente.

9. Diaboli enim, seductores, tyranni, non nisi per modum terroris, aut deceptionis, aut blanditiarum, hominem ad peccandum allicere tentando possunt; Cogere autem non possunt: At ipse peccator ex cordis concupiscentiâ actu malum ipsum perpetrat, & efficaciter id ipse facit, quod Diabolus tantùm suadet.

10. Hypocrisis igitur, & contradictio omnium impiorum communes sunt; Qui *misericordiam* quotidie à Deo rogitant, & misericordiæ ipsius se confidere profitentur, dum nullam erga seipsos misericordiam exercere volunt, sed manibus crudelibus, suas animas perdere, quotidianum & jucundum ipsis opus est.

11. Et, proh quàm miseranda res est simul audire, & *Peccatorem* Deum supplicare, & precibus sollicitare, ut misericordiam ipsi salutarem concederet; & frustra Deum per Preçones suos peccatorem itidem enixe sollicitantem, ut misericordiam suam non sperneret, sed Beneficia salutaria gratis oblata accipiat! Non Deus proculdubio hypocritam agit; ergo peccatores hi hypocriticè gratiam salutarem dum nolunt, dum rejiciunt, aut ignoranter, aut formaliter efflagitant.

12. Hinc constat quàm justè pereunt impii peccatores, qui nulla privantur fœlicitate, nisi quam nollent, aut nisi ipsis repudiantibus: & quàm justè à Deo odio habentur, qui seipsos effectivè tantùm odêrunt. Et quàm justè misericordiam frustra efflagitant, quam accipere argumentis nullis adducentur.

13. Hinc quoq; constat Misericordiæ Divinæ salutaris, & Christi salvatoris, hoc maxime & arduum & necessarium opus esse, *Hominem* à seipso penitus liberare, & servare; à suâ scilicet Ignorantiâ, suâ Infidelitate, superbiâ, sensualitate, præsumptione, hypocrisi, &c. Major quidem hæc operis salutaris pars est, quàm ob omnibus Diabolis & inimicis nos liberare.

14. Hinc patet etiam quantillum sibi debet peccator, & quantillum in se gloriari eum decet, qui gratiæ salutaris fit particeps; cum nemo magis effectivè salutis ejus inimicus fuit.

15. Hinc itidem constat, quò vires suas & conatus maxime intendere eum oportet qui suæ saluti optimè prospiciet: ut scilicet à seipso servetur, inimicorum suorum omnium periculosissimo: & qui salvus est à seipso, per Diabolos aut homines alios ne pereat, nullus timeat.

16. Hinc etiam patet, quàm æquum, congruum & rationabile est, Peccatores ad Deum convertendos esse per modum *humiliationis, contritionis*, & contra se indignationis: & quantum *superbus* omnis, & impœnitens, à vero sanctitatis statu distat.

17. Hinc etiam constat cujusnam præcipuè usus sunt & S. Scriptura, Ministerium Evangelicum, & omnia salutis media fere à Deo instituta: Peccatores scilicet à seipsis liberare, & servare.

18. Hinc etiam constat quomodo media hæc omnia salutariter sunt utenda: Qui orat scilicet, contra seipsum sui inimicum, pro seipso ut oret summe necesse est: Ita etiam legat, ita audiat, ita meditetur, ita cum aliis colloquatur, ut qui à seipso mala maxima metuit; quique à seipso liberari summe cupit; ut omnia audita, lecta, meditata, ad usum hunc præcipue applicet.

19. Hinc patet etiam quibus modis diaboli & ejus ministri animis nostris perdendis insidiantur; consensum scilicet nostrum, nostram operam ad perditionem nostram procurando; sine quo omnes animarum inimici, & oleum & operam omnem suam perderent.

20. Deniq; hinc patet, quàm rationabile, congruum & necessarium est, ut homini ad Deum redituro & jam converso, opus aliquod ad salutem suam obtinendam incumberet: Homines etenim naturaliter sui-amantes, qui contra naturam, se inimicissime perdiderunt, ut ad se redeuntes, se tandem sui-vere-amatores præstent, & tantum saltem ad suam fœlicitatem faciant, quantum ad miseriam suam fecerunt, aut saltem laborem nullum nimium æstiment, quo saluti suæ posthac optime prospiciant, omnino convenit.

21. Quando Deus peccatorem conversurus, media adhibet, *Amore sui* naturali utitur, quo congruè eum ad instructiones recipiendas, pœnas timendas, & officia deinde præstanda, ducat: nisi enim homo necessariò se amaret, frustra

de

de præmiis, de pœnis, de fœlicitate, de miseria, de fine, & de mediis, illi sermo haberetur: & hominis conversio foret ipsius speciei mutatio.

22. Ut Amori igitur naturali bene ordinato, spiritualium Amor prædominans addatur, est ipsum opus veræ conversionis, à Deo scilicet & concionatore intentum.

23. Hoc fit peccatori efficaciter ostendendo, quid ipsi revera optimum est, & quid optimum in se; & ab Amore naturali sui ipsius incipiendo, ad finem primò rectè expositum, deinde ad media eligenda voluntatem prius perversam revocando, & quasi emortuam suscitando; & deniq; ad Deum supra se elevando.

24. Si enim homo non sui Amator necessario fuisset, & ad Bonum quà Bonum, voluntas non propenderet, Gratiæ capacitas Naturalis, per peccatum amissa esset, & homo fundus semini sancto recipiendo aptus, vix magis quàm bestia haberetur. Deus itaq; sapientissimus, & ordinis observantissimus mundi Gubernator, dum in unumquodq; juxta propriam naturam operatur, in hominem itidem operatur [ut in animal intellectuale, necessario se Amans, media libere eligens, at à fine supra se Ultimato (Deo) nimis delapsum, & Boni etiam ad fœlicitatem propriam verè conducentis, ignarum, simul & inimicum]. Ideóque ad peccatoris conversionem non opus est, ut jam primùm seipsum amare, & sui fœlicitatem velle, discat: sed [ut se amando, Ratione potiùs quàm sensu de Bono & Malo judicet, & Animam magis quàm carnem curet, & futuram fœlicitatem præsentibus voluptatibus sensualibus anteferat, & Deum esse Bonum Infinitum ideoq; summe Amabilem & Amandum practicè intelligat, & in Deo perfectè & perpetuò in Cœlis Intuendo, Amando, Obediendo, verissimam & unicam sitam esse fœlicitatem; Deumq; ideo Amandum esse totâ mente, toto corde, totis viribus, & quia Illum ita Amare est unica fœlicitas, at præcipuè quia est *Optimum in se*, à quo, per quem & ad quem sunt Omnia,] Hæc vera & *Corruptionis*, & *Renovationis* seu *Sanctificationis* est descriptio.

25. Hinc etiam vel ipsis peccatoribus non tantùm *æquas* sed & *amabiles* salutis conditiones, Leges & Media omnia æstimari fas est: Nil etenim à Deo nobis prohibetur, nisi quod nobis ipsis & aliis noxium est: nil itidem jubetur nisi quod nobis ipsis & generi humano vere Bonum est: & quod maximè jubetur nobis maximum Bonum est: & in quantum Homo Deum, & sanctitatem deserit, in tantum deserit sui ipsius Commoda, Gaudia, gloriam & fœlicitatem; & in miseriarum barathrum seipsum præcipitat, quicunq; à Deo seipsum alienat.

26. Et revera Quantumcunq; & Quandocunq; homo *Deum* quà *Deum* sincerè Amare, eique Amando & obediendo Placere aut intermittit, aut desistit, tunc & tantundem *Amoris* sui ipsius exercitium saltem intermittit ab eoque desistit.

27. Hinc patet quantâ alacritate, quantâ animi constantiâ, quanto denique gaudio, pios omnes Deum Amare, & quærere, Deo adhærere, servire & se totos summâ fiduciâ devovere, oporteat: Quámque facile & jucundum hoc nobis jure videretur: Quum *Fines* omnium maximè *Attractivi* utpote *Optimi*, *Deus* scilicet, & summa nostra & *perpetua fœlicitas*, Voluntatem simul semper trahant, & *Principia Potentissima*, *Amor* scilicet *Divinus* erga nos, & in nobis *Amor Dei* & *Nostri* effectivè simul cooperentur; & ad media eligenda, Legis Divinæ *Lumen Regulans*, cum *Rationis* per *Fidem elevatæ* Lumine percipiente, sicut solis & Oculi, simul ad Intellectum dirigendum coeant! O quàm miranda Sapientiæ Divinæ sunt Opera moralia! Quam pulcher rerum omnium moralium Ordo! Ordo sapientum animis delectabilis est *Moralitatis*, non minùs quàm rerum *Naturalium* Harmonia! & quàm turpiter quidam de hac Harmoniâ, & de hoc ordine morali, SAPIENTIÆ Divinæ semper mirando opere, tenuiter & diminutivè loquuntur; quasi de re nihili, ut scilicet Robur seu *Potentiam Divinam* satis magnificare sibi videantur; Quasi

in *Divinis* foret *inæqualitas*; aut ex *sacrilegio* sacrificium *Deus* æquè *Sapientissimus*, *Optimus* ac *Potentissimus*, amaret.

28. Tanti ad Hominis salutem est Verus sui ipsius Amor, ut, ni fallor, ne Unum indigitare quis potest, qui debitè & rationabiliter sese amavit, & Animam propriam debitè curavit, & suam veram fœlicitatem debitè quæsivit, qui in æternum periit, aut à fœlicitatis spe decidit.

29. Hinc etiam patet & *quibus studiis*, & *quantâ spe*, verbi Divini Concionatores, & Parentes & Amici, peccatorum salutem & conversionem quærere debeant. Amor scilicet sui ipsius suscitandus est & dirigendus: Neque de quoquam desperandum est qui *seipsum amat*, dummodo quid sibi *utile* & *bonum*, quidque ad propriam fœlicitatem conducat, docere eum possibile sit. Ideoque à peccato, ut à veneno, sibi malo, pernicioso, eventum scilicet futurum præmonstrando, avocandus est.

30. Ideoque qui peccatori *benefacere* studet, quòd vere ipsi *bene velit*, prius ei cognitum facere oportet. Bona enim ab animo inimico offerri, non facile creditur; ab amico autem oblata amica faciliùs æstimantur. Fructus Amoris prompte gustamus; odii, livoris aut iracundiæ non itidem.

31. Ut peccator autem *suum Bonum* recte percipiat, duo simul omnino sunt necessaria: Primum, ut *Meliora* immo *optima*, quæ peccando amittuntur, & à sanctis obtinentur, ipsi clarè patefiant, & ab ipso fide percipiantur. Alterum vero, ut voluptatum carnalium dulcedinem brevem, vilem, contemnendam, & sequentem amaritudinem & miseriam, propinquam, certam, maximam, perpetuam futuram esse ipsi demonstretur: & in hisce duobus stat maximum concionatoris & amici opus: & de hisce imprimis ad suam salutem unicuiq; sæpissimè meditandum incumbit.

32. Ad prius autemc oncionatoris & amici opus spectat *Immortalitatis* certitudinem aperire; Gloriam Cœlestem, Bonitatem & Amorem Divinum, Beatorum fœlicitatem, Christi Gratiam, Spiritûs S. auxilia & consolationes; & mediorum omnium bonitatem, audientibus certa aut summe credibilia reddere; Ideoque Verbi Divini certitudinem & probare & inculcare.

33. In opere hoc qui peritissimus est, is optimus est concionator.

34. At qui ipse *Fidem* non habet, & per *Amoris Divini* exercitia has dulcedines spirituales minimè gustat, plerumque aut frigidus verba frigida & emortua de maximis hisce fundit; aut saltem dum histrioniam agit, affectationis & hypocriseos ejus apparentia facit, ut verba etiam sonora non magis ad homines afficiendos utplurimum valeant, quàm ventorum sonus aut aquarum murmur.

35. Ad alterum verò non sufficit, ut per mera verba voluptates carnales vituperentur; quamvis efficacissime, etiam ad audientis fidem: nisi porrò esca à sensibus, quantum fieri potest, amoveatur. Sensus etenim, appetitus & phantasia, non semper cum ratione, & sub ratione agunt, sed & contra rationem; & motu quasi bruto & naturali rationi repugnant: & dum sensibus *adest* voluptatis materia, fere frustra de periculo aut crimine declamatur; donec bene moratus mortificatione & usu fiat ipse appetitus, & meliora animum ad sanctum habitum duxerint. Immo & sanctissimis periculosa est escæ proximitas; & fomes summâ diligentiâ amovenda; Quia nemo diu tutus periculo proximus.

CAP.

CAP. XV.

III. *De EVANGELIO in formulâ latissimâ*, viz. *SACRIS SCRIPTURIS:*

I. AUTHORITATIS SCRIPTURARUM considerandæ sunt

- I. CAUSÆ vel AUTHOR, *viz.*
  - I. Principalis, DEUS qui est,
    - 1. Pater,
    - 2. Filius, Verbum,
    - 3. Spiritus Sanctus,
      - 1. Quædam per se, quædam per Angelos; Omnia per *Spiritum Sanctum fecit.*
      - 2. Facta & dicta plurima per se; Scripta per *Spiritum Sanctum fecit.*
      - 3. Factorum & dictorum plurimorum; Scriptorum omnium.
  - II. Instrumentales,
    - 1. Angeli,
    - 2. Homines,
      - 1. Veteris Testamenti, vel ante Christum,
        - 1. Moses.
        - 2. Prophetæ.
        - 3. Sacri Psalmistæ.
      - 2. Post Incarnationem Christi, *viz.*
        - 1. Apostoli.
        - 2. Prophetæ.
        - 3. Evangelistæ.
- II. GRADUS, *viz.* diversus quoad partes diversas,
  - 1. Ut medium ad finem, à Deo adaptatum.
  - 2. Ut Systema doctrinarum & prophetiarum, Legum, fœderum,
  - 3. Ut hæc ad Ecclesiæ usum sacris literis mandantur.

  Ità Sacra Scriptura est,
  1. Divina Eminenter,
  2. Infallibilis,
  3. Perfecta.
  - At 1. Facta & dicta recitata sunt quædam Divina, quædam Angelica, humana, immo diabolica quædam.
  - 2. Memoriam Testium de factis & dictis, ità adjuvabat Spiritus Sanctus, ut tamen modo humano ad historiam sacram conscribendam, sensibus suis & memoriâ hi Testes usi sint.
  - 3. Phrasi, stylo & methodo variis, scriptores (etsi auxiliante Spiritu Sancto) secundùm uniuscujusque ingenium usi sunt: Perfectio ideo Divina in hisce non expectanda est.

  Sicut Anima humana, ità S. Scripturæ Anima est modo eminentiore Divina: Corpus verò etsi Divinitùs, tamen & humanitùs, & quasi ex traduce est.
- III. EVIDENTIÆ: Quæ sunt SPIRITUS S. Testimonia: & hæc sunt Evangelio
  - I. Primaria: *viz.*
    - 1. Antecedentia: per Veteris Testamenti Prophetias, Typos, Sacrificia, &c.
    - 2. Inhærentia & Concomitantia: *viz.* Imago Divina, 1. In Christo, 2. In Evangelio, *viz.*
      - 1. Divinæ Sapientiæ; in mysterio Redemptionis, fœderis, Legis, &c.
      - 2. Amoris; in mirabili Amoris Divini expressione, & humani postulatione.
      - 3. Potentiæ; in Miraculis, transfiguratione, resurrectione, ascensu, &c.
    - 3. Subsequentia: per opera sanctificationis in omnibus verè Christianis.
  - II. Secundaria: *viz.* Apostolorum & Ecclesiæ primæ Testimonia de Christo & ejus verbis & operibus: Quæ sunt
    - 1. Testimonia sanctorum maximè credibilium.
    - 2. Et Testimonia Evidentiâ naturali certa.
    - 3. Testimonia, per renovata Dei ipsius Testimonia, valida: *viz.*
      - 1. Per Dei Imaginem in eorum Personis & Doctrinâ.
      - 2. Per eorum Miracula & dona mirabilia.
      - 3. Per auditorum eorum item eminentem sanctitatem.
  - III. Tertia: Ecclesiarum omnium Testimonia, de Apostolorum doctrina, Sanctitate & Miraculis: Quæ sunt,
    - 1. Testimonia plurimorum Sanctorum summæ humanæ credibilitatis.
    - 2. Testimonia per Evidentiam naturalem certissima.
    - 3. Attestata etiam per nova Testimonia Divina, Ecclesiarum Testimonia addito.

II. FINIS,
- 1. Neg.
  1. Non esse primum medium, facta, doctrinam & fœdus Christi, prædicandi.
  2. Neque medium ullum primarum Ecclesiarum vocandarum; (Diu enim antea vocatæ sunt.)
  3. Neque posteris medium unicum fidei Christianæ recipiendæ: (Plura enim jam dicta extant.)
- 2. Affirm.
  1. Ad conservationem perpetuam, 1. Verborum, 2. Doctrinæ, 3. Ecclesiarum.
  2. Ad facilitatem, 1. Communicationis & scientiæ, 2. Fidei, 3. Praxeos.
  3. Ad Universalitatem, 1. Fidei, 2. Unionis Christianæ in Sacris, 3. Usus; ad Ecclesiæ regimen.

  Tabulæ etenim memoriales sunt, Sacræ Scripturæ, intelligibiles, certæ, perpetuæ; divina illa mortalibus significantes, quæ labili memoriæ hominum corruptorum iniquorum, infidorum, mendacium, mandari non oportebat. Quoniam scilicet Res contentæ
  - sunt,
    1. Mysteria, & non parvæ difficultatis.
    2. Necessariæ, & pretiosissimæ; ideoque summâ cautelâ præservandæ.
    3. Plurimæ: Integra scilicet doctrina Sacra & Lex Divina; apices etiam minutissimos continens.
  - Item,
    1. Hæretici, corruptores & hostes sunt plurimi, subtiles & perfidi.
    2. Pastores Ecclesiæ sæpe nimis mali sunt, infidi & contentiosi.
    3. Et Populus Christianus per orbem dispersus, plerumque nimis ignavus, & seductorum sequax.

III. CONSTITUTIO SACRÆ SCRIPTURÆ continet

I. MATERIAM: Quæ est

I. In Tota: Religionis Christianæ, 1. Essentialia, 2. Integralia, 3. Accidentia universaliter necessaria.

II. In Partibus,

1. Hyperphysica & Physica; de Naturâ scilicet,

I. DEI: In Unitate essentiæ, & Trinitate Principiorum & Personarum.

II. Creaturarum, *viz.*

1. Hominis, *viz.*
1. Quoad Partes, 1. Animum, 2. Corpus.
2. Partium, 1. Unionem, & Originem ejus; 2. Usum,
3. Finem.

2. Aliarum, in quantum earum notitia homini congrua est & utilis; *viz.*

I. Invisibilium
1. Spirituum Intellectualium
1. Bonorum, Angelorum.
2. Malorum, Diabolorum.
2. Eorum habitationis.

II. Visibilium
1. Cœlestium; ut solis, Lunæ, syderum, &c.
2. Inferiorum
1. Animatorum
1. Aereorum.
2. Aquatilium.
3. Terrestrium.
2. Inanimatorum

II. De FACTIS:

I. Futuris: PROPHETIÆ quamplurimæ.

II. Præteritis: Historia: *viz.* Factorum

I. Dei, ubi sunt

1. Creatio Cœli & Terræ; id est, 1. Chaos, 2. Formatorum, 1. Elementorum, 2. Mixtorum (ut ante.)

2. Providentia,
1. Circa omnia, 1. Sustentatio, 2. Gubernatio ad finem.
2. Regimen Intellectualium speciale, *viz.* 1. Angelorum, 2. Hominum.

1. Per

1. Per operationes, 1. Potentiæ, 2. Sapientiæ, 3. Amoris.
2. In relationibus, 1. Domini, 2. Rectoris, 3. Benefactoris vel Amatoris.
3. Per actus, 1. Disponendi, 2. Regendi, 3. Benefaciendi.

I. In statu Naturæ innocentis, &c.

II. In Regno Gratiæ
- 1. Sub Promisso, *viz.*
  - 1. Universali,
    - 1. Ad Adamum.
    - 2. Ad Noachum.
  - 2. Particulari, *viz.*
    - 1. Ad Abrahamum & semen ejus.
    - 2. Sub Mose & Lege Israelitica.)
- 2. Sub Christo Incarnato, ubi Evangelium.

(Ubi Historiæ plurimæ particulares sunt, de beneficiis & judiciis Divinis.)

II. Hominum, 1. Benefactorum, 2. Peccatorum; & consequentium jam descriptorum, *viz.* sub omnibus seculis & Periodis jam dictis: Ubi & historiæ hostium Ecclesiæ coincidunt.

III. ETHICA; sive de JURE, & MORIBUS, & RETRIBUTIONE sub ratione DEBITI: de quibus copiose dictum est in præcedentibus & sequentibus.

II. FORMAM S. Scripturæ, quæ duplex est; ut dupliciter consideratur, (nomen æquivocum distinguendo.)

I. Quà VERBUM DEI, ejus FORMA seu Principium Potestatis est RELATIO ejus ad Deum Authorem; unde ejus Authoritas, quæ est S. Scripturæ Anima; *viz.*
1. Quod sit Dictatum per Spiritum Sanctum, *viz.* per ejus Inspirationem.
2. Quod Imaginem Sanctissimi Authoris continet, —*viz.* Divinæ
   1. Potentiæ.
   2. Sapientiæ.
   3. Bonitatis.
3. Quod per Operum Divinorum sigillum obsignatum est.

II. ORDO PARTIUM & earum Relatio inter se & ad Finem, est *Forma Systematis*; ubi concurrunt,
1. *Ipse Finis*, ante descriptus.
2. *Materiæ plenitudo*; Quippe continet Religionis Christianæ, non solum, 1. *Essentialia*, 2. Sed & *Integralia* omnia, 3. Et *Accidentalia*, quæ ad Doctrinæ & Legis Universalis perfectionem pertinent.
3. Partium, Unio Relativa; non tantum quippe
   1. Ab uno efficiente spiritu provenientium; & quæ
   2. Ad eundem finem collimantur, & in eodem Centro conveniunt; sed etiam
   3. Inter se ita coaptantur & compaginantur, ut ad finem illum optime cooperentur.

De quo Ordine hæc pauca hîc notentur,
1. Quod *Lex naturæ* apte antecedit *fœdus Gratiæ*; Quæ ut *Naturæ Medela* apte sequitur.
2. Promissa cum typis apte Incarnationem Christi antecedunt.
3. Fœdus particulare Israeliticum, ut Amoris Divini specimen egregium, apte Fœdus Gratiæ universale cum humano genere in Adamo & Noe sequitur; Ut mundus semi-apostaticus in speculo hoc Amoris Divini, pœnitentiæ viam ad Gratiam perspiceret.
4. In Regimine *Naturæ*, *Divina Potentia*, in Regimine Promissi & Legis *sapientia*; & in Regimine *Evangelico* Spiritûs Sancti, *Amor Divinus* eminet (quæ in Gloriâ perfectè elucebit.)
5. Et in *Veteri Testamento*, [*Potentia* in *Mose* [*Sapientia* in Prophetis] & sanctus Amor in Psalmistis] & hagiographis, comparativè maxime declarantur.
6. Ubi desinit *Historia*, congruè incipit *Prophetia*: &, ut probe intelligatur quid de futuro expectandum est, *Prædictiones Promissoriæ*, *minatoriæ* & *Prophetica* librum claudunt; una cum præceptis & monitis necessariis, ad futuras tentationes devincendas, & ad pericula præmonstrata devitanda; & ad discipulos Christi ad mortem, judicium extremum & statum sempiternum probè præparandos.
7. Omnes autem partes optime consentiunt; *Unum* scilicet *Christum*, *unum Spiritum Sanctum*, *unum Deum*, hominis *Creatorem*, *Ducem*, *Amorem* seu *Finem*, harmonice prædicant.

Quòd autem Minora etiam plurima continet, minoris etiam claritatis & usus, quàm summulæ ante-descriptæ, & fœdus Sacramentale; hoc ad S. Scripturæ *Perfectionem* pertinet; sicut ad *Hominis perfectionem*, ut non tantum omnia *Essentialia* habeat & *Integralia*, sed & *accidentia* naturalia, crines nimirum & ungues ad ornamentum ipsi minimè desint. Tantum abest ut horum aut parvitas aut obscuritas in dedecus S. Scripturæ cedat.

Elucidationes

Elucidationes

CAP. XV.

De Sacris Scripturis.

§. 1. DE sacris Scripturis, de earum authoritate, & perfectione, neque plùs, neque minùs dicere quàm res ipsa feret, nec de Verbis Veritatis falsa promere, fidei & Ecclesiæ Christianæ plurimùm interest.

2. Contra Atheos, Infideles, & Papistas *disputantes*, S. Scripturas parvi pendentes, aut ab earum authoritate & perfectione detrahentes, *juste perstringunt*: At contrarii erroris periculum per æstum disputationis, haud facilè omnes percipiunt.

3. Sacris Literis minùs quàm par est isti tribuunt, qui aut *Deum Authorem* esse negant, aut earum *Veritatem*, aut ad usum proprium *Perfectionem*, aut *Veritatis Evidentias*, non agnoscunt.

4. Ab hisce, ipsi Fidei Christianæ fit injuria; Infidelitati ostium aperitur; Dum de Regulâ credendi & vivendi dubitatur, hæreses & enormitates facilius propagantur; Tyrannis Ecclesiasticis via sternitur, ad Leges & Canones suos multiplices sine authoritate ecclesiis obtrudendos; & novis fidei articulis, novis Sacramentis, novo cultui, novis ceremoniis semper introducendis, aditus præbetur: Immo nulla Religionis speranda est consistentia aut stabilitas, dum novas subinde particulas cudere superstitiosis & superbis licebit: Nulla ecclesiarum speranda est concordia, dum medium concordiæ unicum rejicitur; & dum Tyrannus aut hæreticus unusquisque sui cerebri commenta, ut necessarium concordiæ centrum aut conditiones obtrudet: Et indè tot centra, & tot ecclesiarum fractiones & factiones erunt, quot Tyranni Ecclesiastici, aut Tyrannorum conciliabula. Hæc omnia isti faciunt, quicunque veram S. Literarum authoritatem & honorem deprimunt.

5. S. Scripturæ autem hi omnes nimiùm tribuunt; 1. Qui nullam dicunt ante sacras Literas, Dei fuisse ecclesiam; Nullam fidei aut vitæ infallibilem regulam. 2. Qui neminem fore salvum afferunt, in Deum & Christum credentem, ex prædicatione ministrorum, & traditione ecclesiæ (per symbolum, &c.) nisi formaliter ex authoritate S. Scripturæ credat. 3. Qui omnia in S. literis contenta, ad uniuscujuscunque salutem simpliciter necessaria esse dicunt; Quasi particulam aliquam S. Scripturæ aut nescientem, aut non credentem damnari certum foret; unde nemo hominum salvaretur, dum omnes plurimas S. Scripturæ partes quoad *sensum*, si non quoad *Verba* nesciunt. 4. Qui de libro aliquo Canonico dubitantem damnant; *viz.* Lutherum, Althamerum & alios qui de Jacobi Epist. & veterum non paucos, qui de 2 Pet. Jac. Jud. 2 & 3 Joh. Epist. ad Hebr. & Apoc. dubitarunt. 5. Qui S. Scripturas & Grammaticæ, & Rhetoricæ, & Logicæ & Physicæ, & Politicæ, Regulam esse particularem, sufficientem & perfectam asserunt. 6. Qui libros nullos præter S. Scripturas legendas esse statuunt, propter earum scilicet perfectionem; sed omnes sicut Ephesiorum libros, comburendos. 7. Qui Deum ita suam sapientiam in S. Scripturarum omni *phrasi*, *verbo* & *methodo*, exeruisse asserunt, ut etiam per Divinam *Omniscientiam*, ad *ejusmodi perfectiones* nihil omnino addi potuerit. 8. Qui *Methodum* omnem & *phrasin* tam purè & plenè *Divinas* esse asserunt, quàm ipsa *Veritas significata*, etiam fœdus ipsum evangelicum. 9. Qui in *phrasi* aut *methodo* nihil omnino *humanæ Imperfectionis* ostensum esse asserunt. 10. Qui *partem quamlibet* (& non tantùm *totum*, aut *partes nobiliores*) esse *pure Divinam*, *suâ luce*, *dignosci* aiunt, sine traditione, historia, aut subsidio aliquo humano: scili-

ces

cet Legis ceremonialis, politicæ, historiarum, numerorum, Genealogiæ, Chronologiæ, Prophetiæ particulam unamquamque. 11. Qui librum omnem Canonicum à non Canonico satis dignosci aiunt eâdem luce propriâ, sine subsidio historico. 12. Qui fidelibus nullam aliam S. Literarum probationem offerendam esse dicunt, præter *Lucem propriam*, & Spiritus sancti de eis dictamen. 13. Qui de *Infidelibus ipsis* idem dicunt; & omnem *Ratiocinationis* usum ad fidem generandam damnant. 14. Qui sine interprete ipsis illiteratis, codicem sacrum Hebræum & Græcum ad sui ipsius sensum patefaciendum aiunt satis esse. 15. Qui Omnes S. Scripturarum & manuscriptos & impressos codices esse incorruptos asserunt; Quasi Deus unicuique & Scribæ & Typographo infallibilitatem concessisset (etiam Typographo Regio qui septimum præceptum reddidit, affirmativè [*Thou shalt commit adultery: Mœchaberis*] referente Heylino in Vit. Laudi.) 16. *Qui unum aliquem codicem* nobis notum, jam omni scribarum & Typographorum mendâ vac[illegible]m, ab omni errore immunem esse dicit. 17. Qui dicunt in tanto variarum Lect[illegible]um numero, certitudinem nobis manere de omnibus, quæ scilicet vera, quæ falsa sit: Et inter omnes Codices variantes, quis solus ad primi exemplaris perfectionem proximè in *unâquaque particulâ* accedit. 18. Qui omne Rationis humanæ judicium, in S. Literis interpretandis, aut noxium aut inane esse clamitant: Quasi aliâ aliquâ facultate judicante præter Rationem, sanctorum aliquis esset præditus? Aut fides non esset facultatis ratiocinantis habitus & actus?

19. Qui S. Literas esse Regulam particularem perfectam dicunt, circumstantias omnes Religionis determinantem: & determinationes humanas de hisce esse prohibitas: *viz.* de Loco cultûs, de horâ, de utensilibus, de Psalmorum metro & cantu, de S. S. translatione, de concionum & precum Methodo & verbis, de unoquoque gestu, &c. Quibus in altero extremo contrarii sunt Tyranni & superstitiosi, qui opus idem quasi imperfectum perficiendum in se recipiunt, quod Spiritus sanctus in S. Literis jam peregit, ejusdem generis plura præcepta & sacramentalia sine authoritate instituendo. 20. Qui ipsius *Christianæ Religionis* non majorem nobis certitudinem manere asserunt, quàm de veritate uniuscujuscunque *historiolæ, genealogiæ, numeri* aut *dicti*, in sacris Literis: & quòd omnis qui de verbi unius veritate dubitat, utrùm scilicet à Spiritu sancto dictatum fuit, pari ratione æque dubitaret de toto Evangelio. Videat Lector quæ contra errorem hunc scripsit D. Waltonus Prolegom. ante Bibl. Polyglot. c. de Variis Lectionibus.

6. *Veracitas seu Fidelitas Dei Revelantis* (quomodocunque) est *Formale objectum Fidei*, sine quo Fides nulla est.

7. Qu. *Nonne Authoritas S. Scripturæ est formale objectum fidei?*

Resp. 1. Distinguendum est inter *Fidem Christianam quà talem, & fidem Christianæ Veritatis* quà in sacris literis *scriptæ*. Fidei Christianæ quà talis, Authoritas, scripturarum non est objectum Formale. Per plures enim annos quum S. Literæ Evangelicæ nondum extarent, fides tamen Christiana extitit: Et ipsi sacri scribæ non ideò credidêre doctrinæ Christianæ quia scripta erat, sed quia aliter ipsis revelata: Crediderunt ei priusquam scripsêrunt. Et siquis hodiè de sacris Literis nihil audiret, ut fidei tamen Articulos at à Deo traditos verè & practicè crederet, is fidem haberet formatam & salvificam. 2. At si de fide *Scriptorum quà talium* quæratur, tunc de sensu [*Authoritatis*] primò considerandum est. Si enim per [*Authoritatem*] S. Scripturæ, *Dei Authoris Veracitas* intelligatur, vel ejus patefactio organica, hæc est *Formale Fidei objectum:* Sin autem alia aliqua ipsarum S. Scripturarum *perfectio* intelligatur, per *Authoritatem*, non propriè *fidei objectum formale* dicenda est.

8. Obj. *Quodcunque respondet Quæstioni, Cur credis? est formale objectum fidei: At perfectio ipsius S. Scripturæ respondet quæstioni, Cur Credis? Ergo*———

Resp. Negatur Major: sicut causarum diversitas est, ita ad quæstionem *Cur Credis?* diverse respondetur: Plures sunt fidei rationes præter *Rationem formalem.* Quale objectum est *Authoritas Imperantis Obedientiæ*, tale objectum est *Ve-*

racitas dicentis vel Revelantis, *Fidei*; *formale* scilicet actum in *specie constituens.* Tale autem non est *omnis Ratio* credendi.

9. Objectum *Fidei Materiale* est, *Objectum Quod creditur:* Objectum Formale est *Cui creditur*, non *personaliter*, sed quà *Veraci* formaliter, & causæ formali credendi.

10. Objectum fidei *Materiale* est vel *Universale* vel *Particulare:* Id est, vel *Testimonium Divinum* in *Genere*, seu *Hoc Testimonium:* Item est vel *Logicum-organicum*, seu *Reale.* Sacræ Literæ sunt non quidem *Universale* Verbum Divinum; *Lex Naturæ* enim verè ejus *Verbum* est, id est mentis ejus *significatio* de hominum statu, officio & retributione, & Deitatis demonstratio: Neque alicubi Deus se obstrinxit, se Verbum aliquod Prophetiæ nunquam posthac revelaturum. Sunt autem *quid majus* quàm *Verbum particulare*, viz. *Systema Revelationum* ad *fidem* & *obedientiam salutarem sufficientium*: & ad usum proprium nullo modo imperfectum. De Fidei autem objectis [illegible]æ priùs copiosè dicuntur in Elucid. cap. 12. de *Fide*, hîc sunt supponenda.

11. S. Scripturæ usus est planè *Organicus*, scilicet *Significativus* primò mentis Divinæ, deinde *Rerum scriptarum:* Ideóque est *Objectum Fidei*, neque primarium (quod est *Fidelitas Divina*) neque *Ultimum*, neque *Reale-significatum*, (illud enim est S. Scripturæ *subjectum*), sed *medium instrumentale.*

12. Sicut *omne* S. Scripturæ *subjectum* non est æquè ad salutem necessarium, ita neque *omne Verbum*, seu Scripturæ *pars organica.* Neque magis necessarium est S. *Scripturæ aliquod Verbum*, quàm est *Res* per Verbum illud *significata*, vel quæ aliter credi non potest, necessaria: Sicut enim Patina ad cibum, marsupium ad aurum, ita se habet S. Scriptura ad *Res significatas*, vel ad *subjectum* de quo. Per S. Scripturam autem hîc intelligo 1. Ipsas *Literas* & *Syllabas* & *Verba*, 2. Eorum *sensum* seu *significationem*, ut distinctam à *Re ipsâ significatâ, viz.* Deo, Christo, fide, cœlis, &c.

13. Sensus igitur plurimorum S. Scripturæ versiculorum seu textuum ignorari potest, & pluribus si non omnibus est ignotus, sine animarum perditione, aut salutis magno periculo: Neque doctissimus quisquam totam S. Scripturam intelligit.

14. Qui *sensum* salvâ animâ ignorare potest, etiam *Authoritatem* ejus salvâ animâ ignorare potest; Authoritas enim nota est, ut *sensus* rectè operetur. Quibus ad salutem non est necessarium aliquem S. Scripturæ versiculum intelligere; iis ad salutem non necessarium est, scire versiculum illum esse Scripturæ Canonicæ partem, & Dei verbum: Hujus etenim scientia est *medium* ad finem ulteriorem: & ubi *finis* non est necessarius, ibi nec *media.*

15. Qui igitur nullam S. Scripturæ partem esse Canonicam intelligeret, nisi talem & tantam, quæ res necessarias ad salutem sufficienter tradit; is quamvis turpiter erroneus tamen verè fidelis & salvus esse potest.

16. Hunc tamen de Infidelitate incusare injustum est; sicut à plurimis fit, qui (ipsi ignorantes) *infidelitatem* ab *ignorantia* distinguere nesciunt. Qui enim *omne Dei Verbum infallibile* & *Verissimum* esse credit, at nescit plurimos S. Scripturæ libros esse Dei verbum, essentiales tantùm fidei Articulos credens; is quidem turpiter ignarus est, non omnino autem ex hoc *infidelis* aut *incredulus.*

17. De numero & specie Veritatum ad salutem necessariarum, seu de fundamentalibus, vide quæ de symbolo dicta sunt.

18. Optimè igitur hominum saluti miranda Dei misericordia consuluit, dum non totam S. Scripturam, sed pauca quædam fœdere sacramentali & tribus formulis (symbolo fidei, Precatione Dominicâ & Decalogo) contenta, ad salutem omnino necessaria ordinavit: & hæc pauca ab aliis segregata per Catechesin rudioribus proponenda statuit.

19. Non igitur ad Communionem ecclesiasticam necessarium est, ut quis unicuique totius S. Scripturæ versiculo, capiti aut libro ut Canonico subscribat. Necessarium autem est ut agnoscat, omne *Dei verbum verum esse*, & particulariter

lariter omnes Christianæ Religionis Veritates essentiales teneat. Neque unus in toto mundo datur S. Scripturæ Codex, cui rationabiliter quis, ut omnino indefectibili, & vero subscribere jubeatur. Quia (ut dictum est) & translatores & scribæ omnes sunt defectibiles, & variarum Lectionum copia nobis omnino incertum reddidit, hunc aut illum Codicem esse inculpabilem (Quàm nefariè, igitur, quàm impie, quàm hostiliter contra Christum & Ecclesiam se gerunt Ecclesiastici omnes Tyranni Prælati, qui omnibus Christi præstantissimis, doctissimis, fidelissimis Ministris silentium imperant, nè Evangelium Christi ad animarum salutem prædicare audeant, nisi præter omnes sacras Literas, etiam totis ipsorum & pluribus subscribant Libris (dum seipsos fallibiles agnoscunt) immo & promissionibus, declarationibus, & juramentis, & *ipsis* Prælatis se obligent, & placita eorum omnia approbent!)

20. Hinc semper inter Christianos mos fuit Ecclesiasticus, *Essentiales*, vel pro tempore saltem maximè necessarias sacræ Scripturæ partes (quoad sensum) seligere, & ut *symbola*, seu *tesseras* Fidelium vel Orthodoxorum, eas solas confitendas proponere, ut necessarium ad communionem Christianam.

21. Nihil in sacris Scripturis est verè supervacaneum, nihil inutile ad benè esse Christianorum, nihil falsum, nisi quod ex scribarum incuria ortum, non Divinum, sed humanum est. Sicut enim in corpore humano, neque venula aliqua, neque digitus, immo neque ungues aut capilli, inanes reputandi sunt, quia præter partes *Essentiales*, etiam *Integrales*, & *Accidentia* debita & ornamenta corpori perfecto inesse convenit; ita etiam de sacris Literis dicendum est.

22. Quamvis omne Dei Verbum est æqualis Veritatis (Verum enim non recipit magis & minus) non tamen æqualis *certitudinis*, quia non *æquis* Divinæ Authoritatis *Evidentiis* nobis revelatum. Ideóque plurimi qui de *quibusdam Libris* dubitârunt, de cæteris non dubitârunt.

23. Non iniquè Pars aliqua sacræ Scripturæ alteri potest anteponi, duplici scilicet vel triplici ratione. 1. Quia de *Majoribus* scripta est; 2. Quia *clarioribus* Divinæ *Authoritatis indiciis* & *evidentiis* aut prædita aut stipata est; 3. Et quia per *Instrumentum* seu *Nuncium* præstantiorem, modo etiam, quoad stylum aut methodum, præstantiore, tradita est. Et ita non peccârunt Judæi Pentateuchum & Psalmos aliis quibusdam V. Testamenti libris anteferendo; & Decalogum item cæteris ipsius Pentateuchi partibus: neque culpandi sunt Christiani quòd *Evangelium* Legi Mosaicæ, & Dicta ipsius Christi, discipulorum dictis præferant.

24. *Perfectio* sacrarum Scripturarum non est *Absoluta*, sed *Respectiva*, ad proprium scilicet usum, & ex aptitudine ad hunc usum æstimanda.

25. Imperfectiones humanæ scriptorum, (& *scientiæ*, & in *stylo* & *methodo*) ad sacræ Scripturæ veram perfectionem concurrunt: Sicut enim Davidis instrumenta contempta victoriam ejus contra Goliathum ut opus Divinum magis declarabant; Ita & Apostolorum & Prophetarum infirmitates, Evangelium Christi & ejus effectus in mundo, non ingenii humani machinam esse sed Dei ipsius institutionem & opus clarè testantur.

26. Sicut ultimum Satanæ Religionem destruendi medium est, nimium quasi Religiosum per excessus se gerere; ita hîc sacræ Scripturæ laudes indebitas tribuere, paratissima & periculosissima ferè ad infidelitatem via est: E. g. Qui dicunt nulla hîc humanæ imperfectionis (etiam inculpabilis) manere vestigia, nullum in S. Codicibus verbum esse quod non æque verum & certum est, ac ipsa fides Christiana, &c. inimicissimè homines à Christo alliciunt, quasi dicerent, Quandocunque hæc aperte falsa de sacris Literis cernitis, de tota Religione Christiana dubitate.

27. Traditio nulla aut prostat, aut necessaria est, ad supplementum Doctrinæ sacrarum Scripturarum, quasi in se defectivæ: Neque hactenùs hominibus in ecclesiâ ullâ talis Traditio innotuit, aut ab aliquâ ecclesiâ adhuc patefacta est, quæ aut *Fidei*, *Cultûs* aut *Obedientiæ Divinæ*, vel *Articulum* unum, *præceptum* aut

partem continet (nedum universaliter ecclesiæ necessariam), quæ non in sacris Scripturis continetur.

28. Traditio autem recipienda quæ vera extat triplex est; 1. *Traditio ipsius sacri codicis* ad posteros. 2. *Traditio medullæ* hujus codicis per se, essentialium scilicet Religionis partium, in *fœdere Sacramenti*, & *formulis Symbolicis*, cum aliis priùs enumeratis mediis. 3. Historica Traditio *factorum*, ex quibus dubitanti clariùs patefit, per quos & quando sacri Libri scripti sunt, & quibus providentiæ Divinæ testimoniis Christianismus confirmatus, & quibus gestis sacræ Leges & stabilitæ & executæ sunt, & quænam de facto fuit uniuscujusque seculi Scripturarum interpretatio, cum aliis talibus Authoritati & perfectioni S. Scripturarum purè subordinatis. *De Traditione.*

29. Si tota Doctrina & Lex Divina sine scriptis per hominum *memoriam* & *vocem* semper tradendæ fuissent, stolidissimum etiam latere vix potest, quantillâ securitate forent conservatæ; & quàm Impossibile ferè fuisset Religionem Christianam non pro loco & tempore & Pastorum insciti & libidine mutatam fore; & tandem non tot fere fieri Religiones, quot insulsa ignorantium aut superbientium capita.

30. Et si hoc fieri posse Traditionum Mangones putâssent, anne tot & tantis suorum scriptis ecclesias ad fastidium & fatigationem jamdiu onerâssent? Anne ad Religionis conservationem Tot librorum suorum plaustra, tot mille necessaria sunt, & unicus Codex Divinus minimè necessarius?

31. Pontificum Item & Conciliorum Decreta benè memoriter sine scriptis conservari fas erat, & non tot Conciliorum & Canonum volumina mundo obtrudi, si Lex Divina & Religio per Traditionem non scriptam optimè præservanda esset? At quid tam notoriè falsum, tam impium, tam inhonestum est, quod non à cæcis, superbis, mundanis, carnalibus, ex libidinis dominio, pro Vero, pro Religioso, pro honesto immo & necessario, venditetur?

32. Qui autem S. *Scripturas Divinas necessarias* fatentur & existentes, nisi etiam suo genere & ad usum proprium eas *Perfectas* esse pariter fateantur, impietatis planè rei erunt. Anne Deus tantum opus tantis usibus necessarium, imperfectum adeò & defectivum fecit, ut per homines nescio quos, & per media minus commoda, emendaretur, aut defectus supplerentur? Quare autem non humunciones priùs Deum docuissent, aut opus in se recepissent, ut perfectiùs ab ipsis prodiisset, si meliùs id præstare potuissent?

De hisce copiosè disserit Albertinus Jesuita in Corollar. Theol. ex 3. princip. philosoph. p. 223, 224, &c.

33. Qu. *An Consequentiæ ex S. Literis erutæ sint vera S. Literarum pars, & æqualis cum præmissis authoritatis & certitudinis?*

Resp. Distinguendum est 1. Inter *conclusiones* quarum præmissæ propositiones sunt *ambæ* in S. Scripturis, & quarum *una* tantùm ibi extat. 2. Inter unam præmissarum *fortiorem*, aut *infirmiorem*. 3. Inter collectionem rectam & pravam, certam & incertam. 4 Inter Virtualem inexistentiam & Actualem. Et 1. Nulla *conclusio* quæ quoad sensum non est *ipsa* in sacris Literis, est earum *Pars Actualis*. 2. Nulla conclusio aut quæ falsò colligitur, aut quæ ex præmissis oritur, quarum una tantùm eaque *fortior* est in S. Scripturis, est *pars* Scripturæ *Virtualis*. 3. Nulla conclusio quæ verè oritur ex *ambabus* Scripturæ præmissis, aut ex *unâ debiliore*, at *obscuræ* aut *dubiæ* collectionis est, ejusdem aut æqualis est aut *certitudinis* aut *necessitatis*, cujus est propositio ibi clarè expressa. At Aff. 1. Si *ambæ* propositiones præmissæ sint in sacrâ Scripturâ, 2. Aut saltem *una debilior*; 3. Et si conclusio *rectè colligatur*, hæc conclusio *Virtualiter* est in sacris Literis: etsi non adeò clarè & evidenter nota. Conclusio autem præmissarum qualitatis particeps est; & semper sequitur partem debiliorem. Si igitur præmissarum una est ex fide humanâ & altera ex fide Divinâ, conclusio erit ex fide humanâ: Quamvis enim naturæ mixtæ est, tamen ex debiliore parte ut dominante denominanda est. Si una præmissarum sit in sacris Literis (e. g. *omnis verè fidelis salvabitur*) & altera sit *Interni sensus* seu *Conscientiæ* (e. g. *Ego verè fidelis sum*), cui hic *Conscientiæ Actus* est *debilior* quoad certitudinem, quàm sacræ Scripturæ dictum, ei conclusio non est *ex fide Divinâ*: Debilior autem propositio

præmissa

præmissa dicitur, non quæ *minùs vera*, sed cujus Veritas est *minoris Evidentiæ*. At siquis *evidentiam suæ fidei* vel *Amoris clariùs* cerneret, quàm *Evidentiam Veritatis S. Scripturæ*, huic iterum distinguendum est inter *certitudinem objectivam* & *subjectivam*, scilicet inter *evidentiam objectivam* ut in se, & ejus *Perceptionem*: & huic dicendum est, quoad rei ipsam *Veritatem*, conclusio hæc [*Ego salvus ero*] non est de *fide Divinâ*, quia reverâ *evidentia internæ* sinceritatis minor est, quàm *Evidentia Veritatis S. Scripturæ*: Ideoque proprie non omnino est de fide Divina; Quia quamvis *certitudo objectiva* potest esse *sine certitudine subjectivâ*, tamen certitudo *subjectiva* non major esse potest quàm certitudo *objectiva*, id est, *scientia* ultra *objectum scitum* se extendere non potest. Et sensus quæstionis usitatior est de *Fide objectivâ* potius quàm *subjectiva*: scilicet an *propositio* hæc sit vere *Dei Verbum scriptum*, *Tu N. justificatus es aut* [*salvaberis.*] Quod proculdubio negandum est: cum hoc solum in S. Scripturis invenitur, [*Omnis vere fidelis justificatur.*] At *me sincere fidelem esse* neq; scriptum est, neq; æqualis cum S. Scripturâ Evidentiæ. Sin autem quæstio clare proponatur tantùm de *apprehensione*, vel *certitudine* credentis, Respondendum est, Qui dubitat de *S. Scripturæ Veritate*, plerumq; æque de *sui ipsius sinceritate* in credendo dubitabit: & qui non certus est *omnem vere fidelem justificari*, *non certus erit se ipsum justificari.*] Non tamen negarem quin de ipso actu fidei suæ certior fieri possit quàm de veritate S. Scripturæ: *viz.* Qui fide verâ at debili & aliquatenus dubitante credit Promissionem Evangelicam esse veram, tamen sentit se credere, quamvis debiliter: Ideoq; majorem habere potest certitudinem *se credere debiliter*, quàm *S. Literas veras esse*: non enim omnis fidei debilitas nullitatem aut hypocrisin significat. At sicut plerumq; quantumvis is certus sit de Actu suo credendi, de *sinceritate* tamen actûs dubitabit; ita impossibile est *conclusionem* [se *Justificari*] etiam *subjectivè* ipsi certiorem esse, quàm Veritatem promissionis: & si certissime sciret se sincere credere quamvis debiliter, tantum tamen de *Justificatione* sua ut dubitet necesse est, quantum de promissione dubitat. Delirat enim, non juxta rationem judicat, qui plus esse in conclusione, quàm in præmissarum debiliore autumat.

34. Librorum omnium & rerum S. Scripturæ connexio, non Scriptorum ingenio fuit excogitata, immo ne intenta quidem aut ipsis nota: sed dum ad rem præsentem & præ manibus unusquisq; attentus fuit, ex opere Spiritûs Sancti partes omnes in unum corpus coalescunt.

35. Immo tantum à Veritate abest, quòd Propheta unusquisq; quos seculis futuris prophetas Deus excitaturus erat prævideret, & quid ab unoquoq; postea scribendum foret; ut plusquam probabile sit, quosdam saltem partem non minimam sensûs, ipsorum quæ ab ipsis prolata fuerunt verborum, planè latuisse.

36. Et quamvis *Spiritui sancto* in mente fuit, scripta omnia ad seculorum sequentium omnium usum coaptare; quantum tamen hoc *ipsis scriptoribus* notum fuit, vix clare satis nobis innotescit. Historici sacri veteres proculdubio posterorum usui prospiciebant: sicut & Moses in Lege ferendâ, & Evangelistæ & Lucas in Christi & Apostolorum historiâ contexendâ; & multo magis ipse Christus. At Epistolarum Scriptores rebus particularium Ecclesiarum & personarum quibus scripsêre adeo fuerunt attenti, (sicut ex verbis ipsis patet) ut quantum ab ipsis, quantumq; sine ipsis à solo Spiritu Sancto Epistolarum earum *usus universalis* & *perpetuus* præcognitus & *intentus* fuit, utplurimum nos lateat.

37. Dictum illud D. Petri 2. 1. 20, 21. à Papistis pervertitur quasi de *Interpretatione Activâ* intelligendum foret, & ab interpretatione uniuscujusq; *Privati* (aut contextûs) ad *Papæ* & *Conciliorum* seu *Ecclesiæ* interpretationem nos adduceret: cum textus de Interpretatione *objectivâ passivâ* satis clare loquatur; & monet tantùm ne Prophetias quæ ex *mente Spiritûs Sancti de Christo* prolatæ sunt, de *objecto privato proximo* & *juxta meram* scriptoris *intentionem* interpretemur: *q. d.* [*Quando Propheta aliquis immediate de seipso aut alio aliquo privato primò loquitur, & fortasse subjectum ultimatum non intendit, non tamen Scriptura*

pturæ dictum juxta proprium Prophetæ sensum, & de seipso aut privato hoc solo, interpretandum est : Prophetia enim non tam ipsius quàm Spiritus Sancti opus est, & juxta Spiritûs Sancti mentem interpretanda ; Qui non tantùm de personâ privatâ typicâ hanc profert, sed principaliter de Christo subjecto ultimato] E. g. Davides Psal. 16. & pluribus aliis de seipso multa dicit, quæ per Spiritum Sanctum de Christo intelligenda dicta sunt : & quamvis Davides proxime hæc de seipso loquitur, & quando & in quantum Christum subjectum principale intendebat, nobis rarò innotescit, certùm tamen est Sp. Sanctum Christum intendisse. [*Si illud primum noveritis nullam Prophetiam Scripturæ esse propriæ explicationis : Non enim Voluntate hominis allata est olim Prophetia, sed acti à Spiritu Sancto locuti sunt, sancti Dei homines.*]

38. *Methodi* igitur & aliquando sensûs S. Scripturæ ratio, non à Scriptorum mente plerumq; quærenda est, sed à mente unius S. Spiritûs, qui plurium seculorum personas plurimas afflatu suo inspiravit ; & ex quo libri omnes quasi unus Liber fiunt.

39. Quandoq; etiam libri cujusdam Scriptor, non justum dictorum ordinem factis congruum memorare intendit, sicut in Danielis Prophetiâ & Lucæ Evangelio manifestum est ; sed tantùm rerum capita, congestim tradere ; ad *rei ipsius*, non ad *dictorum* aut *factorum*, temporis aut ordinis memoriam conservandam. Qui hoc (zelo cæco permoti) negant, Evangelistas inter se committunt, & falsitatis crimen aut Matthæo aut Lucæ falsò impingunt ; Tantum scilicet & Christus & Evangelium & Ecclesia, nimio luscorum zelo & superbientibus & insciis ingeniis debent.

40. S. Scripturæ stylus non ex subjecti tantùm propriâ naturâ, non ex congruitate ad sapientum paucorum capacitatem, multò minus ex ingeniorum superbientium expectatione, judicandus est : sed ex aptitudine medii, ad magnalia Dei honorificè celebranda, & plurimorum etiam rudissimorum mentes, Fide, spe & Amore vitæ æternæ imbuendas : Majora enim quàm ingeniorum lascivientium titillationem, Spiritus Sanctus intendebat.

41. Qui neq; Legislatores, neq; historicos incusant, neq; medicos, quòd eorum scripta argutiis Logicis non sunt adornata ; multò minùs aut Christum aut Apostolos eo nomine incusare debent, 1. Quia Christus non missus in mundum fuit, ut trivialia ista homines doceret, quæ ex ipsâ rerum naturâ, ingenium aliquod philosophicum, etiamsi minimè sanctum, colligere potuit ; neq; enim ad talia docenda nuncio cœlesti opus fuit : sed ut invisibilia Dei & cœlorum hominibus aperiret, & ut vitam futuram & Immortalitatem quasi in conspectum proferret ; & Deum sacrificio & merito erga homines placaret, hominemq; Deo reconciliaret ; & ut novum fœdus (cum gratiam promeruisset) peccatoribus prædicaret ; Quæ omnia philosophorum tricis & doctrinis toto genere antecellunt. 2. Quia etiam Philosophorum ingenii dotes, ad naturalia hæc minoris commatis, si modò utilia, eruenda, sunt Christi ipsius dona, quamvis minora & communiora. Qui verò ipse non pingit, non cantat, non ludit, sed Rempublicam regit, & tamen alios & pingere, & cantare & ritè ludere docet, non ideo culpandus sed laudandus est ; Neq; Deo vituperio vertitur, quòd libros non scribit, & artes eas non exercet, quas homunculos tamen docet ; Ita neq; Christi neq; Apostolorum dedecus est, quòd Poeticè, Rhetoricè, artificiosè non dixerunt, quòd Mathematicam, Physicam, Logicam non docuerunt, dum ipsis etiam inimicis Christus talia dignatur, & etiam pueros hæc puerilia per naturæ & sui Spiritûs lumen commune edocet.

42. Qu. *An probandi sint Spiritus per Scripturas, an potius Scripturæ per Spiritum Sanctum ? Resp.* Distinguendus est *spiritus* in *Apostolis*, à spiritu ut in *nobis* & *aliis*. Spiritus in Apostolis *ipsis* se probavit : ejus dictamina verò ab aliis per *sæpe-memorata* Veritatis Evangelicæ *indicia* probanda erant. Per Imaginem scilicet Divinæ *Omnipotentiæ* (in Miraculis) *Omniscientiæ* & *Optimitatis*, sese à Deo ipso profecta esse ostentarunt : At spiritûs dictamina in aliis probanda sunt ex eorum Sacræ Scripturæ congruentiâ : & hoc est *spiritum probare* & per *scriptura*m

pturam & per *ſpiritum* ſpiritûs ſcilicet dona in *infirmis regulandis*, probanda ſunt ex conformitate ad ſpiritûs *dictamina regulantia*; utpote quæ pleniore evidentiâ per viros Dei magis ſpirituales & probatos, ut ſeculis ſequentibus Lex Divina, data ſunt.

43. Quamvis Nucleum S. Scripturæ in ſymboli articulis per ſe etiam traditum fuiſſe certum eſt; omnes tamen qui aut Traditiones ſuas con-ſcriptas, aut Enthuſiaſmata ſua S. Scripturæ ut ſupplementa aſſuere conantur (Pontificios ſcilicet & Fanaticos) monitos eſſe vellem, non meis ſed Theophil. Alexandr. verbis Epiſt. Paſchal. 2. contra Origenem Biblioth. Patr. To. 3. pag. 96. [*Dæmoniaci ſpiritûs eſt ſophiſmata humanarum mentium ſequi, & aliquid extra ſcripturarum authoritatem putare Divinum.*] Anne dum talia legitis, Pontificii, in Veteribus, immo & ipſorum Scholaſticorum doctrinam pro Scripturâ in Prolegom. ſuis ad ſentent. de principiis Theologiæ, Scripturas tamen de inſufficientiâ incuſare, & Conciliorum decreta & Traditiones ſuppletivas prædicare audetis? & nihilominus ad Veteres appellare?

44. Addam Joh. Damaſceni verba pag. 1. orth. fid. [*Cuncta quæ tradita ſunt per Legem & Prophetas & Apoſtolos & Evangeliſtas ſuſcipimus, cognoſcimus, veneramur, nihil ultra illa perquirentes.*] Vide cætera.

45. Cyrilli item verba clara ſunt Catech. 4. de Sp. S. p. 30. [*Nam Divinorum ſanctorumq; fidei Sacramentorum nihil ne minimum quidem abſq; Divinis Scripturis tradi debet, neq; ſimplici probabilitate neq; verborum ornatu traduci. Ne mihi quidem ea tibi proferenti ſimpliciter fidem adhibeas, niſi de Divinis ſcripturis eorum quæ dicam demonſtrationem accipias.* Nam fidei noſtræ ſalus & conſervatio, non *orationis facundiâ nititur, ſed Scripturarum Divinarum comprobatione.*

Queſt. *AN ſacræ Literæ ſint Lex Dei & Regula fidei & morum, juxta quam fidelium cogitationes ſeu conceptus ſunt judicandi?*

Quæſtio an uniuſcujuſq; Lumen privatum, ſeu dona ſpiritualia ſint Lex Divina ſeu Regula principalis, poſtea in Cap. de Auxil. Spiritûs ſancti tractatur: Hic altera pars tractanda eſt, & ad objectiones ejuſdem Rob. Barclaii Tremuli, & Papiſtarum reſpondendum eſt: & prænotandum eſt, 1. Spiritum Sanctum eſſe Authorem Legis ſeu Regulæ, ſcilicet Revelationis ſupernaturalis, quæ Legi naturali addita eſt.

2. Legis naturam (in ſenſu jam defenſo) eſſe, *ſignum eſſe Voluntatis Rectoris debitum* (*ſeu Jus*) *conſtituens, normam ſcilicet officii & Judicii* (ſeu Retributionis.)

3. Legem Naturæ (in ſenſu hoc primario) eſſe [*Voluntatis Divinæ de Jure hoc ſignificationem per Rerum, præcipue ipſius hominis naturam, factam, ad fines regiminis à Deo ordinatam*] (De quibus vide *Brownum, Scotum, lib. de Sabbato* rectiſſime differentem.)

4. Ipſius Intellectûs ſcientia aut fides, & Voluntatis Sanctæ inclinatio, dicitur Lex Dei (aut Naturæ aut Revelata) tantùm Metonymice; utpote Legis proprie ſic dictæ receptio, effectus, cognitio, amor, &c. Et ita Lex *naturæ* & *gratiæ* hominum cordibus inſcriptæ eſſe dicuntur.

5. Lex hæc metonymica cordibus inſcripta cum Lege proprie ſic dicta minime confundenda eſt: Hæc quippe interna (quam fanatici ut primam ſi non ſolam agnoſcunt) eſt tantùm prioris impreſſio ſeu effectus, & in plurimis non una, ſed tot quot ſunt homines; mutabilis, imperfecta, & in pleriſque ideo incerta; & ſi nulla certior daretur regula ſeu Lex, in plurimis deceptis regnaret ſpiritus nothus, ſuppoſititius & imaginarius, & animarum, Eccleſiarum, domorum & regnorum regimen per confuſionem omnino ſubverteretur.

6. Quibuſdam enim gradus inſignis ſapientiæ ſpiritualis à Deo conceditur, aliis autem minor; non pauci verò in carnali ſtultitia & ſocordiâ ſtertunt: exi-

mia

mia igitur spiritûs dona sapientum eis dantur, non solùm ad seipsos sed & alios regendos? Nonne sapientia Patrum & Regum & Pastorum datur ad regendum suos filios, subditos & plebem? Anne infantes, pupilli, & subditi & servi, per spiritum suum privatum potius quàm per spiritum in superioribus suis regendi sunt? Si ita, perit omnis ordo & regimen. Sin aliter, quidni & Spiritûs Sancti dona maxime eximia in Christo, Apostolis & Prophetis, sacris literis nobis expressa & tradita, sæculis sequioribus omnibus & minus spiritualiter sapientibus, sint Lex? id est, Voluntatis Dei regentis significatio?

7. Sicut Christus ipse Deus-Homo, Spiritu Sancto plenus, locutus est sicut præterea nemo est loquutus, ita & Apostoli, Prophetæ & Evangelistæ juxta promissionem Christi antecedentem ideo Spiritûs Sancti muneribus hisce præstantibus, sapientiâ infallibili, scilicet in rebus sui officii, sanctitate, & fidelitate eximiâ, sunt donati, quo eorum doctrina S. Literis posteris tradita sit fidei & morum regula infallibilis. Neque posteris quibusdam eadem spiritûs dona aut promittuntur, aut de facto conceduntur. Nedum superbis illis Pontificibus qui suis Conciliis sibi ipsis contrariis, & invicem damnantibus, Imperatores Regesque deponentibus, Ecclesias in maximas confusiones præcipitarunt.

8. Sine auxiliis tamen Spiritûs Sancti Sacræ Literæ salutariter intelligi & amari & applicari non possunt: non enim ad fidem & sapientiam sat est, perfectam dari fidei & morum regulam, nisi etiam cæcus intellectus, carnalis Voluntas, & cor obduratum sanentur, & ad effectus Sacræ Scripturæ recipiendos disponantur: Quod in nemine jam perfecte fit, & in pessimis non omnino.

9. Cautè igitur distinguendum est inter dona Spiritûs Sancti facultates malè dispositas sanantia, quo S. Scripturas probe intelligamus, credamus eis & obediamus; & *Rerum novarum* non priùs revelatarum Spiritûs Sancti revelationem, doctrinæ scilicet aut facti: Omnibus vere fidelibus donantur priora; Posteriora autem solis Prophetis: Prophetæ autem novæ fidei seu doctrinæ nulli posthac expectandi sunt; *Factorum* verò & *eventuum* admodum rari sunt.

10. Sacrarum Scripturarum authoritas Divina, certitudo, & (ad usum suum) sufficientia, adeò clare à pluribus Protestantium Theologis jam diu sunt probatæ, ut opere hoc jam supersedendum judico. Videat Lector Joh. Strangium de Sac. Script. & Cameronis Lectiones, & cui vacat, *Rationes nostras Religionis Christianæ, & Infidelitatem irrationabilem, idiomate Angl.*

Roberti Barclaii (qui Tremulis fanaticis se annumerat) contra Sac. Scripturarum sufficientiam ut Regulam hæ sunt objectiones.

Obj. 1. Pro contrario: Thes. 2. p. 33. [" *Illud ad quod omnes Christianitatis* " *professores, cujuscunq; generis seu speciei sunt, ultimo recurrunt, cum ad extremum* " *pressi sunt, & cujus causâ cætera omnia fundamenta commendantur & creditu digna* " *habentur & sine quo rejiciuntur, illud oportet necessario esse solum certissimum im-* " *mobile fundamentum omnis fidei Christianæ: sed interna, mediata, objectiva spiri-* " *tûs revelatio illud est ad quod omnes Christianitatis professores ultimò recurrunt:* " *Ergo est solum certissimum immobile fundamentum*].

Resp. Distinguendum est, 1. Inter spiritum ipsum, & spiritûs Lumen donatum; 2. Inter *spiritum in Apostolis & Prophetis*, & Spiritum in nobis: 3. Inter spiritûs *novæ doctrinæ revelationem, & ejus opus illuminans* & sanctificans quo revelationes antiquas recipere recte dispositi sumus.

Ad majorem respondeo. Conceditur, si per *fundamentum* intelligis aut Causam Legis efficientem, aut *effectum* in S. Literis per Apostolos editum, aut causam ad Receptionem dispositivam in nobis ipsis. Sin autem effectus ipsos Spiritûs sancti in unoquoq; ipsam velis esse unicuiq; Legem Divinam objectivam (in genere signi) aut primariam aut principalem, aut à Lege externè editâ separatam, Major negatur.

De Sp. Sancto itidem respectibus prioribus conceditur Minor: In sensu posteriore negatur. Nos omnes ad Spiritum Apostolorum regulam nobis tradentem recurrimus; & ad spiritûs opus illuminans & sanctificans in nobismet ipsis: non autem ad novas spiritûs in nobis ipsis revelationes objectivas, quasi perfectioribus illis Apostolicis certiores.

Obj.

Obj. 2. pag. 38. [" *Illud cujus certitudo & authoritas ex alio pendet, & ratio* " *quare recipitur ut Veritas, est, quia ab alio procedit, principalis origo omnis scientiæ* " *& Veritatis non est existimandum: sed Scriptura, &c.*]

Resp. Conceditur totum: Non de origine principali (Deo scilicet) quæritur; sed de Lege. Legislator est origo Legis: At Lex tamen est vere Lex.

Obj. 3. [" *Illud quod non est mihi regula in ipsas Scripturas credendas, non est mihi* " *primaria adæquata fidei & morum regula: sed Scriptura non est, &c.*]

Resp. Lex Naturæ cum Revelatione supernaturali additâ, est perfecta Lex Divina: Obligatio ad credendum omne illud verum esse quodcunq; Deus revelat, primariò ex Lege naturæ oritur; & deinde à Lege supernaturaliter revelata: contra Legem peccant etiam infideles & impii Spiritum non habentes.

Obj. 4. p. 39. " *Ipsa Evangelii natura declarat non posse Scripturam esse solum* " *vel principalem Christianorum regulam: Nulla enim tunc erit differentia inter Le-* " *gem & Evangelium. Lex scripta affert condemnationem, sed non habet vitam &* " *salutem; Evangelium quid internum potens est, dans vim animæ ad obediendum, &* " *liberat à malo, &c.*

Resp. De hoc jam sat dictum est de *fœdere Mosaico*: sicut tum Judæus tum Christianus habet & Corpus & *Animam*: Ita & Lex Judæorum & Evangelium Christianorum habet Literam externam, per quam Spiritus S. interne operatur: Neutrius autem ipsa litera per se sine Spiritu sanctificat: & parcius quidem per revelationem Legalem obscuram operatus fuit Spiritus sanctus in Judæos; pleniùs autem in Christianos per Evangelii revelationem clariorem. Vanorum est illa distinctio quâ omne Literale præceptum, fœdus operum esse fingitur, & Gratiæ fœdus esse meram Spiritûs sancti internam & efficacem operationem (quæ potius hujus fœderis beneficium dicenda est.)

Obj. 5. " *Illud quod Christianis pro regulâ datur, necessariò oportet ita amplum esse* " *ut clare & distincte ducat & instruat illos in omnibus quæ occurrere possunt: sed repe-* " *riuntur innumera quæ quoad circumstantias & aliter particularium Christianorum* " *multum interesse possunt (ut vocatio ad ministerium, &c.)*

Resp. Lex scripta non sine Lege Naturæ Dei Lex tota dicenda est: Immo providentiæ opera multum conducunt ad circumstantiarum determinationes. Si *e. g.* Lex scripta dicat [*Idiota, stultus, malignus, infidelis non erit Evangelii minister*] Nonne perfecta est hæc Lex, nisi item per nomina quosnam idiotas, stultos, malignos nos non habere oportet, designet? Nota, quæso, frater seducte, quòd ex hac tua argumentatione, omne peccatum, omne opus Diaboli fit Lex Divina: ex hisce enim dignoscuntur illi quibus sacrum ministerium prohibitum est. Ad Legem non pertinet subditos ad opera præcepta disponere: Dispositiones quidem sanctæ per Sp. sanctum effectæ sunt, ex quibus sub hoc vel illo generali mandato rem cadere novimus. In quibusdam generaliter tantùm præcipere Legis perfectio est. Lex recte dispositos & vocatos ministerium sacrum recipere præcipit: Dei Gratia & providentia homines disponit, & per homines (plerumque) vocat: non autem Lex ideo imperfecta dicenda est, quoniam hoc etiam non præstat.

Obj. *Si proprietates Episcopi numeratas habeo, non sequitur me ideo vocari. Resp.* Hæccine Tremuli responsio est? At Dei providentia & hominum debita Vocatio, personam verè designant (qualificatione suppositâ;) Legis autem proprie partes non agunt.

Obj. 6. " *Illud non potest esse principalis, adæquata, nec sola regula quod non uni-* " *versaliter singulos attingit, quibus necesse est ad effectum necessarium producendum.* " *Sed multi qui in visibilis Ecclesiæ gremio sunt — ex electis — necessario exclu-* " *duntur ab ejus usu: sed ita sæpissime accidit de Scripturis, ut in conditione surdo-* " *rum, infantium, idiotarum, &c.*

Resp. 1. Anne omnes idiotæ & Infantes per Sp. sanctum sanctificantur? 2. Anne Sp. sanctus omnibus istis vere Lex est; *viz.* significatio voluntatis Dei regentis objectiva? Si Legem cum opere efficiente Spiritûs sancti confundis, & omne ejus opus Legem vocas, de nomine futiliter contendis:

mia igitur ſpiritûs dona ſapientum eis dantur, non ſolùm ad ſeipſos ſed & alios regendos? Nonne ſapientia Patrum & Regum & Paſtorum datur ad regendum ſuos filios, ſubditos & plebem? Anne infantes, pupilli, & ſubditi & ſervi, per ſpiritum ſuum privatum potius quàm per ſpiritum in ſuperioribus ſuis regendi ſunt? Si ita, perit omnis ordo & regimen. Sin aliter, quidni & Spiritûs Sancti dona maxime eximia in Chriſto, Apoſtolis & Prophetis, ſacris literis nobis expreſſa & tradita, ſæculis ſequioribus omnibus & minus ſpiritualiter ſapientibus, ſint Lex? id eſt, Voluntatis Dei regentis ſignificatio?

7. Sicut Chriſtus ipſe Deus-Homo, Spiritu Sancto plenus, locutus eſt ſicut præterea nemo eſt loquutus, ita & Apoſtoli, Prophetæ & Evangeliſtæ juxta promiſſionem Chriſti antecedentem ideo Spiritûs Sancti muneribus hiſce præſtantibus, ſapientiâ infallibili, ſcilicet in rebus ſui officii, ſanctitate, & fidelitate eximiâ, ſunt donati, quo eorum doctrina S. Literis poſteris tradita ſit fidei & morum regula infallibilis. Neque poſteris quibuſdam eadem ſpiritûs dona aut promittuntur, aut de facto conceduntur. Nedum ſuperbis illis Pontificibus qui ſuis Conciliis ſibi ipſis contrariis, & invicem damnantibus, Imperatores Regeſque deponentibus, Eccleſias in maximas confuſiones præcipitarunt.

8. Sine auxiliis tamen Spiritûs Sancti Sacræ Literæ ſalutariter intelligi & amari & applicari non poſſunt: non enim ad fidem & ſapientiam ſat eſt, perfectam dari fidei & morum regulam, niſi etiam cæcus intellectus, carnalis Voluntas, & cor obduratum ſanentur, & ad effectus Sacræ Scripturæ recipiendos diſponantur: Quod in nemine jam perfecte fit, & in peſſimis non omnino.

9. Cautè igitur diſtinguendum eſt inter dona Spiritûs Sancti facultates malè diſpoſitas ſanantia, quo S. Scripturas probe intelligamus, credamus eis & obediamus; & *Rerum novarum* non priùs revelatarum Spiritûs Sancti revelationem, doctrinæ ſcilicet aut facti: Omnibus vere fidelibus donantur priora; Poſteriora autem ſolis Prophetis: Prophetæ autem novæ fidei ſeu doctrinæ nulli poſthac expectandi ſunt; *Factorum* verò & *eventuum* admodum rari ſunt.

10. Sacrarum Scripturarum authoritas Divina, certitudo, & (ad uſum ſuum) ſufficientia, adeò clare à pluribus Proteſtantium Theologis jam diu ſunt probatæ, ut opere hoc jam ſuperſedendum judico. Videat Lector Joh. Strangium de Sac. Script. & Cameronis Lectiones, & cui vacat, *Rationes noſtras Religionis Chriſtianæ, & Infidelitatem irrationabilem, idiomate Angl.*

Roberti Barclaii (qui Tremulis fanaticis ſe annumerat) contra Sac. Scripturarum ſufficientiam ut Regulam hæ ſunt objectiones.

Obj. 1. Pro contrario: Theſ. 2. p. 33. [" *Illud ad quod omnes Chriſtianitatis* " *profeſſores, cujuſcunq; generis ſeu ſpeciei ſunt, ultimo recurrunt, cum ad extremum* " *preſſi ſunt, & cujus cauſâ cætera omnia fundamenta commendantur & creditu digna* " *habentur & ſine quo rejiciuntur, illud oportet neceſſario eſſe ſolum certiſſimum im-* " *mobile fundamentum omnis fidei Chriſtianæ: ſed interna, mediata, objectiva ſpiri-* " *tûs revelatio illud eſt ad quod omnes Chriſtianitatis profeſſores ultimò recurrunt:* " *Ergo eſt ſolum certiſſimum immobile fundamentum*].

Reſp. Diſtinguendum eſt, 1. Inter ſpiritum ipſum, & ſpiritûs Lumen donatum; 2. Inter *ſpiritum in Apoſtolis & Prophetis*, & Spiritum in nobis: 3. Inter ſpiritûs *novæ doctrinæ revelationem, & ejus opus illuminans* & ſanctificans quo revelationes antiquas recipere recte diſpoſiti ſumus.

Ad majorem reſpondeo. Conceditur, ſi per *fundamentum* intelligis aut Cauſam Legis efficientem, aut *effectum* in S. Literis per Apoſtolos editum, aut cauſam ad Receptionem diſpoſitivam in nobis ipſis. Sin autem effectus ipſos Spiritûs ſancti in unoquoq; ipſam velis eſſe unicuiq; Legem Divinam objectivam (in genere ſigni) aut primariam aut principalem, aut à Lege externè editâ ſeparatam, Major negatur.

De Sp. Sancto itidem reſpectibus prioribus conceditur Minor: In ſenſu poſteriore negatur. Nos omnes ad Spiritum Apoſtolorum regulam nobis tradentem recurrimus; & ad ſpiritûs opus illuminans & ſanctificans in nobiſmet ipſis: non autem ad novas ſpiritûs in nobis ipſis revelationes objectivas, quaſi perfectioribus illis Apoſtolicis certiores.

Obj.

Obj. 2. pag. 38. ["*Illud cujus certitudo & authoritas ex alio pendet, & ratio "quare recipitur ut Veritas, est, quia ab alio procedit, principalis origo omnis scientiæ "& Veritatis non est existimandum: sed Scriptura, &c.*]

Resp. Conceditur totum: Non de origine principali (Deo scilicet) quæritur; sed de Lege. Legislator est origo Legis: At Lex tamen est vere Lex.

Obj. 3. ["*Illud quod non est mihi regula in ipsas Scripturas credendas, non est mihi "primaria adæquata fidei & morum regula: sed Scriptura non est, &c.*]

Resp. Lex Naturæ cum Revelatione supernaturali additâ, est perfecta Lex Divina: Obligatio ad credendum omne illud verum esse quodcunq; Deus revelat, primariò ex Lege naturæ oritur; & deinde à Lege supernaturaliter revelata: contra Legem peccant etiam infideles & impii Spiritum non habentes.

Obj. 4. p. 39. "*Ipsa Evangelii natura declarat non posse Scripturam esse solam "vel principalem Christianorum regulam: Nulla enim tunc erit differentia inter Le- "gem & Evangelium. Lex scripta affert condemnationem, sed non habet vitam & "salutem; Evangelium quid internum potens est, dans vim animæ ad obediendum, & "liberat à malo, &c.*

Resp. De hoc jam sat dictum est de *fœdere Mosaico*: sicut tum Judæus tum Christianus habet & Corpus & *Animam*: Ita & Lex Judæorum & Evangelium Christianorum habet Literam externam, per quam Spiritus S. interne operatur: Neutrius autem ipsa litera per se sine Spiritu sanctificat: & parcius quidem per revelationem Legalem obscuram operatus fuit Spiritus sanctus in Judæos; pleniùs autem in Christianos per Evangelii revelationem clariorem. Vanorum est illa distinctio quâ omne Literale præceptum, fœdus operum esse fingitur, & Gratiæ fœdus esse meram Spiritûs sancti internam & efficacem operationem (quæ potius hujus fœderis beneficium dicenda est.)

Obj. 5. "*Illud quod Christianis pro regulâ datur, necessariò oportet ita amplum esse "ut clare & distincte ducat & instruat illos in omnibus quæ occurrere possunt: sed repe- "riuntur innumera quæ quoad circumstantias & aliter particularium Christianorum "multum interesse possunt (ut vocatio ad ministerium, &c.)*

Resp. Lex scripta non sine Lege Naturæ Dei Lex tota dicenda est: Immo providentiæ opera multum conducunt ad circumstantiarum determinationes. Si *e. g.* Lex scripta dicat [*Idiota, stultus, malignus, infidelis non erit Evangelii ministeri*] Nonne perfecta est hæc Lex, nisi item per nomina quosnam idiotas, stultos, malignos nos non habere oportet, designet? Nota, quæso, frater seducte, quòd ex hac tua argumentatione, omne peccatum, omne opus Diaboli fit Lex Divina: ex hisce enim dignoscuntur illi quibus sacrum ministerium prohibitum est. Ad Legem non pertinet subditos ad opera præcepta disponere: Dispositiones quidem sanctæ per Sp. sanctum effectæ sunt, ex quibus sub hoc vel illo generali mandato rem cadere novimus. In quibusdam generaliter tantùm præcipere Legis perfectio est. Lex recte dispositos & vocatos ministerium sacrum recipere præcipit: Dei Gratia & providentia homines disponit, & per homines (plerumque) vocat: non autem Lex ideo imperfecta dicenda est, quoniam hoc etiam non præstat.

Obj. *Si proprietates Episcopi numeratas habeo, non sequitur me ideo vocari. Resp.* Hæccine Tremuli responsio est? At Dei providentia & hominum debita Vocatio, personam verè designant (qualificatione suppositâ;) Legis autem proprie partes non agunt.

Obj. 6. "*Illud non potest esse principalis, adæquata, nec sola regula quod non uni- "versaliter singulos attingit, quibus necesse est ad effectum necessarium producendum. "Sed multi qui in visibilis Ecclesiæ gremio sunt —— ex electis —— necessario exclu- "duntur ab ejus usu: sed ita sæpissime accidit de Scripturis, ut in conditione surdo- "rum, infantium, idiotarum, &c.*

Resp. 1. Anne omnes idiotæ & Infantes per Sp. sanctum sanctificantur? 2. Anne Sp. sanctus omnibus istis vere Lex est; *viz.* significatio voluntatis Dei regentis objectiva? Si Legem cum opere efficiente Spiritûs sancti confundis, & omne ejus opus Legem vocas, de nomine futiliter contendis:

Res distinctæ sunt. 3. Nonne Leges humanæ proprie Leges sunt, nisi ab infantibus & idiotis intelligantur? Quidni diceremus, talibus Leges non dari (quamvis *de talibus*) Anne etiam concludes Legem non vere Legem esse, nisi ab apoplecticis, ebriis, somniantibus intelligatur?

Obj. 7. *S. Scriptura non Canonem suum designat, neq; ad sui fidem nos obligat, &c.*

Resp. S. Scriptura & *Libri Canonici* sunt rei ejusdem nomina diversa. Sicut universalia non existunt alibi quàm in individuis, ita S. Scriptura non existit nisi in Libris hisce Canonicis. Unde igitur probatur sacras Scripturas *existere* in quantitate suâ & partibus constitutivis & integralibus, inde probatur hosce libros esse Canonicos. Ad Scripturæ sacræ autem perfectionem non pertinet, ut ejus Authoritas ex sui ipsius assertione solùm probetur; nec etiam ex evidentia sui ipsius intrinsecâ, sine debitâ promulgatione: sicut neque ad Legis humanæ perfectionem aut authoritatem requiritur, ut suæ authoritatis probationes sufficientes contineat, sine causis promulgantibus; *viz.* sine Scribarum, Typographorum, preconum, conservatorum fidelitate: neq; ut evidentiæ veritatis vel authoritatis per idiotas, aut alios incapaces cernantur. S. Scripturæ sufficientia in suo genere & ad usum proprium vindicanda est: Non autem in *omni genere* & ad omnes usus. Lex perfectissima non excludit necessitatem promulgationis, custodis, expositoris, judicis, &c. neq; mandata superiorum particularia quibus circumstantiarum in Lege generali non determinatarum fit justa determinatio. Nonne Lex de pauperibus relevandis perfecta est, nisi pauperes omnes nominet? Subordinata non sunt coordinata, nec contra. Unum adhuc restat argumentum contra doctrinam Papistarum & Tremulorum, in quo obscurando inaniter sudant; viz. *Si S. Scriptura (cum Lege Naturæ) non est Lex Dei perfecta, sed Spiritûs S. uniuscujusq; privata dictamina, ut partes coordinatæ sunt addenda, tunc non est completus canon, sed unusquisq; Christianus* (si non & Ethnicus) *novas Scripturas addere potest cum Apostolicis authoritate æquandas: & non ante mundi finem Lex Divina erit perfecta: cùm tamen execrationi subjacent addentes.*]

Hic *Barclaius* Tremulus cum Papistis (p. 50, 51.) Scripturarum imperfectionem asserit, novasque additiones ad finem usq; mundi propugnat. At frustra, & verbis confutatione indignis.

At fortasse dicent, *Spiritus* e. g. *in Thomâ, Roberto, &c. non est Lex universalis, neq; alicui nisi sibi ipsi. Resp.* Ergo non est ejusdem generis cum S. Scripturâ, quæ Lex universalis est, neq; ejus insufficientiam in suo genere probat. Sin autem tot Leges sunt quot homines, & nulla detur Lex universalis aut communis, omne regimen & societas inde subvertentur.

Obj. *Spiritus Sanctus idem est in omnibus.*

Resp. Spiritus S. essentialiter aut personaliter non est Lex de quâ quæritur, (Idem scilicet fuit ab æterno cùm nulli regendi erant); sed est *Legis causa efficiens*; de quo non quæritur. Sin autem ejus effecta in individuorum animis sint solæ Leges Divinæ, tunc uniuscujusq; Lex est tantùm in seipso. Et si omnes hypocritæ, hæretici aut errantes dicant se Legem Sp. Sancti sequi, quomodo ab illis qui aliorum corda scrutari non possunt, refutentur? Sp. sanctus autem in Christo & Apostolis regimen omne & Civile & Ecclesiasticum & Oeconomicum non ita subvertit. Pessima quidem est hæc Independentia, quâ unusquisq; fit à Lege scriptâ divinâ, Legibus humanis, & mandatis parentum independens, Legem solam sibi habens (*viz.* S. Spiritum) in seipso.

Nos deniq; Deum Patrem, Filium & Spiritum S. unicum supremum Legislatorem prompte agnoscimus: & Lege naturæ suppositâ, solas Spiritûs S. revelationes esse Leges divinas: & Spiritûs S. vivificans, illuminans & sanctificans opus, ad Legis divinæ salutarem notitiam, fidem, amorem, & obedientiam esse summe necessarium. At Spiritus S. Revelatio Prophetica & Apostolica sacris Literis exarata (non autem unicujusq; Christiani Lumen) est Lex divina (promulgatione suppositâ) universalis. Leges etiam civiles & mandata Oeconomica sunt effecta Rectorum non subditorum Luminis. Vera autem Spiritus S. uniuscujusq; interna illuminatio, & sanctificatio sunt necessaria dispositio & causa fidei, amoris & obedientiæ divinæ.

CAP.

CAP. XVI.

De Triplici Auxilio: & I. *De Auxilio* SPIRITUS SANCTI.

AUXILIA à Christo data ad fœdus Gratiæ præstandum sunt, I. Operativum Spiritûs sancti. II. Objectivum, in Operibus Divinis. III. Suasorium, per Ministerium humanum.

OPERATIO SPIRITUS SANCTI primo explicanda est; Ubi sunt

I. AGENS, *viz.* Tertia Persona S. Trinitatis (primâ & secundâ suppositis): Et Tertium Principium Activum, *viz.* Voluntas, Amor, Potentiâ & Intellectu suppositis.

II. OPERATIO ipsa: Ubi est

- I. Objectum: Quod
  - I. In Actione Creandi est Nihil: Nullum scilicet objectum præexistit.
  - II. In Alteratione, 1. Mere Physicâ objectum est, substantia præexistens.
  - 2. Morali; Objectum est
    - 1. Immediatum; *Homo*, e. g. & ejus 1. Potentia Activa, 2. Intellectus, 3. Voluntas.
    - 2. Mediatum, *Facultatum* harum objecta, 1. Ens possibile, 2. Verum, 3. Bonum.
    - 3. Remotæ Facultates, *viz.* inferiores imperatæ: 1. Sensus & Appetitus, 2. Phantasia, 3. Affectus.
- II. Actio; Quæ est, Essentia Divina ut per Virtutem Efficiens ad extrà. Actio rei creatæ ut est Agentis (& non in passo) à nobis concipitur per modum vel motûs localis, vel Virtutis se communicantis; & mortalium nemini clare nota est: Multò minus natura Actionis Divinæ incomprehensibilis.

III. Effecta: ubi considerandæ sunt I. Species, II. Gradus, III. Ordo, ut sequitur.

- I. Species: ubi I. Substantiæ creatione præsuppositâ, II. De Alteratione tantùm hîc agendum est, Quæ est
  - I. Physica vel hyperphysica in Naturalibus.
  - II. Moralis, in Animâ quà Rationali liberâ;
  - Et ALTERATIO hæc est vel
    - I. Ordinaria; *viz.*
      - I. Christiana vel salutaris in omnibus salvandis,
        - *viz.*
          1. Intellectûs Illuminatio, 1. Ad scientiam, 2. Ad fidem, 3. Ad debitam rerum æstimationem.
          2. Voluntatis sanctificatio, ad Divinum Amorem, seu Complacentiam.
          3. Potentiæ Activæ Vivificatio, ad sanctam Activitatem, fortitudinem, *&c.* ut ante.
      - II. Officialis; *viz.*
        1. Ad Eminentiam Potentiæ in Magistratibus & coactivè regentibus.
        2. Ad Eminentiam Sapientiæ, in Ecclesiæ Doctoribus (Amore supposito.)
        3. Ad Eminentiam Amoris in sanctis Parentibus, Conjugibus, Amicis.
    - II. Extraordinaria; *viz.*
      1. Dona Miraculorum, per Potentiam.
      2. Dona Prophetiæ & Scientiæ (unde S. Scriptura) per Lumen spirituale.
      3. Ecstasis Amoris & Gaudii spiritualis.

- II. Gradus: ubi distinguenda & observanda sunt hæc sequentia.
  - 1. Gratiæ Auxilium est
    - 1. Universale; ad speciem moralem non propriè determinans; sed præsupponens subjectum dispositum, & operans diverse ad modum recipientis: Aut
    - 2. Speciale; determinans facultates humanas ad speciem actûs, ex Voluntate operantis:
      - *viz.* vel
        1. Per Vim, aut *Viam Potentiæ* ut *eminentis*: (non autem ab aliis principiis divisæ.)
        2. Per Ordinem Causarum, vel per *viam Sapientiæ eminentis.*
        3. Per Attractionem Magneticam Causæ finalis, & per *Viam Amoris eminentis.*

III. Ordo

2. Gratia est

1. Externa,
- 1. Communis pluribus, *viz.* Christi & ejus Ministrorum
  - 1. Doctrina
    - 1. Voce,
    - 2. Scriptis.
  - 2. Exempla & opera.
  - 3. Donata beneficia.
- 2. Specialis, paucorum, e. g. in Pauli Conversione.

2. Interna : Quæ est
- 1. Gratia mere Necessaria, vulgo sufficiens dicta : Quæ est
  - 1. Efficax ad Potentiam agendi.
  - 2. Ad ipsum Actum, quandoque
    - 1. Efficax per se & per debitum hominis concursum.
    - 2. Inefficax per defectum concursus debiti humani.
- 2. Gratia Efficax ad faciliùs *posse agere* : Quæ tamen non semper ad *actum* efficax est ; Ambo autem jam dicta auxilia *efficacia* sunt (in gradibus diversis ut sequitur)
  - 1. Ad posse mala quædam interna & externa non committere.
  - 2. Ad posse jussa facere
    - 1. Externa, ut legere, audire, & mediis uti ad meliorem statum :
    - 2. Interna
      - 1. Communiora ; ut quodammodo credere, pœnitere, &c.
      - 2. Salutaria
        - 1. Non-peccare, & perfectè obedire ; quod Adami fuit.
        - 2. Sincerè credere, resipiscere, orare, &c.
- 3. Gratia ex suâ Naturâ Efficax ad ipsam Actionem (e. g. credere) & genere & specie, & numero ; ideóque invincibilis.

3. Major plerumque (etsi non semper) Gratia datur per Media nobiliora, quàm per ignobiliora.

4. Major plerumque Gratia datur sub Evangelio quàm sub Lege Mosaicâ.

5. Major plerumque Gratia datur, iis, qui majorem discendi diligentiam adhibent.

6. Major plerumque Gratia datur senioribus quàm Neophytis Christianis.

I. OPERANDI : Operatio autem Spiritûs sancti est vel

I. Ordinaria : ubi
- 1. Objectum offertur per sensus ; & S. Sanctus animam juvat in receptivâ operatione.
- 2. Phantasmata fere obliterata Spiritus sanctus suscitat, & ita juvat Intellectum.

II. Extraordinaria : *viz.*
- 1. Cum Spiritus sanctus immediatè format Ideas in phantasiâ ; & ita informat Intellectum.
- 2. Cum Spiritus sanctus immediatè infert objecta Intellectûs.

II. OPERIS ; scilicet Operati ; ubi sequentia hæc sunt observanda : (Ratio autem plena & accurata vel modi vel ordinis à nemine mortalium reddi potest.)

1. Auxilia Spiritûs sancti, quædam sunt Antecedentia (de quibus hîc agitur,) Quædam consequentia.
2. Creatio & subjectum Creatum, & auxilia naturæ communia, auxilia Gratiæ spiritualis antecedunt.
3. Auxilium Sp. sancti antecedit actum hominis gratiosum ; Actus tamen ille Antecedens potest esse Gratiæ Spiritûs consequentis priorem hominis actum.
4. *Gratia externa Generalis* vel Universalis datur ante Gratiam *particularem*, *viz.* ut *Redemptor*, ita *fœdus Gratiæ*, *S. Scriptura*, *S. Ministerium*, sunt ante *Fidem*, pœnitentiam, &c.
5. *Gratia interna communior* plerumque datur ante *Gratiam salutarem specialem*.
6. Gratiæ internæ specialis *Gradus minores*, plerumque gradus majores antecedunt.
7. Ordine Naturæ *Actus primus Fidei* à Spiritu Sancto suscitatus, *habitum* fidei (etsi non omnem ad credendum dispositionem) antecedere videtur.
8. Et in *illo Actu primo*, Spiritus sanctus cooperans *Habitum* efficaciter imprimit vel infundit
9. Et *Habitus* ille cæteros fidei actus antecedit.
10. *Intellectus illuminatio* ordine naturæ Voluntatis actus antecedit.
11. *Sanctificatio Voluntatis* antecedit sanctitatem vitæ.

12. *Assensus*

12. *Assensus fidei* antecedit actum specialem Amoris erga Deum.
13. *Consensus Fidei Amorem* erga Deum & Mediatorem continet.
14. Quia *intentio finis* semper antecedit *Electionem Mediorum*, ideo *fides in Christum ut Medium nostrum*, non antecedit *Amorem Dei ut Finis:* At *Christus* qui est *medium electum à Patre*, ab ipso primo adhibetur ad salutem procurandam & prædicandam; & hæc *prædicatio Assensum* fidei primo causat, non ut *medium à nobis electum* ad Amorem Dei, sed ut *Medium naturaliter necessarium* ad Voluntatis Consensum. In quo consensu simul intendimus Deum amandum ut finem ultimum, & Christum ut Medium principale eligimus.
15. Etiamsi *Fides Justificans*, ut dictum est, actum quendam *Amoris* in Consensu continet; quoniam tamen *Fidei Assensus Consensum* & *Amorem* antecedit, & non primus ille imperfectus Amoris Actus, sed Actus plenior cum habitu ipso Amoris, seu Naturæ & Voluntatis sancta Inclinatio ad Deum & sanctitatem amandum, in sacris literis SANCTIFICATIO plerumque dicitur; ideo non ineptè à Theologis statuitur, *Fidem* antecedere *Amorem*, & *Vocationem ad fidem* antecedere *sanctificationem.*
16. *Humiliatio* plerumque *exaltationem* antecedit.
17. Spiritus sanctus in unumquodque agit secundum *naturam Recipientis:* & sicut in merè *naturalibus* causat motus *naturales*, & in *sponte-moventibus spontaneos*; ita & in *libere agentibus* causat *motus liberos.*
18. Opera Spiritus sanctificantia sunt semper opera Divinæ *Potentiæ*, *Sapientiæ* & *Amoris indivisorum*; & inter se *harmonica*, & cum sacris Scripturis *concordantia*, & Dei, Christi & S. Scripturæ sunt *Imago* animis humanis impressa: & nihil ad invicem repugnantiæ continent, etsi in statu imperfectionis, ob peccati præsentiam harmonia ab *imperitis* non probè percipiatur.
19. In *Essentialibus semper*, in *Integralibus plerumque* aut *sæpe*, in *Accidentalibus* autem & Circumstantiis omnibus, vix, aut nè vix, unquam, eodem modo in omnibus sanctificatis Spiritus sanctus operatur: Ita ut in pulcherrimâ harmoniâ magna tamen sit diversitas (Quod & ab Ecclesiæ Rectoribus considerari opus est, nè Concordiam dum moliuntur, perdant.)
20. Modis & Mediis adeò variis Sp. sanctus potest operari, *viz.* Tentationes & impedimenta removendo, Veritatis Evidentias clarè ab extrà explicando, & suasiones potentissimas prædicantium adhibendo, invitantia & allicientia multiplicando, afflictionibus mentem ignavam excitando, occasionum & juvantium catenam connectendo, corporis ipsius temperiem commodam reddendo, amicorum operam subministrando, & interius, ipsas passiones suscitando, phantasiam movendo vel illustrando, &c. & adeò secreti & mortalibus ignoti sunt ejus ad mentes humanas accessus, & operandi modi, ut nimis peremptorie de ejus operandi modis determinare, & de eis contentiones alere, aut ad unicum aliquem modum Dei Spiritum limitare, cæcutientis, superbi, & arrogantis sit, & virum illuminatum, pium, humilem, omnino dedeceat.

Elucidationes

CAP. XVI.

De Auxiliis Spiritûs Sancti & de Sanctificatione.

1. DE Spiritûs sancti Personâ, ut & de fœderatione nostrâ cum Spiritu sancto in Baptismo, & de fide in Sp. sanctum, ut essentiali ad fidelem, seu membrum Ecclesiæ, jam satis dictum fuit: Hîc tantùm de ejus operationibus & auxiliis dicendum est. *Vid. Part.* 1. *cap.* 2. & *Part.* 3. *cap.* 1. & *cap.* 8.

2. Sicut operatio Filii non excludit, sed includit operationem *patris*; ita & *operatio* (& honor itidem) *Spiritus sancti* includit operationem Patris & Filii, (& eorum operandi Gloriam): A *Patre* enim & *Filio* etiam in *operando* ad extrà *procedit* vel *datur* Spiritus sanctus.

3. Spiritui sancto *Perfectio Operum Divinorum*, ut & *ultima* Actionis Divinæ *instantia*, & præcipuè in operibus *Amoris* quà talibus, in sacris Literis plerumque attribuuntur *.

* Natura *à Patre*, Medicina *à Filio*, Salus *à Spiritu sancto eminenter.*

4. Auxilia

4. Auxilia Spiritus sancti etiam sub *fœdere Innocentiæ* Homini nondum peccatori tributa sunt: sed à Deo *Creatore* tantum; non autem sicut postea à Deo ut *Redemptore* & naturæ depravatæ *Restauratore*.

5. Spiritus sanctus etiam à primâ Promissionis seu fœderis gratiosæ institutione, fœderatis omnibus salvandis datus fuit: sed (ut antea dictum est) in gradu statui ecclesiæ infantili, & Revelationibus istis obscurioribus proportionato.

6. In *Gradu* autem adeo *notabili* & *eminente* à Christo statim post Resurrectionem ejus datus est, ut *præ illo, nondum antea datum* fuisse dicatur; scilicet, in tali mirabili & præstanti gradu.

7. Magnalia illa *Spiritûs sancti* Evangelica in sacris Scripturis memorata sunt 1. In *ipsô Christo*: 2. In *Apostolis* & aliis Ecclesiam primò fundantibus: 3. In *omnibus* verè *fidelibus* salvandis.

8. In *ipsô Christo* Spiritui sancto adscribuntur 1. Ejus mirabilis & supernaturalis *conceptio*: 2. *Facultatum* omnium Animæ suæ Virtutibus infusis perfecta repletio & exaltatio: 3. *Operum* ejus & mirabilium (potentiæ) & doctrinæ & sanctitatis *præstatio*. Mat. 1. 18, 20. Luc. 1. 35. Luc. 3. 22. & 4. 1. Mat. 12. 28, 31, 32. Act. 1. 2. & 10. 38. Luc. 1. 4. 14. Jo. 1. 32, 33. & 3. 34. Rom. 1. 4. Heb. 9. 14. Mat. 12. 18.

9. Neque idcirco non opus erat Sp. S quia Ipse Christus erat *Deus*, (*viz.* λόγος) *Incarnatus*: Quamvis enim non Spiritus sanctus, sed *Filius*, unione hypostaticâ naturæ humanæ fuit adunatus, operatio tamen in *Naturam humanam* est *operatio ad extrà*; ideóque *omnium Personarum* S. Trinitatis; & ita ut in aliis operationibus ad extrà, *perfectio* seu *ultima instantia* Sp. sancto attribuitur.

10. Spir. sancti dona extraordinaria *Apostolis* & eorum adjutoribus data, fuêre 1. Dona *Luminis*, doctrinam Christianam cœlestem ipsis certissimè revelantis, ut verbo & scriptis eandem ecclesiæ infallibiliter traderent: 2. Dona *sanctitatis* eminentis, *Amoris* scilicet *Divini* & humani: 3. Dona *potentiæ* ad priora in praxi exercenda, & miracula quamplurima operanda.

11. Dona *salvifica* omnium verè fidelium communia, sunt 1. *Illuminatio Intellectûs*, quâ Evidentia & Veritas rerum spiritualium efficaciter & practicè cernuntur. 2. *Conversio Voluntatis*, quâ Carni, Mundo & Diabolo sincerè renunciamus, & Deo Patri, Filio & Sp. sancto nos totos sincerè & absolutè dedimus. 3. *Vivificatio potestativa*, quâ peccatores antea hebetes, impotentes, somnolenti, obdurati, & *moraliter mortui, potentes*, activi, vigilantes, alacres, & vividi redduntur, in Fidei, Spei & Amoris, & exercitio interiore, & praxi exteriore.

12. Donatio hæc Sp. sancti idcirco necessaria est, quia ex peccato originali, & consuetudine peccandi, naturæ jam vitiatæ, sanctitatis omnes hæ partes planè desunt. Et conscientia hujus pravitatis per modum experientiæ, necessaria esse nobis Sp. sancti hæc dona probat; & fides de Spiritûs sanctificatione necessariâ, naturæ itidem probat pravitatem.

13. Plurimum igitur peccatorum interest, ut naturæ pravitatem probè perspectam habeant, & cæcitatis, malitiæ, & impotentiæ propriæ cordicitus sint conscii, ut inde ad Sp. sancti gratiam sanctificantem, & citò, & avidè quærendam impellantur. Et qui sui sunt justificatores, & pravitatis propriæ ignari, & falsâ & fictâ suâ justitiâ tumidi, ad Spiritum sanctum recipiendum nondum sunt præparati.

14. Natura sanctificationis consistit in Rei vel personæ sanctificatæ *separatione ad Deum*, ab usu & relatione communi: Omne sanctum Deo sanctum est.

15. *Hominum sanctitas* est talis ad Deum separatio, qualis *naturæ Intellectualis essentiæ & usui* congrua est.

16 Describenda est sanctitas humana tum respectu ad *subjectum*, tum ad *objectum*; & quoad *subjectum* consideratur, vel ut in *totâ animâ*, vel ut in *distinctis facultatibus*.

17. Sanctitas quatenus est *Animæ* vel *Personæ* est vel 1. *Activa* (consistens in *Actibus*

tibus) vel 2. *Dispositiva* aut *Habitualis* (in sanctis habitibus vel dispositionibus). 3. Vel *Relativa* (in sanctis *Relationibus*) quæ omnia ad sanctitatem plenam salvificam constituendam concurrunt.

18. *Sanctitas Activa* vel Actuum, est *Actualis* nostri ad Deum *dedicatio*, *devotio* & *adhæsio*, quæ in conversione verâ à creaturis ad Deum, & Cordis sincerâ fœderatione, incepta est, & postea in vitæ sanctæ exercitiis exercita.

19. Hujus fœderatio externa solennis Baptismalis est quasi *Corpus*, & debita professio: Quæ autem sola est sine Cordis sincero consensu, est hypocritica, & cadaver.

20. Sanctitas *Habitualis* est *fixa* illa Animæ *Dispositio* seu *Inclinatio*, quâ apta redditur ad antedictam Devotionem, & Adhæsionem *Actualem*, promptè, vividè & constanter præstandam.

21. *Sanctitas Relativa* (salvandorum communis) est hominum ita dispositorum (& si vita datur, *sanctè viventium*) *Relatio* ad Deum (triplex scilicet postea explicanda.)

22. Quoad facultates distinctas sanctificatas, sanctitas est vel 1. Animæ facultatis *Vitalis-Activæ* & *Executivæ*, & ibi est *sancta vitalitas* (vel *vivacitas*) *potentia* & *robur*: 2. Vel est facultatis *Intellectivæ*; & ibi est *sancta sapientia* (vel *Lumen*) id est, *Scientia* & *Fides*: 3. Vel est *facultatis Volitivæ*; & ibi est sanctus *Amor*, *complacentia*, & *lubentia*, quæ sensu arctiore *sanctitas* dicitur.

23. Sanctitatis objectum (sine quo nunquam describenda est) duplex est, 1. *Primarium*, & *ultimatum*, quod est *Ipse* DEUS: 2. *Secundarium*, *medium*, *viz.* Dei *Gloria*, *Imago*, seu *Apparentia* in ejus *Operibus*.

24. Deus Maximus, Sapientissimus, Optimus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, Creator, Redemptor, Renovator, Causa omnium Principalis, Efficiens, Dirigens, Finalis, quatenus *Pater*, id est, *Proprietarius*, *Rector*, *Amicus*, est objectum & terminus nostræ sanctitatis (ut sæpè dictum est.) Ideoque hæc sanctitas consistit in correlatione nostrâ quâ *Filii* sumus, id est, *Dei Proprii* (peculiariter) *Subditi & Amatores*, cum *dispositione* & *actione* congruis.

25. Hinc sanctitatis salvificæ Descriptio talis esse oportet: [*Est Activa*, *Dispositiva & Relativa separatio* (*Dedicatio*, *devotio*) *Hominis ad Deum ut Patrem nostrum*, id est, ad *Patrem*, *Filium & Spiritum sanctum*, ut *sui* ad *Dominum*, ut *Subditi* ad *Regem*, & ut *Amici* & *Beneficiarii* ad *Amatorem*, *Benefactorem* & *summe Amabilem*; in *sanctâ Vitalitate*, *Lumine*, *& Amore*, per *Spiritûs sancti Vivificationem*, *Illuminationem & Conversionem in nobis operatis*; *Aversionem itidem à carne*, *Mundo & Diabolo*, ut Dei & sanctitatis adversariis, *includens*.

26. Quamvis omnes sanctificati adeò distincte & accuratè sanctitatem describere haud possunt, omnes tamen hæc omnia verè possident: sicut qui naturæ *Intellectualis facultates* non possunt rectè *describere* aut *distinguere*, eas omnes tamen distinctè possident & exercent. At *distincta* & *accurata* sanctitatis *Notitia*, multipliciter utilis est, quamvis non ad salutem planè necessaria.

27. Objectum sanctitatis, & *Terminus Secundarius* seu *Medius*, Dei scilicet *Gloria* vel *perfectio* in operibus ejus prælucens, invenitur vel in operibus *Naturæ*, *Gratiæ*, vel *Cœlestis Gloriæ* & *perfectionis*: In *mundo* scilicet & ejus partibus, & rerum alterationibus, &c. In *Christo*, & ejus doctrinâ, vitâ, operibus, sanctis, &c. Et ubicunque aut Major aut Minor hæc Imago seu Gloria Divina invenitur, ibi aut Major aut Minor *Amor* & *Honor* debetur.

28. Non tantùm diversi *Gradus*, sed & *Species Amoris* & *Honoris* erga *Personas* & *Res* diversas debitæ sunt, sicut Gloria Divina diversimode in ipsis appareat: Aliter igitur sanctitas, aliter Natura, aliter Parentum, Magistratuum, Pastorum officia, dona, opera, beneficia, sunt diligenda & honoranda. At omnes hæ species in veris sanctis in Genere sancti Amoris coeunt, quandoquidem propter *Deum* in illis demonstratum hæc omnia ab ipsis diliguntur: Ideóq; Deus in illis principaliter amatur. Cùm eadem amare non propter Deum, sed propter se, sit Amor carnalis & profanus.

29. Præter hanc sanctitatem salvandorum communem, datur etiam sanctitas quædam

quædam *particularis*, scilicet *officialium*, *Parentum*, *Magistratuum*, *Pastorum*, de qua alibi tractandum est.

30. Vera sanctitas ubicunque invenitur, Deo *amabilis* est ut ejus Imago *propter se*; Quamvis propter *Christum* & donatur, & ejus defectus & peccata conjuncta remittuntur.

31. Ab omni verè fideli potiùs eligitur esse sanctissimum, & minus peccati habere remittendum, quàm plurimum peccare, & à Reatu omnium tandem justificari.

32. Sinceræ sanctitatis inseparabile signum est, Desiderium sincerum perfectionis.

33. Diligenter ab omnibus fidelibus notandum est, Spiritum sanctum nobis communicandum, Primò in Christi naturâ humanâ ut Capite nostro habitare, & indè ex officio per Christum hominibus (quibuscunque diversis gradibus) communicari; & non immediatè, sine Christi & *meritoriâ* & *efficiente mediatione*. Et ita dicitur [*Spiritus Christi*] qui fidelibus donatur, non tantùm quà procedit personaliter à *filio*, sed etiam quatenus in Christo Mediatore & Homine primò operatur, & ab illo & per illum in homines ipsi subditos.

34. Sanctitas non est *Animæ Essentialis*; neque sanctitate vel Spiritu sancto donato vel amisso mutatur *Animarum species*; sed est *perfectio modalis* vel *status*, qualis corporibus *salus* & *robur* est.

35. Tanta est & Spiritum sanctum seu sanctitatem habentis fœlicitas, & non-habentis miseria, ut inter prima *Divini* Regiminis judicia, scilicet præmia & pœnas numerandum sit, Spiritum sanctum vel *dare* vel *denegare*: Et hoc Dei timentibus principaliter semper respiciendum est.

34. *Sanctificare* igitur seu Spiritûs *Auxilia* præbere, est *realiter* & *executivè Peccata condonare*, Id est, *Pœnam demeritam amovere*.

35. Non *Dona* tantùm Sp. sancti, sed *Spiritus ipse* quodammodo fidelibus donatur: *viz.* 1. *Relativè*, ut fœdere baptismali ut sanctificator nobis quasi obstrictus; 2. Et ita ut *Gratiæ*, per proximam attingentiam, semper *præsens operator*; ut in Christo cui adunamur radicaliter habitans, & *operativè*, in nobis derivativè à Christo: & quamvis etiam ubique essentialiter præsens est, non tamen ubique ut *fœderatus Operator*, & principium seu dator vitæ spiritualis.

36. Sicut Christus est Mediator, & Via ad Patrem, ita *Fides* in Christum mediatorem est *Gratia Media*, quâ jus nobis acquiritur ad Christum ut datorem Spiritûs sancti, per quem ad Amorem Divinum, ut ad primitivam sanctitatem, fideles sunt renovandi & ducendi.

37. Quamvis *Fides* ipsa in Christum per Spiritum sanctum in nobis sit efficienda, hæc tamen Spiritûs operatio est tantùm *Media*, ad *Jus fœderale* ad ejusdem Spiritûs *operationem sanctificantem*, id est, *Amorem* in nobis procreantem.

38. Spiritus sanctus à Christo hominibus donatur, 1. Ut sit *Advocatus* ejus, & *testis*, in Mundo & in cordibus sanctorum: Et non male à Tertulliano in symbolo vocatur, *Christi Agens* & *Vicarius*. 2. Ut homines itidem (ut dictum est) sanctificaret. 3. Ut datam gratiam conservaret, foveret & ad Actum excitaret; & ita eidem incrementum daret. 4. Ut ita sanctitatis realitatem possidentibus manifestam faceret. 5. Et inde consolationem ex certitudine salutis, & ex ipsis sacris exercitiis, in mentibus fidelium promoveret. 6. Et ut bonorum & sanctorum operum nostrorum Author, aliorum commodum & Dei Gloriam procuraret. 7. Et ita in nobis sit Adoptionis Evidentia seu Testis, Electionis & Amoris Paterni tessera & pignus, arrhabo, prælibatio & primitiæ cœlestis hæreditatis.

39. Et adeò nobile quidem Christo dat Testimonium, & præpotens adeò ejus *Advocatus* est, ut Christianæ Veritatis nobilissima omnium sit EVIDENTIA (ut per Miracula & Extraordinaria primi seculi opera, & per omnium seculorum dona ordinaria sanctitatis), & Fidei ipsius item EFFECTOR, sine quo Religio Christiana, neque in mundo primò fuisset recepta, neque diutiùs conservanda foret vel propaganda.

40. Mali

40. Mali igitur conceptus & expressiones quorundam, qui de Testimonio Spiritûs sancti confuse nimis aut ineptè loquuntur, perindè ac in immediatâ quâdam certitudinis creatione (sine mediis & evidentiis) consisteret, cavetę nè scandala pernicioſa fiant ingeniis carnalibus; aut minùs attentè aut honorificè de Sp. sancti testimonio quenquam aut loqui aut cogitare inducant. Rectè etenim intellecta Spiritûs sancti testimonium & opera, sunt Fidei Christianæ fundamenta, evidentia & quasi vita.

41. De Articulo igitur Fidei & Baptismatis hoc tertio, & quid sit nos verè *credere*, ut fœderatos, in Spiritum sanctum, sæpe & seriò & practicè ab omnibus fidelibus salvandis cogitandum est.

42. Christus qui *media* externa sanctificationis instituit, & *officia* quædam hominibus imposuit, in quorum præstatione Gratiam Sp. sancti diligenter quærerent, in *mediorum* & *officiorum* eorum usu, Spiritum *sanctificantem* ordinariè dabit: & qui media & officia ista (possibilia & congrua) aut contemnunt, aut negligunt, aut hypocriticè iis utuntur, Auxilia Spiritûs sanctificantis, ut ordinario modo data, sibi spondere aut expectare nisi fallaciter non possunt.

43. Media hæc instituta & officia sunt Verbi Evangelici auditus, Lectio, & Meditatio; Sapientum & piorum auxilii postulatio & usus; operum divinorum, & statûs sui ipsius (mortalitatis, peccati, miseriæ) seria consideratio; salutis per Christum possibilitatem, necessitatem, præstantiam, certitudinem, conditiones, seriò & frequenter pensitare; à Deo Gratiam necessariam supplicite rogitare; & ab impedimentis quantum possumus abstinere.

44. Nemini mortalium carnali Sp. sanctus absolutè promittitur, sine horum mediorum usu, & officiorum ipsi possibilium præstatione.

45. Qu. *An Spiritus sanctus alicui non-fideli promittitur, sub conditione aliquâ præparatoriâ citra fidem? Aut fides ipsa promittitur sub tali conditione?*

Resp. Fœdus Dei cum genere humano salvificum est unicum (etsi diversæ editionis & sub conditione fidei non unius aut objectivi aut subjectivi gradûs.) Nemini igitur, quantum intelligo, fit à Deo *fœdus Justificationis* aut *salutis*, sub inferiore aliquâ Conditione: Ipsius autem *Fidei* diversi sunt Actus: & fides in *Deum* ut beneficiis erga peccatores, misericordem declaratum, & naturâ suâ perfectè Potentem, Sapientem, Optimum, ideóque *Veracem* & fidelem, sæpe fidem in *Christum* incarnatum antecedit: & de fide illa priore in Deum, nescio quomodo probare aliquis potest, eam sub conditione aliquâ peccatori esse promissam: sine illâ ipsâ enim nemo mediis verè moralibus uti potest ad fidem illam obtinendam. Qui enim aut *Deum* esse non credit, aut non esse potentissimum, sapientissimum, optimum, misericordem, & veracem, illi obedire non potest in mediorum usu; & qui non credit Deum esse *Præmiatorem diligenter ipsum quærentium*, non habet quo moveatur ad Deum verè quærendum. At de dandâ *fide in Christum incarnatum*, iis qui veram habuêre fidem in *Deum* ante *descriptum*, majus est dubium. Et qui *veram* habebant *fidem*, in fœdere Gratiæ Adamico imperatam, & inde *sanctificationem* in Gradu ibi donatæ, quia reverâ fœderati filii Dei fuêre, proculdubio majorem fidem & gratiam jure fœderis expectare possent, in usu fideli mediorum ordinatorum. De *credentibus* autem *secundum quid*, analogicè, æquivocè, hypocriticè, an Deus scilicet eis fidem sinceram promisit, ita respondendum est. 1. Deus nullum cum ipsis (quantum mihi unquam innotuit) fœdus percussit, de danda fide sub conditione aliqua citra fidem: Cum Deo etenim *mutuò fœderati* non sunt; neque fœdus aliud quàm Gratiæ illud hominibus quod sciam instituit. Non datur fœdus mutuum, fœdus Baptismale antecedens, quo Deus se obligat Fidem dare sub conditione, & homo se obligat conditionem præstare ut fidem obtineat. At dantur Media quædam Gratiam Spiritûs sancti & fidem obtinendi. Et omnes peccatores sub spe salutis possibilis Deus obligat, ad officia quædam præstanda & media quædam utenda, in ordine ad fidem & pœnitentiam, & inde salutem suam obtinendam. Et omnis à Deo ad hæc adstrictus, etiam obligatur ad credendum, Deum

nemini miserorum officia & media aliqua ad liberationem suam & fœlicitatem omninò fruſtrà utenda imperare: Talia enim Divina præcepta, quia nunquam sunt de inanibus & inutilibus præstandis, in suâ naturâ spei fundamentum continent, & dum officii sunt incitamenta, promissionis ferè naturam possident.

46. Qu. *An verè fidelibus & sanctis, Spiritus sanctus ad finem usque, seu perseverantiam promittitur, absolutè, an sub aliquâ conditione?*

Joh. 15. 4, 6, 7, 9. Col. 1. 23. Heb. 10. 25, 26 & 6. 4. 5, 6. Eph. 4. 30. 1 Thes. 5. 19.

Resp. Sub Conditione continuaturus promittitur, scilicet, si in consensu fœderali practico perseveramus (non tamen sine ejus auxilio, sine quo nè primò quidem credebamus): At an alia detur promissio de istâ perseverantiâ, & An aliqui verè fideles Spiritum sanctum totaliter amittant, suo loco postea perpendendæ sunt quæstiones.

47. Etiam donorum sanctorum quoad *Gradum*, aut eorum *incrementum* aut conservatio, fidelibus non absolutè promittitur; sed sub conditione mediorum utendorum: Nunquam cuiquam dictum est, Tametsi omnia Gratiæ media negligas, & peccata perpetres, tibi sanctitas aut aucta fuerit aut conservata: Neque (ut experientia testatur) talis datur promissio [*Nunquam media & officia hæc negliges, aut flagitium aliquod perpetrabis, & inde sanctitatis gradum aliquem amittes.*] Restat igitur uniuscujusque plurimùm interesse qui Spiritûs Sancti auxilia & Gratiam aut auctam velit, aut conservatam, ut mediis ordinatis fideliter utatur, impedimenta & peccata sedulò devitet, & Spiritui sanctificanti non rebellem se præstet, sed obedientem.

2 Cor. 11. 14, 15. Mat. 24. 4, 5, 11, 24. 1 Jo. 3. 7. Eph. 4. 14. Apo. 20. 38. 2 Thes. 2. 2. 1 Joh. 4. 1, 3, 6

48. Non omnibus fidendum est Spiritibus, aut in nobis ipsis loquentibus, aut in aliis: sed explorandi sunt Spiritus, an reverâ sint divini.

49. Probandi autem sunt Spiritus aut Revelationes *dubiæ*, per *indubitatas: viz.* 1. Per notitias certò naturales; 2. Et per *sacras Literas*: & ita spiritus per spiritum probatur; incertus scilicet per certum. Spiritus etenim in *majore & infallibili copiâ Apostolis* ideò donatus erat, ut per illos sacras Scripturas, ut Regulam fidei & vitæ certissimam nobis traderet; per quam seculorum sequentium revelationes omnes probarentur, utpote à minore, & minùs certâ Revelatione, divinâ saltem, provenientes.

Rom. 5. 1, 2, 3. Gal. 3. 3, 4. & 4. 5. Eph. 3. 17, 18, 19.

50. Ad auxilia majora Sp. sancti obtinenda, optimè conducit, si ad Christum Mediatorem Spiritûs primum possessorem, & datorem, per fidem in ipsum prospiciamus & accedamus; sicut per fidem hanc primò Spiritum obtinebamus.

51. Quantùm aliquis Spiritûs donis locupletatus esse velit, tantùm concupiscentias omnes carnales inordinatas mortificare, ideóque illecebras mundanas devitare, & suggestiones Satanicas odisse & fugere, summopere ipsi necesse est.

52. Non optio sanctitatis frigida pigrorum, cum concupiscentiis dominantibus conjuncta, pro gratiâ Spiritûs salutari sumenda est: neque dolor omnis pro peccatis admissis est vera Resipiscentia; neque lucta omnis spiritûs adversus carnem, à vera sanctificatione provenit, neque ideò semper peccatum superatur quia resistitur; sed ex victoriâ & dominio & parte habitualiter prævalente, de statu hominis judicandum est.

Rom. 6. 2, 12, 14. & 8. 1, 13. Gal. 5. 16, 17, 18, &c. Apoc. 2. & 3.

53. Dum res maximè spirituales contemplamur, præcipuè Deum, Christum & Gloriam cœlestem, & dum in exercitiis maxime spiritualibus nos exercemus, & prioribus Spiritûs auxiliis solertissimè utimur, nova auxilia spe maximâ possumus expectare.

54. Cum spiritualibus item & Amore divino flagrantibus (etsi fortasse non doctissimis) versari, præcipuè autem in publicis sanctorum cœtibus, in Laudibus divinis canendis & prædicandis, ad spiritualitatem in nobis promovendam optimè conducit.

55. Verbum Divinum sine Spiritu est quasi sigillum sine manu; At per Spiritum sanctum efficaciter impressum, sua opera sanctificantia in audientium animos, insuperabiliter & plenè præstat.

56. Quia

56. Quia verò de Gratiâ sufficiente & efficaci, & Libero Arbitrio in Ecclesiis lites quamplurimæ & molestissimæ jamdiu glisçunt, decisiones plurimarum talium quæstionum hîc distinctè subjungendas judicavi.

Qu. *Utrum Spiritus an sacræ Scripturæ potiùs dicendæ sint Norma seu Lex fidei & morum Divina?*

1. *Resp.* HAud parvi momenti hæc quæstio & sæculis prioribus & nostro non parvâ contentione agitata est: In tres scilicet hominum classes, totus orbis divisus est: 1. Classis primæ sunt Spiritûs sancti contemptores ignari: qui ejus nomen & opera quasi somnia derident. 2. Secundæ sunt hypocritæ, qui ex superbiâ & ignorantiâ se Spiritu sancto præditos esse falsò gloriantur. Horum duo sunt genera: 1. Homines verè pii, at rerum divinarum valdè imperiti, qui per Spiritum sanctum verè fiunt fideles, & sancti: At de pluribus tamen, & extraordinariis Spiritûs sancti donis gloriantur, quæ revera aut nullâ aut communia sunt. Hi sunt hypocritæ non *simpliciter*, sed *secundum quid*; quorum infirmitas hæc, quamvis Religioni Christianæ valdè adversa, à Deo misericordi condonata est. 2. Hypocritæ simpliciter sic dicti sunt, 1. Mere *Fanatici autonomi* & antinomi; Qui Spiritûs sancti revelationes, inspirationes & opera falsò ostentant, contra sacræ Scripturæ authoritatem aut sufficientiam. 2. Fanatici Dominantes, *viz.* Papicolæ & eorum similes; qui ut conscientiarum & inde orbis sibi regimen assumant, sacræ Scripturæ ut Regulæ sufficientiam primò negant, & S. Sancto partes primas in regulando ascribentes, inde has consequentias nectunt; *viz.* 1. Spiritum sanctum à Christo Apostolis, & Episcopis ut eorum successoribus, primò & gradu eminenti fuisse promissum; & promissum hoc certissimè donari: Joh. 20. *Recipite Spiritum sanctum:* Act. 20. *Spiritus sanctus vos fecit Episcopos.* 2. Ecclesiam Romanam Papisticam esse solam veram hanc Ecclesiam, cui Christus Spiritum sanctum promisit, & contra quam inferorum portæ non prævalebunt. Et hinc omnia Spiritûs sancti promissiones detorquent, ad probandum sedis Romanæ Authoritatem sacris Scripturis aut superiorem esse, aut coordinatam & ferè æqualem.

2. Ex nuperis nostris Fanaticis, jam *Tremuli* (sic dicti) de Sp. sancto ut sacris Scripturis superiore, & ita in unoquoque regente, maximè gloriantur: Eorumque plurimi rerum imperiti haud cernunt, dum dominatum Papalem oppugnare sibi videntur, quibus insidiis ad Papatum restaurandum viam struere pelliciuntur. Quando enim non sacras Scripturas sed Spiritum sanctum unicuique Legem & judicem statuerunt, nil restat nisi hoc addendum & probandum, *viz.* Spiritum sanctum primò non singulis inferioribus, sed Ecclesiæ, id est, Rectoribus promissum, & donatum esse. 2. Deinde Ecclesiam Papisticam hanc esse, cui singuli igitur obedire debent: Quæ ignaris hisce facilè probare Papicolæ in se recipient.

2. Inter hosce dictos Tremulos, solus (quod scio) quidam Robertus Barclaius Scotus linguâ Latinâ suæ fidei *Apologiam* nuper edidit, *an.* 1676. An reverâ sit Tremulus an Papista larvatus (quales non pauci hoc sæculo in Angliâ nostrâ exorti sunt) ego quidem nescio: De quibusdam Religionis capitibus, ad gustum quidem Papistarum, non omnino tamen malè differit; At de Regulâ *fidei*, & Papisticè & malè. Sacris Literis authoritatem aliquam *Regulantem* non negat: Solam autem aut primam eas Regulam esse, aut ad usum hunc sufficientem pernegat: Spiritum sanctum autem esse primam & maxime propriam Legem & Regulam, eámque universalem, asserit.

3. Ut Quæstio primò rectè intelligatur, notandum est, 1. Spiritum esse quasi Legis seu Normæ Animam, signa autem præcipuè sacras Literas esse ejusdem quasi corpus, & ex ambobus simul unam Regulam constitui, sicut ex Anima & Corpore unum animal. Spiritus sine signis, seu operibus suis nobis non est re-

gula ; nobis utpote minimè notus. Neque aliter nobis signa, e. g. sacræ Literæ norma vel Lex sunt; nisi quà Sp. sancti effecta Voluntatem Divinam gubernatricem nobis significantia. Si igitur tantùm quæratur de ejusdem Legis Causis diversis, facilè agnoscimus, Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse causam omnium primam efficientem, & sacræ Scripturæ quasi animam, sine quo litera mortua est. Quando autem de Causâ Materiali tantùm quæritur, viz. *Utrum Spiritûs sancti effecta Voluntatem Divinam rectricem significantia, in sacris Literis, an in uniuscuj isque (aut Ecclesiæ Papalis) animâ, sint Lex divina (universalis,* aut *particularis) Norma officii & judicii?* De priore affirmativam, de posteriore (de quo jam dicendum) partem negativam teneo.

1. Lex divina universalis una eademque est: Revelatio Spiritûs in cordibus fidelium quoad gradus diversa est: Tot ejusmodi Luminis gradus sunt quot homines: Ergo, &c.

2. Lex Divina perfecta est: Illuminatio interna fidelium omnium non est perfecta: Scimus enim, inquit Paulus, ex parte, & videmus quasi in speculo & anigmate. Quàm pauca nobis nota sunt, quot autem nobis ignota sunt? Et quorum notabilior est ignorantia quàm eorum qui scientiæ perfectionem profitentur?

3. Lex Divina & ejus notitia non sunt res eadem: Illuminatio autem interna (passive sumpta) est Legis Divinæ notitia: Ergo non est illa Lex divina cujus notitia est.

4. Lex Divina invariabilis est (quamvis variabilis ejus notitia): Illuminatio interna variabilis est: Ergo, &c.

5. Lex Divina ab homine mutari aut abrogari non potest: Illuminatio interna ab homine (Deo permittente) mutari & abrogari potest: Ergo, &c.

6. Lex Divina est certa & probè notæ authoritatis: Lumen internum in pluribus valdè incertum est. Ubi notandum est, 1. Spiritum sanctum operari in animas rationales juxta modum recipientium; Rationem ipsam scilicet illustrando; Ideoque quæcumque per Spiritum sanctum nobis nota fiunt, rationaliter, seu per evidentias proprias revelatas nota sunt. 2. Defectivè seu imperfectè à plerisque immò ab omnibus hoc lumen recipitur: (Quamvis author ejus perfectissimus sit.) 3. Sicut igitur in Voluntate regenitorum, bonum imperfectum cum peccato (proh multo) adhuc cohabitat, (& caro luctatur adversus spiritum): Ita & in Intellectu Lumen spirituale cum tenebris. 4. Ideóq; cum quædam sciuntur, plurima autem nesciuntur, & cognita imperfectè tantùm cognita sint, & omnis cognitio est per modum cogitationis (saltem præter facultatum sui conscientiam essentialem) hinc sequitur difficillimum esse in conceptibus seu cogitationibus nostris sine regula perfectiore, discernere quid & quantum sit à Spirito sancto, & quid ab erronea nostra mente, aut carne? Et experientia universalis satis dictitat, quàm miserâ dubiorum & incertitudinis fluctuatione totus ferè mundus jactaretur, si nullam ipsis certiorem haberent Legem, quàm Lumen internum Spir. sancti ut in mente uniuscujusque invenitur. 5. Et quantillum quæso Luminis spiritualis mentibus plerisque, ignaris scilicet, infidelibus, carnalibus, malignis inest? Nonne isti perfectiorem Dei Legem violant, quàm Lumen illud tenebris obrutum? Anne adeo ipsorum peccata excusanda sunt, aut minuenda? Quasi qui Lumine Sp. sancti maximè sunt orbati, ideo minimi sint peccatores; quando fortasse per vitia sese obcæcârunt? 6. Quis quæso sapientum controversias omnes de fide & moribus, ex solo lumine interno, sine respectu (aut antecedente aut concomitante) ad regulam aliquam externam judicare ausus fuerit? 7. Ubinam in orbe terrarum regnum aut Respublica tam stulta inventa fuit, cujus nulla fuit Lex regulans præter uniuscujusque Lumen internum? Anne Reges suas Coronas per uniuscujusque hoc lumen judicandas submittent? 8. Anne *Tremuli ipsi* suam doctrinam, suas fortunas, membra, famam, vitas, ignorantium, ebriorum, malorum omnium Lumini interno ut Legi seu regulæ submittent? Cùm maxima pars hominum in tenebris versatur. 9. Nonne *Tremulorum* (vel saltem Papistarum) Doctores expectant,

expectant, ut auditorum ſuorum ignorantium Lumina, Doctorum Lumini ut majori ſe ſubmittant? Quidni igitur & nos omnes Lumina noſtra imperfecta lumini perfectiori Apoſtolorum quamvis ejuſdem Spiritûs ſancti ut regulæ ſeu Legi ſubmitteremus? Cætera vide poſt cap. 15. de ſac. Scripturis.

CAP. XVII.

II. *De Auxiliis Objectivis in Operibus Divinis.*

OPERA DIVINA ſunt, 1. Rerum CREATIO per Potentiam, 2. ORDINATIO per Sapientiam, 3. PERFECTIO in Amore.

I. CREATIONIS & conſervationis, { Opera conſiderantur, } 1. In Univerſitate. 2. In partibus, 1. Majoribus, 2. Minoribus, 3. Minimis. Et

- I. In Elementis, { 1. Activis, *viz.* { 1. In materia (Metaphyſicâ vel Phyſicâ.) 2. In formis: 1. Quâ Virtutes, 2. Ut in Actu, 3. Ut in Actione. 2. Paſſivis.
- II. In Elementalibus: Quæ omnia ante delineata, non hîc ſunt recitanda.

Sub Chriſto autem nobis Auxilia ſunt, contra Atheiſmum & omnem Impietatem, declarando,

1. DEUM UNUM; Creatorem; 1. Omnipotentem, 2. Omniſcientem, 3. Optimum.
2. Idque, 1. Omnibus ſenſibus, 2. Maximâ & indubitatâ evidentiâ; 3. Ideóq; omnibus, 4. Efficaciter, 5. Semper.

II ORDINATIONIS ſeu Gubernationis Opera ſunt

- I. Circa Inanimata; multiplex eorum Alteratio ad uſum Animatorum.
- II. Circa Animata Vegetativa & Senſitiva; 1. Generatio, 2. Alteratio, 3. Corruptio.
- III. Circa Hominem, Intellectualem, Liberum, eſt Regimen jam deſcriptum: & in parte ejus Executiva,

I. BENEFICIA:

1. Univerſalia; erga Mundum peccatorum.
2. Publica; erga Regna, Eccleſias, & alias ſocietates particulares.
3. Privata; erga Individuos, *viz.* 1. In noſmetipſos, 2. Alios, amicos, proximos, inimicos, &c.

I. Corporea,
- I. In ipſum Corpus, *viz.* { 1. In ejus nutritione, & augmentatione. 2. In mirandâ partium & totius conſervatione, motu, temperie, &c.— 3. In malorum depulſione, & curatione.
- II. Bona Externa: Cibus, Potus, Veſtitus, domus, lectum, ignis, aqua, utenſilia, animalia, fundus, terræ, fructus, aer, cœli, tempeſtates fœlices, amici, negotia, &c.

II. Spiritualia, *viz.*
- 1. Interna; Illuminationes, motus ſancti, Conſolationes (hîc objectivè conſideratæ.)
- 2. Externa, *viz.* { 1. Fundamentalia: Redemptio per Chriſtum (objectivè conſiderata). 2. Miniſterialia; { 1. Univerſalia: Fœdus gratiæ, Apoſtoli, S. Scriptura, &c. 2. Particularia: Paſtores, amici, Libri, conciones, preces, Sacramenta.
- 3. Finalia: Reconciliatio, Juſtificatio, Adoptio ut Actiones Dei ſunt (objectivè ſumptæ.)

II. POENÆ
1. Univerſales, in mundum; propter peccatum univerſale.
2. Publicæ; in Regna, Eccleſias, & alias ſocietates.
3. Privatæ, in individuos. 1. Noſmetipſos; 2. Alios, amicos, proximos, inimicos.

viz.

- viz.
  - 1. Corporeæ,
    - 1. In ipsum Corpus: morbi, infirmitates, afflictiones quamplurimæ, *viz.*
      - 1. Immediatè per Deum; aut per viam naturæ, ut ægritudines, &c.
      - 2. Mediatè per alios,
        - 1. Spiritus; 1. Malos plerumque, 2. Aliquando Bonos.
        - 2. Homines; 1. Nosmetipsos, 2. Inimicos, 3. Amicos, &c.
    - 2. Circa Corporis bona Externa jam enumerata.
  - 2. Spirituales,
    - 1. Internæ; Desertiones, timor, tristitia, perplexitates, &c.
    - 2. Externæ; Privatio Pastorum, Librorum, amicorum consolantium, &c.

AUXILIA autem hæc omnia respectivè nobis sunt, ut sequitur, pensitanda.

I. ORDINATIO Creaturarum & mundi Regimen in genere nobis demonstrant
- 1. Deum; præsentem,
  - 1. Omnipotentem, 2. Omniscium, 3. Optimum.
  - 1. Dominum omnium, 2. Gubernatorem, 3. Benefactorem & Finem.
- 2. Hominis
  1. Statum Reconciliationis aliqualis; dum talia etiam peccatoribus donantur.
  2. Debitum Gratitudinis, & Amoris, dum pœnas merenti beneficia conceduntur.
  3. Spem majorum & meliorum ex eodem fonte; ideóque ipsius fœlicitatis.
- 3. Redemptionem igitur aliquam factam esse, hæc omnia peccatoribus procurantem.

II. BENEFICIA ante enumerata nobis Auxilia sunt,
1. Divinam BONITATEM ut in se, demonstrando; & ità Amorem sanctissimum excitando.
2. Amorem Dei erga *sanctitatem* (ut Præmia) demonstrando; & ità talem in nobis suscitando.
3. Amorem Dei erga nosmet exprimendo; & ità Amorem gratum in nobis generando.
- Et è contra Peccati omnis odiosam injustitiam & ingratitudinem demonstrando; quo præteritorum nos pœniteat, & à possibilibus sedulò præcaveamus.

III. POENÆ,

I. Castigatoriæ, nos juvant,
1. Sanctitatem & Justitiam Divinam amabilem demonstrando.
2. Odiosam peccati naturam etiam ipsis sensibus ostendendo.
3. Particularem Providentiam & observationem Divinam probando.
- Et ità, 1. Pœnitentiam de præteritis, 2. Et Cautelam de futuro, suscitando, Idque per modum operandi sensibilem, & ideo efficacem.

II. Destructivæ, impiorum nos juvant,
1. Peccandi timorem nobis incutiendo; & malum peccati spectatoribus monstrando.
2. Impœnitentes de Conversionis necessitate monendo.
3. Amorem Dei erga Sanctos ostendendo, dum inimicos Sanctitatis perdit.

III. OPUS DEI finale PERFECTIVUM est GLORIFICATIO; Quæ præmonstrata & prævisa,

1. Omnium maximè Amorem Divinum demonstrat; Ideóq; Amorem nostrum incendit.
2. Beneficium Redemptionis maximè amplificat; Ideóque Gratitudinem ingenerat.
3. Sanctificationis præstantiam maximè ostendit; Ideóq; amorem Sanctitatis auget.
- Et ità,
  1. Peccata maximè odiosa reddit.
  2. Tentationes seducentes efficacissimè refellit.
  3. Patientiam & spem sub omnibus persecutionibus & malis optimè roborat.
- Et Damnatio Impiorum præmonstrata,
  1. Efficacissimè Dei Justitiam & sanctitatem ostendit.
  2. Et Timorem peccandi necessarium & tutum nobis incutit & alit.

CAP.

Elucidationes

CAP. XVII.

§. 1. MAxima & mirabilia sunt opera Divina, ab omnibus qui in iis delectantur exquisita. Mundus Dei Liber est, cujus Literæ sunt *Res Creatæ*; *sensus* autem est *Deus ipse* & ejus *Voluntas*, & *invisibilia* & *futura*.

2. Quanquam à rebus mundanis maledictio à peccatis orta non plene adhuc removetur, per Christum tamen quædam jam facta est restauratio, & omnia Redemptori tradita sunt, ad fines redemptionis obtinendos; Per quem ad Peccatorum instructionem & conversionem ordinata sunt: & quamvis infideles & impii adhuc omnibus abutuntur, fidelibus tamen omnia sanctificantur, dum media fiunt ad eorum sanctitatem & salutem.

3. Sicut *Christus* est *via ad Patrem*, ad quem suas Oves perditas reducit, ita & Opus Redemptionis non opera Creations obliterat aut quoad usus spirituales cassat, sed omnia primò imperfecte, tandem perfectè redintegrat, & ad Creatorem glorificandum ejus perfectiones demonstrando à maledictione vindicata magis idonea reddit. Obliteratus creatorum liber restitutus fidelibus jam Deum Omnipotentem, sapientissimum, Optimum, Dominum, Regem, Benefactorem exhibet; Ideoque ab omnibus studendus est. Et per Redemptorem ad Creatoris cognitionem & cultum etiam per opera ejus jam sanctificata instruimur.

4. Immo de Redemptione aliquali ex operibus Dei conservatis & reparatis, & providentiæ dispensationibus nonnihil innuitur: Hinc enim plenâ & universali generis humani experientiâ, clare patet, Deum homines non secundum eorum commerita judicare, ideoq; peccata remittere, pœnasq; plurimas commeritas condonare; ideoq; non justitiæ rigore, sed ut Deum misericordem nos regere, hominesq; vocare ad pœnitentiam, & peccatoribus media quædam ordinavisse, quibus ad Dei notitiam, amorem, cultum, obedientiam, & ad salutis spem aliqualem perveniant. Et quamvis personam Mediatoris & ejus vitæ passionisq; historiam hinc noscere non possunt, misericordiam tamen condonantem, & Regimen Gratiæ paternum, non juxta peccatorum merita exequentem, hinc colligere veræ rationi haud difficile, nedum impossibile est: Unde totum genus humanum quamvis peccati aliqualiter conscium, misericordiam tamen Divinam supplicat, eiq; quodammodo (quamvis non firme & salutariter) fidit: Quod tametsi *de modo* præsumptionis opus est, tamen *ad actum* ex misericordiæ Divinæ notitiâ naturali & experientiâ, objective invitantur.

5. Sicut qui obstinate peccarent, si beatorum & damnatorum statum viderent, omnino essent inexcusabiles; ita & qui cœlo & terrâ mirandis Dei operibus visis ita peccarent.

6. Non igitur sicut nugaces Philosophi, sed ut fideles & spirituales Dei opera scrutari debemus & contemplari; non ad phantasiam delectandam, sed ad notitiam, reverentiam, admirationem, amorem & laudes Divinas promovendas: Philosophia vera Theologiæ pars est.

7. Cum sub Lege vetere Davides cum Ecclesiâ Judaicâ ita Deum Creatorem ob opera ejus glorificarent, ut in Psalmis satis constat, quantò majore alacritate jam fideles hoc præstarent, Dei opera mirabilia ad ejus gloriam enarrando, & hymnis Creatoris Laudes animo hilari quotidie celebrando? Proculdubio Laudes operum Divinorum etiam in cœlis à beatis in æternum erunt decantatæ; Ideoque à Redemptore non despectæ & depositæ, sed perficiendæ sunt.

CAP. XVIII.

III. *De* AUXILIO SUASORIO MINISTERIALI: *Ubi, De triplici Ministerio* ;

Et I. De MINISTERIO PARENTUM & de FAMILIIS.

Christi Officiales sunt I. PATRES in familiis, II. Pastores in Ecclesiâ, III. Magistratus in Republica: *viz.* Officiales eminentis I. Amoris, II. Sapientiæ, III. Potentiæ (semper tamen conjunctorum in unoquoque.)

I. PATERNI officii *Causa Efficiens* est

- 1. DEUS Creator ; *viz.*
  - 1. Dispositivè ; per Generationem humanam.
  - 2. Actualiter ; per Legem Naturæ generatæ.
- 2. Christus Redemptor ; ut Dominus, Rex & Benefactor,
  - 1. Naturæ humanæ Redemptæ ; & ita ut Administrator Mundi universalis.
  - 2. Ecclesiæ specialiter, ut ejus Caput ; Cujus Ecclesiæ
    - 1. Familia est pars collectiva.
    - 2. Paternitas est medium sanctificatum.

II. FINIS ; est.

- 1. Ultimatus ; Complacentia Divina in sua Gloria in sanctis familiis resplendente.
- 2. Remotus ; Fœlicitas Ecclesiæ, & bonum Universitatis, ex familiis ut plurimum constitutæ.
- 3. Proximus ; Bonum familiæ, *viz.* 1. Subditorum, 2. Gubernantium.

viz.
- 1. Per Ministerium *Amoris sancti*, & per Amorem sanctum inde procreatum.
- 2. Per Ministerium *Sapientiæ*, & inferiorum obsequium.
- 3. Per Ministerium *Potentiæ*, & personarum, rerumque indè rectam dispositionem.

III. CONSTITUTIO seu Status Officii Paterni ; Ubi sunt

- I. FORMA: Quæ est
  - 1. Authoritas, & 2. Obligatio Officialis ; ad opera
    - 1. Amoris, 2. Sapientiæ, 3. Potentiæ,
      - Objecto & fini debito adaptatorũ
        - A Christi ipsius
          - 1. Paternitate, 2. Rectoratu, 3. Dominio
            - derivatorũ & illi subordinatorũ.
- II. MATERIA: ubi (subjecto supposito) sunt
  - I. OBJECTUM:
    - 1. In toto: FAMILIA.
    - 2. In partibus: Ubi
      - 1. Correlatum principale ; Liberi.
      - 2. Correlata subordinata, *viz.*
        - 1. Præparatorium ; *Uxor.*
        - 2. Subserviens ; *Servi.*
  - II. ACTIONES
    - I. Generaliter, (debitæ)
      - 1. A Patrefamilias, sunt
        - II. De Mediis, *viz.*
          - I. De fine ; Conari ut *Familia* sit, 1. *Sapiens*, 2. *Sancta*, 3. *Fœlix.*
          - I. Ut Sub-dominus est de suis determinare, 1. Quoad habitationem, 2. Opera, 3. Provisiones.
          - II. Ut Subrector
            - 1. Erudire, 1. De verbis, 2. De sensu, 3. De praxi Verbi Divini.
            - 2. Agenda imperare, & non agenda vetare.
            - 3. Obedientes præmiari ; & inobedientes corrigere.
          - III. Ut Amator, Benefactor,
            - 1. Amore, pace, & delectatione, cum suis cohabitare.
            - 2. Ad animorum & corporum fœlicitatem necessaria providere.
            - 3. Quotidianis precibus pro ipsis & cum ipsis apud Deum intercedere.

2. Inferiores

- II. Specialiter
  - II. Ut PARENS,
    - I. Actio ejus in Genere, quæ est
      - I. Finaliter, sapientiam, sanctitatem & felicitatem veram discere, appetere, quærere.
      - II. De Mediis
        - 1. Paternis dispositionibus placide se submittere.
        - 2. Docenti auscultare, imperanti obedire, & castigantem ferre.
        - 3. Patrem-familias & se invicem amare; beneficia grato animo recipere, & in officiis referre; & sancte cum ipso Deum colere.
    - II. De Mediis: ubi sunt
      - I. Ut Subdominus
        - 1. Suos per fœdus Baptismatis Deo sancte dedicare.
        - 2. Statum vitæ & negotia ipsis congrua eligere.
        - 3. Liberos suos protectione & necessariis sustinere.
      - II. Ut Rector Liberos
        - 1. Erudire: 1. Docendo, 2. Exemplo, 3. A seductione eos defendendo.
        - 2. Imperare: 1. Finem optimum eis proponendo, 2. Media recta præcipiendo, 3. Ab impedientibus præservando.
        - 3. Judicare, 1. Animadvertendo, 2. Convincendo, 3. Præmiando & puniendo.
      - III. Ut Amator, *viz.*
        - I. Ob Animam,
          - 1. Promissiones & fœdus Dei, ipsorum gratia, fide accipere.
          - 2. Amorem eorum Deo conciliare, & amores illicitos mortificare.
          - 3. Sanctitatis Media eis procurare, & contraria amovere.
        - II. Ob Corpus,
          - 1. Liberos enutrire, & bona ipsis procurare.
          - 2. Cum eis amanter & delectabiliter versari.
          - 3. A malis quibuscunque quantum potest eos tueri.

- I. Ut MARITUS,
  - I. De fine; 1. Mutuum solamen, 2. Bonum familiæ, 3. Cultum Divinum, promovere.
  - II. De mediis, *viz.* Ad Bonum
    - 1. Mutuum; 1. Cordicitus amare, 2. Sapienter regere, 3. Opere assistere, & patienter tolerare.
    - 2. Familiæ; 1. Liberorum procreatio & educatio. 2. Necessariorum provisio. 3. Authoritatis uxoris præservatio.
    - 3. Cultus Divini;
      - 1. Doctrinâ, 2. Excitatione assiduâ; 3. Praxi exemplari Uxoris, 1. Scientiam, 2. Pios affectus, 3. Et praxin promovere.
  - Uxoris igitur est
    - 1. Redamare, 2. Obedire, 3. Opere item assistere & mariti patientiam non fatigare.
    - 1. Liberorum procreatio & pia educatio: 2. Ad necessaria procuranda cooperatio: 3. In Regimine concursus.
    - 1. Scientiâ, 2. Piis affectibus, 3. Exercitiis sacris, cultum Divinum promovere.
- I. Finaliter,
  - 1. Conari, ut semen suum sit 1. Sapiens, 2. Sanctum, 3. Fœlix.
  - 2. Ad ecclesiæ & reipublicæ incrementum & fœlicitatem.
  - 3. Et ad Gloriam Divinam demonstrandam, & Voluntatem ejus complacendam.

II. Agendi modus & Media: In Actionibus ſcilicet

I. Dominii, *viz.*

I. In Dedicatione Baptiſmali,
1. Ut fœderis ſenſus, beneficia, obligationes probè intelligantur.
2. Ut ipſi Parentes cordicitus, ſe priùs, & deinde ſuos Deo devoveant.
3. Ut de fœdere præſtando per ſe & per liberos probè curent.

II. De Statu vitæ,
1. Ut in Vocatione eligenda Bonum publicum & Dei Gloriam primò intendant.
2. Ut Vocatio liberorum ſit eorum indoli prudenter adaptata.
3. Ut ad Vocationem electam ſummâ curâ & induſtriâ præparentur.

III. De Proviſionibus,
1. Ut Ratio proviſionum non ſit mundana & carnalis, ſed perſonalis & publica utilitas.
2. Ut ſuperbia, ſenſualitas, ignavia, avaritia, in liberis minimè alantur.
3. Ut fide, prece & induſtriâ, à Deo donatore neceſſaria expectentur.

II. Regiminis,

I. Erudiendi,
1. Ut Maxima & Neceſſaria primò & ſummâ diligentiâ inculcentur.
2. Ut *pauca* primò, deinde *plura* quaſi guttatim in animos minùs capaces inſtillentur.
3. Ut primò *verba* ſeu *formulæ*, deinde formularum *ſenſus* diſcentium animis inſcribantur.
4. Ut *phraſi clariſſimâ*, & colloquio familiari præcipuè doceantur.
5. Ut *amore* & modis omnibus, diſcenda fiant diſcentibus *dulcia* & deſiderata.
6. Ut *ſcholarum* neceſſarium auxilium haud negligatur.
7. Ut *Agenda* diſcant *praxi* & *uſu*; e. g. meditari meditando, precari precando, &c.
8. Ut *Parentes* ipſi coram liberis id *agant* (ſuo loco) quod liberos agere volunt.
9. Ut à ſeductoribus & tentationibus ſedulò præſerventur.
10. Ut conſtantiâ indefeſſâ res ad præoptatum finem perducatur.

II. Imperandi,
1. Ut obediendi commoda, & inobedientiæ damnum liberos probè intelligere curent.
2. Ut nil niſi rectum, & ipſis congruum & utile imperetur.
3. Ut Authoritatis Divinæ Obligatio efficaciſſima, ſemper ſub oculis liberorum ponatur.
4. Ut Parentes Deo & ſuperioribus obediendo, liberos obedientiam doceant.
5. Ut Parentum contemptus, & inobedientia non facilè tolerentur.
6. Ut ſenſuum dominatio & voluptatum illecebræ ſedulò arceantur.
7. Ut malorum conſortium, colloquia & exempla, ut peſtes omni curâ devitentur.

III. Judicandi,
1. Ut Liberorum diſpoſitiones & actiones diligentiſſimè obſerventur.
2. Ut poſt peccata per convictionem ad confeſſionem debitam cogantur.
3. Ut laude & præmiis obedientia & pietas fiat ipſis honorifica & dulcis.
4. Et malum etiam ſenſibus fiat amarum ſemper, doloriſicum, & dedecus.
5. Et tamen correctio ad perſonam, culpam, fructum, reſpectu debito adaptetur.

III. Bene-

III. Ut HERUS
- III. Benefaciendi
  - I. In fœdere Baptismatis,
    1. Ut fiat in Scientiâ, & fide promissionis, & acceptationis Divinæ.
    2. Ut Amor liberorum, beneficii æstimationem, & gratitudinem augeat.
    3. Ut omnia fiant tamen propter ipsum Deum, ex cujus amore liberi sunt amandi.
  - II. In Sanctitate eorum promovendâ,
    1. Ut Amor Divinus & Gloria cœlestis clarissimè liberis aperiantur.
    2. Ut vilitas mundanorum, & stultitia miseriáque peccatorum ipsis patefiat.
    3. Ut in pietatis Praxi suaviter educantur, & à malorum praxi abducantur.
  - III. Quoad Media pietatis,
    1. Ut in Ecclesiâ sub Pastore fideli enutriantur; & à falsis doctoribus, nec non à spectaculis publicis pellicientibus præserventur.
    2. Ut pietati Domesticæ, Scripturarum lectioni, precibus, sacris Colloquiis assuefiant.
    3. Ut in privatis pietatis exercitiis (meditatione, prece, Lectione) instituantur.

Hinc facilè Liberorum erga Parentes officia etiam colligi possunt.

- I. Finaliter: 1. Ut servi sint sancti & fœlices, 2. Ad societatis bonum, 3. Et Dei complacentiam.
- II. De Mediis, *viz.*
  - I. Generaliter, ut exerceantur
    - 1. Dominium, { 1. Potentiâ, 2. Sapientiâ, 3. Benignitate, } sicut ad finem sit maxime conducibile.
    - 2. Regimen, { 1. Potentiâ, 2. Sapientiâ, 3. Benignitate, } sicut ad finem sit maxime conducibile.
    - 3. Beneficentia, { 1. Potentiâ, 2. Sapientiâ, 3. Benignitate, } sicut ad finem sit maxime conducibile.
  - II. Speciaaliter,
    1. Labores & negotia rectè servis imponere, & ab ipsis requirere.
    2. Servos in timore Dei erudire; & à peccatis & tentationibus præservare.
    3. Necessaria ipsis providere, & in pace, & lenitate cum ipsis versari.

Servorum itidem officium est, eos

1. Fideliter Dominis laborando servire, & patienter mala ferre.
2. Præceptis prompte obedire.
3. Dominos & revereri & amare.

} Ex obedientiâ scilicet & Amore erga Deum ab ipso præmium expectantes.

Elucidationes

CAP. XVIII.

§. 1. DOmus seu Familia est prima & maximè necessaria societas, *viz.* ad generis humani propagationem, ad mutuum solamen & ad Dei cultum.

2. Nisi per conjugium sanctum benè incipiat, vix sperari potest ut fœlicitèr procedat.

3. Ecclesiarum & Regnorum depravatio & ruina in personarum pravitate, & domorum corruptione, præcipuè in malâ liberorum educatione incipit, & eorum præservatio & restauratio fit maxime per piam & prudentem liberorum & servorum institutionem.

4. Magnatum præcipuè & divitum perfidia in liberis suis in impietate, superbiâ, sensualitate, avaritiâ & otio educandis, est maxima Regnorum & Ecclesiarum pernicies; cùm eorum filii ad regimen destinati per parentes ad Satanæ servitium & malignam pietatis oppositionem præparantur.

5. Si damnanda est negligentia Pastorum erga populum, multò magis Parentum erga liberos; ex eorum scilicet obligatione, potestate, & opportunitate ad officium suum faciendum. Immò Parentes negligentiâ, malignitate, & seductione suos liberos perdentes, minùs excusabiles quàm ipse diabolus videntur.

6. Pessimè à pluribus expectatur suos liberos merè quia suos à Deo diligendos esse, dum sua officia in eorum educatione aut negligenter aut non omninò præstant.

7. Domus sancta regni Christi pars non contempta est, in quâ ipse regnat, quotidie colitur; & beneficia sua communicando, progeniem ad mundi & Ecclesiæ bonum & cœlorum hæreditatem propagat.

8. Quia Libro Angl. *Christiano Directorio* dicto de *Oeconomica Christiana* copiosè scripsi, & casus Conscientiæ tractavi, Lectorem illuc referens, hîc cætera prætereo.

CAP. XIX.

§. I. II. *De Officialibus seu Ministris Ecclesiasticis, & Ecclesiis.*

II. De MINISTERIO ECCLESIASTICO notanda sunt,

I. UNDE? seu causa Efficiens; scilicet, Ministerii
- I. Ut Instituti,
  - 1. Causa Principalis est DEUS-REDEMPTOR.
  - 2. Instrumentalis est Lex ejus Evangelica, officium instituens.
- II. Ut Constituti & existentis;
  - 1. Principalis est, 1. Pater donans, 2. Filius Administrans, 3. Spiritus operans.
  - 2. Instrumentalis,
    - 1. In Genere; signum quodcunq; Voluntatem Divinam de *Personâ* sufficienter notificans.
    - 2. Specialiter conjunctim,
      - 1. *Necessitas Animarum*; Ibi enim fundamentum in *Lege naturæ* jactum est.
      - 2. *Qualificatio Personæ necessaria*; Quæ est Dispositio sine quâ non.
      - 3. *Debita Admissio* externa: Quæ est
        - 1. Ut Necessaria *ad Esse*, *Opportunitas*; ubi plerumque *Consensus*.
        - 2. Ut Necessaria *ad Ordinem*, *Ordinatio*; Quæ est *Investitura* legitima.
        - 3. Ut Necessaria *ad Libertatem Exercitii*; *Licentia Magistratûs*.

II. QUORSUM? scilicet, FINIS est,
- 1. Animarum *conversio*, & mundi vocatio, ad Ecclesiæ constitutionem, & augmentationem.
- 2. Conversorum, 1. *Confirmatio*, 2. Maturitas, 3. & fructus; ad Ecclesiæ ædificationem.
- 3. Ecclesiarum *consociatio*, pax & Communio, in Sancto Lumine, Amore & Operibus.

III. QUID? vel Ministerii Constitutio; ubi sunt,

I. MATERIA: ubi]
- I. SUBJECTUM, *viz.*
  - I. Necessarium ad esse: *viz.* ut sit,
    - I. Quoad Naturam, 1. Vir sive Mas, 2. Rationalis, 3. Facultatum bene sanarum.
    - II. Quoad Religionem; Christianus (*viz.* saltem in essentialibus.)
    - III. Ad officii opera
      - 1. Dispositus, dotibus necessariis instructus, *viz.*
        - 1. Necessariorum scientiâ.
        - 2. Amore & consensu.
        - 3. Docendi facultate, saltem mediocri.
      - 2. Vocatus, ut dictum est.
  - II. Ad bene esse: Qui dotibus & Sanctitate fidelium vulgo plurimum antecellit.
- II. OBJECTUM, *viz.*
  - 1. Mundus atheorum, infidelium & impiorum, convincendus, convertendus & baptizandus.
  - 2. Ecclesiæ visibilis,
    - 1. Pars mortua hypocritica, externe regenda, internè regeneranda.
    - 2. Pars viva sincera, confirmanda, regenda, perficienda.
- III. OPUS (præter opera Apostolorum & aliorum inspiratorum propria) sunt vel
  - I. Erga Infideles; *viz.* Eos convertere ad Deum per fidem in Christum, *viz.*
    - 1. Per *Veritates Naturales* eos præparando.
    - 2. Evangelium Christi (Veritatem, Bonitatem, Potentiam & Miracula) eis prædicando.
    - 3. Sanctimoniâ exemplari ipsis præeundo (& per miracula extraordinarii Ministri suam doctrinam confirmarunt.)

II. Erga

- I. Singulos : *viz.* Eos
  - 1. Baptizare : (in fieri,)
    - 1. Eorum Fidem & Pœnitentiam probando & accipiendo.
    - 2. Devotos & oblatos ad Baptismum recipiendo.
    - 3. Ex parte Dei, ejus fœdus & beneficia eis tradendo.
  - 2. Singulatim postea, 1. Eos docere, 2. Regere, 3. Excitare.
  - 3. In cœtus publicos, & Ecclesiæ communionem eos inducere.
- II. Erga Fideles, *viz.*
  - I. In familias : Quarum sancta gubernatio à Pastoribus discenda est.
  - II. In Ecclesias, *viz.*
    - 1. Universalem ; cujus Unitas, fides, sanctitas, à pastoribus conservanda sunt.
    - II. Associatos, *viz.*
      - 2. Particulares, ubi
        - 1. Ut Doctores, Christi *doctrinam* prædicant.
        - 2. Ut Pastores, Christi gregem regunt & pascunt.
        - 3. Ut Patres & sacerdotes pro grege orant, & ipsius in cultu Divino publico, Sacramento, &c. præeunt.
      - 3. Associatas : ubi Ecclesiarum Lumen, Amorem, Praxim sacram consilio promovere debent.
  - III. In Respublicas : Quarum Pax, sanctitas, fœlicitas ab ipsis promovenda sunt.

II. FORMA est, 1. Authoritas, 2. Et Obligatio Divina, conjuncta ad opera propria antedicta ; Officium scilicet Christo subordinatum per participationem muneris, 1. Sacerdotalis, 2. Prophetici, 3. Regalis ; ex principiis Potentiæ, sapientiæ & Amoris, obeundum.

III. DIFFERENTIA Ministrorum ; *viz.*

I. Quoad *Officium* : & ita distinguendi sunt,

- I. Fundatores temporarii, jamjam descripti, *viz.*
  - 1. Apostoli.
  - 2. Prophetæ.
  - 3. Evangelii scriptores.
- II. Ædificatores continuandi, *viz.* in
  - I. Provinciâ indefinitâ,
    - 1. Evangelistæ, Prædicatores, doctores, qui incredulos convertant & baptizent ; & in Ecclesiis particularibus pro tempore & re natâ ministrent.
    - 2. Pastores, qui à particularibus Ecclesiis sejuncti, relationem tamen generalem ad mundum & ad Ecclesiam universalem retinent ; nec officium sacrum omnino deponunt.
  - II. Provinciâ definitâ, *viz.*
    - I. In Ecclesiâ singulari : ubi
      - 1. Ministri constitutivi : Episcopi, Pastores, Seniores, Doctores, dicti.
      - 2. Subservientes (hîc non descripti) Diaconi & Diaconissæ ubi opus est.
    - II. Limitatâ per consensum vel ex prudentiâ ; ubi sunt plurium Ecclesiarum Visitatores, vel Curatores, prout status & res Ecclesiarum opem postulant.

II. Quoad Ætatem : senioribus quippe à juvenibus reverentia, honor & submissio debetur.

III. Quoad dotes ; *viz.* Illuminationem, sanctitatem, communicationem : Donorum autem Præeminentiæ non parum reverentiæ, Amoris & obsequii ab inferioribus jure Divino debetur.

CAP.

CAP. XIX.

§. II. *De* ECCLESIIS *Singularibus* (*vel Particularibus.*)

De Eccleſia Univerſali, (Regno vel Corpore Chriſti) jam dictum eſt, & de ejus Regimine.

De Politeiâ Eccleſiaſticâ ſubordinatâ jam dicendum eſt, I. In Eccleſiis ſingularibus, II. In Aſſociatis.

De Eccleſiâ ſingulari notanda ſunt, I. Ejus CAUSÆ, II. Adminiſtratio.

I. EFFICIENS Cauſa eſt, vel

- I. Principalis, Deus, Pater, Filius, Spiritus ſanctus.
  - 1. Primariò, Inſtituendo, 1. Per Lumen Naturæ, 2. Cum Revelatione ſupernaturali.
  - 2. Secundario, Active conſtituendo Eccleſias in exiſtentiâ. Quod facit,
    - 1. Ut Dominus, Perſonas & Res adaptando & diſponendo.
    - 2. Ut Benefactor Munus hoc & Privilegia donando.
    - 3. Ut Rex, Paſtorem & Populum, ad conſenſum & mutua officia obligando.
- II. Minus principalis,
  - I. Ad eſſe,
    - 1. Primaria,
      - 1. Gratia diſponens, adaptans & opportunitatem præbens.
      - 2. Verbum Mandati obligans (& Paſtorem & populum.)
      - 3. Verbum fœderis Divini privilegia donans.
    - 2. Sub miniſtræ,
      - 1. Conſenſus mutuus, *viz.* Paſtoris & populi.
      - 2. Miniſterium procurans, 1. Aptitudinem, 2. Conſenſum.
  - II. Ad ordinem: Ordinatio, vel ſolemnis Inveſtitura per alios Paſtores.
  - III. Ad Libertatem civilem exercitii; conſenſus vel permiſſio Magiſtratûs.

II. FINIS eſt,

- I. Bonum individuorum,
  - 1. Infidelium, impiorũ, hypocritarum converſio, per Lumen ab Eccleſia promanans.
  - 2. Fidelium ædificatio, per communionem, in Doctrinâ, Cultu, Diſciplinâ.
- II. Eccleſiæ bonum; *viz.* 1. Lumen, 2. Sanctitas, 3. Robur, per Ordinis & Communionis uſum.
- III. Eccleſiæ Univerſalis bonum; *viz.* Augmentatio, decus, ſalus; & Mundi converſio——
  Et Ultimate in hiſce omnibus, refulgens GLORIA DIVINA; & in Gloriâ illa DEI-IPSIUS COMPLACENTIA.

III. CONSTITUTIO Eccleſiæ particularis Paſſiva ſequitur notanda; ubi

- I. Definitio: Eſt ſocietas Chriſtiana à Chriſto inſtituta, conſiſtens ex Paſtore (uno vel pluribus) cum grege Chriſtiano, conſenſu mutuo conſociatis, ad Communionem perſonalem fidei, obedientiæ & amoris, in doctrinæ, cultûs & diſciplinæ Eccleſiaſticæ exercitiis.
- II. Partes Eſſentiales: *viz.*
  - I. MATERIA: Quæ eſt,
    - I. Grex: qui eſt,
      - 1. Quoad ſubſtantiam; Homines.
      - 2. Quoad Accidentia neceſſaria,
        - 1. Qualitatis: Chriſtiani; Membra Eccleſiæ univerſalis.
        - 2. Quantitatis, *viz.*
          - 1. Aff. Numerus ſufficiens ad finem.
          - 2. Neg. Non tanta multitudo quæ eſt finis omnino incapax.
        - 3. Loci: *Proximi: viz.* Non adeo diſtantes ut finis & mediorum incapaces reddantur.
    - II. Paſtor (vel Paſtores) Quorum officium jam deſcriptum eſt.

II. FORMA

II. FORMA
- I. Generica; *viz.* Societas Christiana à Christo instituta.
- II. Specialis: Ordo Relativus ex mutuis Relationibus conflatus: ubi sunt
  - I. Relatio Pastoris specialis
    - I. Ad Deū: Christum: Ubi sunt Relationis
      - I. *Fundamentum*
        - 1. Efficiens, *viz.*
          - 1. Institutio,
          - 2. Providentiæ Adaptatio,
          - 3. Acceptatio
          - } Divina.
        - 2. Sine quo non: Consensus personæ accipientis.
      - II. *Relatio*: Christi Minister, ut Prophetæ, Sacerdotis, Regis.
      - III. *Terminus*
        - 1. Proximus; *viz.* Opus
          - 1. Doctrinæ,
          - 2. Cultûs,
          - 3. Disciplinæ vel Regiminis.
        - 2. Remotus; *viz.* Hæc particularis Ecclesia.
    - II. Ad Populum, *viz.* ut est Christi Minister ad eorum salutem vigilans: Ubi etiam sunt
      1. Relationis Fundamentum,
         1. Efficiens, *viz.* Institutio, Adaptatio, Acceptatio dicta.
         2. Sine quo non; vel fundandi Conditio; Consensus mutuus.
      2. Ipsa Relatio, jamjam descripta.
      3. Terminus; jam recitatus.
    - III. Ad invicem (si plures sint) ut sunt Coadjutores in eodem Ministerio.
  - II. Relatio Populi specialis
    1. Ad Deum; Christum, ut obligati & consentientes fœderi & Communioni.
    2. Ad Pastores; Quos ut Ministros Christi Prophetæ, Sacerdotis, Regis, in opere doctrinæ, cultûs, Regiminis, discendo, colendo, obediendo, sequi debent.
    3. Ad invicem: ut in Communione hac speciali Ecclesiastica consentiunt.

DIFFERT ergo ECCLESIA PARTICULARIS,

1. Ut [*Christiana*] à societatibus Infidelium, Atheorum, Idololatrarum.
2. Ut [*Societas*] ab omnibus conventibus *contingentibus* seu occasionalibus.
3. Ut [*Instituta à Deo*] à combinationibus seu societatibus *humanis*, arbitrariis.
4. Ut [*consistens ex Pastore*] à *Communitate* Christianorum, vel cœtu, sine ministris & politeia.
5. Ut [*ex Grege*] etiam, à *Collegio*, & à *Consilio* Pastorum.
6. Ut [*mutuo consensu associatis*] à cœtu incarceratorum, vel coactorum non consentientium.
7. Per [*Communionem*] ut finem consociationis, à pluribus consociationibus ad alios fines.
8. Per [*Communionem Fidei, Obedientiæ & Amoris*] 1. A cœtu mere *Audientium* & *Catechumenorum* qui Religionem Christianam minimè profitentur: 2. Et à cœtu hæreticorum & Impiorum, qui non totam Religionis essentiam profitentur.
9. Per [*Communionem in Doctrinâ, Cultûs & Disciplinæ exercitiis*] 1. Ab Ecclesiæ *invisibilis* quà talis parte, 2. Et à cœtibus semi-professentium, qui Doctrinam professentur sine cultu, vel cultum sine doctrinâ & omni Disciplinâ, &c. 3. A parte Ecclesiæ visibilis (puta Synodis) quæ ad alios fines consociatur, vel convenit, & non ad fines hosce societatis ecclesiasticæ proprios.
10. Per adjectivum item [*Ecclesiastica*] à Conciliis, à Familiâ & Scholâ, quæ in cultu & disciplinâ Domesticâ & Scholasticâ tantùm consentiunt.
11. Per [*Communionem Personalem*] differt ab ecclesiarum plurium *Consociatione*; ubi Communio non est *personalis Individuorum*, sed *ecclesiarum* per *Delegatos*: Item ab ecclesiis *Diœcesanis* vulgo dictis, quæ Parochias millenas vel sexcentas audientium & colentium continent, Regimine per claves *Episcopo unico* & suis *officialibus* reservato; & membra ecclesiæ Diœcesanæ se invicem non vident, nedum ad Communionem personalem ecclesiasticam ordinariam inter se tenendam, consociantur.
12. Ejusdem tamen speciei Ecclesiæ, differentiæ Accidentales plurimæ hîc supponuntur: *viz.*

1. *Ecclesia Particularis* est vel *Unici Pastoris*, vel *Plurium Conjunctorum*; *viz.* vel *æqualium* in dotibus & officii exercitio, vel aliquatenus *inæqualium*.
2. Est vel Ecclesia *fixa* & *continuata*; vel *transiens* tantùm & *temporaria*. Vera enim Ecclesia est, quæ

pro

pro hâc vice tantùm ad omnes fines Ecclesiæ essentiales congregatur. Unius diei Ecclesia non ideo nulla fuit, quia brevis.

3. Est vel actu *localiter congregata*; vel tantùm ad congressum *consociata* & *consentiens*.

4. Est vel *Unici cœtus localis*, vel *plurium*: Aliquando enim vel *persecutio*, vel defectus loci satis spatiosi, vel membrorum senectus, imbecillitas, distantia, necessarios facit *cœtus plures*, vel *coordinatos*, vel (ut particulas minores in capellis vel domibus) *subordinatos*; dum *Communio* tamen *vere Personalis* est & *ecclesiastica*; Quoniam in unico loco conveniente *possent* convenire, & per vices plerumque sæpè conveniunt; id est, quandoque familiæ pars una, & quandoque altera, ad eundem locum confluunt: Et *Proximitas* talis est, ut *Communionis personalis* sint *capaces*, à qua inviti & contra consociationis intentionem impediti sunt. Et ita antiquitus ex *unico Episcopo* (*cum Synpresbyteris & Diaconis*) *& Unico Altari* (ut ait *Ignatius*) Ecclesia omnis particularis dignoscebatur.

5. Ecclesia Particularis est vel *Numeri convenientissimi*, vel minùs convenientis: *viz.* vel per *paucitatem*, vel per *multitudinem*: *Omnis* enim vel *defectus* vel *excessus numeri*, ecclesiæ *speciem* non destruit vel mutat: Modò *pars maxima* communionis *personalis* ecclesiasticæ capax sit, & in *plures Ecclesias particulares* minimè dividantur.

6. Ecclesia semper habet in *Pastoribus Potestatem* doctrinæ, cultûs & disciplinæ: At uniuscujusque *exercitium* pro tempore impediri potest.

7. *Ecclesia* ut *Instituta* (in sacrâ Lege) habet *Pastorem* ut *institutum*. *Ecclesia* ut *constituta*, (organica seu politica) est vel *Virtualis*, vel *Actualis*. *Virtualis* (ut quando Pastores sunt mortui vel amoti) habet *Pastorem virtualiter*, scilicet in *Virtute Institutionis*, & *Consensus populi* & *Intentionis*: *Actualis* habet *Pastorem Actu*.

8. Doctrinæ, cultûs & Disciplinæ *Potestas* in Pastoribus & Ecclesiâ, æstimanda est ex *Institutione Divinâ* (*Deus* enim officii Pastoralis author est); Non autem ex verbis *Ordinantis*, vel ex voluntate *Magistratus*.

9. Doctrinæ, cultûs & disciplinæ *Integritas* sæpè deest, cum *essentia* adest: E.g. Si legantur sacræ Scripturæ, etsi desint conciones; Si Pastor potest vitia publice perstringere, in genere & specie & privatim in individuis; & impœnitentes flagitiosos à sanctâ communione *præcipiendo* & *minando* in Christi nomine arcere; & pœnitentes consolari; Etsi disciplinæ partes quædam desint, *essentia* adest.

10. Diaconi quandoque ad Integritatem & bene esse, non autem ad esse Ecclesiæ pertinent.

11. Sicut *Accidentia* cultûs ab Ecclesiâ eligi possunt, ita & *Officiales Accidentales* circa *hæc Accidentia* occupati, (velut Ostiarii, &c.)

12. Disciplina Ecclesiastica non utenda est, nedum necessaria, quando finem, *viz.* bonum publicum seu animarum ex accidente perdet: Deus vult misericordiam tunc & non sacrificium.

CAP. XIX.

§. III. *De Ecclesiæ Particularis* ADMINISTRATIONE: *Ubi sunt*

I. Partes Officialium, 1. Pastorum, 2. Diaconorum. II. Partes Gregis; ut sequitur.

I. Partes Officialium, *viz.*
- I. PASTORUM: Quorum est
  - I. Erga Populum, *viz.*
    - I. Ecclesiam Collectivè; *viz.*
      - I. Ut Cohabitantes: *viz.*
        1. Summâ diligentiâ, prudentiâ, amore, contra hæreses, schismata, vitia, episcopare.
        2. Exemplo vitæ piæ, sobriæ, justæ, populum ædificare, & Amoris operibus iis benefacere.
        3. Quando opus est, Epistolis & scriptis instruere, & ad sacros cœtus ipsos convocare.
      - II. Ut Congregatam in sacro cœtu; ubi Pastoris opus est
        - I. Docere Religionem Christianam,
          - I. Exponendo ad auditorum intellectum
            - 1. Verba; *viz.*
              1. Grammaticè, per Translationes,
              2. Rhetoricè, figurarum reductione.
            - 2. Sententias
              1. Quoad sensum immediatum.
              2. Quoad consequentias.

II. Defendendo

- II. Defendendo eam contra
  1. Hostium oppugnationem.
  2. Seductorum, hæreticorum & schismaticorum astutias.
  3. Hypocritarum malignantium scandala, opprobria & perfidiam.
- III. Applicando
  1. Ad omnium sui-scrutinium, & cognitionem.
  2. Specialiter
     1. Ad Ignorantium, errantium, incredulorum informationem, reductionem, convictionem.
     2. Ad infirmorum corroborationem, nutantium stabilimentum, frigidorum & tepidorum calefactionem, ignavorum excitationem, concupiscentiæ mortificationem, & lugentium solamen.
     3. Ad vitiorum correctionem, & officiorum debitam præstationem.

II. Ut Sacerdotes populo præire, Deum publice colendo, *viz.*

- I. Cultu secundario, Lectione, Concionibus, quà cultus sunt.
- II. Cultu primario,
  1. Precibus, *viz.*
     1. Ordinariis,
        1. Confessione pœnitente peccatorum.
        2. Petitione bonorum, & deprecatione malorum.
        3. Laudibus Divinis & Gratiarum actione,
           1. Oratione soluta.
           2. Psalmodiâ.
     2. Extraordinariis, *viz.*
        1. Jejuniis publicis ad animarum Humiliationem.
        2. Festis Religiosis ad Gaudium & Gratitudinem.
  2. Sacramentorum administratione
     1. In dedicatione & fœdere Baptismali.
     2. In Sacramento Corporis & Sanguinis Christi.

III. Populum Regere, Paternâ scilicet *Authoritate*, *Lumine* & Amore: *viz.*

- I. Regimine Antecedente, *viz.*
  1. Declarativo: Legem Dei declarando, & ex Authoritate officiali ad casus particulares applicando.
  2. Regulativo seu Canonico; Paternò & Ministeriali ductu determinando.

  Neg. Non potestatem Christi Legislativam usurpando; Non Leges legibus Christi *contrarias*, ut neque *coordinatas* faciendo; Neque *Leges universales*, i. e. *ecclesiam universalem obligantes*, usurpatione statuendo; sed

  Aff. 1. Canones seu Antecedentes Determinationes facere, ad ecclesiarum suarum particularium usum: Canones scilicet Legibus ipsius Christi *subservientes*, ea quippe determinantes, quæ Christus (Lege Naturæ vel scriptâ) per Rectores determinari jussit.

  2. Et obedientiam, non vi cogendo; sed paternâ authoritate imperando.

- Canonum instantiæ:
  1. Determinare quo die (præter Dominicum), & quâ horâ ecclesia congreganda est.
  2. Quamdiu preces, Lectiones, Conciones, &c. producendæ sunt.
  3. Quando & quoties publica jejunia & festus Religiosi celebrandi sunt.
  4. Quo loco Ecclesia congregabitur ad cultum publicum celebrandum.
  5. De Templorum formis, sedibus, ornamentis convenientibus; & suggesti loco.
  6. De sacrarum Scripturarum divisione in capitula & versiculos.
  7. Quânam S. Scripturarum translatione utendum est.
  8. Quænam Scripturarum portio & quanta pro tempore legenda est.
  9. Quænam Psalmorum versio metricâ cantatione utenda est.

10. Quonam in Pſalmodiâ modulamine & harmoniâ utendum eſt.
11. Quæ formulâ Catechiſmi publice docenda & à populo ediſcenda eſt.
12. De publicæ profeſſionis ſignis, fidei ſcilicet & Conſenſûs, e. g. an loquendo, ſtando, manum extendendo, &c. & ita in ſuffragiis colligendis.
13. De ſacris utenſilibus, lavacro baptiſmali, menſâ, poculis, linteis, &c.
14. De geſtibus decoris ſuis & populi in publico cultu.
15. De veſtibus ſuis decoris præcipuè in publicis adminiſtrationibus.
16. E populo quiſnam loquetur in Eccleſiâ, & quis & quando tacebit.
17. De officialibus faciendis, & officiis eorum præſtandis, circa cultûs adjuncta, (ut oſtiariis, ædificii curatoribus, &c.)
18. De concionis ſuæ Methodo, & ſubjecto.
19. De libro, vel ſcriptis memorialibus per ſeipſos utendis, vel non utendis.
20. De verbis ſuarum Concionum, & precum eccleſiaſticarum. (Populum enim ſequentem regunt, dum de actionibus propriis præcedentibus determinant.)

II. Regimine conſequente,
1. Eccleſiam totam de peccatis communibus reprehendere.
2. Excommunicatorum conſortium devitandum eis imperare.
3. Poſt lapſus & ſcandala ad jejunia & confeſſiones publicas eos convocare.

II. Erga Membra individua ſeorſim :

1. Catechizando & colloquiis opportunè docere, & dubitantes ſtabilire.
2. Ægrotos viſitare, egenis opem ferre, (quantum poſſunt) infirmos confirmare, mœſtos conſolari conſiliis, precibus, beneficiis, omnibus quantum poſſunt, benefacere.
3. Eos gubernare
  1. Antecedenter Directivè,
    1. De libris legendis; & de methodo & mediis diſcendi.
    2. De tentationibus devitandis, reſiſtendis, ſuperandis, &c.
    3. De familiis pie regendis, & relationum officiis præſtandis.
  2. Conſequenter, *viz.*
    I. Privatim, *viz.*
      1. Pœnitentiam peccatoribus ſuadere.
      2. Pœnitentium confeſſiones voluntarias recipere.
      3. Pœnitentis ut contritos conſolari abſolutione; & Impœnitentes coram paucis acrius corripere.
    II. Publicè, *viz.*
      1. Partem accuſantem, accuſatum & teſtes palam audire; & cauſam explorare.
      2. Cauſam exploratam judicare (ſcilicet an Reus ſit Impœnitens?)
      3. Judicatam exequi *viz.*
        1. Pœnitentes abſolvendo.
        2. Impœnitentes adhuc ad pœnitentiam ſuadendo (adjunctis precibus).
        3. Obſtinatis
          1. Communionem & privilegia eccleſiaſtica prohibendo.
          2. Conſortiũ eorum eccleſiæ interdicere.
          1. Actuali receptione pœnitentium.
          2. Actuali repulſione vel devitatione excommunicatorum.

II. Erga invicem: Paſtorum erga Paſtores pars eſt,
I. Ut objectum eſt in *Fieri* (ſcilicet de Paſtoribus ſeu miniſtris vocandis:) & ita eſt
1. Ea quæ didicimus cuſtodibus fidelibus committere, qui alios doceant; id eſt, Alios inſtruere.
2. Ad ſacrum Miniſterium inſtructos & aptos ordinare, per ſolennem inveſtituram.
3. Ad provincias convenientes ordinatos deſignare & mittere.

II. In

II. In Facto esse, *viz.*

I. Antecedenter, *viz.*
1. De rebus arduis & necessariis consulere, docendo invicem scientiam communicare. — 1. Non ut privati ;
2. Charitatem alere, & ad Amorem & bona opera provocare. — 2. Neq; ut Pastorum pastores :
3. Concordiam tuendo, se mutuo ad opus roborare. — 3. Sed ut Pastores cooperatores. (Etsi Diaconos etiam regunt.)

II. Consequenter, *viz.*
1. Synpresbyteros lapsos ad pœnitentiam adhortari.
2. Impœnitentes, hæreticos, impios, & ecclesiæ vastatores devitare.
3. Pœnitentes recipere & consolari. Etsi non ut eorum Rectores, tamen ut Pastores invicem juvantes : Sicut Medicus, quà Medicus, Medicum quà ægrotum, non quà Medicum sanat.

II. Diaconorum (subministrorum) Partes sunt 1. Ecclesiæ, 2. Pastoribus, servire : præcipuè in distributione eleemosynæ ecclesiasticæ, & curâ pauperum ; & circa mensam sacram, & alia officia ecclesiastica, corporali labore, ex pastorum jussu, ministrare.

II. PARTES POPULI in Administratione Ecclesiæ particularis sunt (præsuppositis eorum partibus in Constitutione)

viz.
1. Ad communionem ecclesiasticam se consociare.
2. Pastorem idoneum vel eligere, vel oblatum consensu acceptare.
3. Pastorem Investiturâ solenni ordinatum, recipere : De quibus ante.

I. In Ecclesiâ sanâ, (vel statu ejus saltem tolerabili,)

I. Erga Pastores, *viz.*

1. Quoad Officium,
1. Reverentiam eis & Honorem debitum tribuere.
2. Ut Patres & animarum Curatores eos diligere.
3. Ut Ministros & Operatores Christi, rebus necessariis eos sustentare.

II. Quoad Officii exercitium,
1. Ut *Doctores*, attentione & fide debitâ eos exaudire.
2. Ut *Sacerdotes*, in cultu publico præeuntes, eos animitùs consequi.
3. Ut *Rectoribus* (per verbum) in antedictis ad Pastoris judicium pertinentibus, eis obedire.
1. Et publicè, in cœtu ecclesiastico, 2. Et privatim, ut dictum est.

II. Ad invicem,

I. Collectivè ; *viz.*
1. Doctrinæ puritatem, & cultus sinceritatem, summâ curâ conservare.
2. Cœtus sacros frequentare ; & ibi Communionem, Amorem, Concordiam diligenter colere.
3. Ordinem & Disciplinam ecclesiasticam promovere, & exequi.

II. Sigillatim,
1. Ignorantes, incredulos & errantes ex *charitate* opportunè informare.
2. Amore fraterno invicem amplecti, & modis omnibus invicem benefacere.
3. Sanctitatem, sobrietatem & justitiam, exemplo & omnibus auxiliis promovere ; Frigidos & ignavos ad zelum & diligentiam provocare : Lapsos lenitate admonere, & ad pœnitentiam adhortari ; & Impœnitentes coram testibus idoneis corripere ; & tandem ad ecclesiam casum deferre.

III. Erga exteros,

I. Proximos ; seu malos non deploratos, officium populi Christiani est,
1. Amore & beneficiis eos amplecti & emollire ; & in licitis eis placere ad bonum.
2. Scandala & offensiones summopere devitare, & Innocentiâ, Concordiâ, & bonis operibus, contradicentium os obstruere, & incredulos convincere.
3. Ad pœnitentiam eos hortari, & ad Evangelii auditionem publicam adducere.

II. Hostes,
1. Falsos, hæreticos, impios, & tyrannicos Doctores, Lupos, devitare.
2. Veritatem & Bonitatem, adversus oppugnatores strenuè propugnare.
3. Benevolentiâ tamen & Patientiâ Christianâ, eorum malignitatem & persecutiones, vel superare, vel saltem tolerare.

II. In Eccleſiâ lapſâ neceſſariò Reformandâ (etſi Miniſtrorum partes primæ ſunt, quæ ex jam dictis de Eccleſiæ Conſtitutione & Adminiſtratione patent) Populi tamen eſt

- I. Quoad ſe-ipſos,
  1. Peccata ſua, præcipuè publica pœnitentiâ humili fateri.
  2. Fœdus ſacrum cum Deo renovare, & ſe totos Deo ad novam obedientiam dedere.
- II. Erga Paſtores,
  - 1. Malos
    1. Ad pœnitentiam eos humiliter adhortari.
    2. Hæreticos, malignos, deploratos, deſerere, rejicere, vel ſe ſubducere: (Non ut *eorum Rectores*, ſed ut *ſui Amatores*, ut medicum venenum propinantem, vel ut ducem perfidum & perduellem, deſererem.)
  - 2. Bonos
    1. Tales eligere, & eorum Ordinationem, ſi poſſint, procurare.
    2. Electis concorditer obedire, & in eccleſia reformandâ ſequi.
- III. Quoad Magiſtratus civiles
  - 1. Neg.
    1. Non contra Magiſtratum rebellione inſurgere, & eum deponere.
    2. Neque Magiſtratûs partes invadere & uſurpare.
  - 2. Aff. ſed
    1. Magiſtratui humillime ſupplicare, ut ſuas partes ageret.
    2. Obedientiam noſtram Deo debitam præſtare, etiamſi eam vetet Magiſtratus.
    3. Magiſtratûs iniqui iram & perſecutionem patienter tolerare.

CAP. XIX.

§. IV. *De Eccleſiis Conſociatis.*

Eccleſiarum CONSOCIATIO ut vox ambigua primò diſtinguenda eſt; Eſtque vel

I. Univerſalis, Omnium Chriſtianorum ad Communionem univerſalem,

- I. Internam; in eadem ſpeciali
  1. Fide,
  2. Obedientiâ,
  3. Amore.
- II. Externam; in ejuſdem ſpeciei
  1. Doctrinâ, ſeu Fidei Profeſſione,
  2. Cultu publico (in neceſſariis),
  3. Diſciplinâ (in parte neceſſariâ).

(Hæc eſt Eccleſia verè Catholica; (vel Regnum Chriſti in terris) ſub uno capite, Chriſto, conſociata.)

II. Particularis: Partium, *viz.* quarundam ad Communionem quandam particularem, applicatoriam, de perſonis & rebus: Eſtque vel

I. Inter Eccleſias Indeterminatas, cùm *baſce* vel *illas* conſulimus prout opus eſt, ut res nata ſcilicet requirit, & opportunitas conceſſerit. Hæc eſt juris Divini naturalis.

II. Inter Eccleſias numericè determinatas, & ſecundum Provincias diſtributas: Et hæ ſunt

- I. Meræ Communitates: Eæque
  1. Sub Legibus *Nudæ Communionis* per Conſenſum; ſine Officialibus Communitatis. (Hæc Conſociatio in tempore pacis eſt licita & plerumque conveniens.)
  2. Cum novis Officialibus, non autem Politicis vel Regentibus, ſed Accidentalibus ad Conventûs Circumſtantias ordinandas (ut ſunt Moderatores). Hæc etiam licita eſt, & juris Divini mutabilis; ſcilicet, Quando finis hunc ordinem poſtulat.

II. Societates

II. Societates, POLITICÆ vel Eccleſiæ Politicæ ortæ ex ſingularium combinatione, ſub propriis capitibus, *viz.*

- I. Limitatæ
  - 1. Angûſtiores: Eccleſiæ Diœceſanæ, ſub Regimine Epiſcoporum Diœceſanorum.
  - 2. Ampliores: Provinciales, & Patriarchales, ſub Metropolitanis & Patriarchis.
- II. Non limitatæ: Quæ ad Univerſalitatem prætenſione & uſurpatione aſpirat; *viz.* Eccleſia Romana Pſeudo-Catholica.

Harum Politia eſt, vel

- I. Monarchica: Quales ſunt
  - 1. Hierarchiæ antedictæ; Diœceſana, Patriarchica, Papalis.
  - 2. Regales: ſi qui ſint Reges qui *Spirituale Regimen* eccleſiaſticum, ut *Capita Eccleſiæ* formaliter conſtitutivæ uſurpant. (Reverà enim Reges ſunt Capita Accidentalia, vel *ſuper* eccleſiam; quia Gladio eam *regunt*.)
- II. Ariſtocratica, *viz.* vel
  - 1. Per Synodos Epiſcoporum; vel Concilia quæ Regimen Politicum uſurpant.
  - 2. Per Synodos Presbyterorum; quæ idem Regimen politicum uſurpant.
  - 3. Per Magiſtratum Ariſtocraticum, Spirituale Regimen (ut ante) uſurpantem.
- III. Democratica: Quando Populus, per ſe, aut per Delegatos *hoc Regimen* uſurpat.

Qu. An non omnes hæ *Eccleſiæ Politicæ conſociatæ*, ſint ut illegitimæ, ita & illicitæ, 1. Quia contra Legis Chriſtianæ prohibitiones; 2. Contra prærogativam Divinam; 3. Ad eccleſiarum particularium noxam; Ab hominibus per uſurpationem ſine neceſſitate, ſine jure, inſtitutæ? Etiamſi non negaverim, ſicut *Adjuncta cultus*, ita *Miniſtros horum adjunctorum*, ab hominibus licitè inſtitui, quando res ita poſtulat; (*viz.* præcones, ſcribas, ſuffragiorum collectores, oſtiarios, *&c.*) Et ſi hæ formæ omnes eſſent *mere accidentales*, & officia *Paſtorum* à Chriſto inſtituta non *uſurparent*, neque *prohiberent*, faciliùs incommoda plurima alia ab ipſis allata, ferre poteramus. Quoniam verò novas eccleſiæ formas ædificant, Monarchici, Ariſtocratici, Democratici, Mixti, Diœceſani, Patriarchæ, Papa, & inter ſe contendunt cujus ſit eccleſias iſtas regere, omnes uſurpationis præſumptuoſæ rei ſunt, dum ſine jure, & contra jus divinum has novas politias inſtituunt, & eccleſias per Chriſtum inſtitutas opprimunt: etiamſi Papa ſolus Antichriſtus audit, quoniam *Univerſale Regnum*, & *Chriſti prærogativam*, ſub Vicarii titulo uſurpat: Et fraternæ conſociationes non ſunt vituperandæ.

CONSOCIATIONUM legitimarum (eccleſiarum ſcilicet ut parium, gratiâ concordiæ) notanda ſunt

I. FUNDAMENTUM (vel efficiens)

1. Principale: *Præceptum Divinum, naturale & ſcriptum*, de ſanctorum *Amore, Unitate, Concordiâ*, communione, per omnes Potentiæ, Prudentiæ, Virtutis vires, conſervandis & promovendis.
2. Conditionale, ſine quo non: *Conſenſus Mutuus* (at per præceptum debitus).

II. FINES harum conſociationum ſunt I. In Genere, Eccleſiarum Communio: II. Specialiter.

- I. Individuorum, 1. Major Illuminatio, 2. Sanctitas, 3. Robur & ſtabilitas; per Concordiam.
- II. Eccleſiarum particularium
  - 1. Concordia,
  - 2. Auxilia mutua,
  - 3. Fœlicitas; *viz.*
    - 1. Per majorem Illuminationem, & ſacræ doctrinæ præſervationem.
    - 2. Per Amorem, Sanctitatem, & Cultûs puri præſervationem.
    - 3. Per Robur ex Unitate, & Diſciplinæ præſervationem.
- III. Eccleſiæ Univerſalis, ex particularium Unitate & Concordiâ, &c. ordo, decus, conſervatio. (Et Ultimatè, in hiſce omnibus, Gloria & Complacentia Divina.)

III. Ipſa

III. Ipſa CONSOCIATIO: ubi conſideranda ſunt

- I. Materia:
  1. Quoad naturam: Eccleſiæ Chriſtianæ particulares.
  2. Quoad numerum: Plures; Quot ſcilicet ad finem conſociari oportet.
  3. Quoad Locum habitationis & conventûs: Qui per convenientiam ad finem etiam determinandus eſt.
- II. Forma: Æqualium Conſociatio per mutuum conſenſum ad Communionis beneficia.
- III. Modus exercendi, *viz.*
  1. Per literas, explicatorias, communicatorias, conſolatorias, &c. per confeſſiones fidei.
  2. Per nuncios quorum fidei res tota commiſſa eſt.
  3. Per Synodos
     1. Paſtorum; ubi Paſtorum res propria agitur.
     2. Delegatorum populi, ubi res communis eccleſiæ agitur.

CAP. XIX.

§. V. *De CONCILIIS.*

Ex dictis patet quomodo de CONCILIIS (ob nominis ambiguitatem) diſtinguendum eſt; *viz.*

I. Concilia ſunt Politica,
1. *Principaliter:* Quando Regiminis per claves vel verbum *ſummam poteſtatem* uſurpant.
2. *Inſtrumentaliter*: Quando Regimen ſuper Paſtores *ſubordinatum* exercent.

Et utraque
1. Nomine tenus *Univerſalia*; Quando eccleſiam univerſalem repræſentare vel regere prætendunt.
2. *Nationalia*, vel *Imperialia*; Quando Principis unius ſubditos repræſentant.
3. *Provincialia*; Quando partem Regni quandam repræſentant, & ſunt vel
   1. Metropolitica; Plures Diœceſes continentia.
   2. Diœceſana; ex unicâ Diœceſi.
   3. Claſſica, &c. ex parte aliqua Diœceſis, eccleſias plures continente.

Qu. Annon hæc omnia figmenta humana illicita ſunt? Sed *N. B.* quod de *Conciliis Magiſtratuum* regimen per *gladium* ſuper eccleſiaſticos circa ſacra exercentium, non loquor.

II. Ad COMMUNIONEM tantùm, nullum Regimen politicum uſurpantia, ſed mere Concilia: *viz.*

I. Concilia PASTORUM ob *Communionem* in Doctrinâ, Cultu & Regimine: Paſtores enim congregati non amittunt Regendi poteſtatem, ideo quia congregantur; neque tamen Novam acquirunt: ſed conſulunt de eccleſiis particularibus rectè regendis, & de Concordiâ regentium: Concilium igitur Paſtorum *quoad ſeipſos* non eſt ob *Regimen*, ſed ob *Concordiam* & *Communionem*; neque *Plures Paſtores* ſunt *pauciorum Rectores*; ſed *quoad Populum* eſt ad *eorum Regimen* rectè & concorditer exercendum.

Suntque
1. Paſtorum è locis indeterminatis congregatorum; ſicut unicuique libet aut opus eſt.
2. Paſtorum è Provinciis vel locis determinatis ordinatè congregatorum.
   1. Quoad Tempus, vel ſtato & prædefinito tempore congregantur, e. g. quater in anno, &c.
   2. Vel tantùm occaſionaliter, & pro re natâ, & extraordinariò.
1. Concilia ſtata ſunt
   1. Claſſica; ex eccleſiis quibuſdam proximis.
   2. Provincialia; ex eccleſiis pluribus remotis.
   3. Nationalia; ex omnibus ejuſdem Regni eccleſiis.
2. Concilia è diverſis Regnis ut plurimum ſunt extraordinaria, rara, pro re natâ, non ſtata.
3. Concilia verè univerſalia ſunt neque *facta*, neque *poſſibilia*, neque unquam *exſtiterunt*.
   1. Quia nulla Poteſtas eſt, neque medium poſſibile, tale Concilium ordinatè convocandi.
   2. Quia totius Orbis Principes quorum Paſtores ſubditi ſunt, nunquam de Concilio congregando, vel ſubditis ſuis ad hoc permittendis, concordes forent: Quandoquidem Reges plurimi ſunt Ethnici, & Infideles, plures hæretici, factioſi, ſuperbi, hoſtes inter ſe, & bellatores, &c. Et contra eorum voluntatem Paſtores iter tale ſuſcipere non poſſunt.

3. Quia

3. Quia tanta Regionum per totum orbem est distantia, ut priusquam notitia conventûs debita daretur, consensus procuraretur, delegatorum electio, & iter (quibusdam plurium annorum & magnæ difficultatis) perficeretur, & res Concilii peragerentur, & tandem delegati ad suos redirent, ætas ferè hominis consumpta esset, & fines Conventûs proculdubiò frustrati essent.
4. Et cum senes vel valetudinarii plerumque doctissimi, huic negotio maximè sint idonei, iter tale per tot pericula susceptum, nil aliud pleriſque foret, quàm mors voluntaria.
5. Ecclesiis itidem magna foret injuria pastores suos optimos ita abripere & trucidare.
6. Neque numerus Pastorum tantus ab ecclesiis dimitti posset, quibus rem tantam committerent.
7. Tantus ex orbe toto Pastorum numerus, nisi in pluribus locis convenire & res transigere non posset.
8. Per Linguarum diversitatem colloqui & se invicem intelligere non possent.
9. Cum in negotii medio plures essent mortui, quantum temporis de aliis in eorum locum mittendis contereretur?
10. Nullum datur opus tali Conventui necessarium; neque Legislationis, neque Judicii.
11. Nulla posset ecclesiis universis justa dari satisfactio, res in tali Concilio juste peractas esse.
12. Nulla restare posset certitudo, partem Synodi majorem non errasse, &c.

Coral. Præter Transubstantiationem, vix unquam mundus Christianus fraude tam crassâ ludificatus est, quàm per Papicolarum Concilia dicta Universalia: Quæ unici Imperii ecclesias repræsentabant, & per unum Principem convocata sunt; neque ex orbe toto Christiano unquam sunt collecta.

II. Concilia Delegatorum Populi; Quæ tantùm ad Communionem, non autem ad regimen, conveniunt.

III. Concilia Mixta; partim Pastorum Regentium, partim Delegatorum populi regendi.

CONCILIORUM Legitimorum consideranda sunt

I. Fines, 1. Communio, 2. Exinde Concordia, 3. Et inde cætera beneficia jam recitata.
II. Efficiens, 1. Instituens; Deus, 1. Per naturam, 2. Per Scripturæ regulas generales. 2. Constituens; Pastores item vel Populus, per Consensum, respective.
III. Constitutio: ubi 1. Materia; Pastores vel Delegati, juxta Concilii naturam respectivé. 2. Materiæ dispositio: 1. Pastores idonei, 2. Numero sufficientes: 3. Ab aliis electi, ad hoc opus. 3. Forma: Conventus æqualis Consultantium ad Ecclesiarum Communionem.

Ubi
- I. Modus formalis: ut sit Conventus Æqualis; scilicet Pastorum æqualium vel Delegatorum æqualium, æqualiter congregatorum, & æquali libertate consultantium.
- II. Opus,
  - 1. Neg.
    1. Non Leges universales facere ecclesiis omnibus imponendas.
    2. Neque Leges condere particulares Legi Divinæ coordinatas.
    3. Nec Leges ullas facere Pastoribus, quasi Pars major Pastorum minori imperaret.
    4. Neque inutilia, vana, aut mala Populo Christiano imponere; sed
  - 2. Aff. 1. Quoad Actum
    1. Investigare,
    2. Consulere,
    3. Consentire.
  - 2. Quoad Objectum:
    1. Antecedenter, Canones facere, (non Leges Pastoribus) de rebus mutabilibus secundum Leges Divinas generales; *viz.* Consentire de translatione scripturarum, Psalmodia, &c.
    2. Consequenter, Judicare de hæreticis, impiis, e. g. concorditer devitandis, &c.
- III. Effectum
  - I. In Populum
    1. Obligatio secundaria à Pastorum Consentientium authoritate.
    2. Obligatio Divina
      1. Ad Obedientiam erga Pastores in licitis.
      2. Ad Concordiam cum Pastoribus Concordantibus.
  - II. In Pastores,
    1. Obligatio secundaria (non Regiminis sed) mutui consensûs.
    2. Obligatio Divina
      1. Ad fœdera servanda.
      2. Ad Concordiam arctè retinendam.

CAP.

Elucidationes

CAP. XIX. §. 1.

§. 1. QUamplurimum interest ecclesiæ Conciliorum usum necessarium & licitum à non-necessario & illicito & noxio distinguere. Reverendissimus, humillimus & verè pius Usserius Archiepiscopus Armachanus judicium suum mihi libere profitebatur, Conciliorum usum esse, ad concordiam conservandam, & ad mutuum auxilium, non autem directè ad ecclesiarum regimen: Episcopos scilicet Concilio congregatos non esse jure divino singulorum rectores; quamvis & separatim, & fortiùs conjunctim plebis ecclesiasticæ sint Pastores. Unitatem quidem & Concordiam summo studio conservare inter præcepta Divina non ultimum locum possidet; Ideóque utilia, convenientia, licita, quæ in Conciliis ecclesiasticis ad hosce fines statuuntur, ab omnibus pacis filiis & ecclesiæ amicis observanda sunt. Si omnes Europæ Principes Christiani Concilium sacro-politicum tenerent, quo res Christianas ad communem omnium utilitatem, concorditer transigerent, & rempublicam Christianam contra juratos ejus hostes fortiùs & fœliciùs defenderent, proculdubio opus esset præstantissimum: Non tamen novum Regimen & supremam Majestatem super singulos hoc Concilium contineret; sed concordiæ medium utilissimum, non minùs singulos ad bona statuta observanda obligans, quàm regentium præcepta; ex vi scilicet Legis illius universalis quæ ut omnia ad ecclesiæ bonum, pacem, ordinem, & ædificationem fiant, statuit.

2. Quales ecclesiæ Pastores & Reipublicæ Principes sunt, talia plerumque sunt Concilia, eorumque opera: & ex quibusdam non parum ecclesiis rebusque Christianis commodum non semel obvenit. Lachrymis tamen & ploratione lugubri memorandum est, non solum quàm acerba à Gregorio Nazianzeno, aliisque de Conciliis dicuntur, sed multò magis quàm nefanda dissidia, hæreses, schismata, strages, pudendæ mutationes, perjuria, inhumanæ concertationes, scandala, bella, rebelliones & usurpationes, in Episcoporum Synodis perpetrata, in omni historiâ ecclesiasticâ memorantur: Temporibus scilicet etiam Constantini, multo magis Constantii, Valentis, Theodosii senioris, junioris, Arcadii, Zenonis, Basilisci, Leonum multorum, Philippici, Justiniani, & plurimorum: Et ad Romani Pontificis superbam & schismaticam (sub prætextu unionis) usurpationem promovendam, & Imperatores Regesque subjugandos, proh quàm infœliciter fœlicia fuerunt instrumenta! Quum legi optimum Regem & Imperatorem Ludovicum Pium, ex sententia Episcoporum, ut pœnitentiæ actum, suum Sceptrum & Coronam super altare deponentem, eâdemque authoritate, Rege inhonestè devestito & carcere intruso, hæc & Regnum suo filio perduelli tradita; & cùm talibus facinoribus in sæculis non paucis ab Episcoporum Conciliis perpetratis, historiam ecclesiasticam passim turpissimè fœdatam legimus; quis fatum ecclesiæ lachrymis amarissimis, ob Episcoporum contentionem, & mundana & carnalia superbè quærentium, non ab omnibus verè piis plorandum, judicabit? & Concilia ecclesiastica quamvis inter pios & pacificos magni facienda, inter superbos tamen & hypocritas mundanos & ignaros & litigiosos Theologastros, non maximè timenda esse & fugienda? Ipse quidem Pastorum verè piorum, humilium & pacificorum, & gladio sæculari non armatorum, Consociationum & Synodorum fructum suavissimum sæpius gustavi. At per superborum, armatorum, & carnalium concilia, ecclesiam sæpissimè perturbatam, cœtus sacros dissipatos, ministros fideles crudeliter ejectos, incarceratos, sacra totis Regnis interdicta, Regesque depositos, haud incerta fide traditum legi, & talia quædam, proh, expertus vidi.

CAP.

CAP. XX.

III. *De MAGISTRATU.* §. I. *De Reipublicæ Conſtitutione.*

De MAGISTRATU dicturo, prius de Correlato objectivo REPUBLICA dicendum eſt : Ubi ſunt

I. EFFICIENS
- I. Generis & Speciei, per Inſtitutionem ; DEUS, 1. Naturâ, 2. Scripturâ, 3. Providentiâ.
- II. Individuæ exiſtentis per effectivam Conſtitutionem
  - 1. Principalis : DEUS 1. Diſponendo perſonas, 2. Et Res.
  - 2. Subſerviens : 1. Pars Imperatura, 2. Pars ſubdita, per contractum.

II. FINIS, in ſequentibus de Magiſtratu exponitur.

III. Conſtitutio conſtituta, ubi notanda ſunt

I. Materia,
- I. Eſſentialis, *viz.*
  - I. Pars Imperans Conſtitutiva :
    - 1. In Genere, ſumma Poteſtas, poſtea deſcripta.
    - 2. In Specie,
      - 1. Monarchia ; cujus corruptio eſt, Tyrannis Monarchica.
      - 2. Ariſtocratia ; cujus corruptio eſt, Tyrannica Oligarchia.
      - 3. Democratia ; cujus corruptio, Ochlocratia.
  - II. Pars Subdita : Civitas ; cujus
    - 1. Subjectum
      - 1. Homines, Naturâ : Majeſtatis Divinæ ſubditi.
      - 2. Numero plures ; *viz.* Quot ad Reipublicæ fines ſufficiant.
      - 3. Quoad locum, adeò propinqui ut finis ſint capaces.
    - 2. Principia ſunt
      - 1. Prima : Familiæ.
      - 2. Orta
        - 1. Vicus,
        - 2. Pagus.

        Hæc ſunt principia ordinaria, non tamen ad eſſentiam neceſſaria (& principia hæc & ipſa civitas ſunt tantùm materiæ Diſpoſitio.)
    - 3. Natura eſt Communitas conſociata ad mutuam ſalutem, utilitatem, ſolamen.
- II. Integralis ; ubi Membrorum ſequentes diſtinctiones conſiderantur ; *viz.* ſunt vel
  - 1. Membra ſecundum quid, *viz.* Qui tantùm ad conſentiendum obligantur, at reverà non conſentiunt.
    - *viz.*
      - 1. Athei, qui ſupremæ Majeſtati Divinæ non conſentiunt.
      - 2. Rebelles ; qui Majeſtati ſubordinatæ humanæ non conſentiunt.
  - 2. Membra ſimpliciter, *viz.*
    - 1. Vere & Cordicitus,
    - 2. Simulate, & ore tenus

    ad relationem ſuam conſentientes.
  - 1. Membra eminentiora, *viz.*
    - 1. Quoad Naturalia, id eſt, 1. Dona Intellectualia ; 2. Dona Executiva.
    - 2. Quoad Moralia ; *viz.* Virtutem, Sanctitatem, Amorem Dei & Proximi.
    - 3. Quoad Accidentalia vel Adjuncta ; *viz.* Quoad
      - 1. Opes :
      - 2. Nobilitatem :
      - 3. Officia : Quæ ſunt vel
        - I. Specie,
          - 1. Primâ
            - 1. Oeconomica.
            - 2. Eccleſiaſtica.
            - 3. Civilia.
          - 2. Subordinatâ
            - 1. Scholaſtica,
            - 2. Negotiatoria,
            - 3. Militaria.
        - II. Gradu : Inferiora vel ſuperiora : 1. Quoad Provincias, 2. Quoad Opus.
  - 2. Plebs, quoad eminentias omnes jam recitatas.

- 1. Membra ſingularia, quà talia.
- 2. Membra Collectiva, *viz.* Societates,
  - 1. Per Naturam : Parentes & Liberi.
  - 2. Per Conſenſum,
    - 1. Societates Civiles ſubordinatæ : (ut civitates, &c.)
    - 2. Societates Scholaſticæ : Collegia, Academiæ (& Oeconomicæ.)
    - 3. Societates Eccleſiaſticæ : (vel diſtribuantur ut ante.)

III. Adjuncta : Quæ ſunt

- I. Res,
  - I. Publicæ ; *viz.*
    - I. Theſauri,
      1. Armorum, Navium ; Armamentaria, Caſtra, &c.
      2. Monetæ ; Ærarium, Fiſcus.
      3. Annonæ ; Frumenti, &c.
      4. Archivorum ; Legum, hiſtoriarum, de titulis, evidentiis, &c.
    - II. Prærogativæ
      1. De Honoribus, 1. Habendis, 2. Communicandis.
      2. De Privilegiis,
      3. De Monetâ cudendâ & æſtimandâ.
  - II. Privatæ : ſcilicet uniuſcujuſque
    1. Vita, Membra, Libertas.
    2. Dominium ; Poſſeſſiones, *viz.*
      1. Domus.
      2. Fundi.
      3. Opes perſonales, animata, inanimata.
      3. Honores, Privilegia.
- II. Perſonæ, Socii, Amici, Auxiliares.

II. FORMA Reipublicæ eſt ORDO RELATIVA, ex ſequentibus relationibus reſultans :

- I. Ex Relatione Majeſtatis,
  1. Ad Deum, ſub quo Regunt.
  2. Ad Populum, quem Regunt.
- II. Ex Relatione Populi,
  1. Ad Deum, ut Majeſtatem abſolutè ſupremam.
  2. Ad Summam Poteſtatem humanam Reipublicæ Caput.
  3. Relatio ad invicem ut *ſubditorum* ſunt *Corpus* huc quodammodo pertinet, etſi ut *Cives* ſunt ad materiam pertinet ; & ſingulorum Relatio ad Integritatem tantùm.

De Parte Imperante, & de Adminiſtratione, poſtea dicendum eſt.

CAP. XX.

§. II. *De MAGISTRATU CIVILI.*

De MAGISTRATU notanda veniunt

I. QUID ſit? Ubi

- I. Eſſentialia ;
  - I. MATERIA : ubi
    - I. Subjectum, *viz.*
      1. Naturâ : Homo ; rationis compos.
      2. Diſpoſitione generali ; ſupremi Numinis ſubditus, & cultor.
      3. Diſpoſitione ſpeciali ; donatus, 1. Potentiâ, 2. Sapientiâ, 3. Amore.
    - II. Objectum ; Pars ſubdita ; Reipublicæ populus, de quo ante dictum eſt.
    - III. Opus ; Reipublicæ Adminiſtratio, ſeu Regimen, de quo poſtea.
  - II. FORMA eſt
    1. Authoritas, Divina ; Jus & Rempublicam regendi, ad fines
    2. Obligatio vel Officium proprios.
- II. Integralia, ad bene eſſe
  1. In Diſpoſitione : Potentiæ, Sapientiæ & Amoris Gradus eminentior.
  2. In Jure : Prærogativæ Majeſtatis plurimæ, non Eſſentiales.
- III. Adjuncta ; prius enumerata inter Adjuncta Reipublicæ.

II. QUO-

II. QUOTUPLEX, eſtque Magiſtratus

- I. SUPREMUS;
  - I. Cujus eſt
    - I. Active,
      1. Leges condere principaliter.
      2. Judicare & exequi finaliter.
      3. Magiſtratus inferiores ordinare, & authorizare.
    - II. Objective,
      1. Circa rerum Dominium, Uſum & Negotia.
      2. Circa actus Morales Bonos & Malos, *viz.*
         1. Erga Deum,
         2. Erga Principem,
         3. Erga Subditos.
      3. Circa Bellum & Pacem publicam.
  - II. Qui ſpecie eſt vel
    1. Monarchicus,
    2. Ariſtocraticus,
    3. Democraticus,

    vel ex hiſce Mixtus.
- II. INFERIORES; Quorum eſt,
  - I. Paſſivè, Poteſtatem à ſupremo recipere, & mandata.
  - II. Active,
    1. Aliquando (ut in civitatibus) ſub-Leges (ex poteſtate derivatâ) condere.
    2. In foro unicuique proprio ſecundum Leges judicare, & Judicia exequi.
    3. In Bello & Pace, Mandata Majeſtatis ut Duces exequi, & exequenda curare.
  - III. Objective, ut jam de ſupremo dictum eſt.

  Et ab Objectis ſpecie diſtincti ſunt;

  viz.
  1. Magiſtratus & forum *Proprietatis* & *Negotiorum.*
  2. Judices & forum *Actionum Moralium*; *viz.*
     1. Erga Deum,
     2. Erga Principem,
     3. Erga Proximos, vel ſubditos;
  3. Milites; & Concilium & forum de rebus militaribus.

III. UNDE: ubi conſideranda ſunt

- I. Efficiens, *viz.*
  - I. Formæ, *viz.*
    - Authoritatis & Juris Obligationis & Officii:
      - DEUS omnium
        - Dominus Abſolutus,
        - Rector Supremus,
        - Benefactor ſummus,

        1. Per Diſpoſitiones.
        2. Per Leges (naturæ & ſcriptas)
        3. Per Donationes.
  - II. Gradus poteſtatis, *viz.*
    1. Supreni; Solus Deus ejus propriè efficiens eſt.
    2. Inferioris: 1. Deus principaliter, 2. Summa poteſtas humana.
- II. Cauſa ſubſerviens, & ſine quâ non; *viz.* Conſenſus mutuus Principis & Populi; Qui non efficienter dat ipſam poteſtatem, ſed Perſonam deſignat à Deo authorizandam; & ſecundariam obligationem infert.
- III. Cauſa limitans (Quæ inde dicitur per accidens ſpecierum diverſarum Cauſa) eſt
  - I. DEUS,
    1. Ut Dominus: Dominium, potentiam & facultates limitando.
    2. Ut Rector Supremus, per Leges ſuas univerſales, quibus Principes etiam ſubſunt.
    3. Ut Pater, Benefactor; Bonum publicum Imperii finem ſtatuens, & ita Miſeriam publicam inferendam à poteſtate Regentium excipiens, & Tyrannidem ut peccatum graviſſimum condemnans.
  - II. Principis & Populi Contractus Conſtitutionem fundans; In rebus ſcilicet *Dominii* & aliis quæ Deus in populi poteſtate poſuit (antecedenter): In cæteris Rectorem limitare non debent.

IV. QUORSUM: Finis autem eſt

1. Proximus: Regimen actuale Reipublicæ: De quo in ſectione ſequente.
2. Superior; Bonum publicum, *viz.* 1. Populi, 2. Rectoris.
3. Ultimus; Dei, Supremi Rectoris Gloria, & Complacentia.

V. OPPOSITA: { I. Anarchia, / 2. Tyrannis, *viz.* { 1. Quoad Titulum; / 2. Quoad Exercitium: { Quæ graviſſimum mundi malum eſt.

1. Hoſtilitas contra Deum, Rectorem Omnipotentem, & perfidus abuſus poteſtatis à Deo commiſſæ, contra jus & voluntatem committentis.
2. Peſtis humani generis vorax, & Bonorum hoſtis implacabilis.
3. Impietatis & Infidelitatis maximum præſidium, & Evangelii per totum terrarum orbem acerrima expugnatrix, ideóque animarum magna damnatrix & Satanæ potentiſſima Miniſtra: Ideóque quà talis odio ſummo ab omnibus & Chriſtianis & hominibus habenda. Amen.

Qu. de Iſidori Peluſiot. ſolutione Quæſtionis, quomodo Poteſtas omnis eſt à Deo? Lib. 2. Ep. 216. [*Mihi videris aut Apoſtolicas voces minime legiſſe, aut non animadvertiſſe & intellexiſſe: Non dixit Paulus, Non eſt Præfectus niſi à Deo: Verum de reipſa diſſerit. Non enim Poteſtas niſi à Deo. Nam quod inter homines Imperia & Magiſtratus ſunt, & alii imperent alii pareant, ac non temerario & cæco impetu omnia ferantur——hoc à Divina ſapientia eſſe ait:——Quod ſiquis impius aut ſacrilegus in illud irruperit, non hunc à Deo creatum ac deſignatum eſſe dicimus, ſed permiſſum eſſe; quo ſcilicet aut Pharaonis in modum,* &c. Hæc Iſidorus: ſed pluribus opus eſt.

Idem Lib. 3. Ep. 194. *Tyrannus ad ſuam; Regnum ad ſubditorum utilitatem omnia refert.*

CAP. XX.

§. III. *De Reipublicæ REGIMINE, ubi de LEGIBUS & JUDICIO.*

REGIMEN Civile conſideratur I. Ut in ſe (& ita in hâc ſectione) II. Quoad finem triplicem (in ſequente.)

I. Summæ Poteſtatis Opus eſt,

I. Antecedens merita ſubditorum, *viz.* LEGISLATIO; ubi dicendum eſt

I. QUID ſit LEX: ubi 1. Definitio, 2. Definitionis explicatio.

I. LEX eſt ſignificatio Voluntatis Rectoris erga ſubditos, quid ab ipſis, & quid ipſis, erit debitum, inſtituendo determinans, ad fines regiminis.

II. Explicatio: ubi { 1. Genus eſt [*ſignificatio voluntatis Rectoris.*] / 2. Differentia ab objecto, effectu, fine & modo eſt petenda: ubi ſunt

1. Objectum terminans [*ſubditi.*]
2. Objectum finale, vel Effectus, eſt [*JUS*] vel [*Debitum*] duplex, *viz.*
   { 1. Debitum Officii, vel [*ab ipſis*] præſtandum.
   { 2. Debitum [*ipſis*] id eſt, Retributionis, conſequenter, ſcilicet 1. Præmii, 2. Pœnæ.
3. Finis Regiminis eſt ſocietatis Bonum; (*viz.* Reipublicæ, & ita aliarum ſocietatum.)
4. Modus eſt [*inſtituendo*]; quo differt à determinatione *Judiciali* conſequente.

Vel I. Materia Legis eſt

I. Materia ſigni: Quæ eſt { 1. Vox: (Creata ſcilicet inſtrumenti cujuſdam Divini.) / 2. Scriptum: ſcilicet Literæ ſacræ. / 3. Opus: (Creationis aut providentiæ, quà ſigna.) } (quoad Leges Divinas)

II. Materia ſignificata Quæ eſt { 1. Efficiens: Rectoris Voluntas inſtituens. / 2. Effecta: Debitum vel Jus inſtitutum. / 3. Objectiva: Actiones (& Diſpoſitiones) præceptæ & prohibitæ.

II. Forma: Relatio multiplex, *viz.* (ex hiſce enim omnibus relationibus conflatur forma Legis)

1. Signi ad Voluntatem Rectoris ſignificatam.
2. Signi ad Mentem ſubditorum, quoad aptitudinem ſignificandi.
3. Voluntatis & Signi ad rem præceptam & prohibitam.
4. Voluntatis & ſigni ad Debitum vel Jus inſtitutum.

Et

- Et ita in Definitione, 1. *Lex* dicitur [*significatio*] vel [*signum*] quia Voluntas significata non est *Lex* in se, sed ut *significata* : (Quicquid dicant Theologi de Lege æternâ)
- 2. Dicitur *Signum* [*Voluntatis*] quia *Voluntas* est facultas Imperans, (Intellectu dirigente suppositio.)
- 3. [*Rectoris*] ut distinguatur à jussu æqualis vel privati.
- 4. [*Erga Subditos*] Quia ad alios non est Rector.
- 5. [*Quid ab ipsis*] officium scilicet vel Debitum præceptum; primarium objectum Legis.
- 6. [*Quid ipsis*] id est, per modum præmii vel pœnæ; objectum Legis secundarium.
- 7. [*Debitum*] Objectum formale Legis & effectum proximum.
- 8. [*Instituendo determinans*] Lex est *Instrumentum Efficiens debitum*; non ut sententia Judicis *consequenter* determinans, de jure vel facto existente.
- 9. [*Ad fines Regiminis*] Leges Regiminis instrumenta, à respectu ad regiminis fines definiuntur.

III. Partes Integrales
1. Doctrina; fundamentum & rationem Legum explicans.
2. Narrationes Historicæ; de Legum Materiâ, occasionibus, instantiis, &c.
3. Inculcationes applicatoriæ, suasoriæ, &c. ad officia jam instituta.

II. QUOTUPLEX: Leges autem vel specificantur vel aliter distinguuntur, vel

1. Ab Efficiente in specie, Suntque Leges
1. Divinæ:
2. Humanæ: *viz.*
1. Parentum,
2. Pastorum,
3. Magistratuum (de quibus hîc) ut & potestatis subordinatæ, Dominorum, Magistrorum, Ducum, &c.

2. Ab Efficiente in Gradu,
1. Leges sunt summæ Potestatis, per Authoritatem à Deo solo derivatam.
2. Inferioris Magistratus; per Authoritatem à Majestate derivatam.

3. A Partium numero: & ita Leges sunt vel
1. Plenæ & integræ: systema Legum, & norma sufficiens.
2. Singulares; (systematis partes) debitum singulare instituens.

4. A Materiâ signi,
1. Aliæ sunt dictæ,
2. Aliæ scriptæ,
3. Aliæ in operibus significativis.

5. A subditis ut objectis
1. Aliæ sunt Leges *Universales* pro omnibus.
2. Aliæ Particulares pro quibusdam, *viz.*
1. Pro Magistratu inferiore,
2. Pro Ecclesiasticis,
3. Pro militibus, &c.

6. A sanctione, vel diversitate Præmiorum & pœnarum.

7. A fine speciali:
1. Aliæ sunt ad obedientium tutelam: 2. Aliæ ad rebellium reductionem.
1. Aliæ sunt ad Utilitatem: 2. Aliæ ad defensionem: 3. Aliæ ad honorem.

8. A Duratione:
Alia sunt Mandata temporaria: (Quæ veram tamen Legis naturam habent.)
Alia sunt statuta permanentia.

III. Actiones Majestatis circa Leges sunt,
1. Leges condere; Quæ propriè Legislatio dicitur.
2. Promulgatio: Quæ est sufficiens publicatio; Quæ ad obligationem est, *sine quâ non.*
3. Interpretatio Universalis (ut à Judicis interpretatione applicatoriâ distinguitur.)
4. Mutatio,
1. Per *Abrogationem*; Quâ Lex prorsus tollitur.
2. Per *Derogationem*; Quâ Pars Legis tollitur.
3. Per *Subrogationem*; Quâ aliquid Legi adjicitur.
4. Per *Obrogationem*; Quâ Legis pars aliqua mutatur in aliam.
5. Per relaxationem vel suspensionem præcepti: Quâ individuus quidam ab obligatione legis manentis eximitur.
6. Per relaxationem partis pœnalis quibusdam, per condonationem prævenientem.

II. Regiminis Pars subsequens Subditorum Merita, est

- I. JUDICIUM: ubi
  - I. Partes vel Personæ sunt, 1. Actor, 2. Reus, 3. Judex: & subservientes, Testes, Advocati.
  - II. Actiones,
    - 1. Actoris, Accusare, probare.
    - 2. Rei, Defendere (& ita Advocati.)
    - 3. Judicis:
      1. Citatio Rei.
      2. Causæ exploratio.
      3. Sententia lata: vel Justificando vel Condemnando.
- II. Judicii Executio.

II. Magistratus Inferioris Pars est
1. Deum & Majestatem Honorare, iisque obedire.
2. Juxta Leges Dei & Majestatis subditos gubernare
   1. Judiciis.
   2. Executione.

CAP. XX.

§. IV. *De Regimine quoad triplicem finem.*

Administrationis seu Regiminis Fines speciales sunt

I. Reipublicæ Conservatio: Quæ fit
- I. Per Rectorum,
  - I. Potentiam: Quæ consistit
    1. In favore & Auxilio Divino.
    2. In populi ingenui concordantis multitudine, amore, obedientia.
    3. In arte populum uniendi & regendi.
  - II. Sapientiam: Quæ fit
    1. Per optimam Regentium educationem & instructionem.
    2. Per optimos Consiliarios, (non spretos vel neglectos.)
    3. Per rerum usum & experientiam.
  - III. Bonitatem: Quæ consistit
    1. In Deo obediendo, amando, colendo, super omnia.
    2. In vitæ temperantiâ & innocentiâ exemplari.
    3. In Amore Paterno erga populum, justitiâ & bonis operibus.
- II. Per Subditorum item
  - I. Sapientiam: Quæ fit
    - 1. Per ingenuam educationem, *viz.*
      1. Si officia Domestica per Leges rectè curentur.
      2. Si nimia paupertas vel servitus, neque discendi animum, neque opportunitatem à subditis eximat.
      3. Si luxuria & prosperitatis vitia per Leges diligenter supprimantur.
    - 2. Per sedulitatem peritorum Præceptorum & Pastorum: Quos summopere Magistratus Reipublicæ Amator, tueri & auxiliis fovere debet.
    - 3. Per Negotiationes extraneas, & conversationem non nimis privatam.
  - II. Bonitatem: Quæ fit
    1. Per optimas Leges,
       1. De Liberorum educatione ingenua & pia.
       2. De Cultu Divino, & Religione promovenda.
       3. De peccatoribus pudefaciendis & puniendis.
    2. Per Pastorum peritiam, sanctitatem & diligentiam.
    3. Per Rectorum exemplarem innocentiam & pietatem.
  - III. Potentiam: Quæ consistit
    1. Multitudine: Respublica parva est hostium præda.
    2. Prudentiâ: Fatuitas contentiones & divisiones parit.
    3. Concordiâ: Quæ fit 1. Ex æquis Legibus, 2. Et Obedientiâ religiosâ.
- III. Per Sociorum (rectè electorum & tractatorum) fidelitatem.

II. Reipublicæ Perfectio: Quæ est
1. In Potentiæ, Sapientiæ & Bonitatis hujus debita Augmentatione.
2. Per mediorum jam dictorum usum accuratum.

III. Reipublicæ Restauratio; ubi considerandæ sunt
- I. Morbi vel Pericula Reipublicæ; Quæ sunt
  1. Alteratio Reipublicæ in pejus (quoad Qualitates.)
  2. Mutatio Reipublicæ in pejus per speciei degenerationem.
  3. Subversio Reipublicæ, 1. Per Cessationem, 2. Per Confusionem, 3. Per Captivitatem.

II. Causæ

II. Cauſæ Periculorum: Quæ ſunt

- I. Remotæ fundamentales,
  - 1. Peccata majorum, & inde maledictio Divina.
  - 2. Fundamentum Reipublicæ male jactum.
- II. Proximæ
  - I. Internæ
    - 1. In Rectoribus,
      - 1. Supremis;
      - 2. Inferioribus,
      - *viz.* Contraria mediis conſervantibus jam dictis.
    - 2. In Populo; contraria eorum officiis antedictis.
  - II. Externæ: Hoſtium & Inimicorum
    - 1. Potentia,
    - 2. Aſtutia,
    - 3. Malitia:
    - unde Bella
      - Civilia,
      - Extranea.

III. Remedia: *viz.*

- I. Primum: Numinis offenſi Reconciliatio per fidem & ſinceram pœnitentiam.
- II. Secundum, Reformatio Cauſarum
  - 1. Fundamenti male poſiti; ut & Legum injuſtarum.
  - 2. Rectorum, 1. Supremi, 2. Inferiorum, 1. Civilium, 2. Eccleſiaſticorum,
  - 3. Domeſticorum.
  - 3. Populi, 1. Per ſui, 2. Et Rectorum, 3. Et Paſtorum, fidelem diligentiam.
- III. Tertium: Mali depulſio
  - 1. Per Media Prudentiæ, contra Aſtutiam hoſtium & malorum.
  - 2. Per Media Bonitatis & Amoris; quæ diſcordias, factiones, ſeditiones ſedant.
  - 3. Per Media Potentiæ.

- I. In ordinariâ Legum executione diligenti.
- II. Bella: Quorum conſideranda ſunt
  - I. Natura, Cauſæ & Conditiones Belli liciti.
  - II. Proſecutio: ubi Militum officium
    - 1. Erga Deum,
    - 2. Erga Homines, *viz.*
      - 1. Ad invicem
        - 1. Ducum,
        - 2. Gregariorum.
      - 2. Ad incolas,
      - 3. Erga hoſtes.
  - III. Finis & effecta aſſequenda.

Quæ omnia Sectione peculiari tractarem, ſi malorum furor pateretur.

CAP. XXI.

De Triplici Inimico: & I. De CARNE operante: ubi dicendum,

I. QUID ſit **CARO** inimica: eſtque (ut nomen ambiguum diſtinguatur)

1. Corpus ipſum ſeu Materia Paſſiva, ut in ſtatu peccati, & chara nimis, animæ.
2. Anima ſenſitiva; Quâ Ratione ſuperior evaſit in ſtatu peccati.
3. Anima Rationalis, quâ 1. Sanctitate deſtituta eſt, 2. Et ſenſualitati ſubdita; & depravata.

II. QUÆ & qualis eſt ejus Inimicitia?

- I. CORPUS ipſum Animo inimicum & boni impeditivum eſt.
  - 1. Quatenus ejus Neceſſitates, cibandi, dormiendi, laborandi, &c. 1. Animam ſenſitivam, 2. Et deinde Rationalem, nimis afficiunt, urgent, & obſtringunt, & in ſervitutem adigunt.
  - 2. Quatenus Animi Inſtrumentum minus idoneum fit in ſtatu maledictionis, *viz.*
    1. Malo ſuo Temperamento *Intellectûs apprehenſiones* tardat, obſcurat & confundit.
    2. Concupiſcentiæ & pravis *volitionibus* materiam præbet, & à ſummis voluntatem avocat.
    3. Et mole & cupidine operationes Rationales *executivas* tardat, & mentem deprimit.
  - 3. Quatenus morboſum magis adhuc neceſſitatibus, & paſſionum, & perturbationum occaſionibus abundat; & ad bonum ſpeculativum, affectivum & practicum, magis inidoneum eſt.

II. Facultas

II. Facultas SENSITIVA est Animo inimica,

- I. Per sensus,
  1. Quà apti sunt concupiscentiæ & omnibus peccatis fomitem continuò ministrare.
  2. Et ita Animum in operibus sensationis nimiùm detinere, & à proprio & nobiliore opere alienare.
- II. Per Phantasiam,
  1. *Imaginationes* sensibilium tenaciter nimis *retinendo.*
  2. Et nimis *frequenter* eas intellectui *præsentando.*
  3. Et ita cupidines nocivas fere continuò excitando.
- III. Per APPETITUM & Passiones; Per quas sæpissimè & potenter,
  1. Phantasia & inde Intellectus detinentur, & à cogitationibus utilibus divertuntur.
  2. Intellectus deceptione corrumpitur.
  3. Voluntas sollicitata in Consensum trahitur, & à melioribus retrahitur.

Quæ fiunt efficaciùs,
- I. Per Objectorum, 1. Multitudinem, 2. Proximitatem, 3. Constantiam.
- II. Per Agendi, 1. Necessitatem, 2. Cæcitatem, 3. Effrænem violentiam.

III. ANIMUS quà Carnalis in statu peccati, est sibi ipsi quà spirituali & sano inimicus; *viz.*

- I. Quà Intellectus
  1. In spiritualibus cæcus est, & veritatem sanctificantem non rectè cernit.
  2. Opinionibus falsis carnalibus imbutus, pravis utitur argumentationibus.
  3. Et sensualitati studet, servitio ejus mancipatus.
- II. Voluntas *Carnalibus dispositionibus* corrupta, ad sensualitatem prona, & à rectis aversa est.
- III. Potentia Activa, 1. Privatione Habituum, & 2. Omissione Actuum meliorum, effrænem relinquit sensualitatem.

III. Quomodo superanda Caro est?

I. Corpus ipsum
1. Temperantiâ debitâ subigendum est, & ita Libidines deprimendæ.
2. Ad opera tamen debita sufficienter nutriendum & fovendum est.
3. In Animi servitio, & operibus bonis, sedulò exercendum est.

II. Facultas sensitiva, subigenda, frænanda & regenda est,
1. Per *Rationis circa Altiora* constantes operationes; & voluntatis erga meliora delectationes & desideria; & Potentiæ Executivæ circa majora diligens exercitium.
2. Per *Rationis contra concupiscentiam* debitas argumentationes; Per Voluntatis super facultates inferiores *Imperium*; & per *praxeos* contrariæ consuetudinem.
3. Per *Objectorum allicientium* solertissimam *devitationem*; per tentatorum & tentationum fugam; & per mediorum gratiæ in vitâ spirituali fideliissimum usum.

III. Rationes, & habitus Animi Carnales superandi sunt
1. Per debitam à sensualibus corrumpentibus diversionem.
2. Per Verbi Divini & rerum spiritualium solertissimum studium.
3. Per Fidei, Spei & Amoris Divini diligens exercitium; & per sapientum & bonorum consortium, & ad Christum crucifixum, exemplar vitæ, constantissimum aspectum; per quotidianam animi in cœlis conversationem; & precibus à Deo Patre, & Christo Mediatore, fidelibus, Spiritûs sancti auxilium ad victoriam flagitando.

Particulariùs hæc sequentia præ oculis animi semper retinenda sunt:

1. Dei Omnipotentia, Sapientia, Bonitas, Dominium, Majestas, Amor, Præsentia, Sanctitas, Justitia, &c.
2. Mirandum Christi exemplum contra Carnis voluptates, per totam vitam & in morte nobis datum.
3. Spiritûs sancti contra Carnem in regenitis Operationes; & in quo positum est discrimen inter sanctos salvandos & impios damnandos, Rom. 8. 1, 4, 6, 7, 8, 9, 13. Gal. 5. 24.
4. *Peccandi* & *superandi* contrarii effectus, *viz.* Pœna peccatorum & præmia vincentium certissimè tandem rependenda.
5. Carnalis Voluptatis Vanitas, sordities, brevitas; & quàm nihili æstimanda est præ Amore Dei & æternâ Gloriâ; & quàm stultam & insanam peccator facit animæ suæ nundinationem.

Elucidationes

Elucidationes

CAP. XXI.

§. 1. SAlutis noſtræ inimicorum *Caro vitiata* jam perniciosiſſimus habendus eſt, & maximâ vigiliâ & ſolertiâ debellandus. Mundus enim eſt ſolùm *carnis* illecebra & inſtrumentum, & Diabolus non immediate, ſed per *Mundum* & *Carnem* deceptos peccatores perdit. Caro autem ſemper præſens, & quaſi amiciſſima, & quaſi ipſe homo, animam intimè & maximè efficaciter corrumpit: Quam fugere non licet, & cujus urgentibus cupiditatibus & paſſionibus non facile ratio etiam fide illuminata plenè & conſtanter reſiſtit.

2. Periculoſiſſima autem Carnis ſeductio eſt, 1. Per ſui ipſius proprietates & vitæ præſentis amorem inordinatum, 2. Et deinde per ſenſuales Voluptates; Quanquam & ejus paſſiones & dolores non parvum ſunt fidei impedimentum.

3. Qui omnes carnis delicias parvipendere & temnere videntur, haud facilè tamen *Vitæ* ſeu *Corporis Amorem* inordinatum ſuperant. Martyrium igitur eſt ſummum Pietatis ſignum & maximè credibilis profeſſio.

4. Voluptas quà talis eſt bonum naturale: Quà ſancta (circa Deum & divina) eſt ſanctitatis quaſi cor & perfectio; At quà carnalis inordinata eſt animæ peſtis & perditio; & carnali dolore, timore, irâ, &c. multo pejor & periculoſior.

5. Hujus vitii is reus eſt, quicunque voluptates carnales magis diligit quàm Deo placere, ejuſque communione & amore frui, mundana potiùs quàm cœleſtia eligens. Is enim contra jus Divinum, Deique ſummam amabilitatem, contra mundi rerumque ordinem, & contra animæ ſuæ commodum & ſalutem damnabiliter peccat.

6. Deus autem hominibus voluptatis bonum non invidet, ſed majus bonum cui hoc inimicum eſt eis præferendum offert: & loco deliciarum perniciosarum in Deo amando, colendo, obediendo, aliis benè agendo, vitam æternam jucundè contemplando, Deus omnes ſe delectare præcipit.

7. Voluptates ſenſuales inordinatæ, 1. Ipſam animam inanem, deceptam & quaſi brutam reddunt; Rationis uſum maximè neceſſarium ſumme impediunt; & ita voluntatem corrumpunt, ut verè bona & delectabilia non ſapit, ſed averſatione & odio faſtidit. 2. Deum igitur ex amore ſibi debito, & animarum regimine paterno dejiciunt. 3. Res creatas contra ordinem & uſum proprium adverſus Creatorem obvertunt, & ferè peſſimam Idololatriam conſtituunt. Sicut enim Cordis Amore Deus primò delectatur, ita & Cordis Idololatriam maximè odit. Et proculdubio pauci Ethnicorum qui aſtra colunt & imagines, ea tanto amore & delectatione colunt, quanto ebrii, avari, ſuperbi, &c. ſua cordis idola amplectuntur: Non tam quæ genuflexione quàm quæ cordis deſiderio coluntur, Deum à Corde, ideóque peccatorem à ſalute efficaciſſime excludunt. 4. Voluptas ſenſualis animam gaudio ſpirituali avertendo & alienando privat; 5. Hominem Chriſto, Apoſtolis, ſanctiſque omnibus valdè diſſimilem facit: 6. Tempus precioſum circa carnis proviſiones & delicias male conterit, 2 Pet. 2. 13. 7. Adverſus ſacra Dei conſilia, beneficia, & opera, homines ingratos & obduratos reddit, Luc. 18. 14. Heb. 11. 25. 2 Tim. 3. 4. Iſa. 58. 13, 14. 8. Aut ad acerbam pœnitentiam, aut magis acerbam mortem & conſcientiæ plagas ſempiternas ſubeundas peccatores præparat. 9. Et non raro ad paupertatis, ignominiæ, & morborum mala corporea, & ad mortem præmaturam & doloroſam, Prov. 21. 17. Jam. 5. 5, 6. 10. Et quo jucundius homines peccant, eo pejus, eóque gravioribus pœnis digni ſunt, Rom. 1. 32. 2 Theſ. 2. 12. Jac. 5. 5.

8. Mortificationis igitur veræ exercitia non ut mala, ſed ut valdè nobis utilia ex miſericordiâ ſuâ a Deo imperantur. Sicut eligibilius eſt hydropici ſiti aut morboſo pruritui mederi, quàm placere, ita & carnis cupiditatibus morboſis.

9. Peſſimè igitur ſaluti ſuæ conſulunt, qui eum vivendi ſtatum ſibi exoptant & ambiunt, qui maximas cupiditatibus delicias præbet; cum tamen indè illecebræ periculoſiſſimæ animabus ſupponuntur.

10. Nec meliùs ſuis liberis & amicis conſulunt qui divitias rerumque omnium copiam, quaſi optimum vivendi modum ſummo conatu ipſis provident, quibus libidines foventur, animæ vitiis perniciosis ineſcantur, & via & ſpes ſalutis ſaltem admodum difficiles & dubiæ redduntur.

11. Ad carnis cupiditates aut augendas aut mortificandas, non parum valet uſus ſeu vivendi conſuetudo. Qui à pueritia à malis parentibus ad gulam & voluptates educati ſunt, aut inter pocula & otium ſeu ludos jocóſque diutiùs ſunt morati, iis libido fit effrænis & quaſi natura ferè indomabilis: Cum ſobrie & temperate vivendi uſus, appetitûs & phantaſiæ libidini medetur; & ferè faſtidium parit voluptatis iſtius carnalis prohibitæ, quæ aliis neceſſaria videtur.

12. Non tamen in corporis voluntariâ læſione religio ſuperſtitioſe locanda eſt, ſed ejus ſalus debitâ curâ conſervanda eſt, quò cum maximâ alacritate, gratitudine & ſpirituali gaudio, Deo benigniſſimo ſerviamus.

CAP. XXII.

De MUNDO, Inimico Objectivo: Ubi

I. QUID ſit Mundus inimicus?

Neg. 1. Non Mundus per ſe, ex malitia aliquâ innatâ, quæ ad peccandum hominem impelleret.
2. Multo minùs Mundus quà ſanctificatus; Ita enim omnia Dei opera ſunt homini ſalutaria.

Aff. Sed Mundus, (id eſt, inferiora hujus vitæ commoda,) per accidens tantum, *viz.* ut per mentem carnalem, infidelem, erroneam, in oppoſitione, vel in competitione, contra altiora ponitur: *viz.*

I. In Genere eſt BONUM INFERIUS ut Bono ſuperiori opponitur vel præfertur.

II. Specialiter,
- I. Bonum Naturale; e. g. Vita, ſanitas, robur, pulchritudo, cibus, quies, &c.
- II. Bonum ſenſuale,
  1. Ut gratum Appetitui ſenſitivo immediatè.
  2. Ut gratum Appetitui phantaſtico per imaginationes.
  3. Ut gratum Appetitui Rationali quà carnali & corrupto.
- III. Bonum partim ſenſuale-phantaſticum, partim Intellectuale; *viz.*
  1. Divitiæ; quæ placent quatenus ſunt pabulum ſenſualis voluptatis.
  2. Honores humani (bonum ſuperbientium)
     1. Potentiæ; in Dominatione, ſuperioritate, aliorum ſubjectione.
     2. Sapientiæ; dum alios nos ſapientes æſtimare, & prædicare vellemus.
     3. Bonitatis; dum Amorem & Bonitatis laudes indebitas ambimus.
  3. Speculationes inutiles aut noxiæ; ſuperbientis aut inanis animi deliciæ.

Quæ omnia uſitatiſſime ut
1. *Media* ita enumerantur
1. Voluptates,
2. Opes,
3. Honores,
& per Apoſtolum, 1 Joh. 2. 15, 16.
1. Cupido carnis.
2. Cupido oculorum.
3. Superbia vitæ.

2. Et in *fine* ut Centro ſunt: *Voluntatis inſanæ & rebellis Impletio & Complacentia. Voluntas* enim hominis lapſi ſui Idolum eſt, & quaſi Deo, ſibi in omnibus placita appetit.

II. Quomodo

II. Quomodo nocet?

I. In Genere, { 1. Inordinatè facultates attrahendo ad inferiora.
2. Et impediendo & divertendo à bono superiore: *viz.*
{ 1. Directè & maximè pernicioſè, per viam PLACENDI & alliciendi.
2. Indirectè & ſecundariò, per viam DISPLICENTIÆ & doloris.

II. Speciali-ter,

I. Bona Naturalia (vita, robur, &c.) ſunt fomes & Materia *Amoris iſtius inſani ſui ipſius ut individui*, qui jam inordinatus, fit Dei, boni publici, & proximi, inimicorum primus.

II. Bona ſenſualia,

I. Pervertunt

1. *Senſus ipſos*, eos nimiùm detinendo, 2. Et *Appetitum*, effrænem eum reddendo: 3. Unde Imperium Ratio amittit, & Appetitus ſenſitivus obtinet. 4. Et inde corrumpitur *Phantaſia*; & imaginationibus ſenſualibus (de cibo, de potu, de venereis, de ornatu, de opibus, de honoribus) totaliter occupatur. 5. Inde ipſe Intellectus in ordinatam ſenſualium æſtimationem decipitur. 6. Hinc *cogitationes* fiunt pleræque ſenſuales. 7. Et ipſa *Voluntas*, ad ſenſualia inclinat, concedit, & ita corrumpitur: Et *Amor* (Cor Animi) ad carnalia adhæret. 8. Et ita *paſſionibus* pluribus inſanis, ut curis, cupidine, gaudio, mœrore, ſpe, &c. animus perturbatur. 9. Et in laboribus mundanis inanibus, pretioſum vitæ tempus ferè totum conteritur. 10. Et ut deſiderata obtineantur, furta, oppreſſiones, fraudes, mendacia, adulationes, &c. adhibentur.

II. Divertunt

1. *Cogitationes* à *Divinis*: 2. Et inde *Voluntatis* & *Amoris* Divini procedunt *omiſſiones*. 3. Et inde *æſtimationis* etiam *diminutio*. 4. Et Amoris *habitualis* declinatio. 5. Et ita *Gaudia ſpiritualia* extinguuntur, & ipſa deſideria deſidunt, & Animus Deum & ſeipſum deſerit. 6. Et ipſi ſenſus & facultates inferiores à Dei obſequio divertuntur.

III. Bona phantaſtica (opes, honores, ſpeculationes) itidem animum *Pervertunt* & *Divertunt*, donec

1. Carnalia & mundana, ut nobis convenientiſſima, utiliſſima, placentiſſima, & ita ſummum bonum, & finis vivendi, *practice æſtimentur*, & Amor eorum fiat Animi ſtatus.
2. Et inde Animi totum Imperium obtinent.
3. Et eorum Acquiſitio & fruitio, ſunt Animi cura, & vitæ Opus quotidianum & præcipuum.

III. Quomodo vincendus eſt Mundus inimicus?

I. Immediatè,

I. Attractivè, ut ad Quem: *viz.*

1. Deum & cœleſtia *credendo*, & ſumme *æſtimando*: & de ipſis frequentiſſimè & ſeriò meditando.
2. Deum & cœleſtia *amando*, & ipſis *delectatione* continuâ gaudendo.
3. Ob ipſa ſummâ curâ & *induſtriâ laborando*; & de ipſis frequentiſſimè *loquendo*; ut Deus & cœleſtia totum hominem habitualiter occupent.

II. Repulſivè, ut à Quo:

1. Diſtantiâ debitâ ab allicientibus & turbantibus ſe retinendo.
2. *Imaginationes* carnales in *phantaſiam impreſſas*, omni curâ *obliterando*.
3. *Vanitatem* & *Vexationem* mundanorum *aſpiciendo*; & fruſtrationes & finem doloroſum proſpiciendo.
4. Conditionem vitæ (quoad opes, honores, cibos, domos, &c.) non nimis *placentem* vel allicientem aut facere, aut velle.
5. *Cogitationes actuales* Mundanas inordinatas Voluntatis imperio reprimendo.
6. A mediis & actionibus illicitis abſtinendo.

- II. Mediatè,
  - I. Per Media Principalia, *viz.*
    - I. Christum, *viz.* In eum
      - 1. Humiliatum & Mundum contemnentem, credendo,
      - 2. Crucifixum, & à Mundo contemptum, meditando,
      - 3. Glorificatum, & in mundum triumphantem, sperando.
    - II. Per Spiritum sanctum,
      - 1. Illuminationes ejus studiosè recipiendo.
      - 2. Effusiones ejus, i. e. Amoris Divini & Gaudii cœlestis, aperto corde excipiendo.
      - 3. Motionibus ejus sanctificantibus & mortificantibus, prompte obediendo.
  - II. Per Media subordinata, *viz.*
    - I. Interna,
      - 1. Credendo in Deum, in Christum, & in promissiones, propter Deum.
      - 2. Pœnitendo de antecedentibus, male-cupitis, male-dictis & male-factis.
      - 3. Vigilando contra inimicos internos & externos, præcipuè adulantes & placentes.
    - II. Externa
      - I. Naturalia, *viz.*
        - 1. Naturalem creaturæ vanitatem & insufficientiam observando.
        - 2. Jejuniis, abstinentiâ & laboribus necessariis corpus subjiciendo.
        - 3. Afflictiones Divinas patientiâ & fide incommodum spirituale vertendo.
      - II. Instituta
        - 1. Verbum Divinum, meliora ostendens, fide & diligentiâ audiendo.
        - 2. Preces pro Divino auxilio jugiter fundendo.
        - 3. Sacramenta in spem cœlestium celebrata, recipiendo.
        - 4. Diem Dominicum ut ad Sabbatum cœleste præparatorium, sanctè observando.
        - 5. Communionem sanctorum qui cœlum aspirant, studiosè colendo.
        - 6. Communionem assiduam cum cœlitibus (Christo, Angelis, Beatis) non negligendo.

Elucidationes

CAP. XXII.

§. 1. QUanquam Mundus hic homini innocenti quasi domus Divina factus fuit, ubi opera ejus luculente præmianda præstanda erant, Deúsque se obedientibus beneficiis suis & communione Patrem amantem & summe amabilem ostenderet, per peccatum tamen fit locus pœnæ & plurimarum tentationum; (in Tabulâ satis enumeratarum.)

2. Hominis autem pravitas est inimici hujus robur: Appetitus scilicet inordinatus, phantasiæ corruptio, meliorum scilicet spiritualium & cœlestium ignorantia, & incredulitas; Cordis à Deo & Divinis alienatio, unde mundanorum verus usus aut nescitur aut negligitur, & *Vanitas* & *Vexatio* rebus omnibus hisce inscriptæ sunt, donec sanctis renovatis sanctificentur, & omnibus inscribatur *Sanctitas Domino.*

3. Sicut Mundi inimicitia consistit, tum affligendo, tum tentando nos, *viz.* ad sensualitatem, Dei animæque neglectum, malas curas, timores, tristitias, desideria, delectationes, spes, invidias, contentiones, plurimáque contra Deum hominésque peccata (2 Tim. 3. 4. Tit. 3. 3. Jac. 5. 5. Luc. 18. 14. & 10. 41. Mat. 13. 22. Mat. 6. Prov. 29. 25. Rev. 21. 8. Luc. 12. 4. Eph. 2. 3. Pro. 23. 3. Psal. 78. 18. 1 Joh. 2. 15, 16, 17. Gal. 5. 16. Jac. 1. 14, 15. Eccl. 1. 18.

1. 18. Job. 8. 13, 14. Prov. 11. 7. Act. 24. 26. Luc. 12. 18, 19. Phil. 3. 18. Eph. 5. 5. 1 Tim. 6. 10. Psal. 10. 3.) Ita & liberatio nostra à tentationibus hisce & peccatis, est liberatio etiam à mundo, & fidei victoria, nec minima pars salutis per Christi redemptionem nobis parta & donata: Gal. 1. 4. Heb. 12. 5, 6, &c.

4. Liberatio hæc hisce mediis à Christo peragitur: 1. Ipse mundum prius vicit, & exemplo, cruce & doctrinâ suâ nos ad vincendum etiam instruit. Joh. 16. 33. Heb. 12. 1.

2. Immortalitatem & vitam æternam certiorem & notiorem revelatione & resurrectione suâ nobis faciens, eo mundi illecebras inanes & inermes reddidit.

3. Promissionum ejus veritate de vitâ æternâ suo sanguine, resurrectione & spiritu obsignatâ, spem illam æternorum in fidelibus suscitat, quæ transitoria ut inimica conculcat; ut amica verò ad cœlestia obtinenda applicat, 1 Cor. 15. 58.

4. Per Spiritûs sui vim illuminantem, sanctificantem & vivificantem, nobis mentem dat cœlestem, naturamque divinam, quibus ad cœlestia diligenda & adversa temnenda, sumus quasi naturaliter dispositi; sicut natura humana ad cibum humanum appetendum, & ad escam brutorum fastidiendam, Rom. 8. 11. 1 Cor. 15. 48, &c.

5. Per fœderationis nostræ actum, ut carnem, Mundum, & Diabolum solenniter dimittamus, renunciatione deliberatâ, necesse est, si Dei fœderis beneficia speremus. Qui autem bello hoc sacro adeò solenniter initiati sunt, victoriæ dimidium jam obtinuêrunt; quia *Voluntate* aut vincimus, aut vincimur. Ipse enim *amor* noster, aut vitæ aut mortis est initium. Luc. 14. 26, 33. Joh. 12. 25. Rom. 12. 2.

6. Mundanorum illecebras planè aperit nobis, nè illaqueamur. 1 Jo. 2. 15, 16. Mat. 6. 2 Pet. 1. 4.

7. Per omnium ab Adamo seculorum exempla, Mundi Vanitatem & Vexationem nobis clarè prædicat, nè fucis decipiamur.

8. Providentiâ suâ mundanorum eam proportionem nobis largitur, quæ usui & fini nostro convenit: & afflictionibus nobis medetur, & à deceptione liberat. Gal. 6. 14, &c. 1 Pet. 1. 6.

9. Sacris operibus nos quotidiè exercendos esse jubet, quibus à terrenis ad cœlestia mentes nostræ suscitentur; precibus scilicet, meditatione, doctrinâ, sacramentis, &c. Phil. 3. 20. 1 Thes. 4. 18.

10. Vitæ hujus brevitate, morbisque ejus indicibus, ad futura nos provocat, & à tranſitoriis avocat.

5. Peccati hinc summa malignitas nota est, quòd opera Dei bona quasi in animæ venenum vertit.

6. Christi autem gratia hinc glorificatur, dum omnia hæc inimica vincit.

7. Et mors fidelibus minùs timenda est, quæ à mundo inimico eos finaliter liberat.

CAP.

CAP. XXIII.

III. *De DIABOLO, Inimico ſuaſorio (& de Miniſtris ejus). Ubi*

I. QUIS? Inimicus eſt.

- I. Mali Dœmones, *viz.*
  1. Unus Princeps,
  2. Plurimi aſſiſtentes.
- II. Homines Maligni: Vocati in S. S. 1. Semen Serpentis, Gen. 3. 15. 2. Miniſtri Satanæ, 2 Cor. 11. 15. 3. *Ejus Angeli* fortaſſe, 2 Cor. 12. 7. Rev. 12. 7, 9. 4. Qui ſunt ex Diabolo, 1 Joh. 3. 8. 5. Filii Diaboli, ejus naturam habentes, Joh. 8. 44. Act. 13. 10. 1 Joh. 3. 10. 6. Ejus Captivi, 2 Tim. 2. 26. Act. 26. 18. 7. Ejus ſubditi, in quibus operatur, Eph. 2. 2. 8. Immo ipſi Diaboli, Joh. 6. 70. 2 Tim. 3. 3. 9. Ejuſdem operis operarii, Joh. 8. 44. 1 Joh. 3. 8. Rev. 2. 10. 10. Et cum Diabolis damnandi, Matth. 25. 41. 1 Tim. 3. 6. In hâc igitur claſſe *Maligni* ſunt ponendi.

Inter quos locum præcipuum obtinent

- I. Maligni Magiſtratus; malignarum Legum & executionum authores; qui gladium à Deo acceptum adverſus ipſum primò vertunt.
- II. Maligni Eccleſiarum Paſtores; Qui carni, avaritiæ & ſuperbiæ ſerviunt; & Chriſti nomen & verbum & inſtituta, contra ipſum & ſanctos malignè flectunt.
- III. Maligni Hypocritæ; qui ingenio, dotibus & ſpecie pietatis, adverſus pietatem abutuntur.

II. Quænam eorum Inimicitia? Eſtque

- I. Radicalis interna, *viz.*
  1. Amor eorum quæ Divinæ Voluntati ſunt contraria.
  2. Odium eorum quæ Amatis adverſantur, *viz.*
     1. Ipſius ſanctitatis, in praxi, & inde in eſſentia.
     2. Dei 1. Sanctiſſimi, 2. Juſtiſſimi Judicis.
     3. Sanctorum, quà talium.
- II. Exercita, *viz.*
  - I. Extrinſecùs, *viz.*
    - I. Per Diabolum, *viz.*
      1. Per Spectra.
      2. Per prodigia decipientia, & terribilia.
      3. Per cœli & terræ mutationes, ubi Deus permiſerit.
    - II. Per ejus Miniſtros,
      - 1. 1. Objecta decipientia & allicientia Intellectui per ſenſus præſentando (ut cibos, potus, opes, laudes, venerem, &c.) & argumentatione fallaci mendacia veriſimilia obtrudendo.
        2. Voluntatem ad conſenſum illecebris, & importunitate ſuadendo.
        3. Male-faciendi occaſiones offerendo, & impedimenta removendo. Et è contra
      - 2.
        1. Objecta informantia & ſalubria amovendo.
        2. Veri Doctores & Chriſti Miniſtros opprobriis onerando, vel pœnis, exilio, carceribus; aut ſilentii impoſitione, os obſtruendo, & lucem veritatis profligando.
        3. Bonorum etiam Communionem ad mutuam ædificationem, prohibendo.
        4. Cultum Dei caſtiſſimum & ſpiritualem impediendo.
        5. Bonos & Dei cultores contumeliis & injuriis opprimendo.
        6. Minis & perſecutionibus in viam rectam redituros deterrendo.
        7. Immo vi, incendiis, bello innocentes perimendo & minuendo.
  - II. Intrinſecùs,
    1. Temperamentum Corporis Diabolus (permiſſus) ad malum poteſt adaptare.
    2. Appetitum & phantaſiam ad præſentia ſenſualia agitat & trahit.
    3. In malis imaginibus phantaſticis ante-receptis, ſæpe poſtea abutendis, miram habet poteſtatem.
    4. Et inde ad pravas cogitationes, conceptus, volitiones & actiones, intellectum & voluntatem deceptione & importunitate, impellit: Acceſſum ad mentes humanas habens, mortalibus incognitum. 1. Aſtutiâ autem, 2. Malitiâ, 3. Et Potentiâ valens, genus humanum citò in ruinam traheret, ni Deus Opt. Max. nobis ſubveniret.

  Et è contrario, Cogitationes, Volitiones & Operationes bonas, iiſdem artibus poteſt impedire. Tentationes autem ſingulas enumerare, utpote fere innumerabiles, hîc non licet.

III. Quomodo

III. Quomodo vincendus est?

I. Præcipuè mediis iisdem jam descriptis, quibus *Caro* & *Mundus* sunt vincendi: Per hos enim Diabolus plerumque sua præstat opera.

II. Deinde
1. Nos totos in fœdere sancto, Deo & ejus Amori & Operi devovendo.
2. Christum salutis Ducem, fide, gratitudine, & imitatione absolutè sequendo.
3. Spiritui Sancto obediendo, & auxiliis ejus fideliter utendo.
4. Mediorum institutorum (publicorum & privatorum) usu, nos constanter exercendo.
5. Ignaviam & otium fugiendo; & totum vitæ tempus in bonis operibus impendendo.
6. Cupidinum Mortificationi seriò studendo, (dum eis homines carnales indulgere student.)
7. Per Verbi Divini scientiam, fidem, amorem, & usum quotidianum.
8. Sapientum & sanctorum consortium eligendo, & eorum consiliis & auxiliis utendo.
9. Objecta allicientia, tentationes, & peccandi occasiones, solicitè procul fugiendo.
10. Finem omnium, & res æternas seriò & continuò prospiciendo.

Elucidationes

CAP. XXIII.

1. QUot & qualis naturæ seu consistentiæ, sint mali Spiritus seu dæmones, mortalibus non constat. At probabile videtur eos esse plurimos, & totius cujusdam regionis incolas; & in politiâ quadam inter se vivere, & unum quendam habere principem. Qualem autem in subditos habet potestatem, & quomodo, quibus legibus, pœnis aut præmiis eam exercet, nobis haud notum est.

2. Probabile maximè videtur eorum habitationem esse in Aere, nec non in Aquæ & Tellùris iis profunditatibus, quibus Aeri penetranti datur accessus: Aereæ enim potestatis Princeps Diabolus dicitur, Eph. 2. 2.

3. Probabile igitur videtur eos non simplicis aut puræ naturæ spiritualis esse; sed aliquid aereæ corporeitatis habere. Videmus enim uniuscujusque (nobis notæ) regionis seu elementi incolas similes elementi sui habere naturas, seu corpora: An autem reverâ ita sit, & an compositi sint ex corpore & spiritu, (ideóque ut putavit Origenes & Psellus, dissolubiles, & mortales) vel potiùs sint meri spiritus in aere habitantes, aut *aereum-corpus* & *Potentia-spiritualis* sint tantùm naturæ eorum *conceptus inadæquati*, hæc omnia nobis sunt ignota.

4. Neque magis nobis notum est an in aere aut aliis ignotis regionibus sint Incolæ naturæ nobis invisibilis (Dæmones vulgò dicti,) qui Diaboli, maligni, apostatæ aut Deo & hominibus inimici non sunt; Neque de talibus quærere nostri est.

5. Probabile est Impiorum animas itidem in Aere adhuc (separatas à corpore) manere, quia vix alia illis quàm Diabolis regio assignanda est.

6. Ideóque non minùs possibile est Animas impiorum nobis apparere posse quàm diabolos; Ejusdem quippe Gehennæ sunt incolæ.

7. Quomodo & quantum Diaboli ad animum humanum habent accessum & in eum operentur, nobis non plenè notum est: sed quòd modo aliquo phantasiam & cogitantem facultatem possint movere vel incitare, experientiâ communi nimis notum est.

8. Quando species seu Imagines quasdam sensitivè-placentium Phantasia semel recepit, (aut ex gustu, visu, tactu, aut cogitatione illicitâ) mirum est quantam

quantam ſtatim poteſtatem habet Diabolus Imaginibus hiſce utendi; Per quas quaſi poſſidet phantaſiam, & hominem pravis ſuggeſtionibus perturbat aut peſſundat. Inſtantias ego tales Lectori hîc poſſem aperire, unde clarè probetur reverâ eſſe *malos dæmones* qui homines ad peccatum & perditionem ſolicitant; & quæ Sadducæum etiam ſi ſobrius eſſet, convincere potuiſſent: Unam jam mihi recentem & præſentem recitabo. Theologus admodum gravis & probatæ ſinceritatis adhuc in vivis eſt, qui mihi ut confeſſori & fratri amiciſſimo miſeriis ſuis delaſſatus hunc ſtatum ſuum detexit: Cum puer adhuc ſub pædagogo ſtudiis incumbens puerorum pœnas dantium nates nudatas ſpectaſſet, Imaginem valdè delectantem in phantaſiam ſuam ſpectaculum impreſſit: Unde à ſe obtinere non potuit quin ſeipſum itidem nudatum flagellaret; & nates ſuas aut retroſpiciendo aut per ſpeculum aſpectaret: Et hoc ab ipſo ſæpe adeò perpetratum eſt, ut nullâ motus ratione, abſtinere potuerit. A Pueritiâ ad annum ætatis jam 66 cum mihi rem ſecretam pudefactus aperuit, per vices hunc morem continuavit: Unde conſcientiâ vulneratâ in Melancholiam ab ipsâ juventute dejectus eſt: & ſub Melancholiâ iſtâ aliquando per plures annos, & ultimâ hâc vice per quinque annos ſine levamine permanſit. Et quidem in hâc Melancholiâ, ex hoc facinore anxietate & inquietudine animi continuâ perturbatus fuit; at mentis cætera ſanæ, utpote qui & benè orare, & concionari & colloqui, & pie & ſobrie vivere potuit: & reverâ quando morbo non fuit oppreſſus, ingenii fuit alacris, & hilaris, vir multæ ſimplicitatis, candoris, ſociabilis & ad conſuetudinem aptus: At dum vigeret Melancholia (cætera ſanus) à flagitio hoc nullo modo abſtinere potuit: Sanatus autem potuit cum quâdam difficultate. Seipſum autem flagellando verbera ſæpe 20 aut 40 ad ſanguinis effluvium & excoriationem à ſe pertulit, & 12 aut 14 ferè quotidie. Dolorem quidem in cute ſentiebat, ſed cum ſummâ phantaſiæ delectatione: Adeò ut in cubiculo ſecum virgas ſemper abſconditas ſervaret: Et cum in aliorum domibus diverſabatur, ex ſcopis betulæ vimina furaretur, quibus opus ſuum delectabile perficeret. Et cum Uxori & Filio res innoteſcebat, nulla eorum vigilantia, nulla ſuæ conſcientiæ flagella, flagellationem hanc doloroſam ſanguineam, delectabilem tamen prævertere poterant: ſed virgas ſecreto ubi alvum purgabat, ſecum portabat aut abſcondebat. Et tandem mihi ab amicis miſſus & commiſſus, in domo mea hæc perpetravit & faſſus eſt. At jam tandem (Deo Gratias) poſt annum ætatis 66 à melancholia & hiſce malis omnibus probè liberatus, Deo placide ſervit. Et quamvis hæc ut ſecretiſſima quoad Perſonam mihi nota facta ſunt, quoad Rem tamen ut ſecreta maneant, nulla mihi imponitur obligatio: & quamvis mira poteſt melancholia, ſine Diabolo tamen dolorem atrocem quotidianum in delectationem inſuperabilem, (in homine docto, pio, cætera ſano) vertere non poteſt: Immo nondum melancholico hæc melancholiam induxerunt. Et nè incredibile hoc Lectori videatur, inſtantiam ferè ſimilem in Skenkii obſervationibus invenire poteſt, niſi quod flagellandi voluptas aliunde orta fuit.

Spectrorum plures inſtantias proferre poſſem; ſicut & de mirandis veneficiis.

CAP.

CAP. XXIV.

De ACTIONIBUS HUMANIS in Regno Christi incarnati: Et I. *De FIDELIBUS.*

EVANGELIO prædicato, I. Quidam ad Deum per fidem convertuntur, II. Quidam manent Infideles. De prioribus: ubi

I. EFFICIENS,
- I. Proxima: Homo, peccator, virtute ejus Activâ, Intellectivâ, Volitivâ, à Sp. sancto suscitatâ, illuminatâ, inclinatâ, credit, resipiscit & fœderi consentit.
- II. Prima: DEUS,
  - 1. Pater, 1. Dat naturales facultates, 2. Misit Filium, 3. Dat Spiritum sanctum.
  - 2. Filius, Christus. 1. Redemptione & Merito. 2. Ut Divinorum Revelator. 3. Donando Spiritum sanctum.
  - 3. Spiritus S. 1. Apostolos inspirando, 2. Ministros ordinarios donis instruendo. 3. Auditores { 1. Vivificando. 2. Illuminando. 3. Inclinando.
- III. Instrumentales causæ sunt,
  - 1. Proxima: *Veritas* & *Bonitas* revelata (moraliter causans)
  - 2. Propior: *Verbum* Veritatem & Bonitatem revelans.
  - 3. Remota: *Ministri* & alii verbum hoc revelantes & prædicantes.

II. RES PRÆSTITA: (Præparationibus quibusdam in auditione, consideratione, convictione, humiliatione, & aliquali pœnitentiâ, plerumque præcedentibus; quas prætereo.)

I. INITIO, Fidelis pœnitens,

I. Quoad terminum ad Quem
- I. Quoad Actum,
  1. Intelligenter Assentit.
  2. Volenter Consentit.
  3. Fidenter, absolute se tradit.
- II. Quoad Objectum,
  - I. Primarium,
    1. Patri, Creatori, Deo Reconciliato.
    2. Filio, Redemptori, Reconcilianti.
    3. Spiritui sancto, Regeneratori, Paracleto.
  - II. Mediatum, Fœderis sancti,
    1. Doctrinæ.
    2. Promissis & Donis.
    3. Mandatis.
  - III. Finale,
    1. Ob Reconciliationem cum Deo plenam, & Adoptionem.
    2. Ob Justificationem per Christum.
    3. Ob Sanctificationem per Spiritum sanctum; & tandem horum omnium consummationem in Gloriâ.

II. Quoad terminum à Quo,
- I. Summatim SEIPSUM ABNEGAT.
- II. Particulariter,
  - 1. Carnis Cupiditatibus renunciat
    1. Quoad Voluptates.
    2. Quoad Opes.
    3. Quoad Honores.
  - 2. Et Mundo cum hisce illecebris.
  - 3. Et Diabolo & ejus operibus.

III. Quoad modum,
- I. Fides & Pœnitentia sinceræ sunt (aliter non validæ ad fines.)
- II. At plerumque infirmæ,
  1. Quoad Potentiam spiritualem, debiles sunt.
  2. Quoad Intellectum, obscuræ & confusæ.
  3. Quoad Voluntatem, nimis frigidæ & nondum satis radicatæ.
- III. Hæc omnia fiunt in foro Ecclesiæ Visibilia, per Votum seu fœdus BAPTISMALE solenniter initum, celebratum, obsignatum.

II. In PROGRESSU fidelis pœnitens hæc omnia præstat, { 1. Clariùs & distinctiùs. 2. Volentiùs & majore Amore. 3. Fidentiùs & majore fortitudine.

1. Idola præamata è corde odio majore dejicit; & propter Deum omnia vilipendit: Et Deum solum æternè Amandum & Amantem, ut summum Bonum & finem ultimum majore desiderio & complacentiâ quærit.
2. Clariùs jam intelligit, neque Ethnicismum vulgarem vel Philosophicum; nec Judaismum per Legis Mosaicæ observationem, neque ullam Infidelium falsam Religionem, valere ad Justificationem & Salutem: neque ex fœdere innocentiæ eam sperandam esse: sed solam fidem, seu Religionem Christianam, esse viam ad salutem ordinatam.
3. Clariùs jam percipit Sanctificationis necessitatem; & Christum esse Spiritûs sanctificantis datorem; sui ipsius quippe Advocati & testis in terris.
4. Videt etiam neque ignaviam neque humanas inventiones esse media per quæ Spiritus sanctus operatur; sed verbum, preces, sacramenta, & alia instituta Divina, in quibus se fideliter exercet.
5. Discrimen inter pios & impios rectiùs percipit; Ideóque ad sanctorum communionem se recipit
6. Piorum etiam in Gratiâ, dotibus & officio, disparitatem agnoscit: Ideóque sicut ipse perfectionem cupit, ita optimis utitur, & Ecclesiæ Pastoribus ut Discipulus se subjicit.

III. In statu CONFIRMATO eadem præstat adhuc, 1. Distinctiùs, 2. Lubentiùs, 3. Diligentiùs & fortiùs.

I. Activè; 1. Assensu firmiore, 2. Consensu Amantiore, 3. Praxi & fiduciâ fortiore se totum dedit,

II. Objectivè,

I. Primariò, { I. Patri, 1. Creatori, / II. Filio, 2. Redemptori, / III. Spiritui sancto, 3. Sanctificatori.

II. Rectori ut subdito, { I. Domino; ut *Suum*; quoad possessionem, usum, dispositionem.

2. Ut Regendum, { 1. Ut Discipulum, { 1. Humiliter discere. / 2. Libenter credere. / 3. Diligenter attendere.
2. Præceptis obedire, / 2. Pœnas timere.
3. Quoad Præmia, { 1. Promittenti credere (Fide.) / 2. Promissa sperare (Spe) / 3. Promissorem amare (Charitate.)

3. Ut Judicandum, { 1. Præmia gratitudine accipere. / 2. Pœnas submissione sanctâ ferre.

III. Benefactori Amatori Patri; ut Beneficiarium Amatorem, Filium: Deo, *viz.* { 1. Ex Quo Efficiente omnia gratè recipiantur. / 2. Per Quem Dirigentem media eligenda ordinentur. / 3. Ad Quem Finem omnia referantur: & In Quo summo Amore & Gaudio quiescendum est in Gloria æternâ.

III. Consequenter { I. Erga Homines in operibus, { 1. Sapientiæ, 2. Justitiæ, 3. Charitatis, } Illustrior, Constantior, Fructuosior indies evadit.

II. Bonis omnibus sibi commissis, majore utitur 1. Temperantiâ, 2. Beneficentiâ, 3. Sanctitate.

III. Hostes Dei, Carnem, Mundum, Diabolum, peritiùs, promptiùs, fortiùs debellat; resistit scilicet, vincit, & ad finem usque perseverando triumphat.

III. PRÆSTITORIS STATUS RELATIVUS,

1. Per Gratiam Christi realiter Fœderis Baptismalis Conditiones præstitit. 2. Ideóque non jam reus est illius Conditionis non-præstitæ: id est, non est Infidelis aut Impœnitens. 3. Ideóque Justus & Justificandus est contra istam Accusationem; scilicet quòd Infidelis & Impœnitens, Conditionem fœderis non præstat. Cæteræ ejus Relationes inter *Præmia* recensendæ sunt.

Elucidationes

Elucidationes

CAP. XXIV.

§. 1. DUm à pluribus nimis contenditur de Dei, Christi, hominúmq; partibus in operibus ad salutem æternam necessariis, ex insciti hæc communis concordia non satis observatur; *viz.* Omnes agnoscimus, Nihil hominem posse nisi à Deo & per Deum; & quando Agit, nihil agere nisi ex receptâ illâ potentiâ & cooperatione causæ primæ. Quædam autem operatur Deus ut Author naturæ, quædam ut Donator Gratiæ: Non igitur digladiantur de fonte boni, sed de modo donandi; Quid scilicet Deus donat per modum Naturæ, quid autem per modum Gratiæ. Et quamvis Gratiam esse Dei favorem, ejúsque beneficia tum supra tum contra nostrum meritum data, concorditer agnoscimus; de modo tamen conferendi, an Deus causis secundis naturalibus utatur, aut quomodo ab operationibus naturalibus differt operatio spiritualis, quoniam nescitur, non mirum est quòd contentione nimiâ controvertitur.

2. Sine nobis Deus nos creavit, & redemit; At sine nobis non vult nos facere beatos. Animæ perfectæ operationes (*viz.* Amor Divinus, &c.) sunt ipsa fœlicitas activa, sicut Deus est objectiva & effectiva.

3. Qui Deum fœliciter in cœlis Amare sperant, ut eum in terris Amare sincerè incipiant necesse est: Amor autem fide accenditur, cooperante Spiritu sancto, & Amorem Divinum in corda nostra effundente, Rom. 5 2, 3, 4.

4. Hæc omnia in nobis Christus operatur, simul per verbum suum docendo, imperando, suadendo, promittendo, minando, & per Spiritum persuadendo & efficiendo. Et priora (doctrina, Leges, &c.) sunt operationis hujus efficacis media congrua.

5. Qui *Legum* suarum rationes sumpsit à perfectione suæ potentiæ, sapientiæ & bonitatis, *Judicii* & *Executionis* rationes dare vult, ab operibus humanis liberè præstitis, utpote ex quibus sua præmia promisit. *Leges* igitur *justas facit* ex justitiâ illâ quæ est ipsa perfectio ejus essentialis; Justè autem *judicat* & *præmiatur* ex justitiâ suâ quidem essentiali etiam, sed intercedente veracitate & Legis fœderisque sui justitiâ, 2 Tim. 4. 8, &c.

6. Haud sapientiùs à nonnullis subditorum obedientia & opera Gloriæ Divinæ erogare suspiciuntur, quàm subditorum ordo & obedientia bono peritóque Rectori, aut pulcherrima ædificia architecto, aut liber optimus scriptori. Nil boni enim fit ab homine cujus Deus non est causa principalis.

7. Homini autem obedienti & Deum amanti suæ Laudes quoque debentur: Opus ipsum cùm laudabile sit, operantibus laudi sunt: Aliter ipsi Deo ejus laudes negandæ essent: Si Liber est laudabilis, inde author etiam laudandus est; Causæ & primæ & secundæ opera bona laudi sunt. Et Deus ipse quidem fidelium bona opera laudat; nec laudat tantùm, sed quia bona præmiatur, Matth. 25. Neque sententiæ Judicis tenor erit [Glorificaberis solùm quia mihi Domino absoluto hoc placet, sicut astra supra terram liberè locavi.] Sed [*Euge, bone serve; Fidelis fuisti, &c.*] Et [*Venite Beati, Regnum possidete vobis præparatum, &c. Esurivi enim, &c.*]

8. Quamvis opera fidelium infirmitatis & peccatorum maculis conspurcentur, Deo tamen accepta sunt, utpote sanguine Christi lavata, ejus meritis & intercessione Deo grata & odorata facta, & bonitate eorum spirituali Deo optimè perspectâ, infirmitatibus & culpis (remissis) non obstantibus.

9. Fidelium prima sincera fides, seu fœderatio, est conditionis impositæ prima præstatio, sicut quæ promittimus postea præstare est pars secunda. Hoc enim est opus Dei, in eum quem Pater misit credere; & qui fœderi verâ fiduciâ con-

ſentit, prima præſtitit, & jura prima obtinuit: Ut coronemur autem, vincendum eſt & perſeverandum.

10. Inter omnes item verè Chriſtianos convenit, niſi regenitos, Spiritu Chriſti præditos, verè ſanctos, Dei hominumque amatores, juſtos, nullos in regnum cœleſte intromittendos, omnéſque ſecundum opera ſua judicandos eſſe; at nè minimam partem laudis Deo, Chriſto, ejus Juſtitiæ, Spiritui, aut Promiſſioni propriam, hominibus eorúmve aut fidei aut operibus tribuendam eſſe.

CAP. XXV.

II. *De Infidelibus & Impiis, & eorum Peccato contra Chriſtum.*

De Peccatis contra Legem Chriſti dicenti conſideranda ſunt,

I. Cauſa Efficiens,

- I. Remota: Diabolus, deceptor, & ſuaſor malorum,
- II. Proxima: Ipſe *Peccator*, Qui eſt
  - I. Quoad Naturam, Homo: & peccat, 1. Mente, 2. Animâ ſenſitivâ, 3. Corpore, *viz.*
    - I. Intellectus peccat,
      - I. Privativè,
        - 1. Neſciendo entia,
        - 2. Non credendo vera,
        - 3. Non æſtimando bona,

        } multiplici ſcilicet Ignorantiâ.
      - II. Poſitivè, *viz.*
        - I. Quoad exercitium; Cogitationis,
          - 1. Studendo inutilibus; per vanas ſpeculationes,
          - 2. Studendo tentantibus, periculoſis, pellicientibus.
          - 3. Studendo vexantibus; ſine juſtâ cauſâ, & malas paſſiones moventibus.
        - II. Quoad actum formatum ſive Judicium: errando, *viz.*
          - I. In genere, 1. De ente, 2. De Vero, 3. De Bono.
          - II. In ſpecie,
            - 1. Contra bona vel ſuperiora, Atheiſmo, Infidelitate vel Hæreſi, Impietate, &c.
            - 2. Erga malum vel inferiora, Malum judicando bonum, & Inferiora nimis æſtimando; unde Sapientia mundana, ſenſualis & diabolica.

  II. Voluntas item peccat
  - I. Privative, Defectu,
    - I. Amoris erga Deum, *viz.* Amandum,
      - 1. Propter ipſum Deum ut perfectionibus eſſentialibus Optimum & Amabiliſſimum.
      - 2. Propter Mundum, præcipuè Eccleſiam, cui Deus eſt Optimus, & fons boni.
      - 3. Propter ſeipſum, cui Deus Benefactor eſt & finis. Quibus continetur Privatio Amoris erga Verbum, nomen, cultum, ſervos, opera Divina.
    - II. Fidei, obedientiæ, gratitudinis erga Chriſtum Redemptorem.
    - III. Fidei, & obedientiæ erga Spiritum Illuminantem, Sanctificantem, Vivificantem.
  - II. Poſitivè Voluntas Malorum peccat
    - I. Perverſione: Dum Voluntas Carnalis inordinatè amat
      - 1. Voluptates ſenſuales.
      - 2. Honores humanos.
      - 3. Opes mundanas.
    - II. Subverſione: Averſatur & odit voluntas,
      - 1. Sanctitatem, Temperantiam & Charitatem, quatenus ſibi ipſis ineſſe debent.
      - 2. Eadem in Aliis, 1. In ſanctis, 2. In Lege Dei, 3. In operibus Divinis.
      - 3. Sanctitatem & Juſtitiam odit in ipsâ naturâ Divinâ.

I. Mens

III. Potentia

III. Potentia Executiva peccat,

I. Privativè, 1. Per torporem, ſomnolentiam, Cordis duritiem, vel Mortem ad ſpiritualia. 2. Per Conatûs ignaviam & negligentiam. 3. Per officiorum maximorum omiſſiones.

II. Poſitivè, 1. Perverſione: Ad mundana, carnalia, maligna, 1. Fortis, 2. Vivida, 3. Efficax, eſt. 2. Subverſione: Contra bona Divina, item fortis, vivida, & efficax eſt.

II. Anima ſenſitiva peccat (ante Mentem quoad Materiam peccati, at non quoad formam.)
1. Per Appetitûs ſenſitivi inordinationem, & rebellionem contra Mentis imperium.
2. Per Phantaſiæ voluptatum ſenſualium memoriam nimis tenacem & activam.
3. Per Potentiæ vitalis promptitudinem nimiam ad ſenſualitatis cupidines exequendas.

III. Corpus fit peccandi inſtrumentum; cerebrum ſcilicet, lingua, oculi, manus, pedes, &c.

II. Quoad Qualitatem, Peccator eſt antecedenter,
1. Peccato Originali jamjam corruptus, & ſub Condemnatione legis Dei poſitus.
2. At per Mediatoris gratiam Redemptus, ſalvabilis, & ſub conditione reconciliatus.
3. Qui pluribus miſericordiæ donis & mediis fruitur, ad pœnitentiam conducentibus.

III. Quoad RELATIONES Peccator eſt,

I. Erga Deum, 1. Creatura, adverſus creatorem, Rebellis. 2. Redemptus, adverſus Redemptorem, Ingratus, repudiator. 3. Invitatus, contra gratiam Spiritûs ſancti, Inimicus.

II Erga alios, 1. Angelos, 2. Homines, in Genere ſunt, 1. Officii negligentes, 2. Injuſti, 3. Ingrati. Sine debitâ Charitate; SIBI-IPSIS adhærentes: Et ſpecialiter,

I. Ut ſuperiores,

I. Domeſtici, 1. Liberos, uxores, ſervos, & cultum Divinum negligunt. 2. Ad Mundana & Carnalia ſuos inordinatè incitant & compellunt. 3. A curâ ſuarum animarum & bonis ſpiritualibus eos perfidè impediunt.

II. Eccleſiaſtici, 1. Carnalia ſua quærentes inferiorum Animas negligentiâ produnt. 2. Opiniones ſuas ſuperbè nimis æſtimantes, erroris veneno animas perdunt. 3. Ex malignitate Pietatem odio habentes, optimos opprobriis gravant & perſequuntur; & ſub prætextu Ordinis, Decoris, Regiminis, Veritatis, Eccleſias perfidè ſubruunt.

III. Civiles, 1. Potentatum, Regna, Honores, Voluptates, & Imperia tyrannica ſummè æſtimantes, fundamentum jaciunt hoſtilitatis adverſus Deum, Chriſtum & ſanctitatem. 2. Inde ſanctitatem & ſanctos ut ſibi inimicos, odio habent, & Diabolicè perſequuntur. 3. Immo Deum ipſum, ut ſanctitatis authorem, & cupidinis & Tyrannidis inimicum odèrunt.

Tantum abeſt, 1. Ut ſe ſua omnia à Deo accepta gratitudine agnoſcant.
2. Et Legem Divinam ut Regulam à ſe aut ſuis non violandam, recipiant.
3. Et Carnales ſuas Cupiditates abnegantes, ſe totos animarum ſaluti & bonis tuendis, & ſanctitati promovendæ, & bono publico, & Dei Gloriæ & voluntati devoveant.

II. Ut

II. Ut Inferiores, ſunt, 1. Indociles, 2. Rebelles, 3. Ingrati.

III. Ut Æquales ſunt,
1. Proximis, 1. Inutiles, 2. Injuſti, 3. Contentioſi & ſine Charitate.
2. Amicis infideles, ingrati, inſtabiles.
3. Inimicis malitioſi, crudeles, irreconciliabiles.

II. Erga ſeipſos,
1. Ut Cuſtodes ſuarum Animarum, ſunt negligentes, falſi ſe perdentes.
2. Ut Gubernatores inferiorum facultatum, ſunt Carnis Voluntarii Calones & mancipia.
3. Etſi Naturâ ſui Amatores, ſe gerunt ut ſui Oſores & perditores obſtinatiſſimi.

II. PECCATUM IPSUM: Quod conſiderandum eſt,

I. Ut in NATURA ſuâ, ſeu Eſſentiâ: ubi porrò conſiderantur,

I. MATERIA,
1. QUÆ, vel ſubjectiva; *viz.* 1. Inclinationes generales, 2. Actus, 3. Habitus ſpeciales.
2. Circa Quam vel Objectiva; *viz.* (Omnia Lege prohibita.)
1. Falſum Creditum, & Verum ignotum aut Negatum.
2. Bonum fictum vel inferiùs amatum, & bonum ſuperius nolitum.
3. Agenda quæ omittuntur, & non-agenda, quæ fiunt.

II. MATERIÆ DISPOSITIO ad formam recipiendam, eſt Naturalis contrarietas materiæ,
1. Ordini, & ſanitati & fœlicitati ipſius peccatoris.
2. Ordini, harmoniæ & fœlicitati Mundi.

III. FORMA; ubi ſunt,

I. NORMA, violata, denominans, correlata; *viz.* LEX Divina; *viz.*
1. Lex naturæ innocentis; cujus violationis omnes rei fuimus ab origine.
2. Lex Gratiæ,
1. Univerſalis; Adamo & Noe data, imperfecta.
2. Particularis, Abrahamo & Moſi data.
3. Perfectior Univerſalis poſt Chriſtum incarnatum: violantur autem,
1. Pars præceptiva, *viz.* 1. Lex naturæ lapſæ continuata, 2. Lex poſitiva ſuperaddita.
2. Pars promiſſoria, rejectione promiſſorum.
3. Pars pœnalis, ſpretis ſcilicet comminationibus & pœnis.

Triplex autem Juris Violatio eſt in Lege qualibet violatâ.

I. *Lex ipſa*, quæ eſt inſtrumentum Regiminis violatur: *Signum* ſcilicet *Voluntatis* imperantis.
II. *Jus Divinum fundamentale* violatur; 1. Dominii, 2. Imperii, 3. Amicitiæ & Beneficii.
III. *Voluntas Imperantis ſignificata* de Debito, 1. A nobis, 2. Nobis, violatur.

II. RELATIO FORMALIS Peccati,

I. In Genere, eſt *Triplex Violatio* jam dicta, contrarietas, diſconformitas, injuria
1. Contra Legem ſignificantem.
2. Contra Voluntatem ſignificatam.
3. Contra Jus Divini Dominii, Imperii & Amoris.

II. Specialiter Damnandi,

I. Communiter cum ſalvandis violârunt,
1. Legem Naturæ Innocentis, perfectionem facientem vitæ conditionem.
2. Legis Gratiæ Præcepta, quâ perfectionem adhuc imperant.

II. Peculiariter,

- II. Peculiariter,
  - 1. Fœderis (vel Promiſſionis) Gratiæ, Juſtificationis, Adoptionis, Sanctificationis, Glorificationis CONDITIONES minimè præſtitêrunt, ſed,
  - 2. Pœnæ gravioris hujus fœderis conditiones perpetrârunt.

  ☞ *viz.* Juxta tenorem illius Fœderis Gratiæ Editionis, ſub quâ vixerunt.

  Id eſt,
  - I. Impœnitentes, in Dominio peccati contra Dei Amorem perſeverârunt.
  - II. Infideles, & ingrati, Redemptorem, Spiritum ſanctum, & Gratiam rediantem juxta Adminiſtrationem eam & gradum quo eis oblata eſt, finaliter rejecerunt.
    - 1. Quidam ſcilicet apertè extra eccleſiam, ut hoſtes.
    - 2. Quidam hypocriticè intra Eccleſiam, ut inimici, aut contemptores.

- II. In GRADU,
  - 1. Quidam peccant ex *Ignorantiâ*, *torpore* & *negligentiâ*, magis quàm *ſenſualitate*.
  - 2. Quidam peccant ex *ſenſualitate* magis quàm ex *Malignitate*, & boni odio.
  - 3. Quidam peccant maximè ex *malignâ Diabolicâ* malitiâ adverſus ſanctitatem.

- III. In Circumſtantiis aggravantibus, *viz.*

1. Contra ſummam Authoritatem, 2. Et Sapientiam, 3. Et Bonitatem, 4. Et contra optimas & æquiſſimas leges, 5. Et gratioſiſſima promiſſa, & maxima beneficia, 6. Contra clariſſimam doctrinam, 7. Et certiſſimam veritatem, 8. Contra optima exempla, 9. Contra miniſtrorum & amicorum urgentiſſimas ſuaſiones, 10. Contra prolongatam patientiam, 11. Contra caſtigationes & judicia, 12. Contra ſcientiam & conſcientiam, 13. Et proprias profeſſiones, 14. Immo vota & promiſſiones, 15. Contra Leges publicas, 16. Frequenter commiſſa, 17. Et deliberatè & præſumptuoſè, 18. Et impudenter, 19. Et ex ſummâ malitiâ, 20. Et quando proficiunt in pejus, 21. Et quando peſſima habent effecta, de quibus in ſequentibus.

III. PECCATI FRUCTUS,

- I. Quoad ipſos peccatores, *viz.*
  - 1. Reatus culpæ, & pœnæ.
  - 2. Corruptio facultatum, & vitæ inordinatio & confuſio.
  - 3. Perditio corporis & animæ, ex naturâ peccati & juſtitiâ Divinâ.
- II. Quoad alios, privatos & ſocietates,
  - 1. Contagio per doctrinam & exempla & defectus.
  - 2. Evangelii & ſalutis communis impeditio.
  - 3. Piorum afflictio, multiplex & dolor.
- III. Quoad Deum,
  - 1. Injuria, contra Jus ejus, 1. Dominii, 2. Imperii, 3. Et contra ejus Beneficia.
  - 2. GLORIÆ vel Imaginis ſuæ obſcuratio, ſcilicet, Potentiæ, Sapientiæ, Amoris.
  - 3. Voluntatis Divinæ Diſplicentia.

Quæstionum 50. de Spiritûs sancti operationibus, & Divini Influxûs in animam humanam naturâ, causis & ordine, solutiones : Ubi & obiter de decretis Divinis. Ad elucidationem Cap. 16, 17, 18, &c. *hîc congestæ.*

Qu. 1. *Quandoquidem omnibus in confesso est, modum operationis Divinæ in animam inscrutabilem esse, & scholastici ob curiosas de talibus quæstiones à pleriſque culpantur, Anne distinctam operationum Spiritûs sancti scientiam ambire, & accuratam de hisce tractationem suscipere, aut decet aut licet ?*

Resp. 1. QUæ de hisce Spiritus sancti operationibus nobis revelantur & intelligibilia sunt, à non revelatis & absconditis distinguenda sunt. Quæ revelantur, diligenter investiganda sunt nè revelationis Divinæ contemptus rei simus : Non revelata verò ad nos non pertinent.

2. A maximis & maximè necessariis incipiendum est ; non autem à difficilioribus quæ minus utilia & necessaria sunt : Neque minoribus intempestive, nimiopere, præpostere, cum majorum neglectu, & temporis dispendio studendum est. Ad minora tamen tempestivè, & suo ordine progrediendum est.

3. Reverâ ignorantes scientiam quam non habent ostentare aut prætendere pudendum est : & incerta pro certis non sunt venditanda.

4. De ignotis quamvis probabilibus, non rixosè & cum amoris & pacis ecclesiasticæ dispendio litigandum est.

5. Audaces subtilitatis prætextus quibus veritatem obruere male-docti quidam conati sunt, subtilitatem quandam necessariam reddiderunt, ad veritatis defensionem, quam aliter tutò negligere potuissemus. Armis propriis hæretici & infideles sæpe debellandi sunt ; nè scilicet quasi indocti & inscii fideles ab istis in contemptum trahantur.

6. Non autem hinc sequitur omnibus ecclesiæ pastoribus (nedum cunctis fidelibus) necessario hisce studendum esse : Quosdam hâc militiâ expertos castra & mœnia defendere, dum alii necessariis ecclesiam ædificant, sat est.

7. Nulla verò à Deo revelata veritas omnino inutilis est & negligenda : Minora quippe etiam majora elucidant, & ad intellectûs illustrationem & perfectionem tendunt.

Qu. 2. *An detur Gratia sufficiens seu necessaria, quæ ad ea in quæ sufficere dicitur, non est efficax ?*

Resp. 1. IMprimis lis de nomine hîc submovenda est. Per gratiam *sufficientem*, non omnia hîc intelliguntur, quæ ad eventum sunt utilia, aut sine quibus res non eveniet ; sed id sine quo res evenire *non potuit*, & quo donato *fieri potuit*, quæ non fit : Necessarium scilicet & sufficiens ad actum ; non autem sufficiens ad actûs necessarium vel certum eventum. Talem autem dari Gratiam sufficientem, probatur : 1. Adam & Evah gratiam habuerunt necessariam & sufficientem quâ perseverare potuissent quando peccaverunt : Ergo Gratia talis datur ; sufficiens scilicet ad actum quem non producit. Probatur antecedens : Quia 1. Gratiam sufficientem ad perseverandum habuêrunt dum perseverabant. Deus autem ejus gratiam non denegavit eis hoc non commerentibus, neque detraxit. 2. Quia aliter eorum peccatum (& ita omne peccatum) Deo ut causæ vel efficienti, vel deficienti, vel non efficienti contrarium, imputandum esset : Et Adamo non peccâsse tam impossibile fuisset, quàm non fuisse aut angelum aut solem. Et si concederetur peccatum esse meram privationem, & causam efficientem nullam habere, à causâ tamen *primâ necessariâ* non-agente Ratio privandi seu non-essendi prima proculdubiò suum ortum deberet.

Quid

Quid autem ad Religionis Christianæ subversionem hinc sequeretur, in Disputatione de Prædeterminatione jam prolixè explicavi, quò lectorem jam remitto.

2. Ubi datur gratia *efficax* ad veram adæquatam agendi potentiam, ibi datur gratia *sufficiens* ad ipsum actum : Sæpe autem datur gratia (seu auxilium) efficax ad veram adæquatam agendi potentiam, quando actus non sequitur; ergo datur gratia (seu auxilium) ad *actum* non futurum sufficiens.

Majoris veritas patet; quia per auxilium sufficiens nil aliud volumus, quàm id quo verè agere possumus. Notandum autem est ad objectiones prævenien-das, per *Potentiam* hîc intelligendam esse *veram adæquatam potentiam activam*, quâ verè dicimur *posse* hoc agere, quamvis aliud quàm quod datur, auxilium non daretur: Non autem potentia merè passiva (qualis est lapidis quæ fiat homo) aut causa quædam ad veram potentiam partialis, quâ si daretur aliquid non datum, agere possemus (qualis est ignis potentia urendi si daretur excitatio & combustibile, aut animalis potentia movendi si Deus causa prima suum influxum motivum non datum dedisset, &c.) Hæc enim non vera potentia est ad hunc actum : Verè enim & propriè non dicitur creaturam *Posse agere* sine necessario influxu causæ primæ.

Si minor autem propositio negetur, hinc sequeretur 1. Nihil verè hominibus aut ulli creaturæ (sed soli Deo) possibile esse, quod non futurum est. 2. Neminem posse plus vel aliud agere aut egisse unquam, quàm quod egit. 3. Hominis *Potentiam activam* non esse partem ullam Imaginis Divinæ Potentiæ, quâ plus Deus agere potest quàm agit. 4. Neminem verè reum esse Potentiâ suâ non utendi aut abutendi: Cum reverâ non aliter peccati reus esse aliquis potest. 5. Plura sacræ Scripturæ testimonia congerere facile est, quibus liquidò probatur, hominem plus & aliter agere posse quàm agit: 6. Et hoc esse totius antiquitatis judicium nemo Patrum monumentis versatus insçius esse potest: Quod & ipsi Dominicani profitentur & tuentur.

Qu. 3. *Jam antea plenè probatum est, hominem posse peccare sine prædeterminatione physicâ Divinâ ad actum hunc ut ad objectum prohibitum determinatum; Quæritur igitur An Deus itidem potentiam ad bene agendum homini dedit, quâ sine physicâ illâ prædeterminatione bonum aliquod & bene agere homo possit?*

Resp. 1. DEum Adamo talem potentiam dedisse jam probatum est: 2. Et omnem talem potentiam jam totaliter amissam esse, & talem nullam per gratiam restitutam esse & improbabile & planè falsum est. Verè asserunt Theologi Britanni alique in Synodo Dordraceno, Homines plus boni facere posse quàm faciunt: Id autem semper faciunt, ad quod faciendum ita physicè prædeterminantur. Nec volunt tantùm hanc Dei non hominis potentiam esse, scilicet, quòd Deus potest facere hominem plus boni facere: De hoc enim quis dubitavit? 3. Si Deus homini solùm potentiam malè faciendi dat, non autem benè, quomodo in Dei Imagine homo aut primò creatus, aut postea renovatus est? Anne solum malè agere posse Dei imago est? 4. Et Quodnam est discrimen inter regenitum & impium quoad potentiam benè agendi si piorum nulla sit? A Deo autem ad bona opera creati sumus, Eph. 2. 10. & eorum per Christum zelotes simus, quod aliquid majus quàm mere potentes dicit, Tit. 2. 14. 5. Et qui tantùm ad malè agendum facti sunt potentes, hi malè agere verè non possunt: contradictionem enim hoc dicit. Non enim peccatum est id nunquam feciisse ad quod faciendum potentiam (neque immediatam neque mediatam) à Deo recepimus: sicut non peccamus quia ut aves non volamus, aut ut sol non lucemus. Nec peccatum est id facere quod solum facere possumus; ex Creatoris irresistibili voluntate.

Qu. 4. *An honori Divino deroget, si dicamus Deum homini potentiam dare, quâ voluntatem suam ad actus quosdam bonos determinare potest, per auxilium Divinum, sine physicâ efficiente prædeterminatione Divinâ?*

Resp. MInimè: Probatur 1. Honori Divino non derogat hominem posse voluntatem suam *male* determinare sine prædeterminatione divinâ: Ergo honori Divino non derogat hominem (Dei auxilio) posse benè voluntatem suam determinare sine prædeterminatione divinâ. Antecedens jamjam probatum fuit: Consequentis ratio est, quia non magis honori Divino derogat creaturam præstantiorem facere quàm minus præstantem: At qui se benè determinare potest præstantior est, quàm qui malè tantùm se determinare potest. Supponitur autem neutrum sine necessario concursu seu præcursu potiùs divino se posse determinare, quamvis sine specificante prædeterminatione possit. Et proculdubio in Imagine suæ potentiæ, sapientiæ & amoris gloria divina resplendet: & quod *per ipsum* fit ad sui ipsius honorem, in dedecus ejus non vertendum est.

2. Si potentia talis humana honori Divino deroget, aut honori Potentiæ suæ, aut Sapientiæ aut Bonitatis derogat. At horum nulli: 1. Non *Potentiæ:* Quia Potentiam Divinam demonstrando magis glorificat, Potentem facere hominem quàm impotentem; sicut solem facere potiùs quàm candelam. Qui dicit Deum *non posse* homini dare potentiam, suam voluntatem determinandi, Deo concursu suo universali ut causâ primâ naturæ præeunte, Dei potentiæ potius derogare mihi videtur, quàm qui Deum hoc posse asserit.

2. Non *Sapientiæ:* Horologium aut aliud automaton proculdubio non minùs artificis peritiam demonstrat, quàm quod amoto artificis digito quiescit.

3. Non *Bonitatis:* Optimi enim est potiùs bene faciendi quàm solum male faciendi potentiam dare.

3. *Impotentia, Ignorantia* & *Malitia* quibus impeditur voluntas nè ad bonum se determinet, sunt Imagini Divinæ contraria, & ipsius Diaboli Imago, & animæ pravitas Deo exosa; Ergo non magis Deum honorant quàm *Potentia* illa, *Sapientia* & *Sanctitas*, quibus Voluntas, Deo auxiliante, se determinare potens est.

Obj. *Si dicatur Bonum aliquod fieri cujus Deus non est causa prima, honori Divino hoc derogat.*

Resp. 1. Boni omnis Deus causa prima est, suo modo causans: *Potentia* Voluntatis se determinandi ad bonum, bona est: Deus igitur hujus *potentiæ* causâ prima est: Qui dat potentiam agendi, is actûs est causa prima. 2. Deus aliter Voluntatis determinationem causare potest, quàm physicè efficienter eam prædeterminando. 3. Qui dicit Deum ab æterno ante mundi creationem nihil fecisse, & nullam omnino aut potentiam aut actum ad extra effecisse, honori Divino non derogare dicitur: Ergo qui dicit, Deum creaturas fecisse quæ præeunte suâ causatione universali, & concausis necessariis suppositis, voluntates suas moraliter determinare possunt, sine physicâ Dei prædeterminatione, is honori Divino non derogat.

Qu. 5. *An sit aliquid in Actu quocunque creaturæ cujus Deus non est causa?*

Resp. NE de verbis litigemus, ly [*Aliquid*] & [*Causa*] explicanda sunt. 1. Nulla datur *substantia*, nullus *Actus* quà *Actus*, nullum *Accidens* quod proprie *Res* est, cujus Deus non est causâ: *Actus* tamen est solum *substantiæ modus*; & Actûs *determinatio ad hoc objectum potiùs quàm ad aliud*, si [*aliquid*] dicatur, est tantum modi hujus modus, & nihilo proximum, ita ut nomine proprio forte caret. [*Causa*] item *immediate proxime totaliter causans*,

à causa

à causa causæ distinguenda est: & *causa causæ necessariæ à causa causæ liberæ indeterminatæ se determinare potentis.*

1. Potentia volendi, nolendi, & non-volendi tota à Deo est.

2. Potentiam hanc Deus sustentat & conservat.

3. Potentiam activam Deus causâ prima activa & fons naturæ influxu suo universali facultati adapto, movet.

4. Talem autem Deus Potentiam hanc fecit, quæ non naturaliter (ad media) ad hîc & nunc, & ad hoc non ad aliud agendum necessariò determinatur; scilicet, neque ex naturâ suâ, aut ex naturâ objecti, aut per Deum ut naturæ causam: sed suppositis influxu divino necessario ad naturam actûs, & concausis & objectis debitè constitutis, homo potest suam voluntatem hîc & nunc ad hoc potius quàm ad aliud medium determinare.

5. Actus consideratur vel *quà Actus*, vel quà *specificatus à facultate*, vel quà moraliter *specificatus ab objecto*, eoque vel *bono* vel *prohibito.*

Actus quà actus est totus à Deo causa prima, & ab homine causa secunda.

Actus itidem ut à facultate specificatus, scilicet, quà *Vitalis*, *Intellectivus*, *Volitivus*, *Executivus* à Deo totus est: Ita enim ad naturam solum pertinet; non ad libertatem aut moralitatem.

Actus item quatenus specificatur ab *objecto naturali* necessitante in genere entis, seu naturæ, itidem totus est à Deo; v. g. Velle bonum quà bonum, & nolle malum quà malum (apprehensum) & Velle fœlicitatem quà talem; & quodcunque sub solius boni ratione apparet.

Actus autem *moraliter specificatus* ab objecto bono (seu imperato) consideratur 1. Ut determinatus, 2. Ut liberè & non necessariò determinatus, 3. Ut ad bonum determinatus. 1. Quod ad *Bonum* determinatur, (& ita *Bonitas moralis actûs*) est à Deo quatenus *Appetitum Boni* homini indidit, & *potentiam Boni eligendi* homini dedit, & *objectum bonum* fecit & proposuit, & *boni electionem imperavit*, & voluntatem juxta suas dispositiones præveniendo *influxu suo* movit, & *concausas* necessarias provisit & donavit: Immo & *eventum voluit*, & modis nobis incognitis procuravit. 2. Quod *libere* (& non ex necessitante causa) determinatur, itidem à Deo est, liberæ potentiæ authore. 3. Quod autem causa libera, non necessitate determinata, seipsam hîc & nunc ad objectum hoc comparative se determinavit, ex Deo est, in quantum omnia auxilia jam dicta dignatus est; at ab homine ut libero immediato sui motore.

Actus autem quà moraliter specificatus ab *objecto prohibito*, non est *à Deo*, sed solum ab homine peccatore; quamvis ad ejus specificationem & relationem, Legis Divinæ prohibitio causaliter concurrit.

Fulgentius ad Monim. li. 1. c. 28. ita Augustini sententiam profert.

"[Inquit Augustinus, Nullius culpæ humanæ in Deum referas causam: Vi-
"tiorum namque omnium humanorum causa superbia est. In istis Augustini
"dictis observ. 1. Quia quòd non homines adjuventur à Deo, in ipsis causa esse
"dicitur, non in Deo. 2. Quia propter iniquitatem superbiæ, prædestinati di-
"cuntur damnandi, quod pertinet ad judicium, non depravandi quod pertinet
"ad peccatum. 3. Quia nullius culpæ humanæ in Deum referendam admonet
"causam. Quia si aliqua peccatoris iniquitas à Deo prædestinata credatur, ip-
"sius iniquitatis causa, in prædestinatione Divinâ ponetur.]

Qu. 6. *An Deus unquam sit causa partialis, & non totalis?*

Resp. 1. Distinguunt Scotus, Ariminensis aliique *Totalitatem causæ*, à *Totalitate effecti*; & dicunt Deum sæpe esse causam totam, *totalitate effecti*, (scilicet, nihil esse in effecto quod à Deo non efficitur;) quando non est *causa totalis*, totalitate causæ, quia dantur concausæ quamvis subordinatæ. Revera autem Deus peccati neque causa totalis neque partialis est.

2. Suorum autem Actuum seu effectuum Deus semper causa totalis est. Quinam autem sui Actus sunt jam dicitur.

Qu. 7. *An homo suas Volitiones suspendere potest; Deo actiones suas & influxum necessarium non suspendente?*

Resp. 1. NIhil nullam habet causam. Quamvis Cartesiani nos persuadere satagunt, vim seu causalitatem æqualem necessariam esse ad non agere & ad agere (sed prudenter priùs docent, non fidendum esse sensibus: & quomodo tunc *Agere* à *Non-agere* discernamus?) At contrarium obtinebit donec homines esse sensibiles & rationales desierint.

2. Quamdiu autem Deus author Naturæ facultatem activam sustinet, & influxu suo universali ad agendum suscitat, hominis Voluntas ab omni actu se continere non potest, neque particulariter ab actibus jam dictis necessariis.

3. Et quum Anima activa per peccatum malè disponitur, se omnino à malis actibus continere non potest, sine gratiæ divinæ (vel communis vel specialis) auxilio.

4. Voluntas autem hæc depravata, & Dei inimica, nimis facilè potest actum suum erga objecta spiritualiter bona suspendere, fidem scilicet, amorem Divinum, &c. & sine aut positivâ aliquâ impeditione divinâ, aut influxûs divini universalis suspensione, ab officio suo abstinere potest.

5. Quandocunque autem Deus hominis Voluntatem, (non tantùm moraliter viâ sapientiæ, sed) physicè per omnipotentem præmotionem ad actum suscitare & determinare vult, non potest homo actum voluntatis suæ tunc suspendere: contra Deum quippe præmoventem resistentia sua minimè valebit: Et quamvis easdem quas priùs habuit facultates possidet, ad hunc tamen actum tunc verè & formaliter *potentes* esse desinunt, quandocunque potentiâ majore ad contrarium prædeterminantur. Sicut in trutinâ libræ duæ unicæ possunt præponderare, quæ tribus non possunt: neque moraliter tantum sed omnino naturaliter impotens est omnis creatura ad Dei potentiam superandam: & si malum omne ita perpetratum esset, non id perpetrare creaturæ omnino naturaliter impossible foret.

6. Quandocunque autem Deus hominem libere velle sine prædeterminatione physicâ divinâ relinquit (quod sæpissimè fit) tunc homo Volitiones & Nolitiones suas suspendere potest, Deo neque impediente, neque influxum suum universalem naturalem suspendente.

Qu. 8. *An homo volitiones suas suspendit tantùm negativè (non-agendo) an potiùs positivè per actum quendam se frænantem?*

Resp. ALiquando solùm non-agendo, aliquando autem agendo, seu actu positivo. Ubi enim Voluntas nullam habet ad agendum, inclinationem, aut ad actum seu objectum-hoc odium habet seu aversationem, ibi actu positivo non opus est quo ab amando illud objectum detineatur. Ubi autem voluntas per naturalem inclinationem aut habitum, ad objectum propendet, ibi actu frænante opus est, quo inclinationem illam ab amando seu eligendo retineat.

Qu. 9. *Nonne in actu eligendi, ſolum non-velle objectum contrarium nobis liberum eſt, ſeu non neceſſarium? Et ita Volitio objecti electi tantùm relativè & comparativè electio dicitur, quæ realiter & in ſe, eſt tantùm ſimplex volitio?*

Reſp. PArtem affirmativam quidam ideò tenent, quia omnem libertatem opinantur eſſe tantùm ad non-agendum, (præter nudam ſpontaneitatem), & ad nihilum, & idem eſſe quod impotentia. Res autem aliter ſe habet. Conceditur tamen, ſi voluntas duo appetit, e. g. ire ad epulas, & ire ad ſacram concionem, quodcunque ab altero voluntatem avertit, deliberationem ceſſare facit, & voluntatem ad alterum determinari eſt cauſa ſine qua non. Verè tamen potentes & liberi dicimur, non ſolum ad non-agendum, ſed ad actum. Triplicem *ſcilicet* (quod priùs ſæpe dictum eſt) voluntas habet libertatem; 1. Contradictionis, ſeu exercitii, *viz.* aut Velle aut non-velle, aut nolle aut non-nolle (in quibuſdam inſtantiis): 2. Contrarietatis, ſeu ſpecificationis; *viz.* aut Velle hoc, aut Nolle hoc: 3. Competitionis, ſeu contrarietatis, & ſpecificationis objecti, *viz.* Velle aut hoc aut illud, Nolle hoc vel illud. Et quamvis prima *Libertas* dicatur in ſenſu minus pleno (quia ſæpe ſaltem deliberationem non ſequitur: Deliberatione quippe non opus eſt ſemper ad *non-velle*, cùm ignorantia, ſeu oblivio ad id ſufficiat: Et ſi delibero utrum aliquid aut *voluero* aut *non-voluero*, Non-velle iſtud quod deliberationem hanc ſequitur, fortaſſe reverâ idem erit quod *Nolle*, ſaltem ſi mens deliberans ad judicium procedat, & non in ſuſpenſionem recidat) Hæc tamen quædam Libertas eſt; & repudiati objecti nolitio, eſt quid majus quàm non-volitio ſeu ſuſpenſio actûs.

Qu. 10. *Utrum operationis ſeu Influxus Divini plus ex parte Dei eidem homini donatur ſemper quando rectè vult, quàm quando non vult, aut non recte?*

Reſp. NOn ſemper: ſicut patet in caſu Adami: Deus enim nullam ab Adamo gratiam, ante peccatum ſuum aut averſionem à Deo, ſubtraxit: In ipſa autem deficientiâ minus operationis divinæ fuit in Adamo, ſe à *Deo* ſcilicet avertente: ex parte Dei nulla facta eſt mutatio; ſed ex parte Adami à Deo deficiente receptio minor fuit: Unde patet eundem poſſe deficere Deo nullum ſubtrahente auxilium, quod nondum deficienti priùs impertivit.

Obj. *At tentatio Adami poſtea major fuit; ideóque auxilii inſufficientia ex tentationis incremento orta eſt.*

Reſp. In ipſo tentationis momento Adamus habuit gratiam ad perſeverandum ſufficientem; & quando cecidit ſtare potuiſſet. Ergo ſtare potuit abſque auxilio majore quàm quod peccaturus poſſidebat. Voluntas ergo humana ita inclinata, comparata & diſpoſita eſt, ut auxilii & influxûs divini gradum neceſſarium, recipiendo & ſubſerviendo reddere poteſt ad volitiones ſuas aut efficacem, aut non efficacem, negligendo, niſi quando decreto abſoluto Deus aliter actum fieri velit. Idem igitur ſub eodem influxu & auxilio divino, poteſt aliquando velle, & aliquando nolle aut non-velle, ex receptionis & concurſûs ſui diverſitate.

Qu. 11. *An ex parte Dei agentis plus gratiæ aut auxilii ſemper detur pœnitenti & credenti, quàm alteri non pœnitenti aut non credenti datur?*

Reſp. 1. SI [*dare*] paſſive ſeu effective ſumatur, pro actu ut in paſſo recipitur, proculdubio quicunque plus gratiæ poſſidet, plus itidem recepit, & ei (*quoad effectum*) Deus plus dedit. 2. Sin autem per verbum [*dare*] Actus Dei ſignificetur ut in ſe, ſeu ſolùm ex parte agentis, ita omnia Dei opera per

per Actum unum eundemque invariatum quoad naturam gradumque facta sunt; per divinam scilicet essentiam: Potentia enim, Sapientia & Voluntas illa per quæ facta sunt, nil aliud sunt quàm ipsa essentia divina: & inter Scholasticos jam ferè convenit, Deum omnia operari per essentiam; utpote qui nulla habet accidentia realia. 3. Datur tamen Actio divina in hominem *mediata*, scilicet quâ per Angelum, per verbum, per opera sua media in hominis mentem & voluntatem operatur: & ita quoad hæc dici potest, Deum majus aut minus auxilium aut eidem aut diversis personis dare: & ita juxta mediorum aptitudinem plerumque (non semper autem) operatur: & per meliorem e.g. concionatorem plures plerumque ad fidem & pœnitentiam ducit, quàm per imperitum & frigidum. Attamen ipsa testatur experientia sub eodem concionatore & per eandem concionem alterum converti, alterum autem, quantum nobis potest innotescere, non minùs præparatum, minimè converti. 4. Sin autem per *gratiam datam* intelligamus, neque Velle divinum essentiale, neque vim mediorum, nec tamen ipsam fidem aut pœnitentiam datam, sed *primum animi motum* qui ad fidem & pœnitentiam suo modo tendit; eadem hæc gratia ni fallor potest ab uno ita libere recipi quò efficax fiat ad conversionem, ab alio minùs præparato inefficax fieri: immo ab alio æque priùs præparato, ipso momento receptionis ita frigide, negligenter & male recipi, ut efficax non evadat. Si enim idem gratiæ motus ab uno eodemque aliquando bene, aliquando malè recipitur, ut jam dictum est; non video quare in diversos etiam idem motus diverse operari non potest, etiam per præsentis voluntatis receptionis diversitatem, quamvis æque priùs dispositæ: De diversè enim dispositis, ni fallor, non dubium est. Si Adami lapsus evenit, non ex gratiæ subtractione, sed ex actuali voluntario ejus pro tempore neglectu, quare non idem jam potest evenire?

Quin autem sæpissimè hominum conversio fiat ex gratiâ majore eis datâ quàm non conversis (ex suo commerito) nullus dubito: sicut quoad effectum eis semper major est.

Qu. 12. *An ullum unquam discrimen seu diversitas detur aut in specie aut gradu aut modo effluxûs, seu Actûs Divini, ut est solius Agentis? quando in hominibus effectus sunt diversi?*

Resp. SIcut antea de Gratia in sensu quadruplici loquuti sumus, ita notandum de horum unico hîc quæri, scilicet neque de *effectu* completo, neque de effectu incepto, motu scilicet primo in voluntate, neque de actione mediorum, aut Dei ut receptâ in instrumenta aut alia media, sed solùm de *Actu Divino ut ex parte Dei agentis.*

1. Et si verum esset quod à pluribus dicitur quòd *Actio* est tantum in *patiente*, & non verum esset quod Schiblerus & alii melius docti asserunt, quòd *Actio est Agentis*, & est quidam ejus *Modus*, tunc ipsum quæstionis subjectum tolleretur aut nullum esset. Ego autem nunquam dubitare potui, quin inter *ipsum agentem & non agentem Creaturam* semper discrimen aliquod modale sit.

An magis ex sacris literis, an ex philosophorum placitis hoc dubium in ecclesia solvitur, aliis inquirendum relinquo: Quomodo autem à plerisque solvitur jam dixi: Scholastici scilicet jam uno fere ore dicunt, [in Deo nihil esse præter Deum, & à Deo nihil nisi creata: ideoque in Deo nullum dari Actum præter ejus Essentiam (& personas); & Deum operari ad extra tantum per essentiam: & ejus Posse, Scire, Velle ad extra esse tantùm ejus essentiam ab effectis connotatis varie denominatam, & ut Nominales concedunt etiam varie relatam:] Ideoque omnis diversitas (aiunt,) ab uno, & mutatio omnis ab immutabili ortæ sunt: Creatorum & mutationum varietas cum simplicitate & immutabilitate causæ primæ bene consistunt. Et quamvis in causis secundis aliter se res habeat, & captum humanum fere superat hoc clare intelligere, quomodo sine nullâ diversitate aut mutatione causæ, diversi & mutati oriantur effectus,

non

non minùs ſed magìs probabiliter hoc de Deo dicitur; quia in Deo omnia ſunt incomprehenſibilia. Et ſicut *æternitatem*, ita & *ſimplicitatem, immenſitatem* & *immutabilitatem cauſæ primæ* comprehendere non poteſt intellectus humanus. Dicendum eſt igitur, ſicut mundus non æternus æternam habet cauſam, & ex parte Dei nulla nova fuit actio quando mundus creatus eſt, ita & ex parte Dei creaturæ & effectus mirabiliter diverſi & innumeri, ab unica causâ ſeu Actu, eſſentiâ ſcilicet Divinâ nullo gradu, nullo modo, nedum ſpecie multiplici aut variâ aut mutatâ oriuntur.

Inter Theologos quidèm Scholaſticos lis eſt, An creata fuit tantùm ab unicâ Dei *Volitione*, an etiam à *Potentiâ ſuâ* executiva; & ſicut Bradwardinus cum aliis multis prius aſſerunt, ita Suarez cum multis aliis poſterius. Attamen in prius dictis hi omnes conſentiunt. Potentiam enim, Intellectum, & Voluntatem Divinam, non res diverſas eſſe dicunt; quamvis an differant ratione ratiocinatâ, an formaliter (ut cum Scotiſtis loquar) in conceptu ſcilicet objectivo, an tantùm denominatione extrinſeca, connotative & relative, non conſentiunt. Fila autem hæc adeo tenuia ſunt, ut humanum intellectum fere fugiunt. *Velle* igitur & *nolle*, *velle hoc* & *illud*, Velle Petri ſalutem & Judæ perditionem, &c. in Deo ipſo ſunt res eadem, ipſius ſcilicet eſſentia, quamvis aut denominative, relative, aut formaliter aut ratione ratiocinatâ varia.

Negandum tamen non eſt Perſonarum Trinitatem cum Simplicitate Divinâ vere conſiſtere: Ideoque & Trinitatem jam dictam primalitatum, principiorum ſeu attributorum, Potentiam ſcilicet Activam, Intellectum & Voluntatem: & ita diverſe nos concipere oportet de eſſentiâ Divinâ ut *in Virtute*, ut *in Actu Immanente*, & in *Actu* tranſeunte ut eſt agentis. Perſonarum autem Trinitas eſt myſterium incomprehenſibile & inſcrutabile, & conceptus cæteri inadæquati ejuſdem ſimplicis eſſentiæ, ex anguſtia mentis humani ſunt neceſſarii, quæ rem vere unicam ſed infinitam, non unico conceptu ſcire poteſt, (nec niſi imperfecte & obſcure pluribus.) Quanis autem & quanta ſit differentia inter tres perſonas, tres primalitates (quas vocat Campanella) &c. ſpero in vitâ futurâ meliùs intelligemus.

Singularis fere Aureolus (Scholaſticus non infimi ſubſellii) *Actionem Dei* e. g. *Creantem* dicit eſſe aliquid tertium inter *Creatorem* & *Creaturam*, qua ſcilicet Creator Creaturam producit: At pauciſſimos habet ſequaces, & fere ab omnibus ſententia ejus rejicitur, & à pluribus refutatur. Nec video quomodo ad objectionem quâ premitur ſanè reſponderi poteſt: viz. Si *actio media inter Creatoris eſſentiam & Creaturam neceſſaria ſit ut exiſtat creatura*, tunc Actus alius itidem neceſſarius erit ut exiſtat Actus ille medius creans; & Actus alius ad iſtum actum, & alius ad iſtum, & ita procedendum eſſet in infinitum, niſi in eſſentia Divina ſine Actu mediante cauſante ſiſtatur.

Duo hinc Lectori cordato conſideranda propono: 1. Quantâ reverentiâ & animi cautâ ſuſpenſione, de hiſce altis & inſcrutabilibus cogitandum & dicendum eſt, ne prophanè Dei nomine vanè & falsò abuteremur.

2. Quomodo de plurimorum litibus circa Gratiæ Divinæ ex parte agentis, differentias & gradus judicandum eſt. Et utrum non pauci in tenebris perverſe & rixoſe litigant de non ente? De diverſitate ſcilicet ubi nulla eſt diverſitas? Et an hæc quæ jam dicta ſunt, non ſemper memoriâ probe tenenda ſunt, quando de Gratiâ & libero arbitrio, Controverſiæ, ut mos eſt, acerbe nimis agitantur.

Qu. 13. *An tantum ſit diſcrimen inter influxum ſeu Actionem Dei ut Cauſæ primæ Naturæ, & ut Cauſæ Gratiæ ſeu ſanctitatis, ut in Dei dedecus vertatur, ſiquis eum effectum priori aſcribat quod ad poſterius pertinet.*

Reſp. OMnibus vere ſobriis in confeſſo eſt, Omne bonum eſſe à Deo; Maximè autem controvertitur, quomodo & quibus mediis à Deo eſt? Maligne autem quis dicitur, id negare eſſe à Deo, quod ſolum negat eſſe à Deo

Deo per viam gratiæ, non autem juxta ordinem naturæ: & quomodocunque id efficiat, an per naturam, an per Gratiam, Deus ſemper eandem infinitam Potentiam, Sapientiam & Bonitatem in omnibus ſuis operibus exerit: & reverâ quantum Deus in hominis ſanctificatione cauſis ſecundis & earum aptitudine naturali utitur ut mediis, non plenè nobis innoteſcit.

2. Quoniam autem Deus ipſe ſe glorificandi viam & modum libere eligit, nobis igitur non licet diverſas ejus operationes confundere, neque Gratiam vocare Naturam, nec Naturam Gratiam (niſi quatenus per Gratiam ipſa Natura reſtaurata & conſervata eſt) Et quamvis ex parte Dei agentis ejus Actus quà Naturam & quà Gratiam efficit idem ſit (ſui ipſius ſcilicet eſſentia) quoniam tamen effectus tantùm inter ſe differunt, nominibus itidem diſcernendi ſunt..

3. Naturam igitur & Gratiam confundentes Pelagianos, non ideo culpamus, quaſi opera Divina hominibus aſcribentes; Naturæ enim & Gratiæ opera ſunt Divina: ſed quia Naturæ humanæ jam depravatæ corruptionem, & peccatum originale, & Gratiæ neceſſitatem non ſatis agnoſcunt; & ita Redemptionis & ſanctificationis veram gloriam obſcurant.

Qu. 14. *An Determinatio Divina Voluntatis humanæ potentiam ad actum contrarium aufert? Sive, Utrum in eodem inſtanti quo Voluntas humana (juxta ſententiam Dominicanorum) à Deo prædeterminatur, ea contrarium aut aliter agere vere poteſt.*

Reſp. 1. *Simultas Potentiæ* diſtinguitur à *potentiâ ſimultatis* per Scholaſticos: & prior à multis conceditur, & poſterior negatur. Reverâ autem *Potentia* eſt nomen relativum, & formaliter eſt, *potentia aliquid agendi:* Quid igitur *Simultas Potentiæ* ſignificat quæ non eſt potentia ad *ſimultatem* præter ipſius facultatis vires, non intelligo, & facultatis quidem vires non determinatione aut divinâ aut humanâ minuuntur. Vires enim hoc modo potius quàm illo exerere, non eſt eas diminuere. An autem hæ vires *propriè* dicantur *formaliter & immediate Potentia* ad hoc agendum eodem inſtante cum aliud contrarium actu ago; an potius *materialiter* tantum ſeu *hypothetice* dicantur *Potentia ad hoc agendum modò eodem inſtante non aliter aut* contrarium *agam*: inquirendum ſubtilioribus relinquo. *Neceſſitate exiſtentiæ* quidem actus contrarius fit impoſſibilis. Quicquid eſt, quando eſt, neceſſariò eſt; ideoque neceſſariò ejus contrarium non eſt. Virium autem ſufficientia ad contrarium, ut & inſtante priore formalis potentia ad contrarium, non eſt inconſiſtens.

2. Quamvis concedatur *Determinationem Voluntatis* per *ſeipſam*, & *moralem modum* determinandi per *Deum*, (quo Voluntatem ſe determinare infallibiliter ſine cauſatione neceſſitante procurat) cum libertate & potentia ad contrarium formali conſiſtere, jure tamen dubitatur, An prædeterminatio phyſica (Dominicanorum) cum potentiâ ad contrarium formale vere coexiſtet. Operatio quidem divina in animam fere inſcrutabilis eſt: & ea ſcire quæ neſcimus præ ſe ferre, mentem noſtram tenebricoſam dedecet: Mihi tamen videtur eos ipſam potentiam ad contrarium negare, qui dicunt, Voluntatem humanam ſe determinare naturaliter impoſſibile eſſe, niſi quando & quà prædeterminatur phyſice à Deo, ut causâ primâ naturæ, & motûs omnis naturalis: Quia hi actum liberum nil aliud eſſe innuunt, quàm voluntatis motum naturalem per cauſam naturæ neceſſitantem cauſatum: Quod eſt ipſamet Hobbeſii infamis doctrina.

Qu. 15. *An proprie dicatur Deum homini dediſſe potentiam male-agendi? & ſi ita, Quorſum eam dedit?*

Reſp. 1. NOn dedit Deus homini potentiam *intentionaliter ad hunc finem*, ut male ageret: 2. Potentiam autem dedit quâ *male agere* potuit.

Obj. *Male agere non eſt Potentiæ, ſed Impotentiæ.*

Reſp. Omiſſiones ſive totales ſive partiales non ſunt actus; ſunt autem omiſſiones eorum actuum quos agere poteramus: Et ſicut merè *neſcire* non eſt Actus Potentiæ intelligentis (quia nullus eſt actus) at *Errare* eſt *Actus mali modi, defectivus*, & ex ignorantiâ perverſus, ubi (fortaſſe) facultas verum intelligere potuiſſet: Ita & male velle ſeu eligere eſt *actus perverſus* facultatis quæ rectius egiſſe potuiſſet. Ubi igitur peccatum eſt *mera privatio* ſeu *omiſſio* (aut actûs aut modi debiti) ibi cum dicimus Hominem *poſſe peccare*, nil aliud volumus, quàm eum habere *Potentiam* phyſicam rectius agendi, & habere Potentiam Logicam male agendi ſeu non-agendi: Voluntatem ſcilicet non naturaliter vel neceſſario determinatam eſſe ad objectum debitum, & poſſe ſe determinare aut recte aut oblique.

At in peccatis (ſaltem quibuſdam) poſitivis ſeu *Commiſſionis*, quando ſcilicet ipſe actus per objectum ſpecificatus prohibetur, res aliter ſe habere mihi videtur, viz. Deum odio habere, Davidem Uriam necare, & adulterium perpetrare, &c. prohibita ſunt: Quando igitur hæc perpetrata ſunt, potentia naturalis exercetur, & potentia actum hunc nolendo ſuſpendendi, & concupiſcentiam frænandi non exercetur. Uniuſcujuſq; peccati ratio formalis Relativa eſt: ſicut actio Legi conformis Relativè *recta* & *bona* dicitur, ita actio legi difformis *iniqua, curva*, & *peccatum* dicitur, & utriuſque æqualiter vera eſt Relatio, & realis eſt actus tum præceptus tum prohibitus. Non male igitur dicitur, Deum homini dediſſe potentiam activam qua poteſt vel hoc agere vel non agere, hoc velle, aut non velle, aut nolle, aut aliud potius velle.

Ad quæſtionem autem, *Quorſum hanc dedit?* *Reſp.* Rationes Voluntatis Divinæ, primæ cauſæ, antecedentes quærere, innuere videtur eam cauſam primam non eſſe, ſed ejus Cauſam priorem aſſignandam eſſe: A poſteriore autem ſeu effectu, dici poteſt, Operum Divinorum varietatem pulchram eſſe, & unumquodq; ſuam aptitudinem habere ad proprium officium, plerumque nobis inſcrutabilem: Et apta quidem eſt hæc Voluntatis libertas, & indeterminatio naturalis cum potentia ſe libere determinandi, ad opera humana hujus vitæ ad vitæ ſempiternæ præmia præparatoriæ. Qui dicere poteſt, Quare Deus non omnia animalia fecit rationalia, nec homines angelos, nec lapides ſoles, is quæſtionem hanc itidem ſolvere poteſt.

Qu. 16. *Quomodo inter ſe differunt, Volendi Potentiam dare, Actum volendi infallibiliter futurum reddere, & eam (ut loquuntur Scholaſtici) efficienter Neceſſitare? Et quomodo Deus id certò futurum facit, quod non efficienter neceſſitat?*

Reſp. QUid ſit *Potentiam activam adæquatam* quamvis non determinatam dare, ſatis conſtat.

Actum autem *neceſſitat* quando eum ita efficit, ut Voluntas in inſtante priore (naturæ ſcilicet) aut agere aut aliter agere non poteſt: quia ſine cauſæ primæ neceſſariâ præmotione, aut contra eam, ex lege ſuæ naturæ agere non poteſt.

Deum autem poſſe actum infallibiliter futurum reddere, mediis moralibus, (& ut loquuntur Guil. Gibieuf, Guil. Camerarius Scotus & Scotiſta & alii, prædeterminatione finali) & viis nobis ignotis, (ſine prædeterminatione phyſicâ *De hoc plura poſtea.*

sicâ ut necessaria ad omnem actum creaturæ) dubitare non fas est: Si enim Voluntas non aliam habeat Libertatem præter ipsum velle formaliter consideratum, tunc omnis corruit fidei certitudo & Religio Christiana, sicut plenè prius probatum est. Sin autem Liberam hominis Volitionem Deus certo futuram reddere non potest, providentia divina in mundi regimine & promissionum suarum præstatione labefactatur: Quæ ambæ Consequentiæ sunt intolerabiles. Quæstio autem, *Quomodo Deus hoc facit aut facere potest?* nos homunculos cæcutientes dedecet.

Qu. 17. *Quænam Actiones Divinæ necessariæ sunt, ut vere dicatur homo Potens salutariter credere & resipiscere.*

Resp. 1. DEus Naturæ author Naturales hominis condidit facultates, & inter illas potentiam libere Volendi, sed ad bonum quà bonum & ad propriam fœlicitatem necessario inclinatam, quamvis non semper necessario agentem, seu actu hæc volentem.

2. Idem summus Naturæ Author & Conservator, facultates hasce non tantum sustentat, sed influxu etiam suo universali, operando in hominem (sicut & in omnem creaturam) juxta naturam & modum patientis, ut causa prima eas præmovet & agitat.

3. Deus itidem ut Causa Naturæ objecta ea cuncta naturalia facit & ordinat in quæ facultates agere oportet; & media & Concausas naturales per quæ & quorum auxilio agendum est.

4. Ut Gubernator itidem Naturæ & Morum, Creaturas omnes & Causas secundas ita gubernat, ut homini libertatem voluntatis non eximant, neque eam contra inclinationem suam aut sui bonum, agere necessitent.

5. Deus ut author Gratiæ salvatorem mundo dedit, & per eum sacras revelationes, promissiones, fœdus gratiæ, & media alia extrinseca necessaria, & impedimenta removet extrinseca, quæ fidem nobis impossibilem fecerunt.

6. Hæc omnia spiritûs sancti id auxilium comitatur quo credendi moralis impossibilitas superatur, & fidei actus fit moraliter possibilis.

Electis autem non solum posse credere donatur sed credere.

Qu. 18. *An Actus credendi semper moralem credendi potestatem sequitur? Utrum datur alicui potestas credendi moralis qui tamen nunquam vere credit?*

Resp. 1. HIc præmittendum est, Quòd sicut Animæ *forma naturalis*, non est *nuda potentia*, sed *Virtus essentialis Potentiam Vitalem, Vim, & Inclinationem* in se continens; Ita & animæ sancta Rectitudo non tantùm in *Potentiâ* consistit, sed in sanitate morali hujus Virtutis formalis, scilicet *Potentiæ, Vis* & *Inclinationis*, quâ ad recte agendum dispositа est. Non inscius sum Ochamum & quosdam ejus sequaces *Inclinationem* esse vere *actionem* asserere: & ita Lapidem super terram aut trabem immotum consistentem, aut manum portantis prementem semper gravitando agere. Quod si verum sit, nihil passivum non semper agens est; cum etiam rupes, aqua & cætera gravia suo loco gravitent. De nomine ego litigare nolo: Ego potius hoc *Inclinationem* voco; Qui mavult *Actionem* vocet.

2. Nuda Potentia ab *Habitu* & debitâ Inclinatione semper distinguenda est: Si *Habitum* Actus semper sequeretur, non inde probatur eum *Potentiam* etiam semper sequi.

3. At ipse *Habitus* non actum *necessario* producit, quamvis per modum naturæ ad actum hominem *inclinare* facit. Sæpe enim homines agunt etiam contra habitum.

4. *Ha-*

4. *Habitus* autem *quidam* fere altera natura sunt, & fortiter adeo ad actum tendunt, ut constanter eum producant, & tantum non necessitant.

5. Notandum etiam est *Potentiam semper* actum antecedere (nemo enim id agit quod agere non potest); at *Habitus* neque *semper*, neque *plerunque*; *Habitus acquisiti* actus *sequuntur*; per actus enim frequentes acquiruntur: *Infusos* autem Deus quando & quomodo vult (nobis de modo multum insciis) impertit. Quoniam autem Deus per media in hominem operatur, idque juxta Naturam & hominis & mediorum, ideo dicunt Scholastici quidam, *Habitus infusos se habere ad modum acquisitorum*; & statuendum est, maxime probabile esse *Actus quosdam* (vel saltem *unum* per Spiritum sanctum excitatum) verum fidei habitum plerumque antecedere.

6. Fortasse hoc voluit Calvinus quando dicit, quòd Apostatæ [*Qualecunque fidei semen perdunt*]; per *semen* non *habitum*, sed *potentiam* intelligens. Amesius (in Medull. Theol. de vocatione) judicat, Gratiam fidei & Resipiscentiæ in primâ efficaci Vocatione datam, potius *semen*, quam *Habitum* dicendam esse: utpote *Habitu* vero quid minus: Quid autem illud *minus* esse potest nisi *Potentia moralis* (& à Passivâ, & à nudâ facultate naturali distincta) non video.

Potentia autem illa moralis dicitur, ubi etiam *Moralia* impedimenta omnia amoventur, quibus *actus* vere impossibilis factus fuit: Et Naturalis Potentia est, ubi *Naturalia* impedimenta ea amoventur quibus actus impossibilis redditus fuit.

7. Probabile igitur restat, & nudam Potentiam moralem primum fidei salutaris actum plerumque antecedere, & potentiam hanc aliquando datam esse ubi actus non sequitur; & quosdam vere potuisse credere qui suâ culpâ non credunt. Si enim Adamus non solum potentiam sed quendam habitum quem non exercuit, amisit; & fideles contra habituum inclinationem sæpe peccant, quare non itidem probabile videretur, *moraliter potentes* non semper fieri *actu credentes?*

8. Et forte hinc controversiæ quædam nondum bene decisæ, decidendæ sunt: e. g. de Parentum fidelium filiorum apostasiâ: Negandum non est Baptismum eis dari in præsentem (non futuram tantùm) peccati originalis remissionem, & fœdus idem (non aliud) parentibus & liberis baptizatis obsignatum esse; ideoque utrisque remissionis & salutis jus donare: Negandum tamen non est, non paucos fidelium baptizatos liberos quando adolescunt fieri malos & infideles, ideoque à gratia & jure jam dicto excidere: Nonne igitur judicandum est, Infantibus qui fidei actûs nondum capaces sunt, non *habitus* proprie dictos (qui non sunt amissibiles) sed solum eum gratiæ gradum qui *Potentia Moralis* dici meretur, ad remissionem peccati originalis & jus salutis necessarium esse (quamvis ad possessionem regni cœlorum sanctitatem habitualem postea sequuturum esse necessarium est); & *Potentiam hanc* solam esse amissibilem (Quamvis Christianis pluribus antehac visum est etiam Habitus non-confirmatos esse amissibiles, ut Gerh. Vossius plenè probavit.)

Hinc etiam fortè, sicut innuit Amesius, discrimen inter Vocationem & sanctificationem (seu donum Spiritûs sancti, sub conditione fidei promissum) sumendum est.

Qu. 19. *An Sanctitas Habitualis sit Potentiâ morali quid majus? Et an Inclinatio & habitus Moralis etiam actu non sequente esse possint?*

AD hanc quidem jam satis responsum est: Fortasse debilis aliqua *Inclinatio* cum Potentiâ sine actu esse potest; non autem *Habitus*: Immo Actum habitum plerumque antecedere, sicut jam dictum est, opinandum est.

Qu. 20. *Si Deus ut causa prima totalis voluntatem præmovendo non prædeterminet ad actum & necessitet, sed aliquid ipsi Voluntati ad sui determinationem unquam relinquat, Nonne actus fidei & resipiscentiæ subsequens, potius homini quam Deo à laudante ascribendus est?*

Resp. MInimè: Nil aliud est Voluntatis *Determinatio* quàm *ipse actus* volendi: Actus hujus Deus & homo sunt concausæ: Quod *vult* ipse Deus, in sui dedecus non cedit: Ad gloriam suam, libertatem & potentiam se determinandi voluntati donavit. Et cum à Deo sit illa libertas & tota agendi potentia, objecta, media, auxilia &c. quamvis ipse aliquid ad moralem specificationem actus voluntati relinquit, non hinc suæ laudi derogatur. Ipse Deus homini libere volenti laudem tribuit, & judicando dicet, *Fidelis fuisti in paucis, super pluribus esto rector; in Domini tui gaudium intrato.*]

Scotus Deum & hominem dicit, *causas partiales*, eosque duobus cymbam seu navim eandem trahentibus, assimilat, ubi alterius deficientia sat est ne sequatur effectus desideratus. Si pater, quò pueri vires & obedientiam exerceat, eum pondus aliquod unà secum tollere & portare imperet, & conando ipse virium gradus mille exerat, puero autem gradum unum relinquat ut ad effectum necessarium exerendum: Si puer unum hunc virium gradum exerere non vult, quòd effectus desideratus non sequitur puero soli imputandum est: Sin autem puer patri obedit, & effectus sequatur, hoc Patri quoad mille gradus, puero tantùm quoad unum, imputandum est.

Hæc tamen similitudo citra rem ipsam quæsitam decidit: Pueri enim vires non patris sunt vires, neque illius actio est hujus actio. Hominis autem & potentia tota, & actio quà actio sunt totaliter à Deo; immo & omnis actionis bonitas quamvis non necessitatione physicâ procurata.

Inquit Fulgentius ad Monim. l. 1. c. 9. [*Unde cognoscemus, Dei esse & ut bonum facere velimus, &* ut *bonum facere* valeamus.]

Qui tantam hominis potentiam agnoscere verentur, ut caveant obsecro nè Hobbesio consentientes, totam fidei certitudinem funditus subvertant.

Qu. 21. *Utrum Deus an Homo Volitionum omnium malarum potius causa sit.*

Resp. 1. NOn Deus, sed Homo actionis omnis quatenus à normâ justitiæ deflectentis, causa est; sicut & omnis omissionis prohibitæ.

Qu. 22. *Nonne eventus omnis etiam peccati, quamvis non ipsum peccatum, à Deo decretus & volitus est; Existentia scilicet, licet non essentia?*

Resp. ESTius Thomista hunc errorem refutans vere ait, *Quid est peccatum velle, nisi velle ut existat?* & Dr. Twissus sæpissime ait, Peccatum quà peccatum, sive sub ratione mali velle, vix hominis etiam pessimi est. Malum esse à bono, & ad bonum, & sub ratione boni à malis volitum esse & fieri, post Augustinum & Boetium fere omnes consentiunt (Quanquam à quibusdam Scholasticis asseritur, in raris quibusdam instantiis malum eligi posse sub ratione mali; non autem finaliter ita volitum esse.) Deum autem à Volitione mali non magis quam impium quemque vindicare, Christiani non est. Et reverâ si Deus peccati existentiam seu eventum vult, efficacius multo id velle quàm ulla creatura necesse erit: Ideoque magis peccati causam esse: Et Dei voluntas est ejus Amor, & quod vult amat. At peccati existentiam nec efficit nec amat: Actum quidem (ut sæpe dictum est) quà actum, & quà Intellectus & Voluntatis & potentiæ executivæ actum vult & efficit: Quatenus vero in objectum prohibitum terminatur, & aliquem modum prohibitum habet,

à Deo

à Deo non est, nec ejus existentiam aut futuritionem Deus vult aut decrevit.

Qui dicunt, *Deum velle malum non quà malum sed quà medium ad bonum & ita quà bonum, ut peccatum existat; & ita esse causam peccati per accidens; & non velle formale peccati sed materiale*, & sacris literis & sibi contradicentia dicunt: 1. Formale peccati non minus existit, evenit & futurum est quàm materiale. Si ergo non vult aut decrevit formale peccati scilicet ut existat & futurum sit, non omnem existentiam, eventum aut futuritionem vult & decrevit.

2. Malum velle ut bonum eveniat, seu malum propter bonum, mali & Deo exosi est; non igitur ipsius Dei.

3. Peccati existentia non est medium ad bonum propriè dictum: Nullam ad bonum producendum habet causalitatem; sed solum est *Occasio* sæpe sine quâ non; & unde revera Deus bona semper profert, & se plurimum glorificat; scilicet peccatum (non faciendo aut volendo, sed) remittendo, destruendo & à fructibus ejus amaris fideles liberando & præservando: sicut morbus non est causa sed occasio tantùm gloriæ medici & medicinæ. Eventus omnes qui non peccata sed peccatorum effectus sunt & consequentiæ, Deus quidem author est & amator: & mirabilis ejus providentiæ pars non minima est, qua ex peccatorum occasione, gratiam Christi, misericordiam, sapientiam, justitiam suam, &c. ostentat & glorificat: Immo experientiâ pluries edocti sumus ecclesiæ & fidelium liberationes, non raro ex fructibus peccatorum, immo scelerum, impiorum & inimicorum suum ortum duxisse: Et bene novit Deus sanctissimus ita inter peccatum & peccati fructus, inter causam & occasionem distinguere, ut peccatum non causans aut volens, ejus consequentia tamen, seu effectus & efficiat & velit, & bonum plurimum facere ex peccati occasione, non ex ejus causalitate. Ergo (sicut Guil. Gibieuf post multos alios probè asseruit) Deus neque per se neque per accidens propriè causa aut amator peccati est: Bonum igitur ex occasione peccati evenire, existere & futurum esse vult, amat & efficit; non autem ipsum peccatum.

Obj. *Peccatum evenit seu existit aut Deo volendo, aut nolendo, aut otiose non curando: Non modis posterioribus; ita enim plurimæ hominum actiones sub divinâ providentiâ non caderent.*

Resp. 1. Lombardus (qui putavit se Augustinum secutum esse) dicit *Deum peccatum, ejusque existentiam* (e. g. *Adami*) *neque voluisse neque noluisse:* (de quo vide Ripaldum) Non *voluisse*, quia sanctissimus peccati osor est: Non *noluisse*, quia voluntas ejus nunquam oppositione superatur.

2. Deus *nolle* peccati existentiam non male dicitur, quamvis non voluntate absolutâ & peremptoriâ: scilicet cum in Deo ipso nulla est diversitas realis volitionum, diversitas tamen denominativa, & relativa est, ab objectis & effectis: & ita cum vult peccatum prohibere, & peccatores per beneficia, præmia, promissa, comminationes, castigationes mediáque alia à peccando avocare, & immorigeros impœnitentes condemnare, hinc non ineptè peccati existentiam is *nolle* dicitur, qui tot & tanta præstat quibus à peccando homines detinerentur.

3. Male dicitur *Deum esse spectatorem otiosum*, quando ex perfectione sapientiæ & Bonitatis actionem aliquam ad extrà suspendit, aut extrinsecorum volitionem aut nolitionem. Bradwardina cum aliis vult Deum omnia producere mere volendo, & Dei volitionem esse ejus efficientiam, & ita volitionem & efficientiam (ex parte Dei) suspendere idem esset: At ante Mundi creationem Deus nihil effecit, nec tamen otiosus fuisse dicendus est: & qui ab æternitate omnem operationem ad extra suspendit, quare non modum & gradum quendam circa peccatum sine accusatione nostrâ suspendere potest? Volitio ejus aut est ejus essentia, ut relata ad rem volitam, aut efficientia ejus ad extra. Essentia ejus male dicitur esse mali volitio: Malum enim non est amabile aut volibile: Deus bonum vult fieri ex occasione mali, non autem vult malum fieri aut existere propter bonum: efficere autem peccatum vel ab adversariis non dicitur. Augustini quidem sententia sæpissimè

citatur

citatur dicentis, Nihil fieri nisi quod vult Deus, ipso vel faciente vel permittente: sed contrarium sæpe dicit Augustinus, ejusque sequaces Prosper & Fulgentius, Deum scilicet non velle peccatum fieri, quamvis (si Permissio non esset merum nihil, *viz.* Non impedire) dici posset Deum velle suam peccati permissionem.

Nonne autem id sub providentiâ Divinâ cadit, quod prohibetur, & propter quod peccator pœnas solvit temporales & sempiternas; & unde Deus suæ sanctitatis, justitiæ, misericordiæ glorificandæ occasionem sumit? Nonne hi sunt Regiminis & providentiæ actus? Anne otiosus peccati spectator dicendus est qui Christum dedit mundi redemptorem, qui peccatorum pœnas daret, & populum suum à peccatis liberaret? quique per officiales suos Magistratus & Pastores, per beneficia data & castigationes, contra peccata militat, & ea vindictâ prosequitur? Hæc non sunt negligentis aut otiosi.

4. Eodem nomine sæpissime peccatum ipsum & ejus consequens seu effectus insignitur: e. g. homicidium significat 1. Voluntatem occidendi, 2. Actum, 3. Effectum seu occisi mortem: Ita de furto, adulterio, persecutione, oppressione, &c. dicendum est. Deus autem neque voluntatis neque membrorum actus quà ad objecta prohibita determinata vult aut decrevit aut efficit: At consequens & effectum ipse efficit, vult & decrevit. Quod bonum est, volibile est; quod malum, non item. Cum sacræ literæ Deum oppressionis, persecutionis, adulterii, homicidii causam indigitare planè videntur, non de hominis *pravâ volitione*, sed de *effectu* seu *consequente* decreto semper intelligendæ sunt. Quod dicente Arminio quidam irridenr, *Deum scilicet voluisse Christum pro peccatis occidi, seu fieri sacrificium, nec tamen voluisse prohibitum actum voluntarium occidentium*, verissimum est, & juxta doctrinam Augustini à Gregorio Ariminensi expresse assertum. Nec mirum hoc à Deo fieri posse, cum etiam homines non mutatis mediorum naturis effectus desideratos sæpissimè assequuntur. Auceps accipitrum naturâ utitur, non eam causat: Venator canis naturâ utitur; Eques equi, Medicus herbarum & omnis medicinæ; molitor aquæ gravitate & fluore utitur non causat eam, sed media receptiva solum parando per illam effectum desideratum obtinet. Ita Diabolus & homo peccatum causant, & Deus causato bene utitur.

Qu. 23. *Anne hominis aliqua volitio seu actus detur moraliter bonus, cujus quà talis Deus non est author, & prima causa: & qui à Deo non est absoluto decreto volitus?*

Resp. CUm nihil dicatur aut *Volitio* aut *Actio Divina* præter ipsam ejus *essentiam relative denominatam*, & ejus *opera*: Quoad sensum posteriorem Deum omnis boni authorem, & primam causam esse, ideóque id velle & decernere, priùs dictum est: Quomodo autem id efficit, hominibus non liquido patet; Quantum possum autem modum priùs explicavi.

Quoad sensum autem priorem, voluntas essentialis Divina refertur aut ad Bonum in nuda essentia in esse cognito, aut ad *Bonum existens*, aut *ad Bonum faciendum seu in fieri*. Quod ad Bonum in *nudâ essentiâ* & *jam existens* seu *factum*, Voluntas Divina nominatur ejus *Complacentia* & *Approbatio* & *Amor*; & de hâc non dubitatur (nisi quòd Thomistæ dicunt Deum non esse relatum ad creaturas sed solùm creaturas ad Deum, cujus contrarium cum Hurtado de Mendoza aliisque Nominalibus teneo). Quod autem ad *bonum faciendum*, dico, In quantum Deus est ejus Causa, in tantum proculdubio id causare eum decreviisse seu voluisse dicendum est. Curiosius autem hæc indagare non audeo, utpote horum sublimium ignorantiæ conscius.

Qu. 24. *Utrum Dei volitio seu decretum futuritionis Volitionis humanæ, aut actus alicujus Voluntarii, necessarium sit ad hominis agendi Potentiam ?*

Resp. MInime : non omne possibile est futurum, quamvis omne futurum sit possibile. Deus dat posse peccare, at peccati futuritionem non vult. Etiam Fideles plus Boni & velle & facere possunt quam volunt aut faciunt! Ad potentiam sufficit Decretum donandi eam potentiam.

Qu. 25. *An ad futuritionem actûs omnis humani necessarium sit antecedens decretum divinum, hunc futurum esse : saltem ad boni futuritionem ?*

Resp. QUando rem esse *Possibilem* dicimus, ejus *futuritionem possibilem* esse dicimus : Qui Potentiam habet Volendi, potentiam habet volitionis suæ futuritionem seu existentiam causandi : De facto, fit peccatum quod Deus non vult futurum esse aut existere : De bono autem dicendum, plura concurrere ad ejus *existentiam* quàm ad *existendi potentiam*, seu *necessitatem : Necessarium* est sine quo res esse non potest. In quantum Dei efficientia & decretum ad bonum necessarium sit, jam satis dictum est.

Quod autem Dr. Twissus post alios inculcat, scilicet ad omnis rei futuritionem necessarium esse decretum divinum, sine quo res transire non potest è *numero possibilium* in *numerum futurorum*, hoc priùs plenè confutatum est ; & probatum est verè *Futuritionem nihil esse*, ideóque non egere causâ ab ipsâ rei existentiâ distinctâ : Probationes non sunt hîc repetendæ. Inquit Fulgentius ad Monim. li. 1. c. 7. [*Prædestinationis nomine non aliqua voluntatis humanæ coactitia necessitas exprimitur, sed misericors & justa futuri operis Divini sempiterna dispositio prædicatur*] Et sæpe D. Twissus post Scholasticorum plurimos [*Prædestinatio nihil ponit in prædestinato.*]

Qu. 26. *Anne & quorsum Deus ea futura esse decrevisse dicendus est, quorum futuritionem decernendo non causat, aut quæ sine tali ejus decreto futura esse potuissent ?*

Resp. 1. SIcut jam dixi, *Possibilitatem, futuritionem* & *certitudinem* distinguenda esse, ita dicendum est Deum id posse facere quo *Volitiones nostræ certò & infallibiliter futuræ* fiant, quod tamen ad *ipsam futuritionem* non est necessarium. Supponatur (per possibile vel impossibile) Hominis Voluntatem sine Divinâ prædeterminatione se determinaturam, (quod per influxum divinum universalem potest). Hinc vera esset propositio [*Hæc volitio futura est.*] Et quamvis Deus non novit per propositiones, argumenta aut signa, novit tamen veritatem omnium propositionum verarum, argumentorum & signorum. *Certitudo subjectiva* nil aliud est quàm essentialis perfectio Intellectûs Divini ab intelligibilitate objecti denominati : Certitudo objectiva est ipsa intelligibilitas seu evidentia : Qualis autem rei evidentia eam intellectui Divino essentiali facit intelligibilem, mortales vel quærere nedum determinare dedecet.

2. Sicut approbando & amando bonum jam effectum non efficit, & sciendo rem existentem non eam efficit ; ita & rerum futuritionem prævidere & velle potest, quamvis eam non efficiat ; quæ *nihil* est, ideóque non habet causam efficientem. Propositio quidem de futuritione est quid reale, & *præscientia* rei quà futuræ est quid reale ; cum ipsa futuritio nihil est : At in Deo *præsciens* & *præscientia*, non sunt Causa & Causatum ; neque in mente Divinâ fingendæ sunt propositiones aut notiones secundæ, quamvis notiones humanæ ei notæ sint dicendæ ob intellectûs Divini perfectionem. Nil igitur hîc quærendum restat,

ſtat, niſi de voluntatis & ſcientiæ divinæ denominationum aptitudine, de quibus audacter, curioſe aut contentioſe diſputare vereor.

Qu. 27. *An omnes Volitiones Divinæ rei volitæ ſint cauſales?*

Reſp. CAuſæ ſunt 1. *Conſtitutivæ*, 2. *Extrinſecæ*.

1. Quamvis in Deo vivimus, movemus & ſumus, & intimo noſtro ipſe eſt intimior, non tamen ullius creaturæ cauſa conſtitutiva dicendus eſt.

2. Eſſentia Divina ſimpliciſſima à nobis ſub diverſis conceptibus inadæquatis operativis concipiendus eſt: *viz.* Ut quidam volunt ſub ſolis conceptibus *Intellectûs & Voluntatis* (pro hoc vide Ferrarienſ. 2. cont. Gent. c. 1. & 16. Cajet. 1. qu. 25. a. 1. & Bradward. paſſim, quem ſequitur Dr. Twiſſus:) At ut alii rectius volunt, ſub conceptibus Intellectûs, Voluntatis & Potentiæ executivæ, ſeu Omnipotentiæ, (quæ & Potentia-activa, ſeu Actus-vitalis dicitur) Pro hoc vide Suarez Metaphyſ. diſp. 30. pag. 113, 114. Durand. 1. d. 38. qu. 1. Thom. 1. qu. 19. a. 4. ad quintum, & qu. 25. art. 1. Ex noſtris etiam Wendelinus, Alſtedius, Schiblerus & alii non pauci hanc principiorum Trinitatem aſſerunt: Quando igitur de cauſalitate voluntatis divinæ loquimur, ſemper Intellectum & Omnipotentiam ejus includimus.

Dei Voluntas conſideranda eſt 1. Ut Cauſa Efficiens, 2. Ut Cauſa Dirigens, 3. Ut Cauſa Finalis. 1. Quicquid Deus vult facere, voluntas ejus eſt illius cauſa efficiens. 2. Quicquid Deus vult à nobis libere fieri, voluntas ejus eſt illius cauſa dirigens, & præcepti & officii noſtri efficiens, & ipſius actûs quà actûs efficiens, & actûs quà boni cauſa finalis. 3. Quicquid jam effectum eſt, (bonum ſcilicet,) Complacentia Voluntatis divinæ ejus Finis eſt. Objectum ſcilicet & Terminus finalis. Ex jam dictis cætera patent.

Qu. 28. *An dicendum eſt Deum Velle eam hominis Volitionem, fidem, pœnitentiam, quæ nunquam futura ſunt?*

Reſp. CUm ſacris literis dicere licet *Deum omnes velle ſalvos fieri, & ad veritatis ſcientiam venire*; loquendo ad modum humanum, & voluntatem denominando à quibuſdam Dei donis & operibus ad hominum ſalutem procurandam adaptatis. *Potentiam* ſcilicet volendi, *concurſum ſuum & auxilia* neceſſaria ſæpe donat, & cætera priùs ſæpe nominata. Lege ſuâ itidem hominem ad credendum obligat; & promiſſionibus allicit, & comminationibus & caſtigationibus impellit. Hæc omnia igitur facere decrevit: Ideóque etiam ipſam fidem *in tantum velle* dicitur. Hoc autem non eſt ſimpliciter & abſolutè rei futuritionem velle. Debitum enim noſtrum Velle, & media quædam & potentiam, etiam ſufficientem velle, non eſt formaliter & ſimpliciter ipſam fidei exiſtentiam aut futuritionem velle.

Qu. 29. *An Dei ſit Volitio aliqua Conditionalis?*

Reſp. SÆpe jam dictum eſt, Volitionem Dei realiter in ſe eſſe ejus ipſam Voluntatem eſſentialem; ſolùm igitur de *ejus relativâ denominatione*, & de ejus *operibus* quærendum reſtat.

Voluntatis autem Divinæ proculdubio *Promiſſio ſalutis conditionalis* opus, ſeu effectum eſt, Rom. 10. *Si ore tuo Dominum Jeſum confitearis & corde tuo credas Deum à mortuis eum reſuſcitaſſe, ſalvus eris.* Ita Joh. 3. 16, 18. Mar. 16. 16. & paſſim.

Ipſa

Ipsa igitur Dei intrinseca Volitio dici potest *Conditionalis relativè* ab hac *Lege* seu *Promissione Conditionali* : quâ scilicet *Donationem Conditionalem* voluit & fecit. At quamvis conditionalis dicitur quoad rem volitam, non inde opinandum est, aliquid reale in ipso Deo incertum esse, aut ex actu creaturæ dependere : Absolute vult veritatem promissionis suæ conditionalis.

Qu. 30. *An Amare, aut velle aut gratiam dare de novo aut in tempore Deus æternus dicendus est ?*

Resp. AD hoc Parte primâ jam satis responsum est : 1. *Nihil reale* in Deo temporale est ; 2. At opera ejus ad extra temporanea sunt : 3. Et inde Voluntatis ejus essentialis denominationes relativè ab extra temporaneæ esse possunt : e. g. Deus dicitur tunc primum *Scire* & *Velle rem jam actu* existere aut præteritam esse, quando existit aut præteriit : At in ipso Deo nihil novi hoc innuit.

Qu. 31. *An dicendum sit (non tantum voluisse sed &) dedisse Deum homini fidem & gratiam eam, quam ex culpâ suâ homo nunquam habuit ?*

Resp. DOnatio moralis à physicâ, & physica plenaria à donatione aliquatenus distinguenda est.

1. In sensu Morali is dicitur aliquid *donare*, qui id agit quod ad *Donatorem moralem* pertinet : & ita is veniam delinquenti, eleemosynam pauperi, &c. donare dicitur, qui sub conditione gratæ acceptionis ea donat ; quamvis ingratus recusator ea nunquam recipiat. 2. Et quando Deus etiam *donatione suâ physicâ Potentiam* credendi alicui donat, cum mediis ad eam exercendam necessariis, *secundum quid* dicitur ipsam donasse fidem ; sicut vicem actualem dare dicitur quando Lumen & videndi facultatem dat. 3. At simpliciter in sensu physico nil donat homini quod ab eo non recipitur.

Qu. 32. *Quomodo differunt Gratia sufficiens & efficax in sese ?*

Resp. QUæstionum priorum solutiones ut plurimum sunt ad hujus & sequentium solutionem præparatoriæ. Quid sit *Gratia sufficiens* jam satis explicatum est : De efficaci præcipuè hîc dicendum est.

Efficax autem dicitur quæ id efficit ad quod data est. Gratia autem efficit 1. Potentiam (e.g. credendi) ; 2. Deinde qualemcunque inclinationem ad credendum ; 3. Denique ipsum actum credendi. Ex parte Dei eadem Gratia hæc cuncta efficit : at effectus sunt diversi. Inquit Fulgentius ad Monim. li. 1. c. 8. [*Eadem est operatio gratiæ quâ meritum hominis bonum & initiat ad justitiam, & consummat ad gloriam : Primo inchoans in homine voluntatem bonam ; deinde eandem voluntatem adjuvans inchoatam ; ut eadem voluntas & divino dono bona sit, & divino adjutorio malam superare concupiscentiam possit, & Deo perficiente talis postmodum ipsa voluntas sit, ut malam concupiscentiam habere non possit.*]

Gratia quæ *efficit solùm Potentiam* & *aliqualem Inclinationem* dicitur *sufficiens* ad *actum* (*suppositis* concausis & mediis necessariis) non autem *efficax* ad actum : Nulla gratia est ad actum sufficiens quæ non est *Potentiæ* efficiens. Dubium autem præcipuum solvendum est, *Quomodo Deus fidem seu Volitiones bonas hominum efficit ?*

Hic autem præviæ plurimæ quæstiones agitantur ; quarum multæ jam solutæ sunt ; ut *Utrum Deus ut causa solum universalis fidem operetur ?* An potiùs etiam ut specificans ? *An ejus causa totalis sit ? an partialis ? Utrum concursus ejus sit per modum principii agentis in causam secundam, vel per modum agentis con-*

juncti seu concausæ ejusdem actionis? An ejus influxus sit in ipsam facultatem? an solum immediate ad actum? An Actio Dei & hominis sint eadem actio? Cum multis aliis, quibus Scholasticorum curiosa subtilitas hominum ingenia molestârit. Sobriis autem & modestis ego pauca hæc cum submissione propono.

1. Omnis actionis Deum causam primam esse utrinque conceditur; creaturas scilicet ut conservat, ita & per influxum activum juxta uniuscujusque naturam eas agitat.

2. Influxus hic ex parte Dei agentis unicus, ab affectis diversus denominatur (ut sæpe dictum est); Qua scilicet facultatem dat, moraliter potentem facit, sustinet, & suscitat.

3. Quanquam ipsa Volitio sit effectus Dei & hominis, Actus tamen *Dei* & hominis sunt *Duo*, quatenus à causis duabus sunt, & quoad quosdam effectus: In primo enim naturæ instante Deus influxu suo hominem movit, & hujus *Motûs* homo primò est *passivus receptor*, antequam ex eo Actor evadit. Hinc voluntas ad *Conatum suum* suscitatur; unde fidei actus est utriusque (Dei & hominis) effectus.

4. Captum autem meum omnino fugere haud diffiteor, Quomodo causa prima influere possit immediatè in *actum* hominis, non autem in & per facultatem; Quomodo aliter Volitionem producat, quam voluntatem movens ad illam eliciendam. Actus ipse enim non est res à facultate distincta, sed facultatis quidam modus vel status, cujus Voluntas suo ordine est causa totalis seu adæquata. Nil aliud est igitur Volitionem nostram Deum causare, quam causare voluntatem velle: non autem Deum & hominem ut duo principia coordinata eandem volitionem ambo immediate elicere. Neque ipsa hominis voluntas *in actum suum* quasi in objectum aliquod aut patiens influere putanda est; sed solum actum elicere, quasi transiens in alium statum seu modum.

Immediate tamen Deum omnia agere hoc *sensu* dicendum est, quatenus & *suppositi* (ut dicunt) & *Virtutis* immediatione omni effectui suo proximus est, & non distans: Attamen per facultatem nostram ut causam secundam adæquatam, & non sine illâ fidem causat: Ipsa enim facultas actui proxima etiam seipsam suscitando ita actum elicit.

Hæc autem leviter & in transitu tangens, propius accedens ad quæstionem respondeo: Mihi videtur Dei operationes efficaces in Voluntatem esse diversas. Una est quando Deus in voluntatem influendo (an per modum naturæ an Gratiæ) eam ad agendum *planè necessitat*. Venia detur verbo mihi necessario. (Non tamen *cogit nolenter velle*, quod contradictio est). Ita quod in illo instante aliter se habere aut agere *non* (proprie) *Potest*: Non potest enim potentiam causæ primæ irresistibilem vincere: Et necessitas hæc cum *optimâ Libertate* consistit, quamvis non cum *inferiore libertate* (de quâ sæpissime quæritur), in hisce scilicet instantiis, 1. Fœlicitatem nostram cum volumus; 2. Et bonum quà bonum, 3. Et bonum sensibile per simplicem Volitionem; 4. Et cum volumus medium absolute necessarium apparens, & omnimodo & sine competitione bonum. Anne vero Deus in aliquibus confirmatis, aut in quibusdam instantiis, ita etiam per *Gratiam* voluntatem *prædeterminando necessitet*, mihi fateor omnino ignotum est. Sin autem hoc mecum agat, libertatis amissionem minimè lamentabor: Cœlestem enim libertatem necessitati fœlici conjunctam mallem quàm terrestrem viatorum nullâ necessitate determinatam.

Alterum autem Gratiæ efficacis genus est, quando Deus volitionem humanam *certò & infallibiliter causat per media moralia & viam sapientiæ*, non autem *necessitante* physicâ prædeterminatione. Hoc autem *Deum posse*, Christiano non licet dubitare: Et *si potest*, quod hoc *non vult* aut *non facit*, probari non potest; neque probabile videtur, cùm gubernationi suæ morali adeò congrua hæc via sapientiæ moralis videatur.

Secundus hic Gratiæ gradus dicitur *Efficax* ex causâ triplici semper conjunctâ: *viz.* 1. A Dei volitione seu decreto absoluto de eventu: (Quamvis hoc non est reale quid *diversum* in ipso Deo: Ita Prædefinitio & Prædestinatio sine

Præ-

Prædeterminatione physicâ suum finem obtinere possunt.) 2. Ex mediis semper idoneis, & operationis Divinæ in animam eo gradu, quo Deus eventum & certum facere, & obtinere potest, sine physicâ necessitatione. 3. Ex liberâ hominis suæ voluntatis determinatione. Et ita *Gratiæ* seu *operationis primæ* in *animam* gradus idem potest ad fidem producendam fieri efficax in uno qui in alio non est efficax, & in eodem nunc efficax esse qui priùs in eo non fuit efficax; Deo volente eam huic & nunc fieri efficacem operationem, & mediorum convenientiam ita ordinante, & homine itidem libere conatum suum adhibente.

Reverendo D. Twisso visum est, nullibi aquam Arminio adeo hæsisse ac in Gratiæ efficacis rationem describendo. Unde scilicet *Gratia dicenda sit efficax*? Re autem bene pensitatâ forte minùs hîc ipsi litigantes differre invenientur, quàm differre plurimis adhuc visum est: 1. Nondum quippe aliqui ausi sunt Theologis Scholasticis contradicere, dicentibus, inter *scire aut velle hoc & illud, gratiam majorem* aut *minorem*, reale nullum esse discrimen in ipso Deo, sed *Omnia fieri* ab *Uno*, *Diversa* à simplicissima essentiâ Divinâ: Ideoque Velle gratiam efficacem, & Velle gratiam eam quæ fidem non efficit, in Deo ipso realiter omnino idem sunt, & in solis effectis invenitur diversitas. 2. Et in effectu pleno discrimen in ipsâ quæstione supponitur: Alter scilicet credit, alter non credit. 3. In denominatione igitur relativâ seu extrinsecâ Voluntatis divinæ, negari non potest, à diversitate effectuum Volitiones Divinas bene diversas nominari posse; & quoad fideles dici posse [*Decretum dandi fidem efficaciter*,] & quoad non credentes, *non ita* dicendas. 4. Et fatentur ipsi litigantes plurimi operationem divinam non talem esse, quæ Volitionem humanam *physice necessitat*, aut *simultatem potentiæ* ad *contrarium* aufert. 5. De *mediorum* autem *vi* ab omnibus præter Hobbianos fere in confesso est, eam talem non esse quæ voluntatem cogit aut physice necessitat. 6. Solùm igitur de influxu Divino animam *erga fidem* movente, quærendum restat, An scilicet talis sit qui *sua vi* necessario fidem efficit? Ita enim plerumque quæstio formatur, sed nimis obscure & confuse. Quod *vi suâ* efficit *quod efficitur*, scilicet quendam animæ *motum* erga fidem, non dubitatur: & quod suâ virtute seu vi fidem efficit, ubi efficitur, conceditur: si quæratur, An talem influxum quoad gradum receptum fides actualis semper sequatur, & non alium, ab omnibus fere conceditur eundem auxilii seu influxûs moventis gradum in diversis subjectis diversum sæpe habere eventum, propter dispositionis receptivæ diversitatem. Sicut idem vis motivæ gradus non montem aut saxum movebit, qui plumam seu festucam movet. Dei quidem omnis potentia est omnipotentia: Sed ejus influxus seu effectus adeo diversi sunt, ut ille qui ad hoc sufficit, ad aliud non sufficit. Quæstio igitur huc recedit, *An solâ causatione necessitante Deus fidem efficit*. Nam *vi suâ causare* idem hîc significat, ac [*ex vis naturâ seu gradu necessitare*] Quid aliud enim significare potest quod controvertitur, non video. Et de *Necessitate logica* vel (quam dicunt) *consequentiæ* non est lis: Hæc enim est tantùm *Necessitas veritatis conclusionis in argumentatione*; in *ordine probandi*: Et hæc etiam à *prævisione* non causante, immo humanâ, oriri potest: Valida enim est consequentia [*Hoc Johannes vere præscit*, seu *prædicit futurum esse: Ergo hoc futurum est.*] De hâc non controvertitur. Quod tamen notabile valde est, quoniam Dr. Twissus sæpe profitetur, A decreto Divino immo & à prædeterminatione, nullam sequi *necessitatem consequentis sed solum consequentiæ*, idque secundum *mentem omnium Scholasticorum*: Et hanc *logicam consequentiæ necessitatem* etiam à nudâ præscientiâ ortam, neque Arminius neque sobrius ullus negat. Ubi igitur restat controversiæ status? De *necessitatione* enim tota lis est: id est, de causatione *suâ naturâ* seu *vi naturali necessariè semper efficiente*, & sine quâ idem effectus nunquam efficitur, neque proprie *potest* effici. Proprie causalitas necessitans ut in omni actûs modo necessaria aut asseritur, aut non: Si hæc asseritur, proculdubio tota corruit fides Christiana, sicut jam probatum est: Videlicet, [*Si omnis Volitio humana fit ex præmotione divina actum physice necessitante, sine quâ nunquam est aut proprie esse potest* (quia causa secunda agere non potest sine influxu necessario causæ primæ); & *quâ posità Volitio humana*

mana ex necessitate naturali, seu *Causæ primæ vi necessitante semper fit.*] Hoc est quod vult Hobbesius nostras, dum Voluntatem sicut machinam & aliâ vi necessitante mota, omnes nolitiones suas & volitiones elicere asserit: Et vere neminem aliter facere posse quam facit, (nisi nomine [posse] æquivoco ludimus.) Sin autem necessitatio hæc naturalis (sive ex influxûs vi naturali) non asseritur (quæ à negantibus necessitatem consequentis planè negatur) quid est quod controversum restat?

Qu. 33. *An convertatur aliquis (aut vere fidelis fit) per gratiam suâ naturâ mere sufficientem, & quâ datâ alii non convertuntur?*

Resp. POtius terminis quàm sensu hæc quæstio (ita sæpe posita) à præcedente differt: nec alia solutione indiget. Gratia illa *mere sufficiens* dicitur ad actum, quæ non actum sed agendi potentiam tantùm efficit. Idem influxus Divinus qui hominem gratiâ communiore dispositum movet, indispositum non movebit. Objectiones tantum hîc expediendæ sunt.

Obj. 1. *Causa eadem in materiâ æque disposita eosdem effectus producit: At gratia divina in personis æque dispositis eosdem effectus non producit*: Gratiæ ipsius *igitur causantis discrimen est.*

Resp. 1. Quicquid de causis secundis concedendum est, de Deo ipso causâ primâ proculdubio Major falsa est: Sicut idem Deus diversas fecit creaturas, ita & unicâ volitione essentiali in creaturis diversos effectus efficit. 2. Immo hâc unica suâ volitione mediorum vim diversam unum habere effectum, & secundas causas easdem diversos habere effectus, etiam in subjectis æque dispositis & velle & procurare potest. 3. Subjectorum & mediorum omnimoda æqualitas, à nobis non cerni, ideoque nec affirmari possunt. 4. Miranda rerum diversa facies fit utplurimum ex diversitate recipientium; sicut solis idem influxus innumerabiles habet effectus. 5. Constitutio liberæ voluntatis ea est, qua se ad influxûs Divini receptionem & usum, disponere potest & debet, aliquatenus, & cum eo ad actum suum eliciendum aut concurrere aut non concurrere potest. Hinc igitur effectuum diversitas sæpe oriri potest.

Obj. 2. *Si Deus non decrevit eundem gratiæ sufficientis gradum fieri efficacem, mihi nunquam erit efficax: Quid igitur gratia hæc sufficiens alicui commodabit?*

Resp. 1. Si Deus non præscit te fidelem futurum, nunquam eris fidelis: Consequentia bona est: At non ideo infidelis es, quia Deus præscit te infidelem futurum, quasi hæc tuæ infidelitatis causa esset. 2. Sæpe dictum est, in Deo ipso non esse idearum aut volitionum realis diversitas.

Obj. 3. *At contra hanc idearum & volitionum unitatem objicitur, Actus divini liberi non sunt ejus essentia: Necessario enim Deus est. At Velle* e.g. *Petri fidem & salutem actus liber est; Ergo non est Dei essentia: Item Deum esse, & Deum mundum velle condere, aut Petrum salvare, non ejusdem sunt significationis: ergo significata non sunt eadem.*

Resp. 1. Conceptus plures inadæquati ob intellectûs humani angustiam necessarii, non probant plures in Deo ipso realitates. Qui dicit, *Deum* esse Deum, omnipotentiam, sapientiam, bonitatem, ejus essentiam quà talem prædicat: Qui verò dicit, Deum mundum velle creare, Petrum velle salvare, aut Paulum convertere &c. is essentiam Dei nominat, non autem quà talem, sed quà libere hæc ad extra operantem, aut ex relatione ad hæc opera denominandam. Sicut qui dicit [Ignem esse potentiam activam, illuminandi, calefaciendi & movendi] ejus formam essentialem quà talem nominat: At qui dicit Ignem hoc lignum, hanc stipulam incendere, essentiam etiam ignis significat, non autem quà talem, sed quà hæc efficientem. De *Libertate* autem *Volitionum Divinarum* non audacter sed caute & timide differendum est. Proculdubio nihil est in Deo præter Deum; nihil coactum ab extra, aut contra ejus naturam aut Voluntatem: Et à Deo nihil coacte aut involuntarie factum est: Nec sequitur,

Quia

Quia Deus est, ideo Mundus est, aut Petrus credit, &c. Attamen ab æterno Deus voluit Mundum, Petrum, &c. in tempore futurum esse: & Volitio hæc nihil reale fuit præter ipsum Deum, & necessitate existentiæ quicquid est, necessario est quando est: Ab æterno autem fuit omnis Volitio Divina. Plura autem de Libertate Divinâ ego inscius dicere non audeo.

Qu. 34. *An recte Prævolitio seu Decretum Divinum à quibusdam Respectivum dicitur, & ab Absoluto distinctum?*

Resp. HOminum ambigue aut non-apte loquentium dicta explicare difficile est. *Absolutum* aliquando distinguitur à *modali*, aliquando à *partiali* quod dicitur [*secundum quid*]: Aliquando à *Dependente*; aliquando à *comparato*, aliquando à *Conditionali*, & aliquando à *Relativo*. Si per [*Volitiones Respectivas*] *conditionales* vellent, male nomine ambiguo, loco usitatioris & planioris eligunt. Si hoc tantùm volunt, Deum hominum salutem non decrevisse sine omni respectu ad ejus fidem & pœnitentiam, nec hominum damnationem sine omni respectu ad ejus infidelitatem & impœnitentiam, quosnam sobrios habent adversarios? Et quare adversarios sibi fingerent? Quis dubitat salutem à Deo decretam esse cum respectu ad fidem? &c. Et quis asserit damnationem decretam esse sine respectu ad infidelitatem? &c. At *Quinam hic respectus est?* quærendum erat: non autem an *Respectivum sit decretum*? quod non negatur. Deum non solum homines glorificandos decrevisse, sed etiam eis fidem & pœnitentiam daturum esse, in confesso est; & Decretum ejus & ad finem & media extensum esse. Hæc autem in controversiam veniunt, *An fides & pœnitentia sint tantùm conditio prævisa à Deo?* An etiam *conditio decreta? An absolute decreta? aut solum sub aliâ conditione? An fides* sit *conditio decreta seu volita, Infidelitas autem & Impœnitentia* solum *conditio prævisa*, & non decreta (Quod est Augustini ejusque discipulorum doctrina). An fides &c. sit sit conditio solum *rei decretæ*, vel etiam *ipsius decreti* seu *Volitionis Divinæ?* an potius non veræ *conditionis* locum obtinet, sed tantum Antecedentis, seu Medii à Deo ipso producendi, non autem ab homine ita postulati (quod volunt Antinomi) Frustra igitur *Respectivum* dicitur Dei Decretum, nisi *Quem Respectum hîc volunt*, inter plurimos, explicarent.

Qu. 35. Quæritur nimis audacter, *An Deus eventum vult, quia eum præscit; aut præscit quia prius naturâ eum vult, aut eodem naturæ instante simul præscit & vult?*

Resp. NIsi talium recitatio & tractatio ad controversias hasce finiendas seu eliminandas tenderet, talia plurima silentio præterirem nè audaciæ seu temeritatis profanæ reus essem. *Petrus de Aliaco Cameracensis* ideo Scoti doctrinam rejicit, quia instantiarum diversitatem ponit in mente Divinâ, & hanc illâ priorem esse. Nec melius Actus unus in Deo alterius causa, fingitur. Nec tutò dicitur (nisi juxta modum humanum) Deum hoc velle quia præscit, aut præscire quia vult. Voluntatis Dei essentialis & simplicis nec causæ dantur, nec Actuum diversitas, prioritas aut posterioritas. At ex relatione diversâ datur denominatio. Et ita homines distinguunt scientiam simplicis intelligentiæ, à scientiâ puræ visionis, (de quibus prius dictum est): mallem autem cum ipso D. Twisso Vindic. Grat. li. 3. p. 130. & Strangio li. 3. c. 2. p. 550, 551. ignorantiam profiteri, & reverentiam exercere, quàm circa ignem consumentem temere & inutiliter volitare.

Qu. 36. *An inter diversa indifferentia unum eligere, sit à Deo absolute decretum seu prædeterminatum.*

Resp. HÆc etiam ingeniorum otiosorum quæstio est. Quæstionis autem subjectum nego: Non datur indifferentium electio. Indifferens est quod neque bonum neque malum est; aut ubi duo æque bona sunt. Electio autem est semper *Melioris*, ut ab Intellectu apprehensi; sicut Volitio est solius Boni, e. g. Si ova duo tibi offerantur æque bona, ut unum accipias, fortasse sub deliberatione res cadet, an alterum altero præferendum sit: Et quum negativum apparet, cessat deliberatio, & unum quidem *sumis*, non autem *eligis*: Quoniam autem aut *unum* sumendum est, aut nullum, unum nulli præferre est electionis actus: Alterum autem sumere altero relicto non est actus electionis, nec moralis (qui humanus dicitur). Qui igitur dicere potest An Deus oculi nictum aut avis volatum absolute decrevit, aut prædeterminet, is dicere etiam potest An è duobus omnino indifferentibus unum (non eligere, sed) sumere sit absolute decretum aut prædeterminatum.

Objicit autem D. Strangius [*Davidem elegisse pestem, cum à Deo tres pœnæ indifferentes ipsi ut unam eligeret oblatæ sunt.*]

Resp. Si moraliter indifferentes fuissent hæ pœnæ, non sequitur, ideo naturaliter indifferentes fuisse. At revera cum Deus eum eligere jubet, prudenter eligere eum voluit. Et Davides prudenter eligendo rationem hanc reddit, *Quod melius erat in Dei manus incidere quam hostium.* Ex ratione igitur melioritatis eligit: & si imprudenter elegisset culpabilis fuisset. Et quamvis hanc legem quâ Deus quod voluit eum eligere permisit, non violâsset, contra Legem naturæ tamen peccavisset, quâ unusquisque optimum velle & eligere tenetur. Solomoni itidem Deus eligendi libertatem concessit: Hoc non innuit eligendorum indifferentiam: Solomonem enim laudavit quod optimum elegit; ergo aliud eligendo culpandus fuisset.

Qu. 37. *An Gratia Divina detur irresistibiliter? An potius sit resistibilis, superabilis, & quæ frustrari possit?*

Resp. DIstinguenda sunt 1. Gratiosum Dei propositum, & Gratiosa ejus Dona. 2. Gratia donata extrinseca & intrinseca. 3. Resistendi varii modi. 4. Ipsius Actus Divini resistentia, & effectûs resistentia. 5. Effectûs *primi* resistentia, & effectûs *secundi*. 6. *Possibilitas* resistendi *Logica*, & *Physica*, unde Necessitas consequentiæ & consequentis seu effecti.

1. Quòd (& quo sensu) Volitio seu decretum Divinum absolutum irresistibile est, prius dictum est.

2. *Influxus Divinus* per nullam creaturam resisti potest, *ne sit*: Quis enim vel *solis* influxum impedire potest?

3. Influxus Divinus non resisti potest, *ne per modum causæ primæ in animam ad motum primum operetur.*

4. Influxus Divinus patientia mere naturalia ad actus, suis naturis & dispositionibus congruos necessitat, & ita ab eis non potest resisti.

5. Eodem modo suo Influxu Deus *potest* actus gratiosos liberorum agentium necessitare, & etiam eis *potentiam resistendi* gratiose adimere: (Potentia ipsa formalis enim adempta est, quando resistere non possunt.) Et nostri non est discernere quando tali influxu Deus voluntatem movet, & quando aliter operatur.

6. Dei influxus gratiosus sæpe non actu resistitur, quando resisti potuisset.

7. Resistentia eadem sæpe Logice impossibilis est, quæ in natura rei possibilis est. A merâ Dei præscientiâ oritur necessitas Logica consequentiæ, & ita Impossibilitas Logica contrarii, quando nulla est Necessitas physica consequentis seu effecti.

Affirma-

Affirmative 1. Omnis *Recipientis indispositio* est *Resistentia passiva*, etiam quando superatur.

2. *Gratia extrinseca* sæpissime resistitur efficaciter: *viz.* Evangelium prædicatum, ministrorum conatus, promissiones conditionales non præstitis conditionibus, &c.

3. In omni peccatore est mala dispositio etiam *activa*, quâ ea *facere conatur* quæ Dei gratiæ sunt contraria; & in tantum *active* gratiæ resistit.

4. Deus sæpe ita motu gratioso in animam operatur, ut quamvis operatio ejus suâ naturâ ad peccatoris conversionem tendat, & potentiam credendi actu efficiat, per libertatis tamen abusum peccator non convertitur aut credit. Et hoc sensu gratia interne operans vere dicitur resisti.

5. Etiam quando non efficaciter resistitur Dei gratia, sæpe resisti ex naturâ rei potuisset.

6. Etiam quando vincit divina gratia, plerumque diu ante victoriam resistitur: Non ex impotentiâ Dei & potentiâ creaturæ; sed quia Deus talem influxum adhibere voluit, cui à liberâ voluntate resisti potuit.

7. Moraliter per modum commeriti peccatores sæpe Spiritui sancto ita resistunt, (non faciendo id quod facere potuissent, & malum faciendo quando id omittere potuissent), ut Spiritus sanctus per modum pœnæ, eos offensus juste deserit, & ita per resistentiam priorem, auxilio ejus de futuro sunt orbati: Et hisce modis resistibilis est Dei gratia.

Qu. 38. *An recte dicitur Deum dare homini fidem & pœnitentiam, quæ sunt hominis ipsius actus? Et quo sensu.*

Resp. QUamvis *Actionem dare* quibusdam phrasis minus congrua videatur, recte tamen Deus dicitur *Fidem* &c. dare. At per actum non unicum Deus fidem dare dicitur.

1. Christum, & cætera fidei objecta, præcipue promissiones, nobis donando.

2. Per Evangelium scriptum & per Ministros suos prædicatum, evidentiam credibilitatis ostendendo, & homines lumine doctrinæ instruendo, & ad fidem & pœnitentiam congrue hortando.

3. Operatione suâ internâ facultates naturales faciendo potentes credendi & pœnitendi; & ad hæc aliquatenus eas disponendo.

4. Per motus plures internos hominem quasi suadendo seu ad credendum magis urgendo.

5. Per media moralia & viam sapientiæ objecta & circumstantias ita ordinando, unde certo novit & vult fidem actualem sequuturam, quamvis sine propria necessitatione.

6. Et per talem Influxûs sui *vim* cui novit voluntatem non efficaciter restituturam, quamvis potuisset.

7. Et fortasse aliquando per Influxûs vim etiam necessitantem cui efficaciter Voluntas resistere ne potest (Qualis cœlitibus donatur.)

8. Per Actum & ulteriorem suum influxum, dat habitum; & gratiâ adhuc majore hunc habitum magis confirmatum reddit.

Qu. 39. *An vere dicunt quidam à Dei Decreto oriri necessitatem non Antecedentem, sed tantum consequentem.*

Resp. PRoculdubio ex Decreto oritur Necessitas actum hominis antecedens; sed (inquit Dr. Twissus ipse) solum necessitas consequentiæ, id est Logica consequendi in argumentatione. At revera quando Decretum hoc suo tempore efficiens est, etiam efficienter actum fidei naturâ antecedit.

Qu. 40.

Qu. 40. *An sine efficientiâ necessitante Deus eventum certum facere potest, aut facit?*

Resp. EX priùs dictis ad hoc satis jam respondetur: Non quæritur quid ad certitudinem humanam, necessarium est, sed ad Divinam: & profanum est de Potentia divinâ dubitare, ubi nulla in effectu invenitur contradictio.

Qu. 41. *An Peccati permissio Divina sit mere negativa: & quomodo actus elicitos dicitur Deus impedire?*

Resp. DE hisce in parte primâ jam dictum est: & plura in Theolog. Cathol. Per nomen *Permissionis* quidam actus quosdam positivos intelligunt: Quoniam vero vulgo *permittere* significat, *solum non impedire* (in Physicis) hoc sensu igitur negativo à me usurpatur. Et dico Deum peccatum *permittere* solum negative, non efficaciter impediendo. *Moralis* seu *Civilis* quidem *Permissio* sæpe *Positiva* est, scilicet, *Licentia data aliquid agendi*: At Deus nemini peccandi dat licentiam. Neque *totaliter* unquam peccatum permittit, sed adversus id multum semper facit; at non semper efficaciter. Arminius & Strangius dicunt Deum non peccatum futurum decrevisse, sed tantùm suam peccati permissionem (contra quod pluribus agunt D. Twissus, Retrofortis & Scholasticorum nonnulli). Ego autem neque ipsius *Permissionis* Decretum positivum necessarium aut probandum judico. Si enim permittere sit tantum *Non-impedire*, reverâ nihil est; & nihili non est necessaria *Causa positiva*. Prætermissis autem priùs dictis, hoc restat præcipuè solvendum dubium, *Utrum nomen Impedire abusive usurpetur, quasi sit opponentis actio, cum reverâ sit tantum negativa seu non causare?* D. Twisso enim videtur, Deum non propriè dici malum impedire, sed bonum contrarium non efficere: & cum non fit bonum nisi Deo faciente, quomodo aliter dicatur impedire privationem quam non faciendo bonum? & in hac subtilitate plurimam fiduciam ponere videtur.

Et si verè prius probatum fuisset nullum actum *naturaliter* possibilem esse, nisi physicè prædeterminatum per Deum ut Causam primam naturæ, fortasse sequeretur non congrue dicendum esse Deum *peccatum impedire*, sed tantùm non-prædeterminatione suâ id causare.

At verbum [*Impedire*] refertur 1. Ad *facultatem* seu *potentiam*; & ita significat, Impedire nè id faciamus quod facere possumus; aut nè potentia activa hoc agat. 2. Ad facultatis *Inclinationem*; & ita significat, Impedire nè id vellemus aut faceremus ad quod volendum aut faciendum inclinati sumus. 3. Ad ipsum Actum hîc connotatum, cum impeditur facultas inclinata nè hoc agat. Quæritur autem Quomodo Deus hanc facultatem nè hoc agat impedit? Et quærendum est I. Quomodo Deus impedit nè peccemus Omissione? II. Nè peccemus mala faciendo?

I. Et quod ad peccata Omissionis attinet, Lectorem non morabor disputando, An *pigritia* & aversio animi à sanctis officiis, sit solum *Privatio?* vel potius sit pondus quoddam terrenum positivum, quo ad otium anima malè propendet? At clarum mihi videtur, *Malignitatem*, esse *Odium*, *Aversionem*, & *Nolitionem* boni *positivam*: Ideóque ad eam impediendam necessariam esse impeditionem positivam. Quamvis enim Non-amare, non credere, non obedire sint meræ negationes seu privationes, cum tamen *Malignitas* seu *Nolitio positiva* sit privationis causa, necessarium est medicamen positivum, quod verè dicitur, *Peccati impeditio*.

Obj. *Non apte dicimur impediri nè nihil agamus? Resp.* Etiam; quando piger & malignus ad bonum non-agendum sed fugiendum inclinatur, rectè dicitur impediri nè bonum omittat aut fugiat. 2. Et peccata omissionis sunt quid Morale & relativum.

II. At

II. At Peccata commissionis magis propriè dicuntur impediri: Hic autem considerandum est Deum naturæ primam causam, homini illas inclinationes indidisse, & peccatum eas ita depravâsse, ut hinc impeditionis hujus necessitas orta est: 1. Hominis Anima est essentialiter *Potentia Activa:* 2. Et *Inclinata* tum ad *Activitatem* in genere, tum ad *Intelligendum & Volendum* in specie. 3. Et naturaliter facultates ejus *inclinatæ* sunt ad *fœlicitatem* in genere, & ad *vitam* & *voluptates sensuum* in specie. 4. *Inclinatio* etiam ad *spiritualia* debita *amittitur.* 5. Et *inclinatio* ejus jam dicta ad *bona sensibilia* per peccatum fit *inordinata:* 6. Et horum gratiâ fit malignus, seu bonorum spiritualium, utpote voluptatibus dilectis adversorum, osor. Plures igitur in peccatore sunt *propensiones* quæ impeditione positivâ indigent.

Nec unico modo Deus has *positive impedire* potest. Facultates hasce naturales destruere, quid majus esset quam [*impedire*]. Et si *inclinationes* suas *naturales* destrueret, etiam *facultates* destrueret. Hic autem supponitur Deum naturam ejusque inclinationes sustinere, & quando eas impedire dicitur, etiam *potentias* à *seipso motas* impedit: Nec mirandum est Deum motu uno alterum impedire, cum hujus veritas in motibus invicem adversis per totam ferè rerum naturam experientiâ planè nota est.

1. Deus animæ depravatæ actus malos impedit, ipsam *animam sanando*, & *concupiscentiam mortificando.*

2. Actum impedire potest *objecta alterando*, aut longius *amovendo*, aut hominem ab illis abstrahendo: aut *amarum* quid dulcibus admiscendo.

3. Tentatores etiam (& Dæmones & homines) prohibendo nè mediis allicientibus & deceptoriis nos ad peccandum inducant.

4. Objecta etiam aut negotia contraria aut divertentia nobis offerre potest, quibus ab actu prohibito avertamur.

5. Mentem subitò illuminare potest, unde peccati malum magis apparens devitabitur.

6. Conscientiam & affectiones seu passiones priùs somnolentas suscitare potest, quo periculum sentiatur & caute devitetur. Aut timore aut pudore homines movere potest ad peccatum fugiendum.

7. Optimè autem peccatum impedit, Amorem divinum per fidem accendendo, & animum ad cœlestia arrigendo: Omnibus hisce modis Deus positivâ actione peccatum impedit.

Hinc igitur patet quibus instantiis *Permissio* sit *mere Negativa*, seu *Non-impedire*: e. g. 1. *Concupiscentiam non mortificare.* 2. *Objecta non removere.* 3. *Tentatores non frænare.* 4. *Objecta aut Negotia divertentia non subjicere.* 5. *Mentem non illuminare:* 6. *Timorem, pudorem, &c. non excitare:* 7. *Et animum amore divino* seu sanctitate *non perfundere.* Omnes hi permittendi modi sunt *negativi*, seu verè *nihil.*

Sin autem concederetur *Peccata Omissionis* impropriè dici [*impediri,*] lis de nomine seponatur; vocetur aut [*Impedire peccatum*] aut [*mentem ad officium præstandum non determinare*], utrum vis: At liquido constat, necessarium esse *actum Divinum positivum* quo peccatum devitemus: ideóque Deum *hoc non-agere* esse *negationem:* Et an *Negationem* illam nomine *Permissionis*, an *Non-liberationis* insignias, vera tamen erit *negatio. Hominem occidere* est actus positivus; & *esse mortuus* est mera privatio: & magis propriè dicimur hominem impedire nè alium occidat, quam impedire nè moriatur: Phrasis tamen hæc est usitata & intelligibilis: Et Deus verè impedit *propensionem nostram* ad omissiones: Quantumvis autem improprie dicatur [*Deum Omissiones permittere*], quod quærimus tamen negari non potest, necessarium esse actum Dei positivum quo à peccato & miseriâ liberemur: & consequenter, *hoc non-agere* verè *Nihil est*: Ideóque nullâ eget causâ; Ideóque nec positivo aliquo Dei decreto eget. Et quamvis vir eximius D. *Strangius Permissionem Dei activam esse* concedat, quia Natura Dei activa non otiosa est, ideóque suas vult & decrevit permissiones; & Scholastici quidam dicunt, [*Deum volenter non-velle*]; hoc tamen conceditur, non

solum sine necessitate, & asseritur sine veritatis evidentiâ, sed etiam sine verisimilitudine: Sicut *non-velle-peccatum* est *Perfectionis Divinæ*, non autem *desidiæ*. Ita & dicendum est de [*Non-velle hunc non-volitionem*] sive [*non-decernere peccatum non-decernere*]: Si hoc enim necessarium esset [Deum actu positivo nolle non-existentiam omnium rerum, modorum, accidentium quæ non existunt, & non-futuritionem omnium quæ non futura sunt, & se *non-velle* & *non-agere* quæcunque *non-vult* & *non-agit*] infinita ferè *nullitatum decreta* essent, quæ tamen Numini sanctissimo imputare, tremendæ foret præsumptionis & audaciæ.

Qu. 42. *Quomodo Adamus nè primò peccaret impediri potuit, cum in illo nulla fuit ad peccandum inclinatio? Et quomodo id permitti dicatur, quod impediri non potuit.*

Resp. 1. ADamus sensitivum appetitum habuit, cujus ad suum objectum positiva fuit propensio, quamvis non adhuc inordinata: Appetitus autem hic non autonomus factus est, sed per rationem regendus: & per humanam imbecillitatem Ratio officium suum negligere potuit, & appetitûs excessum permittere: Partem igitur *positivam* peccati Adami Deus positive potuit impedire; Et *partem Omittentem* Deus *permisisse* dicitur quia non efficaciter ejus existentiam noluit: Neque negamus Dei peccata permittentis partes maxime notabiles esse, *Auxilium aut Gratiam efficacem eis non dare*, qui gratiâ communiore, aut mere-necessariâ fideliter non usi sunt.

Qu. 43. *An hominis aliquid sit causa alicujus Volitionis aut Decreti Divini, præcipuè de gratiâ donandâ?*

Resp. EX prius dictis huic satisfit. 1. Dei voluntatis essentialis non datur causa.

2. Effectuum seu operum divinorum unum alterius esse causam nemo dubitat.

3. Volitionis igitur Divinæ ut *Relative denominatæ* datur causa objectivè seu terminativè specificans.

4. Et inde ad modum humanum Deus ipse de sui Amore, odio, ira, &c. ut ab extra causatis in sacris Literis sæpe loquitur, Joh. 16. 27. Prov. 1. 22,23,24,25. Gal. 4. 6, &c. & ita non male de Deo juxta Verbum suum loquimur.

5. Et quia hominis libere-agentis est seipsum ad influxus Divini receptionem aliquomodo disponere, & magna rerum diversitas fit ex diversitate dispositionis receptivæ, hinc *effectuum* Volitionis & Influxûs Divini, sæpe vera causa est Voluntas humana: unde Dr. Twissus dicere solet, *Fidem Justificationis esse causam Dispositivam.*

6. Complacentiæ Divinæ, (quæ dicitur Voluntas consequens à quibusdam) objectum *in esse* aut *reali* aut cognito supponitur; & objectum hoc jam in *esse existente*, est Complacentiæ seu Amoris divini (non ut est Dei essentia, sed ut Relativè denominatur) idem quod inter homines dicitur *Causa objectiva* terminans & specificans actum: De hisce autem plura Qu. 50.

Qu. 44. *Quærunt audaces quidam, Utrum prius sit Divinum decretum de futuris, an Complacentia?*

Resp. IN Deo neque est diversitas neque prioritas: Quod autem ad voluntatis divinæ denominationes extrinsecas attinet, ordo objectorum quæstionem solvet: Et inde qui *futuritionem* mentis æternæ objectum statuunt, plerumque tenent 1. Quod in Deo rerum omnium futurarum Ideæ primò ponen-

dæ

dæ sunt, in scientiâ simplicis intelligentiæ: Et in voluntate Complacentia in hisce ut *Convenientibus*. 2. Deinde sequi Decretum seu Volitionem de earum *futuritione*. 3. Et inde *complacentiam* in eis ut *bonis futuris*. 4. Et tandem *eis* productis & existentibus, *Complacentiam* in eis ut *existentibus*. Mallem autem equidem subtilitates hasce circa inferiora potius exerceri, ubi audacia nobis sit minùs periculosa.

Qu. 45. *Anne seriò Deus non-venturos vocat ad Christum, & salutem?*

Resp. PRophanum est dubitare, an Deus serio agat quod agit. Si autem Quæstio sit, *An serio fidem horum velit?* dico, In quantum Deus eam vult, proculdubio eam serio vult. Hoc autem jam sæpe investigatum fuit. *Desiderium* autem Deo solum metaphorice si non catachrestice ascribitur: Appetitus humanus est *indigentis*; ideóque appetitus *recipiendi & habendi*: Voluntas autem Divina ad intra est SUI AMOR; ad extra est Amor seu Appetitus *Communicandi* non *Recipiendi*, utpote nullorum *indigentis*.

Qu. 46. *An Deus Christum Gratiamque hominibus offert, quò eos inexcusabiles reddat cum condemnantur?*

Resp. DEcreta Divina ex eorum effectis optime denominantur: non autem à consequentibus quæ non sunt ejus effecta. Inexcusabiles proculdubio sunt Christi Gratiæque contemptores: Quicunque hoc negabit, neque illos neque se bene excusare potest. Peccatum hoc quo inexcusabiles sunt, ipsorum est, non à Deo: Quod autem ita peccantes inexcusabiles sunt, est partim ex ipsorum peccato, & partim à Dei justitiâ.

Quærentium autem plerumque sensus est, *An hoc sit primum vel totum quod Deo in proposito est, cum talibus Christum offert?*

Resp. 1. Sæpe jam dicitur, *Nullum Dei decretum absolutum* unquam frustra seu irritum factum esse.

2. Primum oblationis seu Legis Divinæ effectum est, peccatorem obligare ad credendum & resipiscendum: Hoc decretum est, & hoc fit & evenit.

3. Qui dixit [*si credis, salvus eris*] proculdubio si credas te salvabit. Hanc donationem conditionalem universalem Deus facere decrevit & fecit.

4. Plurima media apta & auxilia ad credendum Deus donat non crediturís, & dare decrevit.

5. Optime tamen novit eos nunquam crediturós; nec ideo gratiæ oblationem suspendit.

6. Quod autem non credunt, aut non crediturí sunt, non inde oritur quod hoc à Deo decretum est; Immo decretum esse non probabile est.

7. At supposita eorum infidelitate & gratiæ contemptu, eorum Damnatio & Inexcusabilitas sunt decreta: Ideóque Augustinus & Prosper Reprobos *præscitos* plerumque vocant; Prædestinatos non itidem.

Cum dicimus homines esse Inexcusabiles, hoc volumus; Eos contra talem gratiam peccasse quâ peccata illa devitasse & melius egisse, aut mediate aut immediate potuissent.

Qu. 47. *An Deus primò det Habitum Gratiæ salutaris, an Actum?*

Resp. AD hanc Quæstionem jam sæpe obiter respondetur. Et ostenditur Deum posse quando vult primo instante habitum etiam confirmatum donare; & fortasse aliquando ita facit. At maxime probabile est eum primò *animum suscitare* motu quodam expergefaciente; 2. *Probabilitatem* rerum divinarum ostendere; 3. Et inde *timorem* quendam pœnæ,& *desiderium* evadendi, tandemque *spem* aliqualem inde suscitare; 4. Deinde fidei veræ & pœnitentiæ actum suo spiritu prius *moraliter possibilem* reddere, *potentiam credendi* eamque quodammodo huc *inclinatam* dare (ut fidei semen), 5. Et simul tempore *fidei actum* excitare: 6. Et tandem per actus frequentes & Spiritûs sancti influxum, *Habitum fidei, spei & Amoris* efficere; 7. Et denique hunc habitum *augere & confirmare.*

Hujus ordinis probabilitas apparet 1. Ex natura *hominis* recipientis juxta quam Deus solet operari.

2. Ex natura *mediorum* per quæ Deus operatur.

3. Ex ordine operationum aliarum divinarum: A minimis enim & seminibus plerumque incipit, & ad perfectiora gradatim progreditur.

4. Ex ordine insequentium operationum divinarum in animam. Clare enim præcipimus Deum fidei & Amoris & obedientiæ habitus *augere per actus* sæpe *suscitatos & exercitos*; Ideoque probabile est eum eodem ordine fidem *primò donare.*

5. Hoc cum S. Literarum tenore constante congruit, ubi primo præcipitur auscultatio ad Evangelium &c. & deinde fidei & pœnitentiæ actus, ad quos exercendos quum Deus hominem suscitavit, Habitus sanctificationis seu Spiritum sanctum inhabitantem, sub hac conditione prius promissum, statim credentibus donat.

Objectiones prætereo.

Qu. 48. *An Verbum sit vere Spiritus Sancti Instrumentum in fide efficiendâ.*

Resp. QUod fœdus Dei sit instrumentum donativum Remissionis, Justificationis & juris ad regnum cœleste, dubitandum non est: An vero sit *Instrumentum conversionis*, à quibusdam plusquam dubitatur: Ab illis videlicet 1. Qui negant Spiritum sanctum fidem dare operatione Morali & per viam sapientiæ, sed solum per physicam infusionem. 2. Et qui tenent primo instante Habitum fidei infundi ante actum. Et hi potius putant Verbum solum *instrumentum* esse *suscitandi habitum* jam infusum, sicut ante instrumentum fuit actuum quorundam præparantium; at quoad fidei habitum non proprie esse ejus efficiendi aut instrumentum aut causam. Et vere nihil cernere possumus in verborum naturâ unde aliter habitum possent ingenerare, quam actum prius excitando, quò habitus ope Divinâ fiant. Quod idem dicimus de *Aqua baptismatis*: Quid concomitans esse potest: At quomodo aliter *instrumentum* sit non video. Ideoque dicunt Protestantes Verbum & Sacramenta non esse *causas physicas* sed *morales.*

At sacræ literæ clare sæpeque docent verbum esse veram conversionis *causam*: vid. Act. 26. 17, 18. Rom. 10. 17. Rom. 1. 5. 16. Act. 4. 4. & 8. 12. 1 Cor. 3. 5. Matth. 13. 19, 20, 21, 22, 23. Act. 20. 32. Eph. 5. 26. Jac. 1. 23. Eph. 4. 12, 13, 16. Psalm 19. 7, 8, 9. & 119. 50. Joh. 17. 17, &c.

Fateor autem inter Theologos Philosophicos nondum convenire, sub quo causæ genere *verbum* causare dicendum sit. Dicere solet Dr. Twissus, *sub genere causæ finalis per modum proponentis objectum.* At hinc dubium non solvitur: *Adhuc* enim dubitatum est, 1. An ipse finis proprie causet. 2. An *objectum proponens operetur in genere* causæ finalis. 3. Annon plura objecta quam finis ad operandum proponuntur in Dei verbo. 4. An objectum qua objectum sit proprie causa, & cujus generis: (cum pluribus aliis.)

1. Et

1. Et breviter ad Primum dico, Quod ſtricte loquendo cauſare eſt ſolum efficere; At ſenſu largiore aliæ ſunt cauſæ præter efficientem: At mihi videtur cauſam finalem eſſe, ſolùm, *Objectum eximium unde mediorum eligendorum ratio ſumitur.* Finis quatenus *Amatur* eſt ſolum *objectum amabile* facultati congruum: Quatenus autem deſideratus *mediorum neceſſitatem & congruitatem* oſtendit, & ejus gratia ea *eliguntur* & *adhibentur*, *ipſe finis* menti *quoddam medium* eſt hujus *electionis* & *nſus*; & metaphorice *cauſare dicitur*: ſed de his plura jam dicta ſunt.

Ad Secundum dico, objectum proponens non operatur in genere cauſæ finalis, ſed per efficientiam quandam finali ſubordinatam: Finis oſtenſionem efficit; at ut finis non operatur.

Ad Tertium, proculdubio plura objecta quam finalia in Verbo proponuntur, idque quò peccatores convertantur: At *primaria* objecta ſeu *præcipua* ſunt *finalia.* Nolitio etiam ſua habet objecta.

Ad Quartum, Objecta alia ſunt *paſſiva* & *mere objecta*: Alia *activa* & etiam *efficientia*, quale eſt *Lumen visûs*, & *Deus intellectui* & *Voluntati.* Priora autem videntur eſſe tantum *cauſæ materiales* Actûs (non quà actus, ſed) in *ſpecie*, quæ ex objecto materiali ſeu terminante ſumitur. Facilius per ipſum ſenſum novimus quomodo objectum, (e. g. domus, mons, ſaxum, homo) ſit viſûs cauſa, quam per definitionem aut modi cauſalis præciſam inveſtigationem.

Qui objecta hæc eximia intellectui & Voluntati modo congruo prædicando offert, proculdubio id facit unde Intellectus & Voluntas ad actum congrue excitantur: ſit tantùm ſit ſicut ignis accenditur per ſtipulæ appoſitionem, (ubi Ignis ipſe eſt cauſa activa efficiens, & ſtipula ſolum paſſiva ad recipiendum diſpoſita), ad effectum hoc quodammodo plurimum conducit; & de notione cauſandi Logicâ non utiliter litigatur. Ex notabili hac aptitudine Verbum dicitur ſemen regenerationis, & λόγος ἔμφυτος, quaſi animæ jam connaturalis.

Qu. 49. *An Spiritus S. à Chriſto datus ſit omnino ſupernaturalis, ſive opus ſanctificationis fiat ſine omnibus cauſis naturalibus.*

Reſp. NOn unico ſenſu res *Naturalis* eſſe dicitur: 1. Operatio Divina dicitur *Naturalis* quia ex Deo eſt ut cauſâ primâ naturæ, ſolum per ordinem cauſarum naturalium ſtabilitum, operante. Et ita Donum Spiritûs ſancti non eſt naturale.

2. Si denominatio ſumatur à modo Influxûs Divini ex parte Dei agentis, diſcrimen nullum (nobis ſaltem notum) eſt inter naturalem & ſupernaturalem: Præter eſſentiam ejus efficientem & effectum, nihil (nobis ſaltem notum) intercedit.

3. Neque ex parte motûs primi ut recepti in patiente, nobis notum eſt diſcrimen.

4. Ipſe Spiritus ſanctus utpote vere Deus non dicendus eſt cauſa naturalis; ſicut Deus ipſe ſupra Naturam eſt, ita Dona ſpiritualia fidelibus diſtribuit, novo modo & ratione, per & propter Redemptorem gratis mundo datum, & non quà Creator ſolum, & per ordinem cauſarum naturalium (ut jam dictum eſt) quaſi effectum earum adæquatum.

5. *Nihil* autem *Naturale* eſſe in cauſis & opere ſanctificationis, dicendum non eſt; cum *Anima* ſubjectum recipiens eſt quid *naturale*, & ad *modum ſuæ naturæ* recipit, & gratiam receptam *exercet* ad ejus incrementum, & *Gratia Naturæ congrua* eſt, ut medela & ſanitas ægroto.

6. Et ipſe Chriſtus in naturâ ſuâ divinâ & humanâ eſt caput eccleſiæ & fons donorum ſpiritualium, & in naturâ humanâ eſt cauſa ſecunda, quâ Spiritus ſanctus nobis communicatur.

7. Ad opus item ſanctificationis *mediis* utitur Chriſtus, partim *naturalibus*, partim ſupernaturalibus: *Operibus* ſcilicet Divinis, in quibus ejus amabilitas nobis elucet,

elucet, & quibus hominibus innotescit; & Revelatione suâ supernaturali per Christum, prophetas & Apostolos.

8. In quantum verò Deus utitur ministerio Angelorum in operationibus suis in animam humanam, aut causâ aliquâ secundâ nobis ignotâ etiam in ipsis miraculis, nostri non est determinare.

9. Quibuscunque autem causis secundis Spiritus sanctus utitur, ad effectus earum vires superantes eas adhibet; qui vere ideo dicuntur supernaturales.

Qu. 50. *An conditionum aliquarum, seu operum præparantium præstatio nostra, aut fides, aut obedientia nostra, sit vere causa doni aut operationis alicujus Spiritûs sancti.*

Resp. AD hanc obiter jam responsum est, quando quæsitum fuit *An causa sit Decreti Divini.*

1. Quoniam nihil est in Deo nisi Deus, nihil reale in Deo à creatura causari præsupponitur.

2. Beneficiorum Divinorum nihil humanum potest esse causa meritoria juxta *justitiam commutativam*, qua bonorum commutatione utrinque benefit.

3. Nedum operationis seu effectûs pure divini, homo ipse *efficiens causa* dicendus est.

4. Causa *donativa* est solus Deus ejusque Gratia; causa autem *Receptiva* est ipse homo. In physicis hæc dicitur *Materia* & *Privatio* (seu *Materiæ Dispositio*): Homo subjectum recipiens est opus divinum. *Dispositio* autem *Receptiva* est opus tum Dei tum ipsius hominis.

5. Deus Sapientissimum suorum donorum distributor, per gratiæ Legem quasdam conditiones peccatoribus imposuit, quibus per gratiæ prioris auxilia præstitis, gratiæ majoris, justificationis scilicet & habitualis sanctitatis fiant immediate capaces: Conditio autem ex sua natura non est causa rei, sed ut *imposita* est *Modus Donationis* ejus effectum suspendens donec præstetur, & ut *præstita* est *Dispositio receptiva moralis* sine quâ *Donator* suam *donationem* esse efficientem noluit.

6. In materia autem conditionis præstitæ (tum fidei tum resipiscentiæ) aptitudo quædam peculiaris est ad hoc officium ad quod per Deum Rectorem sapientissimum ordinantur: Qui fenestras claudit, obtenebrationis causa est; Qui eas aperit, non facit lumen, sed illuminationis impedimentum removendo, effecti (non quà dati, sed quà recepti) causa est: Filius Patris donum contemnens damni proprii causa est. Qui vero id humiliter & gratè recipit, non est donationis causa, neque per justitiam commutativam aliquid meretur. At 1. impedimentum morale removet; 2. Se recipientem facit dispositum, sine qua dispositione recipere non potuit; 3. Ideoque juxta justitiam Paterni regiminis distributivam, quæ spectat solum recipientis aptitudinem, mereri dicitur. Et ita Patres uno ore nos mereri à Deo dicere soliti sunt: Sine gratiâ autem divinâ etiam conditio hæc majoris gratiæ non præstatur.

7. Causa aliquando sensu forensi significat *sententiæ rationem*: Et ita Mat. 25. & sæpe alibi in sacris literis, opera humana per gratiam præstita dicuntur causa sententiæ divinæ, quâ Judex universalis justissimus & *secundum* & *propter* sua opera, juxta Legem gratiæ sub quâ vixerunt, sententiam aut justificationis aut condemnationis finalem palàm pronunciabit.

CAP.

CAP. XXVI.

De Regimine Christi Incarnati subsequente: & I. *De* JUDICIO *Christi in Genere.*

Regimen Christi actiones humanas subsequens, continet I. JUDICIUM, II. Judicii Executionem. De priore

I. **AUTHOR** Judicium instituens, est **DEUS** Rector Supremus Justissimus.

II. FINIS Judicii,

- I. Proximus; Decisio publica causarum controversarum in ordine ad Executionem. Non quasi Deo incognitarum: sed 1. Quoad Reum, 2. Quoad mundum spectatorum, nondum decisarum.
- II. Remotior, *viz.*
  - 1. Personis judicatis justa Retributio
    - 1. Justis,
      - 1. Publica demonstratione.
      - 2. Actuali executione.
    - 2. Injustis,
      - 1. Publica demonstratione.
      - 2. Actuali executione.
  - 2. Justitiæ judicatæ honor publicus, & injustitiæ seu peccati publica damnatio.
- III. Ultimus, *viz.*
  - 1. Justitiæ,
  - 2. Sanctitatis

  Divinæ
  - 1. Relativæ Rectoris — Exercitium, demonstratio, Glorificatio publica & æterna.
  - 2. Essentialis Naturæ — Exercitium, demonstratio, Glorificatio publica & æterna.

III. JUDICIUM ipsum, ubi sunt

I. Personæ

- I. Principales, *viz.*
  - I. JUDEX
    - 1. Supremus; Deus-Creator-Redemptor.
    - 2. Ministerialis; Christus, Homo, Mediator, Redemptor.
  - II. ACTOR, *Virtualis* vel Actualis; *Accusator malorum* (ubi subintelligitur *Laudator bonorum.*)
    - 1. Ex Omniscientiâ & Sanctitate, & cujâ præcipue interest, DEUS.
    - 2. Ex malitiâ, DIABOLUS (& Laudatores ex Amore, Christus & Angeli.)
    - 3. Ex Conscientiâ & Necessitate; Ipse Reus (Justus scilicet vel Injustus.)
  - III. Judicandus: 1. Insons & Justus, 2. Sons & injustus: Totum scilicet humanum genus.
- II. Subservientes; 1. Testes utrinque; 2. Patronus vel Advocatus.

II. CAUSA: vel Quæstio decidenda: ubi consideranda sunt,

- I. Norma: Lex Divina, sub quâ vixit peccator, (ante descripta & distributa)
- II. Factum, in se consideratum; 1. An factum fuit, 2. An omissum fuit.
- III. Relatio Facti ad Legem; (Meritum causæ dicitur:) *viz.*
  - 1. Ad Legis præcepta & prohibitiones.
  - 2. Ad Legis partem Præmiantem vel Punientem: Et Quæritur in Judicio,
    - 1. An Factum, vel omissio fuit Præcepta, vel Prohibita, Bona vel Mala.
    - 2. An Persona (qui fecit vel omisit) sit Jure Justificandus an Condemnandus; Præmiandus an puniendus.

III. PROCESSUS: ubi suppositis Citatione, Introductione, Comparentiâ, notanda sunt,

- I. Accusatio (de malo) scilicet,
  - 1. Reatus facti vel omissionis (peccati materiæ.)
  - 2. Reatus Culpæ (peccati formæ.)
  - 3. Reatus debitæ pœnæ (peccati fructus.)

  (At bonorum triumphans introductio per Christum.)
  Ubi sunt, 1. Criminatio, 2. Probatio, 1. Per Evidentias Reales, 2. Per testes.
- II. DEFENSIO
  - 1. Per personam Accusatam,
  - 2. Per ejus Advocatum;

  1. Negando Reatum Pœnæ debitæ juxta Legem Gratiæ. Et Negando Reatum istius Culpæ quæ Reatum pœnæ infert.
  2. Probando Justitiam, 1. Per evidentias, & 2. Per testes.
- III. Partes JUDICIS sunt,
  - I. Veritatem explorare, 1. Ex Actore, 2. Defensore, 3. Et probationibus, testibus, &c.
  - II. Veritatem declarare, ad Convictionem Rei, & satisfactionem Mundi.
  - III. Sententiam justè, 1. Concipere, 2. Proferre,
    - 1. Justificando justum;
    - 2. Condemnando injustum.

Judicii

Judicii porrò sunt,

- I. Affectiones: estque Judicium, est
  - 1. Summæ Authoritatis, ut Potentissimi,
  - 2. Infallibile, ut sapientissimi,
  - 3. Justissimum, & bonum, ut Optimi

  } Judicis.
- II. Modi: *viz.*
  1. Efficacissimâ illustratione sine morâ & verborum ambagibus, res tota peragenda est.
  2. Terribili & Consolatorio Majestatis fulgore, injustos terrore, & justos solatio implebit.
  3. Executio ipsa erit sententiæ efficax *Prolatio*; & mentis Divinæ plenissima manifestatio.
- III. Proprietates consequentes sunt,
  1. Sententia erit Irresistibilis, per Judicis Omnipotentiam.
  2. Immutabilis erit; nulla manet spes aut metus recensionis ex hypothesi erroris aut mutationis.
  3. Finalis: unde nulla ad tribunal superius est appellatio.

Elucidationes

CAP. XXVI.

De Judicio Christi in Genere.

1. QUamvis Judicium divinum humani non simile est, in parte aliquâ aut injustitiam aut creatam imperfectionem redolente; ob rationem tamen non unicam distinctè à nobis considerandum est & describendum, 1. Quia plurimi & distincti erunt *effectus*, in judicatis (ut convictio facti, culpæ, demeriti, &c.) 2. Et plurima erunt objecta Actionis divinæ (ut Reatus Culpæ, reatus pœnæ monstrandi, &c.) non obstante concessione, Actionem divinam ut à sese esse unicam: Sicut enim actione ut à se unicâ sol innumerabilia illustrat, ita & altiùs de actione divinâ existimandum est. 3. Et eo magis ita distincte rem explicare convenit, quia Christus in Naturâ humanâ Judex erit. 4. Et quia ipse rem distincte Matth. 25. per analogiam ad judicium humanum nobis explicat.

2. Ordine perverso à plerisque disputatur quid sit *Justificare* priusquam quid sit *Judicare*; dum ipsi Justificationem definiunt esse *sententiam Judicis*: Ita enim Justificatio & Condemnatio sunt *Judicii species*.

3. Male item à nonnullis Justificatio per sententiam Judicis quasi res aut nihili aut parvi habetur: Ob hanc rationem quia est tantum *Declaratio*: Plurimæ enim Declarationum species sunt: Hæc autem est *Declaratio* quidem, sed *Divina Decisiva* rei nobis & mundo non ante determinatæ, absoluta, finalis, & ipsâ executione statim perfecta (si de ultimo judicio loquamur).

4. Numine non est indignum æstimandum Deum esse principalem peccatorum Accusatorem, etiamsi Diabolus item & Conscientia eos accusent: Dei etenim Accusatio est perfecta ejus omnium illustratio, & secretorum omnium irresistibilis apertio, ex perfectione luminis Sanctitatis, & Justitiæ: Diaboli criminatio ex malignitate oritura est; Conscientiæ autem ex necessitate convictionis.

5. Qui probe intelligit, 1. Quantum rerum omnium nudissima detectio, ad Justitiam & Omniscientiam divinam glorificandam pertinet; 2. Et quantum sententiæ hujus Judicialis, per *ipsam executionem* fuerit perficiendum: non quasi de durâ re aut terribili dubitabit, an *Justi* æque ac *Injusti* judicandi sint.

6. Sicut Patrono (Christo) ita & Testibus (Conscientiâ, &c.) opus erit, non ut ignotum aliquid Deo innotescat, sed ad fines Judicii Tabulâ (clare satis) descriptos.

7. Qui

7. Qui Causæ judicandæ partes diversas confundunt, de Justificatione non nisi confusè, ideóque erroneè disputare possunt.

8. Lex eadem quæ subditis fuit *Norma officii*, & Judici in ipsis judicandis erit Norma judicii.

9. Exploratio (aut si mavis Luminis Divini subitanea revelatio) tres causæ partes habet detegendas: 1. De *facto*; An revera res facta sit, aut omissa? 2. De facti conformitate ad Legis partem præceptivam: An scilicet fuit culpa (& qualis): An officium seu bonum opus fuit? 3. De retributione debita; An jure persona sit remuneranda aut punienda?

10. Sicut igitur Accusationis tres partes sunt, ita etiam & Justificationis, *viz.* de *peccati materiâ, formâ & pœnâ*; seu à Reatu *facti, culpæ, & pœnæ* (de quibus postea.)

11. Qui reatum *facti* fatetur, simul & *reatum Culpæ*, & *reatum Pœnæ* juxta tenorem *Legis solius Innocentiæ*, *Reatum* tamen & *Culpæ* cujusdam (scilicet & Conditionis novi fœderis non præstitæ, & criminis cujusvis falsi impacti) & *Reatum pœnæ* juxta sensum *fœderis Gratiæ*, & negare fas est, & vere illum negare necesse est, unicuique justificando coram Divino tribunali.

12. Sententiæ quidem conceptio, id est, & causæ & personæ *Judicatio mentalis* ut est Actus Dei immanens, & ita nil aliud quam ipse Deus, est Æternus: Ut verò est Actus divini immanentis *Relatio* ad objectum extrinsecum, seu *denominatio extrinseca*, ita temporaria est; Tunc scilicet incipiens & tunc desinens, quando à *positione* vel *cessatione objecti*, talis *Relationis* aut *denominationis* sit aut capax aut incapax.

13. Quomodo Deus sententiam *proferet* & pronunciabit, præter 1. Luminis divini detectionem, 2. Et Christi hominis prolationem, 3. Et Angelorum & sanctorum consensum, 4. Et ipsam executionem, mortalibus non planè constat.

14. Cùm Mosi Deus nomen suum proclamabat, [*Deus misericors, gratiosus, longanimis, custodiens benignitatem millibus, condonans iniquitatem & defectionem & peccatum*, (attamen) *qui nullo pacto absolvit sontem*] contradicentia non loquitur: Omnia etenim peccata condonabit, quæ condonare promisit; sontem autem nullum absolvet, quem Lex seu fœdus sub quo vixit, non absolvit: Omnes autem aut peccata remittendo justificabit, aut non remittendo condemnabit, juxta sensum fœderis, quod ipsis fuit traditum ut Norma officii & judicii.

15. *Irresistibile* adeo & *Justum* & *Absolutum* erit Judicium Divinum, ut frustra omnino à sonte quocunque de evasione aut justificatione cogitabitur, aut per *vim*, aut per *mendacia*, aut per *appellationem*, aut per media quæcunque; At omnium minimè per Christum, qui ipse Judex condemnandos nunquam justificabit.

16. Qui Judicium Divinum fide prospicit & præmeditatur, adeo parvi aut nullius faciet humanas omnes calumnias & injusta judicia, ut eodem fere loco ipsi fuerint, quo sapienti judicium infantis aut morionis, quantum scilicet ad potestatem condemnatoriam eorum, & ipsius ex illis noxam attinet, sepositâ consideratione accidentium & consequentium moralium.

17. Quoniam & in *vitâ præsenti* judicium Divinum *inceptum* est, & statim post mortem plurimum provectum, & executioni quodammodo immutabili mandatum, & post Resurrectionem statim perficiendum, & mortis certissimæ incertissima hora nobis semper imminet, qui summâ & omnimodâ solertiâ, semper paratus vivere non conatur, quasi judicem ad fores continuò expectans, is omnino infra naturam & rationem humanam, & contra verum sui-amoris usum proculdubio vivit.

18. Illi soli ad Judicium vitæ futuræ sunt parati, qui per Christum & fœdus Gratiæ in vitâ hac præsenti justificantur: Hic etenim per Promissionem Jus datur (ad publicam scilicet Justificationem & Gloriam) quod posthac decisive & finaliter judicandum est.

CAP. XXVII.

II. *De Judicii Speciebus*, & I. *De Justificatione.* §. I. *De JUSTITIA.*

Judicis sententia est, I. Justificatio, II. Condemnatio. Justificatio circa JUSTITIAM & MERITUM versatur: De JUSTITIA ut *præceptâ* jam dictum est: ut ad *Judicium* refertur hîc differendum est.

JUSTUS est qui JUSTITIA præditus est, vel JUS habet. JUSTITIA est JURI Congruitas, Cujus notanda.

I. NATURA: ubi
- I. Materia,
  - I. Subjectiva,
    - 1. Proxima; *viz.* 1. Actiones, 2. Inclinationes, 3. Relationes.
    - 2. Principalis; *viz. Persona*, per Actiones, Inclinationes, Relationes.
  - II. Objectiva: éstque circa, 1. Res, 2. Actiones, Receptiones, passiones, 3. Personas.
- II. FORMA est Relatio, *viz.* Juri Congruitas, vel Recta-ordinatio Moralis.

II. DISTRIBUTIO: & primum Analogica (ut à Deo fonte Justitiæ ordiamur): JUSTITIA est,

- I. Divina, transcendens, primitiva, mensurans; ubi triplex etiam JUSTITIA notanda est,
  - I. Naturæ Divinæ Perfectio, quà fons est Ordinis & Justitiæ creaturarum, in genere.
  - II. Justitia *Relativa* Dei, quæ in Jure suo Relativo fundatur; éstque,
    - I. Justitia Dominii: Quà
      - 1. Activè; Jus habet sua, 1. Possidendi, 2. Utendi, 3. Alterandi.
      - 2. Passivè; Juste per suos ut Dominus colendus est.
    - II. Justitia Imperii; quâ
      - 1. Jus habet Imperandi, & Obsequium recipiendi.
      - 2. Et Justè Imperare ex naturæ perfectione in se recipit.
    - III. Justitia Amicitiæ: quâ
      - 1. Activè: Bonos & bonum quà tales non amare non potest.
      - 2. Passivè: Ut Optimus, Summo omnium amore Justè est Amandus.
  - III. JUSTITIA Dei *Activa*, sive ab Actionibus denominata: Actiones Dei JUSTÆ dicuntur,
    - 1. Quà *Naturæ suæ*, *Intellectui* & *Voluntati* sunt Congruæ.
    - 2. Quatenus etiam conveniunt inter se, & creata rectè ordinant. Et ità,
      - I. Primitus; Creator omnia fecit Justè (sensu laxiore) quoad rerum naturas, dotes, ordines.
      - II. Deinde,
        - I. Ut Dominus Justè sua actu possidet, utitur & alterat.
        - II. Ut Amator juste Amabilia omnia & sola Amat: At in sensu strictiore.
        - III. Ut Rector Justè,
          - 1. Leges fert, 1. Præcepta; & 2. Retributiones.
          - 2. Judicat juxta Leges, de Actionibus & personis.
          - 3. Exequitur; protegendo, præmiando, puniendo.
      - De Justitiâ Divinâ hæc Lectoris Gratiâ ad sequentium intelligentiam præmittuntur.
- II. HUMANA; derivata, mensurata, subordinata, quæ est itidem,
  - I. JUSTITIA NATURÆ, id est, INCLINATIONUM Rectitudo Ethica; Habitualis vulgo dicta.
  - II. JUSTITIA Relationum antecedentium; quæ consistit in JURE,
    - I. Proprietarii: cujus fundamentum est Justa acquisitio; *viz.* ex qua JUS habetur,
      - 1. Ex se,
        - 1. Generatione vel Naturâ; *viz.* ad liberos, [*Capillos*, &c].
        - 2. Industriâ: occupatione, arte, &c. ad laboris fructus.
      - 2. Ab alio,
        - 1. Ex contractu, ut emptione, &c. vel Merito.
        - 2. Ex Dono; 1. Vel [*absoluto*,] 2. Vel sub Conditione.

      Ubi, 1. Quà *Donum* est; Recipientis *Titulus* est *ipsa Donatio.*
      2. Quà *sub Conditione* datum, *Titulus* sine quo non, est Conditionis præstatio.
    - II. Imperii & subjectionis; cujus fundamentum est Mandatum Divinum.
    - III. Amoris; Cujus fundamentum est Bonitas, id est Amabilitas, 1. Simplex, 2. Respectiva ad alios.

III. JUSTITIA

- III. JUSTITIA Actionum ex hiſce relationibus, (& Relationum conſequentium) *viz.*
  - I. Dominii: 1. Poſſidendi, 2. Utendi, 3. Alterandi, ut alienandi, per donum, contractum, &c.
  - II. Amicitiæ: Activa; juſtè amare & benefacere; Paſſiva, juſtè amari & recipere.
  - III. Politica, vel Regiminis; ubi eſt JUSTITIA,
    - I. Regentium, vel ſuperiorum, éſtque Juſtitia,
      1. *Regulans*: Legum & Mandatorum; cujus fundamentum eſt illa Legum qualitas, quâ Mandato & Legi Divinæ ſunt conformes, & ad finem adaptatæ.
      2. *Judicans*: quæ conſiſtit in conformitate ad Legem ut Regulam judicii.
      3. *Exequens*: quæ conſiſtit in conformitate executionis ad Judicium, Legem & finem.
    - II. SUBDITORUM, *viz.*
      - I. DEI: & Juſtitia ſubditorum ejus diſtribuitur, vel ut eſt Relatio ad Legis Dei,
        - I. PARTES: *viz.*
          - I. Ad Partem Præcipientem & prohibentem, eſt *Juſtitia Regulata*; & ejus Materia eſt Præceptorum *obedientia*; *facere juſſa*, & non *facere prohibita.*
          - II. Ad Partem Judicantem, *viz.*
            1. Ad Partem Pœnalem; ubi JUSTITIA eſt *Non-reatus pœnæ*, vel Jus Impunitatis.
            2. Ad Partem Præmiantem; ubi Juſtitia eſt, Jus habere ad præmium.
            3. Ad Partem Proprietatem regulantem; ubi Juſtitia eſt, Jus habere *Dominii* ità regulati.
        - II. SPECIES,
          - I. Legis naturæ-innocentis Juſtitia eſt vel,
            1. Quoad Partem Præceptivam *Perfecta obedientia* vel Legis impletio.
            2. Quoad Partem Pœnalem, Materialiter eſt eadem perfecta obedientia, Formaliter eſt Jus impunitatis, omni enim peccato pœna debetur.
            3. Quoad Partem præmiantem.
               1. In quantum *Beneficium* eſt, *Donatio* Dei titulus eſt recipientis.
               2. In quantum *Præmium*, *Perfecta Obedientia* eſt *Conditio Tituli*; Jus Præmii forma.
          - II. Legis GRATIÆ Juſtitia eſt vel,
            1. Juſtitia Regulata per Præceptum; *viz.* Perfecta ſanctitas & obedientia (Lex enim perfectionem adhuc præcipit etſi non-ut Conditionem Remiſſionis, &c. & imperfectio privativa culpabilis ſeu peccatum eſt.)
            2. Juſtitia Judicanda, *viz.* Jus Impunitatis & Præmii, ubi,
               1. Quoad Pœnam demeritam,
                  1. Titulus eſt Condonatio ex Chriſti Sacrificio & Merito.
                  2. Tituli Conditio eſt Fœderis Conditionis præſtatio (ut poſtea.)
               2. Quoad Præmium,
                  1. Titulus eſt *Donatio* Dei, ex Chriſti Merito.
                  2. Conditio, tituli, eſt Præſtatio Conditionis Donationis: *viz.*

- I. Fœderis vel Legis Gratiæ Universalis Adami & Noachi *Conditio* fuit.
  - 1. Fides in Deum Misericordem Redemptorem promittentem; & in semen Promissum (ut revelatum.)
  - 2. Resipiscentia, seu sincera obedientia, 1. Incepta, 2. Continuata, secundum illius temporis leges.
- II. Fœderis Particularis,
  - 1. Abrahami; Conditio fuit eadem, 1. Fides, 2. Obedientia, 3. Circumcisio, &c.
  - 2. Mosis,
    - 1. Conditio fuit eadem quoad promissa spiritualia æterna.
    - 2. Conditio Politica boni temporarii fuit, Legis Mosaicæ stricta observatio.
- II. Fœderis Universalis Christi Incarnati Conditio est vel,
  - 1. Primæ beneficiorum receptionis; & hujus Conditio est,
    - 1. Fides in Christum Incarnatum, Crucifixum, Resuscitatum, Glorificatum, &c.
    - 2. Resipiscentia erga Deum.
  - 2. Continuationis beneficiorum fœderis; & hujus Conditio est,
    - 1. Ejusdem Fidei & pœnitentiæ continuatio ad finem usque.
    - 2. Et sanctæ obedientiæ actualis sincera præstatio.
  - 3. Perfectionis & Gloriæ Conditio insuper addenda est, perseverantia & victoria finalis.

II. Subditorum Hominum Justitia, 1. Domestica, 2. Ecclesiastica, 3. Civilis, jam explicatur.

Distributio 2. Quoad SUBJECTUM, est vel,
1. Immediata; Justitia *Causæ*.
2. Principalis; Justitia *Personæ*.

Distributio 3. Quoad Materiam; Justitia personæ est vel,
1. Universalis; Quâ quis universaliter Justus est.
2. Particularis, in re particulari; eáque 1. Maximi momenti, 2. Minimi.

CAP. XXVII.

§. II. *De MERITIS.*

MERITUM est *Aptitudo Moralis* (primò Actionum, deinde Personæ) ad Bonum vel Malum *Naturale* ab altero recipiendum.
Vel est Juris (vel Debiti) justa procuratio vel acquisitio ab alio secundùm leges translationis.
Vel est Dignitas Moralis, Boni aut Mali naturalis.

MERITUM est,

I. Dominii quà talis, *viz.*
- I. Habendi: *viz.*
  - I. A Deo ut primo Domino: Hoc omnino impossibile est, optimo scilicet vel hominum vel Angelorum, mereri à Deo *ut Domino*, vel per Commutationem, vel per Beneficium Deo collatum, vel ullo alio modo (propriè loquendo.)
  - II. Ab Hominibus: Justa acquisitio,
    - 1. Per Commutationem aut Contractum: ubi Pretium est Meritum.
    - 2. Per Beneficia obligantia: quæ loco pretii sunt.
    - 3. Per Bellum (justum scilicet, quod rarum est, præcipue ad hoc.)

III. Coram

III. Coram Hominibus, (quamvis non ab hominibus)
1. Generatione: quâ Proprietas in Liberis acquiritur.
2. Labore seu Operatione: quâ proprietas in effectis & fructibus.
3. Occupatione non alieni.

II. Amittendi (Coram Deo & hominibus:) Quod fit,
1. Per Desertionem rei possessæ.
2. Per Maleficium, Lege puniendum.
3. Per Ingratitudinem erga Donatorem.

II. Amicitiæ, *viz.* Meritum,

I. Amoris: & ita Bonitas quâ talis meretur Amorem Dei & Hominum (in tantum.)

II. Beneficii,
1. Habendi,
1. A Deo; Ità nemo potest mereri: Omnia gratuita sunt.
2. Ab Homine meremur per æqualia beneficia ipsi data.
2. Amittendi; & ità meremur, 1. Ingratitudine, 2. Contemptu & abusu beneficiorum.

III. Politicum,

I. Rectoris: Qui à subditis per bonum regimen meretur, 1. Amorem, 2. Obedientiam, 3. Honorem, 4. Defensionem, 5. Tributa, 6. *Servientiam* quandam.

II. Subditorum: *viz.*

I. Hominum, de quibus hîc non opus est ut differamus.

II. DEI: ubi est,
I. Meritum Pœnæ, *viz.*
1. Secundùm Legem Innocentiæ; per omne peccatum.
2. Secundùm Legem Mosis politicam, per peccata quibus Lex pœnam minata est.
3. Secundùm Legem Gratiæ; Non præstare Conditionem fœderis remediantis.

II. Meritum Præmii,
1. Non qua *Beneficium* est, & quoad *Valorem* rei: Ità enim sine Meritis gratuitò datur, etiam optimis Angelorum; (nec *Commutativè* creatura mereri potest à Deo.)
2. Sed quoad Ordinem donandi; quo Beneficia donanda *Lege ordinantur, viz.*

☞
1. Ad *obedientiæ procurationem*, & tentationes vincendas.
2. Ad *ordinem publicum* ut *finem Regiminis* conservandum.
3. Ad *Justitiam Dei Rectoris demonstrandam*: Et ità dantur juxta Aptitudinem Recipientium. Et ità homo meretur à Deo; (& non aliter) *viz.*

I. In Genere; Præmia fœderis meretur, qui fœderis Conditiones præstat.

II. Specialiter,
1. Fœderis Innocentiæ Meritum, est perfecta innocentia usque ad finem.
2. Legis Mosaici Meritum, erat Boni temporalis, per ejus debitam observantiam.
3. Fœderis Gratiæ Meritum, est Conditionis ejus (in unaquâque editione) præstatio.

Ubi *N. B.* I. Quod Meriti formalis ratio est eadem in omnibus hisce instantiis, *viz.* *Aptitudo moralis* ad præmium juxta fœderis tenorem recipiendum.

II. At quoad Materiales, magnum Meritorum invenitur discrimen; scilicet,
1. Perfecta Innocentia est merendi ratio augustissima: Ità Christus meruit; non peccator.
2. Opera Legis Mosaicæ, strictiore sensu merebantur, quatenus ad Politicum Judicem relata, & ad impunitatem temporariam: Aliter non merebantur, nisi quà pars obedientiæ fœderis Gratiæ.
3. Fides, Pœnitentia, & Obedientia Christiana, sunt Merita in sensu tenuissimo: Quia fœderis Conditio est Grata Receptio Beneficii maximi, gratuitò oblati.

At juxta Justitiam *Commutativam* Blasphemum est dicere, Hominem à Deo proprie Mereri.

CAP.

CAP. XXVII.

§. III. *De triplici* JUSTIFICATIONE; viz. I. *CONSTITUTIVA*, II. *JUDICIARIA*, III. *EXECUTIVA*: *Et* I. *De CONSTITUTIVA.*

Nomen JUSTIFICATIONIS sumitur vel *Activè* pro *Actu Justificantis*, vel *Passivè* pro *Statu Justificati*; si de priore rectè dicamus, posterior indè facilè potest intelligi.

Justificatio Activa est vel *Constitutiva*, *Judiciaria*, vel *Executiva*. I. Justificatio Constitutiva, seu *Justum-faciens*, ex Tabulâ de Justitiâ intelligi potest. Distinguitur, I. Per Normam, II. Per Subjectum, III. Per Actus Justificantes.

I. Norma Justitiæ est,
- I. Originalis; *Natura Dei* (unde Leges) & Voluntatis ipsius Perfectio.
- II. *Voluntas Dei* ut Legibus vel signis declarata.
- III. *Leges ipsæ* ut Voluntatem Dei significantes: Quæ sunt SIGNA,
  - I. Obscuriora: Lex Naturæ, *viz.*
    - 1. Ordo rerum; ex quo Relatio Justitiæ oritur.
    - 2. Specialiter; Natura humana Justa creata ad Imaginem Dei.
  - II. Clariora: Lex Divina Regulans Revelata, jam sæpe distributa.

II. SUBJECTA sunt,
- I. PERSONA Justificata: *viz.* in, per & propter Causam Justificatam.
- II. CAUSA, in, per & propter quam Persona Justificatur: *viz.*
  - 1. Universaliter, quoad omnia.
  - 2. Particulariter quoad quiddam.

In Justificatione autem Hominis coram Deo CAUSÆ constitutivæ sunt, (Causæ dictæ à Juristis)
- I. Natura vel Dispositio interna; Quæ *Justa* fit cùm ad Justa Inclinamur.
- II. Actiones; Quæ fiunt Justæ ex Relatione Conformitatis debitæ ad Normam Justitiæ.
- III. Relationes,
  - I. Antecedentes, fiunt justæ, cùm Beneficia, Dominium, imperium possidentur,
    - 1. Per Benefactoris absolutam Donationem.
    - 2. Per Domini absolutam Dispositionem, aut fidei-commissionem.
    - 3. Per Rectoris Antecedentem absolutam distributionem & mandatum.
  - II. Consequentes,
    - 1. Ad Præmium, vel Beneficium sub Conditione datum: & ità *fit Justus* qui fit jure præmiandus, vel Jus habet ad Præmium.
    - 2. Quoad pœnam: Et ità *fit Justus*, qui fit Jure non-puniendus, vel Jus Impunitatis habet.

III. ACTUS Justificantes distinguuntur, I. Quoad Causas jam enumeratas, II. Quoad modos & gradus.

I. Quoad Causas,
- I. Virtus *Justitiæ dispositivæ Inhærentis* fit per Spiritûs sanctificationem.
- II. Actiones fiunt *Justæ* per has causas conjunctim,
  - 1. Per Operationem Spiritûs sancti disponentem, excitantem, cooperantem.
  - 2. Per Hominis Agentis immediati, agendi rationem, ordinem & modum.
  - 3. Per Legem, ut fundamentum regulans & denominans.
- III. Relationes,
  - I. Antecedentes fiunt Justæ ex Causis priùs enumeratis; (sed ad locum hunc non pertinent.)
  - II. Consequentes,
    - I. Relationes ad Præmium, seu Beneficium sub Conditione datum: ubi,
      - 1. Actus Justificans vel Jus faciens, est *Promissionis*, vel *Donationis* Divinæ *actus subsequens moralis*; quo agit ut Instrumentum Voluntatis Dei.
      - 2. Causa sine quâ non est Conditionis præstatio: (suspensionem removens.

II. Rela-

II. Relationes ad Pœnam; ubi *Justum*, id est, *Non reum pœnæ* faciunt.

I. Legis Actus moralis *Innocentiam* subditi consequens; Qui dicitur *Justificatio Legis non-violatæ*, vel non-condemnatio: & ità Innocentes tantùm justificantur.

II. Rector-Benefactor, Dominus, Condonatione pœnam remittens; Quod facit,

1. Ex mero beneplacito & Amore: & ità fit primus Remissionis Actus; *viz.* Donatione Filii, Mediatoris.
2. Ex Mediatoris,
   1. *Satisfactione*, pœnis peccatoris æquivalente, quoad finem Regiminis.
   2. *Merito*, ex præstantiâ Personæ, operis & pretii.
   3. *Prece*, seu *Intercessione* ad communicationem efficaci.

III. Ubi Condonatio Conditionalis est, præstatio Conditionis est Causa sine qua non.

II. Quoad Modos & gradus, Justificandi actus est vel,

1. Conditionalis (Quæ hîc plerumque præsupponitur:) Estque Justificatio vel Juris datio (suppositâ donatione salvatoris) antecedens fidem.
2. Absoluta, vel actualis: 1. Quando Condonatio est Absoluta, 2. Vel Conditio præstita est.

1. Simpliciter: Quando quoad totam Causam Justificamur; vel in omnibus necessariis.
2. Secundùm quid. Quando pars quædam pœnæ levior remittitur, &c.

1. Salvifica: Quando pœna æterna remittitur.
2. Non salvifica: quando pœna quædam temporalis remittitur, vel in causa particulari leviore quis justificatur.

1. Perfecta: Quæ est tantùm in vita perfectionis.
2. Imperfecta: Quæ est omnis etiam optimorum Justificatio in hac vita (Quicquid contra ogganniunt imperiti.)

CAP. XXVII.

§. IV. *De JUSTIFICATIONE JUDICIARIA.*

II. *JUSTIFICATIO JUDICIARIA est vel,*

I. PRIVATA, merè Discernentium, quo privatus quisque judicat ad actionum suarum directionem; vel de aliis discretivè non decisivè: estque
1. Intra nos: per Conscientiam quæ Justificat, 1. Aliquando verè, 2. Aliquando falsò.
2. Extra nos, 1. Per Angelos, 2. Per homines privatos; 1. Vere, 2. Aut falsò judicantes.

II. PUBLICA; Decidens, *viz.*

I. In foro humano, id est, per Judicium superiorum,
   1. Domestico,
   2. Civili,
   3. Ecclesiastico.

II. In foro DIVINO: ubi Justificamur,

I. MATERIALITER,
   1. Proxime: Per Justitiam constitutam ante delineatam,
      1. Causæ.
      2. Personæ per Causam.
   2. Remote: Per Christi Sacrificium & Justitiam Meritoriam.

II. EFFECTIVE, *viz.*

1. Virtualiter;

- I. Virtualiter; 1. Per Fœdus, Promissionem seu Legem Gratiæ: Quæ primò fidelem justum facit & denominat; deinde quâ Norma Judicii, virtualiter sententiam continet.
- II. Actualiter, *viz.*
  - I. Subservienter, *viz.*
    - 1. Primariò, { 1. Per Christum quatenus Advocatum, { Apologeticé. 2. Per personam ipsam judicandum,
    - 2. Secundariò, { 1. Per Evidentias reales, { ad probationem. 2. Per Testes,
  - II. Finaliter; per JUDICEM, { 1. Supremum simpliciter, DEUM. 2. Supremum derivativè, *viz.* Mediatorem in Naturâ humanâ.
    - *viz.*
      - 1. Per sententiam Conceptam, *viz.* Justos æstimando: Quæ *formaliter* ut est (non ipse Divinus Intellectus ut in se, sed ut Relatus ad Justitiam hominis existentiam) à tempore Justitiæ nostræ existentis incipere denominativè dicenda est.
      - 2. Per sententiam prolatam, (plenè decidentem) { 1. Verbis Christi hominis. 2. Efficaci & irresistibili Illustratione Mentium. 3. Factis seu ipsa Executione de qua proximé.

Species Materiales ex Tabulâ de Justitiâ, & ex post-dictis colligendæ sunt.

CAP. XXVII.

§. V. *De* JUSTIFICATIONE EXECUTIVA *post tractanda, notæ.*

JUSTIFICATIO EXECUTIVA est qua ille qui sententiâ Justificatur, Executione, 1. Magis adhuc declaratur Justus, 2. Et ut Justus publice tractatur, & præmio coronatur.

Etiamsi hæc rarius JUSTIFICATIO nuncupatur, revera tamen est perfectissima Justificationis species, ad quam ut finem cætera conducunt. Et discrimen magnum inter *Judicium* & *Executionem* apud homines, plerumque fit ex humanâ imperfectione. In FAMILIIS enim, ubi ob paucitatem, dependentiam & præsentiam subditorum Reginminis opus est facilius & perfectius, minus est discrimen inter *Judicium* & *Executionem*: Et Paterfamilias simul & semel plerique punitionis (etsi non absque antecedente convictione), & per præmia ipsi judicat præmiandos (etiamsi non sine causâ declarata). Et apud DEUM ubi Regimen est facillimum & perfectissimum, *Sententia* & *Executio* sæpe minus adhuc distinguuntur. Et nomina *Judicii Divini* & *Judicandi* in S. Scripturis sæpe vel *Regimen in Genere*, vel *Executionem in Specie* significant. Et ità Deus Justos palam agnoscendo, laudando, & glorificando, eos perfectissimè Justificat: Et injustos palam rejiciendo & puniendo condemnat. At Justificatio hæc ad Doctrinam de Præmiis & Pœnis referenda est.

CAP. XXVII.

§. VI. *De* CONDEMNATIONE (*secunda Judicii specie*) *in Genere.*

Quoniam CONDEMNATIO (secunda Judicii species) Justificationi contradistincta, ex jam dictis de Justificatione, potest satis intelligi, Lectoris misertus ulteriori ejus explicationi supersedeo. De *Reatu* item, (*culpa* & *pœna*) ut & de *Injustitia*, dicenda prætereo, brevitati studens; quia ex jam dictis de *Meritis* & *Justitiâ*, utriusque Natura & Species satis patent.

Elucidationes

Elucidationes

CAP. XXVII.

§. I. *De Justitiâ.*

§. I. *De Justitia Divina quà nostræ Regula.*

1. DE Justitiâ Divinâ, quamvis loco non suo, hîc quædam Lectoris gratiâ dicta sunt; Quia sine Regula, Regulatum haud rectè intelligitur.

2. *Naturæ Divinæ Perfectio essentialis* est omnis creaturarum Justitiæ Fons primarius; *Voluntas Divina*, ut Libera, in Actione objectivè transeunte, est Fons secundarius; & *Lex Divina*, aut *Signa Voluntatis* ejus, *Fons primus organicus*, seu *tertius*. *Natura* quippe *Divina* per *volitiones liberas* hominibus se ostendit, & *Voluntas* per *Leges*, seu *signa organica*.

3. Justitia igitur humana proximè ad Dei Legem seu Revelationem ut Regulam formaliter relata est; Deinde ad ipsam Divinam Voluntatem, (non omnem, de rerum existentiâ & eventu, sed) Imperantem Legislativam: Et denique ad ipsam Naturam Divinam.

4. Qu. *An dentur rationes Justitiæ æternæ & indispensabiles? Resp.* Quæstio hæc per ingenia confusa nuper multùm agitata, per distinctionis necessariæ auxilia solvenda est. *Bonum morale* sive *Justitia* est vel *Divina transcendens*, vel *Humana*: Prioris non tantum *Ratio* sed & *Existentia* fuit ab æterno. *Ratio* autem hîc vox ambiguæ significationis est. Aut enim *causam Efficientem* significat, aut *Finalem* aut *Formalem*, aut ipsam *existentiam*, aut *futuritionem*, aut nescio quid. *Moralitatis* sive *Justitiæ* humanæ 1. Causa *efficiens materialiter* (si de Deo ita loqui fas est) considerata, *æterna* est: *Deus* scilicet, *Justitiæ causa primi, æternus* est: non autem quà *Causa formaliter*; Ita enim causa non est quæ nondum causat. Causa & effectus simul sunt quoad durationem. Præscientia item & *Decretum* Dei de Justitiâ humanâ futurâ fuerunt ab æterno. Voluntas illa quæ Legis postea causa futura erat, ab æterno fuit. 2. Et si *Deus* causa proprii decreti, Finalis, dici possit, proculdubio æterna fuit. 3. Causa autem *formalis* Justitiæ humanæ non fuit ab æterno; Quia neque Homo, neque ejus Justitia, ideóque nec ejus *forma*, fuit ab æterno. *Esse* autem sine *Existere*, nihil est, præter *esse præcognitum* & *decretum*; ubi nihil omnino verè est, præter *Intellectûs* & *Voluntatis Actum*; & *Actus ille* verè existit. 4. Quoad *existentiam* autem, impossibile est *Justitiam* aut *Bonitatem* ejus *subjecto*, Homine scilicet, antiquiorem esse. *Justitia* omnis est *Alicujus Justitia*. Præter Deum autem Nemo fuit ab æterno. Neque Idea ulla Justitiæ præter ipsius Dei præscientiam, ab æterno fuit, quia *Intellectus* nullus alius fuit, idearum subjectum: Neque Dei fuêre accidentia (saltem præter Relationes.) Immo ab æterno nihil ad quem referretur, extitit. 5. Futuritio autem ipsa Nihil est; Ideóque nullâ eget causâ. Nonne igitur planius diceretur [*Perfectio naturæ Divinæ est fons ille æternus, unde Natura humana justa, Leges justæ, justitiæ humanæ ipsa natura, & omnis justitia actualis ut Relativa in tempore oriunda sunt;*] quàm [*Dantur Rationes justitiæ, seu boni & mali æternæ & indispensabiles?*] Præter hæc autem concessa, quid fingere aut postulare possunt?

5. Operum *Divinorum Justitia* nil aliud est quàm eorum conformitas *Voluntati* & *naturæ* suæ perfectissimæ; & *Juri* suo agendi: Operum autem *humanorum Justitia* est eorum conformitas (materialiter quidem naturæ nostræ primævæ & inter se, at *formaliter*) *Legi, Voluntati* & *Naturæ Divinæ* Regulanti.

6. Quamvis inter Homines Lex propriè sat dicitur tam *Norma Judicii*, quàm *Officii*; Quia Judices ipsi plerumque subditi sunt, quorum *Judicium* est eorum *Officium*; & ipsi Reges sunt subditi Deo, secundum cujus Leges, eorum fabricandæ sunt; & sæpissimè quasi pacto per suas Leges se obstringunt: Deo tamen ex Lege suâ non oritur, propriè dicta *obligatio* (ut rectè notat Aquinas, cum aliis); neq; sibi in Judicando est *Norma* propriè *obligans*; sed Lex Dei est tantum sui propositi certissima patefactio, quæ ideo quidem *Norma Judicii* dici potest, quia est Norma infallibilis humanæ expectationis, utpote Dei fidelissimi, sanctissimi & justissimi prædictio, de sententiâ suâ & ferendâ & exequendâ.

§. II. *De Justitiæ humanæ necessariis quibusdam distinctionibus recitatis, cum earum applicatione ad dubia quædam solvendi.*

1. JUstitia *Antecedens*, à Deo nobis concessa, distinguenda est à *factorum* nostrorum & *Relationum Justitiâ consequente*. E. g. *Justè possidere* naturæ dona à Deo donata, &c. à *Justo* eorum *usu*. De priore nullum fere nobis negotium est in litibus de Justificatione.

2. *Justitia Causæ* distinguenda est à Justitiâ Personæ: sed nunquam separantur: si enim *Causa justa* est, *Persona* inde *quoad hanc Causam justa* est.

3. *Justitia Universalis* distinguenda est à justitiâ *particulari*. Propriè autem nemo mortalium *Universaliter Justus* est, aut per se, aut per alium, per imputationem: sed plerumque Justitia illa *Universalis* dicitur (quamvis non strictè) quæ ex omnium peccatorum remissione oritur, & salutis index est.

4. Justitia prout refertur ad *Partem Legis Præceptivam*, summâ curâ distinguenda est, à Justitiâ ut relatâ ad partem *Retributivam* (vulgò, sanctionem). Priorem nemo mortalium habet (nisi particularem, cum injustitiâ conjunctam) neque *Realiter* neque *Reputativè* (coram Deo.) De posteriore meliorá dicenda sunt.

5. Sicut Pars Legis *Retributiva*, est vel *Præmians*, vel *Punitiva*; Ita *Justitia* ut ad partem hanc Relata, est *Jus* ad *Præmium*, vel *Jus* ad *Impunitatem*: At in Judicio magno Divino hæ ambæ coeunt; & quicunque *jus* habet ad *Impunitatem*, Jus habet ad *Præmium* (Præterquam quòd plerumque *Præmii* privatio est *pœna damni*.)

6. Quoad Partem Legis *Præceptivam*, sicut merum *Præceptum* ab institutione *Conditionis* distinguitur, ita & *Justitia* ut relata ad *Præceptum* quà tale, à Justitiâ ut relatâ ad *Conditionis ordinationem*. Et ita *Necessitas Præcepti* à *Necessitate Medii* ab omnibus jure distinguitur. Omnis Beneficii divini nobis sub Conditione donati, *Conditio* quidem *Officium* est; non autem *omne officium*, *fœderis conditio*: Qui omne præceptum officium præstitit, absolutè justus est (Quod solius Christi est.) Qui *Conditionem* fœderis tantum præstitit, Jus habet ad fœderis promissa. Justitia igitur quæ est præstatio *Præcepti* quà talis, diligenter distinguenda est à Justitia quà *Conditionis præstatione*.

7. *Justitia* item ut ad *Leges distinctas Relata*, necessariò distinguenda est; Scilicet ut ad *Legem Innocentiæ*, aut ad *Legem Gratiæ*. Quoad *Legem Innocentiæ*, eadem erat *Præstatio Præcepti* & *Conditionis*; & Justitia *obedientiæ*, & *conditionis præstitæ*, eadem: In materiâ eâdem etiam erat necessitas *Præcepti* & *Medii*: Quia *Perfecta obedientia* erat *Conditio vitæ*; & uniuscujusque peccati Mors stipendium. At sub fœdere (seu Lege) Gratiæ, longè aliter se res habet. Non jam *perfecta obedientia*, Remissionis, Adoptionis & Glorificationis fit *Conditio*; sed *fidelitas fœderalis*; scilicet *Fides* (& Resipiscentia) per Amorem & sinceram obedientiam tandem operans (sicut antea explicatur.) Nemo igitur jam

Justus

Justus est, quà aut *Præcepta* aut *Conditionem fœderis Innocentiæ* præstitit; neque quà *perfectè* Christi Mediatoris *præcepta* præstitit: (Pars enim *Legis Naturæ Præceptiva* à Christo adhuc continuatur; & obedientia perfectissima à Christo præcipitur, & inde *necessitas præcepti* oritur, & Reatus Culpæ quandocunque peccatum est; At *Conditio Vitæ* & *necessitas Medii* mutatur.) At omnis Justificandus & salvandus, *Justus est*, quoad *Præstationem Conditionis novi fœderis*. Et hæc Justitia *non ab alio præstita* ipsi *imputatur*, sed per *Spiritûs* sancti gratiam ab *ipso præstita* est.

8. Justitia itidem ut *Reatui* opposita, aut est *Non-reatus culpæ*, aut *Non-reatus pœnæ ferendæ*: Justitia nostra *prioris* speciei, tantùm *particularis* & *defectiva* est; At posterioris, juxta Gratiæ fœdus est plenaria (quoad pœnas æternas.)

9. *Justitia Particularis* est vel in re minoris momenti, vel in *ipsâ salutis conditione* præstitâ. *Prior* etiam in *Condemnando* inveniri potest; Posterior non item.

10. Justitia quæ consistit in *Remissione Peccatorum* & *Jure ad vitam æternam quà donatam*, diligentissimè distinguenda est à Justitiâ *particulari personalis præstationis*, jam descriptâ. Prior in Christi ipsius *justitiâ* & *meritis* & *satisfactione*, ut *causâ materiali*, seu efficiente Meritoriâ fundatur; & *Justitia Imputata* à plerisque dicitur; quia non ex *nostri* sed Christi *merito*, per ejus Justitiam & satisfactionem procurata, & gratis nobis ejus gratiâ collata est. Posterior autem necessariò *Personalis* est, & *Inhærens* vulgò dicitur.

11. Hîc igitur cautissimè distinguat Lector 1. Inter eam obedientiæ partem quam *ipse Fidelis* præstat, & ut *præstet* necesse habet; & eam quam præstare quidem *debet*, sed non *ex necessitate Medii*, nec *actu præstat*. 2. Inter *Peccata* per fideles *Commissa*, & *non Commissa*. 3. Inter *Pœnam* fideli *Remissam*, & *non remissam*. Proculdubio quædam *Obedientiæ* pars (*Conditionis* scilicet *præstatio*) ab omni salvando necessariò requiritur: *Perfecta* autem à nemine ut conditio vitæ. Itidem *quædam peccata* à nemine fideli committuntur (saltem *finalis* & *prævalens Infidelitas*, *Impœnitentia*, *Odium Dei* & Sanctitatis, aut Amoris privatio, &c.) Quædam autem peccata proh omnibus adhærent. Et pœnæ itidem aliquæ nemini fidelium remittuntur, *viz.* 1. Quæ peremptorie in omne genus humanum à Deo judice propter peccatum Adami infligendæ, judicatæ fuêrunt; *viz.* Labor, maledictio terræ, mors temporalis, &c. 2. Necessariæ pœnæ castigatoriæ: Pœna autem *æterna*, & *omnis destructiva*, fidelibus remittitur. Hinc facilè patet in quantum Justitia Christi *Imputari*, id est meritoriè & materialiter in Justitiâ Christi ipsius consistere nostra dicenda est, *viz.* *Loco obedientiæ perfectæ* quam nunquam præstitimus, & ad *Remissionem omnium peccatorum*, & pœnarum remissibilium, etiámque ad Spiritum sanctificantem, quo fœderis officia nosmetipsi præstemus, Justitia ipsius Christi est Causa Meritoria; & imputata sensu statim explicando. At 1. Christi Justitia non nobis imputatur, loco necessariæ *nostræ sanctitatis*, id est, Fœderis nostri Baptismalis sinceræ præstationis; Qui enim per se non credit, & resipiscit, & Deum verè amat & colit, & ei sincerè obedit, nunquam per Christi justitiam salvus erit. 2. Neque imputatur ad peccata irremissibilia remittenda; finalem scilicet & prævalentem Infidelitatem, Impœnitentiam & Impietatem: Neque ad peccata ea remittenda quorum *nunquam rei* fuimus. In quantum sincere obediens aliquis est, in tantum *non peccat*; Et in quantum non peccat, in tantum *Remissionis* neque eget neque capax est. Ideóque in tantum Christi Justitia ei ad Remissionem non imputatur. 3. Neque imputatur ad Pœnam *irremissibilem* remittendam; *viz.* Nè moriamur, nè castigemur, nè sub minimo peccati gradu, eatenus Spiritûs sancti operatione orbati, in viâ derelinquamur.

§. III. Qu. *An Justitia ipsius Christi nobis verè Imputetur?*

Resp. 1. DIstinguendum est de sensu nominis 1. Justitiæ, 2. Et Imputationis.

1. Justitia sumitur vel Materialiter, pro Re illâ, quæ justitiæ Christi *Materia* fuit (*Habitu, Actu, Passione*) vel *Formaliter* pro Justitiâ *Relativâ* quà tali.

2. *Imputare* significat vel 1. *Reputare* aut *Judicare* nosmetipsos *eorum Habituum Subjecta* fuisse, & *eorum Actuum individuorum authores*, quos Christus ipse sua personâ & habuit & præstitit. 2. Vel Reputare *eandem individuam Relationem formalem Justitiæ*, quæ Christi fuit, etiam nostri fieri *Justitiam Relativam formalem*. 3. Vel reputare ex Christi sanctis Habitibus, Actibus & Passione, cum Justitiâ ipsius *Formali*, aliam propriam personalem Justitiam unicuique fideli, immediatè ex ipsius Christi præstatione, sine aliâ collatione Divinâ, resultare; Quia scilicet Christus in nostrâ personâ, sensu politico, ea præstitit. 4. Aut denique propter Christi Justitiam ut *Causam promerentem*, novum fœdus stabiliri, quo ut instrumento peccata remittantur, & jus adoptionis & vitæ æternæ donetur, & quo fideles hujus juris actu fiant participes; & Reputari hoc Christi meritum & satisfactionem, *æquè valere* ad fidelium condonationem & Jus vitæ, *hoc modo conferendum*, acsi ab ipsis præstita fuisset; & Reputari fideles *tam justè* per novum fœdus à Deo, propter Christi satisfactionem & merita, justificandos esse, quàm si ab ipsis forent præstita.

1. In sensu primo Christi Justitia nobis non imputatur: Deus enim Omniscius nunquam fallitur, nec falsum judicat vel dicit.

2. Neque in secundo sensu sine errore eam Imputari nobis est possibile: Quia diversorum subjectorum diversa sunt Accidentia: Impossibile est eandem individuam Relationem esse diversarum personarum.

Obj. *At ex unione mysticâ Christus & fideles, unum sunt.* *Resp.* In quantum unum quid fiunt, in tantum eadem habent accidentia: At non fiunt *una persona*, non *unus Christus*, non unus Mediator, unus Rex, unum *Caput Ecclesiæ*, unus Deus incarnatus, unus ex Virgine natus, perfectè obediens, crucifixus, resuscitatus, glorificatus, pro hominibus intercedens, qui regnum Patri tradet, quando mortuos resuscitabit & judicabit, &c. Ideóque nec unum suppositum Justitiæ individuæ subjectum: Sed unio nostra cum Christo est *Politica, Relativa*, cum ejusdem Spiritûs sancti *reali* participatione: At *Regis* & *subditi, Mariti* & *Uxoris* non eadem est *Justitia personalis* propter *unionem:* neque *Solis* & *Rosæ* eadem propria sunt attributa, aut Solis operationes Rosæ imputatæ sunt, propter influxum solarem: Et si ejusdem Spiritûs Receptio (qui Patris etiam Spiritus est, & *ipse Deus*) nos unum cum Christo accidentium individuorum & attributorum *subjectum* faceret, tùnc pari ratione unusquisque fidelium est ipse Spiritus sanctus, ipse Deus, ipse Christus, Omnipotens, Omniscius, qui nunquam peccavit, nunquam peccatorum remissionis fuit indigens, &c. Unitas corporis mystici & politici non facit omnia membra unum membrum, unum caput, unum cor, &c. sed *unum Corpus*, *unum Regnum*, &c. Attributa igitur & Accidentia, *non Capitis* sed *Corporis*, non *Regis* sed *Regni* quodammodo respectivè sunt communia; & uniuscujusque individui membri quà talis, sua propria.

3. Neque modo tertio Christi Justitia nobis Imputatur: Quia sicut *nostri* non est *in se*, sed in *effectis*, ita & *nostri* non fit quoad Jus, ex nudâ præstatione immediate, sed ex Divinâ per fœdus novum donatione: Quod probatur 1. Ex omnibus argumentis quibus probatur Infideles, impœnitentes, non-fœderatos, non esse justos, sed sub legis condemnatione. 2. Ex ipsius Fœderis tenore, ubi expresse Remissio peccatorum, & Jus ad vitam æternam à Deo donantur: Quod incongruè & frustra fieret, si jam antea hæc nostra fuissent. Præcipuè si id sub *Conditione* donaretur, quæ nostra fuit absolutè & possessione. Notandum autem

tem eſt, ſi hoc tertio ſenſu verum eſſet Chriſti Juſtitiam nobis imputari, *ad modum communicandi* & *Jus recipiendi* tantum quod attinet, à quarto diſſideret; & contra proprietatem noſtram in eadem ipſâ individuâ Chriſti Juſtitiâ, aut Materiali aut Formali, contra primum & ſecundum ſenſum, cum tertio convenit.

4. In quarto autem ſenſu, verum eſt, & fidei Chriſti næ, ni fallor, eſſentiale, Chriſti Juſtitiam nobis Imputari.

3. De *phraſi* autem, quia non eſt ſacræ Scripturæ (quæ nullibi dicit *Chriſti Juſtitiam nobis Imputari*) neceſſe non eſt ut lis oriatur: Siquis enim huic phraſi conſentire aut ſubſcribere nollet, minime cogendus eſt; 1. Quia eſſentialitas & neceſſitas articulorum fidei, non eſt in individuis verbis, ſed in ſenſu: 2. Quia alia adſunt verba rem eandem non minus, (ſi non multò magis) clarè ſignificantia: 3. Quia Chriſtianorum non eſt ſacras Literas, quaſi in neceſſariis defectivas, incuſare; & ſufficientiam ejus organicam negare.

4. Phraſin hanc autem rectè explicatam neminem repudiare decet.

---

§. IV. Qu. *Quænam Chriſti Juſtitia nobis imputatur.* 1. *An tantum Paſſiva?* 2. *Vel etiam Activa*, 3. *An etiam Habitualis*, 4. *An etiam Divina*; 5. *Et an formaliter noſtra?*

Reſp. SI in quæſtione de ſenſu *Imputationis* erratur, hæc etiam inexplicabilis erit: ſuppoſitis autem jam probatis (præcipue nullam Chriſti ipſius Juſtitiam perſonalem fieri noſtram *in ſe*, ſed in *effectis*) reſponſio facilis eſt: viz. *Juſtitia Chriſti & Paſſiva* (ita dicta) *& Activa, & Habitualis, & in Materiâ & formaliter quà Juſtitia conſiderata, etiam maximè ex unione naturæ humanæ Juſtæ, cum Naturâ Divinâ eſſentialiter Juſtiſſimâ quoad dignitatem exaltata conjunctim eſt unum Juſtificationis noſtræ promeritum, vel cauſa una meritoria*: Hæc vera, & clara ſunt, neque pluribus opus eſt.

Quod autem Chriſti Juſtitia non *in ſe* ſed in *effectis*, fit noſtra, præter jam dicta patet: 1. Quia aliter non fieret juſtitiæ noſtræ cauſa Meritoria; quod falſum eſt: Cauſa enim *meritoria* non eſt cauſa formalis. 2. Quia *nullam* reddit *remiſſionem* peccatorum: Qui enim reputatur per alium totam impleviſſe Legem, obedientiâ perfectiſſimâ, is reputatur nunquam peccâſſe; ideóque Remiſſionis incapax eſſet. 3. Quia *pretium* & *meritum* non nobis, ſed Deo ſoluta ſunt, ut Deus nobis eorum gratiâ peccata condonaret, & juſtificaret. Sicut qui captivum redimit, *Pretium* dat *Poſſeſſori*, ut is *Libertatem* det captivo. At dum Libertas & juſtitia nobis dantur, per ſatisfactionem & Juſtitiam Chriſti pro merito improprie & quoad effectum, & ipſa ſatisfactio, & meritoria obedientia nobis dari dicuntur, quia *pro nobis* dantur.

---

§. V. *An Juſtitia Chriſti imputata, ſit Tota Juſtitia ex quâ juſtificamur.*

Reſp. LY [*ex quâ*] proprie omnem Juſtificationis cauſam & rationem ſignificat: & ita quæſtio neganda eſt. Nemo enim ſanus unquam vel ſomniavit Chriſti Juſtitiam perſonalem eſſe omnimodam noſtram juſtitiam ex quâ in genere cauſæ uniuſquiſque juſtificamur. Juſtitia Chriſti eſt Tota & ſola illa Juſtitia, ex quâ ut causâ *meritoria*, *Fœdus* peccata remittens & jus vitæ donans, promeritum erat: & per fœdus

dus hoc, ut Dei Instrumentum, non per aliqualem nostram Justitiam, sed per Christi Meritum procuratum, justificamur. At Fœdus hoc Beneficia illa sub Conditione *Fidei & pœnitentiæ* tantùm donat: Et conditionem hanc præstare, est eatenus Justum esse: Et Justitia hæc quæ consistit in Conditionis præstatione, est Conditio Juris nostri ad fœderis beneficia: Et est Conformitas nostra ad eam Legis Gratiæ partem, quæ Conditionem Justificationis & vitæ instituit. Et quando quis Accusatur, de Infidelitate & Impœnitentia finali, & de non-præstitâ Promissi Conditione, ex ipsâ præstatione, scilicet, ex ipsâ fide & pœnitentiâ justificandus est, & non solam Christi Justitiam allegando.

Accusatio multiplex contra peccatorem institui (aut vere aut falso) potest. 1. De Lege Innocentiæ violatâ; (quod fatendum est, & contra quam nulla datur justificatio). 2. Quòd juxta sensum comminationis Legis violatæ, *Reus condemnandus* est; Quod fatendum est quoad Legem illam in se seorsim consideratam; sed negandum tamen, quia datur *Remissio peccatorum.* 3. Si diceret Satanas adversarius *Remissionem non dari*, ostendendum est *Fœdus Condonans*, per quod *Remissio* datur. 4. Si dicat, non *Juste* dari tale *fœdus* & talem *Remissionem*, ostendendæ sunt Christi satisfactio, & Justitia Meritoria per quas procuratum est: Et ita ab hac calumnia justificabimur. 5. At si dicat, hujus fœderis seu Promissionis Jus & Beneficia *nostra non esse*, simul ostendendæ sunt & Promissionis conditionalis *Universalitas*, & *Conditionis nostra sincera præstatio:* Et ex hisce, & hoc modo, juxta institutum Divinum omnis fidelis Justificandus est.

Et qui non Justificatur contra Accusationem *Infidelitatis* & *Impœnitentiæ* finalis, ex ipsâ Fide suâ & pœnitentiâ, is nunquam per Christi Justitiam justificabitur, contra accusationem de peccatis nondum remissis, & de Morte æternâ sibi debitâ & adjudicandâ. Si Fœdus seu Lex Gratiæ vera Lex est; & si de salutis & Justificationis conditione statuit, conditionis hujus præstatio erit veri nominis Justitia: Particularis quidem; at talis ex quâ, ut ex conditione præstita, Justificatio & salus nostra pendet.

---

§. VI. Qu. *An Fides nostra nobis imputatur à Deo ad Justitiam? Et quo sensu.*

Resp. QUod Fides ad Justitiam imputatur, sacræ Literæ expresse & sæpe dicunt: *viz.* Rom. 4. 22, 23, 24. Jac. 2. 23. Et S. Scriptura non est neganda sed explicanda. Justitia, eáque sine operibus, dicitur imputari: Peccatum dicitur, credenti non-imputari; & Fides dicitur ad Justitiam imputari: & omnia hæc vera sunt. Dei autem *Imputare* non est falsò, sed verè, aliquid *Reputare* vel *Adjudicare.*

Qui dicunt ideo *Fidem Imputari* ad *Justitiam*, dici, quia nullo modo *Fides*, sed *Christi Justitia* fidei objectum ita nobis imputatur, sine necessitate & contra jus & verum, Scripturæ, dum eam interpretari debent, crimen falsi impingunt. *Christi* quippe *Justitia sola*, in genere causæ promeritoriæ, fœderis justificantis, antè descriptæ, nobis Justificationis Causa est: Neque Fidei pars minima officii aut honoris, qui Christi Justitiæ est, adscribenda est. At *fœdus Dei* & Jus Remissionis, Justificationis & Vitæ, sub Conditione Fidei nobis donat: Et Conditionis hujus fœderis præstatio est *quædam Justitia* particularis, sed ex quâ vita pendet: Et Deus eam Reputat & Judicat id esse quod verè est: Neque Christi ipsius Justitia nobis erit loco fidei.

Lector autem veritatis amator, & Fœderum Divinorum non omnino ignarus, facilè cernet, has diversas *Justitias* non esse *contrarias*, vel *adversas*, non *coordinatas*, sed per sapientissimi Dei ipsius ordinationem ita conjunctas, ut *Fides* nostra, seu *Præstatio Conditionis* fœderis Evangelici, *subordinata* sit Justitiæ, seu

Meritis

Meritis Christi, ut *Medium necessarium* per *quod* (& sine quo non) Beneficiorum *Jus* nostrum fit. Qui veniam & vitam condemnato promeretur, & donat sub conditione *Acceptationis* & *Gratitudinis*; non *Gratitudinem* & *Acceptationem* ponit suo Dono *adversam* aut coordinatam.

Qu. *Anne verò Fides nostra, vel potiùs Justitia sola Christi, Imputatur loco Justitiæ perfectæ Legis Innocentiæ? Resp.* Neque Christi Justitia, neque fides est adæquatè & in *omni respectu*, loco *perfectæ Innocentiæ*. Neutra enim usquequaque nobis eadem est, & in eandem Relationem nos ponit, in quâ per ipsam perfectam innocentiam fuissemus: Quod nulli intelligenti probatione eget; ideóque instantias prætermitto. At *Justitia* & *Meritum* Christi in tantum est loco *perfectæ innocentiæ*, ut *ei soli* ut *causæ meritoriæ* debeamus, quod mundus propter peccatum non periit; quod *meritum tale* aut *satisfactio* à nobis non exigitur; quod *perfecta obedientia* jam ut ad vitam *necessaria* non requiritur; quod *fœdus* omnia peccata fidelibus condonans, fit gratuitò, sine ullo nostro merito; & quod Deus non obstante comminatione primæ Legis, non obstante peccato Adami, non obstante omni verè fidelium peccato, non obstante omni salutis nostræ inimico, non obstante denique suâ Justitiâ, & Jure puniendi, peccatoribus sui inimicis, gratis omnia peccata remittit, sub conditione Fidei; & Spiritum suum donat quo fidem etiam præstemus.

At *subditi* tamen adhuc sumus; & non sine Rege, sine Lege, sine officio præstando; Ideóque *Jus Remissionis* & *Vitæ* datur *sub Conditione*; cujus præstatio *Personalis* planè necessaria est: Suppositâ igitur Christi Justitiâ & Merito, à nobisipsis nil amplius requiritur quàm Conditionis hujus Evangelicæ præstatio. Et ita nil ampliùs de fidei Imputatione dicimus, quàm hanc esse id ipsum quod à nobisipsis personaliter præstandum sub pœnâ mortis æternæ adhuc etiam in fœdere condonante exigitur.

In Vitæ & Justificationis scilicet dono consideranda sunt duo; I. *Beneficii Valor* seu *Bonitas*; & hujus quidem quà talis *Dei ipsius Amor*, & *Benignitas* causa est; & nulla omnino nostra merita. II. *Ordo necessarius* Beneficia ea conferendi, *viz.* 1. Per Deum non adhuc peccato lacessitum; 2. Per Deum à peccato injuriâ affectum; 3. Per Deum qui propter Christum *sub Acceptationis* conditione Remissionem & Vitam jam mundo donavit.

Et de primo quidem constat, si homo non peccâsset, ipsius Innocentiam seu perfectam obedientiam, futuram fuisse rationem meritoriam Beneficii vitæ recipiendi: Non tamen quà *Beneficii* seu *Boni* simpliciter: Ita enim Dei *Donum omnino Gratuitum* Adamo fuisset; & ipsis Angelis tale est eorum Beatitudo: Sed *quoad Ordinem conferendi*, per modum *Præmii* vita Adamo innocenti danda fuisset.

De secundo autem, Christianis extra controversiam positum est, Deum peccati injuriâ jam affectum non aliter Remissionem & Vitam mundo seu peccatoribus concessisse, nisi per fœdus Gratiæ condonans, quod solùm per Christi sanguinem & justitiam promeritum est; Hic etiam Doni quà Doni & Boni simpliciter *Dei Amor* fons & causa totalis fuit, & Christus ipse Doni pars: At quoad *Ordinem Conferendi*, per Christi *Meritum* impedimenta removentur, & omnia Christo ut *Præmium* ejus Meriti, traduntur; & ejus gratiâ & per ipsum fœdus donans & condonans Redemptis conceditur & stabilitur; per quod peccata conditionaliter primò, & actualiter postea (conditione præstitâ) remittuntur.

De tertiâ autem instantiâ constat, Quoad *valorem beneficii*, aut *ordinem principalem* conferendi, Dei Amorem, & Christi Meritum, sine hominis fide, causas esse: At quoad *Ordinem conferendi secundarium*, Fœdus Gratiæ ita Fideles ab Infidelibus discriminâsse constat, ut Fidelibus Remissio & Jus Vitæ æternæ per modum præmii tribuantur.

Et horum omnium Ratio fundamentalis est, Quod idem Deus, est *Dominus*, *Benefactor* & *Rector*: Et quà *Dominus* & *Benefactor*, sua libere, & sine omni creaturæ merito donat: Neque à *Deo* ut à *Domino* aut *Benefactore* propriè mereri

(aliter

(aliter quàm per Congruitatem qui *Bonus* est, *Amabilis* est,) omnino possibile est: Hoc enim esset mereri juxta *Justitiam Commutativam*, & aliquid Deo dare in *sui Commodum*, quod *suum* non erat. Et ita nè Angeli, aut ipse Christus Homo, à Deo aliquid mereri possunt. At idem *Deus quà Rector Donorum suorum conferendorum Ordinem Lege instituit*; & ita dum Beneficium quà Beneficium est à Domino-Benefactore quà tali, Beneficia quà *Ordine*, ad fines Regiminis utiles conferenda, sunt à *Rectore*; & per modum *præmii* donantur, *viz.* Adamo perseveranti fuissent Præmia suæ *Innocentiæ*; Christo ipsi Redemptori præmia erant ejus meriti; & Fidelibus, à Lege Gratiæ sunt præmia fidei, suppositis Christi meritis & præmiis, & Donis à Patre & Redemptore quoad Rei valorem sine omni nostro merito priùs donatis. De quibus plura postea.

Elucidationes

CAP. XXVII.

§. II. *De Meritis.*

1. DE Meritis humanis adeò clara & certa sunt quæ in Tab. dicuntur, ut quid ad majorem explicationem addendum sit, vix conjecturâ autumare possum. Lis tota quidem de meritorum Realitate inter Papistas, & Reformatos agitata, non causæ difficultatem, quæ ferè nulla, vel saltem minima est; sed mentium ex suspicione, irâ, alienatione, contentione dyscolian, ἐκ τῆς ἐνδολχῆς ἀμετείαν indicat, & ex parte altera proterviam in ista quæ imprudenter semel dixerunt defendendo.

2. Imprimis cautè distinguenda est *Lis de Nomine* & *de Re*. Quoad *Meriti nomen*, ex se, (rectè explicatum) non ineptum est; & quando ex effectis seu per accidens fit inconveniens, vix aptius, (si aliud) ex Latinæ & Anglicæ Linguæ penuriâ) ad idem significandum invenitur. Patres quidem ecclesiæ veteres, nemine cujus memini contradicente, *meriti* nomine usi sunt: Et in eorum sensu usurpatum vera significat.

3. At ex Papistarum doctrinis & moribus quibusdam superstitiosis & periculosis, ipsum nomen Reformatis utplurimum quasi pravæ significationis suspectum est: & proculdubio quando usus ejus ad pravas opiniones fovendas, potiùs quàm ad verum promovendum, & mentes conciliandas, conducit, ex prudentiâ & zelo Christiano devitandum est. Media enim omnia, ad finem sunt aptanda.

4. In hisce verò casibus ejus usus haud tutus æstimandus est: 1. Inter homines erroneos qui hinc in pravis suis dogmatibus obfirmati forent: 2. Inter infirmos humanorum meritorum oppugnatores, quibus nomen quasi malæ significationis pro offendiculo est. 3. Et ubi nulla ejus usûs est necessitas, ex majore præponderante bono. 4. Maxime verò quando ex usu reverâ male significat, aut ex abusu, aut necessariæ explicationis omissione, ex ore loquentis, ita significare verisimile est.

Et è contra ejus usus tutus est, 1. Inter orthodoxos, ubi nullum errorem aut sapit aut fovet; 2. Inter gnaros & prudentes, quibus non scandalo futurum est; 3. Ex ore Orthodoxi, & debitè (si res exigat) explicantis; 4. Aut ubi Ratio veri explicandi aut defendendi, aut male-intelligentes informandi, aut dissidentes reconciliandi, contra omnia mala accidentia præponderat; explicatione debitâ semper suppositâ.

Vide Grot. *in* Matth. 6. 3. *&* *in* Jac. 2. 14. *&* *Martinium in Verbo Mereor, & Merito.*

5. Mihi quidem vix aliud nomen notum est, quod omni ex parte [*Meriti*] vicem suppleat: Proximè autem ad hunc usum accedit [*Dignitas*], quod tamen

men vix meliùs audit inter ſuſpicioſos, neque uſquequaque ad uſum hunc quadratum.

6. Niſi ἀξία aut μισθὸς, aut δίκαιον huic uſui apta fuit, neſcio equidem quod nomen Græcum ſine periphraſi aut metaphorâ, &c. *Meritum* ſignificat. Nomina autem hæc tria in S. Scripturâ frequentioris uſus ſunt; nec aliter ea Anglice transferre potuimus, quàm per [*Worthy*, *Reward*, & *Juſt.*] Nullus autem Heterodoxorum abuſus, S. Scripturæ nomina aut contemnere, aut incuſare, aut rejicere, omnino nobis licitum reddet. Neque per Anglicum [*Worthy*] aliud ſignificatur hic quam per Latinum [*Meritum*] activè ſumptum; neque per [*Reward*] aliud quam *meritum Paſſive*; & qui [*Worthy* & *Reward*] benignè & candide interpretari poſſunt, pari ratione de nomine [*Meritum*] idem facerent.

Vid. 2 Theſſ. 1. 6, 7, 8. 2 Tim. 4. 8. Heb. 6. 10. 2 Theſſ. 1. 5. Luc. 20. 35. & 21. 36. & 10. 7. Rom. 1. 32. Rev. 3. 4. 1 Tim. 1. 18. Heb. 11. 6, 26, Mat. 5. 12. & 10. 42. Luc. 6. 35. 1 Cor. 3. 14.

7. De *nomine* hæc hactenùs: De reipsâ autem deſcriptio *Meriti* in Tab. ſatis patet: At analogice *meritum* etiam naturalibus & inanimis ſeu brutis adſcribitur: Et ita Rei uniuſcujuſque Bonitas quà talis *Amorem* & *Laudem* meretur; id eſt *Amoris* & *Laudis* objectum eſt: Et *Canis* analogice obediens, analogice item *Amorem* & *Laudem* meretur. At meritum propriè & univoce dictum, eſt tantùm Intellectualium libere-agentium.

8. Meritum quoddam creaturæ ita Liberi arbitrii eſt, ut ſimul etiam Materiâ ut exiſtente ſuppoſitâ, naturalis & neceſſariæ reſultantiæ ſit: Ex rei ſcilicet naturâ, & Divini perfectione: E. g. Dei ipſius Imago in Chriſto, in Beatis, in unoquoque ſancto, vere Bona eſt; & omne vere Bonum, quà Bonum, Amabile & Laudabile eſt; neque aliter fieri poteſt quin Bonum quà Bonum à Deo Optimo juſtiſſimo Ametur: Quod idem eſt ac ſi dicerem, Bonum quà Bonum Amore & Laude vere dignum eſt, ſive Amorem & Laudem meretur.

9. At de *merito Politico*, ſi noſmet ipſos intelligimus, inter diſſidentes maxime negotium eſt: De quo jam dicta ad Cap. 26. §. 6. rem totam aperte ſatis expedire poſſint. Diſtinguendum eſt ſcilicet inter *Deum* quà *Proprietarium-Benefactorem*, & quà *Rectorem*: Item inter Beneficium quà tale & quoad Rei *Valorem*, & quoad *Ordinem* & *Rationes Rectrices* conferendi. Iterum dicam, Impoſſibile eſt creaturam aliquam Bonum aliquod à Deo recipere, quod non omnino gratuitum eſt & ex abſolutâ ejus Benignitate datum. Et juxta Juſtitiam Commutativam, quæ Dominium & partis utriuſque Commodum reſpicit, neque Angeli neque Chriſtus Homo à Deo vel minimum mereri poſſunt; & contrarium aſſerere eſt vel delirare vel blaſphemare. At *Deus-Proprietarius-Benefactor*, eſt idem etiam *Rector*: & quà *Rector* Leges ſeu fœdera ſtatuit, de *ordine* Beneficiorum ſuorum gratuitò datorum, conferendorum: Ad Gloriam autem Rectoris, ad Obedientiæ promotionem, & peccati depulſionem, & obedientium fœlicitatem, & Regni ſui bonum publicum hic ordo, hæ leges inſtituuntur. Deus enim qui *Potentiſſimus* & *Optimus* eſt, etiam *Sapientiſſimus*: & per *Sapientiæ* demonſtrationem, res ordinabit, ſicut & per *Potentiæ Optimitatis* ſeu *Amoris* demonſtrationem, *Bona, quà Bona* gratuitò conferet. Quatenùs igitur non ipſam rem quà mere Bonum & Donum, ſed *Conferendi Ordinem* & Rationes *Rectrices* reſpicimus, qui obedientiam eam præſtat, quæ ex tenore Legis, fœderis, promiſſionis, fit Conditio Beneficii recipiendi, is vere *mereri* dicitur, & ejus Præſtatio *Meritum* dicendum eſt.

10. Theologi Reformati plurimi, dum Pontificios refutantes, *meritum* deſcribunt, quaſi ſemper in *re non prius ſuâ, aut debitâ*, & ad *recipientis commodum*, &c. inventum, plane de ſolo *Merito Commutativo* loquuntur: At nomen Generale ad ſpeciem unicam limitare non decet. Et pauculi Pontificii iſti qui Meritum Commutativum aſſerunt, aut quid dicunt ipſi neſciunt, aut (cum quibuſdam ſcriptoribus) diſtinctionem Juſtitiæ Commutativæ & Diſtributivæ peſſime explicant, aut errando inſaniunt.

11. Sepoſitâ lite de nomine, quis ſobrius negabit, Quoad *Meritum Amicitiæ*, Bonum quà Bonum (quamvis non perfectum) Approbatione, Amore & Laude dignum eſſe potius quam Malum? Quis negabit, (ſuppoſito ſaltem fœdere

Gratiæ) vere-fidelem & sanctum, *aptitudinem* habere *Moralem* ad *præmium fœdere promissum recipiendum*; à *Deo Rectore*, qui Dona sua Gratuita, tali ordine donare decrevit, quo fines Regiminis optime obtineantur? Infidelem vero & Impium talem aptitudinem non habere? Quandoquidem *Præmium* non dicitur simpliciter, *quà Bonum Collatum* (ita enim *Donum* est); sed quà *ordine hoc, ad hos fines, huic* potiùs quam *alii*, à Largitore, qui etiam Rector est, collatum? Quis negat Aptitudinem hanc moralem, esse etiam *Moralem dignitatem*, & ita sæpe in S. Literis vocari? Denique quis negat fidelem esse *Præmiabilem*? & Jus habere ad Fœderis Beneficia, ex Conditionis præstatione? Et cum hisce descriptionibus Res ipsa innotescit; de *Nomine Meriti* tantum restat contendendi locus.

12. Et inter homines quando ex mero Amore Pater Filio morigero aurum promittit sub conditione, [*si gratias agat, & decenter se gerat*] immorigero autem, conditionem non præstanti, sua Dona subtrahit; Quis filium morigerum, amantem, gratum, non dicat præmio Dignum esse, seu id *mereri*? Immorigerum autem eo indignum esse? Filii autem à Patre *Commutativè*, sive per pretium sive per beneficium, vel per opus aliquod Patri utile, minimè merentur; sed Pater qui ex *Amore Beneficia* filiis donabit, quia tamen *Rector* eorum, *Sapiens & Justus*, non nisi *Moraliter aptis*, vel *dignis* ea donabit, nè per dona sua, vitia foveat, & dum Benignus est, Injustus & Imprudens fiat: Obedientia filii à Rectore Patre, Mereri dicitur, tantum quà *Rectore*, qui dignos distinguit ab indignis, & ita *Dona Gratuita* per Legem facit esse *Præmia*.

13. Quamvis autem nullum omnino Commodum ex obedientiâ humanâ Deo redundare potest, *sanctitatis* tamen & *obedientiæ congruitas Naturæ & Voluntati* Divinæ, est *Bonitas Moralis*; & *Bonitas* ejus est *Dignitas Materiæ*, sicut *Relatio* ejus ad Promissionem fœderis, est *Dignitas proxima* vel *formalis*, seu *Præmii* recipiendi ultima capacitas & aptitudo.

14. Non enim à pio aliquo opinandum est Deum sanctissimum adeo *indifferentem* esse ad *sui Amorem* & *sui Odium*, ad *Sanctitatem* & *Impietatem*, & Imaginem sui, & diaboli, ut nullam omninò in rebus ipsis differentiam esse judicet, nec alteram alterâ majorem habere Amoris, Laudis & præmii Dignitatem, seu aptitudinem moralem. *Commodum* enim *humanum non tanti* est ad justitiam *Commutativam* honorandam, quanti *sanctissimæ Voluntatis* Divinæ *Complacentia* est, ad *Justitiam Rectricem* à Deo observandam. Neque Deus per Gratiæ fœdus vitam *Fideli* & *pio* magis quam *Infideli* & *Impio* promisisset, nisi ex naturâ rei *Fides* & *Pietas*, ipsi magis fuissent amabiles, quam Infidelitas & Impietas: Neq; unquam homini dixit, Quamvis ex natura rei *Deum amare & odio habere*, sunt paria, tamen ob prius homines salvabuntur, & ob posterius damnabuntur.

15. Immo ipsâ rerum *Naturalis Differentia*, ut ad Deum Rectorem & hominem subditum relata, est ipsissima Lex Naturæ, Lege positivâ prior. Ideoque sanctitatis Dignitas hic consistit, in ipsa ejus Natura, quà est Imago Divina: Ideóque Deo grata & amabilis quin sit, est omnino impossibile.

16. Hisce addendum est, *Ipsum Præmium promissum* nil aliud esse, quam æternum Dei *Amorem* & *favorem* cum ejus effectibus. At prius ostensum est, Bonum quà Bonum, & Dei Imaginem, necessario & ex naturâ rei Deo *Amabile* esse: Ideóque *præmiabile*, si præmium est *Amari*.

17. Ex hisce via patet ad controversias omnes de Meritis ex Congruo, & ex Condigno, & de operis ipsius *Dignitate*, inter sobrios, & veritatis amatores, finiendas. Omnis quippe Operis condignitas consistit in Congruitate ejus ad *Legem, Voluntatem & Naturam* Divinam: Commodum seu fœlicitas Deo à creaturarum (etiam Christi) operibus accedere non potest. Nihil nisi plenè suum, à Creaturâ quâcunque Deus accipere potest. Nil Boni nobis obvenire nisi ex Amore & Benignitate Divinâ ut Donum plene Gratuitum, possibile est. Nil Boni in rerum naturâ est præter Deum & à Dei perfectione & voluntate profectum, & ex Gratiâ & influxu ejus à creaturis operatum. De *modo* conferendi, seu de *ordine* & *ratione* Donorum Divinorum, lis etiam inter sobrios oriri potest.

test. An autem aliquid Boni habemus, aut *Inhærentis* aut *Imputati*, scilicet aut Sanctitatem aut Justificationem, aut Jus ad præmium, quod non ut Donum Gratuitum à Deo Optimo accepimus, à nemine sobrio aut affirmatur aut dubitatur.

18. Operum autem seu sanctitatis *Dignitas* omnino asserenda est, nisi contra Dei & *Fidelitatem* & *Sanctitatem* erimus Blasphemi. Deus quippe 1. Sanctitatem amat, 2. Deinde sanctis præmium promisit. At Dignitas nil aliud est, nisi *Relatio* hæc duplex: 1. Ad Dei *sanctam Naturam, Voluntatem* & *Legem-præcipientem*: Et ita *Dignitas* nil aliud est nisi *Bonitas* & *Amabilitas*: 2. *Ad Dei Promissiones*: & ita *Dignitas* nil aliud est nisi *Conditionem doni gratuiti præstitisse*, & *Impedimentum Receptionis* amovisse.

19. Quod autem [*sui commodum*] est, ad *Justitiam Commutativam* exercendam, hoc [*Bonitas*] seu [*Amabilitas*] est ad *Amorem exercendum*, unde *Beneficiorum* origo; & hoc idem est [*Finis Regiminis*] ad *Justitiam Rectricem*: Et quamvis Amor Divinus est primò *Communicativus* & *Efficiens* & *Creativus Boni*, priusquam in *Bono existente* complaceatur, (Quod enim *non est*, non *placens* aut *amabile* aut *bonum* est; & nihil aut *est* aut *bonum est*, quod non à *Dei bonitate* & *voluntate* profluit); & ita à quibusdam *Deus* dicitur, aut *Amando Nihil, creare aliquid* ex nihilo; aut (meliùs) ex Amore prægnante & Amante-Rerum-Ideas in Mente Divinâ, creare res dehinc existentes & amabiles in se; De complacentiâ tamen Divinâ in rebus jam existentibus & amabilibus, discursus hic noster solum intelligendus est, de operum dignitate seu amabilitate.

20. Inter *Amabilitatem Actus* autem & *Amabilitatem personæ*, sicut & inter *Amare* seu *Placeri secundum quid*, & *simpliciter*, plurimum interest: Quamvis enim etiam ex necessitate voluntariâ Naturæ suæ perfectæ, Deus amat Adamum innocentem, perdere tamen potuit Adamum peccantem: Et quamvis amat Bonum qualecunque in homine irregenito, non sequitur tamen quod *eundem* non odio habeat & perdat quà *malum*: Quando Actûs Bonitas talis est, quæ non facit *Hominem bonum*, Deus necessario amat *bonitatem actûs*, at nihilominus *malum hominem* & odit & puniet.

21. Quamvis autem etiam *Personæ sanctitas sincera* Amore Divino *digna* est, sive *meretur*, non tamen Peccatorum aut antecedentium aut concomitantium *veniam* meretur: Hujus autem Meritum aliud fore necesse est; *viz.* Christi satisfactio & Justitia Meritoria.

22. Obj. *Quid autem hic tenendum est? An Deus sanctum, Imagine suâ præditum, propter peccatum odio habere & damnare potest? aut non amare? Et nonne Amor ejus, Amati præmium erit & fœlicitas? Aut sanctus talis amatus & salvus esset, quamvis Christus pro peccatis ejus non satisfeciisset? Resp.* Malè supponitur aliquem *sanctum futurum* esse, sine Christi satisfactione, & merito: Qui enim Spiritum sanctum peccando amisissent, aut eo orbati essent, sancti esse non potuissent, nisi Spiritu S. donati; Quod ex Christi solius merito & intercessione fieri potest. Tenendum igitur est, neque peccatum remitti nisi Christo id promerente; neque salvum fore sanctissimum nisi peccato remisso; neque damnari *potuisse sanctum aliquem dum sanctus sit*, etiam ex naturâ Dei & rei; quia dum *sanctitas* in homine dominatur, Amor Dei dominatur, unde fœlicitas necessariò oritur: At sanctus nemo (malus) fit, nisi promerente Christo, eum Spiritus S. sanctificat: Et Sanctitas & Remissio simul per idem fœdus donantur. Anne verò aliquis sanctus (e. g. Adamus) sanctitatem excutere potest, & an per peccatum etiam levius Spiritum sanctum forisfacere & amittere potest, alibi quærendum est.

23. Ex dictis hactenus patet, inter *Dignitatem* seu *Meritum sanctitatis* seu *Amoris Divini* dominantis, & *dignitatem Fidei in Christum*, plurimum intersse; in aliquibus tamen utriusque esse convenientiam. *Amor* scilicet *Divinus* seu *Sanctitas* est *Imago Dei*, & fœlicium actus finalis circa Deum objectum finale, & est ipsa animæ salus: Ideóque (dum valet) cum miseria vel odio Divino consistere non potest: Et quia ipsa Bonitas, seu Amabilitas est, Amorem, fœlicita-

tem ſenſu pleniore meretur ; ex natura ſcilicet & Dei & rei, & ex fœdere : At *Fides in Chriſtum* quà *talis*, non eſt hæc *Imago Dei*, & ſanctitatis ipſius *ſtatus*, ſed *Actus particularis*, iſque non *Finalis*, ſed *medius*, ad *Amorem Divinum*, ſanctitatem & fœlicitatem procurandam adaptatus ; & non primariò ex naturâ rei, niſi præſuppoſito objecto ſupernaturali & fœdere, tanta ejus eſt præſtantia ſeu Amabilitas, ut quâ *Hominem ex ſe* Deo plenè amabilem redderet. Non tamen ſine *omni intrinſecâ dignitate* etiam *Fides in Chriſtum* ad ſuum honorem & officium à Deo exaltata eſt. Omnia enim Dei opera ſapientiæ perfectiſſimæ effecta ſunt ; & rerum *aptitudo Naturalis* earum *ordinationem* per *Legem poſitivam* antecedit. Et Fides in Chriſtum in ſuâ naturâ (ſuppoſito objecto) talem habet ad officium ſuum aptitudinem, quâ digna Deo viſa eſt, quæ ad officium hoc inſtitutione ſuâ ordinaretur. Si Chriſtus enim ſit Animarum Magiſter, Medicus, Dominus, Salvator, nonne ex naturâ rei neceſſe eſt, eum Fiduciali Aſſenſu, Conſenſu & praxi talem agnoſci ? Quomodo enim à Magiſtro cui non credimus diſceremus ? aut per medicum cui non credimus ſanaremur, &c.

24. At tenuiſſimæ adeo Dignitatis eſt hæc Fides in Chriſtum Mediatorem, *quà talis*, ut non tam *mereri* Fœderis Dona, quam *earum privationem non commereri* per *Infidelitatem*, ſenſu pleno dicendi ſunt credentes : Non tamen hoc volo, Fidem nullam Dignitatem *poſitivam* habere ; ſed ſenſu pleniore *Infidelitatem mereri nequis* infidelis jus habeat ad Chriſtum & Juſtificationem & Vitam æternam, quàm *Fidem mereri* aut *jus* aut *poſſeſſionem*.

25. Qui de *Meritis* verè judicabit, primò conſiderare eum oportet, *ſub quo fœdere* ſtat ſubditus, & ad quod fœdus ejus actus ſeu merita referuntur. Homo lapſus, ſub fœdere innocentiæ violato conſtitutus, nihil omnino de Deo mereri poteſt præter pœnam : non ſcilicet Remiſſionem peccatorum, non Spiritus S. donum, &c. Primus autem hiſce lapſis Reſtaurationem & ſalutem ſolus Chriſtus mediator meritus eſt : Toti ſcilicet generi humano lapſo, Fœdus ſeu Donationem ſeu Promiſſionem Remiſſionis, Adoptionis & Gloriæ Conditionalem (ſub Fidei ſcilicet & pœnitentiæ conditione donandarum) & promeruit & actu dedit. Fœdus hoc ſeu *Donatio* ſeu *Lex Gratiæ*, eſt (ſicut *Literæ dimiſſoriæ* ſeu *Lex oblivionis*) Dei *proprium Inſtrumentum*, quo *toti mundo Conditionaliter* ignoſcit, & *omni fideli actualiter*. Peccatorum igitur Remiſſio quà talis eſt *Donum* quidem Dei Optimi Gratuitum, ſed quoad *Ordinem conferendi*, nè *Juſtitiæ Primi fœderis* derogatum ſit, à Chriſto ſolo promerita ; non à nobis : At quia non abſolute, ſed quaſi adhuc *ſubditis*, per fœdus novum Conditionale data eſt, ideo conditionem præſtans ſenſu tenuiſſimo & merè ad Chriſti meritum ſubordinatè, mereri dicitur ; non autem *ipſam Remiſſionem* & *Gratiam* & *Jus* vitæ, ut à Deo *daretur* per donationem aliquam ejus inſtrumentalem ; ſed ut *Donum gratuitum* à Deo Optimo per Chriſti meritum jam fœdere ſeu Donatione organicâ donatum (ſeu conceſſum) *ſuſpenſione remotâ noſtri fiat*. Sicut qui gratias agendo ſuppliciter, ſine contemptu, aut Vitam priùs damnatam, aut donum aliquod à Rege recipit, per Filium Regis quidem procuratum, & ſub conditione hâc donatum, is *Doni* non omnino indignus dicendus eſt, & ſuppoſitâ Regis Liberalitate, Filii procuratione, & jam actâ donatione, Doni quidem dignus eſt ; At Dignitas talis de Benignitate Donatoris, aut Merito Procuratoris, nihil omnino derogat.

26. Semper igitur memoriâ tenendum eſt, nihil *Præmium* eſſe quod non idem *Donum* eſt, & prius ordine *Donum* quam *Præmium* ; nihilque nobis *Præmium* aut *Donum* eſſe, quod non prius ut *Præmium* nobis per Chriſtum promeritum eſt. Et inde quod primò *Dei Donum*, & ſecundò *Chriſti præmium* fuit, tertiò quantum ad jus poſſidendi, etiam *noſtri meriti ſubordinati* præmium eſt.

27. Obj. *At ex dictis videtur, Chriſtum tantum Fœdus novum promeruiſſe, quo nemini peccata remittuntur, aut jus vitæ actu donatum eſt, priuſquam actu credat : Ideóque ipſam Remiſſionem actualem, non ex Chriſti merito, ſed ex noſtri eſſe.*

Reſp. Fœdus novum per Chriſtum promeritum, eſt *Fœdus* inſtrumentaliter condonans, & jus Vitæ tribuens : Quandocunque igitur Fidelis condonationem

& jus

& jus vitæ accipit, ab *hoc fœdere* ea accipit, & per *hoc fœdus* ut per *instrumentum suum*, Deus *tunc* ei peccata remittit. Quod autem *non Infideli* hoc fit, sed *fidem* sequitur, hoc ex sapienti & sancta ordinatione Dei & Mediatoris provenit; Quippe qui Remissionem & Vitæ jus nemini inimico, impio, infideli, contemptori, dum tali, donare juste statuit; neque ut ignoranti & perverso hominum ingenio placeat, aliter unquam statuet. Et qui Dona gratis donabit, contemptum tamen & impietatem non fovebit.

28. Theologorum autem quorundam furiosæ de hisce contentiones, ex merâ *Naturæ Conditionum* ignorantiâ oriuntur: (*Ignorantia* quippe & *superbia* litium omnium Theologicarum ferè Parentes sunt.) Conditionem scilicet quà talem *Causam* aliquam aut *meritoriam* aut aliter *effectivam* esse autumant. At *Conditio* quà *Conditio*, ut in Lege seu fœdere posita, est tantum *Juris suspensio*; & qui *conditionem* præstat, quà talem, tantum *suspensionis causam* removet: Ideóque à Jurisperitis dicitur *conditio*, *Lex addita negotio quæ donec præstetur eventum suspendat.* Impedimentum autem à causâ efficiente seu potiùs *Impedimentum Receptionis* à recepturo removere, non est *Efficere*, nec proprie *Recipere.*

29. Quod autem sæpissimè *meritum aliquod* in *Conditionibus* invenitur, non est à formali naturâ *Conditionis* (quæ etiam in *casu* aut *re nihili* inveniri potest) sed est *Conditionis* sæpe *Causa Materialis*; Quia 1. In justitiâ commutativâ homines ad commodum suum respiciunt; 2. Et in exercitio *Justitiæ Rectricis* seu distributivæ, dum Bono publico Rector prospicit, non *inutilia*, sed *media apta* eligit, quæ præmiorum Conditionum præstandarum materia fiant. Et ita *Fides* in *Christum* subordinate à Deo quà *Rectore*, quoad *ordinem conferendi*, ex *Dignitate suâ* meretur, quæ *materia fieret* Conditionis Donationis & Condonationis Evangelicæ: At *quà Conditio præstita* tenuissimo omnium sensu meretur, ex vi scilicet pacti divini, utpote quæ propriè tantum Donationis Gratuitæ suspensionem removet.

30. Quod Donum igitur nobis (sub conditione Fidei) datum est, ex *Dei Bonitate* & *Christi merito* est: quod fidelis *justificatur* seu *Beneficiorum Jus* recipit, ex hujus *Fœderis* seu *Legis effectione morali instrumentali* provenit: At quod *Petrus* potius quam *Judas* est *subjectum capax Receptivum*, primò ex Gratiâ Christi est, deinde verò ex *Actu credentis*, & Constitutive *in ipsâ fide*, aptitudo hæc Receptiva consistit.

31. Quando autem in Judicio de *Merito Causæ* (ut loquuntur) quæritur, non tunc tam de Intrinseca & materiali Actûs Bonitate & malitiâ quæritur, quam de Actûs *Relatione* ad Legis partem *Retributivam*; An scilicet Lex præmium aut pœnam agenti debitam faciat. Et ita *Meritum Causæ* nostræ in Judicio Divino erit, *An Præmium aut Pœna juxta Legis Evangelicæ tenorem nobis adjudicanda sit.*

32. A Lectore intelligente ob prolixitatem & rerum earundem repetitiones hîc veniam flagitandam esse, conscius sum: sed plurimorum zelus insanus ex Insciti & superbiâ prognatus, necessitatem mihi imposuit: Qui scilicet priusquam res unquam studiosâ & patiente indagatione omnino intelligant, ex partium studio præjudiciis abrepti, & ex philautiâ notiones suas confusas & falsas acerrimè contra lucem tuentes, opprobria sua loco gratitudinis docenti reponunt, & vel Papistam vel Hæreticum, vel quodcunque nomen Præjudicium & Livor dictitant, eorum ignorantiam curaturo rapidè impingunt; & ex opinione orthodoxiæ & zeli Christiani mutuis adulationibus fotâ, suos animos typho & elatione pia-impia sustentant; dum ideo se Veritatis amicos existimant, quia scientes, quasi ejus inimicos, calumniis lacerant: Et (proh Ecclesiarum hinc status tantum non desperatus!) dum per hebetudinem & ignorantiam, non nisi ex verbis clarissimis, plurimis, sæpe repetitis, aliquid intelligunt, per superbiam tamen, & ignaviam, nisi pauca & breviter dicta non legent. Horum tamen necessitati & curationi consulens, repetitionum, aliter ineptarum; sæpe reus sum.

33. Lectorem

33. Lectorem porro moneo, Fidem in Deum quà Deum, & fidem in Christum, quà fidem in Deum includit, & Actum Voluntatis etiam continet, & ex Amore Divino provenit, vel Amoris illius est particeps, ex objecto, nobilioris multò naturæ esse, quam nudum Assensum quatenus in Christum ut Mediatorem seu viam ad Patrem tantùm terminatur.

34. Denique notandum est, quod cum nomen *Præmii* dicitur aut respectu ad *Merita Christi* aut ad *Nostra*; *Fœdus*, & *Justificatio*, & *salus humana* quà *fœdere sub conditione* data, Christi tantum, non nostra Præmia dicuntur; per nos neq; realiter neque reputativè merita: Quod Christo Præmium, nobis à Christo Donum est: At Præmium nostrum dicitur tantum sensu tenuissimo, quia Donationis Conditionem Accipiendo præstitimus.

Elucidationes

CAP. XXVII.

§. III. *De Triplici Justificatione*: *Et* Cap. 32. *per Resp. ad* 50. *Quæst.*

Qu. I. *An detur Justificatio Constitutiva, & Justificatio justum Materialiter & Formaliter efficiens?*

Resp. QUæstionem nemo sani cerebri negabit, dum de Justitia generaliter quæritur: Per *Justitiam* eam quæ in conformitate ad Legis Innocentiæ Partem præceptivam consistit, id est per Innocentiam, (aut Realem aut Reputativam, quicquid errantes effutiant) nemo ex Adami progenie lapsâ, Justus constitutus est. At Evangelice quosdam *Justos fieri*, patet; 1. Quia sæpissime in S. Literis hoc asseritur: vid. Mat. 5. 45. & 13. 49. Luc. 1. 17. & 14. 14. & 15. 7. Act. 24. 15. Rom. 1. 17. & 2. 13. Heb. 10. 38. & 12. 23. 2 Pet. 2. 8. Jam. 5. 16. 1 Tim. 1. 9. Rom. 5. 7. Mat. 10. 41. Mal. 3. 18. Mat. 13. 43. & 25. 37, 46. Rom. 5. 19. Heb. 11. 4. 1 Pet. 3. 12. & 4. 18. & pluries. 2. Quia si nemo Justus sit, nemo Justus à Deo aut reputatur, aut judicatur: quod falsum est: Justificare per sententiam est Justum aliquem esse decernendo pronunciare. At Deus neque fallitur, neque mentitur. 3. Quia si Justus nemo sit, tunc & nullum inter homines discrimen reale invenitur, & Deus aut omnibus æque retribuit, aut æqualium quosdam amat, quosdam odit, quosdam damnat, quosdam glorificat; Quæ omnia falsissima, Atheos tantum, non Christianos decent. Justos faciendo igitur primo Deus homines justificat.

Rom. 3. 10.

Qu. II. *Quotuplex est Justificatio Constitutiva?*

Resp. IN distinctionibus de Justitia Elucid. Cap. 27. §. 2. ut & in Tabulis, huic quæstioni sufficienter adaptata jam responsio est. Præcipue autem memoria tenendum est, 1. Justitiam parti Legis alicujus *Præceptivæ* conformem, (pariterque Justificationem) à Justitia, quæ partem *Retributivam* respicit, distinguendam esse. Aliud est Justificari à *Reatu Culpæ*, contra *Præceptum*, aliud Justificari à *Reatu Pœnæ*, per *Comminationem* aliàs debitæ: Aliud est *non peccasse*; aliud non *puniendum* esse, vel *præmiandum* esse.

2. Aliud est Justificari à Reatu pœnæ juxta Legem *Innocentiæ*; aliud Justificari à Reatu pœnæ juxta Legem *Gratiæ*, aliàs debitæ.

3. Aliud

3. Aliud est Justificari contra *Accusationem veram* ; aliud contra Accusationem *falsam* : & utramque aut *Virtualem*, aut *Actualem*.

4. Contra diversas hasce Accusationes, diversæ sunt Justificationes : *viz.* Si dicatur, 1. Peccasti : 2. Peccando Mortem demeritus es : 3. A peccato & morte non Redemptus es : 4. Peccatorum Remissionem , & Jus vitæ, Deus nondum humano generi donavit. 5. Donatio hæc quia particularis, ad te non pertinet. 6. Jus Remissionis & vitæ tuum non est, quia non, credendo, conditionem præstitisti. 7. Fides tua falsa & hypocritica est, ideóque condemnandus es.

Ad 1. *Confessione* , non *Justificatione*, respondendum est. Ad 2. Itidem *Confitendo* ; sed & *Condonationem Divinam* allegando. Ad 3. Negando, & *Christi Redemptionem* allegando. Ad 4. *Negando*, & *Fœdus Gratiæ* proferendo. Ad 5. *Negando*, & *Universalitatem* promissionis seu donationis Conditionalis allegando. Ad 6. *Fidem ipsam* asserendo ; ex ipsa enim fide nostra hic justificamur. Ad 7. Negando, & partim Deum cordis scrutatorem appellando, & partim ex fructibus Fidem veram & vivam fuisse probando.

Justificatio *Constitutiva* non *directe* opponitur aut *Accusationi* aut *Condemnationi Judiciariæ* ; At *Virtualiter* iis opponitur : Quia esse *Justum*, est esse per Judicem Justificandum ; & ex Justitia præexistente unusquisque Justificandus est.

Qu. III. *Quænam Justitia, seu Justificationis Constitutivæ, causæ & media sant?*

Resp. 1. CAusa efficiens prima principalis, est Quoad Doni Bonitatem, *Deus-Amor Benefactor*, ex mera sua Benignitate ; Quoad *Ordinem Conferendi*, *Deus-Rector*, *Christum Mediatorem*, & *Novum fœdus*, mundo perdito gratis donans ; & per fœdus hoc fideles postea actu Condonans & Justificans.

2. *Causa Meritoria*, quoad *ordinem conferendi*, Rectori offensæ satisfaciens, & Impedimentum ex Justitia Legali ortum removens, & vitam fœdere donandam merita, est Christus quà Redemptor, quatenus scilicet in terris *fœderis proprii* partem præstando hæc omnia meruit.

3. Causa efficiens *principalis Ministerialis* , est Christus Rex Glorificatus, & Intercessor ; qui Potestatem à Patre recepit peccata condonandi, & vitam quibus vult ipse concedendi ; & ita ipse etiam *novi fœderis* non tantum *Causa meritoria*, sed & *Author* est.

4. Causa *Efficiens Instrumentalis* (proprie sic dicta) est Ipsum *Novum Fœdus*, seu *Promissio Divina*, quà Remissionis & Vitæ Jus sub Conditione Fidei, id est, Consensûs verè fœderalis, omnibus, Christi gratiâ donat ; & quà Instrumentum hoc donativum actu condonat & justificat, suspensione per fidem sublatâ. Instrumentum itidem seu Donatio hæc Divina vere nobis Titulus est, quod à Juristis dicitur, *Fundamentum Juris* ; apte satis : ex quo Jus Remissionis & Vitæ, sicut immediate oritur, ita à nobis probandum est.

5. Tituli seu Juris *Conditio*, qua Donationis suspensio removetur aut cessat, & sine qua Jus conditionaliter datum, recipi non potest, nec nostrum actu fieri, est verus *Consensus Fœderalis*, qui aliquando *Fides*, aliquando & *Resipiscentia* dicitur. De quibus postea dicendum. Dona scilicet gratis data & oblata, juxta naturam eorum gratitudine acceptare.

6. *Causæ Materialis* notio ambigua est. Aliquando pro *subjecto* seu *supposito* Condonato & Justificato sumitur : & ita *Persona Justificata* est Causa Materialis. Aliquando pro *Materiâ promerente* sumitur, & ita *satisfactio*, & *Justitia Christi* jam descripta, quà Justificationem *nostram merita* fuit, est *Causa Materialis* (quia *Meritoria*) Justificationis scilicet illius quæ in *Jure Impunitatis* & *Jure hæreditatis* consistit. Justificationis autem illius quæ consistit in *Innocentiâ particulari* seu *non-Reatu* quoad hanc particularem *Accusationem* quando *falsam*, [*Non salvandus, sed damnandus es, quia non vere fidelis, & ita fœderis particeps fuisti*] Causa materialis est ipsa *nostra Fides*, *pœnitentia*, *sincera obedientia Evangelica*, id est, conditionis fœderis præstatio, quà Tituli & Juris Conditio est.

7. Revera

7. Reverâ autem *Justitia* Justificati *Relatio* est; & ut *Relatio*, per *subjectum*, *Fundamentum*, & *Terminum* describenda: sed diversè, prout diversa Justitiæ *Forma* est, de qua ad Tabulam de Justitiâ retrospiciendum est.

8. Justitia omnis quidem (Relativa de qua jam agitur) est *Juri Congruitas*; seu *Jus habere*, & inde esse *Judiciariè Justificandum*. At sicut jam dictum est, aliud est *Justificandum* esse à *Reatu Culpæ*, ubi *Innocentia* est *Justitiæ forma* (non esse *Reum Culpæ*) Aliud à *Reatu pœnæ*. Aliud iterum est Justificandum esse à *Reatu non præstitæ Conditionis Fœderis primi*; ubi *Innocentia perfecta* est sola Justitia: Aliud Justum fore à *Reatu non-præstitæ Conditionis Fœderis Gratiæ Remediantis*; ubi sicut Ipsa præstatio est *Materia*, ita *Innocentia hæc particularis*, ut contra Accusationem hanc particularem, est *Justitiæ* hujus *particularis* subordinatæ *Forma* (sicut & in omni falsâ Accusatione). Aliud item est Justum esse à *Reatu Pœnæ*, ex Innocentiâ, (quod tantum Christi perfecte fuit); Aliud autem per *Condonationem*: & *hæc*, quoad Legem Innocentiæ violatam, est *Justitia* omnis fidelis, coram Deo Judice Justificandi; Ubi *Activa Dei Condonatio* est *Fundamentum Juris* nostri proximum; & *Meritum Christi*, *Fundamenti Causa*: & *Terminus* à quo est *Reatus* seu *obligatio* ad pœnam (quam Condonatio dissolvit): Et ipsa *Relationis Forma* est, *Non-Reatus pœnæ*, seu *Condonatio passive sumpta*, ut ab Activâ resultans: Subjectum autem *Materialiter*, est Homo peccator Redemptus; At subjecti *Dispositio Receptiva* est *Fides* seu Consensus fœderalis. Aliud item Justum fieri ab *obligatione Legis* primæ seu naturæ, ad pœnam; de qua jam diximus: Aliud autem Justum esse ab *obligatione superaddita* ad pœnam, Legis Gratiæ Remediantis, quâ *finaliter*-Infideles-Impœnitentes-impios peremptorie ad majorem pœnam obligat: Et ab hac obligatione nemo *Vere finaliter Reus* unquam justificatur, sed à falsâ Reatûs Accusatione, omnes fideles Justificandi sunt. Hactenus de Justitiæ seu Justificationis Constitutivæ Causis.

Ubi summè notandum est, Quod tametsi nostra fides seu Conditionis novi fœderis præstatio, sit inter *Causas* aut proprie nulla aut infimi quidem ordinis, sed tantum *Medium sine quo non*, vel Dispositio Receptiva; Lis tamen omnis fere inter *Accusatorem* & *Judicandum* erit, de *medio* seu *conditione* hac, an *sincera* fuit, an *hypocritica* vel *nulla*: *Dei* enim *Bonitas* in dubium non vocabitur. *Christi satisfactio* & *meritum* negari non possunt, neque judicanda venient: *Lex* seu fœdus Gratiæ erit *Norma Judicii*, non autem *Judicandum*, aut à Satana (utpote visibile) negandum: Litis igitur & disceptationis, & dubii judicandi, materia nulla restat, præter uniuscujusque fidelitatem fœderalem: Ideóque secundum id quod in corpore fecerunt, omnes judicabuntur: Et re verâ omnis noster Conatus, omne fidei, obedientiæ & amoris exercitium, ut *Medium* ad Justificationem aut ad Gloriam, sub genere *Dispositionis Receptivæ* cadit. Et sicut Aristoteles in physicis præter *Materiam* & *Formam*, *Privationem* statuit Tertium Principium, quam rectius *Materiæ Dispositionem Receptivam* dicere potuisset; Ita & in Moralibus *Dispositio Materiæ* est quoddam principium. Quamvis enim *agitur ad modum Agentis*, & *datur ad modum dantis*, *Recipitur* tamen *ad modum Recipientis*. Deus quidem per Legem Remediantem Gratiæ, totum genus humanum à peccatorum reatu absolvit, sub conditione fidei, id est, debitæ *dispositionis receptivæ*. At fideles soli actu absolvuntur, quia soli *dispositione Receptivâ* prædi ti sunt. Omnibus itidem per idem fœdus dedit Jus ad vitam æternam, sub Conditione Fidei per Amorem operantis, opera scilict sinceræ obedientiæ usque ad finem: At non omnes Jus vitæ hoc recipiunt, quia non omnes Dispositione gaudent *Receptivâ*.

Recipere autem non est *efficere*: Ideóque *Dispositio Receptiva*, non est *causa effectiva*; sed aut *medium* necessarium, non *causa* dicenda est, aut ad *causam materialem* (utpote *materiæ dispositio*) reducenda. Sed de his plura in sequentibus.

Qu. IV. *Utrum sit Justificatio hæc constitutiva, quâ Justi facti sumus, (id est, non-judiciariè Condemnandi;) vel Justificatio Judiciaria per sententiam Judicis, quæ in Scripturis intelligitur, quando ex fide Justificari dicimur.*

Resp. UNumquemque S. Scripturæ textum examinare, qui de Justificatione loquitur, non vacat. In genere autem dicendum est, quod de triplici Justificatione, Constitutivâ, Judiciariâ & Executivâ, Scriptura loquitur, quando de Justificatione *ex fide* loquitur: At de primâ primò ut immediatè fidem consequente, de secundâ & tertiâ verò, ut de primæ perfectione. Qui *Justus fit* in sensu *Legis Gratiæ*, per quam judicandus est, is *Virtualiter Justificatur*, per *sententiam Judicis:* Omnis enim & solus Justus, Judiciarie Justificandus est: Neque capere quis potest, quomodo *ex fide* quis per Judicem justificaretur, nisi prius *ex fide* per Legem Gratiæ Justificetur, vel Justus fiat.

Qu. V. *Utrum tota nostra Justitia consistat in Remissione peccatorum.*

Resp. TOta nostra Justitia consistit *formaliter* in tribus hisce conjunctis: 1. In *Justitiâ illâ personali particulari*, quæ consistit in *Fœderis Evangelici Conditionis præstatione.* Christus enim non mortuus est, pro *finali non-præstatione* hujus Conditionis, id est, pro finali Infidelitate, Impœnitentiâ, & odio Dei, & sanctitatis, &c. Dispositio igitur hæc Remissionis & Vitæ cœlestis Receptiva, est quædam *Justitiæ* pars singularis, ex quâ (ut prius dictum est) justificamur.

2. In *Remissione omnium peccatorum*, (peccata quippe irremissibilia in fideli non inveniuntur:) Et contra *Reatum Pœnæ* ob peccata *verè commissa, Remissio peccatorum* est *tota nostra Justitia:* non autem *Tota absolute.*

3. In *Jure* ad illam hæreditatis cœlestis partem, cujus amissio non caderet sub genere *Pœnæ damni*, siqua talis datur. Ad cujus explicationem notet Lector; 1. Quod peccata remittere, est *obligationem ad pœnam dissolvere*, seu *jus dare ad Impunitatem.* 2. Quod peccata quædam sunt *Commissionis*, quædam *Omissionis.* 3. Quod *Pœna* est & *sensûs* & *damni.* 4. Quod pœna *damni* nunquam in nudâ *Negatione boni* consistit, sed in *privatione.* 5. Quod triplex est *Privationis Gradus:* 1. Privatio *Rei ipsius prius Possessæ.* 2. Privatio *Juris ad rem.* 3. Privatio *Possibilitatis*, & *Juris* & *Possessionis:* E. g. Adamus per peccatum amisit 1. *Justitiam prius possessam*; 2. *Jus ad Vitam*; 3. *Possibilitatem statum Gloriæ eximioris merendi.* Et ita ejus Pœna damni, diversi gradûs fuit, quoad bona hæc amissa. 6. Quod Remissio peccatorum se extendit, ad omnia qualiacunque bona restituenda, quæ per peccatum remissum prius forisfacta sunt.

4. Ex quibus patet per Remissionem peccatorum plenariam, restitui, 1. Favorem Dei amissum, 2. Spiritûs sancti auxilia & operationes; & inde sanctitatem; 3. Jus ad vitam æternam, seu præmium cœlestis hæreditatis; 4. Et tandem ipsam Glorificationem.

5. Et ita *non-præmiari* hic est *punire*, & cui pœna omnis remittitur, is præmium materialiter dictum recipiet. Idem enim quod *Præmium* est, priùs *Donum* est: & *Dono gratuito* privari hic est *puniri*; quod ex peccati merito fit: Et sicut per obedientiam Præmium obtinetur, ita per inobedientiæ condonationem Jus restituitur: Qui ad finem usque vitæ sanctè Deo obedit, is præmii dignus Evangelicè judicatur: Et cui omne peccatum etiam omissionis ad finem usque remittitur, is in eodem statu est, ac si perfecte obediviſſet.

6. At propriè loquendo & formaliter, is *præmium* non recipit, sed *Donum:* Idem est materialiter, sed non *præmium* formaliter: *Præmium* quidem omne est *meriti Præmium* (seu boni operis) ita dictum ex speciali respectu ad ipsum merentem seu operantem: In quantum igitur *peccatum remittitur*, & Bonum amissum per Remissionem restituitur, in tantum *Præmium* nullum est, sed *Donum.*

Si Christus impium mortuum Justificaret, & Glorificaret, hoc *Donum*, non *præmium* esset : Et cùm Fideli Baptizato Jus ad vitam cœlestem prius forisfactum datur, in quantum fit per *Remissionem* peccatorum, non *Præmium* est, sed *Donum* : *Præmium* quidem *Christo* est, quia fructus ejus Meritorum ; & sensu tenuissimo est *Præmium Recipientis* ; At non quatenus ex *Remissione*, sed quatenus ex *Fide :* sicut & *Regnum* nobis ex *Dono* est, quà à *Christo donatum*, at *Præmium* quatenus, *quoad ordinem* conferendi, *secundùm fidem, obedientiam & amorem* collatum est.

7. Deus nemini (ut dictum est) omissionem finalem fidei, pœnitentiæ, Amoris Divini, sanctæ vitæ, & sinceræ obedientiæ (quantum tempus suppetit) unquam condonat : Ideóque Regnum cœleste nemini obvenit, ut *Donum*, cui etiam non obvenit ut *Præmium*. (Infantes quasi parentum partes judicantur).

8. Ex hisce constat, quod quamvis haud facile quæstio illa solvatur, *An materialiter aliquod Bonum detur, quod per Remissionem omnium peccatorum omissionis, dari non possit* ; quia tamen 1. Fœderis novi Conditionem non præstare & ita Gloriam non Evangelicè mereri, finaliter, nemini unquam condonatur, 2. Et quia *Formaliter Donum* & *Præmium* differunt, quantumvis *Materialiter* idem sint, Ideo *tota* nostra Justitia non est *formaliter Remissio peccatorum*, sed tertia datur Justitiæ pars formalis, *viz. Jus* ad *præmium* quà tale.

Qu. VI. *Nonne Justitia nostra tota Justificans formaliter consistit in Remissione Peccatorum, & Christi Justitiâ nobis Imputatâ? Et an Donum vitæ æternæ nobis proprie & formaliter ideo præmium est, quia nos in personâ Christi illud reputative meriti sumus?*

Resp. IN responsione ad Qu. de Imputatione hisce jamjam satisfit : 1. Justitiam *Christi Formalem* nostram fieri *justitiam formalem*, non tantum falsum est, sed æquè impossibile, ac unius Accidens formaliter alterius esse. *Justitia Christi* & *materialiter & formaliter* considerata, est *Justitia nostra materialis*, sensu prius explicato, id est Justitiæ formalis nostræ *causa meritoria* : Qui nostram *formalem* esse asserunt, quid loquuntur planè nesciunt ; & quid sit Justitiæ forma. Et sicut Pontificii nullo modo Reformatos magis à se irreconciliabiliter alienârunt, quam Transubstantiationis impossibilia & contradictoria ut fidei articulum in Ecclesias obtrudendo : Ita & erronei quidam Protestantes, nullo modo Pontificios nobis irreconciliabiles magis reddiderunt, quam impossibilia hæc & absurda de Justitiâ Imputatâ, quasi Evangelii partem maxime necessariam, venditando.

2. Opinio hæc erronea, originem suam in plerisque ducit, ex male intellectâ unione Christi & fidelium, & non distinguendo *Corpus collectivum politicum* à corpore *naturali individuo*. Christus quidem & Ecclesia unum Corpus sunt, sed metaphoricum, non *naturale* ; *Politicum collectivum*, non *individuum :* In corpore autem *Collectivo* (quale est *Civitas, Regnum*, &c.) *individuus* quisque suam propriam habet *Justitiam* aut *injustitiam* ; sua propria accidentia alia.

3. Ex errore hoc absurda hæc blasphema sequuntur. (Quamvis ab Authoribus non approbata, quia consequentia non est intellecta). 1. Nemini fidelium peccatum aliquod remittitur : 2. Neque peccata fateri eum oportet ; neque pœnæ demeritum : 3. Neque pro peccatorum remissione orare, aut de eâ omnino curare : 4. Neque in peccatorum remissionem aut baptizari, aut promissionibus fidem habere, aut Sacramento cœnæ dominicæ uti ; 5. Neque pro peccatorum remissione, Deo aut Christo unquam gratias agere aut habere. 6. Neque Justificationem ullam à peccatorum vero reatu aut in hac vitâ credendam esse, aut in futuro judicio expectandam. 7. Neque ullam Dei & hominis peccatoris (saltem Adamo & Hevâ exceptis) Reconciliationem factam fuisse per Christum Mediatorem. 8. Sanguinem ipsius non fuisse pro peccatis sacrificium, aut mortem eum ex errore pro peccatis obiisse ; & neminem

nem per sanguinem ejus à peccatorum labe lavatum esse. 9. Omnem igitur Ecclesiam in terris, & beatos omnes in cœlis Deum per errorem eum colere & Agnum laudare, qui à peccatis eos sanguine suo lavavit. 10. Non mentiri fidelem si dicat, Peccatum non habeo.

4. Horum omnium ratio hinc patet, Quia perfectè obediens non est peccator: Qui omnia legis præcepta perfecte præstitit, nunquam peccavit. At juxta errorem hunc, fidelis omnis, Legis præcepta cuncta in Christo & per Christum præstitit: Ideóque nunquam peccavit. Obj. *In Christo nunquam peccavit. Resp.* Neque in se, si in Christo ipse perfecte obedivit: Ubi enim officium præstandum est aut per se aut per alium, ipse præstat quando per alium præstat. At revera Lex unumquemque personaliter obligavit; neque præstationem per alium unquam novit: non dixit, Deum amabis per te aut per alium.

5. Obj. *Sicut non sumus eadem persona quæ Christus Naturaliter, sed Imputativè; ita nec Legem præstitimus naturaliter, sed imputativè; & Justitia Christi est nostra formalis imputativè tantùm.*

Resp. Imputationis sensum objicientes aut non intelligunt, aut sub ambiguitatis umbrâ ludunt. Nobis (ut jam dictum est) verè in tantum justitia Christi Imputatur, ut Causa plene Meritoria à Deo judicatur, quare per fœdus Gratiæ peccata nobis remitteret, & fidelibus jus cœlestis hæreditatis donaret; & quare ipsis Peccata sua non ad pœnam imputarentur. Sicut autem Deus adhuc etiam Justificatum reputat *Peccavisse*, ideóque Culpæ Reum esse in se, sed non *puniendum*, aut *Reum pœnæ*, quia condonatum, & ita *Peccatum non imputat ad pœnam*, quamvis *ad culpam*; Ita etiam & Christi Justitia nobis imputatur ad *Impunitatem*, & ad *Jus vitæ* donandum; non autem ad *Innocentiam*, aut *Inculpabilitatem*: Ideóque non ut *Causa formalis Justitiæ nostræ personalis*, sed ut causa *meritoria* seu *materialis*. Neque unquam in tota Scripturâ S. Justitia nostra per Christum, aut *Innocentia* aut *Inculpabilitas* dicitur, aut describitur, nisi aut secundum quid, aut respectivè ad statum glorioſæ perfectionis.

Imputatio autem Dei est *vera*, non *falsa Reputatio*, seu *Judicium*. Non putat aliquid fuisse quod non fuit; sed verè Reputat Justitiæ suæ per Christum adeò plenè satisfieri, ut impedimento amoto peccata sine injustitiâ nobis posset condonare, & Christum meruisse nobis & Remissionem & Vitam fœdere donandam. Non putat autem falsò, nos ipsos in Christo aut per Christum Legi perfecte obediviſse.

Neque verum est nos eandem cum Christo Personam Individuam, seu Suppositum, à Deo putari, aut Imputatione dici.

6. Si autem eorum de Imputatione doctrina vera esset, eadem tamen antedicta absurda plerumquè sequerentur: scilicet, Qui Imputative nunquam peccavit, is à Peccati Reatu immunis est, non per Remissionem, sed per *Innocentiam & Inculpabilitatem imputatam*: Et sanguis Christi fruſtra fusus esset, ad eorum condonationem procurandam, qui per Justitiam ejus Innocentes seu non peccatores reputati sunt.

7. Hinc porro sequeretur, 1. Ex unione illâ malè fictâ, Peccata nostra Christo ipsi Imputata esse, non tantum ad Pœnam, sed *formaliter* ad *culpam*, *injustitiam*, seu *peccatum*: 2. Et ita Christum, verâ Imputatione, esse verè (non tantum pro omnium peccatis *puniendum*, quod *verum* est, sed &) *formaliter maximum peccatorem*, utpote cujus per Imputationem sunt omnia saltem electorum peccata ipsa *formaliter* quà *peccata*. 3. Ideóque Deo & sibi maximè odibilem reddi, & Deo verè exosum; & 4. Pro peccatis verâ Imputatione *suis* mortuum esse; Quæ omnia sunt blasphema.

8. Obj. *A Luthero & aliis sæpe hoc dictum est, Christum fuisse totius mundi maximum peccatorem. Resp.* Si [per *maximum peccatorem*] hoc tantum volunt [pro pluribus peccatis puniendum], sensus verus est, Locutio autem tropica. Sin *formaliter* volunt *peccatorem*, per Imputationem ipsius *formæ* peccati, blasphemando Pontificiis maximum sunt scandalum, & obdurationis causa.

9. At Apostolus dicit, *Pro nobis peccatum factus est.* *Resp.* Id est, *sacrificium pro peccatis*, omnibus fere Expositoribus consentientibus; ut & *Peccator* ex Judæorum falsâ imputatione; & Imputatione divinâ ad Pœnam, non ad Culpam formaliter; id est, non minùs quam si ipse peccasset, pœnam in se receptam daturus.

10. Obj. *At injuste pœnas dedisset pro peccatis nullo modo suis.* *Resp.* Negatur: Non injustum est quia voluntariè susceptum: *Pœnas* autem suscepit tantum, non culpam formaliter.

11. Obj. *Pœna essentialiter ad Culpæ Reatum relata est.* *Resp.* Christo igitur ipsi Pœna fuit materialiter non formaliter (ut ante plene explicatum): Respectu demeriti nostri formaliter pœna est; at non Christi pœna: At sicut *Justitia* & *materialiter* & *formaliter Christi*, nobis *non formaliter* sed *materialiter* seu *meritorie* Justitia est; Ita & *Pœna nostra* & *formaliter* & *materialiter*, fit *Christi* tantum *materialiter*: Id est, Quando nobis malum pœnæ ob malum culpæ debitum fuit, Christus non culpam, sed malum per culpam nostram commeritum, in se recepit.

12. Ex Imputatione etiam & Unione jam confutatâ, sequitur, 1. Nos ipsum *Christum* esse; ideóque *Deum*, & Mediatores inter Deum & Homines. 2. Non minore quam *ipse Christus* nos Justitiâ & Sanctitate, per Imputationem præditos esse. 3. Fide, Obedientiâ, Amore divino ad salutem nobis non opus esse: Quia Imputativè in Christo perfecti sumus, & Deum perfectè Amavimus: At absurde addunt nostrates quidam Antinomi, *Christum loco nostro in se credidisse & de peccatis pœnituisse*, quandoquidem ne nobis quidem hisce opus est, si imputatione sumus non peccatores. 4. Non dari in fidelibus Justitiæ diversos gradus; quia unusquisque totâ Christi Justitiâ imputativè præditus est: Davidem igitur & Solomonem in ipsis suis criminibus non minorem habuisse Justitiam Imputatam quam si sine criminibus, immo perfectè, vixissent. Neque per ulla peccata Justitiam imputatam minui, aut minùs imputari, possibile esse. 5. Unumquemque fidelem ex meritis Imputative formaliter suis, omnia bona recipere, & à Deo petere, & expectare debere, & Deo dicere, Da mihi quæ meritus sum. 6. Ob peccata item nostra (quæ imputative nulla sunt) nosmetipsos imputativè Justitiæ Divinæ satisfeciisse. 7. Injuriam nobis feciisse Deum, quod jam Remissionem & Gloriam dat, per fœdus conditionale; Quando sine tali Instrumento, vel mediis, vel conditione, omnia bona illi immediate debita sunt, qui Legem nunquam violasse reputatur: Personalis Legis Impletio Imputata, jus dabit immediatum ad ea omnia quæ juxta Legem innocentibus debentur. 8. Injuriam fideli Deum inferre quod Spiritum sanctum & ejus operationes perficientes non statim donat: Spiritûs sancti quippe privatio, & peccati permissio, seu non-curatio, est maxima fere hic pœna peccati: Non juste igitur continuanda ei, cui perfecta Legis Impletio formaliter Imputata est. 9. Immo mortem & omnem pœnam castigatoriam injuste fidelibus inferri. Nè minima enim pœna ei debetur, qui Imputatione justâ Legi perfectè obedivit.

13. Libertini nostrates hoc telum devitaturi, negant aliquid fidelibus accidere, aut *Pœnale* aut *malum*; omninò Stoicé. At 1. Si non *pœna* est, non *castigatio* est. Castigatio enim est *Pœna Emendatoria.* 2. Si nulla datur *pœna*, nulla Dei pœnæ *Comminatio* est. 3. Aut pœna nulla *timenda* est, aut *deprecanda*; saltem nulla amovenda.. 4. Si *malum nullum*, quare dolent, aut contristantur, aut lugent? Quare non omnes fideles in gaudio perfecto æque vivunt? Quidnam illi tristitiæ aut displicentiæ causa foret, cui malum nihil accidit? 5. At eloquere, Libertine, *Anne malum est peccatum? & sanctitatis defectus*, an *non?* Si *non*, quis impius malus est? Si ita, Nonne peccatum habes (Realiter quamvis non imputativè;) nonne sanctitatis quoad gradum aliquis defectus? Et si hoc non diffiteaaris, nonne privatio Spiritus sancti quo mala hæc sananda sunt, est malum? Anne mala hæc sine peccati aliquali demerito Deus (etiam permittendo) infligit? At si propter peccata, tunc proprie pœnæ sunt. 6. Anne autem famem, aut vulnera,

vulnera, aut ægritudines, aut mortem, mala eſſe vere negas, qui conatus, labores, gemitus, timores, iras tuas obſervant, judices ſunto.

14. Obj. *Malum non eſt quod Bonum majus efficit: At omne quod malum dictum eſt, fideli bonum majus efficit*: Ergo.

Reſp. Major falſa eſt; ſi per *effectionem*, intelligatur aliqualis cauſalitas, aut medium: *Idem Majus Bonum* ſine *Malo* dari, nobis melius eſt quam ex *Malo* dari: e. g. Eundem Sanctitatis & Gloriæ gradum dari ſine perpetuis hujus vitæ tormentis, vel ſaltem ſine peccatis, nobis melius eſt, quam hiſce conjunctum vel ſequentem dari. 2. Falſa item & Minor eſt; e. g. Peccatum nullum boni vera cauſa eſt; & peccata plurima nunquam boni nobis *occaſiones*, ſed ad majus malum tendunt; *viz.* 1. Peccata ex quibus Sanctitatis Gradus aliquis finaliter minuitur, aut negatur; 2. Ipſe Sanctitatis quoad gradum culpabilis defectus; 3. Peccata quorum obliti ſumus, ideóque nos nunquam pœnituit, & quorum in ipſo mortis momento (omiſſione ſaltem) rei ſumus. 4. Et ex quibus Gloriæ diminutio peccatori obvenit. Item falſum eſt Privationem majoris Gloriæ, & complacentiæ divinæ, bonum eſſe fideli cuicunque.

15. Obj. *At Iſa. 53. dicitur Chriſtus tranſgreſſiones noſtras tuliſſe. Reſp.* Non quod tranſgreſſor à Deo reputatus eſt, ſed quia tranſgreſſionum noſtrarum pœnas pertulit, & à nobis Reatum ad pœnam amovit.

16. *Nonne autem & culpa noſtra Chriſto imputata eſt, ſicut & Juſtitia Chriſti nobis?*

Reſp. De verbis cum Libertinis litigare non vacat. Quoad rem, dico, Quod Reatus pœnæ noſter Chriſto imputatus eſt; & ſi dicas, quod item *Reatus culpæ*, non *formaliter* & ad *culpam*, ſed *Relative* tantum, ad *pœnam* ipſi imputatus eſt, non contendo: De nomine enim tantum lis eſt. Sicut & Juſtitia Chriſti nobis Imputatur ad Impunitatem & ad Jus vitæ, non autem formaliter ad Innocentiam ſeu Inculpabilitatem. Et revera diſtinctio hæc unica Imputationis ad culpam & ad pœnam, ad litem hanc totam dirimendam ſufficit.

Ad Quæſtionem autem ſecundam ex dictis ſatis liquet quid ſit reſpondendum. viz. *Præmium eſt nomen Relativum ad promerentem. Jus Vitæ* & *Juſtificatio* quà ex Chriſti merito nobis obvenit, non noſtri *Præmium* eſt ſed Chriſti. Falſum eſt enim nos in perſonâ Chriſti meruiſſe, ut loco ſuo probatum eſt.

Qu. VII. *Quænam eſt illa fides ex qua Juſtificamur? Vel quæ ad Juſtitiam imputatur?*

Ubi I. *De Actu: Cujuſnam ſit facultatis?*

Reſp. 1. FIdes conſideratur vel *Phyſicè* vel *Moraliter*: In ſenſu merè Phyſico, aliquando ſumitur pro actu unico Intellectûs, aliquando pro omnium facultatum actibus conjunctis: viz. 1. Quando *Objectum materiale Malum* eſſe apprehendimus, Inviti fortaſſe *Verum* eſſe credimus: Et ita Deo credit deſperans & damnatus, de pœnarum ſuarum perennitate: Et ita damnatus malefactor Judici credit. Obj. *At quatenus objectum formalè fides reſpicit, voluntarius eſt: Fidelitatem enim dicentis non odit credens. Reſp.* Non quà *Fidelitatem*, ſed odit quà *Fidelitatem ſe-damnantem* vel *ſibi nocivam*: Ideóque totus hic fidei actus, (quoad objectum materiale propter ſe, & quoad objectum formale propter materiale) eſt inviti & coactus. 2. Quando objectum videtur *Indifferens*, neq; *Bonum* neque *Malum*, id eſt, neque Amabile neque Odibile, Actus Intellectûs eſt negative Involuntarius; Id eſt, ſine Volitione, non autem contra Volitionem. Intellectus enim non liber eſt ex ſe, ſed tantum quà Voluntatis imperio ſubeſt; ideóque facile cogi poteſt. 3. Quando objectum videtur *Bonum*, Aſſenſus fidei ſemper Voluntarius eſt; & inde *Fiducia* nominatur; & Actus tum *Intellectûs* tum *Voluntatis* ſimul uno nomine *Fidei* ſeu *Fiduciæ* appellantur. At ſemper *Potentiæ vitalis* Actus includitur; Priùs ſcilicet ſat probatum eſt, & talem dari Facultatem, & Actum ejus eſſe 1. *Initialem*, unde Activitas Vitalis in aliarum facultatum

cultatum actibus, 2. Et *Executivum*, quà facultatem Loco-motivam & cæteras inferiores movet: sine priore enim nullus datur aut *Intellectûs* aut *Voluntatis* actus.

Quando autem *Fides contra Voluntatem* vel *inviti* est, nomine magis proprio *scientia* dicitur quam *Fides*: Conclusionis scilicet *scientia*, ex dicentis Veracitate priùs scitâ: E. g. Diaboli sciunt inviti *Deum esse* veracem: Inviti porro sciunt eum perpetuas eorum pœnas decrevisse: Ergo inviti sciunt se perpetuò fore puniendos. (Omnis quippe Fides Divina est quædam scientia (aut clara aut obscura cum hæsitatione, quæ opinio dicitur): at omnis scientia non est Fides.) Ita & malefactor damnatus scit Judicem veracem esse (quoad mensuram humanam) & omnes fere ad mortem damnatos morte mulctatos esse: Scit etiam se ad mortem damnatum esse: Scit igitur valde probabile esse se morte mulctandum esse. Hæc autem scientia non pleno & ordinario sensu *Fides* dicitur, quamvis Veracitas dicentis est ejus Objectum formale: quia *Fidem* seu *Fiduciam* habere alicui, usitato sensu includit Volitionem, & objectum materiale fore quid *desideratum*.

Quando autem objectum materiale, est etiam *Agendum*, Potentiæ Activæ actus secundus, seu *conatus primus* ad executionem, in *Fide* seu *Fiducia* nomine includitur. At de hisce prius sat dictum est.

Quando autem *Fides Moraliter* consideratur, (& summa Moralitas est in rebus Theologicis) nunquam fere pro unius facultatis actu sumitur, nisi quando etiam pro *malo*. Quod enim neque *Bonum* neque *Malum-morale* est, non omnino *morale* est: Quod *Indifferens* est, eatenus à moralitate excluditur: Et ita Fides Diabolorum, in se est *Physice Bona*; & moraliter quà talis, *nihil*: Quà verò à malâ voluntate, moraliter *mala*. At credere falso prophetæ, Diabolo, mendaci, est moraliter malum. Quando vero ut *Virtus* nominatur *Fides*, semper essentialiter *Voluntatis* actum includit. Virtutis enim seu Moralitatis prima sedes est Voluntas; & Bonum nihil nisi quod Voluntarium. *Libenter fidere*, seu *fiduciam ponere in alicujus fidelitate, est Fidei moralis Forma.*

2. Fides igitur Divina semper continet Actum Intellectûs & Voluntatis, quia summe Moralis & Voluntaria. Et Voluntas quidem *primo Vult Bonum Revelatum*, deinde *Fidelitatem Revelantis quà Bonum*: Intellectus verò intelligit primò *Revelantis Fidelitatem quà talem*, deinde *Revelationem quà talem* & quà *veram*, & ita *Rem Revelatam quà Unum, Verum, Bonum*, & denique ipsam *Revelationem* quà *Bonam*.

3. Quando autem Fides in Christum salvifica intelligitur, semper in objecto includitur, *Verum* (Assertionis) Bonum (Promissi) & Agendum (Præcepti.) Idóque non rectius de fide hac Christianâ concipitur, quam sub notione *Fœderationis Baptismalis*, quæ est *Ipse Christianismus* quæ & *Christiana Fides*: & in se continet *Assensum, consensum, & sui-deditionem Fiducialem*, cum renunciatione contrariorum objectorum. Et ex plurimis voluminibus nemo rectius de fidei salvificæ natura respondere discet, quam si dicat Fidem hanc esse *ipsum Christianismum* seu sinceram *Fœderationem* cum Deo Patre, Filio & Sp. sancto, juxta tenorem fœderis Baptismalis; & idem esse, Fidelem esse, & *Christianum*.

Qu. VIII. *Quodnam est Fidei salvificæ objectum? An Deus ipse? An Christus? An Christus quà Dominus? quà Doctor; quà Rex; quà Intercessor? An Spiritus sanctus? An Remissio peccatorum? An vita æterna? An S. Scriptura? An tota, aut quæ pars? Aut tantum Christi justitia quà nobis imputanda?*

Resp. PLurima hic ad prolixitatem devitandam congeruntur; Et nè tædio Lector gravetur, hæc pauca omnibus hisce quæstionibus sufficiant.

1. Fidei Moralis, immo Christianæ, immo salvificæ, seu Justificantis, objectum aliquod unicum fingere, aliis exclusis, est tantum non insanire.

2. Non

2. Non alia est quam *Fides Justificans* seu *salvifica*, quæ in *fœdere Baptismali*, *& in symbolo* describitur. Ad priores igitur & *Fœderis*, & *Symboli* & *Fidei* explicationes, Lectorem remitto.

3. Fidei Justificantis verò sunt partes tum Essentiales, tum Integrales: Essentialis objecta essentialia in Fœdere Baptismali summarie continentur.

4. Qui Christum quà *Dominum* jure Redemptionis fidei Justificantis objectum esse negant, (& ita quà Doctorem, quà Regem, quà Intercessorem) itidem negant Christum quà *Christum* ejus objectum esse; quoniam Relationes hæ Christo essentiales sunt: Et nisi notiones ineptas & inefficaces contendentium, à practicis & prævalentibus distinguerem, quin fidei Christianæ subversores, tales jure dicerentur, nullus dubitarem. De quibus omnibus alibi plenius dictum est.

Qu. IX. *Nonne apte distinguitur inter Fidem quæ Justificat, & Fidem Quà Justificat: Et tantùm Christi Justitia Imputanda dicitur objectum fidei Quà; exclusis Deo Patre, Sp. Sancto, Christo quà Doctore, Rege & cæteris.*

Resp. 1. POstea docendum est, *Fidem* proprie *non Justificare* (quamvis ex more *Fidem Justificantem* dicimus, quia *Justificationis Medium Receptivum est.*)

2. Per *Fidem Quà*, igitur nihil sanè intelligi potest, quam *Fides quà Medium Justificationis Receptivum est*: non aliter enim proxime, Justificationis *medium* est.

3. Per *Receptionem* hic non volo, aut *Raptum* aliquem, aut oblati *Acceptationem* quà talem, quæ *Receptio moralis* dicitur & *impropria*: sed tantum *Receptionem physice* & *stricte* dictam, *viz. Justificationem Passivam*, seu *Justificari*: scilicet *Fides medium* est ad *Personæ Justificari*, vel ad *Jus Impunitatis* & *Vitæ æternæ habendum.*

4. Illud *medium Receptivum est*, in quo consistit, *Dispositio subjecti proxima, necessaria ad formam recipiendam.* Jam ut dictum est, In omni *materia* datur quædam *Dispositio proxima*, sine qua *forma* non recipitur: (& ita reverà duo rerum principia sunt, *materia disposita*, & *forma.*) *Dispositio* autem *Remota* hic præsupponitur in subjecto: Et ubicunque *Dispositio proxima* invenitur, *materia est formæ* immediatè capax.

5. *Dispositio proxima personæ Justificandæ*, seu Justificationem Recepturi, est, ipsum esse *Personam cui Fœdere Jus donatum est*; seu Donationis, aut *Justificationis Fœderalis Conditione verà præditum esse.* Justificatio quippe nobis obvenit per modum Doni per Christi meritum procurati, & nobis gratis, at sub conditione debitæ receptionis, donati: Nullo autem modo nos Doni participes esse possumus, nisi Dispositione receptivâ verè præditi: Quod nihil aliud est, quam *Conditione Donationis non carere.*

6. *Conditio præstita* fœderis, seu Promissionis Justificantis igitur, quà talis, est *personæ Dispositio Receptiva:* Quicunque enim conditionem præstitit, eo nomine statim Justificationis quà *donatæ* fit *subjectum.*

7. A quatenus ad omne valet consequentia: Quodcunque igitur est Justificationis fœderalis *ipsa Conditio*, id etiam est *ipsa Dispositio Materiæ seu medium Receptivum, ex quo*, in tantum Justificamur.

8. Per nullum igitur nostrum Actum (aut *fidei* aut cujuscunque) Justificamur, ut per *Causam efficientem*, aut ut *Doni Justificationis* per *fœdus meritorium*; neque ut *Justitiæ formam*; sed ut *Materiæ necessariam Receptivam Dispositionem*, id est, ut *ex Conditione Donationis præstitâ*; Quæ quidem est materialiter quædam *Justitia particularis mediata*, per fœdus requisita, subordinatè, quà *Juris Impunitatis & Vitæ donati*, & per Christum promeriti, subjecta capacia seu Receptiva debitè fiamus. Et ita si omnino inter Causas numeranda sit, ad *Causam Materialem* seu *subjectivam* pertinet, sicut Aristotelis *Privatio* ad substantias Physicas,

vel

vel potius aliorum Materiæ Dispositio: Ideóque à Doctissimo nostro D. Twisso Fides sæpissimè dicitur, *Causa Justificationis Dispositiva* (*Recipiendæ* scilicet, non *Efficiendæ.*)

9. Quærendum igitur restat, Quodnam sit per Deum *Conditio Promissionis Justificantis*; & inde tota hæc controversia decidenda est. Ex Promissionis autem verbis liquidissimè patet, fœderis conditionem non esse tantùm fidem in *Christi Justitiam imputandam*, sed *Fidem in Christum quà Christum, fidem in Patrem & Spiritum sanctum* includentem; scilicet, Christianum fieri, seu fœderi Evangelico Baptismali consentire. Mar. 16. 16. *Quicunque credit & baptizatus est* (id est) *in nomen Patris, Filii & Spiritus sancti, salvabitur: Qui non credit autem, damnabitur:* Et Matth. 28. 19, 20. Joh. 3. 16, 17, &c. Per *Fidem* autem & *Baptismum* intelliguntur, Christianismi quasi Anima & Corpus; *Cordis* & *Oris* Fœderatio: non enim per *Fidem* aliud intelligitur in corde, aut magis aut minus, quam quod per Baptismum palam profitemur.

10. Inde etiam luculenter probatur Fidem, quæ promissionis Justificantis conditio est, essentialiter esse Actum & Intellectûs & Voluntatis: Actus scilicet non mere Physicus sed *Moralis* seu Politicus est, plures actus physicos in se continens; qualis est in Medicum credere quà Medicum, id est, eum quà Medicum fœdere acceptare; Aut Virum in Maritum, in Regem, in Ducem, &c. fœdere recipere. Ita totâ Animâ totum Christum quoad essentiam acceptare, & per eum Deum Patrem Reconciliatum, & Spiritum S. per mutuum fœdus, est Fides illa quæ (sola & non alia) est Conditio Fœderis Justificantis.

11. Distinguere igitur licet inter Fidem, quæ est Conditio promissionis, & Fidem quæ non est Conditio. Itidemq; inter *fidem* materialiter seu essentialiter quà fidem (inclusis objectis,) *viz.* Fidem in Christum, & *Fidem* quà Fœderis seu promissionis Conditionem; id est, sub formali ratione Conditionis. At sensu quærentium, distinctio Fidei *Quæ Justificat*, à *Fide quà Justificat*, suppositionem falsam implicat: *viz. Fidem* (quæ *Promissionis Justificantis Conditio est*) quà talem, latiorem esse quam *Fidem quâ Justificamur.* Aut enim per *Fidem Quæ Justificat*, Fidem volunt eandem, quæ est Justificationis Conditio, neque contractiorem, neque latiorem; vel non: Si non, nil aliud volunt, quam Fidem quæ *non est Conditio*, distinguendam esse à fide *quæ Conditio est*; quod à nemine negatur: Sin ita; falsum supponitur, *viz.* Fidem quà *Justificationis Medium*, latiorem esse quam *Fidem* illam *Quæ est Conditio Justificationis.* Quod vehementer negamus, quandoquidem nullo alio modo proximè ex fide ut medio Justificamur, quàm quà est Conditio Justificationis præstita.

12. At sensus proprius & obvius hujus distinctionis *Fidei quæ justificat*, & *quà*, non est omnino inter ipsos fidei Actus; sed inter *Actus* & (ut illi volunt) *effectum*; scilicet, *Inter Fidem quà Fidem in Christum*, & *Fidem quà Justificat.* Sicut, si Cæsarem acceptare in Maritum, Caiæ damnatæ & captivæ & pauperi, fieret Conditio omnium bonorum ad Reginæ statum pertinentium: Hic distinguere quidem liceret, inter *Nubere* quà tale, & *Nubere* quà medium honoris, medium divitiarum, medium libertatis, vitæ obtinendæ: At nihilominus non hinc probatur, aut honores, aut divitias, aut vitam, per actum aliquem singularem, aut alium quam idem *Nubere*, obtineri. *Beneficia* quidem Nubendi diversa sunt, at ex ejusdem Conditionis præstatione, (scilicet Nubendo,) omnia consequuntur.

13. At ingenia obtusa (nimium distinguentia, quia minus rerum veras distinctiones cernentia) inde propriæ deceptionis ansam arripiunt, quod à diversis Christi officiis seu operationibus, diversa oriri beneficia vident, ideóque Actus fidei diversos, eadem diversitate ad beneficia hæc obtinenda concurrere opinantur: At confuse quidem & erroneé. Beneficium enim adeptum, proximum, *Jus* est, (Relativum quid, non Physicum) *Jus* scilicet ad *Impunitatem, Justificationem, Vitam*, &c. & ex Donatione (non suspensâ per Infidelitatem) nudâ resultantiâ oritur. Non igitûr Fidei quà fidei in Christum proximè fructus est: sed Fidei in Christum, quà *Donationis Conditio præstita* est. Ideóque sicut non aliud

aliud sed idem Donationis instrumentum, ad Christum cùm omnibus fœderis beneficiis jus tribuit; Ita & sub *eadem Conditione*, ex parte hominis, & non diversâ juxta objecti partes diversas. Fidei quidem actus ut Physici diversi sunt, per objectorum diversitatem: Aliud nimirum est Christum acceptare quà Incarnatum, aliud quà Crucifixum, aliud quà Resuscitatum, quà Glorificatum, quà Doctorem, quà Regem, quà Justificatorem, &c. At Justificatio non ex actu fidei physico statim fit nostra, sed ex fœderis actu significativo & collativo; & reverâ non magis tibi Remissionem donat quia per Christi sacrificium condonari consentis, quam quia Christum Regem, Doctorem, Sanctificatorem per Spiritum suum, habere velis.

14. Sicut in similitudine prædictâ, Caja Cæsari nubens, à Cæsare quà marito prolem obtinet, à Cæsare quà divite divitias, quà Majestate prædito, honorem, quà libertate eam donante, libertatem, vitam, honores, divitias & omnia: At ab actu suo Nubendi ita distributa hæc oriuntur. Non ideo libertate, aut vitâ potita est, quia voluit, aut nupsit Cæsari, sub conceptu liberatoris; non divitiis potita est, quia nupsit Cæsari propter divitias; non honoribus quia propter honores: sed omnibus potita est, proximè quia Ipse ea donavit sub *Nubendi* indistinctâ Conditione.

15. Immo si distinctio ulla *intentionis* hic observanda sit, non *Accipientis* sed *Donantis* distincta intentio eam inferet: At plerumque *Donator* dum *Conditiones* Doni recipiendi statuit, partem aliquam cui Beneficiarius minus lubens aliter consensurus erat, Conditionem ponit ad partem alteram recipiendam, quam ipse obtinere jam enixe voluit. E. g. Qui latroni, perduelli, homicidæ pauperi, vitam, libertatem, divitias in vita honestâ, gratis donare cupit; non tam dicit, si *vitam & divitias habere velis*, sed si *homicidio, latrocinio renunciare velis*, hæc tibi donabo. Et medicus non dicit ægroto, *si levamen & salutem vis*, sanaberis: sed si *mihi fidem habebis, morem geres, & medicamenta mea qualiacunque non repudiabis, sanaberis.*

16. Sicut in *fide* in Deum non ideo Jus habemus ad *Bonitatis* ejus effecta quà talia, tantum quia *Bonitatem* ejus credimus; neque ad *Sapientiæ* effecta quia *Sapientiam* tantum credimus; neque ad *Omnipotentiæ* effecta quia *Omnipotentiam* credimus magis quam quia *Bonitatem*: Ita etiam de fide in Christum putandum est.

17. Et qui distinguentem nullam promissionem, nullum Dei verbum invenire possunt, ubi directe vel indirectè dicitur, credendo in Christum sub notione *Justificantis Justificaberis*, sub notione *Sanctificantis Sanctificaberis*, & sic de cæteris, & tamen fictam hanc doctrinam aut Divinam venditant, nil aliud facere videntur quam Dei verbum addendo corrumpere, & falsa humana pro veris divinis ecclesiis obtrudere.

18. Et revera si talis distinctio concederetur, tot fidei actus distinctos esse necesse esset, quot beneficia per Christum obtinenda sunt: Et væ rudioribus istis ingeniis qui multipliciter distinguere non possent. At Christus ipse hos confutavit promittendo Matth. 6. 33. *Quærite primo Regnum Dei & Justitiam ejus; & hæc omnia adjicientur vobis.* Igitur Actus noster circa unum objectum aliquando magis conducit ad aliud obtinendum, quam Actus circa illud aliud. Et paucos equidem Christianos novi, qui ideo Jus ad divitias, honores, vitam, sanctitatem, gloriam, Remissionem, &c. sibi esse putant, quia particulariter in Christum credunt, quà ditescentem, honorantem, sanctificantem, &c. At Christo quà Christo nos totos cordicitùs tradere, in fœdere Christiano, est vera Conditio Juris nostri ad Christum ipsum & omnia fœderis beneficia, etiam plurima nobis nondum particulariter nota.

19. At in negotio *Sanctificationis*, res longe aliter se habet. Ibi enim fidei Actus operatur juxta naturam objecti. Ad sanctificationem fides operatur per propriam efficientiam, etiam in ipsum Intellectum fere per modum naturæ, & in voluntatem per modum objecta ostendentis, moraliter & metaphorice saltem. Cum credo Dei Bonitatem, fides Amorem suscitat, cum fidelita-

tem fiduciam, cum Majestatem obedientiam, &c. At non ita in *Jure beneficiorum* obtinendo, ubi Fides solum Conditio est sine qua non, & Fœdus seu Testamentum Instrumentum efficiens est; & Deus omnia beneficia sua donavit *quoad Jus*, sub integrâ unâ Conditione Fidei in Christum quâ Christum: Et ex una hac indivisa fide, per unam promissionem seu fœdus, Jus ad plurima beneficia, modis plurimis per Christum procurata, conceduntur.

20. Qui plura contra distinctionis hujus abusum (de fide Quæ & Quâ Justificat) velit, Disput. nostras de Justif. idiomate Angl. scriptas legat.

Qu. 10. *Quænam sit vera Ratio causativa Fidei in negotio Justificationis? Anne ut Instrumentum, sicut à plurimis dicitur? Aut ut conditio donationis præstita?*

Resp. IN Tractatu jam nominato & in pluribus aliis, tot jamdiu ad hanc quæstionem dicta sunt, & ex jam dictis res adeo clare patet, ut paucis eam jam expediendam ducam. 1. Jam dixi Fidem non esse *Causam* Justificationis aut *Efficientem*, aut *Formalem*, aut *Finalem*; neque *Materialem*, universalis Justitiæ; sed tantum Justitiæ subordinatæ Particularis, quæ consistit in præstatione Conditionis Evangelici fœderis: At ad *Materialem subjectivam* pertinet; *viz.* est *subjecti Dispositio* ad *Justificationem recipiendam* ex institutione Divinâ necessaria; *viz.* Conditio Justificationis sub qua gratis à Deo nobis donatur.

2. *Aptitudo* ejus ad hoc officium Fœderale Conditionis est *Ipsa Fidei essentia*, & ab officio hoc ipso distinguenda est. Fides in Christum *quâ hæc Fides*, (quia est actus *Doctrinæ*, promissionis-*Veritati*, Divinæ-*fidelitati*, *Bono* gratis *oblato*, *modo* procurandi & donandi, simul & *Gloriæ* Christi & Patris, maxime *congruus*) naturâ suâ apta est, quæ ad locum hunc à Deo & Christo ordinaretur: si quæris igitur *Quare Fides à Deo sit Promissionis Conditio?* Respondeo, *Quia huic usui Fides hæc in Christum quà talis fuit naturaliter aptissima, & Deo ita visum est*: At si quæris, *Quare ex fide nobis obvenit Justificatio?* Respondeo, *Quia sub hac Conditione à Deo per fœdus donatum est:* Neque alia hic opus est responsione.

3. Quod ad *Instrumentalitatem* autem Fidei, dico, 1. Instrumentum proprie sumptum est *Causa efficiens:* At Fides non Instrumentaliter Justificationem efficit: Justificare enim est *Actus Dei* per *Instrumentalitatem Fœderis*: At credere nostrum, nullo sensu effective peccata remittit, vel *Jus vitæ donat*; neque Instrumentum *Dei* est, neque *nostrum*, utpote qui non peccatorum nostrorum condonatores sumus. Neque dicere audent Instrumentalitatis assertores, Deum nobis peccata Remittere per Fidei nostræ Instrumentalitatem.

2. Instrumentum autem jam tandem à plerisque *Passivum* seu *Receptivum* nominatur. At cum quæritur, An *Instrumentum Recipiens Christum ipsum*, aut *Christi Justitiam*, aut *ipsam Justificationem* seu *Jus donatum*, quodcunque dicatur, concedendum sit? Dico litem jam de *nomine* esse; & *Instrumentum Passivum* esse quidem sæpe *Instrumentum Mechanicum*, & juxta vulgi usum talia nomina intelligenda esse: At *Instrumentum Logicum* seu *Causa Instrumentalis* non est; utpote quæ solùm inter Causas *efficientes* invenitur. At si per Nomen Instrumenti nil aliud volunt, præterquam vel *Naturam Fidei Acceptivam*, seu *Dispositionem subjecti Receptivam*, de Re nulla lis est; Nomine autem inepto tantum nè abutantur ad falsa inde inferenda. Fides quidem *Essentialiter* quâ *hæc fides in specie*, (quoad actum physicum è multis unum) est *Justitiæ donatæ Acceptatio:* Et hæc Fides ex *Ordinatione Donatoris* est *Conditionis fœderalis pars*: & *Conditionis* præstatio, quoad Donum gratuitò datum, est *Dispositio Moralis subjecti* ad Receptionem Tituli seu Juris necessaria. Et ita inter notiones Logicas habet locum *Medii* in *Genere*, & *hujus medii* in *specie*, seu *Causæ materialis qualificationis necessariæ*: Inter notiones autem *Politicas* seu *Judiciarias* locum habet

Conditionis

Conditionis præstitæ. Ad eruditorum nauseam hæc repetuntur, nè ab hebetioribus aut festinantibus negligantur.

At hæc simul à Lectore quæso probe notentur. 1. Quod *Assentire* non est *Acceptare*, sed *Sentire* vel *Intelligere*: Ideóque actus fidei Intellectualis non Justitiam donatam *accipit*, sed *credit*. Assensus tamen est Fidei Justificantis Actus, non minùs essentialis quam Consensus. 2. Actus fidei formalis (*Fidere* seu *Fiduciam ponere*) circa objectum *Formale*, (*Fidelitatem dicentis*) non est *Acceptare*: non minùs tamen est Conditio Justificationis. 3. *Consensus* seu *Lubentia Voluntatis* in *credendo* Christum esse *Deum* & hominem, esse Mediatorem, fuisse Crucifixum, sacrificium expiatorium, meruisse, resurrexisse, fœdus ordinasse, Glorificatum esse, Regem, Prophetam, Sacerdotem intercedentem, &c. non est *Acceptare donum*, sed complaceri in Veritate crediti. 4. *Acceptare* Christi ipsius *personam* quà donatam nobis sub *Relatione Capitis* in genere, aut *Regis, Prophetæ, Intercessoris, Domini* particulariter, non est *ipsam Justitiam donatam* acceptare: At non minus (nè dicam magis) ad eam recipiendam conducit. 5. Donum Spiritûs sanctificantis *Acceptare*, non est *Justitiam Imputatam* acceptare: At non minus ad ejus *Receptionem* conducit. 6. Deum Patrem reconciliatum ut *nostrum Acceptare*, non est formaliter *Justitiam imputatam* acceptare. 7. *Remissionem peccatorum Acceptare*, non est (formaliter saltem) *Jus Relationis* ad *Christum* ipsum ut caput acceptare. 8. Et *Remissionem acceptare* non est *meritum Christi acceptare*. 9. Et *Remissionem unius peccati acceptare*, non est *Remissionem alterius acceptare*.

Hinc satis patet, 1. Quod *Acceptatio* non ex *Naturâ Actus proxime*, sed ex *Ordinatione Donantis proxime* seu *formaliter*, & ex naturâ Actus tantum *materialiter* seu *aptitudinaliter*, fit Justificationis Conditio. 2. Quod Jus ad Beneficia, Acceptationum particularium partitionem non sequitur; sed ex unâ fide Morali ex pluribus physicis actibus conflatâ, seu unâ Donationis Conditione, oritur. 3. Quod plures Actus præter *Acceptandi* hunc (& Intellectûs & Voluntatis) sunt conditionis ejusdem partes essentiales.

Ideóque & *Assensus* & *fiducia* & *Voluntatis lubentia*, circa Articulorum fidei Veritatem, & *Acceptatio* etiam omnium fœderis donorum, immo & *sui Deditio* fœderalis *Deo* & *Mediatori* & Spiritui sancto, sunt Una fides Christiana, cujus pars unaquæque ad officium suum proprium *Apta est*: At non statim ideo Justificamur ex hac Aptitudine: sed quia *Apta est*, fides fit doni *Conditio*; & formaliter quà talis (præstita) est debita *subjecti Dispositio Receptiva*.

Notandum igitur est discrimen inter *Accipere* & *Recipere*: inter *Acceptationem Activam*, & *Receptionem Passivam*. *Recipere* est *Pati*; & quid Physicum (seu Notio Physica): Et ita in toto hoc discursu per *Receptionem Justitiæ, Justificationis, Condonationis, Sanctificationis*, nil aliud volo quam *Justum fieri, Justificari, Condonari, Sanctificari*: At *Accipere* seu *Acceptare*, nil aliud est, quam *Consentire*, aut *Velle donum oblatum*: Ubi *Donatio* sub *Conditione* præsupponitur: Ex qua *Acceptatio* fit Conditio *Receptionis*, seu *Juris habendi*. Nisi enim Donatio hujusmodi antecedat, aut si Donatio aliam habuisset Conditionem, Acceptatio ad Receptionem nullatenus sufficeret. *Acceptare* igitur, quando Donationem supponit sub Conditione solius Acceptandi, nil aliud est quam Juris seu Receptionis Conditionem præstare: Quando autem Conditioni partes aliæ adduntur (Donandi modo, & Donatoris intentioni congruæ & necessariæ) nuda Acceptatio (utpote *Pars* tantum Conditionis) non sufficit.

At si ipsa *Acceptatio* non mere Physice sumatur, sed Moraliter & Legaliter seu Politice, mihi quidem satis aptè dicendum videtur, *Solam Acceptationem dati Beneficii esse Conditionem Receptionis* (seu *Jus habendi*.) Evangelicum enim fœdus vere Testamentum seu Donatio est: At probè observandum est, 1. Quod plura simul necessaria (Deus Pater, Mediator, Sp. sanctus, Remissio, Jus hæreditatis cœlestis, Liberatio à dominio peccati, Diaboli, Carnis, mundi, &c.) simul per idem Testamentum donantur: 2. Quod Doni uniuscujusque proprius est *Modus*, propria sunt accidentia, quibus nullum donum devestiendum est: Et

Acceptatio necessario ad Doni naturam, modum & Accidentia necessaria, adaptanda est. 3. Quod Acceptatio *partis unicæ* nulla aut invalida est: Quia Beneficia non à Deo donantur *dispertita* & *separata*, sed solum *conjuncta*: Conjuncta igitur omnia (quæ necessaria sunt) aut *nulla* Recipiuntur, ideóque Acceptantur.

Et hisce pensitatis, satis patet, dum modus Acceptandi ad modum Doni adaptatus est, Acceptationem includere, omnem necessarium Intellectûs Assensum, & omnes Acceptantis congruas Volitiones, etiam Doni amorem, desiderium, submissam flagitationem, Gratitudinem, etiam contrariorum desertionem.

Non enim Donum condemnato peccatori gratuitò donatum, juxta naturam suam accipitur, nisi cum pœnitentia & indignitatis sensu, humiliter, cum gratitudine & justâ æstimatione: Neque Christum aliquis verè Acceptat, qui Doctorem, Dominum, Regem, & Salvatorem ab ipsis peccatis, à carne, mundo & Diabolo, non acceptat. Et Liberatorem à malis hisce non verè acceptat, qui non eodem actu à peccato, à carne, mundo & Diabolo, Voluntatis Consensu se avertit, & eis renunciat; & de futuro sancte vivere potius vellet: neque Deum aut Christum Regem acceptat, qui qua vitæ sanctæ & obedientis futuræ ducem & Rectorem non acceptat. Neque Dominum acceptat, qui ut *suum* se ipsi non *dedit*. Et ita dicere (ni fallor non inepte) soleo, NUDAM ACCEPTATIONEM MORALEM, IN ESSENTIALIBUS NATURÆ DONI GRATUITÆ, sed à Christo promeritæ, CONGRUAM, esse solam & totam Justificationis primò recipiendæ Conditionem: at quot & quanta in hac Acceptatione continentur, ex hisce luculenter patet. Et simul quare Fidem esse Causam efficientem Instrumentalem Justificationis nego; & quare cum nemine contendere volo, qui sensu mechanico, seu vulgari, nomine Instrumenti abutens, Fidem qua in *Acceptatione* consistit, *Instrumentum* Accipiendi (id est, *habitum* sui *actûs*) aut magis inepte Instrumentum Jus recipiendi seu habendi, vocabit; & quare Talem (inepte dictam) instrumentalitatem nego esse *Rationem proximam* seu formalem quare ex fide Justificamur; at verè Rationem remotiorem esse quasi materialem, utpote quæ est Aptitudo ejus ad locum seu officium conditionis.

Denique ingenium non omninò obtusum, ex hisce duobus probè pensitatis, à vulgari Instrumentalis Justificationis hac notione, magis alienatum se inveniet: 1. Quod ejus assertores ipsam *Fidei essentiam*, seu τὸ *credere* quà tale faciunt Rationem proximam ejus potestatis & effectûs Justificandi. Id enim quod *Instrumentalitatem* fidei dicunt, revera nil aliud est, quam (ut alii) *Christum*, aut (ut alii) *Christi Justitiam*, aut (ut alii) *Promissionem*, credere, aut (ut alii) in eam per fiduciam recumbere, vel acceptare. At hoc nil aliud est quam *ipsa fides*. Ergo dum contra alios insurgunt quia τὸ *credere* faciunt tantum Justificationis Conditionem, & *in tantum* solùm ad Justitiam imputari, ut ex parte nostrâ nil aliud à nobis requiratur, ad Justificationis gratuitæ participationem; Ipsi interim ipsum τὸ credere faciunt causam Instrumentalem Justificationis. 2. Quia revera nulli Peccatori tantum honoris concedendum est, ut dum gratis donata tantum accipit, Justificationis propriæ credendo Instrumentum, aut ipse, aut fides sua, æstimetur. Non enim esse Justificationis Instrumentum, quid altius est, quam esse Conditionem sine qua non, & Dispositionem Receptivam subjecti? vel (ut loquitur D. Twissus) *causam* mere Dispositivam?

Obj. *At fides non justificat ratione sui, sed ratione Christi objecti?*

Resp. 1. Anne *Christum* aut *ipsam fidem* intelligis, quando dicis Fidem esse *Instrumentum Justificandi*, aut *Instrumentum Christi Recipiendi?* Proculdubio fidem ipsam, (nisi somnias.) 2. De *Instrumentalitate fidei* non *Christi* lis est. 3. Christus quà Objectum, est fidei Christianæ essentiale. Objectum enim fidem specificat.

Qu. XI.

Qu. XI. *Anne fides in Deum Patrem & Spiritum sanctum æque Justificat, ac fides in Christum.*

Resp. NUlla fides proprie Justificat: At ex fide in *Deum Patrem* & *Sp. sanctum* non minus Justificamur quam ex fide in Christum. 1. In eodem etenim fœdere partes essentiales fiunt *ejusdem Conditionis.* 2. Et fides ipsa in Christum essentialiter continet fidem in Patrem & Sp. sanctum; & quoad Deitatem ejus, & quoad officium Mediatoris Relativum, Christus separatus à Patre & Spiritu sancto, non est Christus. Nemo vult Medicum quà Medicum, nisi inclusivè etiam velit *salutem*; neque Reconciliatorem, nisi inclusivè velit Amorem Reconciliandi.

At homines simul & *minùs* & *nimis* distinguentes, sicut se confundunt distinguendo de *Meritis* Christi, ita & de *fide* nostra: Sicut enim Deus Pater Christo fœdus seu Legem posuit, ubi Conditio, ex parte Christi, & *Dei-hominis sanctitatem habitualem, & perfectam obedientiam actualem, & passionem & mortem,* (etiam & *Resurrectionem* & *Intercessionem* quadantenus) ut partes in se continebat; & hæc omnia sub ratione Meriti, ut unica conditio meritoria indivisim Justificationem nostram procuraverunt: Hoc non cernentes quærunt, *An nobis Imputatur Justitia Christi Passiva tantum, an etiam Activa? an etiam Habitualis? an etiam Divina?* Quasi sub formali ratione justitiæ nostræ in se, & non sub ratione causæ promerentis, imputata sit: Quod hinc etiam confutatur, quia per Impletionem Legis Mediatori propriæ (ut miraculis operando, &c.) & Legis Mosaicæ politicæ & ceremonialis (quâ Gentes nunquam obstrictæ fuerunt) nos Justificati sumus: Quod certè fit per modum meriti, & non per ipsius operis Imputationem in se: (Deus enim non reputat nos Legi Mosaicæ politicæ & ceremoniali perfectè obediviſſe, aut Lazarum à mortuis suscitasse, magis quam nos ipsos Crucifixos esse & à mortuis resurrexisse:) Ita etiam cum Deus fœdere uno, unam Conditionem nobis imposuit, ex pluribus actibus constitutam, qui omnes indivisim sunt Dispositio nostra Receptiva juris, quatenus una sunt Donationis Conditio, hi distinguentes itidem se confundunt, quærendo an Fides in Patrem, aut fides in Sp. sanctum, aut fides in Christum quà Dominum, Regem, Doctorem, &c. Justificet? Quasi Fides proxime quà Fides justificaret? Cum ex hisce omnibus ut unica Conditione, tantum justificamur.

Hinc aiunt, *Fides in Deum Patrem, in Christum Dominum quà talis non justificat. Resp.* Neque *fides ulla quà talis*, sed quà Conditio donationis.

At si Fides in Christum quà *Justificatorem* solum Justificaret, ex sequentibus patebit, hinc etiam eorum errorem patefactum fore.

Qu. XII. *An Christus ipse nos Justificat quà Justificationem nostram promeritus est tantùm, aut solum quà Sacerdos est, vel etiam quà Doctor, Rex, &c.*

Resp. PEr omnium officii sui partium exercitium Christus nos Justificat: 1. Quà *Humiliatus*, nos justificat per Sacrificii, Satisfactionis & passionis merita. 2. Quà *Subditus* perfecte justus, nos justificat ex Justitiæ perfectæ meritis. 3. Quà Rex Legislator, quà 4. Benefactor & Testator, nos justificat, Justificans Testamentum seu fœdus condendo & concedendo. 5. Quà Doctor nos naturam justificationis, media & modum eam obtinendi docet. 6. Ut Rex-Judex, nos justificat per sententiam Judicialem.

Hinc patet quod etiam credere in Christum ut *Justificatorem*, non est tantum credere in eum ut *Justum*, aut *Sacerdotem*, sed est credere in Christum quà Christum, quoad omnes officii sui partes.

Qu. XIII. *Quænam Resipiscentiæ, quæ Amoris, quæ obedientiæ partes sunt, in negotio Justificationis: Et quomodo à fidei officio discriminantur.*

Resp. 1. FIdes strictissime & sensu mere physico sic dicta, tota specie à cæteris distincta est.

2. Fides Christiana sensu morali politico sic dicta, quæ & salvifica, est Medium à Deo ordinatum, ad Amorem Divinum & sanctum in animâ accendendum, ad Amoris scilicet & exercitium & habitum, ad confirmationem & incrementum: Ideoque in tantum ab Amore distincta est.

3. At in fide salvificâ *aliquid Amoris* erga fidei objectum semper inest. Aliter *Voluntatis* actus esse non posset. Omnis *Volitio*, seu *Complacentia*, *Amor* est. Et *Acceptare* est *Velle Bonum oblatum*: Et nil aliud est quam *Volitio* seu *Amor* qui ex respectu ad *Obligationem* Boni denominatur: Acceptatio est Amantis consensus habere Oblatum Amabile, sub Conditionibus offerentis.

4. Sed denominatio fit ex parte seu actu dominante. Ideóque hoc opus quo Pater Reconciliatus, cum Christo & Spiritu Sancto, & Justificatione & Vitâ nobis oblatus, acceptatur, potius *Fides* seu *Acceptatio* seu *Fœderatio* dicendum est, quam *Amor*: Sicut & *Matrimonium* non *Amorem* Vocamus, sed ad vitam Amoris obligationem, quamvis sine *Amore* non est contrahendum; & sicut Medicum per fœdus eligere per quem salutem obtinere speramus, non *Amorem* aut *Salutis* aut *Medici* nominamus, sed potius *Fiduciam* in hoc Medico collocare; quamvis hoc non fit sine Amore tum *Medici* tum salutis: Ita etiam de Amore Divino & fide dicendum est. Sed de hisce quantum possum accurate disserui in Director. Christiano P. 1. c. de Amore Divino.

5. Fides prima in Christum est Actus *obedientiæ Divinæ*: *Deum* enim necessario agnoscimus, ideóque Veracem, & Mundi *Regem*, priusquam Christum Mediatorem agnoscere possumus. Et ex *Veracitate Divina* revelante, hoc de Christo & ejus operibus credimus. Et ideo in Christum Fiduciam collocamus, quia Deus hoc jussit: Ideóque credendo Deo obedimus. Fides enim *quà fides*, non est obedientia quà obedientia: At fides quæ fides, est obedientiæ Actus unus, ut maximè ad hoc aptus, à Deo sapientissimo electus, ut Conditio fieret fœderis Justificantis.

6. At fides tamen ab obedientia distinguenda est, 1. Quia ratione formali differunt; 2. Quia etiam materialiter est tantum obedientiæ pars quædam singularis. Et quia

7. Fides prima in Christum non est actus obedientiæ quoad *Christum*, sed tantum ad *Deum Patrem*; sicut ante latius explicatum est.

8. Fides Christiana quamvis non est actus obedientiæ quoad Christum, est tamen *Consensus* & sui obligatio ad obediendum: Et Christum Regem fide acceptare, est *Subjectio* quæ obedientiæ radix est.

9. Obedientia actualis omnis subsequens, est (non fides sed) Fidei fructus.

10. Resipiscentia sumitur vel pro eodem opere quæ fides dicitur, à termino *à quo* denominato, vel pro contritione, vel pro particularium peccatorum postea desertione. Sensu priore, Resipiscentia est Fides inadæquate denominata ex termino à quo. Sicut enim transire à morte ad vitam, è tenebris in apricum, motus unicus est; Ita & transire ab Atheismo & Impietate per fidem ad Deum, ab Infidelitate ad Christum à peccato in genere quà tali, à Carne, Mundo & Diabolo, ad Spiritum Sanctificantem, (non per victoriam actualem quæ dicitur Sanctitas, sed quantum ad animi propositum, & consensum fœderalem, ad Spiritus opera Sanctificantia) hoc nihil aliud est, quam ipsa fœderatio & Fides à termino à quo denominata. At Resipiscentia in sensu secundo & tertio est *Fidei* vel fructus vel socius.

11. Et in sacris Literis, *Fides* sæpe strictiore sensu sumitur, ut in Christum ipsum terminata, & Resipiscentia in sensu latiore, ut est conversio ad Deum, & sanctum Amorem & obedientiam, denominata à termino à quo. Et ita dicitur

dicitur Resipiscentia erga Deum, distincta à Fide erga Christum. Et sicut *Christus* quà Mediator est Via ad Patrem, non autem Finis ultimatè ultimus: Ita & Fides in Christum Mediatorem quà talem, est medium ad Resipiscentiam quà est Conversio à peccato ad Deum.

12. Resipiscentia fit cum fide Conditio fœderis Justificantis, 1. Quatenus est ipsa fides denominata à termino à quo, viz. Conversio peccatoris ab Infidelitate, ad fidem in Patrem, Filium & Spiritum sanctum: 2. Et ita quatenus fides in Christum qua Salvatorem à peccatis, essentialiter includit consensum de salute seu liberatione h c accipienda: Et quà Fides in Spir. Sanctum consensum continet, à peccatis, à Carne, mundo & Diabolo servari, per Spiritus S. gratiam sanctificantem. Et ita Resipiscentiam fieri conditionem fœderis nil aliud est, quam Fidem Christianam fœderalem fieri Conditionem.

13. Obj. *Anne igitur per Resipiscentiam, justificari dicimur?*

Resp. 1. Minime, si de *phrasi* quæritur: neque proprie dicitur; Quia Resipiscentia ita sensu contractiore sumpta, est tantum *Fidei Christianæ* pars: Et pars quidem partis; id est conceptus partis cujusdam inadæquatus minor, quasi ex termino tantum à quo.

14. Vera autem & phrasium & rerum differentia in Justificationis negotio hæc est: Quamvis quà Conditiones fœderis, & fides quà fides & Resipiscentia hæc fidei pars, sunt una Conditio, & ita proxime quà *Subjecti Dispositio Receptiva* utriusque simul eædem partes sunt: Non tamen *ex Ratione unicâ* aut fidei aut Resipiscentiæ actus omnes in Conditionis officium à Deo ordinantur: sed propter diversam aptitudinem naturalem. Nimirum 1. *Fides* in *Deum* quà Deum Conditio fit ex Ratione à *necessitate finis*, (omnium summâ): Sicut *Velle Salutem* fit Conditio curationis, & *Velle vivere* est Conditio veniæ recipiendæ in condemnato.

2. Resipiscentia de Atheismo & Impietate adversus Deum, est eadem fides in Deum denominata à termino à quo, itidemque *Finis Gratiâ* necessaria: Sicut in ægroto *Velle* à *morbo* & *morte* liberari.

3. Fides *in Christum* fit *Conditio*, ex *necessitate medii* (*objecti* & inde *Actus*): Quia sicut non sine Christo pervenitur ad Patrem, ita nec *sine fide*, per Christum ad Patrem venire, aut eo ut Mediatore, uti possumus.

4. Resipiscentia ab Infidelitate adversus Christum, nil aliud est, quam *Fides in Christum* ipsum denominata à termino à quo: Ideoque ejusdem est Rationis: Sicut ægroto est & Medico soli perito & fideli se dedere, & ab *imperitis* & *perniciosis*, ut & à *diffidentia* & *præjudiciis* adversus peritum, discedere.

5. *Fides* in *Spiritum Sanctum* fit Conditio, tum ex ratione *Medii* & *Finis*: Qualis ægroto est ipsam auxiliatricem medici manum vel tactu vel medicamento potenti sanantem admittere.

6. Resipiscentia de Resistentiâ adversus Sp. sanctum & de obsequio Carni, Mundo & Diabolo exhibito; est hæc ipsa fides in Sp. sanctum denominata à termino à quo: Ejusdemque rationis, qualis ægroto est, medicamenta posthac nolle abjicere, & appetitui in prohibitis vorandis nolle obedire; & hæc consensu fœderali in se recipere (Quamvis postea practicanda). Hæ sunt veræ Rationes quare *fidei* & Resipiscentiæ actus à Deo fiunt fœderis Conditiones.

15. Ratio *Conditionis* igitur omnium communis est: At Ratio quare fiunt *Conditio* uniuscujusque diversa est.

16. Quoniam igitur Fides in Christum ideo Conditio fit, quia & Objectum & Actus ex suâ naturâ habent necessitatem *medii ordinati*; quandocunque de medio hoc Justificationis ordinato dicendum est, per *fidem in Christum Justificari nos*, aptissima phrasis est: Quia & necessitatem Objecti & actus, & utriusque officium simul connotat. Quando autem dicitur, *nisi resipiscas peribis, & si resipiscas condonaberis*; phrasis inadæquata est, eadem significans, sed non connotato sed suppositio, termino ad quem.

16. Huic

16. Hinc Doctiſ. & eximie pius noſter Joh. Ballus de fœdere, cum pluribus aliis vocat *Fidem Conditionem inſtrumentalem*, & *Reſipiſcentiam*, *Conditionem Diſpoſitivam*; eadem quæ dixi, ni fallor ſentiens: Utraque ſcilicet eſt Conditio Diſpoſitiva ad Receptionem neceſſaria; At Reſipiſcentia formaliter talis (id eſt, quà eſt Fides connotans terminum à quo) *eſt tantum Diſpoſitiva*, ſeu Diſpoſitio Receptiva; & Fides (quà etiam connotat terminum ad quem) eſt etiam *Conditio Receptiva*, ſeu *Acceptio* illa Doni oblati quæ eſt Subjecti Diſpoſitio Receptiva. Ignoſce Lector, quod potius *repetitionibus* peccare velim, quam *obſcuritate*.

Qu. XIV. *An Fides Juſtificans & ſalvifica, omnino eadem ſit?*

Reſp. FIdes omnino eadem ſit *Conditio* & *Juſtificationis*, & *Juris* ad *vitam æternam* primò recipiendi. 1. Eodem enim fœdere, & ſub unâ eademque indiviſâ Conditione Dei impertiuntur. 2. Et quidni *Juſtificatio* etiam *Jus vitæ* tribuit? 3. Juſtificatur perſona per ſententiam Judicis, quando ejus *Jus Salutis* ſeu *Vitæ æternæ* Juſtificatur: Et dum quæritur, *An jure ſalvandus* ſit, an *potius damnandus*, non omnino juſtificatur, niſi eum *ſalvandum, non damnandum* eſſe, judicetur. Ex iiſdem igitur cauſis & conditionibus hæc fieri, quæ re idem ſunt, neceſſe eſt. 4. Eadem item conditio ſæpiſſime in ſacris literis utrique neceſſaria præſcribitur, ſicut videre eſt Jac. 2. 14, 22. 1 Cor. 1. 21. Joh. 12. 46, 47. 1 Pet. 3. 21. Luc. 8. 12. Joh. 3. 16, 17. & 5. 34. Act. 16. 30, 31. 1 Cor. 15. 2. Eph. 2. 5, 8. Tit. 3. 5. Mar. 16. 16. Joh. 10. 9. Act. 11. 14. Rom. 5. 9, 10. & 10. 9, 10, 13. Heb. 10. 39. & 5. 9. Heb. 11. 7. & per totum. 1 Pet. 5. 9. cum pluribus aliis.

Obj. *Bona opera neceſſaria ſunt ad ſalutem: non autem ad Juſtificationem.* *Reſp.* Nil tale in ſacris literis invenitur: Ad *Juſtificationem* & ad *Jus vitæ æternæ* primò obtinenda, nullum *bonum opus* neceſſarium eſt, præter Fidem ſeu Cordis Conſenſum practicum fœderalem ſæpe deſcriptum: At ad Juſtificationis continuationem, & ad Juſtificationem per ſententiam Judicis in extremo judicio, Bona opera ſunt omnino æque neceſſaria: Et contradictorie dicitur, *Bona opera neceſſaria ſunt ut Jus Vitæ æternæ habeas; non autem ut Jus tuum hoc per Judicem juſtificetur, aut ut tu ipſe quoad Jus hoc Juſtificeris.*] Nullibi invenitur divina promiſſio, quæ *Juſtificationem noviſſimam* ſub anguſtiore aut minore aliquâ Conditione, quam *Glorificationem promittit*: & ex quâcunque conditione quis Juſtificatur, ex eadem, quia eodem actu, ejus *Jus Salutis* Juſtificatur.

Qu. XV. *Anne plus per modum Conditionis requiritur ad Juſtificationis continuationem, quam ad ejus inceptionem?*

Reſp. 1. NOn *alia Fides* requiritur, ſed plures ejuſdem fidei actus, cum continuatione habitûs requiruntur. 2. Plures Reſipiſcentiæ actus particulares, à particularibus peccatis requiruntur. 3. Habitualis & Actualis ſanctitas & Dei Amor requiruntur: Et 4. Vera obedientiæ, & totius fœderis baptiſmalis ſincera præſtatio requiritur. Ad primam Juris poſſeſſionem, ipſe *Conſenſus* fœderalis fuit fœderis Conditio ſufficiens; ſicut Matrimonium Juris conjugalis: At Fœdus hoc poſtea ſervare, id eſt, fidelitatem & conſtantiam, & obedientiam ibi promiſſam per credentem, ad finem uſque præſtare, eſt conditio ad Juſtificationis perſeverantiam, & ad Juſtificationem Judiciariam finalem neceſſaria: Sicut pluribus alibi probatum dedi.

Conditio quidem quam vocant *Inſtrumentalem*, id eſt, *Mediatam* ad appropriationem Chriſti, eſt Fides ſola in Chriſtum Mediatorem: At Conditio *Diſpoſitiva* ſeu ſubjecti *Diſpoſitio Receptiva*, (etiam ex neceſſitate rei & ordinationis

ordinationis divinæ), est *vera Sanctitas, Amor, obedientia*, & in iis *perseverantiæ* & victoria. Sicut ex Apoc. Cap. 2, & 3. & 22. 14. & passim, præcipue Matth. 25. patet.

Qu. XVI. *An ex primo tantum fidei actu Justificamur; an etiam ex omnibus sequentibus?*

Resp. EX primo tantum actu *primò Justificamur*; neque per actum alium sequentem *Justi* ex *injustis* facti sumus: Sicut ex primo Animæ Lazari reditu, vivens factus est: At ex ejusdem continuatione vivens continuatus est. Aut sicut ex Diplomate seu Donatione Regia honores Civitati primò conceduntur: At ex virtute Diplomatis seu Donationis *Continuatæ*, honores *Continuantur*. Cessante Causâ aut *Conditione* necessariâ, item cessat effectus. Neque minùs necessaria est *fidei continuatio* ad *Justificationis continuationem*, quam *primus* fidei actus ad ejus inceptionem: Et proculdubio auribus Christianis duriusculè sonabit, Unicum solum fidei actum fore *Justificantem*, & nisi in unico instanti neminem unquam ex *fide Justificatum esse*, aut fidem Justificantem habuisse: Actus quippe jamjam transit & nihil est.

Qu. XVII. *Utrum ex fidei Actu an ex Habitu, an ex utroque, & quo priùs Justificemur?*

Resp. 1. IPsa Habituum natura, (& quantum ab Actu differunt,) adeo ingenium fugit humanum, ut à nemine clare nota sit. 2. Ex fidei Actu proculdubio Justificamur, quia promissionis tenor hoc manifestat. 3. Ex fidei *Habitu* etiam homines justificari patet, tum quia Habitus est actus radicatus & in virtutem versus; tum quia dormientes & delirantes quibus Actus cessat, Justificantur.

4. At hic *Actus præteritus* etiam non omnino inutilis est: Quia si Lex Actus etiam interruptos *Conditionem doni* statuit, conditio vere præstita est, per actus non-continuos; continuato habitu. Et hinc etiam Instrumentalitatis fidei assertores confutantur. Si enim *fides* quà *Instrumentum* proprie dictum justificaret, non diutius Justificati essemus quàm fides operetur: Instrumentum enim non agens non efficit: At dormientis fides non agit; neque fides alia-agentis animum totum occupantia. At si ex fide Justificamur quà *conditione præstitâ*, etiam dormientes & aliud agentes justificantur: Quia tota vis conditionis quà talis ex *Donatoris voluntate* pendet: Voluntas autem Donatoris statuit vere *Fidelem* (seu Christianum) *Justificatum iri*. At vere *fidelis* est quicunque *actu credidit*, & *habitum fidei* adhuc possidet, unde opportune actu credere inclinatur.

Ex *Habitu* igitur & *ex actu* Justificamur, in quantum & *Actus* & *Habitus* ad *Fidelem* seu *Christianum* constituendum necessarii sunt. Et quamvis forte in primo instanti ex *Actu solo*, postea tamen nunquam *sine Habitu*.

Utrum verò *Fidei Actus* an *Habitus* per Spiritum sanctum prior generetur, inter Theologos dubium est, de quo Justificationis negotium non multùm laborat: Ipse equidem aliquando per D. *Pemble* edoctus *Habitum* antecedere existimavi: At ex secundis cogitationibus ad opinionem communem redeo. Deus enim in suis operationibus naturæ ordinem ordinariò non violat, & in unumquodque juxta naturam ejus operatur: Et dicitur, *Habitus infusi se habent ad modum acquisitorum*. At *habitus acquisiti* actus plurimos sequuntur: Infusi igitur saltem *unum*. Et probabile maxime videtur Spiritum sanctum in adultis per verbum, influxu suo vivificante & illuminante, *Animam* priùs movere ad *Actum fidei* eliciendum; & inde *Habitum* (ex Spiritus virtute) generari.

In Infantibus autem *Semen Sanctum*, seu *Principium vitæ Sanctæ* infusum est, quod tamen proprie *Fidei Habitus* non dicitur. Non omnis enim *Inclinatio* seu *Aptitudo* ad agendum, est *Habitus*; sed illa tantùm ex quâ ad *Actum hunc specie* exercendum prompti sumus. *Virtus vitalis naturalis* est principium Agendi in omnibus actibus naturalibus, ex Potentiâ cum *Inclinatione* constans: At Virtus Vitalis non dicitur *Habitus*, E. g. scribendi, ædificandi, equitandi, &c. Ita (ut Amesius observat) *principium vitæ Spiritualis* vix *Habitûs* nomine dignum est.

Principium igitur hoc *vitæ* spiritualis & ab *Actu & Habitu* distinguendum est, ut utrumque antecedens saltem in Infantibus: An verò etiam in Adultis, quum *Fidei Habitus* sequitur, tamen *Principium hoc vitale Actum* antecedat, majoris difficultatis est. Et fatemur omnes, sine Spiritus sancti operatione speciali *Fidei sinceræ Actum* non elici; & in operatione hâc (ut in omni) Anima *patitur*, *Influxum recipiendo*, priusquam *agit credendo*: Illud autem quod primò *Recipit* non est *Fidei Actus*, sed Spiritus sancti *Influxus* ad fidei Actum. Quare igitur *Influxus* hic specialis *primus receptus*, non dicendus est *Principium Vitæ spiritualis?* Sicut quando Luminare ex luminari accenditur, attingentia prima communicativè operatur: Et quamvis *Fidei Actus* hinc primò elici dicitur, proculdubio *Intelligentia* seu *Notitia* spiritualis, hujus *Fidei* primus Actus est (ex natura operationum Intellectualium); & ad alias operationes spirituales ordine exercendas, fortasse ex primo influxu hoc anima magis dispositа est. Et ni fallor, hoc totum est quod voluit D. *Pemble*; & ex hisce lis tota sufficienter dirimitur.

Qu. XVIII. *Utrum peccata contra fœdus Gratiæ, aut saltem ejus Violatio, & pœnæ inde debitæ, unquam remittantur.*

Resp. FOEderis Gratiæ partes sunt, *Promissio* cum suâ *conditione*, & quà Legis etiam, *Præceptum* & *Comminatio*. 1. Violatio Præcepti hujus fœderis remittitur: Ipsam enim obedientiam perfectam præcipit, utpote Legem naturæ continens: Et Christus Matth. 12. dicit omne peccatum remitti præter Spiritûs sancti blasphemiam.

2. Quoad *Retributionem*, *Pœna debita* dici potest *juxta Legem Gratiæ*, quando, ex *Lege naturæ debita*, per Fœdus Gratiæ nondum remittitur. Et ita propter omne peccatum Infidelibus pœna nondum remissa debetur, quæ postea tamen ex fide remittitur.

3. Ex ipsâ autem Fœderis Gratiæ speciali obligatione, Pœna specialiter debetur, propter *conditionem non præstitam*: Non-præstatio autem hæc est vel *pro tempore* tantum, vel usque *ad finem*: Dum *Promissio* statuit quod [*Quicunque credet salvabitur*;] sensus est; *quandocunque credet durante hâc vitâ, Jus Salutis æternæ habebit.* Infideli igitur de præsenti *obligatio* ad *pœnam est Remissibilis*: Qui hodie Infidelis est, ei vitam Deus statim eripere justè potest, & tunc Infidelitas ejus *finalis* erit: At ita se facturum Deus non declaravit. Ideóque Infideli præsens obligatio est Imperfecta & Remissibilis; & quandocunque credet actu remittetur.

4. At Finaliter Infideli & Impœnitenti obligatio ad pœnam oritur *Perfecta* & *Peremptoria*, & *Irremissibilis*: Perfectæ igitur & Peremptoriæ obligationis, ob Conditionem fœderis finaliter non præstitam, nulla unquam conceditur remissio: Non aliud enim datur pro peccatis sacrificium, neque fœdus aliud hujus pœnas peremptoriè minatas remittens.

Qu. XIX. *An Remissio aut Justificatio Perfecta data sit primò-credenti, aut in hâc vitâ.*

Resp. MInime: Neque perfecta quoad *Gradum*, aut quoad *speciem*: Imperfectio autem ex omnibus hisce constat. 1. *Tota Pœna* nondum remittitur, ut jam probatum est. Pœna mortis, dolorum, & terræ maledictæ Adamo & posteris primò decreta, à Remissione in hac vitâ excepta fuit, & omnibus inflicta est. Dei favor, & Spiritus sanctus non plene restituuntur: Pœnæ castigatoriæ plurimæ nos peccatores manent.

2. Plurima peccata adhuc committenda nondum remittuntur: Non enim remittitur peccatum, quod non est.

3. Remissionis Jus durante hâc vitâ de futuro *Conditionale* est; neque ipse fidelis Jus habet futuræ Impunitatis aut fœlicitatis, nisi sub *Conditione fidei Continuandæ.*

4. Immo conditio *futuræ* Justificationis & fœlicitatis, *plura* continet, quam conditio Justificationis inceptæ; viz. Et ejusdem Fidei plures Actus Singulares, & Amorem, & Obedientiam, cum victoriâ de non paucis tentationibus.

5. Justificatio per sententiam Judicis perfectæ speciei, adhuc manet nos.

6. Remissio executiva non est perfecta, nisi per Resurrectionem & Glorificationem.

Qu. XX. *Utrum Peccatorum remissorum Reatum redire sit possibile, vel futurum.*

Resp. QUæstionis hujus solutio pendet ex solutione alterius, *An possibilis* vel *futura* sit veræ fidei amissio. Si enim *Fides* quæ *Remissionis* conditio est, amitteretur, nil obstaret quo minus Reatus rediret: Remittere enim est *Jus dare Impunitatis*: At Jus hoc *sub Conditione* & datur & continuatur: Et si cessaret conditionis præstatio, Jus cessaret, sine minimâ mutatione reali vel *Dei* vel *fœderis*; sed tantum ex mutatione hominis, amissâ Dispositione seu capacitate Receptivâ: De perseverantia autem alibi dicendum est.

Qu. XXI. *Utrum Reatus facti, aut culpæ, aut tantum Pœnæ, Justificato remittitur.*

Resp. 1. REatus *facti* non *moralis* considerationis est in se, sed tantum quà culpæ substrati. 2. Reatus *culpæ* non potest ita remitti ut aboleatur: Sicut enim quod factum est, infectum fieri non potest: Ita neque culpa, non-culpa fieri: Deus peccata remittendo, non facit ea non-peccata.

3. Reatus seu *obligatio ad Pœnam*, est *proximus Remissionis terminus*, & *Remitti* dicitur: Deinde *Pœna ipsa* dicitur remitti, quando *obligatio* dissolvitur, seu pœnæ debitum remittitur: Denique *Culpa*, seu *Reatus Culpæ* Remitti dicitur, non in se, sed respectivè quoad pœnam, quando pœna debita remittitur: Sicut Christus in se recepit, non culpam in se, sed pœnam culpæ.

Qu. XXII. *Utrum Justificatio & Sanctificatio idem sint: Aut Justificare, seu peccata remittere sit Sanctificare.*

Resp. 1. SAnctificatio est *Justificatio quædam particularis*: Qui fit Sanctus, eatenus fit Justus: Hoc autem non est ex *fide* Justificari in sensu Scripturæ, nedum Justificatio universalis.

2. *Justificatio* & *Sanctificatio* quoad Rationes nominum formales, non sunt idem.

3. *Sanctificatio* non est *pars Materialis* aut Justificationis *Constitutivæ*, quâ consistit in Remissione peccatorum, aut Justificationis per *sententiam* prout ab Executione distinguitur.

4. Fides, Pœnitentia, seu conditionis fœderalis præstatio est *Materia Justitiæ illius subordinatæ particularis* ; ex quâ, 1. Participes simus Justitiæ Remissionis, & 2. Ex qua Justificandus est, qui de non præstatione conditionis accusatus est.

5. *Sanctificatio* (non est totum, sed) *pars magna Remissionis Executivæ* ; quæ consistit in *pœnis amovendis*, vel in [*non punire*] (ex quâ D. Twissus solet Remissionem definire.) Negatio quippe *Spiritûs sancti* maxima pœna est ; Ideóque Spiritum sanctum impertire, est maxima pœnæ & peccati Remissio executiva ; *Materialiter* scilicet, non formaliter ejusdem notionis.

Qu. XXIII. *An tantum à Dei Gloria detrahitur in negotio Justificationis, aut Meriti, aut Sanctificationis, quantum Bonum homini adscribitur.*

Resp. 1. HOmo consideratur vel ut Deo *subordinatus*, vel *Coordinatus*, vel *contra-ordinatus*. Quodcunque Homini adscribitur in verâ *subordinatione* ad Deum, Deo magis quam homini, & ideo Deo quia Homini, adscribitur : Et dum homini negatur quod verè hominis est, Deo magis negatur. Sicut qui bestiam furatur, possessori fert injuriam : vel qui ædificium vituperat, ædificatorem vituperat. Si hominum malitia & justum vituperium ad Dei laudes augendas conduceret, Deus homines malos feciſſet ; & quo pejores essent, eo meliores, quia ad Dei gloriam aptiores ; & Diaboli essent optimi quia pessimi, & Gehenna esset cœlum (utpote ubi Deus maxime Glorificatur ;) & Cœli essent Gehenna (utpote ubi à Dei Gloria maxime detrahitur.) Operis præstantia operatoris laus est : Et qui artem Diabolicam didicerunt, Deum honorandi, ejus opera vituperando ; ad gradum altiorem forte cito adscendent, quo & Verbum Dei, & Sanctitatem, & Christum, & Regnum Dei, & totum Mundum opprobriis dehonestabunt, ut inde Deum honore afficiant : Et ipsa Malignitas jam diu Mundum docuit, medium à Dei honore detrahendi, non esse ejus verbum, aut instituta, aut servos nimium laudando, sed vituperando : Et per Blasphemias ipse Diabolus Deum honorat. At profectò ex hæreticis hisce ingeniis nullum adhuc novi, cui talis se honorandi modus benè placeret ; aut cui laudes suæ, aut honestatis, aut pietatis, aut sapientiæ, (etiam præ aliis) ideo displicebant, qnòd inde ab honore Divino detractum erat. Neque sectam istam adhuc novi, cujus homines suorum laudes non impense adeò expectârunt, & quasi planè debitas vendicârunt, ut se vituperantes ideo improbos, & Christi ipsius osores indigitaverint ; quasi omnia contra Deum, quæ contra suos aut se, opprobria vibrassent.

2. Proculdubio Deus ideo sua opera omnia fecit, ut sibi proximam suam Imaginem in illis splendentem & ipse amaret, & amandum naturæ intellectuali exhiberet. Et Deum contumeliis afficit & dehonestat, qui opera ejus quà talia dehonestat. Et sicut Deum hic videmus tantum in speculo, ita & speculi hujus contemptores, Dei notitiam, amorem & honorem suo malo oppugnant. Et sicut Sancti potius Amandi sunt, quia Deus in illis amatur, qui in se à nemine mortalium visus est : Ita & in sanctis etiam laudandus & honorandus, sed tantùm quà sanctis.

3. At & homo & honor humanus, si Deo aut *Coordinati*, aut *contraordinati* esse velint, contemnendi planè & odio habendi sunt : Et ita sicut Pater & Mater, & ipsa vita Christi gratiâ exosi esse debent, Luc. 14. 26, 33. ita & sapientiæ, justitiæ, & pietatis nostræ laus.

4. Uni-

4. Unicuique igitur Christiano hoc probè perspectum esse opus est, Quænam scilicet sint Christi, quænam hominis partes; ut Deo dentur quæ Dei sunt, & Homini quæ hominis: Dei aut Christi partis aliquid Homini ascribere nefas est: suas autem partes sub Christo adscribere cuique opus est.

5. Quicunque autem se Boni aliquid habere autumat, non subordinate ad Deum, & cujus honor & Laus omnis ad Deum non primo & summe pertinet, vel laudem aliquam sibi debitam putat, quæ non principaliter Dei Laus sit, is delirus, insani cerebri, vix homo, nedum sapiens & sanctus est.

Qu. XXIV. *An in fide, amore, precibus, justitiâ nostrâ verâ, fiduciam aliquam ponere liceat?*

Resp. QUæstio per ingenia perplexa & confusa male agitata, tribus verbis ad clarissimam deducitur solutionem. Nullo operi humano omnino fidendum est, ut *partem Dei* aut *Christi* aut *partem non suam* agat, aut ad Justificationem, aut salutem. Coordinate aut Contraordinate ad Deum & Christum odio habenda sunt: At in debitâ subordinatione, & tantum *ad partem vere suam*, ipsis *fidendum* est: Et qui verè fidei, Amori, obedientiæ, precibus, verbi auditioni, meditationi, sacramentis pro parte verè suâ non fidit, eis in fide non utitur. Et dicere, [*Vanum est, ut Deo serviamus, & quid inde commodi nobis oritur*] Athei & prophani vox est. Nè phrases tamen scandalosæ & malæ significationis ad laudes etiam debitas humanas adhibeantur, prudenter & sedulo caveatur.

Qu. XXV. *Quænam opera à Justificationis negotio per Paulum excluduntur? Et An fides in Christum, quà Doctorem, Dominum, Regem, & Pœnitentia & Amor Christi, & oratio & desiderium & spes, sint ista opera?*

Resp. 1. OPera omnia excluduntur quæ *Christum* excludunt: 2. Aut Christi *aliquod officium* aut *opus mediatorium*: 3. Aut *donum* Dei *gratuitum* Remissionis & Vitæ æternæ per Christum promeritum: 4. Aut *Fœderis donantis* & *condonantis* necessitatem aut instrumentalitatem: 5. Aut Fidei in Christum Mediatorem necessitatem, aut proprium opus & officium quà medium ad Justificationem, Sanctificationem aut vitam obtinendam, ordinatum: 6. Opera item omnia unde pars aliqua operis Divini, aut Mediatorii Christi, hominibus adscribitur: 7. Et omnia quæ Spiritûs sanctificantis ut à Christo communicandi opera aut excludunt, aut hominibus attribuunt: 8. Omnia itidem quæ aut pœnitendi, aut peccata & miseriam fatendi, aut veniam & gratiam suppliciter petendi, aut pro eis gratias agendi, & Dei dona Gratuita esse agnoscendi, necessitatem excludunt: 9. Omnia etiam quæ fœderis Innocentiæ præstationem, ut salutis necessariam conditionem innuunt: 10. Et omnia quæ Legis Mosaicæ aut necessitatem aut continuationem supponunt: Hæc omnia & sola per D. Paulum excluduntur.

2. Qui verò & Fidei Christianæ actus omnes præter Justitiæ Imputatæ acceptationem aut fidem, & omnes simul Amoris, spei, desiderii, pœnitentiæ, obedientiæ, gratitudinis, gaudii actus, & omnem peccatorum & indignitatis confessionem, omnem gratiæ & misericordiæ Justificantis & salvificæ petitionem, inter opera quæ per D. Paulum excluduntur, numerabit, etiam dum intra proprios suos terminos continentur, hic Evangelium subvertit, Apostolum ludibrio exponit, Theologiam omnem confusione perturbat, & quantum in se Christianos omnes aut in impietate aut desperatione submergere conatur; sicut consequentiis evidentissimis, si opus esset, probare facile possem.

Qu. XXVI. *An detur aliqualis peccatorum Remissio, etiam Infidelibus & Impiis?*

Resp. 1. ETiam; 1. Remissio Conditionalis ipsis datur; 2. Remissio actualis quarundam pœnarum demeritarum ipsis donatur, de quibus ad Qu. sequentem dicendum est. 3. At nulla talis Remissio eis conceditur, quæ Jus impunitatis æternæ, aut jus vitæ æternæ actuale continet, aut necessario supponit.

Qu. XXVII. *An detur aliqua peccatorum Remissio Absoluta,* id est, *sine Conditione?*

Resp. 1. AFfirm. *viz.* 1. Dum Christum Deus promisit & dedit mundi Redemptorem, & ejus gratiâ pœnam mortis æternæ demeritam, non tantum ampliatione distulit, sed sub Conditione penitus remittit; Dum Bona plurima infidelibus largitur, quorum Jus amisissent; & juxta demerita sua neminem tractat; Dum Novum fœdus omnes sub conditione fidei justificans, etiam Infidelibus concedit, & ministris suis illud prædicandum mandat, & infideles & impœnitentes per illos obsecrat, ut Deo reconciliari velint; Dum Spiritus sancti Gratiam quandam *communem*, plurimis, & specialem ad fidem operandam, efficacem, electis etiam immerentibus & contraria merentibus, donat; Omnia hæc sunt *Executiva* quædam *Remissio peccatorum*, dum pœnæ gradus aliquis remittitur: Et omnia hæc absolutè Infidelibus donantur.

2. At nulla talis alicui Absolute datur Remissio, quæ jus salutis æternæ infert, aut per jus impunitatis à pœnâ infernali liberat.

Qu. XXVIII. *An peccatum aliquod remittitur sine pœnitentiâ de eo, particulari?*

Resp. AFfirm. 1. Peccata plurima ignota, quorum nos particulariter non pœtet, remittuntur. 2. Item plurima quorum omnino statim obliti sumus, vel ex materiæ tenuitate (sicut cogitationum inanium & vitiosarum) aut ex negotiis, aut passionibus impedientibus; Præcipuè plurima quæ ante conversionem perpetravimus. 3. Item nonnulla omissionis saltem, quæ etiam mortis horâ nobis adhærent (e. g. defectus fidei, spei, amoris quoad debitum gradum.)

2. At sine omni pœnitentiâ vera peccatum nullum, quoad pœnam æternam actualiter remittitur.

Qu. XXIX. *Quibusnam peccatis remittendis necessaria est Pœnitentia particularis?*

Resp. 1. OMnibus quorum actualem & distinctam Notitiam habemus, & memoriam, cum deliberandi & ea considerandi opportunitate. 2. Omnis peccati Regnantis, vel *cum Amore Divino Regnante incompatibilis*, Reformatio & Mortificatio particularis, necessaria est: Ideóque pœnitentia particularis in tantum necessaria est ad remissionem, in quantum necessaria est ad mortificationem. 3. Ad cætera pœnitentia habitualis, generalis & implicita, ad Remissionem recipiendam valet.

Qu. XXX. *Anne solùm coram hominibus Justificamur ex operibus, in sensu D. Jacobi 2?*

Resp. NEg. 1. Quia versiculo 14. in salute per fidem sine operibus non obtinendâ, discrimen ponit. 2. Quia v. 17. de *morte fidei-solius*, non de illius non-apparentiâ, loquitur. 3. Quia v. 20, 21, 22, &c. ex Abrahami justificatione coram Deo, datur instantia. 4. Quia v. 23. in imputatione Divinâ ponitur. 5. Et v. 20. & 26. in fidei solius morte quoad salutem & Justificationem, iterum, iterumque discrimen collocatur.

Qu. XXXI. *An peccata futura Remittantur?*

Resp. 1. NOn actualiter: quia hoc contradictionem implicaret. Quod non est, Remissionis non est capax: Et pœna nondum debita aut demerita, non potest remitti. 2. At Causæ fundamentales in Decreto Dei, meritis Christi, & Fœderis Remittentis institutione jam ponuntur, unde peccatorum quando existunt (suppositâ conditione seu dispositione subjecti) Remissio statim oritura est.

Qu. XXXII. *An Remissio seu Justificatio sit Actus Dei Immanens & ab æterno?*

Resp. 1. OMnis Actus vel Actio Divina est *In æterno*, & quoad Deum per tempus non mensuratum: At sicut Æternitas ad captum humanum inadæquate concipitur, per *Ab*, *In* & *Ad*, *præteritum*, *præsens & futurum*, Justificatio seu Remissio non est *Ab æterno*. 1. Quia *Peccatum* non fuit ab æterno: 2. Quia *pœna* non fuit debita ab æterno: 3. Quia Lex obligans non fuit ab æterno. 4. Quia ipse peccator non fuit ab æterno. 5. Quia Instrumentum Remittens non fuit ab æterno. Ergo neque vera peccati remissio.

Obj. 1. Hæc omnia in *esse cognito fuêre ab æterno*. *Resp.* Esse hoc cognitum nil aliud esse potuit quam ipse Deus: Præter Quem nihil fuit ab æterno. Peccatum in Esse cognito non est Peccatum: Deus autem sibi non peccata remisit ab æterno, neque seipse justificavit.

Obj. 2. *Omnis actus Dei Immanens est ab æterno*: *At Remissio peccatorum est actus immanens: Ergo.*

Resp. Actus dicitur Immanens aut Transiens, 1. quoad *effectum*, 2. quoad *objectum*: Qui neque *effective* neque *objective transiens* est, æternus est. At 2. ad Minorem dico, Remissio peccatorum est Actus Transiens, tum *effective*, tum *objective*. 1. Remissio peccatorum quà talis formaliter temporale ponit effectum in objecto; *viz. Jus Impunitatis*, & Reatûs pœnæ dissolutionem. 2. Objectum habet extrinsecum, *viz.* Peccatorem fidelem. 3. Immo est Actus Dei per Instrumentum temporale, *viz.* Novum fœdus, seu Donationem Evangelicam, seu Promissionem; & Instrumentum nondum existens, nondum operatur.

Obj. 3. *At Remittere peccata quid est nisi nolle Punire? At Dei nolle punire fuit ab æterno: Ergo.*

Resp. 1. Bonus Bernardus non vidit omnia. Negatur Major: nam Triplex Remissio quid majus quàm nudum *Nolle punire* est. 1. *Remissio constitutiva* est *Jus dare Impunitatis*, & *Legis violatæ* obligationem ad pœnam dissolvere. 2. Remissio per sententiam Judicis, est Juris prius dati vindicatio per decisionem; & Justificare per sententiam est idem. 3. Remissio *executiva* est, *non-punire* pœnam prius demerentem; & omnia hæc majus sonant quàm *Nolle punire*.

Obj. 4. *At Nolle punire, saltem est quædam Justificatio seu Remissio.*

Resp. 1. Notetur, quod jam de Nomine tantum lis est. 2. *Nolle punire* nullo sano & proprio sensu est Remissio aut Justificatio, dum deest objectum capax.

Obj. 5.

Obj. 5. *Non tantum sententia prolata, sed sententia concepta dicitur Justificatio; Quando* scilicet *Deus Justum aliquem æstimat: At Nolle punire, vel saltem Justum æstimare, quod est Actus Dei Immanens, est Sententia concepta: Ergo.*

Resp. 1. Sententia concepta dici potest mentalis quædam Justificatio. 2. *Justum æstimare est Actus objective Transiens*; Deus neminem *Justum æstimat* qui non sit *Justus:* At *Justus non est*, qui *nondum est:* ergo neque Justus æstimatus. 3. In actu Divinæ voluntatis considerantur *Agens* & *Effectum.* Si actus ab Agente solo denominandus esset, tunc omnis Dei actus ab æterno fuisse dicendus esset: E. g. Deus ab æterno mundum creavit, Diluvio perdidit, & conflagratione (futurâ) &c. Deus quippe qui per essentiam omnia operatus est, fuit ab æterno: At Actio sine connotatione objecti non est denominanda; Ideóque non bene dicitur, Deus mundum creavit ab æterno, Deus Petrum & Paulum Justos æstimavit ab æterno; Quia ab objecto connotato oritur denominatio. 4. *Nolle punire* item distinguendum est: Ejus objectum quippe est aut pœnarum *capax* aut *incapax:* Confusio objectorum hic deceptionem juvat: Adamum adhuc Innocentem, aut nondum *existentem Nolle punire*, non est *Remissio peccatorum*; Adamum verò *lapsum, mortis reum Nolle punire*, est mentalis quædam Remissio peccatorum.

Obj. 6. *At Nolle Remittere idem in Deo fuit ante lapsum & post lapsum.*

Resp. Ita & *Velle mundum creare* idem fuit in Deo ante Creationem, & in Creatione; scilicet ipsa Dei essentia: Quæ non postea mutatur in se, sed Relativè, scilicet ex Relatione Rationis fit mutatio. Et *Justificare* seu *Remittere peccata*, non idem sonat, quod, *Deum* esse: sed tantum divinam *Essentiam* & *Voluntatem* significat, qua ex objecto capaci denominatur: Igitur ab objecto novo, nova oriri potest Relatio & Denominatio Divinæ essentiæ & voluntatis. De objecto in Esse prægnito ei quod objiciunt, jam responsum est.

Qu. XXXIII. *An Fides Justificet tantum declarativè in foro Conscientiæ, eum scilicet quem Deus jam prius justificavit?*

Resp. NEg. 1. In Tractatu non uno jampridem probavi, Infideles & Impœnitentes nondum Justificatos esse. 2. Cum in fœdere visibiliter Deus Fidem statuit Conditionem, necessariò sequitur sine fide nemini Jus Remissionis à fœdere obvenire. At Juris ex fœdere donati esse Conditionem, majus est quam in foro Conscientiæ rem nobis notam facere. Et ex aliis æque sanctitatis partibus (præcipue Amore Divino & vita spirituali) Justificatio nostra plenius quam ex ipsa fide innotescit.

Qu. XXXIV. *An fides eodem modo Justificationem, quo & Sanctificationem causat.*

1 Cor. 7. 1. Jac. 4. 8. Jud. 21. 1 Joh. 5. 14. 1 Joh. 1. 7,9.

Resp. 1. JUs ad *Impunitatem*, & *Jus ad Spiritus sancti operationes* (*eodem modo* (non proprie *causat* sed) ut fœderis Conditio præstita suo loco procurat: *Jus* etenim ad sanctificationem Relatio est, non minùs quam Jus ad Impunitatem: & Jus utrumque subjecto per fidem dispositio ex eodem fœdere oritur. 2. At ipsam Sanctitatem, Amorem, obedientiam, &c. fides alio modo vere *efficit*, (in subordinatione scilicet ad opus Spiritus sancti): At Justificationem non ita.

Qu. XXXV. *Anne Credere me Justum aut Justificatum esse, est Fides Justificans?*

Resp. NEg. 1. Hoc non est in Deum aut Christum credere; neque verè fides Divina est; ut prius probatum est. 2. Objectum actu prius est: Ergo Justificatum esse opus est, priusquam aliquis se Justificatum verè credat.

credat. 3. At fidei Justificantis est credere meipsum inter alios per fœdus Gratiæ institutum, sub conditione fidei Justificatum esse. 4. Credo autem in Christum ob & ad justitiam, non autem quod jam Justus sum.

Qu. XXXVI. *Utrum omnis aut aliquis nondum regenitus, credere tenetur se aut Electum esse aut actu Justificatum?*

Resp. NEg. 1. Quod non à Deo Revelatum est, fide Divina non credendum est: At aut omnem aut hunc quemcunque non regenitum, esse electum aut justificatum, non à Deo revelatum est: Ergo. 2. Quod falsum est, fide Divinâ non credendum est: At omnem non-regenitum electum esse, aut aliquem non-regenitum, seu non fidelem Justificatum esse, falsum est: Ergo.

Qu. XXXVII. *An Justificatio seu Remissio credenti per modum præmii detur?*

Resp. PRæmium in gradu quadruplici aut quintuplici invenitur: 1. In merâ acceptatione congruâ Doni gratuiti: Et hic est Gradus infimus; & ita Remissio Fidei præmium est. 2. In Amore, obedientiâ & cæteris sanctitatis partibus, sinceræ scilicet at non perfectæ: Et ita Regnum cœlorum & Justificatio finalis sunt sanctorum præmia, juxta Fœdus Gratiæ, peccatis remissis: Et hic est inferior seu secundus Præmii Gradus (adscendendo). 3. In obedientiâ inculpabili, non adhuc autem ad finem perductâ: Et talis fuit Adami nondum lapsi præmii meritum. 4. In obedientia ad metam usque perductâ & perfectâ: Et talis est Angelorum præmii meritum. 5. In obedientiâ & satisfactione ad mundi Redemptionem sufficiente; & talis fuit Christi meritum: Remissio autem, ut dictum est, in sensu infimo & tenuissimo, fidei præmium esse dicitur.

Qu. XXXVIII. *Nonne Fideles omnes à Lege ut mortuâ liberantur; ideóque Remissione non egent, quia peccare non possunt? Peccatum enim est anomia seu transgressio legis.*

Resp. 1. A Lege Mosaicâ liberantur Judæi fideles; & Immunes sunt etiam Gentiles. 2. A Legis Naturæ obligatione ad pœnam liberantur fideles; At non nisi per Remissionem: Ideóque hinc Remissionis necessitas probatur. 3. A Legis Naturæ & Christianæ obligatione primaria ad obedientiam nemo Christianus liber est: Christus enim nobis Rex est; ideóque leges habet: Et Creatori & Redemptori nos vere sumus subditi; Ideóque ad obedientiam obligati. Si Christus nos à Legis Divinæ obligatione ad obedientiam liberasset, aut Deos nos fecisset, aut exleges, & miseros; & hoc non fuisset Redimere, sed ablegare & perdere: Novum Jus Imperii per Redemptionem Deo ortum est: Duplex igitur credentium ad obediendum vinculum est. Et si Lex nulli credenti à Deo manet imposita, tunc Parentes fideles ad filios enutriendos non obligantur, & Reges fideles ab oppressione, persecutione, &c. nulla Lege Divina sunt restricti: At talia tenentes, societatis humanæ vix membra capacia reputanda sunt.

Qu. XXXXIX. *An fidelibus pœna aliqua præter castigationes utiles & salutares sint debitæ? Et ita, an pœnæ æternæ remissionis capaces sint, aut pro eâ orare debeant? utpote quæ ipsis Lege nulla debetur?*

Resp. 1. POena debetur aut ut Irremissibilis, aut ut Remissibilis, aut ut sub Conditione jam remissa, non autem actu. Finaliter Incredulis & impœnitentibus pœna debetur *æterna irremissibilis*; (sicut & mors temporalis toti generi humano) Adamo jam lapso pœna debita erat æterna, sed *Remissibilis*. Adamo & toti generi humano ob omne peccatum quà tale, pœna debetur æterna, sed jam *sub conditione, remissa*. Falsum est, *Legis naturæ* omnem obligationem *pœnalem* penitus extinctam aut abolitam esse. Quamvis enim Lex innocentiæ, non jam sub Conditione perfectionis vitam promittit (Conditio enim quando promissario fuit naturaliter impossibilis, *promissio* inde cessavit:) *Lex* tamen *naturæ* quà Lex non abrogatur: & quà *Lex* 1. Omnes ad perfectam futuram obedientiam obligat: 2. Et peccatori omni pœnam naturaliter debitam statuit: Neque ex rei naturâ fieri potest, ut peccatum pœnam non mereatur: Meritum autem est aut præmii aut *pœnæ* meritum. Pœna igitur mortis æternæ, juxta Legis naturæ propriam obligationem, unicuique peccatori debetur: At Lex Remedians & Remittens adest, & huic naturæ Legi jam annectitur: Et dum Lex Naturæ dicit, [*Mors tibi quà peccatori debetur*], Lex Gratiæ dicit, [*At debitum hoc sub conditione fidei & pœnitentiæ tibi remitto.*] *Deberi* autem *ut pœna sub Conditione remissa*, neque est *plenarie & peremptorie deberi*, neque omnino *non deberi*.

Obj. *At à fideli conditio jamjam præstita est.* *Resp.* Sicut Justificationis seu Remissionis inceptæ universalis, primus fidei & pœnitentiæ actus fuit Conditio; Ita & remissionis peccati posthac commissi fides continuata & pœnitentia renovata, Conditio est. Christus igitur mortuus est, non ut peccata fidelium non-peccata faceret, aut mortem æternam illis per Naturæ Legem non deberi, & ita ut nullâ eorum Remissione indigerent; sed ut mors debita per Legem Naturæ, remitteretur fidelibus per Legem Gratiæ, quandocunque Remissionis Conditio præstita fuerit.

Qu. XL. *An pro peccatorum jam remissorum Remissione denuò à fidelibus orandum est.*

Resp. 1. NOn orandum est (nisi ex suppositâ Remissionis ignorantiâ) ut peccata Remissa jam *primo remittantur*, quasi nondum omnino remissa. 2. At orare oportet, 1. In casu ignorantiæ, ut si non jam remittantur, remissa fiant; 2. Ut Remissio jam facta continuetur; 3. Ut perficiatur in Justificatione finali; 4. Ut Jus Impunitatis donatum, per pœnarum aversionem, executive fiat quasi perfectum; *viz.* Ut sicut Deus nobis per fœdus Gratiæ condonavit quoad Jus, ita & sententiâ & executione suâ ab omni malo demerito nos præservaret & liberaret: Et hæc est ultimata peccatorum Remissio. 5. Et pro peccatis quotidianis, particularem item Remissionem petere opus est.

Qu. XLI. *Quandoquidem Protestantium nonnulli asserunt, Christum ipsum esse solam Personam cum Deo fœderatam, quomodo nos juxta fœderalis conditionis præstationem aut non præstationem judicabimur, qui non omninò fœderati sumus?*

Resp. INcautas & falsas Doctorum assertiones ignoscere sat est, imbibere nimium, defendere periculosum. Fœdus Mediatorium inter Patrem & Christum Mediatorem, cum fœdere nostro confundere, hominem Christianum, nè dicam puerum catechizatum dedecet; Doctori autem opprobrium infandum

infandum est. *In suo fœdere* ubi *Mediatoris partes* in se recepit, Christus est sola persona fœderata: In *nostro* autem *fœdere* ubi Redemptorum & Salvandorum partes in nos recipimus, Deus ut absolute summus, & *Christus* ut *Administrator* & *Mediator*, sunt Pars prima, promittens & stipulans; Nos autem peccatores, non Christus, sumus Pars secunda, promissarii, & stipulatori respondentes. Anne solus Christus Baptizatur? An Christus Baptizatus eadem Deo promisit, quæ à nobis promittenda sunt? An *Christus*, aut *peccator* potius baptizatur ob remissionem peccatorum? An Christus, aut peccator profitetur se credere in Patrem, Filium & Sp. sanctum? Et Patri, Filio, Sp. sancto se dedit, reconciliandum, condonandum, & sanctificandum? Et peccatis, carni, mundo, diabolo renunciat? Ubi fœdus baptismale ignoratur, ipse Baptismus, & Christianismus ignoratur. Et qui fœdus & partes Mediatoris à suo fœdere & suis Partibus non distinguit, Redemptum & Redemptorem confundendo; omnia itidem confundit.

Qu. XLII. *Nonne omnis Justificabitur pro quo Christus est mortuus? juxta* Rom. 8. 34, 35.

Resp. 1. EX Textu hoc solum verè elicitur, Electos *fideles non debere hominum condemnationem morari, quia Deus eos justificat & Christus pro iis non tantum mortuus est, sed & in cœlis intercedit.* 2. Nullus condemnabitur pro quo Christus in tantum non est mortuus, quantum in Qu. de Redemptione Universali suo loco prius assertum est; Nemo scilicet condemnabitur ex defectu satisfactionis à Mediatore Deo præstitæ, sed tantum ex defectu suæ Conditionis præstandæ (per se aut per parentes). 3. Nemo condemnabitur pro quo Christus est mortuus, & quoad gratiam universalem seu communem conferendam, & ex absoluto decreto gratiam specialem salvificam efficaciter donandi; & ita qui verè fidelis perstat.

Qu. XLIII. *Quæ & quanta Dubitatio cum fidei Justificantis sinceritate potesse consistere?*

Resp. TAnta solùm, quanta cum *Consensu* & *Deditione sincerâ consistit.* Actus Intellectuales nimirum necessarii sunt propter Actus Voluntatis & praxeos: Et si hisce sincere præstandis sufficiant, salutares sunt. E. g. Fingamus *medicum quendam solum* me ægrotantem posse sanitati restituere, & hunc ex malignorum & ignorantium calumniis, quasi deceptorem cui non fidendum est, infamem esse. Si ita inter fidem & dubitationem hæreo, ut me ipsum ejus curæ & fidelitati absolute committere, non & voluntate constitutum, & actu præstitum sit, per ipsum non sanatus ero: At quandocunque ei me ipsum ita fidendo dedam, & salutem & vitam meam ejus fidei committam, tunc dubitatio mea non tanta est, ut curationem impediat, aut saltem frustretur.

Aut si ad regnum recipiendum mihi transfretandum esset, & Navarchus ut imperitus aut non-fidendus per calumnias fieret infamis, quandocunque in tantum fides contra dubitationem valebit, ut proposito & *Actu* me fidei ejus committam, tunc fides *sincera* quamvis infirma censenda est. Ita & fides in Christum, quando *voto* & *fœdere* Baptismali (aut *eodem fœdere*, si à *Baptismo* detinemur) nos totos & absolute, Deo patri, Christo salvatori, Spiritui sanctificanti, & Voluntatis consensu, & Actu dedimus, & nos & salutem nostram Christi fidei committimus. Ex hisce porro liquebit, quo sensu prius *Fidem* etiam *Potentiæ executivæ actum* esse asserui, sicut & ante explicatum est.

Qu. XLIV. *An detur Justificatio per sententiam Judicis? Et quænam ea sit? An virtualis sententia Legis gratiæ? Aut in mente Dei concepta? Aut coram Angelis prolata? Aut in conscientiâ peccatoris? Aut per executionem in hac vitâ declarata? Aut solum post mortem & in extremo judicio lata?*

Resp. 1. SI de *Re* quæratur, proculdubio omnibus hisce modis Deus fideles aliquatenus justificat. 1. Justificatio constitutiva per fœdus, est *sententia Virtualis*; (ideóque non Actualis) 2. Quando ex fide, Dispositione Receptivâ, homo capax objectum est, de quo verè dici possit, *Deum illum Justum æstimare*; hæc quædam *sententia concepta mentalis*, verè dicitur. 3. Et plusquam probabile est, Angelos qui de peccatoris conversione gaudent, ejus *Justificationis* non inscios esse, neque conscios nisi ex luminis Divini patefactione. 4. Et plerumque Justificatis, aliquando vultûs Divini aut Lumen aut scintillæ saltem, Justificationis conscientiam quandam præbent, quamvis pluribus nimis obscuram, dubitantem & inconstantem. 5. Et Justificationem quandam seu Remissionem executivam dari in hac vitâ, certissimum est. Spiritus sanctus quippe indignis donatur, beneficia specialia conferuntur, mala plurima demerita avertuntur. 6. Et plenissimam Justificationem Judiciariam dari post Mortem, & post Resurrectionem, à Christianis pro concesso sumitur.

2. De *nomine* autem, Quisnam horum actuum *Justificatio* per *sententiam Judicis* dicenda sit, in Tabulâ explicatum est.

Qu. XLV. *Anne contra falsam aliquam, seu tantum Possibilem Accusationem ut coram Deo Justificemur* (v. g. de Infidelitate, Impœnitentia, Impietate, *Hypocrisi*) *fidelibus curandum est?*

Resp. QUam maxime: Contra *veram* quippe Accusationem coram Deo nulla speranda est Justificatio. E. g. Si dicatur 1. Nos *Peccatores esse*, aut Legem violasse; 2. Si juxta *Legem naturæ pœnam nobis debitam fore*, nisi Remittatur; 3. Si Christi etiam Legis præcepta nos violasse, dicatur; omnia hæc ut verissima sunt fatenda; & contra has accusationes non sumus Justificandi. Sin autem dicatur ab accusatore, 1. Nos *Fœderis Gratiæ Conditiones nunquam* præstitisse, sed finaliter Infideles, Impœnitentes, Impios, hypocritas fuisse; 2. Ideóque Fœdus Gratiæ nobis Remissionis & Vitæ Jus non conferre; 3. Aut Christum tale fœdus non meruisse & fecisse; 4. Aut non tam nobis quam aliis, Jus hoc sub conditione concedere; 5. Ideóque nos non Justificatos fuisse, nec jam Justificandos, sed condemnandos; Contra has accusationes, aut ex hisce unicam, si veram, nulla alicui possibilis est Justificatio: Neque aliter Justificandi sumus, quam omnes has ut planè falsas refellendo, aut negando.

Et de justitiâ quidem, modestiâ, aut Charitate Diaboli, mendaciorum patre, non adeò tenere & favorabiliter judicare tenemur, quasi crimen nullum in fideles falsò impingere non tentabit, (quamvis falsitatem coram Deo non valere haud ignorat:) Contrarium enim ex naturâ ejus malignâ, & ex historia Jobi, & opere ejus sanctos accusandi, patet.

Et si nulla futura sit *Accusatio* falsa, ex paritate rationis, nulla omnino contra Sanctos Accusatio futura est. Quorsum enim id Satan nobis accusando objiceret, quod & nos palam fatentes audit, & nobis nullam illaturam condemnationem perspicit? Hominem autem peccasse & mortem æternam meruisse, probe novit Diabolus ipsi nunquam in condemnationem cedere, dum Christi meritum, & fœderis novi remissionem, & sui ipsius veram fidem, allegare verè potest.

At reverâ, an Accusatio ulla Actualis contra nos coram Judice inferenda sit, an non, non *multum* nobis inquirendum aut curandum est: At *plurimum*, ut contra Accusationes *Possibiles* Justificemur. Justificatio quippe Divina erit

per

per ſubitaneam, & efficaciſſimam illuminationem, quâ omnia vera & prius abſcondita ad Juſtificationem pertinentia, in apricum prolata erunt. Et ubi *cauſæ omnes Juſtificationis & Rationes* palam proferuntur, & ut veræ à Deo ipſo, Luminum Patre, juſtificantur, ſeu probantur, ibi vera Juſtificationis Ratio eſt; & ita illuſtratione hac Judicii Divinâ ab Accuſationibus poſſibilibus Juſtificari, eſt veriſſima illa Juſtificatio, de qua maximopere peccatori curandum eſt.

Qu. XLVI. *Quandoquidem non Chriſti Juſtitia, aut fœdus, ſed fides noſtra tunc diſceptabilis erit, Utrum ex Juſtitiâ Chriſti, an ex fide noſtrâ potius in judicio extremo juſtificabimur?*

Reſp. 1. QUæſtio ambigua eſt; ſcilicet An de *cauſæ Dignitate* quæratur, an de *Diſceptatione.* Quoad Dignitatem cauſæ nulla debet eſſe controverſia, cum Fides quidem propriè vix aut ne vix cauſa ſit, ſed tantum *Materiæ Diſpoſitio Receptiva*, quam *Cauſam Diſpoſitivam* quidam vocant: Quod & de operibus fidei dicendum eſt. At ſi de *Diſceptatione* quæratur, Proculdubio Fides noſtra magis dubitabilis erit, & quæſtioni obnoxia, quam aut *Juſtitia* aut *fœdus* Chriſti. Et (ut jam dictum eſt) non erit Judicii opus, tam Chriſti *Juſtitiam* & *fœdus* (ſeu Teſtamentum) Juſtificare, & à calumniis & dubiis vindicare, quàm nos vere Chriſtianos eſſe probare, & fidem noſtram veram eſſe pateſacere. Ideóque Matth. 25. & plurimi S. Scripturæ textus loquuntur, de Judicio ſecundum opera noſtra, & de fide & obedientia noſtrâ quaſi de cauſâ totâ diſceptandâ: Neque enim tunc Quæſtio dubitata erit, an Chriſtus ſit Chriſtus, & Vitam fidelibus promeritus ſit & donaverit, ſed an nos fideles, & hujus Donationis participes ſimus: Et ſi hoc conſtabit, lis tota dirempta & res deciſa fuerit.

At quoad *finem* tenendum eſt, Dei Gloriam primo, & deinde Chriſti & ejus Juſtitiæ Gloriam & denique Eccleſiæ fidelitatem & Juſtitiam, palàm manifeſtandam, fore Judicis intentionem. Dicendum eſt igitur, Chriſti Gloriam prius intendi, & Chriſti Juſtitiam ſeu Meritum & donationem fœderalem, eſſe cauſam Juſtificationis noſtræ, fide longè præſtantiores; at Fidem & fœderalem fidelitatem noſtram fore cauſam diei maxime diſceptabilem, & decidendam.

Qu. XLVII. *An Spiritus S. peccata Remittere dicendus eſt?*

Reſp. 1. ETiam, quatenus eſt Fœderis Remittentis Author. 2. Et quatenus eſt unus cum Patre & Filio Judice. 3. At præcipue quatenus executive Animam ſanctificando & conſolando, pœnas deſertionis promeritæ remittit. At Patris eſt eminenter, & Filii Mediatoris, & Regis jure Redemptionis, peccata remittere: Ideoque rarò & obſcure Sp. ſancto attribuitur.

Qu. XLVIII. *An juſte Deus à Juſtificatis peccatorum pœnas aliquales exigit?*

Reſp. AFfirm. 1. Pœnas quaſdam peccati primi à Remiſſione exceptas, juſte à toto genere humano exigit: E. g. Ut terra nobis maledicta ſit; ut in ſudore faciei panem edamus: ut dolore fœminæ parturiant; ut tandem moriamur. Quæ in ſe mala ſunt, quamvis per accidens bona fiant. 2. Juſte etiam pœnas caſtigatorias ob peccata particularia infligit; Immo & deſertionis & gratiæ amiſſionis quendam gradum, & inde Gloriæ gradus cujuſdam (aliter expectandi) privationem. 3. Juſte etiam, Dei juſſu, per parentes, & Reges, pœnæ à Juſtificatis ipſis ob peccata ſua exiguntur.

Obj.

Obj. *Non juste ob unum peccatum pœnæ bis exiguntur, à Christo* scilicet *& à nobis.*

Resp. Quantum pœnæ per Christum datæ sunt, ex ipsius & Patris voluntate optimè judicandum est. Neque patris autem neque filii voluntas fuit, ut pœnæ ejus essent loco pœnarum antedictarum à Remissione exceptarum (multo minùs loco pœnarum infernalium Impœnitentium): Ideóque pro peccatis nostris, ut ab istis pœnis exceptis liberemur, Christus non pœnas dedit. Ideóque pro eodem peccato pœnas bis dari non proprie dicitur: nisi *secundum quid*, & ita vere dicitur.

Obj. *Ideo Justificatio nostra nondum perfecta est.*

Resp. Neque Perfectam esse affirmatur, nisi per scientiæ crassam imperfectionem, in statu hoc Imperfectionis.

Qu. XLIX. *An & quomodo Baptismus peccata remittit & Justificat?*

Resp. Baptismus verè peccata remittit & Justificat, per modum *Investituræ ministerialis*, suppositâ *Recipientis Dispositione Receptivâ* necessariâ: & non aliter. Sicut qui per Consensum privatum conjugium iniêrunt, postea per Matrimonii celebrationem, rem palam perficiunt; ubi coram cœtu mutua Juris ad invicem fit actualis traditio: Ita & qui ex cordis fœderatione priùs à Deo Justificati sunt, in Baptismo per *investituram* solennem hoc Jus per Ministrum Dei jussu traditum, palam recipiunt.

Q. L. *An & quatenus Ministri Peccata Remittere dicendi sunt?*

Resp. 1. Quatenus Baptismi, & Sacramenti Corporis & Sanguinis Christi, Ministri sunt, eatenus ministerialiter per Investituram Sacramentalem Remissionis Jus Recipienti-Dispositio tradunt: sicut per servum Rex diploma crimina remittens, reo obsignandum & tradendum suo nomine, jubet. At in casu præsente, si Minister officium suum præstare negligat aut recusèt, Deus cordis scrutator, qui prius secretò cum fideli fœdus sancit, suum fœdus nihilominus fideliter præstabit.

2. Minister etiam Dei jussu extra usum Sacramenti, pœnitenti vero Dispositio pronunciare potest (conditionaliter) peccata sua virtute fœderis remissa esse: Et conscientiæ aliquod levamen est, hoc à nuntio Divino ex officio pœnitenti fideli nuntiatum esse: Quamvis non minus verum est, si non ab ipso nunciatum sit: Et peccata non verè remissa sunt per istam declarationem, nisi verè fideli cui per fœdus coram Deo priùs remissa erant.

3. Pœnam etiam Ecclesiasticam, Minister, id est, Pastor, sensu pleniore adhuc remittere potest, Jus immediatum communionis pœnitenti restituendo: utpote qui Judex fit coram ecclesiâ, de uniuscujusque Dispositione ad Communionem istius ecclesiæ necessariâ: Sicut & Regis est remittere pœnas corporeas civiles, & patris est remittere pœnas domesticas, & Præceptoris Scholasticas, & privati uniuscujusque privatas injurias & debita. De aliis autem peccatorum per Sacerdotes aut Pontifices remissionibus, curare, non est fidelis veréque Christiani, sed servorum astutiæ, ambitionis & tyrannidis, superbientium seductorum: Sicut & triplicem hanc Remissionem parvi pendere Ministerialem, sub Christo juxta mandatum ejus exercitam, intelligentis, humilis, & grati non est Christiani. Et de Remissione & Justificatione hæc hactenus.

CAP.

CAP. XXVIII.

§. I. II. *De EXECUTIONE in Genere.*

Tantum de JUDICIO Christi in Genere: II. De EXECUTIONE in Genere notanda sunt,

I. Natura generica: Est Justissima Divina præstatio Promissionum & Comminationum, & sententiæ judicialis, in Justos & Injustos Executio.

II. Species sunt, { 1. Justificatorum *impunitas* (seu dimissio) & *præmiatio.* 2. Condemnatorum *Punitio*, 1. Pœnâ damni, 2. Pœnâ sensûs.

III. Fines sunt,

- I. Quoad hominem, {
  1. Proximus; Bonorum fœlicitas, & Malorum nocumentum.
  2. Aliquando peccatoris Correctio; & semper Fœlicium Gratitudo & Amor Divinus.
  3. Bonum publicum ex Justitiæ & Sanctitatis Divinæ demonstratione.
- II. Quoad DEUM, {
  1. Necessaria & justa Promissionum & Comminationum Impletio (quæ antè in se necessaria fuêre ad mundi regimen).
  2. Divinæ Potentiæ, Sapientiæ, Amoris, Sanctitatis, Veritatis, Justitiæ, Misericordiæ Gloria.
  3. In hisce (ultimatè) Divinæ Voluntatis Complacentia.

CAP. XXVIII.

§. II. *De PRÆMIIS in Genere, & de Speciebus generaliter; Ubi,*

I. NATURA PRÆMII:

Præmia Divina sunt Bona fœlicitantia ob bonum Obedientiæ data: *Materialiter* à Deo ut *Domino & Benefactore*, quoad *valorem rei*; sed *Formaliter* ut *Præmium*, à *Deo Rectore*, *Ordinis gratiâ*, ut *Medium Regiminis* sui sapientissimi & benignissimi. Ubi observanda sunt,

1. *Materia Præmii*, Quæ est *Bonum Naturale* seu *Fœlicitans*: Et ejus *Origo Efficiens*, viz. 1. Deus ut *Proprietarius*, sub forma depositi. 2. Deus ut *Benefactor* sub formâ Beneficii: Et ità nullatenus ab homine Meritum est, sed Gratuitum.
2. *Forma Præmii*: Quæ est Beneficii *Relatio duplex*: viz.
   1. Prima ad *Deum Præmiantem*, quà *Rectorem*, Judicem, Sapientem, Sanctum, Fidelem; & plerumque etiam ad ejus *Promissiones*, seu *Fœdus*.
   2. Secunda ad *Subditorum Officia* jam *præstita*, sub ratione Conditionis sine quâ non; (à Patribus antiquis Merita vocata).

II. Species sunt,
1. Communia pereuntibus, & specialia seu propria salvandorum.
2. Corporalia vel Spiritualia.
3. Temporalia vel Æterna.
4. Initialia, progressiva, vel finalia. De quibus in sequentibus.

III. Fines sunt iidem ante nominati, viz. 1. Bonum recipientis. 2. Honor Obedientiæ. 3. Regiminis Ordo & decus. 4. Bonum aliorum, & publicum. 5. Promissionum Divinarum necessaria præstatio. 6. Dei Gloria (Justitiæ, Bonitatis, &c.) 7. Et in hisce ejus Complacentia.

CAP.

CAP. XXVIII.

§. III. *De POENIS in genere, & de ſpeciebus ſpecialiter. Ubi,*

I. Natura Pœnarum, eſt Malum *Miſeria*, vel *contriſtans*, vel *Naturale*, ob *Malum peccati*, à Deo ut Rectore, Judice ordinatum & judicatum, peccatori infligendum, ob fines regiminis.

II. Species, quæ diſtinguuntur,

- I. A Subjectis: Et ſunt, 1. Pœnæ ſalvandorum, 2. Damnandorum.
- II. A Partibus Subjecti, & ſunt, 1. Pœnæ Corporales, 2. Spirituales, in animam.
- III. A Materia cum Modo, & eſt, 1. Privitiva; pœna damni: 2. Poſitiva; pœna ſenſûs.
- IV. Ab ortu & ſunt
  1. Peccato eſſentiales, id eſt, Ipſum peccatum, quà miſeria peccatoris.
  2. A peccato oriundæ per Naturalem neceſſitatem, viz. 1. Per efficientiam.
  2. Per reſultantiam.
  3. Legales poſt-judicandæ.
- V. A Lege & Judicio, *viz.* 1. Secundùm Legem Innocentiæ, 2. Secundùm Legem Gratiæ.
- VI. A Tempore, *viz.*
  - I. Hujus vitæ,
    1. In ſtatu Naturæ, & peccati regnantis.
    2. Poſt Regenerationem.
  - II. In Vita futura,
    1. Ante Reſurrectionem Corporis.
    2. Poſt Reſurrectionem, de quibus poſtea.

III. Fines ex ante dictis facilè colliguntur.

Elucidationes

CAP. XXVIII. §. II. & §. III.

§. 1. NOtandum eſt *Præmiari* eſſe *Rectoris* quà talis actum finalem regendi: Et præmiorum omnium Materiam, id eſt, Bona quà Bona, eſſe effecta Divinæ perfectionis Communicativæ, id eſt, Bonitatis, & à Deo ſub relatione Proprietarii & Benefactoris, ſine ullo recipientis merito: At Bonum hoc quà *Præmium*, eſſe à Deo quà *Rectore* ad fines regiminis, & eſſe conferendi *Ordinem*, & rationem quare hic potius quam ille hoc Bonum recipit. Quoad beneficii *Valorem* omne bonum Dei *donum* eſt, ſine minimo creaturæ merito: At quoad rationem comparativam ſeu *ordinem conferendi* & *recipiendi*, ſæpe præmium eſt: Deus

us enim cum benignitate, etiam ſapientiam Juſtitiamque ſuam glorificabit.

2. Præmiorum promiſſiones ſunt ſapientiæ Divinæ media ordinata ad generis humani regimen & benignitatis Divinæ gloriam; ideóque ex Dei fidelitate certiſſimò præſtandæ.

3. Quia Deus Creator hominem neceſſario ſui-amantem fabricavit, igitur per præmia & pœnas ut ſe-amantem regit, itidemque judicabit.

4. Ex præmii fide, proſpectu & ſpe Deo obedire, Gloriam quærere & tentationibus reſiſtere, non eſt ut ſomniant Antinomi, peccatum, aut quid mercenarium, maléque legale; ſed & naturæ & Gratiæ inſtitutis congrue nos gerere; & ut homines & Chriſtianos juxta rationis fideique præcepta vivere.

5. Qui ſub prætextu amoris aut ſpiritûs Evangelici præmia Divina quærenda & ſperanda negant, ſeipſos ad vitam licentioſam præparant, & non raro in infidelitatis gurgitem præcipitant. Sine mediis enim à Deo ſapientiſſimo inſtitutis, finis nunquam bene quæritur, aut obtinetur.

6. Notandum eſt, *Præmia obedientiæ*, & *finem objectivum Amoris*, eſſe rem eandem: Deum ipſum ſcilicet Amandum. Si igitur *Amorem Divinum* quærere licet, *obedientiæ præmium* etiam quærere licet: Amor Divinus enim perfectus eſt obedientiæ præmium. Sin autem objiciatur [*Dei Amorem quidem quærendum eſſe, ſed non quà præmium*]: hoc idem eſt acſi diceretur, Deum *Benefactorem* eſſe, non autem *Rectorem*; aut Mediis non quà Mediis ad finem utendum eſſe; aut Deum obedientibus nullum præmium promiſiſſe: Quod Evangelium & Legem plane ſubvertit.

7. Sicut homines qui præmia recipere vellent, pœnas dare tamen nollent; ita difficilius eſt Dei comminationes & pœnas, quam promiſſiones & præmia credere. Vix enim id verum eſſe credimus quod verum eſſe vehementer nollemus.

8. Niſi humani generis irrefragabilis experientia teſtaretur Deum etiam in hâc vitâ multis miſeriis peccatores punire, & niſi naturæ humanæ principium hoc inſcripſiſſet, ut malis male ſit, & bonis bene, juſtitiæ eſſe & ad omnium ſocietatum bonum & ordinem neceſſarium, vix Dei juſtitiam vindicatricem peccatores credidiſſent.

9. Pœnarum author per modum meriti eſt ipſe peccator, & ſæpe per modum executionis: Deus autem per modum Legiſlationis & Judicii, & plerumque executionis etiam, viz. niſi quando ipſum peccatum ſit pœna.

10. Niſi Malum pœnæ ſequeretur malum culpæ, & fructus amari peccatum redderent exoſum, proh quantum nequitia prævaleret! Deus ejuſque Leges, pietas & probitas, temnerentur? Et ſapientiſſimus ille videretur qui peſſimus eſſet! Et cum nec domus, nec civitas, nec regnum, nec exercitus ſine pœnis aut regi aut ſtare poſſint, quomodo ſine pœnis totus Mundus regeretur? Et cum ipſe Adamus Pœnarum comminatione à peccando frænandus eſſet, neque ita in ſtatu innocentiæ perſeveravit, quis credet Peccatores mente & corde ad omnem iniquitatem propenſos non pœnis etiam amaris eſſe coercendos? Et nonne Mundi totius judex erit juſtus?

11. Qui dicunt ſatis eſſe ad peccatorum coertionem, quod Reges & Magiſtratus flagitioſos puniunt; contra naturæ humanæ principia, & totius Mundi experientiam loquuntur. Et quomodo coercerentur flagitia ſecreta, aut quæ per peccantium multitudinem aut Regalem poteſtatem puniri ab hominibus non poſſint? Et quam peccatis inquinatus eſſet Mundus, immo quomodo omnis regnaret iniquitas, ſi omnia fere principum & multitudinis peccata, & ſecreta omnia, nullo omnino pœnæ timore coercerentur?

CAP. XXIX.

De JUDICIO *Divino, Justificatione, & Condemnatione, in* HAC VITA.

JUDICIUM (Justificatio, condemnatio) EXECUTIO (Præmia & Pœnæ) sunt, I. In hac vitâ, II. In futurâ.

Hujus Vitæ JUDICIUM est,

I. INITIALE in Fœdere BAPTISMATIS, *viz.* { I. In foro Dei vel Cœli. II. In foro Ecclesiæ visibilis.

- I. In foro Cœli: ubi I. Personæ, II. Causa, III. Processus Judicialis, considerandi sunt.
  - I. PERSONÆ { 1. Judex; Christus, Servator; Ecclesiæ Rex; qui & Patronus. 2. Judicandus; Reus, sub pœnâ Legis primæ: sed sub spe; Jam *Appellator* ob salutem. 3. Adversarius; Satan, Qui animarum fœlicitati semper se opponit.
  - II. CAUSA, ubi
    - I. Norma Judicii; Fœdus seu Lex nova promulgata (cujus Causæ hic præsupponuntur).
    - II. Quæstiones jam decidendæ, sunt
      - I. Principalis seu finalis; viz. Utrum Peccator-Appellator sit jam Recipiendus, { 1. In Relationem Salutarem ad Patrem, Filium & Spiritum Sanctum? 2. Et in numerum & Communionem verè Sanctorum? 3. Et an Reconciliationem, Remissionem & Adoptionem sit Jure recepturus (annon?)
      - II. De Mediis viz. de { I. Titulo ad Beneficium; An sit Lex Nova, seu Donatio à Christo merita & facta, Beneficia hæc donans? (Quæ ut nota negari non potest.) II. De Conditione Tituli, An Appellator sit vere POENITENS FIDELIS.
      - Quæ duo probata, Beneficia fœderis ad Appellatorem pertinere probabunt.
  - III. PROCESSUS, ubi
    - I. Appellator { 1. Fœderis Divini jus & beneficia vendicat, rogat, postulat. 2. Jus suum ad postulata probat, viz. { 1. Promissionem Dei, per Christi Sacrificium & Meritum procuratam, ostendendo, ut suum TITULUM. 2. Pœnitentiam & Fidem seu Consensum fœderalem sincerum profitendo, & se Deo vovendo, ut Tituli CONDITIONEM.
    - II. Accusatio (Actualis vel Virtualis) est { 1. Appellatorem non esse vere fidelem & pœnitentem. 2. Ideoque non recipiendum & per fœdus salvandum.
    - III. Judex { 1. Pœnitentiam & fidem, (seu Consensum) Appellatoris ut vera justificat. 2. Et inde Titulum, Causam & Personam, ut recipiendam in statum Adoptorum.
    - Et Executionem sententiæ adjungens, fidelem Beneficiis hisce statim donat.

II. In

II. In foro Ecclesiæ visibilis ; ubi sunt

I. Personæ : 1. Judex, Pastor ; 2. Postulator, Judicandus.

II. Causa : ubi
- I. Norma ; Lex Christi, 1. Ut Promittens hanc salutem. 2. Ut dirigens administratores.
- II. Quæstio
  - 1. Principalis : An Postulator sit recipiendus in Fœdus & Ecclesiam per Baptismum.
  - 2. Secunda : An sit Pœnitentiæ, Fidei, Consensus Professor non jure reprobandus.

III. Processus : ubi
- 1. Postulator 1. Jus fœderis & Communionis Ecclesiasticæ postulat.
  - 2. Jus suum probat
    - 1. Legem Christi ostendendo.
    - 2. Fidem, pœnitentiam, Consensum profitendo.
  - 3. Siquis Accusator professionem ejus reprobare conatur, eam defendet.
- II. Siquis Adversarius esse vult, ejus Professionem (non vilipendere, sed) accusare debet,
  - 1. Vel ut Objective mancam, vel hæreticam in parte aliqua essentiali.
  - 2. Vel ut hypocriticam, falsam, nullam quoad Actum : Quod probandum est.
    - 1. Vel per ignorantiam crassam Profitentis, materiæ scilicet suæ Professionis.
    - 2. Vel per Professionem contrarii, per verba vel Actiones, magis credibilem, probatam.

  Et Professio seria non ita Reprobata, est Tituli valida Conditio.
- III. Judex
  - 1. Injuste postulantem ad tempus rejicit, donec titulum melius probaverit.
  - 2. Juste Postulantem, 1. Justificat, 2. Executivè, per Baptismum recipit.

II. JUDICIUM SUBSEQUENS est vel I. De statu hoc continuando, II. Vel de casu aliquo particulari.

I. De primo, nil variatur à Judicio jam descripto, præter *Causæ* & *Sententiæ* differentiam.

I. Coram Deo
- I. Causa vel Quæstio decidenda est :
  - 1. An fœderatus in privilegiis suis continuandus sit, & insuper novis quibusdam, & augmentis ditescendus.
  - 2. De Mediis
    - 1. An in fide, pœnitentia & consensu fœderali perseveret.
    - 2. Et finceram insuper obedientiam juxta fœdus suum præstet.

    Quæ vera Conditio est, Tituli sui ad continuata & addita fœderis beneficia.
- II. Sententia Judicis est, aut Justificatio aut Condemnatio juxta Justitiam vel Injustitiam Causæ.

II. In foro Ecclesiæ,

I. Quæstio est
- I. An postulator sit in Communione Ecclesiæ continuandus.
- II. An Postulator
  - 1. In Professione Christiana perseveret. 2. Et eam neque hæresi, neque impœnitentiâ in crimine aliquo invalidet.

II. Judex Pastor, 1. Injustum reprobat. 2. Justum justificat. Et consequenter judicantis executive Pastor & Populus, vel Communionem concedunt, vel à Communione eos abdicant.

II. De Causis Particularibus, in Genere,

I. Casus est
- 1. De Dominio seu proprietate ; & de contractibus, & aliis inde ortis.
- 2. De debito Amore & Beneficiis & Donationibus.
- 3. De criminibus & benefactis, & an quis
  - 1. Præmiandus sit præmio aliquo particulari.
  - 2. Puniendus pœna aliquâ particulari.

II. Per Judicem

De quibus judicatur,
- 1. Deum ipsum secundum suam Sapientiam, non semper per Legem peremptorie prædeterminantem, quoad præmia & pœnas temporales.
- 2. Per ejus Officiales in foro humano
  - 1. Oeconomico.
  - 2. Ecclesiastico.
  - 3. Civili ; & foris subordinatis.

(De quibus satis jam dictum est.)

Elucidationes

CAP. XXIX.

§. 1. QUamvis in converſorum baptiſmali receptione, Dei Beneſactoris, Salvatoris Gratia maxime ſpectabilis eſt, Chriſti gratiâ peccatorem fidelem gratis condonans & juſtificans, hic tamen Dei Judicis opus aliquod exercetur: Juxta fœdus ſuum ſeu Gratiæ Legem ob Chriſti merita pœnitentem credentem condonandum & juſtificandum judicat: Hic igitur Chriſti miniſter eſt & ſtatûs baptizandi ſub-judex, nomine Chriſti ſententiam abſolutionis ei proferens, & magis eminenter Dei Patris reconciliati nuncius, ejus beneficia per Chriſtum parta per modum inveſtituræ nobis gratis donantis.

2. Quorundam peccata (inquit Apoſtolus) præeunt judicanda, quorundam autem ſequuntur: Et à Deo judicamur, ne cum mundo condemnemur. Præter Chriſti ſacrificium in ipſos peccatores ſanctitas Divina contra peccatum per judicia ſua ſeſe ſuo tempore demonſtrabit.

3. Nullum Dei Regnum ſine Judicio & executione aliquali adminiſtratur; ſi Angeli peccantes è cœlo ſint dejecti, & ſtatus eorum cœleſtis neque Leges, neque Judicium aut executionem excluſit, proculdubio neque ſub Naturæ, neque ſub Gratiæ Regimine hæc excluduntur. Etiam in Eremo Deus Iſraelitarum Rex & Judex fuit.

4. Quandam Judicii ſui partem Deus exercet per Reges, per Paſtores, & Parentes; Maximam autem ſine Magiſtratibus, per ſeipſum, per Angelos, per Dæmones, per omnes creaturas, per noſmetipſos, & noſtram Conſcientiam.

5. Conſcientiæ tamen Juſtificatio & Condemnatio non ſunt illa primaria & principalis, quæ à Deo in hâc vitâ exercetur: ſed ſententia propria humana (ſi vera) eſt ſententiæ Divinæ pars quædam executiva. Proprie enim Conſcientia judicare dicitur, quando Legem Divinam, & noſtra opera vere intelligit: Et eſt animæ oculus potius quam propriè judex: Accuſat quidem & excuſat, & damnat & juſtificat; non tamen ſententiam deciſivè, nedum finaliter, ferendo, ſed diſcretive Leges divinas applicando.

6. Conſcientiæ tamen & Condemnatio & Juſtificatio, ut judicium Divinum immediate reſpicientes, multo magis à nobis reverendæ ſunt, quam hominum quorumcunque ſententiæ: Conſcientiæ vera pax pace mundanâ multò præſtantior eſt; & ejus vulnera maxime doloroſa. O quantâ pace bona & illæſa conſcientia fruitur, etiamſi corpus ſit paupertate aut vinculis afflictum! Spiritum autem peccato & irâ Divinâ vulneratum, quis ferre poterit? Martyres igitur in flammis gaudent, dum tyranni & impii (niſi ſtupidi) tremunt. Ipſe Seneca aſſeruit, *maximam peccati pœnam eſſe peccaſſe:* Addere debuit [*Et conſcientiâ expergefactâ ſine remiſſione ſentire ſe peccaſſe, & in manus Dei vindicis ſanctiſſimi cecidiſſe.*]

7. Omnibus igitur ſumme cavendum eſt ne judicium humanum nimium æſtiment, nedum Divino præferant, ſed approbatione & amore Divino contenti, ſummo conamine ipſi placere, (& omnibus propter Deum) & ejus ſententiam finalem fide expectantes, & hypocritarum mercedem temnentes, ſpe acquieſcere.

8. Judicium autem Rectorum & Doctorum aut alicujus Dei Legem & Judicium nobis exponentis minime parvipendendum eſt: A quocunque inſtructionem acceptare nos oportet, ſed ſolum ſub Deo & propter Deum.

9. Cer-

9. Certissimum Justificationis & Amoris Divini indicium est, Donum Spiritûs sancti, quo ex sensu Amoris & Amabilitatis Divinæ, Deum sanctissimum & omnia propter Deum verè amamus: Hoc enim est pignus, arrhabo, sigillum, & nomen Dei cordibus inscriptum, & primitiæ futuræ gloriæ; ex quo solo nos Christi esse filiique Dei infallibiliter cerni potest; & ut cernamus assidue conandum est.

CAP. XXX.

De Vitæ præsentis POENIS *in specie: Quæ distinguuntur,*

I. Ab Ortu; vel speciali modo, ordine & causa oriundi: Et ita sub nomine POENÆ venit,

- I. PECCATUM ipsum quà *Miseria Peccatoris:* Cujus Deus non aliter Author est, quam *naturam* & *res* Hominis & Mundi ita ordinando, ut idem istud quod peccatum sit contra Deum, Peccatoris ipsius fieret Miseria. *viz.*
  - 1. Peccasse: Amissio Innocentiæ; Reatus culpæ.
  - 2. Cæcitas mentis: Dei, Divinorum, spiritualium ignarum esse.
  - 3. Deum non Amare: In Deo non delectari: Quod est privatio ipsius fœlicitatis.
  - 4. In Deo fiduciam non ponere; neque fiduciæ requiem & securitatem invenire.
  - 5. In Voluntate Divinâ, animæ Centro & fine, non acquiescere.
  - 6. Erroribus decipi, confundi, & mentis dubitantis perplexitatibus involvi.
  - 7. Amissio Deliciarum quæ adsunt in animæ statu salutari, & in excercitiis pietatis, temperantiæ, charitatis, &c.
  - 8. Odium sanctitatis & Dei & sanctorum; quæ est summa Animorum deformitas & miseria.
  - 9. Amor & appetitus insatiatus & Tantalizatus; & cupidinum dominatio & molestia.
  - 10. Passionum plurimarum, (metus, iræ, tristitiæ, desiderii, &c.) perturbantium inquietationes.
  - 11. Cogitationes vanæ, confusæ, inquietæ: Curæ & anxietates animum infestantes.
  - 12. Incapacitas immediatæ Complacentiæ Divinæ. Vah! quanta miseriarum moles!

II. Peccatum NATURALITER consequentia: Quæ igitur Peccator ipse efficit; Quæ sunt vel

- I. Quæ sequuntur necessario per immediatam *Resultantiam*; Qualia sunt
  - 1. Amissio ipsius Divinæ complacentiæ (dum peccator ejus sit incapax.)
  - 2. Receptio Divinæ Displicentiæ (dum peccator se Deo exosum reddidit.)
  - 3. Amissio Juris ad maxima & plurima Beneficia Divina.
  - 4. Reatus Pœnæ positivæ debitæ (cujus *Reum* esse est in tantum miserum esse.)
  - 5. Bonorum plurium perditorum egestas.
  - 6. Homo homini fit contrarius & respective malus.
  - 7. Ordo mundi perturbatus.
- II. Quæ sequuntur Naturali effectione; Qualia sunt,
  - 1. Conscientia peccati; (dicta sæpe *Conscientia mala*, quia est *Conscientia mali.*)
  - 2. *Pudor Reatus* (à Conscientiâ mali pudendi ortus.)
  - 3. Vexatio & Morbi corporis ex peccatis (ut ex irâ, ebrietate, Venere, curis, &c.)
  - 4. Conscientia & sensus Divinæ Displicentiæ.
  - 5. Tristitia ob stultitiam peccandi, & miseriam voluntariè sibi illatam.
  - 6. Timor de Malis futuris. Horum omnium peccator ipse Author est.

III. LEGALES POENÆ, quæ per Legem Divinam præordinantur peccata sequuturæ; *viz.* vel

I. Modo NEGATIVO, *viz.*

I. Deo tantum Permittente, non-impediente, (at ordinante) *viz.*

1. Peccatorem se ipsum ulterius decipere, contaminare & cruciare.
2. Diabolum 1. Tentationibus eum sollicitare, 2. Et diversimode affligere.
3. Homines { 1. Tyrannos nos opprimere. 2. Seductores nos decipere. 3. Hypocritas nos prodere.
{ { { 1. Malignantes, inimicos, hostes, milites, latrones, nos lædere. 2. Proximos nobis molestos esse, contrarios, & injuriâ nos afficere. 3. Consanguineos, affines, amicos nos fallere & negligere.
4. Bruta rebellare & nos lædere: & morbis & morte affici in damnum dominorum.
5. Inanimata, ignem, aquam, terram, aerem, ventos, pluvias, cibum, potum, &c. nos lædere.
6. Corporis humores corrumpi, sævire, peste & morbis innumeris affici.

II. Deo non-faciente quod ad salutem & bonum naturæ opus est, *viz.*

I. Erga Animam { 1. Non dare Spiritum sanctum ad Naturæ renovationem. 2. Non dare Evangelium, Pastores fideles, & cætera salutis media. 3. Non dare Remissionem pœnarum positivarum, Adoptionem, &c.

II. Erga Corpus { 1. Non illud à periculis præservare, vel liberare. 2. Non illud à malis sibi inductis tueri, aut eripere. 3. Non vitam sustentare, nec valetudinis media concedere.

II. Deo EFFICIENTE, *viz.*

I. Per Creaturas, *viz.* { I. Viâ ordinariâ, { 1. Per Angelos, 1. Malos, 2. Bonos. 2. Per Homines, *viz.* { 1. Per Superiores Domesticos. 2. Ecclesiasticos. 3. Civiles, (& subordinatos.)
II. Viis extraordinariis; ut Bello justo, & quibusdam morbis, &c.

viz. { 1. Præcipiendo (ut Israelitas perdere Canaanitas, &c.) & prohibendo Beneficia. 2. Inducendo vel impellendo, (ut Bruta, ferociam suam exerere ad pœnam.)

II. Per se immediatè, dum Bona facit, quæ cedent peccatoribus in malum.

II. A Materia & Modo afficiendi; Estque vel

I. Pœna Damni, vel Privativa boni, *viz.* Privatio vel Amissio,

1. Bonorum jam possessorum, ut Evangelii, Gratiæ aliqualis, valetudinis, vitæ, &c.
2. Juris Conditionalis (nondum actualis) & juris ad bona futura amissibilis.
3. Capacitatis & Possibilitatis, Boni; vel *diminutio* capacitatis & probabilitatis.

II. Pœna sensûs Positiva: (Quæ tamen sæpissime fit per media negativa.)

III. A Parte ſubjecti: Pœna eſt

- 1. Senſitiva: (dicta corporea: ſed revera Corpus nihil ſentit.)
- 2. Mentalis; æſtimata per Intellectum.

IV. A diverſitate ſubjectorum, *viz.*

- I. Pœna eſt vel Regenitorum lapſorum, negligentium, errantium, &c. Qualis eſt
  - 1. Miſeria peccandi jam deſcripta, juxta culpæ proportionem.
  - 2. Pœna naturaliter & neceſſario peccatum conſequens, prius deſcripta.
  - 3. Pœnæ Legales (Spiritus S. auxilia diminuta, vitæ & ſolaminis ſpiritualis diminutio, pœnæ ſenſibiles, &c.)
- II. Irregenitorum: Quæ ex priùs dictis, & jam ſequentibus intelligi ſatis poſſunt.

V. A Lege, ut normâ Judicii: Et ita ſunt vel

- I. Pœnæ Primæ Legis: *viz.*
  - 1. Univerſales, quæ per Adami peccatum in genus humanum venerunt.
  - 2. Speciales, ſed jam Remediabiles, ex Lege Naturæ ut ſub Chriſto continuatâ.
- II. Pœnæ Legis Gratiæ: Quæ ſunt
  - I. Infidelium & Impœnitentium; *viz.*
    - I. Non-Liberatio à malo, *viz.*
      - 1. Non-liberatio ab ipſo peccato, per Spiritum ſanctum.
      - 2. Non-liberatio à conſequentibus neceſſariis, ut Diſplicentia Divina, &c.
      - 3. Non-remiſſio pœnarum Legalium magis diſtantium, præcipuè reatus pœnæ æternæ: Negatio Spiritus ſancti, Adoptionis, & reliquorum fœderis beneficiorum ſalutariũ.
    - II. Reatus vel debitum Pœnæ majoris, ob gratiæ Chriſti contemptum & ingratitudinem. (Pœnæ enim quidam gradus eſt, ad pœnam majorem obligari.)
  - II. Fidelium lapſorum; non peremptoriè determinatæ, ſed ut Chriſto placet infligendæ, *viz.*
    - 1. In Animam,
      - 1. Spiritus ſancti auxiliorum diminutio, & peccati majoris permiſſio.
      - 2. Pacis & conſolationis ſpiritualis amiſſio; & triſtitia, terrores, &c.
      - 3. Caſtigationes Animales plurimæ; & cætera ante recitata.

      Quæ ſunt partim ex Lege Naturæ violatâ, & partim juxta Legem Gratiæ pœnas naturaliter debitas variè diſtribuentem, ad Gratiæ fines.
    - 2. In Corpus; Caſtigationes variæ, ex jam dictis fundamentis.

N. B. Quod ſub fœdere Gratiæ, non *præmiari* per *beneficia promiſſa*, eſt puniri: Quia Beneficia quibus ob infidelitatem, & impœnitentiam homines privantur, ſunt 1. Gratuito (etſi ſub Conditione) jam peccatoribus donata; 2. Et quorum capacitatem & Jus conditionale prius habuere; quibus privari vere pœna eſt: Attamen *Pœna* & *Præmium*, non ſic confunduntur, neque *præmiari* & *non-præmiari*.

Elucidationes

Elucidationes

CAP. XXX.

§. 1. QUamvis maxima Justitiæ Divinæ glorificatio erit post mortem, in viâ tamen Deus juste nos regit, & pœnas non contemnendas infligit (quæ in Tabulâ enumerantur). Et fidelium est ejus Justitiam hic exercitam timere & agnoscere. Et quidem etiam suos sub verberibus (peccatorum suorum fructibus amaris) clamare sæpissime cogit, *Justus es Domine, & justa sunt tua judicia.* Et ipsi Christiani Stoici qui ex Christi passione nullos fideles unquam puniendos esse colligunt, tandem tamen docente experientiâ discent, correctiones divinas esse pœnas, & etiam fidelium peccata suos habere aculeos; qui & carni & conscientiæ fortasse non parum acuti erunt.

2. Maximæ autem hujus vitæ pœnæ plerumque minimè sentiuntur: *viz.* Spiritus sancti desertio, quâ peccatores tentationibus, & suis consiliis & cupiditatibus relinquuntur. Pœnæ igitur spirituales sunt maximè timendæ.

3. Non minimum Christianæ prudentiæ & fidei opus est, castigationes ferre divinas non solum patienter, sed & salutariter: Quamvis enim quà malæ & amaræ sunt, peccati fructus sunt, à Christo tamen fiunt medicina contra peccatum & pœnas majores, non minimæ efficaciæ & utilitatis: Ipsos quippe sensus in subsidium vocant, ad opera resipiscentiæ, & mortificationis; torporem & segnitiem animi excutiunt; & facultates somnolentas ad serias de spiritualibus cogitationes, & affectus vividiores suscitant; & cupidinis, divitiarum, & vanæ gloriæ incantationes facillime depellunt. Fere igitur deploratus est peccatoris istius status, qui flagellatus adhuc sine resipiscentiâ peccat; aut cito post flagella ad flagitia sua revertitur.

4. Minorum verberum contemptus, aut majora, aut desertionem prognosticat.

5. Signum etiam pravum est & periculosum castigationes multum & peccata parum lugere, aut peccata solum quà pœnarum causas.

6. Verus autem castigationis usus est, & sine stupido contemptu, & fatigatione, incredulitate aut desperatione, humiliter & seriò corda nostra scrutari, & vitæ opera præterita explorare, nosmetipsos sine partialitate juste judicare, sine fraude peccata fateri, & abjicere, patientiam, justitiam, sanctitatem, immo & amorem Divinum honorare; futuram obedientiam sine hypocrisi vovere, & præstare; Dei verberantis manum osculari, & Christi interceßioni fidendo, ad pedes misericordiæ suppliciter provolutos paterni amoris & gratiæ condonantis & medentis responsa submisse & patienter expectare.

7. Quamvis omne malum naturale peccatoribus à peccato ortum sit, amaritudinis gradus multum diversificantur: Pro Christo & justitia pati magis jucundum quam amarum est; & propter solum Adami peccatum & justificatorum infirmitates, ad probationem, humanum est: Propter lapsum graviorem autem magis amarum: Ob impietatem autem & contumaciam acerbissimum.

CAP.

CAP. XXXI.

De Vitæ præsentis PRÆMIIS. *Quæ sunt vel*

I. Naturalia Operi aut Virtuti præmiatæ, & sunt
- 1. Ipsa Bonitas Moralis, vel Sanctitas, ut est Animæ Sanitas, bonitas, & fœlicitas.
- 2. Ejus Consequentia Naturalia.
  - 1. Relativa, ut à Deo approbari in tantum &c.
  - 2. Realia; ut Conscientia Boni; Pudoris, tristitiæ, &c. quædam diminutio.

N. B. Sicut Pœna Naturalis est opus ipsius peccatoris, & Dei tantum antecedenter ut Authoris naturæ & ordinis; Ita Præmium Naturale est immediatè ab ipso hominis officio præstito, & inde à Gratia per quam præstitit, & primo à Deo antecedenter rerum naturam ordinante.

II. Legalia, id est, à Deo per Gratiæ Legem seu Fœdus data; Quæ sunt vel

I. Initialia; Fidei & Pœnitentiæ primæ Præmia, Conversis data, ubi consideranda sunt

I. Ipsa Præmia: Quæ sunt

I. Fundamentalia, *viz.* Relationes fœderales, *viz.*

1. Ad Deum Patrem, 2. Ad Filium, 3. Ad Spiritum Sanctum,
- Creatorem Reconciliatum.
- Redemptorem Reconciliantem Deum.
- Regeneratorem Reconciliantem nos.

Viz. ut sumus,
1. SUI Peculiares.
2. Subditi fideles.
3. Filii amantes & amati.

II. Connexa Fundamentalibus, *viz.*

I. Simplicia,
1. Patris Reconciliatio & Dilectio non tantum Complacentia quâ *fidelem* quatenus *talem* & in tantum diligit (Qui bonum quodcunque non diligere non potest) sed & plenior illa quâ jam Redemptos ut *Christi membra* diligit & in Christo.
2. Remissio peccatorum per Christum.
3. Regeneratio, seu Renovatio initialis per Spiritum sanctum. Ex quibus

II. Complexa,
1. Adoptio, 1. ad jus hæreditatis amissum, 2. & ad majora.
2. Justificatio, id est, 1. Justos faciendo, 2. Æstimando, 3. Initialiter declarando.
3. Sanctificatio, id est,
1. Dispositivè, dum Amore ad Deum inclinamur.
2. Activè, cum Deo nos totos actu (fœdere scilicet) vovemus.
3. Relativè, ut Deo ita habitualiter & Actualiter *separati* sumus.

III. Sequentia, *viz.*
1. Liberationes à Malo. 1. Mentalis. 2. Corporei. } Quæ ex Tabula de pœnis colligi possunt.
2. Donatio Boni, *viz.*

II. *Ordo & Modus Conferendi:* Ubi notandum est
1. Quod Beneficia absolute gratuita, præmia omnia antecedunt.
2. Quod Præmium *Meritorum Christi* (quale est, *Lex Gratiæ*, vel *Remissio Universalis* sub conditione fidei) antecedit Præmium obedientiæ nostræ.
3. Quod Universalis illa Condonatio, quamvis neminem condonat ante Conditionem præstitam; ex parte tamen Dei proprie satis *Condonatio* dicitur; Quia ejus *Conditio*, nil aliud est quam *grata acceptio*, seu *non repudiatio beneficii donati*.
4. Et quandocunque aliquis *condonatur*, non fit per novum aliquem Dei actum realem; sed tantum *Condonationis illius universalis*, novam significationem, vel actum moralem. Dum enim per *modum signi* operatur (significando voluntatem Divinam Condonantem) ideo instrumentum hoc antecedenter factum, consequenter tantùm post fidem *actu* operatur.

5. Beneficium jamjam per Christum promeritum, & gratuitò mundo datum sub conditione gratæ acceptionis, non potest postea per nos meritum esse a Patre *quà Beneficium*; sed tantum quia *Ordinis gratiâ à Christo suorum* Donorum dispensatore, Beneficia hæc donantur, sub *Regimine* per *Legem*, vel fœdus Conditionale; Quoad ordinem hunc obtinendi, Jus ad beneficium gratis datum dicitur promereri comparativè, quando conditionis præstatione, impedimentum Juris & possessionis removetur.

II. Progressus Præmiorum hujus vitæ sunt

I. Priorum Continuatio, cujus causa continuans necessaria est.
II. Eorundem Augmentatio; additâ & auctâ fidelitate obedientiali.
III. Particularia plurima quotidie repetenda, prout opus est, *viz.* Spiritus Sancti Auxilia, protectio, provisio, liberatio à tentationibus & à malis; privilegia Ecclesiastica; infirmitatum & lapsuum (per pœnitentiam) venia, omnia in bonum cooperatura, & sanctificanda; tuta & solaminis plena vita & mors; obedientiæ scilicet, gratitudinis & Amoris operibus fideliter præstitis.

Elucidationes.

§. 1. ET hic & antea sæpe monitum est, non omnia Dei dona esse per modum præmii: Prima enim & universalia & plurima particularia sunt mere gratis donata, sine respectu ad officium aliquod humanum antecedens: Et omnia quæ quoad ordinem conferendi sunt præmia, quoad rei valorem esse mere gratuitò data beneficia.

2. Quanquam præmia hujus vitæ præ cœlestibus sint minima, non tamen parvi pendenda, utpote virtualiter & in se, & in ordine ad perfectiora, vere magna sunt. Ex semine hoc dulcissimi fructus oriuntur.

3. Etiam dona *precibus* quæsita sunt *precum* fidelium præmia, utpote Mediorum ad quorum usum Deus per præmia homines excitat. Nemo autem sani cerebri inde colliget Preces mereri ex justitiâ commutativâ. Idem etiam de præmiis fidei, gratitudinis, &c. dicendum est.

4. Maxima hujus vitæ præmia sunt Spiritus sancti dona spiritualia sæpe descripta; eorumque incrementum, suscitatio, & utilitas humana, & communio Divina hæc comitantes: Diligentissime igitur observandum est, qualis sit animarum nostrarum status; quoad gratiæ seu sanctitatis sinceritatem, robur, activitatem, constantiam, victorias & incrementum: Et quanquam Deus ut Dominus-Benefactor Absolutus sua dona quoad gradus arbitrariò diversificat, Peccata tamen nostra, omissiones, neglectus accusare par est, quandocunque eo gradu sanctitatis aut Divini auxilii caremus, quem fidelibus & diligenter piis Deus concedere solet.

5. Et revera unusquisque experientiâ vere doctus certissime percipit Dei dona non per neglectum aut per peccata, sed in officii nostri fideli præstatione plerumque concessa esse & speranda: Vivacitas spiritualis, eximius scientiæ, fidei, amoris, gaudii, fortitudinis, patientiæ gradus, non somnolentis, aut socordibus, nec nisi fideliter petentibus & conantibus obveniunt.

6. Non inepte igitur à quibusdam dicitur, *Ita quærendum & laborandum esse in mediorum usu, quasi solâ industriâ omnia obtinenda essent: ita tamen grato animo omnia recipienda, & gratiæ Deo agendæ sunt, quasi ex nullo respectu ad nostros conatus gratis donarentur:* Quæ tamen non positive sed suppositive, ne contradictoria sint, intelligenda sunt.

7. Semper autem distinguenda sunt *Præmia determinate & peremptorie promissa*, ab aliis non ita promissis: Ne aut temerariò incerta quasi certa expectemus, & fidelitatem Divinam incusemus, quandocunque nos ipsos præsumptione fallimus; aut dubitantes & vacillantes certiora quæramus.

8. Plu-

8. Plurimum igitur noſtrâ intereſt ut promiſſiones Divinas rectè intelligamus, ne quid & quomodo petendum aut ſperandum eſt ignoremus, & indè aut bona ſperata, ante eorum dulcedinem amittamus, & Bonitatis & Fidelitatis Divinæ Gloriam obſcuremus.

9. Ideo incertiſſima ſunt bona corporalia, quia nobis minùs notum eſt, quando verè nobis bona ſunt; nedum quando bonum noſtrum temporale bene congruit cum bono publico aut majore aliquo Dei opere peragendo; nec quantum malum naturale præſens ad bonum futurum aut naturale, aut morale, noſtri aut aliorum conferet.

10. Quando præmia à Deo in S. Literis promiſſa eſſe legimus, officii noſtri neceſſitas, & ratio, & Divina ſanctitas, benignitas & ſapientia hinc cenſendæ ſunt: non autem vel minima operum dignitas hinc colligenda, ſub ratione meriti per commutationem, quaſi Deo aliquid proprie donare creatura aliqua poſſet: Sed Amor Infinitus Amorem ſui, noſtri-ipſius & aliorum, cum amoris operibus nobis præcipit: Et qui ſibi aliiſque maxime bene facit, (id eſt, qui beneficia gratis data citiſſime & pleniſſime recipit) is Deo optimo Optime placet, & placendo mereri ſeu beneficiis donatis dignus eſſe dicitur.

11. Sicut enim Regimen Divinum Paternum eſt, ita & pœnæ (hujus vitæ medicinales) & præmia ſunt paterna: Et mereri ſeu dignos eſſe filios ſuos dicit, quando boni, & patri ſimiles fiunt, & ejus dona animo prompto gratoque excipiunt.

12. Præmiorum hujus vitæ uſus præcipuus eſt, ut eis fides & ſpes æterni præmii confirmentur, & Deo placidè & jucunde ex amoris ejus ſenſu ſerviamus, & officia noſtra omnia alacriter præſtemus, dum firme credimus non labores, non ſumptus, non patientiam, aut fruſtra eſſe, aut aliquatenus in damnum noſtrum unquam ceſſura.

13. Etiam in hac vita, non obſtante mundi adverſus fideles inimicitiâ, tanto præſtantior eſt piorum etiam afflictorum conditio quam impiorum florentiſſima, ut pudendum eſt minus agnoſcere quam de Jobo ipſe Satanas, Non gratis Deo eum ſervire.

CAP. XXXII.

De REMISSIONE Peccatorum in ſpecie.

Quia de Remiſſione peccatorum ſæpe dictum eſt; quæ pars eſt PRÆMII & Beneficii Evangelici; hic ſemel & pleniùs eam explicandam eſſe viſum eſt.

I. Quoad ACTUM, Remiſſio eſt
- I. *Conſtitutiva Juris*; Quâ Jus datur ad impunitatem.
- II. *Judicialis*, per Sententiam Judicis, Jus Conſtitutum ſeu datum declarantis.
- III. *Executiva*; quâ actualiter à Pœnis liberamur; Quæ eſt perfectiſſima Remiſſio.

II. Quoad Objecta; Quæ ſunt

- I. Neg.
  - 1. Non Reatus facti. — Neceſſitate enim exiſtentiæ, quod ab aliquo factum & culpabiliter factum eſt, ita factum erit in æternum; neque per potentiam Divinam fieri poteſt eum non feciſſe factum & culpam quam fecit.
  - 2. Non Reatus culpæ in ſe. — (ibid.)
  - 3. Non Lex in ſeſe, quatenus pœnam facit debitam peccato in ſpecie. Aliter peccatum remittere, idem eſſet ac Legem abrogare.
- II. Aff.
  - I. Ultimatè; Pœna demerita remittitur.
  - II. Reatus Pœnæ, id eſt, Jus vel Debitum perſonale, ſeu Obligatio ad pœnam.
  - III. Peccatum ſeu Reatus culpæ, (non in ſe, ſed) tantum Relative ad pœnam, ſcilicet ut propter hoc peccatum, Condonatus non pœnas dabit.

I. Pœnæ remittendæ in Tabulâ de Pœnis ennumerantur, quæ hic revisenda est.

II. Jus vel Obligatio remissa est:

1. Legis Innocentiæ naturalis, originaliter violatæ; ne sit efficax ad pœnam.
2. Ejusdem Legis Naturæ (moralis vulgo dictæ) obligatio remediabilis sub Christo.
3. Legis Christi Specialis, quoad præsentis Vitæ Pœnas.

At Pœna hujus Legis Christi de vitâ futurâ, si *plenè* demerita sit, nunquam remittitur.

III. Peccatum remittendum est

1. Peccatum Originale, ut per Legem Naturæ Innocentis condemnatum.
2. Peccatum Actuale, ut contra Legem Naturæ sub Christo continuatum.
3. *Peccatum Actuale* Remissibile, contra præcepta Legis Christi specialis.

At *Finalis non-præstatio conditionis fœderis*, id est, *Fidei & Pœnitentiæ*, ut & Blasphemia ista Infidelium in Spiritum sanctum, sunt irremissibilla.

III. Quoad Causas & Media & Modum Remittendi, observandum est, Quod

I. Pœna peccato Naturalis (viz. 1. *Essentialis*, 2. *Naturaliter & necessariò consequens*, ante descripta) non remittitur, nisi *fundamenti*, id est, *ipsius Peccati* destructione seu cessatione: Ubi Primariò Deus-sanctificans, deinde Homo-reformans, causæ sunt.

II. De Remissione, 1. Peccati, 2. Obligationis, 3. Pœnæ Adamicæ, prius dictum est.

III. Peccatorum & Pœnarum remissibilium, ex obligatione *Legis Naturæ*, & Primæ, & Continuatæ, ut & Legis Christi specialis, debitarum, Remissio diversa diversimodè causatur, viz.

I. Remissionis Constitutivæ, quâ Jus datur ad Impunitatem, hæ Causæ sunt

1. DEUS BONUS AMOR, misericors, est Causa Prima simpliciter Principalis.

II. Christus Mediator est Causa Media Principalis (ut ante explicatur) viz.

1. Persona summæ præstantiæ, dignitatis, aptitudinis, fuit causa *Efficiens Qua.*
2. Ejus Præstatio fœderis Mediatorii, per *Sanctitatem perfectam*, & *Passionem*, fuit causa *Efficiens Quâ*, vel Causa *MERITORIA totalis*, Remissionis fœdere nobis datæ.
3. Donatio, fœdus seu Promissio Evangelica, seu Lex Gratiæ, est in se *Remissio Instrumentalis Conditionalis Universalis*, & actu Instrumentaliter credentibus condonat.

III. Spiritus Sanctus
1. Fœdus hoc condonans miraculis & donis obsignavit.
2. Est Causa Primaria Conditionis præstitæ, præstantibus auxilians.

IV. *Fides* ut officium aptum, gratiâ *Medii* (Christi) / *Resipiscentia* ut officium aptum gratiâ *Finis* (Dei) — sunt Conditio Juris nostri ad Christum & Promissionem condonantem.

Nullo modo meretur à Deo *Remissionem ipsam*, à Christo jam promeritam & Conditionaliter datam in Testamento; sed quoad *Ordinem conferendi*, est *Medium* vel *Conditio sine quâ non*, *Jus* hujus Remissionis nobis obvenit; vel est JURIS hujus dignitas, vel Meritum Evangelicum.

V. Baptisma est Solemnis Traditio Remissionis obsignatæ per modum Investituræ.

VI. Minister Baptizans, est Dei Minister per Mandatum Investiens, & Remissionem obsignatam tradens.

II. Remissionis Judiciariæ (magis propriè Justificatio dicitur) Causæ sunt,
1. Efficiens, Christus-Rex Judex, Reum condonatum pronuncians.
2. Dispositiva Subjecti, est Remissio Constitutiva prius data (sicut de Justificatione dicitur.)

III. Re-

III. Remissio Executiva est actualis Liberatio à pœnis; vel Impunitas data; & distinguitur juxta Tabulam pœnarum jam delineatam: E. g. 1. Frænare Diabolum, homines & cæteras creaturas, ne nos lædant. 2. Dare Spiritum sanctum, & Media salutis &c. quorum vel possessione vel jure per peccatum fuimus privati. Et ita *Sanctificare* est executiva Condonatio. Et ita omnis Donatio contra Meritum, & Liberatio à Malo, est Remissio Executiva. At *Donatio præter Meritum*, ubi privatio non est *pœna*, non est dicenda *Pœnæ* Remissio. Erg. N. quod Dei [*non punire*] ab æterno & ante peccatum, non erat *Remissio*; sed *post peccatum* Dei [*non-punire*] fuit peccati & pœnæ vera Executiva Remissio.

N. B. Cautè semper distinguendæ sunt, 1. Remissio Antecedens & Consequens. 2. Remissio conditionalis omnium si credent, à Remissione particulari actuali credentis: Quæ fit per vim universalis illius Remissionis, particulariter operantis, quando Jus acquiritur per Conditionis præstationem.

Elucidationes

CAP. XXXII.

De Remissione Peccatorum.

§. 1. Scholastici nonnulli per *Remissionem* intelligunt peccatorum mortificationem seu destructionem, quâ homo ab ipsis peccatis sit mundus seu liberatur: Et ita eam *Justificationis* (per quam volunt Sanctificationem seu renovationem habitualem) partem esse statuunt. Cum eis igitur de hisce disputandum non est, donec terminorum ambiguitas tollatur.

2. Nos talem dari *Remissionem* nulli dubitamus; at plerumque per *peccatorum Remissionem* intelligimus condonationem, seu remissionem Pœnæ, & peccati quoad pœnam, seu abolitionem Reatus Pœnæ, & Reatûs culpæ, quoad obligationem ad pœnam ~~continet~~.

3. Et talem etiam dari Remissionem à nemine Christiano negandum est: Aliter nulla daretur *Peccatorum Actualium*, (sed tantum *habituum*) remissio: Omne enim peccatum actuale aut est *præsens* aut *præteritum*, aut *futurum*. Peccatum *futurum* revera non est *peccatum*; ideoque non est Remissionis capax: Peccatum item *præteritum* realiter jam *non est*, & *nihil est* (sed *fuit*); ideoque non est *peccatum*, nec mutationis alicujus absolutæ capax: E. g. Quomodo destrui potest ipse actus adulterii aut homicidii Davidis quando perpetratus jamjam præteriit? Et actus cum *præsens* & *vere actus est*, non *destruitur*. Mali *habitus* & dispositiones quidem mutatione reali aboleri possunt; non itidem *actus*. At nullam peccati actualis, nullam pœnæ remissionem aut petere aut credere, non est Christiani.

4. Sicut Pœnarum sunt plurimi gradus & species, ita & Remissionis; & Pœna, E. g. infernalis & destructoria remittitur, ubi correctiones etiam acerbæ non remittuntur.

5. Nulla Remissio in hac vita perfecta est.

6. Pœnarum sententiâ Divinâ post lapsum in genus humanum denunciatarum, nulla datur hic plena remissio; *viz.* quæ earum omnem executionem impediet: Mori enim necesse est, & mulieres dolore parturire, & terram maledictam spinas producere &c.

7. Finalis impœnitentiæ & infidelitatis & impietatis prædominantis, nulla datur aut conditionalis aut actualis remissio. Dum enim *vera fides cum resipiscentiâ in viâ*, sit Remissionis Conditio in fœdere gratiæ, *Conditionem non præstare*,

ſtare, hoc eſt, *non credere* aut *pœnitere* in hac vitâ, à remiſſione plane excipitur.

9. Etiam cætera infidelium impœnitentium peccata non remiſſa manent; non autem quà mere peccata (ſub Conditione enim omnia, etiam præſens infidelitas & impœnitentia, remiſſa ſunt;) ſed quà remedio contempto obſtinate retinentur, donec nullum ſupereſt remedium.

10. Immo & peccata omnia cum ſincerâ fide & pœnitentiâ conſiſtentia, vere remittuntur quoad pœnam æternam, quamvis ad mortem uſque actualiter nobis adhæſerint: ſine fide autem & pœnitentiâ Remiſſio actualis nulla eſt.

11. Cum fœdus Dei ad fideles eorumque ſemen extenditur, parentum fides eò ſtatuitur conditio remiſſionis infantilis ibi promiſſæ; ut clarius (ſuo loco) & ſæpe dictum eſt.

12. Peccatoribus condonare ex impotentiâ eos coercendi, aut ex injuriâ, aut injuſtitiâ, aut ſine ſufficiente ſecuritate nè Reſpublica inde capiat detrimentum, eſt vituperabile & Deum Opt. Max. Sap. dedecet: At condonare pœnitenti propter datam à Chriſto ſatisfactionem juſtitiæ Divinæ, quâ gloriæ Rectoris & ſaluti publicæ optime conſuletur, Deum Optimum, Sap. Miſericordem ſumme decet.

13. Remiſſio per actum Legis Gratiæ donativum, obligationem ad pœnam deſtruit, & jus dat ad impunitatem: Remiſſio per ſententiam hoc jus contra accuſationes judicatum reddit. Remiſſio per executionem pœnam aut removet aut non infligit: Et hæc tria nunquam confundenda ſunt.

14. *Nolle punire*, & *non punire* reum, ſunt quædam Remiſſiones: Primum mente concepta, alterum executiva: At *nolle-punire*, aut *non-punire* ſimpliciter, non ſunt *condonare*: Deus igitur qui ab æterno *noluit punire*, & *non-punivit* (e. g. electos pœnis infernalibus) non tamen peccata remiſit ab æterno, quia nullum fuit peccatum, reus nullus, ideóque nullum ſubjectum remiſſibile.

15. *Peccata* remittere non eſt *juſtificare* contra accuſationem *reatus culpæ*, (Reum ſcilicet Legis præceptum violaſſe): At vere juſtificat contra accuſationem Reatus pœnæ, (id eſt, Reum ad pœnam ferendam obligari;) & hoc ſenſu eſt vera Juſtitia: condonatus enim non eſt puniendus.

CAP. XXXIII.

De JUDICIO, JUSTIFICATIONE & Condemnatione FUTURIS.

JUDICIUM vitæ futuræ eſt I. Particulare poſt Mortem, II. Univerſale poſt Reſurrectionem. At Poſterioris deſcriptio ſatis erit, quia Prius in eâ quaſi continetur.

Hic vero

I. Author, II. Fines, ex Tabula de Judicio in Genere colliguntur: III. Ipſius Judicii ſunt

I. Perſonæ,
- I. JUDEX, *viz.*
  - 1. Supremus abſolute; Deus-Creator-Redemptor.
  - 2. Supremus Miniſterialis; Chriſtus, Homo, Mediator, quà Rex.
- II. ACCUSATOR, (virtualiter vel actualiter)
  - 1. Ex Omniſcientia & Sanctitate, & cujus præcipue intereſt, Deus.
  - 2. Ex Malitiâ, Diabolus.
  - 3. Ex Conſcientia & Neceſſitate, ipſe Reus.
- Et Defenſor ſeu Patronus
  - 1. Ex Omniſcientiâ, Amore, & Juſtitiâ; DEUS.
  - 2. Ex Amore, officio, & jure; Chriſtus, Caput Eccleſiæ; Advocatus.
  - 3. Ex ſui-amore, Conſcientiâ & jure; Ipſi Juſti judicati.
- III. Judicandi: Totum genus humanum, 1. Juſti, 2. Injuſti, ſontes.

II. Cauſæ:

II. CAUSA: ubi
- I. Norma; Lex Divina
  - 1. Remota; præſuppoſita ut violata: non norma deciſionis: Lex naturæ innocentis.
  - 2. Proxima: Lex Gratiæ: Fœdus Adami, Noe, Abrahami, Baptiſmale Chriſti incarnati, reſpectivé.
- II. Quæſtio,
  - I. De Fine,
    - 1. An Reus ſit jure damnandus ad miſeriam ſempiternam?
    - 2. An jure Præmiandus ſit ſempiternâ fœlicitate?
  - II. De Mediis, *viz.* Quæſtio,
    - 1. Remota: An judicandus eſt Innocens, aut Peccator? (Quæ ut deciſa ſupponitur)
    - 2. Directæ,
      - I. Primæ,
        - 1. An Reus ſit Condonatus? (à Deo ſcilicet per Mediatorem?)
        - 2. An jure ad Vitam ſit Donatus? (à Deo ſcilicet per Mediatorem?)
      - II. Secundæ,
        - 1. An Fœdus ſeu *Condonatio* Univerſalis Conditionalis à Deo data fuit?
        - 2. An Fœdus ſeu *Præmii Donatio* Conditionalis univerſalis à Deo facta fuit?
      - III. Tertia: An juſtè factæ ſint hæc Condonatio & Donatio (ubi Deus Juſtificandus eſt)?
      - IV. Quarta: An Reus Jus habet hujus fœderis, Condonationis & Donationis quoad beneficia?
      - V. Quinta: An Reus ſit Conditionis fœderis ad beneficia recipienda neceſſariæ, Præſtitor?

viz.
- 1. An ſit vere Chriſtianus? (neque Infidelis, neque Hypocrita?) ſed fidelis pœnitens?
- 2. An poſt converſionem, obedientiam ſinceram præſtitit, & vincendo perſeveravit?

III. PROCESSUS Judicialis: ubi ſunt
- I. Accuſatio (ſaltem Virtualis) contra quam Juſtificandi aut non Juſtificandi ſumus, erit,
  - I. De Fine: ſcilicet, 1. Reum non eſſe Glorificandum, 2. Sed Damnandum ad pœnas, &c.
  - II. De Mediis,
    - 1. Reum eſſe *Peccatorem, Lege Naturæ condemnatum* (Quod ſupponendum eſt.)
    - 2. Reum *non Condonatum*, nec *vitâ Donatum* eſſe. (Deinde ſi impudentiæ locus detur, dicetur)
    - 3. Fœdus Condonans & Donans nullum eſt; (aut)
    - 4. Fœdus hoc non Juſtè Reum (utpote in ſe injuſtum) condonare & vitâ donare.
    - 5. Reum ad fœderis hujus Beneficium nullum Jus habere.
    - 6. Reum non eſſe verum Conditionis fœderis præſtitorem; ſed violatorem: hoc eſt Non fidelem-pœnitentem eſſe, ſed aut apertum Infidelem, aut Hypocritam.
- II. DEFENSIO Juſtificans (aut per Reum, aut Chriſtum Advocatum faciendum) neceſſariò talis erit.
  - I. De Fine Allegare,
    - 1. Nos Juſtos eſſe; id eſt, non jure damnandos.
    - 2. Nos Juſtos & Adoptatos eſſe, & jure Glorificandos.
  - II. De Mediis,
    - I. Fateri,
      - 1. Nos eſſe Peccatores, ideóque Injuſtos quoad partem Legis Naturæ præceptivam (& ut Lex eſt Innocentiæ, & Lex Naturæ ſub Chriſto continuatæ.)
      - 2. Et quoad Legis illius *Comminationem*, nos Injuſtos, id eſt, Condemnandos eſſe: Ideóque *non per Legem* illam Juſtificandos (nè ob ſponſoris ejus præſtationem.)

II. Allegare

II. Allegare verò

1. Nos esse & *Condonatos* & vitâ *Donatos*, per Deum quà Regem supra Leges suas: Ideóque à sententiâ *illius Legis ereptos.* Et hoc *Jus-donatum* esse *proxime Justitiam nostram pro legalem*: Reatus enim Pœnæ remissus est, & Reatus culpæ ut obligans ad pœnam (etiamsi non in se.)
2. Fœdus Evangelicum Conditionale Universale, Condonans & vitam Donans, à Deo datum fuisse: Et Condonationem hanc & Donationem seu Legem salutis, esse *Justitiam nostram Instrumentalem*, seu *Titulum*, id est, Fundamentum *juris nostri* ad *Impunitatem* & ad *Gloriam.*
3. Fœdus hoc Condonans & Donans, justissime factum esse: utpote factum

1. Per DEUM-AMOREM-Benefactorem, Misericordem, Regem supra Legem illam condemnantem. (Et ita Dei *Misericordia* est Justitiæ nostræ Fons seu *Efficiens principalis.*)
2. Legis illius partem punientem justè relaxari; Quia 1. Finis ejus obtinetur, 2. Et Legislatori satisfit. 3. Condonatio & Donatio nobis promeritæ sunt; *viz.* per Christi Mediatoris, 1. Personæ dignitatem, cum 2. Sacrificio, 3. Et perfectâ Sanctitate & obedientiâ: id est, Fœderis Mediatorii Conditionis ab ipso requisitæ, perfectâ præstatione. Et Christi hæc Justitia (Sacrificii & Meriti) est *nostra Justitia pro-legalis meritoria & materialis*: Quâ Condonationem & Donationem-Juris-ad-vitam, apud Deum, gratuitò nobis danda meruit. Est nostra in *Effectis* (& in *tantum Imputata*) etsi non *Formaliter in se.* Sicut pretium datum victori pro captivis redimendis, *in se* datur *Victori*, at Captivis in effectis tantum.

4. Nos ad fœderis hujus Beneficia (à Deo data & per Christum promerita) JUS verum habere.
5. Nos fœderis hujus Condonantis & Donantis (per Dei gratiam) Conditiones vere (etsi imperfecte) præstitisse: Fide scilicet & *Pœnitentiâ* & *Obedientiâ* sincerâ perseverante etiamsi imperfectâ.

(Et quoniam Lex Gratiæ erit Norma Judicii; & quæritur tantum de JURE ad Beneficia prius Conditionaliter Donata; Ibi Conditionis præstatio, per fidem & pœnitentiam, erit *Justitia nostra subserviens*; minimi quidem Meriti; sed de quâ sententia illius diei ultimatè dependebit.)

De cæteris enim prædictis vix casus erit controversus; sed tantum An nos Conditionem fœderis Gratiæ præstiterimus. Si igitur falsò Accusamur Impœnitentiæ, & Infidelitatis finalis, Ipsa fides & Pœnitentia contra hanc Accusationem, necessario erunt *Justitia nostra Materialis* particularis: Et si falsò etiam Accusamur vitæ finaliter impiæ, rebellis, Carnalis, ut Impœnitentiæ evidentiæ; Materialiter Justificandi sumus ex contrarii (scilicet sinceræ pietatis & obedientiæ) allegatione.

III. JUDICIS Partes erunt

I. Veritatem explorare & cernere, & sententiam concipere.
II. Veritatem palam decisivè declarare, sententiam proferendo; *viz.*

1. Justos Justificando.
2. Injustos Condemnando.

De affectionibus, modis & proprietatibus ubi de Judicio in Genere jam dictum est.
De Justificatione (& Condemnatione) Executivâ futura post dicendum est.

N. B. I. Quod totus Mundus (Legis Innocentiæ violatione suppositâ) judicandus est secundum Gratiæ Legem, *viz.* Editionem illam sub quâ vixerunt; *viz.*
1. Qui Evangelium habuêre, secundum Evangelium.
2. Judæi ante Christum, secundum Promissionem, cum Lege Judaicâ.
3. *Mundus* reliquus totus per *Legem Gratiæ Adamo* & *Noe* datam (per Providentiam promulgatam seu patefactam.)

Et quantum nobis innotescit, Infantes quasi Parentum membra; sed juxta statum suum Infantilem, quoad Gradum, præmiandi & puniendi sunt.

II. Quod

II. Quod Condemnati, 1. *Supponuntur* esse sub Condemnatione Legis Naturæ, propter unumquodque peccatum particulare (utpote conditionaliter *tantum*, non actu remissum.) At 2. *Determinative* condemnantur solum ob Legis remediantis violationem, & Remediantis aliqualis Gratiæ ingratam rejectionem; & Beneficiorum gratuitò oblatorum contemptum & forisfactionem.

III. Quod cum S. Scriptura dicit, nos *juxta Opera nostra judicandos esse*, &c. nobis innuit magnam illius diei controversiam decidendam, fore (non utrum Christus satisfecit, aut fœdus condonans factum fuit, &c.) sed An nos vere Fœderis Gratiæ Conditiones præstitimus, per fidem scilicet, pœnitentiam & sinceram sanctitatem. Et qui has præstitit certò Justificabitur; & qui non præstitit condemnabitur; non ex defectu satisfactionis & meriti Christi, aut fœderis Gratiæ; sed ex defectu Conditionis præstandæ, & ob Gratiæ oblatæ rejectionem.

IV. Ex Tabulâ hac patet quomodo & in quantum Justitia Christi fit nostra aut nobis Imputatur? Et quomodo ipsa fides ad Justitiam imputatur; & per quas diversas causas diversimode Justificamur.

Elucidationes

CAP. XXXIII.

§. 1. JUstificatio supponit Accusationem, non semper actualem, sed aliquando solum *virtualem*, seu possibilem: Quanquam igitur nescimus quomodo aut per quos accusabimur in die judicii, & an Diabolus hoc vel illud contra nos allegabit; non tamen nescimus quid erit *Justificari*; aut quænam ad Justificationem sunt necessaria.

2. Frustra igitur à quibusdam dicitur, non opus fore Justificatione contra falsam aliquam accusationem, *viz.* Nos esse Infideles, impœnitentes, (nè scilicet ipsa fides & pœnitentia dicatur esse in tantum justitia justificanda): Cum potius dicendum esset, Deum neminem justificaturum contra veram accusationem sed solum contra falsam: Quanquam nè vera accusatio peccati falsam inferat (peccatorem scilicet damnandum esse) justificatione cavebitur.

3. Probabile videtur ipsum lumen fore loco verbalis accusationis: Quando omnia Deus in aperto posuit, sine disputatione aut longâ exploratione per verba, res ipsæ, rerumque veritas palam apparebunt.

4 Perverse dicitur à quibusdam, nos die Judicii non proprie justificandos esse, sed tantum Justificatos declarandos: cum Justificatio per Judicis sententiam maxime proprie Justificatio est; & decisive rem controversam judicare, est nudâ Declaratione quid majus: Et ipsa Declaratio Divina finalis est multo majoris momenti quam hominum aut conscientiæ judicium.

5. Primariam hanc omnibus curam esse oportet, ut Judicium Divinum vere credentes, ejus processus vere intelligant, & Dei Legem, & suum statum non ignorantes, paratos semper esse coram Deo Judice apparere, & sententiam finalem recipere.

6. Conscientiæ judicium huic Divino præparatorium est: Fideliter igitur & cito administrandum est; non segniter, aut torpide, neque per regulam, signa, aut media fallacia; & conscientia læsa sine morâ sananda est; & contra ejus condemnationem remedia statim adhibenda sunt.

7. Si vanæ hominum speculationes, scientiæ, contentiones verterentur in studium hoc, quo Judicium Divinum fide, spe & amore præparati expectarent, in statu longe fœliciore essent res humanæ, & Ecclesia sic vere Reformata foret.

Pars Quarta.

III. *DE REGNO GLORIÆ.*

CAP. I.

De REGNI GLORIÆ CONSTITUTIONE: Ubi ſunt,

I. EFFICIENS DEUS:

- I. Natura, { 1. Omnipotens qui potuit, 2. Omniſcius qui novit, 3. Optimus qui voluit } Opera ſua ad ſummam perducere perfectionem.
- II. Perſonaliter, { 1. PATER, Virtus & fons operationum, 2. FILIUS, λόγος & quaſi formator operationum, 3. SPIRITUS S. Amor Communicativus & Perfector } Omnia ad ſui Gloriam & Complacentiam operatus eſt.
- III. Relationes,
  - I. Fundamentali eſt { 1. Creator, qui omnia fecit, 2. Redemptor, qui fontes reconciliavit, 3. Regenerator, qui peccatores renovavit } { 1. Ad Voluntatis ſuæ complacentiam. 2. In Imaginis ſuæ Gloriam. 3. Ad ſummam Amabilitatem.
  - II. Ortâ, { 1. Dominus abſolutus, qui ſuos deſtinavit, 2. Rector, qui ſubditos duxit & ordinavit, 3. Benefactor, qui Amore Filios præparavit } { Ad Complacentiam, Gloriam, & Amoris Communionem jam dictam.
  - III. Generali Logicâ ex his, viz. Cauſa, { 1. Efficiens Prima totalis, Ex Qua, 2. Gubernans principalis, Per Quam, 3. Finalis ultima, Ad Quam } { Sunt Omnia: Cui GLORIA in æternum. Amen.

II. FINES (in quantum Deus finem intendere dicendus eſt, ex prius dictis patet) viz.

- I. Ultimatè ultimus Formaliter; Complacentia Divinæ Voluntatis.
- II. Ultimus materialiter; In operum perfectione Imaginis ſuæ reſplendens GLORIA.

Viz. hoc ordine, { 1. In Univerſitatis creatæ, 2. In Eccleſiæ Cœleſtis Glorioſæ (Chriſto incluſo), 3. In Chriſti Capitis Naturæ humanæ, Et 4. in Naturæ, & perſonarum Angelorum & Hominum } Perfectione ſummâ, viz. 1. In Virtute, 2. In Actu, 3. In Actione.

III. CONSTITUTIO Paſſivè; ubi, I. Partes Eſſentiales, II. Integrales, III. Adjuncta.

- I. Partes Eſſentiales ſunt,
  - I. Subſtantiales, Materiales dictæ,
    - I. DEUS ut jam deſcriptus, { 1. Pater Perfectis perfecte Reconciliatus & Amans. 2. Filius qui Reconciliationem jam perfecit. 3. Spiritus S. qui Amore perfecto beatos perfectè Amabiles fecit.

- II. Subditi
  - I. Angeli confirmati.
  - II. Homines prius
    - 1. Inimici,
    - 2. Rei damnationis,
    - 3. Pravi,

    jam verò,
    - 1. Reconciliati,
    - 2. Condonati,
    - 3. Regeniti;

    - 1. Adoptati,
    - 2. Justificati,
    - 3. Sanctificati

    in summa Glorioſâ Perfectione.

II. Forma, *viz.*

I. Ut REGNI: Quæ eſt Ordo Relativus ex mutuis Relationibus conſtitutus, *viz.*

- I. Relatione Dei ad ſubditos, ut eſt,
  - 1. Creator, Naturæ
  - 2. Redemptor, Gratiæ, Medicinæ
  - 3. Regenerator, Vitæ, Salutis

  Author ideóq; Pater,
  - 1. Dominus abſolutus.
  - 2. Rex, Caput.
  - 3. Amator & Amandus.
- II. Relatione noſtri ad Deum ut ſumus,
  - 1. Creati,
  - 2. Redempti,
  - 3. Regeniti,

  Ideóque Filii, *viz.*
  - 1. Sui Peculiares.
  - 2. Subditi, Gubernati.
  - 3. Amici, Amati & Amantes: Ut ſæpe dictum eſt.

II. Ut GLORIÆ, Quæ eſt,

I. Ex parte DEI, *viz.*

- I. Efficientis, *viz.* Divinæ
  - 1. Potentiæ,
  - 2. Sapientiæ,
  - 3. Amoris,

  - 1. Vitalem Energiam,
  - 2. Illuminationem,
  - 3. Sanctitatem, Amorem

  juxta uniuſcujuſque Menſuram Perfectiſſimè communicantis.

II. Ut objecti

- I. Animi, & ita,
  - 1. Subſtantiam ſuam,
  - 2. Virtutem, id eſt,
  - 3. Perfectionem,

  - 1. Potentiam,
  - 2. Sapientiam,
  - 3. Amorem,

  Et Subſiſtentias, Relationes, Operationes,
  - 1. Patris,
  - 2. Filii,
  - 3. Sp. S.

  - 1. Reverendas,
  - 2. Intelligendas,
  - 3. Amandas,

  - 1. Proximè,
  - 2. Clariſſimè,
  - 3. Magneticè, oſtendit.
- II. Corporis, id eſt, ſenſuum perfectorem, & ita ſe præbet,
  - 1. Admirandum.
  - 2. Spectandum.
  - 3. Delectabiliter Amandum.

  Non in ſe: Sed in Imagine ſua GLORIOSA,

  Viz. In Gloriâ

1. Perfectæ Univerſitatis Mundorum (Totius etenim maxima eſt Gloria.)

2. Societatis Cœleſtis omnium beatorum (Chriſto incluſo) (partis utpote præſtantiſſimæ.)

3. Chriſti Naturæ humanæ Glorificatæ (Partis præſtantiſſimæ illius partis.)

4. Angelorum & Sanctorum (Corporis Chriſti politici partis, illius partis, ſecundæ.)

5. Cœli ipſius Beatorum ſummè Glorioſi: In omnibus his GLORIA DIVINA Beatorum ſenſibus reſplendebit, & per ſenſus etiam Intellectui: Et an alia aliqua GLORIA Creata vel Emanans ſit ordinata ad beatorum Glorioſam fœlicitatem, citò nos certiores beata experientia reddet.

II. Ex

II. Ex Parte MEDIORUM jam enumeratorum, ad CORPORIS Glorificati uſum adaptatorum, *viz.*

I. Univerſitatis Mundorum nobis tunc aut viſa erunt aut innoteſcent;

1. Miranda *Magnitudo*, & Extenſio, Mortalibus jam penitus incognita.
2. Ordo & Compaginatio perfectiſſima; mortalibus inſcrutabilis.
3. *Bonitas omnimoda inæſtimabilis, Bonitatis Divinæ Imago.* Item, Subſtantiarum Naturæ, Materia prima, elementa, formæ, qualitates, puritas, raritas, denſitas, unitas, diverſitas, compoſitio, diviſio. Item Cauſæ & Effecta, Totum & Partes, *Relationes & Adjuncta. Una cum Neceſſitate, Pulchritudine, Harmonia. Item Formarum, id eſt, Virtutum Eſſentialium*, 1. *Potentiæ*, 2. *Diſcretiones*, 3. *Appetitus. Item, Operationes* multiplices & mirandæ; ſeparatim & conjunctim: ad intra & ad extra: Quæ omnia clarè & penitus perſpicientur, & GLORIA & Imago Divina in omnibus.

II. Sicut Anima eſt Corporis vita, & cauſa pulchritudinis, operationum, &c. Ità Beatorum ſocietas *univerſa* erit Univerſitati quaſi Anima, vel ſicut Dies ad Noctem; in ſanctiſſima ſc. Civitate Dei, ejus Gloria illuſtriſſime præfulgebit.

III. Chriſtus Glorificatus adeò perfectæ eſt Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, Glorioſæ, claræ & Magneticæ Præſentiæ; ut ſicut in Regno Gratiæ fuit Mediator acquiſitionis, ità in Regno Gloriæ, erit Mediator fruitionis & quaſi cœlorum Sol fulgidiſſimus; & eſſentiæ Divinæ aſpectabilis Imago.

IV. Sicut Gloria Flammæ latiſſimæ aſcendentis, ſcintillæ parvulæ Gloriam ſuperat, ità Angelorum & beatorum Eccleſia triumphans, ſplendidior multò eſt Divinæ perfectionis Imago, quàm Sanctiſſimi cujuſpiam Cœlicolæ perfectio, *viz.* Potentia, Sapientia, & Amor eorum perfectiſſimus, Unionis Robore, Pulchritudine & Harmoniâ ſpectatiſſimi ſunt.

V. Et quando ſolem tantò glorioſiorem videmus quàm ſpelunca eſt, Habitatio Beatorum proculdubio in ſplendore Gloriæ adaptata eſt ad eorum fœlicitatem congruè promovendam.

III. Ex parte Subjectorum Gloriæ, *viz.*

I. Ut RECIPIENTIUM,

I. Quoad MENTEM; & ità erunt Animæ beatæ,

I. Subſtantiæ Naturales Glorificatæ, in ſuâ menſurâ perfectiſſimæ.

II. Virtutes Formales Perfectiſſimæ,
1. Potentiæ Vitales Activiſſimæ.
2. Intellectus Scientiſſimi & Sapientiſſimi.
3. Voluntates per Amorem Sanctiſſimæ.

III. Ideóque omnis Communicationis, Beatificantis, Vivificantis, ſcilicet, Illuminantis, & Sanctificantis, à Deo, Mediatore & Cœlicolis reſpectivè, maximè Receptivæ.

II. Quoad Corpus, *viz.*

1. Materia ejus erit Subſtantia Purificata, jam Corpus Spirituale, incorruptibile, immortale.
2. Corpus liberatum ab omnibus Malis, ad Reunionem, & Animi uſum & amicitiam adaptatum erit. Et ex hiſce fœlicitatis perfectioris particeps futurum eſt.

II. Ut

II. Ut AGENTIUM,

I. Erga DEUM, *viz.*
1. Perfectè (ſuâ quiſque menſurâ) Gloriam Divinam intuebuntur Beati.
2. Ab ipſo perfectè Amati, Ipſum itidem (ſuo modulo) perfectè amabunt.
3. Perfectè, abſque Impotentia, Errore & Averſatione, Deum colent & laudabunt.

II. Erga ſeipſos, *viz.*
1. Facultates ſuperiores perfectas, perfectè, quoad objectum, ordinem, gradum, exercebunt.
2. Facultates inferiores, non jam inordinatas aut rebelles, perfectè gubernabunt.
3. In ſeipſis Imaginem Divinam in æternum intuebuntur & amabunt.

III. Erga alios, *viz.*

I. Cœleſtes Gloriæ ſocios,
1. In eadem Veritate conſentientes, quaſi Mens una plurimæ factæ erunt.
2. Amore & affectuum Concordiæ Unitiſſimi erunt.
3. Laudibus Divinis & operibus obedientiæ harmonicè conjunctiſſimi.

Unde,
1. Unuſquiſque ab omnibus communicata auxilia, plenè Recipere paratus eſt.
2. Unuſquiſque Amore prægnans aliis ſua communicare gaudet.
3. Unuſquiſque omnium fœlicitate tanquam propria per Amorem fruitur.

II. Erga futuros Terræ incolas: Supra quos plus quàm probabile eſt, beatos Regnaturos eſſe, vel Curaturos, & ità Deo ſervituros; ſicut jam Angeli ſupra & circa nos. Angelis enim quodammodo æquales Regno & Gloriâ numerabimur, Luc. 20. 36.

III. Erga Damnatos,
1. Angelos, } in quos cum Chriſto ſanctè
2. Homines, } triumphabunt. 1 Cor. 6. 2, 3.

II. GLORIÆ Partes Integrales erunt Membrorum ſingularium Gloria; & Gradus diverſi ſanctitatis & fœlicitatis poſitivæ: (Omnes æqualiter à peccato & miſeriâ erunt immunes.)

III. Adjuncta erunt,

1. Loci & Circumſtantium Gloria.
2. Terræ futuræ incolæ: Et an orbes alii talium incolarum erunt Cœlicolis ſubditorum, vel inferiorum, mortalibus haud probè notum eſt.
3. Damnati, ut Hoſtes triumphati.

Tantum de REGNO GLORIÆ Inchoato, in Executione ſententiæ Judicii finalis.

CAP.

CAP. II.

De Regni Gloriæ REGIMINE *quædam prænotanda*; Viz.

1. Quoniam cœlitibus tantum *plene*, mortalibus autem parcius, cœleſte Regimen revelatur, ideo pauca tantum & generalia, ne falſa vel incerta de eo dicenda ſunt.
2. Regnum NATURÆ CREATORIS fuit Regnum POTENTIÆ eminentis, ſed cum coæquali Sapientiâ, & Amore conjunctæ. Regnum GRATIÆ REDEMPTORIS fuit Regnum *Sapentiæ* (Medicinalis) cum coæquali Potentiâ & Amore. Et ante Chriſtum incarnatum *Sapientia Regulativa* cum Potentiâ terribili magis eminebat: At poſtea magis *Sapientia cum Amore*: Quia poſt Spiritus ſancti effuſionem Regnum *Gratiæ* & *Sapientiæ* fuit quaſi propolis, crepuſculum, a rrhabo Regni Gloriæ. Sed REGNUM GLORIÆ eſt REGNUM AMORIS eminentiſſimi, etiamſi cum coæquali Potentia & Sapientia. Ejus Regimen ergo eſt opus AMORIS EMINENTISSIMI.
3. Sicut in hâc vitâ, diſtantia noſtra à facie Jehovæ, neceſſarias facit Leges vel ſcriptas vel per nuncios miſſas; quæ *Signa* ſunt Divinæ Voluntatis; Ex quarum obſcuritate, ignorantia, error, incertitudo & infidelitas anſam arripiunt: Ita proximitas Cœlitum, & Præſentia Gloriæ Divinæ, Leges ex Signis obſcuris, facient non-neceſſarias.
4. Attamen, An omnes Dei Voluntates de officio noſtro, inmediatè ſine Signis in facie Dei conſpiciemus; aut ſigna aliqua, & qualia tunc erunt neceſſaria, ni fallor, mortalibus ignotum eſt.
5. Diſtantia Gloriæ & imperfectio Gratiæ vel Sanctitatis, neceſſaria jam faciunt promiſſa præmiorum: In Regno verò Gloriæ, fœlicitatis plena poſſeſſio & Sanctitatis perfectio, promiſſiones nullas relinquent neceſſarias, niſi de æternâ Gloriæ illius continuatione: Neque alia *Fides*, niſi de Præteritis aliàs ignotis, & *futuris*, ibi erit uſui. Sed *Poſſeſſio* obedientiæ Motiva erit, loco promiſſionis.
6. Nulla igitur ibi diſtinctio erit inter Regimen Antecedens & Conſequens, niſi tantum quoad ordinem Naturæ: Quia non aliter diſtinguetur Legiſlatio, à Judicio & executione.
7. Intuitio igitur & *Præmii actualis* Poſſeſſio, perſeverantiam æternam in Amore & obedientiâ cauſabunt, & *immutatos* poſſeſſores reddent.
8. Leges ibi erunt *Radii Divini Luminis*, *Amoris* & *Potentiæ activæ*, ad Mentem & Voluntatem pertingentes, & ibi ſe Communicando, Divinam Voluntatem inſcribentes; & magis *operationes efficaces* erunt, quam ſigna tantum Moraliter agentia, ut in Regno Sapientiæ.
9. Leges hæ Mentibus inſculptæ, erunt *Natura Sancta & obedientialis*; At *Natura* item *Sapiens*; quia non *cæca* ſed *intelligens*. Et perfectè *Leges Naturæ* dicendæ erunt.
10. Natura hæc erit AMOR ſed cum Vitali Potentiâ & *Sapientiâ*, in ſumma perfectione; & in ſummâ, cum AMORE, SAPIENTIA & POTENTIA Divinâ ſupremâ, Communione. AMARE & AMARI erunt Regni Gloriæ & LEX & *OPUS* & *Finis* perpetuo fruendus.
11. *Libertas* ibi cum fœlici *Neceſſitate* conjuncta fuerit, & non in noſtrâ indifferentiâ & indeterminatione habituali vel actuali, poſita.
12. Quodnam fuit Angelorum Regimen, & quis eorum ſtatus ante quorundam Lapſum, & ſub quibus erant Legibus particularibus, & quomodo ceciderunt, mortalibus ignotum eſt. Sed ex eventu certum eſt, eos non fuiſſe in ſtatu Confirmato. Beatos tamen omnes ibi eſſe confirmatos, & ita Angelis ante lapſum fœliciores, tenendum eſt; Quia de Beatitudinis ſempiternitate Evangelicas habemus à Deo promiſſiones.
13. Quoniam AMOR perfectus erit, nulla manebit Comminationum Neceſſitas (ut videtur) Etiam nunc verum eſt illud Apoſtoli: *Juſto Lex non eſt poſita* (Id eſt, 1. In quantum quis *Sanctus Illuminatus* eſt, in tantum non eget Lege ſcriptâ vel præcipiente vel prohibente, de notis per Naturam; Quia in Corde Leges tales ſcriptæ ſunt. 2. In quantum quis *Amore* ſancto prædituſ eſt, non eget Minis, aut Legibus pœnalibus ad obedientiam timore cogendam): Et ita Amor in Cœlis perfectus Timorem pœnæ omnem excutiet, quia ejus Neceſſitatem tollet. Attamen Legis tum *Directio* tum *Imperium*, etiam juſtiſſimo neceſſaria jam manent, & in ipſis Cœlis cum perfectiſſimo Amore in æternum neceſſaria manebunt; (Etiamſi juxta ſtatum Gloriæ Revelatæ, & non ſecundum ſtatum hunc diſtantem & imperfectum). Regimini enim Divino & Dirigenti & Imperanti in æternum ſubeſſe optimis neceſſe erit.

Elucidationes

Elucidationes

CAP. I. & II.

§. 1. EVangelii hic honor est, hoc Christi opus eximium, *Vitam & Incorruptibilitatem in lucem produxisse*, 2 Tim. 1. 10. Christus Vitæ Dominus, vitam æternam fidelibus promeruit, donavit, revelavit: à Morte nos redemit; Mortem ipse ferendo & resurgendo vicit: & Mortem abolevit seu evanescere fecit: Discipulorum igitur Christi hoc studium esse oportet, vitam æternam, vitæque causas & media probe & practice edisce re. Qui Grammaticam vult discere, Grammatici fiat discipulus; Qui Oratoriam, Oratoris; qui tricas Logicas, Logici: Hæc trita & infima natura & rationis industria satis docent: Filius Dei è cœlis non descendit ad trivialia hæc & puerilia docendà: sed ut Vitæ æternæ sit procurator, dux & donator. Qui hæc non intelligit, rem Christianam is nescit, & de Christo vere & honore debito cogitare non potest: Nec mirum est si infidelis is fiat & Apostata qui ad Christum accedens, in Sacris Scripturis non *Vitam* expectat sed verba & nugas, quando ipsi videbitur Quintilianum aut Donatum magis Grammatice, Demosthenem aut Ciceronem magis Rhetorice, Aristotelem magis Logice quam Apostolos aut Evangelistas, scripsisse: Quis autem Philosophorum Vitam æternam suis Discipulis promeruit, donavit, aut clarè revelavit? Quis eorum mortem vicit? Et discipulorum corpora resuscitavit; animasque in Dei favorem recuperavit, & spiritu vivificante, illuminante, Sanctificante, ad Sanctitatis Divinæ imaginem reformavit? à Satanâ, peccato, & pœnis sempiternis liberavit? aut hinc decedentes in regnum gloriæ recepit? Hæc Christi peculiaria opera sunt: Hæc ejus gloria sunt. Ab ipso hæc discere, expectare, & grato animo recipere, fidelium opus est. Divitias aut dominium, superbiæ vitiorumque aliorum escam, fortasse (Deo volente) Cæsar aut Alexander aut Mahometes, aut ipse Diabolus donare potest: Dei gratiam, vitamque æternam donare tales non possunt; neque seipsos à supplicio infernali sempiterno liberare.

§. 2. Optimus igitur ille Christi discipulus seu Christianus is est, qui Vitæ æternæ promissionem firmissime credit, & spretis mundanis ad hanc obtinendam summo studio se Deo devovet, & Christo salvatori se totum committit, eique fidit; quique non tam à carnis prosperitate & vitæ præsentis voluptatibus, quam ex fide & spe cœlestis Gloriæ solamen suum assidue quærit. Is horas suas, studia, labores & sumptus optime & fructuosissime sibi aliisque impendit, qui missis inutilibus controversiis, de cœlestibus & sempiternis, sapissime & maximè seriò loquitur, & ejectis cogitationibus studiisque inanibus, hæc quotidie summo desiderio gaudioque meditatur. Fucata quidem & subditicia illa pietas est, quæ neglectis aut postpositis cœlestibus, in externis & formalitatibus aut ceremoniis, verbis, & gestibus consistit. & ex opionibus quibusdam, (quas *fidem* & orthodoxiam vocant), & partium studio, & sua suosque laudando; & alia alioque vituperando, pacem conscientiæ & pietatis præmium quærit.

§. 3. Et de Gloriâ futurâ non abscondita, incerta, aut inutilia meditanda sunt, sed ex revelatis & certis animi solatium quærendum est: Et ubi ad notitiam distinctam & claram pervenire nondum possumus, ibi in notitiâ generali & fiduciâ implicitâ quiescendum est: Distantes enim sumus, tenebricosi, obscuritate incarcerati, luminis cœlestis solùm scintillis quibusdam gaudentes: Possidentibus solis Gloria cœlestis clare nota est. Vita nostra cum Christo in Deo abscondita est: Nec adhuc sensibus apparet quid & quales erimus: Quando autem Christus Glorâ suâ apparebit, nos etiam cum ipso toti mundo glorificati apparebimus.

Oculi

Oculi noſtri quibus cœleſtia clare videntur, ſunt in capite noſtro Chriſto glorificato: Quæ nos non videmus, quæ neſcimus, ea videt ille & perfectè novit; Reſurrexit, Glorificatus eſt, & omnium etiam in naturâ humanâ Dominus: Manſiones nobis cœleſtes præparavit: Rerum noſtrarum nihil illi ignotum, incertum aut arduum eſt. Non ex ſubtilitatibus & diſtinctâ & clarâ gloriæ cœleſtis notitiâ, ſed ex fide generali & fiduciâ hâc quam in Chriſtum cœlorum poſſeſſorem & Dominum ponimus, conſtantiſſimum animi ſolamen quærendum eſt.

De Vitæ cœleſtis autem meditatione, ejuſque acquiſitione, quia linguâ Anglicâ jamdudum plura volumina ſcripſi, hic eadem repetenda non ſunt.

§. 4. Controverſias de Millennio, aliiſque Apocalypticis determinare non valeo, ideóque opus mihi nimis arduum viribuſque meis impar, aggredi non volo.

Calvini modeſtiam, qui Apocalypſin exponere non auſus eſt, approbo: Ignorantiam autem meam nec diligo, nec excuſo.

CAP. III.

De REGNI GLORIÆ REGIMINE.

I. DEUS PATER CREATOR, Alpha & Omega, Qui omnia fecit propter ſeipſum, Mundum reparatum & ad perfectionem perductum, ut *Optimum Complacentia* & *Requie* aſpiciet: Et in eo *Imaginem* ſeu *Gloriam* ſuam plene oſtentabit: Præcipue verò in Civitate Cœleſti beatorum; quorum oculos aperuit & corda præparavit, ad Ipſum in Mundo jam perfecto, perfectè contemplandum & amandum. (Conflagratio enim Mundi eſt ad perfectionem, non ad deletionem.)

II. DEUS FILIUS SALVATOR, Mundum, at præcipuè Beatos, reparatos & perfectos Patri Creatori traditos, & corpus proprium Glorificatum, in æternum *Complacentia* contemplabitur; & in eis ſuæ GRATIÆ ſalutaris & SAPIENTIÆ Gloriam, Glorificatis oſtentabit, ut corda eorum Amore Divino incendantur.

III. DEUS SPIRITUS SANCTUS SANCTIFICATOR, Electos ſanctificatos & perfecte jam Beatos, ut Imaginem & Gloriam AMORIS ſui in æternum Complacentiâ intuebitur: Et ipſis ſimul & Angelis in ſeipſis (præcipue collectivè) hanc Gloriam ſuam oſtentabit; ut Amati Ament; & Amore incomprehenſibili Creatoris Amor Creaturæ finitus ſed perfectus incendatur. Vel

I. OMNIPOTENS DOMINUS abſolutus, SUOS ut SUOS & ſibi ſimiles ab uſurpatoribus vindicatos, & à peccatis purificatos, Complacentiâ intuebitur; & Imaginem ſeu Gloriam Omnipotentiæ ſuæ, in ipſis & in Omnibus, præbebit ipſis Admiratione & Reverentiâ adſpiciendam, ad intuentium etiam perfectam Complacentiam.

II. SAPIENTISSIMUS RECTOR, (quamvis quà Mediator Regnum Gratiæ Patri tradidit, ut fieret Regnum Gloriæ; Opere ſcilicet reparationis & ſalutis jam peracto; tamen) Honorem præſtiti Operis retinebit; Et civitatem Dei ut ſol perfectiſſimus ſemper illuſtrabit: Et in Lumine ejus Beati in æternum ſummâ cum delectatione habitabunt: In quibus etiam ipſe delectabitur. Et Regni Gloriæ Rector ſupremus in *Ordine* Civitatis ſuæ, Glorioſam ſapientiæ ſuæ Imaginem Complacentiâ intuebitur; in quâ etiam omnes cœlicolæ perfectam habebunt complacentiam.

III. OPTIMUS & AMANTISSIMUS BENEFACTOR & AMABILISSIMUS FINIS, Amoris fervores indeſinenter Beatis communicabit; Ad ultimum capacitatis eos beatitudine implebit; & Bonitatem Divinam eis oſtentabit; & ita Amando magneticâ attractione eos ad perfecte redamandum coget. Unde

I. Peculiaris Omnipotentis Domini Populus, ab omnibus uſurpatoribus vindicatus, in ſimilitudinis Divinæ Gloria fulgebit; & ut ejus Theſaurus chariſſimus in æternum æſtimatus erit, & conſervatus: Et Domino ſuo Omnipotenti ſe totum devovens, eum reverendo & colendo, curam omnem de ſeipſo placidiſſimâ mente in Dominum conjiciet.

I. Subditi Cœlestes perfecte illuminati, sanctificati, & confirmati, obedientiam omnimodam RECTORI sapientissimo præbebunt, *viz.* ex perfectissimâ

1. Potentiâ, Obedientiam fortissimam, promptissimam & constantissimam.
2. Sapientiâ, obedientiam peritissimam absque ignorantiâ, rectissimam absque errore, & ordinatissimam absque confusione.
3. Bonitate & Amore, obedientiam lubentissimam, amantissimam, jucundissimam; *viz.*

1. In operibus erga Deum mentis & corporis, cultu, corde, & aliis nobis haud notis.
2. In operibus circa seipsos, circa mentem, vel corpus, exercitii, regiminis, &c.
3. In operibus erga alios, 1. Cœlestes, 2. Terrestres, 3. Damnatos, de quibus jam dictum est.

III. AMICI, FILII Dei, Glorificati, ab Ipso Beneficiis & Amoris effusione repleti, ab Ipso perpetuò effusionem illam sunt recepturi; & Ipsi arctissime adhærendo Amorem ab intra, & Laudes ab extra, summa alacritate, gratitudine & gaudio refundent.

N. B. Contentionibus imperitorum de DEO ut FINE ultimo, finis talis imponendus est; *viz.*

1. Deus Optimus Amabilissimus est *Objectum finale* (& non nos ipsi.)
2. Amor perfectus jucundissimus est *Actus noster finalis* in illud Objectum.
3. Amari à Deo est Receptio finalis, actum nostrum quasi eliciens.

Nec *alibi*, nec *alter* quam *Amantis* finis est quærendus.

CAP. III.

Elucidationes.

§. 1. DE Loco Beatorum quæstiones nonnullas hic volens prætereo. Ubi scilicet est Paradisus? Ubi cœlum Beatorum? An Locus animarum fidelium ante Christi resurrectionem sit idem qui animarum postea decedentium? Quisnam est sinus Abrahami? An omnes Beati in eodem orbe collocati sunt? An aliqui in sole, in stellis, aut planetis inhabitant? An horum globorum omnes, aut aliqui, aut nulli sunt sedes beatorum? An animarum separatarum jam idem locus est, qui post resurrectionem erit corporum etiam glorificatorum? An corpora resuscitata, utpote animabus magis materialia & crassa, igitur sedes magis crassas & materiales habitabunt? ideóq; magis elementares, & inferiores? An Tellus nova erit sanctorum post Resurrectionem habitatio? Et an Cœlos simul & Tellurem communiter habitabunt, an solùm Tellurem? Vel in cœlis habitantes Tellurem solùm ut Angeli regent? Quomodo nova Hierusalem è cœlis descendere dicitur? Et quænam est hæc sancta civitas? An status fidelium in hac vitâ? aut in millennio? aut post resurrectionem sempiternus? An nova Jerusalem si glorificatorum sit & in his terris, sit locus & status minùs aut magis glorioſus resuscitatis, quam cœlorum possessio est animabus separatis? Si autem nova Tellus novis hominibus solis fiet habitatio, An Beati & confirmati erunt? an tantum Viatores? & an eorum sempiterna fuerit habitatio? Quinam & qualis beatitudinis gradus aut species ex Resurrectione corporis & reunione, beatorum animabus accedet? Has & alias hisce similes quæstiones, ingeniis aut magis illuminatis, aut magis audacibus agitandas relinquo.

§. 2. Nova Hierusalem non *Sol*, sed Deus ipse & Agnus Lux esse, Rev. 21. & 22. dicitur: ibique nullam esse noctem: unde (quamvis colligere non possumus, causis secundis & auxiliis creatis non opus esse Beatis, tamen) tutò hoc possumus colligere, Deum clarissimè seipsum beatis ostensurum, & Lumine divino

divino tanto eos glorificaturum, quod nulla creatorum umbra obſcurabit, aut deficientia aut inconſtantia aut minuet aut mutabit.

§. 3. Sicut ſcientia, fides & ſpes ibi deſinere, evaneſcere & aboleri dicuntur, 1 Cor. 13. 8, 9, 10. in Lumen ſcilicet perfectius mutatæ, non autem aliquali diminutione: Ita & moralitas, obedientia, arbitrii Libertas mutabitur, & quod imperfectum, incertum aut indeterminatum fuit, in fixum, naturale, neceſſarium, & perfectum, ex Viſione ſcilicet & Amore perfecto, & Unione incomprehenſibili, fœliciter mutabitur.

§. 4. Et quamvis Angelorum poſtea Apoſtatarum ſtatus quamvis cœleſtis, tamen mutabilis fuit; inde tamen non ſequitur talem futurum eſſe ſtatum beatorum. Ad noſmet quæ attinent, Deus nobis ſuis promiſſionibus certò revelavit. Angelorum autem ſtatum primitivum utpote ad nos minùs pertinentem, ideóque à Deo minus revelatum, nos parum novimus. Immutabilitatem Deum illis non dediſſe probat eventus: Fidelium autem beatitudinem ſempiternam futuram eſſe, eoſque in templo Dei columnas faciendos eſſe, nec amplius foras egreſſuros, per Chriſtum promittitur Rev. 3. 12, &c.

§. 5. Obj. At inde ſequitur ſtatum cœleſtem non ſuâ naturâ & neceſſariò ex ipſâ viſione Divinâ immutabilem eſſe, ſed ſolum ex Gratia Dei.

Reſp. Nihil præter Deum ipſum ſuâ naturâ, ſimpliciter & neceſſario immutabile eſt: Sed creata illa *immutabilia* dicuntur, quæ Deus talia eſſe ſe velle oſtendit, aut promiſſione ſuâ aut eorum naturas ad durationem perpetuam fabricando. Qualem & quantam Dei viſionem hi Angeli primò habuerunt, nobis ignotum eſt: Probabile autem videtur Deum (qui per media perfecte ordinata omnia ſapientiſſime gubernat) mediorum differentiam feciſſe ad eventus differentes; & beatorum Dei viſionem & Amorem talem & tantum eſſe, qui etiam ſuâ naturâ videntem, amantem & amatum deficere & peccare efficaciter prohibebit: Diabolos autem ante lapſum non eundem viſionis & Amoris gradum habuiſſe.

CAP. IV.

De Statu Animarum ante Corporis Reſurrectionem.

Quandoquidem ANIMARUM SEPARATARUM Gloria ejuſdem utplurimum Naturæ eſt cum Gloria ſeu fœlicitate totius Hominis poſt Reſurrectionem, hæc pauca de ea hic addere ſatis erit.

De Animæ ſeparatæ Naturâ, & de dubiis, utrum Anima ſenſitiva & Mens ſint duæ ſubſtantiæ, an tantum duæ facultates? Et utrum Anima Senſitiva cum Mente recedente exit, & ei ſit quaſi corpus? Et an Vegetativa item exeat? Et an ea vere Corpus ſit? Cum pluribus hujuſmodi quæſtionibus, jam agitur in operis hujus Parte primâ.

I. Quoad Animæ in Gloriam Introitum:

- Negative
  1. Anima per mortem non annihilatur.
  2. Non dividitur aut diſſolvitur in partes.
  3. Speciem non amittit neque facultates aut aliquid Eſſentiæ: neque in animam ſpeciei alterius mutatur.
  4. Agere non ceſſat (modo tamen mutato.)
  5. Individuationem non perdit, nec in Animam aliquam Univerſalem ingurgitatur.
  6. Non in aliud Corpus terreſtre, aut brutum aut humanum tranſmigrat.
- Affirmative
  1. Angelorum lubente Miniſterio in præſentiam Chriſti adducuntur Animæ juſtorum.
  2. Per Chriſtum immaculatæ, juſtificatæ & reconciliatæ Patri offeruntur.
  3. A Deo Patre, Filio & Spiritu S. in Glorioſam Amoris Communionem recipiuntur.

II. Quoad Animæ ſeparatæ Statum:

Neg.
1. Non ſtupida dormit in potentiâ otioſâ: quippe quæ neque facultates, neque earum exercitium perdit. Corpore enim exuta, *eſſentiales* adhuc operationes *peragit*; & *eſſentiales* ſunt non minus nobiles quam *organicæ*; etiam an *Organis* vel *Mediis* ſentiendi ibi inſtructa ſit, nobis haud notum eſt.
2. Non iterum fit Viator, neque in Probationis ſtatu poſita, ad fœlicitatem adhuc acquirendam; ſed in ſtatu ponitur finali: (Reſurrectionis mutationibus expectatis.)
3. Neque in Pœnâ Purgatoriâ, neque in locis à Chriſti præſentiâ diſtantibus detinetur.

Aff.
1. Cœlum poſſidebit, & in Cœlitûm Conſortio vivet.
2. Erit ubi & Chriſtus: & Gloriam ejus conſpiciendo fœlix.
3. Deo (modo priùs dicto) in Vitâ, Lumine & Amore fruetur.

III. Quoad Continuationem illius ſtatus:

Neg.
1. Non expectat tranſmigrationem Pythagoricam.
2. Nec expectat liberationem è Purgatorio Papiſticam.
3. Neque expectat revolutionem & reverſionem Stoicam.

Aff.
1. Expectat Promiſſam Fœlicitatis perpetuitatem.
2. Sed Expectat etiam Corporis Reſurrectionem, & Unionem, & inde ut majorem Suppoſiti Perfectionem & Capacitatem, ita majorem etiam fœlicitatem.
3. Et expectat Cœleſtis Civitatis Perfectionem, per Membrorum omnium Electorum additionem, & Redemptionis ſeu liberationis Conſummationem, & Glorioſum Chriſti Judicis Adventum, ad ſui ipſius & aliorum finalem Juſtificationem & Gloriæ inveſtituram.

Elucidationes

CAP. IV.

De Animæ Immortalitate.

§. 1. QUoniam anima in corpore operatur ut forma, & partim ad modum corporis, nimis difficile eſt de operationibus animarum extra corpus jam *formaliter* concipere, at de operandi *modo diverſo* impoſſibile; Et mentes depravatæ, quia in ſeipſos delapſæ, & à Deo alienatæ, de *ignotis* ei ægre fidunt; ideo fruſtra & noxie de talibus ſe perturbando, de *certis inde* dubitanter cogitant.

2. Ex notiſſimis animi *operationibus* probatur ejus *Potentia formalis*; & ex *potentiâ ſubſtantia*. Nihil enim *agit* quod agere non *poteſt*: Et omnis *Potentia* eſt *Subſtantiæ* potentia. Subſtantiam autem viliſſimam (nedum hanc nobilem) per Deum *annihilari* non eſt quod credamus, cum ab ipſis Epicureis non creditur, neque ratio neque experientia ſuffragatur.

3. Qui Animam nil niſi *Motum* eſſe ſomniant, ut cujus ſubſtantiæ motus eſt edicant, ſe obligant: Nihili non datur motus. Neque Motus ſolum, ſed & *ſenſationis*, *intellectionis* & *Volitionis* rationes ſunt reddendæ. Nihil neque ſentit, neque intelligit neque vult. Non quæritur an aut quomodo intelligit Motor ab extra, V. g. Deus aut Intelligentia aliqua cœleſtis; ſed quomodo *anima humana ſentit* & *intelligit*. Si fingant Animam eſſe tantum *Spiritus vitales animales*, vel materiam Carteſii ſubtilem, fatendum tamen neceſſe habent, quod

actu

actu intelligit, & *vult*, aut ex *principio intrinseco* solo ; aut ex agente solo extrinseco, aut ex ambobus cooperantibus. Non modo priore ; quia à Deo tota dependet, & ab illo agitur : Neque modo secundo, quia Anima ipsa sentit & intelligit, idque à principio suæ naturæ essentiali ut causa sui actus propria & (Deo subordinata) adæquata : Sicut Ignis non lucet & calefacit motu violento ex sola virtute extrinsecâ, sed actu naturali ex virtute naturali, ita & anima intelligit & vult.

Modo igitur tertio Anima intelligit & vult. Ex formali scilicet sua virtute, sicut ignis lucet, ut causa adæquata sui actûs, sed secunda tantum & dependenter à Deo causâ primâ.

4. Brutistæ & Sadducæi animarum sensationem (quanto magis intellectionem) frustra & ineptè sono Bombardæ aut Citharæ assimilant ; quasi cessante motu cessarent sensatio, intellectio & volitio. Ad melodiam hæ causæ concurrunt : 1. Citharœda, (E. g.) ; 2. Cithara pulsata : 3. Aer motus : 4. Auris & anima recipiens. 1. Cithareda non sine intellectu citharam pulsat. 2. Recipiens etiam est anima intellectiva, aut saltem sensitiva. 3. Chordæ pulsatæ neque intelligunt neque sentiunt, sed tantum aerem harmonicè movent. 4. Aer motus etiam nec intelligit nec sentit, sed tantum motus harmonice aurem pulsat. Anima quidem pulsantis melodiam efficiens sensitiva est, sicut & anima recipientis. Citharæ autem & aeris nullus est sensus, sed solum motus. At sentire, intelligere & velle sunt actus immanentes, ubi anima agens ex facultate suâ essentiali agit in sese, ideóque sui actus causa proxima & adæquata (quamvis non sola) dicenda est. Sonare autem & movere seu moveri non est sentire, nec intelligere ; neque Bombardam aut Citharam motu quantumvis ordinato, sentire aut intelligere unquam facies : Non sequitur igitur, quia cessante motu cessat sonus & melodia, ideo post mortem itidem cessare sensationem, intellectionem aut volitionem.

5. Sicut ex *actibus* facile probatur *potentia*, & ex *potentiâ* animæ *substantia*, ita ex *Substantiæ* hujus simplicis & spiritualis naturâ probatur eam non tendere naturaliter ad *dissolutionem*, aut partium quarundam separationem. Deus omnia aut annihilare, aut mutare potest : Sed ex rerum naturâ voluntatem suam de earum usu & duratione plerumque patefacit. Quæ fecit *durabilia* (E. g elementa, cœlum, &c.) diutius ea *duratura* quam naturaliter evanida se statuisse declarat. Deus autem quantum scimus nihil omnino annihilat.

6. Anima humana est *Vita essentialis*, (non volo *Ordinem* compositionis aut Unionem Animæ cum corpore, quæ relative Vita dicitur) sed Principium vivendi, seu actionum vitalium, cujus *Vitalitas* non est accidens, sed *virtus formalis* essentialis ; *Vita ipsa* autem non moritur dum essentiam suam retinet ; id est, nisi Deus naturam ejus destrueret.

7. Ne Deus ipsam Animarum speciem essentialem arbitrariò mutaret, eas per metamorphosin in aliud quid transferendo, non est quod metuamus.

8. Neque metuendum aut opinandum est Animas separatas dormituras, aut earum potentias manere non acturas : Potentia enim essentialiter activa quæ est substantiæ spiritualis aut proprietas aut ipsa forma, suppositis concausis semper aget nisi violenter impedita. Deum autem nobilissimas tot substantias formaliter potestativas diu impedire ne agant, aut per sæcula in statu dormitionis sustentare, frustra earum potentias formales conservando, somniare quidem nefas est.

9. Non ex *objectorum* defectu sine actibus animæ manebunt : Sibi enim ipsæ loco objectorum erunt quoad actus immanentes : Deus autem, Christus, Angeli, & tota rerum natura erunt objecta animarum.

10. Neque quasi dormientes erunt ex defectu *organorum* : Actus enim quà Organici, non sunt animæ actus nobilissimi ; & modum seu speciem quandam per organa variari, non autem actus ipsos essentiales seu intimos ab organis pendere judicandum est. Si Citharœdus sine Cithara non potest Citharizare, non sequitur eum nil aliud posse. Ex animæ natura & facultate essentiali, potius

us quam ex præſtantiâ organorum (quæ parum à brutorum organis differunt) fiunt operationes intellectûs & Voluntatis. Sin autem ad actus ſpirituum neceſſaria ſint organa, ſecum Anima corporea aut organa deportat, *viz.* Spiritus animales quaſi corpus quoddam igneum; aut Deus eis organa facile parabit: Angelos autem, (& pari ratione Animas) ſemper organis egere non eſt opinandum. Quod quidam de vehiculis & organis aereis & æthereis conjecturam faciunt, ut incognitum prætereo.

II. Nihil fere magnæ difficultatis reſtat, circa quæſtionem de Animarum Immortalitate, præter dubium de earum futura individuatione. De quo alibi fuſius lingua Anglic. ſcripſi: Et probavi Individuationis perditionem non timendam eſſe. Animas omnes & unam eſſe & plurimas, opinaſſe Auguſtinum (*de Anim. Immort.*) videtur.

CAP. V.

De Reſurrectione & Statu Gloriæ ſubſequente.

De RESURRECTIONE & Statu ſubſequente hæc pauca addenda ſufficiant.

I. Introitus continet

[I. RESURRECTIONEM: Cujus conſiderandæ ſunt, I. Cauſæ, II. Natura, III. Finis.

[I. Cauſæ ſunt

[I. Principalis, DEUS; VITA Mundi, Communicativa, Hominis Amans.

II. Mediatoria; id eſt, Media Principalis, Jeſus Chriſtus, Eccleſiæ Caput, *viz.* Qui

1. Sacrificio, Meritis & Interceſſione, Reſurrectionem nobis procuravit.
2. Reſurrectionem promeritam Fœdere, (ſanguine obſignato) nobis promiſit.
3. Fœderis Præſtitor, ipſe prius reſurrexit, & fit Eccleſiæ Caput, Radix, fons Vitalis; vitæ Dominus.

III. Subordinata: Anima ſeparata; Quæ Reſurrectionem ut Subminiſtra cauſat, *viz.*

I. Remotè; ex Capacitate fundamentali; Quippe quæ ipſa eſt Subſtantia Immortalis.

II. Propiùs
1. Quia à Deo miſſa, cum ſit ipſa eſſentialiter *Potentia Vitalis Communicativa*, *Poteſt.*
2. Et Eſſentialiter *Intellectus* Sapientiâ pollens *non-neſcit.*
3. Et hoc valde Deſiderat & Vult, *viz.*
   1. Quia Natura Communicativa ſe communicare & inoperari geſtit.
   2. Quia ad Corpus adhuc relata, ei optime vult.
   3. Quia Dei Voluntatem non-neſciens, ei placere obediendo maxime cupit.

III. Proxime: Quia à Chriſto vitæ Radice, ipſa vivens ad opus hoc communicationis ſervatur; & per Chriſtum ſpeciali mandato miſſa eſt, ut Corpus Unione vivificaret.

II. Res

II. Res ipsa, vel Resurrectionis Natura; Quid sit; ubi considerandæ est

I. Materialiter; Quid resurget:

1. Neg.
- 1. Non tota Massa Corporea quam unquam habuimus; Quia fluida, non eadem manet.
- 2. Non tota Massa quæ Animæ decessuræ conjuncta est. Quia Massa evanida in qua vel bene vel male fecimus, potiore ratione esset resuscitanda. Et consumptis valde parva est.
- 3. Non Ossa omnia, Crines & Ungues, quia partes durabiliores, non ideo magis quam Caro fluidior suscitandæ sunt; Quia non ideo magis homini essentiales sunt.

2. Aff.
- I. In Genere; Ejusdem Corporis Naturalis Materia 1. Essentialis, 2. Nobilissima, 3. Durabilis, quæcunque ea fuerit, resurget.
- II. Specialiter: Quænam verò ea sit Materia, Mortalibus haud satis notum est. Sed ex dissertatione S. Pauli, 1 Cor. 15. 37, 38. de semine tritici, ubi dicit [*Non Corpus idem fatum est quod futurum est, sed Deus dat Semini Corpus prout ipsi placet,*] & [*Corpus Spirituale*] dicitur [*non Caro & Sanguis, &c.*] locus datur Quæstionibus sequentibus.

Qu. 1. An Anima sensitiva sit Intellectivæ facultas: (quod probabile videtur) an potius Anima distincta.

2. Si distincta, an sit materialis, an immaterialis, (id est, incorporea,) seu Spiritus.

3. Si Materialis, utrum ab Animâ Intellectivâ decedente separatur, an non.

4. Si non separatur, An Anima hæc sit semen Corporis crassioris resurrecturi.

5. Sin Separetur, An in Resurrectione futurâ ista Anima sensitiva resurget? Et an Prima mentis Unio futura sit cum Anima sensitiva?

6. Utrum Anima Vegetativa non sit corporea? id est, IGNEA, & à Mente distincta.

7. Seu Anima sensitiva sit eadem cum Mente, an non; quæritur tamen, An Anima hæc Vegetativa, sit ab Animâ Intellectivâ decedente separata?

8. Si separata sit, utrum resurget? Et an primo in Resurrectione resumenda est.

9. Si non separetur, An non semen in se continet Corporis futuri? (si corporea sit.)

10. Si Anima Vegetativa non sit Ignis, (& hoc probari posset) eædem fere Quæstiones manent de *Spiritibus corporeis* Igneis, (& de Parte Igneâ elementari in Corpore,) *viz.* An omnes ab Animâ decedente separati sint: Aut aliqui ut Corpus cum ipsa conjuncti maneant?

11. Et si omnes spiritus separentur, An resurgent? Et an sint (sicut Pars nobilissima & in corpore fabricando prima, ita) prima cui Anima fuerit conjuncta.

12. Et an omnes illi Patres Veteres errarunt, qui putarunt (& Angelos habere Corpora Ignea &) Animas beatorum talia tantum Corpora recepturas: (Aut mere Ignea scilicet, aut Ignem Aeri tantum incorporatum, quales sunt Spiritus nostri corporei). In hisce Quæstionibus discutiendis saltem patebit, quam crasse opinantur qui de parte tantum Corporis crassâ, terrea, pulvere, aut aqueâ saltem & aereâ, resurrecturâ cogitant, & Igneæ cum Animâ vegetativâ & sensitivâ oblivisscuntur. Item Quær.

13. An Corpus Resurgens in primo momento perfectum erit? Aut materiâ superadditâ egeat augmentationem.

14. An nutritione aliquali egeat, in æternum? Et si ita,

15. An Materia augmentans primæ addita erit eædem particulæ Aeris, aquæ, terræ & ignis, ex quibus in hac vita constitutum Corpus est? Aut nutritio erit ex materiâ ejusdem speciei?

N. B. SEMEN omne continet ANIMAM particulæ cuidam corporeæ spermaticæ (optimè dispositæ) inhærentem; & inde (ex Virtute Vitali Activâ Communicativâ) se Materiæ adventitiæ (prius adaptatæ) Communicantem: (Et semina quædam nobis invisibilia sunt.) Si Pauli dictum hoc innuit, [*Animam*

vel

vel in ſenſitivâ Corporeâ, vel in Vegetativâ corporeâ, ſecum aſſumptâ, vel poſtea reſumptâ, vel ſaltem in Spiritibus vel parte corporis Igneâ, ſemen habere corporis futuri, (ſicut ſemen tritici) (Cujus contrarium nemo mortalium poteſt probare;) Tunc etiam cum Paulo contra Reſurrectionem inſurgentibus, nos dicere poſſumus, [Tu ſtulte!]

II. Formaliter: RESURRECTIO eſt Animæ Rationalis cum Corpore eodem reformato Reunio Perſonalis.

III. FINIS Reſurrectionis eſt

I. Quoad Hominem
- 1. Ut Animæ
  - 1. Communicativæ,
  - 2. Ad Corpus relatæ,
  - 3. Deo placenti
  - in æternis deliciis ſit
    - 1. Potentiam,
    - 2. Intellectum,
    - 3. Amorem
    - gratâ proximitate corpori communicando exerere.
- 2. Ut Corpus ob actiones priores ſuam Præmii partem recipiat, &c.
- 3. Ut Perſona ſit perfecta & perfectè recipiat & operetur.

II. Quoad Mundum
1. Ut Mundi (qui Materialis adhuc ex parte futurus eſt) Homo etiam & Corporalis & Mentalis, Pars apta ſit, ad Rerum perfectionem.
2. Ut Parti etiam Mundi Corporali, apte ſervire poſſit per Communionem.

III. Quoad Deum
Ut Deus juxta infinitam ſuam Sapientiam, & ſpiritualibus & Corporeis Bonitatem ſuam communicet; Et etiam in Corporeis Perfectiones ſuæ refulgeant, & omnes Creaturarum ſpecies, per ipſum ad fœlicitatem perducantur, & in ipſis ejus Gloria reluceat ad ipſius complacentiam.

II. Glorioſus Chriſti ADVENTUS ad Judicium Univerſale, eſt Introitûs pars Secunda: De quo hæc pauca tantum hic ſunt adjicienda.

I. PERSONA Glorioſa erit Jeſus Chriſtus, DEUS-HOMO, Glorificatus, triumphans.

II. OPUS
- I. Quoad Subſtantiam,
  1. Gloriam Chriſti oſtentare triumphando, & Amorem ejus, erga Sanctos, eos Juſtificando, & ſanctam Juſtitiam ejus, Impios damnando.
  2. Sanctos, ex Juſtitia declarata, & Dignitate donatà, Glorificare.
  3. Mundum Juſte ſecundum opera ſua judicare.
- II. Quoad circumſtantias,
  1. Locus erit in aere, non procul à terris.
  2. Tempus erit in fine hujus Mundi, nobis particulariter ignotum.
  3. Comitatus erit,
     1. Glorioſa Angelorum Cohors. Et cum illis
     2. Beatorum Spiritus deceſſi & perfecti. Et poſt illos
     3. Juſti in terris tunc viventes ſurſum arrepti ad hunc conventum. Et Triumphum adornabunt
  1. Diabolorum & impiorum turba triumphata.
  2. Mundus inferior (humanus) deflagratione renovandus.

III. Fines ſunt jam dicti, Gloria Dei, Chriſti, & Sanctorum.

III. INVESTITURA & POSSESSIO eſt tertia Pars INTROITUS: Quæ ſolennis erit Glorificatio Chriſti & Sanctorum, ob opus Reparationis & Præparationis jam conſummatum; & Regnum Gratiæ in Gloriam deſinens; Quod eſt Regni traditio Patri, & Præmii æterni per Chriſtum & Eccleſiam receptio. Tantum de INTROITU; ſequitur

II. STATUS GLORIÆ poſt Reſurrectionem: Qui in Conſtitutionis & Regiminis deſcriptione jam explicatur: Hæc paucula igitur hic addita ſufficiant. *Viz.*

I. Quoad Subjectum
- 1. Etiamſi MENTIS & CORPORIS fiet COMPOSITIO, non ſequitur tamen Diſſolutionem iterum metuendam eſſe: Sicut Antiqui plurimi putarunt Angelos eſſe Mentes corporibus Igneis vel Æthereis conjunctas, & tamen nunquam ſeparandas, quia id quod Corpus vocarunt non eſt materia paſſiva iners, ſed principium Activum, Animæ analogum: Ita & Corpus Beatorum dicitur *Spirituale, incorruptibile, immortale.*
- 2. Etiamſi Corpus Mediis & objectis Corporeis utetur; Quia tamen non propriè Caro & Sanguis erit, carnalibus & craſſis non utetur.
- 3. Nulla erit inter Mentem & Corpus repugnantia; neque ſenſuum ulla Diſpoſitio ad inferiora, quæ à Mente frænanda erit; (ſicut in Viâ, etiam in Adami ſtatu erat.)

II. Quoad Objecta
- 1. Deus Animorum Objectum erit Beatificans, plenè (quoad nos) Intellectum: Utrum verò in Eſſentiâ immediate Intuitus erit, an per Gloriam tantum Creatam, vel emanantem, mortalibus vix probe notum eſt.
- 2. Quoniam Corpus habebimus Glorificatum, Objecta Glorioſa Corpus beatificantia etiam habebimus; *viz.* Corpus Chriſti Glorificatum, Civitatem Dei, Cœlum, &c.
- 3. Quomodo verò objecta Corporea Mentem afficient? Et quænam objecta Mens ſine ſenſibus Corporeis percipiet, & quæ per ſenſus, haud nobis probè innoteſcit.

III. Quoad Opus
- I. Animorum Opus erit præſtantiſſimum, *Viz.*
  - 1. Scire Deum in ſe, & in omnibus, & omnia (ſcilicet quæ ſcient) in ipſo.
  - 2. Amare Deum propter ſe, & propter omnia, & omnia propter ipſum.
  - 3. Activitate Vitali perfectiſſimâ Deum laudare, & ei obedire: In operibus nondum nobis plenè notis, ſed ſanctis tantum & delectabilibus. (Non enim in otio, ſed in Opere Requiem ſempiternam inveniemus.)
- II. Corpora etiam ſpiritualia ſuis operibus Corporeis-ſpiritualibus exercebuntur. *Viz.*
  - 1. Deum laudando, Colendo, ſerviendo, (in operibus nondum notis.)
  - 2. Cum corporibus Glorificatis Communionem cœleſtem exercendo.
  - 3. Super Corpora Inferiora Regnando, & circa ea (ut videtur) miniſtrando.

III. DURATIO erit SEMPITERNA, ex Aptitudine Naturali & Morali Recipientis, & Voluntate effectivâ DEI COMMUNICANTIS, Cui Gloria in æternum, Amen.

Elucidationes

CAP. V.

§. 1. QUamvis dicta Isidori Pelusiotæ haud omnino probanda, tamen recitanda judico, ut antiquorum opinationes de hisce perspectas habeamus: Lib. siquidem 2. Cap. 43. pag. 139. sic loquitur [" Εἰ μὲν οὖν σοφοὶ, &c. Quapropter si sapientes & eruditi "sunt, quænam Philosophi dicant considerent. Nam illi corpoream essentiam "ex quatuor elementis conflatam ac temperatam esse asserentes, mutabilem "hanc esse statuunt; quippe cum elementa facile inter se migrent: Etenim "Ignis crassitiem contrahens ac deorsum vergens Aer efficitur; Aer aqua; "Aqua terra: Ac rursum terra extenuata, in aquam, aqua in aerem, aer in "ignem commutatur. Quid igitur incredibile dicimus, cum corpus hoc, quod "nunc maximâ ex parte terræ particeps est, cum attenuatur, æthereum & spi- "rituale fieri affirmamus? Resurgere enim illud dicimus, non cujusmodi nunc "est, sed in meliorem statum immutatum & exornatum; atque ita ut labem "omnem & corruptionem ac vitia, tanquam in fornace deposuerit. Quocirca "si sapientes & eruditi sunt, qui hæc considerant, incredulitati suæ finem con- "stituant.]

2. Omnis de Resurrectione credendâ difficultas fere evanescit, magnalia Dei Omnipotentis visibilia probè consideranti. Omnipotenti quippe nihil arduum est. Quid possibile facere non potest is, qui hanc rerum universitatem, hunc solem, hæc sydera, hanc tellurem fabricavit, sustentat, regit? Fingamus regionis cujusdam homines cæcos natos esse, qui neque solem, neque sydera, neque Lumen unquam vidissent: Et concionatores ex aliis mundi plagis iis missos esse, qui eis solis, syderum, cœli, telluris, luminis mirandam naturam, magnitudinem, motum, splendorem gloriam, narrarent: Quantæ difficultatis res foret discentibus, aut distinctas habere & veras de hisce apprehensiones, aut dictorum veritati penitus assentire? Et dum quotidiano conspectu cernimus majora, de minoribus verbo Divino fidem negare non decet.

3. Neque obtusi ingenii nos homunciones & tenebrarum filios decet, ideo de promissis Divinis dubitare, quia ea præstandi modus, & objectiones solvendi, captum nostrum longe superat; Dum nè minimi quidem vermiculi, aut muscæ, aut graminis, nedum solis & syderum, mysteria indagare possumus, aut tenere.

4. In articulo hoc Resurrectionis, injuriâ non mediocri & veritatem & ecclesiam affecerunt, ingenia hæc diversæ temeritatis colluctantia: 1. Eorum qui nihil credendum autumant, quod in causis suis naturalibus intellectui nostro non patet, vel quod objectionibus difficilis solutionis oppugnatur: Ideóque quidam temerariè asserere ausi sunt, *solam formam*, id est, *animam eandem*, corpus *identificare*, neque necesse esse ut materiæ prioris pars aliqua resurgat: Alii autem Pythagoream transmigrationem asserunt; & sicut plantæ vere & autumno resurgunt & fere moriuntur, ita animas separatas suos cursus expedire, & stato tempore in corpora reversuras esse somniant; & ita circulariter transferri in æternum: Et quæ regula, quis terminus somniantibus ingeniis statui potest? 2. Neque minus pernicioſi ecclesiæ sunt perturbatores, qui dum ignorantiæ suæ & desidiæ opprobrium amoliri satagunt, & ex orthodoxiæ honore id resarcire, quod per sapientiæ & acuminis defectum desideratur, unicuique aliquid inusitatum de difficilioribus hisce Theologiæ apicibus, dicenti (præcipue de *Trinitate* & *Resurrectione*) statim *hæreseos* notam inurunt; dum ipsi quid credant, nisi ex aliorum opinione, plane nesciunt, & si inter contrariæ opinionis homines degerent, contrarium ipsi itidem sentirent; non desinunt tamen audaciâ impudente

dente sapientioribus quasi crimen nefandum impingere, quòd desidiosè cum plurimis aut sapere aut insipere, & ex aliorum fide vivere, non eligunt.

4. Christi sacrificium & meritum, tam corpore quam Animâ præstitum, tam Corporis nostri quam Animæ liberationem & fœlicitatem procuravit.

5. Promissio item divina tam Corpori quam Animæ, toti scilicet homini, fœlicitatis jus donat: Quæ certissimè per Deum fidelem præstanda est.

6. At Christi ipsius Resurrectio Resurrectionis nostræ firmissimum argumentum est; & quasi oculis monstratum, ad fidei difficultates superandas, ex gratioso divino consilio ordinatum.

7. Falsissimam esse Judæorum opinionem, (optimos tantum ad præmium, & pessimos Judæos ad pœnam resurrecturos, & alios omnes oblivione perpetuâ perituros) inde probatur, 1. Quia uniuscujusque anima immortalis est: Et improborum etiam corpora cum Animis, in reatu, non minus quam fidelium in obedientia, communicant. 2. Quia Joh. 5 29. Christus prædixit, è sepulchris exituros bona-operatos ad Resurrectionem vitæ, & mala-operatos ad Resurrectionem condemnationis.

8. Quantum Resurrectio ex causis naturalibus, quantum autem & è supernaturalibus futura sit, naturæ Authori Omniscienti, non nobis saltem tenebricosis, notum est: Ideóque de hoc nil temere (ut plerumque fit) asserendum est.

9. Sicut in Hyeme plantarum vita, è floribus, fructibus, & germinibus decessa, in radice ad vernalem usque regerminationem, latet; Ita Christus Deus-Homo, est quasi Radix vitæ humanæ, in quâ abscondita jam latet, & ex quâ Renascentiæ tempore repullulabit.

10. Radix est autem partim Naturalis, partim Voluntaria: Ejus Persona Naturalis est Spiritu vitæ perfectè prædita, quem Resurrecturis communicabit: At communicatio ipsa est Voluntaria, juxta Leges à se prius ordinatas.

11. Sicut Christus Mediator *Spiritu sancto* plenus est, ut ab ipso, ut à capite, ad omnes fideles derivetur: Ita & *Spiritu vituli* plenus est, ut per ipsum (non tantum promerentem, sed & communicative efficientem) mortui omnes reviviscant.

12. *Christi* Dispositio Effectiva est Agentis quodammodo *Naturalis*, quodammodo *Moralis*: Et dispositio ejus Moralis consistit in *Amore* ejus erga *Deum*, unde Divinæ Gloriæ promovendæ consulit; & erga electos suos, unde saluti eorum sempiternæ consulit; & erga seipsum, unde Redemptionis fines ut certò assequatur, procurabit.

13. Radix item secundaria vitæ corporeæ est *Animæ immortalis Vita* adhuc perdurans: Dum enim Hominis pars longe præstantissima (quam *totum Hominem* Platonici vocant) non moritur, ipse Homo tantum secundum quid moritur; & eo magis credibile est ipsum corpus revicturum.

14. Anima etiam est *Vitæ Corporeæ Radix*, partim *Naturalis*, partim *Moralis*. Sicut enim ipsa *Naturaliter* vivit (utpote cujus *Essentia Vita* est) Ita & *Naturalem* & *Moralem* dispositionem retinet, ad corpus vivificandum. 1. Naturaliter quippe, ut Dei Imago, est *principium communicativum*; quale est Sol Motûs, Illuminationis & Calefactionis; Et sicut *non-agere* in sese vix magis potest quam non esse, ita & *ad extra* in *naturam passivam agere* naturaliter quasi gestit: Natura etenim omnis Activa, ad operandum in Passivam, sicut Mas ad fœminam, propensitate quàdam naturali à Deo creatore prædita est. 2. Dispositionem Moralem habet triplicem: 1. Amorem *Dei*, unde maxima communcatione eum glorificare gestit: 2. Amorem *Christi* Mediatoris; unde eum ex membrorum suorum summâ perfectione glorificandum percupit: 3. Amorem *sui ipsius*; unde naturæ suæ communicativæ satisfieri velit: 4. Et quidni adderem, Amorem *Corporis*, veteris Socii; unde & ejus fœlicitatem desiderat.

15. Ubi autem & *Christus* & *Anima* sunt vitæ Radices, ad corpora revivificanda adeo dispositæ, quid impedit quo minùs Resurrectionem *Causas quasdam naturales* habere dicamus? Et quid Resurrectionem corporum remoratur,

præter tempus nondum opportunum & nutûs Divini expectationem?

16. Sicut enim Deus ipse est *Vita*, & *Omnipotens*, & *Christus Mundi vita*, Spiritu vivificante plenus, ita & *Anima immortalis* Aptitudinem maximam habet Instrumentalem; non minorem quam Luminare ad Luminare accendendum, si tantum per manum regentem admoveatur. Neque *Potentiâ* enim Instrumentali destituta est, neque *Peritiâ*, neque *Voluntate*.

17. Paulus Apostolus dum tritici seminis similitudine gaudet, causalitatem quandam naturalem quasi seminalem nobis innuere videtur.

18. Cum verò dicit, quod *seritur non nisi prius mortuum*, *vivificandum esse*, 1 Cor. 15. 36. non sentit *virtutem seminalem* emortuam esse, aut *semen* quà *semen* proprie *mortuum* (aliter nunquam inde planta germinaret;) sed 1. Quod *sepultum* est, quasi mortuum est; 2. Et seminis quædam appendices moriuntur; 3. Et mutatio seminis in materiam germinis & radicis, est quasi corruptio, & ita mors unius, dum inde est alterius generatio.

19. Et quando v. 37. dicit, *Non seris corpus illud quod futurum est*, (vel *oriturum*) quæritur utrum Apostolus negat *Identitatem specificam*, *aut numericam*, *aut ejusdem materiæ integritatem*, aut denique identitatem tantum *Accidentium*. Et 1. Proculdubio non negat Identitatem speciei. 2. Et quamvis similitudo & verba *identitatem numericam* negare videntur, non tamen ultra scopum dicentis extendenda sunt: Quando formæ per generationem se multiplicant, diversa est forma generata à formâ generante, (ut & semper in Animalium generatione): Ubi autem semen unum unicum corpus vegetabile sibi fabricat, vix clare satis patet, an eadem forma sibi corpus hoc novum fabricasse & informare dicatur. At si corporis Identitas numerica ab Animæ informantis identitate denominetur, tunc proculdubio Identitatem numericam Apostolus non negat. 3. In quantum autem Corpus ex Materiâ eâdem Identificatur, & quota pars, & qualis, & quæ ad Identitatem hanc materialem constituendam necessaria sit, captum meum omnino superare fateor. Holkot nostras (Scholasticus subtilis quidem sed nugator) pluribus probare conatur, materiæ quotidianam mutationem, identitatem corporis mutare. At lis tota de nomine est. Ecclesia quidem Catholica Corpus Idem resurrecturum judicat: Et non solum Idem ex Identitate formæ seu Animæ, (sicut Thomas ex Albiis & D. Digbeius volunt) sed & quadantenus *Materiæ* identitate. Et Paulus quidem videtur simul & *Materiæ integram Identitatem*, simul & *Accidentium* quorundam identitatem negare: Non omnem autem *Materiæ identitatem*, sed solum *Integritatem*. Semen non est simplex forma seu principium vitale vegetativum; sed est *forma* in Materiæ aptæ portione quadam retenta: Et ex ipso visu patet, formam seminalem primò in suam *Materiam* seminalem operari; & inde & radicis & germinis aliquantulum emittere: Postea autem ex terrâ & aquâ plus materiæ nutrientis ad se haurire, eamque dirigendo, in novum corpus fabricare. In semine igitur una cum *formâ*, est novæ plantæ pars quædam *Materialis*, etsi paucula, tamen pretiosissima; cui plurimum novæ materiæ superadditur: Et figura cum pluribus accidentibus etiam nova est.

20. Et quomodo Paulum interpretari nos oportet, ex naturâ rei nobis lumen quoddam oritur. Certissimum quippe videtur, neque *Omnem eandem materiam Corpoream*, cum quâ hic vitam egimus, *Resurrecturam*, neque *Nullam*.

Vid. *Sanctorium & Opicium de Perspiratione.*

21. Non *Omnem*: Quia proculdubio *materia corporea* est in *fluxu* continuo: Vetus avolat & in auras evanescit: Et ex aere, potu & cibis concoctis nova quotidie accedit & oritur, itidem avolatura: Dum Spiritus Ignei continuò agunt in materiam, & fomitem suum aut dissipant aut vorant, materiæ corporeæ fere nulla fit constantia. Et qui in juventute in hâc materiâ corporeâ peccavit, non tantum in senectute, sed forte intra paucos annos nè dicam menses, vix particulam ejusdem materiæ sanguineæ, aut carneæ saltem retinet.

22. *Non-nihil* tamen *ejusdem materiæ* manere, fides Catholica statuere videtur, dum *ejusdem carnis* Resurrectionem asserit.

23. Quamvis

23. Quamvis enim in symbolo dicitur tantum, *Credo Carnis Resurrectionem*, non autem [*ejusdem Carnis materialis*,] & quidam inde dicere audent *Identitatem* tantum à *Formâ* hic intelligendam esse, (sicut granum tritici resurgit, sed in novâ materiâ) tamen sensui huic Ecclesiæ communis interpretatio contradicit.

24. Difficultas igitur manet Deo soli, (aut saltem non nobis) explicabilis, quænam, & qualis & quanta pars ejusdem Materiæ resurrectura est. Et dum quidam *partes spermaticas* ut à sanguineis distinctas, corporis stamina durantia, non mutata, ideóque resurrectura statuunt, potius nugari quam rationi satisfacere dicendi sunt. 1. Oleum enim nervosum & sanguis videntur esse quasi succus masculinus & fœmininus, qui ad partium earundem constitutionem congrediuntur. 2. Partes quasnam spermaticas dicerent, omnino nesciunt. 3. Ipsa ossa, quæ principaliter hoc nomine dignantur, non aliis nobiliora, sed potius quoad materiam ignobiliora videntur: Magis enim crassa, magis terrea sunt, minus sensibilia, & nullius animalis functionis nobilioris organa. 4. Omnes etiam nervi, omnes venarum & arteriarum tunicæ, omnia ligamenta, omnes membranæ, fibræ, cartilagines, &c. inter partes spermaticas numerantur: Quis autem nescit, hæc omnia in pueris augmentationem recipere, & nutritione quotidianâ opus habere? ex nutritione autem fit *accessio*, quamvis non semper magnitudinis augmentatio; ideóque ut aliquid etiam *decedat*, necesse est. Dum etiam & ossa & nervi, &c. sæpe amputantur; dum pisces integra (millena) vorant corpora, & homines itidem hos pisces, & ita materia unius hominis in alterius materiam vertitur; immo dum anthropophagi quidam feri corpora humana vorant, difficultatis ab hac distinctione nulla oritur solutio.

25. Neque omnino rationabile videtur, cum materia corporea adeo mutabilis sit, (ut in ægrotis & à morbo recreatis satis patet), ut hæ solæ materiæ corporeæ particulæ, quæ morienti post ægritudinem manent, pœnas darent, aut fœlicitate fruerentur, cæteris omnibus ablegatis & pro nihilo habitis, quæ avolârunt, & quibuscum & optima & pessima vitæ negotia sunt transacta. Et siquis obesus morte subitaneâ ereptus est, dum alius per phthisin consumptus moritur, non dicendum est corporis obesi partes tanto plures aut ad fœlicitatem aut miseriam resuscitandas esse.

26. Quibusdam videtur Animam sensitivam, aliis tantum vegetativam, esse corpus quoddam purissimum, quod ab Anima Intellectuali decedente non separatur, sed ei adhæret; Sicut Materia seminalis (e. g. tritici) formæ seminali, & cui juxta B. Pauli similitudinem, nova materia passiva superadditur: At hæc saltem ignota sunt, & magis probabile videtur, animam sensitivam esse omnino incorpoream, (an aliam animam, an ejusdem aliam facultatem, non hic quærendum est). At aut *animam*, aut potius *facultatem* hanc sensitivam ab Anima Intellectuali decedente non separatam esse, omnino tenendum judico: Quamvis argumentationibus inanibus sine omni probatione, contrarium à pluribus asseritur.

27. *Anima Vegetativa* mihi videtur esse purus putus *Ignis*; & quamvis hoc incertum est, *Spiritus* tamen, quos dicunt, esse *Ignem*, eosdemque animæ sensitivæ quasi organa, nullus dubito. Spiritus *Ignei* autem sunt *principium infimum Activum*, & an materiales, an immateriales, vel quid medium, dicendi sint, vix constat: Animæ autem Intellectuali hic quoddam Corpus purissimum (quamvis activum) esse videntur: Ignis autem à Creatore inter corpora passiva diversimode dispertitur: Quædam ejus portio cum aere, aquâ, terrâ, quasi *Anima* adeo inseparabiliter conjuncta est, ut nulla arte humana inde separari potest: Nulla enim est terræ, aquæ aut aeris portio alicubi, sine igne (seu æthere.) Hic, ni fallor, est verus ille *Terræ*, *Aquæ* & *Aeris Spiritus*, quem vocat, eximius ille Philosophus & Christianus (& amicus meus plurimum honoratus) Dr. Sam. Gott, in Philos. suâ sacrâ in Gen. 1. Hæc *Ignis* Portio cadaveribus adhæret, & ipsi etiam pulveri, & ossibus. Alia autem est *Ignis portio*, (*Spiritus scilicet mobiles*, *Animarum organa*,) quæ materiæ non ita incarcerata adhæret,

sed

sed decedente animâ simul decedit, & evolat. Et à nemine probari potest, *hos Spiritus*, non ipsi *Animæ Comites* adhærere, & illi esse sicut *materia* tritici-grani *seminalis* est ad *formam* ejusdem *seminalem*; & portionem Igneam cadaveri pulverizato inhærentem non esse *Dispositionem* ejus *receptivam*, unde ex contactu *Spiritûs Animalis* resuscitata fuerit, sicut lumen ex contactu luminis.

28. Et quamvis quibusdam videtur, *Ignem* & Spiritus Igneos in corpore, quâvis materia fugaciores & mutabiliores esse; mihi contra videtur, eos magis quidem *Activos* esse (utpote æque inclinatos ad agendum, ac terra ad non agendum); At eosdem quoad substantiam (fere solos) manere, quamvis aliquando magis, aliquando minus suscitatos: Et *Fomitem materialem* ab Igne quidem, dissipatione absumi, (nil enim annihilatur) Ignem autem ipsum neque dissolvi, neque consumptum esse; Quamvis per fomitem & aliter, aut *contrahi*, aut non-contrahi possibile est.

29. Nil aliud autem hinc colligo quam 1. *Partem Corporis Igneam* esse *primùm suscitandam* (si non adhuc *Animæ adhæret*): Ei etenim Anima primo & proxime adunata est. 2. Partem hanc *eandem* esse cum quâ & per quam *Anima à Juventute* ad mortem usque & bene & male moraliter se gessit: Ideóque partem hanc materiæ (si materialis dicenda) eandem futuram esse in Resurrectione, quæ fuit in Actione vitæ. 3. Ideoque corpus post *Resurrectionem* à Paulo incorruptibile, immortale, spirituale vocatum (causis cæteris suppositis) non est improbabile. 4. Denique quidnam aut quantum aut quale præterea materiæ Passivæ (Terreæ, Aqueæ & Aereæ) simul cum hac Igneâ (seu Æthereâ) parte, corpus Resurrectum, præcipue Glorificatum constituet, nemini mortalium innotescit.

30. Valde autem mihi probabile videtur damnatorum corpora viliora futura esse, etiam materialiter, quam Beatorum: Nulla enim Glorioſæ claritatis & perfectionis corporeæ facta est promissio: Quis autem fide Divinâ id credet, quod Deus nunquam promisit? Et Puritas illa & perfectio corporea videtur esse pars fœlicitatis beatorum: Et omnia Dei opera ad usus suos adaptantur: ideóque corporis perfectio, ad opera perfecta. Qui ergo in tenebris, immunditiei & rebus vilioribus immergendi sunt, tenebricosam, immundam, & vilem eos naturam habituros, opinari quidem fas est.

Ad n. 31. *Notandum est quid de* formâ carnis *per duo Generalia Concilia, etiam invicem inimica decretum est; viz.* Constantinopol. 1. & Nicenum 2. vid. Act. Concil. Nic. 2. 6. Binii p. 378. septima Defin. Conc. Const. [*Siquis non confessus fuerit Dominum nostrum Iesum Christum post assumptionem animatæ, rationalis & intellectualis carnis, simul sedere cum Deo & Patre, & ita quoque rursus venturum cum paternâ majestate judicaturum vivos & mortuos, non amplius quidem* Carnem *neque* Incorporeum *tamen, ut videatur ab iis à quibus compunctius est, & maneat Deus extra crassitudinem Carnis, Anathema.*] *Ad hæc* Concil. Nic. per Epiphanium *dicit,* [*Hæc usque recte sentiunt & patrum traditionibus convenientia dicunt, &c.*]

Videant igitur qui Corpus in formâ *Carnis resurrecturum asserunt, ne jubo duorum Concil. General. anathemate cadant. Caro quidem resurget, at non in forma Carnis. Detur vera Carnis definitio, & contradicentium error inde apparebit: Tali enim definitioni haud congruet Corpus glorificatum. Notent hoc Pontificii qui panem dicunt esse veram Carnem, cum Christus jam non habet Carnem, sed Corpus glorificatum.*

31. Quando Paulus 1 Cor. 15. 50. *Carnem & sanguinem regnum cælorum non ingredi posse* dicit, non de *peccato* loquitur; sed tantum hujus corporis mutationem faciendam esse innuit, ut *caro*, *sanguis*, & ita *ossa*, *nervi*, *venæ*, &c. ejus partes non erunt vocitandæ; utpote non idem *formaliter*, (neque ad eosdem usus,) quod jam per hæc nomina nobis innotescit: sicut *vitrum* non est formaliter *cineres*, &c. ex quibus fit.

32. Qu. *An Resurrectio Infidelium est fructus Redemptionis? vel futura esset si Christus mundum non redemisset?*

Resp. 1. Resurrectio quà Resurrectio Bonum est; Ideóque videtur per Christum procuratum, sed Antecedenter ad hominum merita: Quatenus verò est aut *Ad Vitam*, aut *Ad Mortem*, *consequenter* per Deum qua Judicem adjudicatur. 2. Quid de *Corporibus* humanis Deus facturus esset, si Christus mundum non redemisset, vix nobis constat: 1. An *Corpus* scilicet morte temporali punitum, dissolutum mansisset, animâ solâ sensibiliter pœnas dante: 2. Aut prius mortuum futurum esset, & deinde ad pœnam reversurum: 3. Aut an sine morte in terris perpetuo pœnas daturum esset: 4. Aut (quod mihi maxime probabile videtur) an ad inferos transiturum esset, mutatione necessariâ quasi per mortem quandam factâ; sicut Henoch & Elias, mutato statu corporeo ad cœlum translati sunt. Sed incerta pro certis non sunt sumenda.

CAP.

CAP. VI.

De INFERIS *& Statu* DAMNATORUM: *ubi notanda ſunt*

I. INTROITUS: Cujus partes ſunt

- I. Reſurrectio ad Damnationem: Cujus conſiderandæ ſunt
  - I. Cauſæ, *viz.*
    - 1. Ut Antecedenter ad bonum; Cauſa eſt Chriſtus ut Mundi Redemptor.
    - 2. Ut Conſequenter ad Pœnam; Cauſa eſt, 1. Hominis Peccatum, 2. Dei Juſtitia.
  - II. Res ipſa,
    - I. Materialiter; Idem erit Corpus: At quod Corpus adeo ſpirituale erit, quale futurum eſt Beatorum, nulla extat Divina Promiſſio; neque probabile videtur;
      - 1. Quia Locus Inferior erit, ideoque corpus loco congruum (an in aere aut alibi.)
      - 2. Quia Status deterior erit; ideoque corpus conditioni adaptatum.
      - 3. Quia Inclinationes ſupererunt ſenſuales, ſordidæ; Ideoque corporibus naturales.
      - 4. Quia Pœnæ futuræ ſunt per Senſus & Paſſiones, ſubſtantiis vilioribus adaptatæ.
      - 5. Opera item futura videntur viliora, naturæ viliori conſentanea.
    - II. Formaliter, erit Unio Animæ cum eodem corpore Perſonalis reſtaurata.
  - III. Finis: Sanctificatio Nominis Dei, in Juſtitiæ executione, & Sanctitatis demonſtratione.
- II. Adventus Chriſti terribilis ad Judicium, ad vindictam, & triumphum.
- III. Detruſio damnatorum in Locum & Statum confuſionis & miſeriæ ſempiternæ.

II. STATUS damnatorum: ubi ſunt

- I. Subjectum patiens, *viz.* Peccator condemnatus, aut
  - 1. Juxta Legem Gratiæ Editionis prioris.
  - 2. Juxta Legem Gratiæ Editionis perfectioris.
- II. Cauſa,
  - I. Realis meritoria, Peccatum; præcipue Gratiæ oblatæ ingrata finalis rejectio.
  - II. Perſonalis,
    - 1. Tentans & alliciens; Diabolus & Homines tentatores.
    - 2. Meritoria; Ipſe peccator, legem violando & vitam rejiciendo.
    - 3. Obligans; Lex Dei violata quæ pœnarum Jus vel Debitum ſtatuit.
    - 4. Judicans; Deus in Chriſto, Sanctiſſimus & Juſtiſſimus Judex.
    - 5. Exequentes,
      - 1. Prima eſt Ipſe Peccator, partim voluntarie, partim invitus, modis jam dictis:
      - 2. DEUS,
        - 1. Negative,
          - 1. Per ſe: non dando gratiam, liberationem, fœlicitatem.
          - 2. Per alios: Permittendo cauſas ſecundas agere ad pœnam.
        - 2. Poſitive,
          - 1. Per alios,
            - 1. Præcipiendo; ut Angelis, &c.
            - 2. Impellendo; ubi Opus ut Agentis, bonum eſt.
          - 2. Per ſeipſos Conſcientiam damnatorum illuminando, excitando, &c.
      - 3. Alii,
        - 1. Angeli, 1. Mali, Dæmones. 2. An Boni; dubium eſt.
        - 2. Homines, 1. Mali, invicem cruciantes, 2. An Boni (viſu, &c.) dubium.
  - III. Inſtrumentalis, Inanimata; Ignis, tenebræ, & quid aliud nobis non notum eſt.

III. Pœna ipsa: Quæ

I. Quoad Subjectum erit,

I. Animi: ubi erunt
1. Intellectus, memoria, & cogitationes, pœnarum janua & thesaurus.
2. Voluntas & affectiones, pœnarum primaria sedes.
3. Potentia Vitalis vigorata, passiones & cruciatus vehementer acuet.

II. Corporis, id est, Animæ Sensitivæ (Corpus enim passivum non sentit, sed Anima in corpore). Sicut per sensus impii peccaverunt, ita per sensus pœnas dabunt. Visus, auditus, gustus, tactus, olfactus (quales tunc habebunt) pœnarum erunt janua & organa: Ut & Imaginatio, & Passiones interiores.

II. Quoad Media, Pœna erit

I. *Damni*: viz *Privatio*; 1. Innocentiæ (per seipsos) & sanctitatis, 2. Complacentiæ Divinæ, 3. Auxilii & gratiæ Spiritus sancti, 4. Pacis & gaudii ex prædictis oriundi. 5. Remissionis, Adoptionis, Unionis cum Christo. 6. Sempiternæ sanctorum Gloriæ in beatificâ Dei Visione & Amore, & cœlesti Angelorum & beatorum consortio. 7. Deliciarum sensibilium, & earum materiæ, quibus in terris fruebantur. 8. Amoris & miserationis amicorum & beatorum. 9. Necessariorum omnium ad miseriæ aliqualem alleviationem. 10. Spei omnis futuræ liberationis.

II. *Sensûs* vel *Positiva*, viz.

I. Exteriores, vel Pœnæ corporeæ, quæ accident vel
1. Ex privationibus jam dictis, (quales sensus famis, sitis, & plurimarum calamitatum sunt nobis).
2. Ex positivis applicatis: ut ex Igne inextinguibili, & aliis nocentibus.

II. Interiores, *viz.* Vehementissimi timores, tristitiæ, curæ, desperationes, pudores, ira adversus seipsos, invidia adversus beatos, odium adversus Deum; Animi cruciatus ex memoria male-factorum, & rejectionis salutis gratuitò oblatæ; ex intuitione Diabolorum & Condemnatorum; ex scientia beatitudinis amissæ, & miseriæ nunquam finiendæ.

III. Quoad ordinem Oriundi, Pœnæ damnatorum erunt

I. Peccatum ipsum in secunda notione, *viz.* ut est Miseria peccatoris: Et ita prima Gehennæ pœna est, Deum non amare, neque sanctè cognoscere: In ipsum nullam fiduciam ponere; Ipsi non servire; In ipso non delectari; nec in sanctitate aut bono aliquo Spirituali: Sed è contra odio habere sanctitatem, sanctos, Deum; Esurire item & sitire illicitas & negatas voluptates; & privationem angore & impatientiâ ferre: Et ita multipliciter peccatum cruciat peccatorem.

II. Consequentes Relativæ: Quæ nullâ indigent causâ post ipsum peccatum; sed ex eo ut fundamento oriuntur: *viz.* Totalis incapacitas Complacentiæ Divinæ, & ejus Complacentiæ privatio; sicut & Amoris omnium beatorum: Amissio finalis & juris & capacitatis bonorum omnium fœlicitantium, & mediorum omnium ad salutem, & liberationis à miseriâ, & solaminis, & spei omnis status melioris, omnisque Spiritus sancti operationis auxiliantis; Una cum aptitudine & jure ad Divinam displicentiam, & ad animi & corporis miserias positivas.

III. Negationes Miserationis Divinæ: *viz.* 1. Negatio Spiritus sanctificantis, 2. Et Divinæ Complacentiæ, 3. Et Solaminis omnis Spiritualis & Corporalis: Negatio non tantum Regni Cœlorum, sed etiam inferiorum tum delectantium, tum dolores mitigantium. Amissio Gratiæ & Gloriæ, & cum eis, etiam bonorum naturalium desideratorum, est miseriæ damnatorum pars principalis.

IV. Necessarii sui ipsius Cruciatus; ex Conscientiâ peccati, ut stultitiâ & obstinatâ contumaciâ aggravati: Et ex sensu fœlicitatis finaliter amissæ, & miseriæ in seipsos illatæ, contra omnes Dei hominumque suasiones. Pudor *viz.* & tristitia, & timor & angor, ex hisce recordatis, damnatorum mentes cruciabunt.

V. Ex

V. Ex justa Permissione Divinâ, Diaboli & damnati in se invicem malitiam suam exercebunt: Et qui fuerat Tentator, erit Cruciator.

VI. Partim ex Permissione, & partim ex Applicatione Divinâ, Ignis & alia Justitiæ instrumenta, promptissime Divinam vindictam exequentur.

VII. Angeli & Beati cœlites ex Mandato Divino, & Dæmones & impios judicabunt, hoc est, super ipsos regnabunt, & triumphando, & Voluntatem Divinam exequendo. Sicut Custodes super Rebelles incarceratos, vel sicut homines super asinos, canes & angues.

VIII. Et utrum præter hæc omnia cruciantes aliqui Displicentiæ Divinæ effectus à Deo in Damnatos immediate profluant, ut mortalibus intertum relinquendum est.

III. DURATIO Pœnæ erit Sempiterna,

1. Ex immortali naturâ Animæ peccatricis.
2. Ex perpetuitate Peccati & Reatûs, & Justitiæ Divinæ.
3. Ex nullitate Remedii, & defectu Causæ liberantis.
4. Ex veritate Legis & sententiæ Judicis, & Divinæ prædictionis.
5. Ex Voluntate Potentissimi, Sapientissimi, Sanctissimi Jehovæ, Qui ita Sanctitatis & Justitiæ suæ Gloriam in æternum faciet manifestam.

Elucidationes

CAP. VI.

§. 1. POenas futuras peccatorum impœnitentium probant 1. Ipsius peccati natura quæ animi morbus & miseria est; & à quo cum tempus liberationis præteriit, liberari nulla manet spes. Peccatorem autem manere & non esse miserum, impossibile est. 2. Justitia Divina cum ejus veracitate: Si Deus Rector est, Justus est: Et cum nullum Regnum, nulla Civitas sine justitiâ bene regitur, nedum totus Mundus. Et cum ad justum regimen necessario pertinet, Leges ferre pœnales, earum executio (sine quâ Leges essent inefficaces aut mendaces) æque etiam erit necessaria. 3. Pœnarum hujus vitæ inæqualitas unde futurum judicium & executio æqualis bene colligitur. 4. Expressum Dei verbum quo pœnas hasce ille minatur & prædicit. 5. Etiam piorum (immo & sæpe brutorum) in hâc vitâ diuturni & magni sunt dolores & cruciatus: Peccatoribus igitur etiam impœnitentibus priora ut debita expectanda sunt. 6. Etiam dæmonum aut animarum defunctarum apparitiones & querelæ pœnas infernales creditu aliquantùm faciliores nobis reddunt. 7. Multo magis Conscientiæ testimonium, timor, & in genere humano fere invincibilis pœnarum expectatio, ubi ex pœnitentiâ, fide & reformatione remissionis spes non affulget. 8. Immo Mundi pars maxima adeo maligna est, & misera, & mali hic Diabolis adeo similes jam facti sunt, ut status miseriæ infernalis facile credi par sit, cum jam actu in terris eum inceptum esse videmus: Et omnino inexcusabiles sunt qui Gehennam timendam negant, cum ipsi jam, ut Diaboli quasi progenies, ejus primitias hic in sinu gerunt, & opera Diaboli obstinate perficientes, iram thesaurizant in iræ diem, & ignem infernalem hic in se accendunt.

§. 2. Pœnæ Infernales non sunt merè sensibiles quales Brutorum cruciatus, sed Animi rationalis etiam dolorificæ perceptiones, & Conscientiæ, Voluntatis & Affectuum cruciatus.

§. 3. Sicut jam Diabolorum pœnæ consistunt cum eorum politiâ quâdam malignâ & indefessâ male agendi & alios decipiendi & perdendi activitate, ita & probabile

est rem futuram esse quodammodo post resurrectionem, quamvis quomodo & contra quos eorum malitia erit exercita, præter ipsos damnatos, nobis nondum liquido constet.

§. 4. Pœnæ infernales non erunt effectus crudelitatis sed severitatis & justitiæ; neque ex illis aliquid colligendum est, quod Dei Bonitatem suspectam redderet, aut unde Deum minus amabilem putaremus: Nihil enim miseriæ aut hominibus aut dæmonibus obveniet, quod Deum misericordem & essentialiter *Amorem* dedecet; aut quod Angelis aut Beatis in æternum displicebit. Justitiæ enim Divinæ omnem executionem beati omnes approbabunt, quando sapientiâ perfectâ praditi erunt: Non igitur in tenebris hic versantes decet, ob pœnas damnatorum Dei bonitatem accusare. Sicut verè fideles sub acerbis Dei castigationibus in hâc vitâ ejus Justitiam tamen laudant, & Bonitatem nihilominus fatentur; ita & glorificati etiam Deum Sanctissimum peccatores damnantem glorificabunt.

§. 5. Neque damnatorum numerus Amorem aut Amabilitatem Divinam obscurabit; Quasi Amor aut misericordia ejus severitate minor esset: Quanquam enim hujus globi terrestris pars major erit misera, hoc tamen de totius Universitatis incolis neque ex scientia, neque ex fide, neque ex aliquâ ratione probabili dici potest. Globus hic terrestris est totius universitatis quasi punctum; & vilitate, inferioritate & malitiâ, quantum nobis probabiliter apparet, aut Gehennæ proxima, aut inter proximas. Immensæ autem fere regiones superiores sunt, nec non glorioso lumine decoratæ: Gehenna autem est regio tenebrarum: Et quamvis S. Literæ nihil de innumerabili Angelorum numero nobis tradidissent (Heb. 12.) ex gloriâ tamen regionum cœlestium ipsa ratio probabilitatem colligere potuisset, earum possessores esse locis fere immensis & glorioſis congruos. Talis enim inter omnia Dei opera proportio est; ut quanta & qualis aliqua regio est, tanti & tales sint ejus habitatores: Nisi magnitudo & dignitas sit loco multitudinis (sicut Sol unus multis astris minoribus præstat). Si omnes igitur hujus orbis habitatores perditi essent, cum nihil tale de cæteris universitatis orbibus vel minima probatione ne dicam probabilitate dici possit, Dei Bonitas non magis suam gloriam inde amitteret, quam Regis clementissimi Bonitas & Regni ejus Gloria, ex tuguriolæ aut carceris squallore.

§. 6. Stultissimum est pœnas infernales non credere, aut eas temnere, propter earum rationem aut qualitatem non liquido notam; sicut & gloriam cœlestem negligere quia de eâ plurima ignota sunt: Ad timorem enim debitum incutiendum sat est, certa & terribilia ea novisse quæ in genere in S. Scripturâ de Gehennâ revelantur.

§. 7. Non pauci vere pii sub terroribus fere succumbentes, se credere non posse quotidie clamitant, quia propriam salutem futuram vix credere possunt; cum tamen etiam comminationes Divinas credentes, se Verbi Divini veritatem credere ostendunt: Et qui comminationum Veritatem credunt quia in Literis Sacris à Deo revelantur, proculdubio iidem promissionum Veritatem etiam credunt, quanquam earum applicatio sibi ipsis difficile nimis videatur.

Qu. 1. *Utrum malorum pœnæ infernales lumine naturæ probari aut sciri possint?*

Resp. POenarum quidam modi & circumstantiæ ex revelatione supernaturali solâ innotescunt. Et futuritatis seu existentiæ earum certitudo, seu clara notitia non aliunde speranda est: At lumine naturæ probari potest (ut priùs dictum est) Animas naturaliter Immortales esse: Malorum animas fore miseras; ideóque immortaliter miseras, nisi aliquod sit remedium Naturæ omnino ignotum; ideóque liberationis spem nullam nobis affulgere: Quamvis eventûs certitudo naturæ dubia sit. Hæc Ethnicis nota sunt, præcipuè Platonicis & aliis sapientioribus: Quæ amplius probavi, in Lib. Anglic. de Rationibus Religionis Christianæ.

Qu. 2.

Qu. 2. *An Ignis Infernalis sit noster materialis?*

Resp. ANimas cruciari per *Ignem Metaphoricum* certum est; id est, Iræ Divinæ & Reatûs sui dolorosam perceptionem: At non improbabile videtur corpora Igne materiali crucianda. Sapientis autem est hujus Ignis cruciatus curâ omni potius devitare, quam de naturâ ejus inaniter disputare. Damnatis proculdubio pœnæ valde acerbæ erunt; ideóque solertissime præcavendæ, ne cito nimis experientiâ bene notæ sint.

Qu. 3. *An credere Pœnas Infernales sit Symboli seu fidei Articulus?*

Resp. IN Symbolo fidei non expresse memorantur: At clare satis inuuntur in Articulis de Judicio extremo, & de Vita sempiternâ. Quid enim est, *Omnes judicandos esse*, nisi ad præmia & pœnas respective judicandos esse? Immo in omnibus Articulis de Christi Redemptione, innuitur esse miseriam futuram à quâ homines redimuntur; cujus infideles non sunt participes: Et in Articulo de *Remissione Peccatorum*, innuitur, hanc esse pœnarum remissionem; cujus participes non sunt Christi contemptores.

Qu. 4. *An credere pœnas Infernales sit necessarium ad salutem?*

Resp. NEcessarium est proculdubio necessitate præcepti: Et necessitate medii omnibus quibus notum est hoc à Deo revelari: Quia salvus esse non potest qui veracitati Divinæ non credit. Et quomodo aliquis peccatum sufficienter fugeret, qui pœnas futuras non credit, non capit meus intellectus: Præcipue in statu corrupto, cum ipsi Adamo nondum lapso pœnarum comminatio non suffecit. Siquis autem fingeret aliquem solam Gloriam cœlestem credidisse, & inde amore Divino flagrasse, talem salvandum fore ego non negarem: At an detur talis, ipse videat.

Qu. 5. *An ad salutem sit necessarium, ut pœnarum æternitas credatur?*

Resp. EAdem quæ ad quæstionem priorem, sufficit responsio. Nostrâ interest omni solertiâ liberationem ab irâ futurâ quærere, potius quam de perpetuitatis certitudine, an necessaria sit ad salutem, disputare: Ego neque Origenis præsumptionem neque opinionem quanquam misericordem approbo; neque rigidam & acerbam nimis ejus damnatorum censuram hæreticantem.

Qu. 6. *An salvus erit qui solùm metu pœnarum infernalium pius est?*

Resp. VEre pius talis non est: Pietatem enim non diligit, neque Deum: Qui malus esse maluit, malus est. Et qui peccare vellet, peccat. Sine amore Divino nemo sanctus est: Et sine sanctitate nemo Deum videbit. Pessime igitur à Papistis quibusdam asseritur, *Attritionem* (hoc est, *ex timore* pœnarum solùm pœnitere) cum *Absolutione* Sacramentali salvandos pœnitentes reddere, sine *Contritione*, (hoc est, sine Amore). Quasi sacerdotis errantis Absolutio, ipsius Spiritus sancti, & sanctitatis vicem suppleret. Quare non etiam & *Attritionis* vicem?

Qu. 7. *An salvus esse potest qui quamvis non solum, tamen magis ex timore pœnarum quam ex Amore Dei & bonitatis pius est?*

Resp. DE hoc accurate quantum potui in Lib. Angl. *Directorio Christiano* differui: Hic breviter tantum dico, Cui Amor Dei & bonitatis est fortior quam Amor carnis, mundi & peccati, hic certò salvabitur, quamvis *timor* pœnæ Infernalis Amore violentiùs & fortiùs operetur.

Qu. 8. *Ubi locus Gehennæ?*

Resp. QUæstiones de rebus neque necessariis neque revelatis sunt inanes, & periculosæ. Satanas jam dicitur Princeps potestatis aeris; & in filiis contumaciæ regnare; & an pœnarum locus post ultimum judicium ei mutabitur, nobis ignotum est: Impii autem damnati cum diabolis manebunt. Quidam autumant in terris, quidam in mari, quidam in terræ visceribus, quidam in aere, omnes ni fallor nimis audacter & frustra: Idem locus fieri potest diversis doloris & voluptatis locus; sicut in eodem Lecto hic morbo cruciatur, ille suaviter dormit. Status animarum, non locus facit miseras & fœlices. Probabile tamen est, sicut beatis ita & damnatis proprium assignari locum.

Qu. 9. *Scholastici quærunt, An Gehenna misericordiæ locus est?*

Resp. AFfirmant plurimi: Sed quæstio ut temeraria rejicienda est.

Qu. 10. *An melius sit miserum esse, quam non esse?*

Resp. 1. MElius est id respectu primæ Bonitatis regulæ, quod Deus vult: Hoc est, Impœnitentes potius miseros esse quam non esse. 2. Et ipsis melior esset, si eorum Bonum miseriam superaret. 3. At contra quoniam dolor gaudium, & miseria bonum aut superabit aut expellet, ipsis melius esset non esse. Naturæ quà humanæ (non solum quà corruptæ) proculdubio magis detestabile est summe miserum esse quam annihilari: Quis est qui non mallet non esse, quam vel calculo vel podagrâ violentâ in æternum cruciari? Neque obligatur homo ad naturaliter impossibile, quale est summam miseriam velle potius quam annihilationem. 4. Immo respectu ad ipsam Voluntatem Divinam non melius est Damnatos peccare quam non esse: Quia ubi nulla est Volitio Divina, ibi inde nulla nominanda est melioritas.

CAP.

CAP. VII.

De vita jucunda Fidei, Spei & Amoris, Filiorum Dei, in prospectu Gloriæ Sempiternæ.

Et I. *De Vita* FIDEI.

Fidelibus Dei Filiis, officium, decus, & fœlicitatis tyrocinium est, magno continuoque gaudio affici, ex prospectu Gloriæ futuræ sempiternæ; Quod fieri debet per vitam FIDEI, SPEI & AMORIS; de quibus in Conclusione hac applicatoriâ dicendum est. Et I. De FIDE.

FIDES ut est
1. Assensus Veritati, præcipue Promissionis rerum futurarum,
2. Consensus Bonitati, Finis (Gloriæ) & Mediorum (Christianismi)
3. Fiducia posita in Promittentem & Promissum (quæ partes sunt veræ Fidei)

I. CONFIRMANDA est, *viz.* Considerate spectando

I. Fundamenta fidei Primaria in ipso Deo, *viz.*
- 1. Potentiam
- 2. Sapientiam
- 3. Bonitatem

& inde
- 1. Constantiam.
- 2. Veracitatem & Justitiam.
- 3. Sanctitatem, Amorem & Misericordiam.

II. Fundamenta Secundaria à Deo posita, *viz.*

1. Christum; In Imaginis Divinæ (Potentiæ, Sapientiæ, Amoris) perfectione, *viz.* 1. In ejus Persona; 2. Doctrinâ; 3. Vitâ, Morte, & Resurrectione.
2. Spiritum Sanctum à Christo datum, qui per opera Divina, Potentiæ, Sapientiæ & Amoris, Divinum Christo & Evangelio Testimonium exhibuit & obsignavit.
3. Apostolos & alios inspiratos, *viz.* Impressionem Divinæ Potentiæ, Sapientiæ, & Amoris, in 1. Miraculis & aliis operibus, 2. Doctrinâ, 3. Vitâ Sanctâ, Charitativâ, refulgentem.

III. Evidentias Consequentes, *viz.*

I. Ut Effecta Divina attestantia, *viz.*

I. In Evangelio & Scripturis Sacris, ubi refulget Divinæ Potentiæ, Sapientiæ & Bonitatis impressa Imago.

II. In Sanctis; ubi Imago eadem secundæ impressionis, *viz.* per Evangelium & Spiritum Sanctum refulget.

III. In operibus Dei circa Evangelium, Religionem & Ecclesiam; ubi apparet
1. Potentia Divina, protegendo & propagando.
3. Sapientia, ordinando, docendo, gubernando.
2. Bonitas, Sanctificando, & beneficiis quamplurimis consolando fideles.

II. Accidentaliter
1. Mira Satanæ industria, in pietate, fide, spe, Amore oppugnandis apparet.
2. Notabilis doctrinæ sacræ probatio patet, in lucta interiore carnis & spiritus.
3. Miranda est Universalis corruptæ naturæ, per omnes terræ plagas, & secula, *Malitia* & *Inimicitia* contra nostram salutem! Cum Universali tamen in genere humano quatenus non corrupto, (*viz.* quoad reliquias Potentiæ, Sapientiæ & Bonitatis) Principiorum pietatis & Religionis Christianæ approbatione, collibentiâ & aliquali praxeos conatu.

II. PRÆSERVANDA est (Fides)

I. Per Sapientiam; Rationes jam dictas sufficienter meditando.

II. Per Amorem; Aperto corde, Bonitatem revelatam prompte, placide, penitus recipiendo.

III. Per

III. Per Potentiam Activam, *viz.*

- I. Veritatis praxin fideliter exercendo: Quo
  - 1. Sp. Sancti auxilia conserventur.
  - 2. Experientia quotidiana Fides confirmetur.
  - 3. A perversione vitiorum & concupiscentiâ præservemur.
- II. Veritatis hostes fideliter resistendo, *viz.*
  - 1. Quæ devitari possunt tentationes, cautè fugiendo & devitando.
  - 2. Quæ devitari non possunt vincendo, *viz.*
    - 1. Satanæ suggestiones.
    - 2. Hominum seductiones.
    - 3. Carnis Cupidines & Ratiocinationes.

  Resistentiâ scilicet
  - 1. Perita.
  - 2. Prompta, lubente & strenuâ.
  - 3. Forti, alacri & constante.

III. EXERCENDA est (Fides)

- I. Fugiendo
  - 1. Diversiones & Animi inquinamenta mundana.
  - 2. Imaginationes, appetitus, & passiones obcæcantes Carnales.
  - 3. Tentationes Diabolicas (per se aut per instrumenta factas.)
- II. Exercendo
  - I. Meditationem, 1. Perite & opportune, 2. Lubenter & placide, 3. Seriò & frequenter, *viz.* De fundamentis, Evidentiis & rationibus Christianæ veritatis.
  - II. Suasionem internam ad Bonum amplectendum, peritè item, lubenter & serió.
  - III. Imperium Rationis sanctæ, cum potentia & vigore.

  - 1. Contra Cogitationes decipientes, divertentes & pervertentes.
  - 2. Ad Cogitationes de veritate informantes, frequenter & serio adhibendas.

  Et ad fidei media, (auditionem, lectionem, preces) fideliter utenda.

Legat (qui vult plura) Librum nostrum de Vita Fidei, & Lib. pro Relig. Christianâ.

Elucidationes.

§. 1. QUoniam cœlites cœlestisque gloria non oculis humanis patent, sed partim (sed obscuriùs) lumine naturæ, partim clarius ex revelatione supernaturali innotescunt, solis igitur seriò meditantibus ratione & fide de hisce utentibus, Gloria futura speratur, bene quæritur aut prægustatur.

2. Objectum finale Fidei tum dignitate tum usu mediis objectis præcellit; ex hoc enim respective eorum usus æstimandus est.

3. Ipse *Deus* Gloriâ cœlesti spectandus & amandus cum Christo & omnibus beatis glorificatis, est objectum finale fidei Christianæ.

4. Hoc objecto finali omisso nullus fidei aut Justificantis aut Salvificæ actus vere præstatur. Nullus cultûs divini, nullus obedientiæ actus vere perficitur.

5. Hic primas tenet Fidei recta Fundatio, deinde ejus cautissima præservatio, & tandem ejus assiduum peritumque exercitium.

6. Quantum valet dubitatio de veritate vitæ gloriæque futuræ, tantum valebunt amor mundanus, sensualitas, impietas, torpedo, aut animi angor & desperatio.

7. Quanto celsius, nobilius & spiritualius, tanto difficilius est fidei hoc opus. Ita corpore hoc mundoque opaco anima occluditur, & sensibus corporeis exercendis circa sensibilia ita assuetus, ut non sine Spiritus sancti speciali auxilio, invisibilia Cœlestia quasi videt, & ut certissima & optima vere amplectitur, & sperat.

ſperat. Vanitatem quidem & Vexationem mundanis omnibus inſcriptas, tandem legere ipſe ſenſus & experientia nos facile poteſt edocere: At ad cœleſtia animum jucundâ fiduciâ & vero deſiderio aſcendere, & depoſitâ dubitatione, hæc vera judicare, omniaque mundana eorum gratiâ deſerere, & viventem & jam moriturum eorum exſpectatione gaudentem acquieſcere, altioris quidem hoc principii eſt, & totius Religionis opus ut perfectiſſimum ita & difficillimum.

8. Siquis vel unâ horâ cœlites & gloriam cœleſtem hiſce oculis clare ſpectaret, vel ibi die unâ beate commoratus eſſet, facile credi poteſt quam ſancte hic poſtea viveret! quanto deſiderio cœleſtibus inhiaret! quanto animi fervore ea amaret & peteret! quanto gaudio ea ſperaret! & quanto odio peccandi tentationibus reſiſteret, quantoque faſtidio mundi illecebras hic ſperneret! Fides autem quo vividior & fortior, eo intuitioni efficaciâ propior erit.

9. Viſioni autem fides illa erit ſimillima, quæ lumine clariſſimo inviſibilium cernit Veritatem, & amore delectationeque ea ſenſu ſpirituali præguſtat, & totam animam vitamque eis adhærendo devovet.

10. Maxime timendæ ſunt dubitandi falſæ rationes; ideóque atheorum & infidelium conſortium fugiendum eſt: At adverſus omnia decipientium & ſophiſtmatum jacula anima ſummâ curâ munienda eſt: Non tamen contra claram & neceſſariam veritatem diſputantes importuni audiendi ſunt: Ipſe Satanas, & cordis noſtri reliqua cæcitas & corruptio, nimium intus fidem quotidie impugnabunt; horum igitur copiæ auxiliares ab extra non facile ſunt recipiendæ.

11. Fundamenta Religionis naturalia (alibi explicata) fidei & ſpei Chriſtianæ magnum præbent adjumentum: Et qui Deum & hominis naturam prius novit, facilius is futuram fœlicitatem credet, & mediorum ſupernaturalium aptitudinem facilius percipiet.

12. Et magnum fidei ſubſidium eſt, officii noſtri erga Deum naturalis certitudo. Quid homini certius fit, quam naturæ legibus nos obligari ad Deum ſumme amandum, ei obediendum, & fidendum? Quis mentis non omnino inſanæ aut obcæcatæ, hujus debiti non eſt conſcius? Natura autem ipſa nos dubitare vix ſinit, quin bonis bene erit, & Deus optimus non naturam humanam ita fabricavit, ut fruſtra maxima ſua vitæ officia præſtaret? Et quo rectius viveret, eo magis fruſtra & deceptus? Qui debitum pietatis & obedientiæ certo novit, ut jucunde hic Deo ſe totum credat, omnino par eſt. Etiam homini mediocriter honeſto in tantum fidem habemus, ut obedientiam, fidelitatem & amorem ei præſtitam ne in damnum cedant præſtanti minime timemus, niſi de ejus potentiâ dubitamus.

13. Triplici teſtimonio Divino fides præmii & futuræ beatitudinis innititur: 1. Teſtimonio Dei Patris Creatoris, hominis facultates ad ſpiritualia, divina & æterna fabricans: Quare nos de Deo & vitâ futurâ ſimus ſolliciti, & Religionis conſcii & capaces, potius quam bruta animalia, niſi ad hæc noſmet applicare oporteret? 2. Teſtimonio Dei Redemptoris per Revelationem ſupernaturalem, miraculis pluribus obſignatam, & luce propriâ recipienti apto ſplendentem. 3. Teſtimonio Dei Spiritus ſancti, hominum mentes illuminantis, ſanctificantis, vivificantis: Quorſum enim ad cœleſtia Deus homines inclinaret, & toto corde, totis viribus devotos faceret, ſi nulla ipſis cœleſtis fœlicitas expectanda foret? Sed de his prius, & alibi plenius dictum eſt.

14. Quum ſeriò meditantibus & Deum orantibus Evidentiæ fidei ad animi ſatisfactionem cernuntur, magno fidelium damno hæ iterum in oblivionem tranſeunt; & harum oblitis objectiones videntur fortes, & dubia iterum animos ſolicitant: Memoriâ igitur hæ Evidentiæ ſemel perceptæ fideliter imprimendæ ſunt & retinendæ.

15. Nihil

15. Nihil autem fidei opus magis exaltat & perficit, quam cum in Amorem, & Pietatem practicam transit: Anima enim Deo adhærens & sacris meditationibus, precibus, & bonis operibus assiduè se exercens, Divinæ naturæ fit particeps, & suavi quadam internâ experientiâ potentiam, bonitatem & veritatem rerum spiritualium & invisibilium percipit: Unde pii quamvis indocti sancto solamine Deo serviunt, & vitæ futuræ gloriam expectant; cum Spiritûs sancti & amoris destituti quamvis docti, aut frigide aut timide de invisibilibus cogitant, & per argutias sophistarum, aut ex amore mundanorum à fide suâ mortuâ non raro deficiunt.

16. Ingenio igitur nostro non nimis fidendum est: Nulli citius & sæpius apostatæ fiunt quam homines elati ingenii, suæ ignorantiæ & imbecillitatis non conscii: Sinceris quippe & humilibus precibus non minus quam studiis & disputationibus, vera fides obtinetur & roboratur.

17. Nimia tamen intellectûs nostri diffidentia ad infidelitatem tendit: Qui enim de omnibus fere dubitat, etiam de credendis dubitabit. Cui omnia incerta videntur, vita futura incerta videbitur.

18. Immo & nimia incredulitas erga alios, ipsi fidei inimica est: sicut stulti est omnia & omnibus credere, ita & animi maligni est nulli credere; unde testibus fidei veracibus citius fidem denegant: Sapientis autem est testimonium credibile ab incredibili discernere; & neque omnibus credere, neque nullis.

19. Magnum fidei & vitæ cœlestis impedimentum est conscientiam peccando vulnerare: Præterquam enim quod Spiritum S. extinguit seu fugat, Deum sonti potius terribilem reddit quam amabilem; & ita cor peccatoris à fidei deliciis propellit. At conscientiâ sanâ servatâ pace placidâ & fiduciâ Deo anima per Christum appropinquat.

20. Plurimum igitur veræ resipiscentiæ debita renovatio & exercitium ad animæ solamen confert, dum post fidele & vitæ præteritæ & cordis scrutinium, homo vere pœnitens peccatorum remissionem percipit, quo ut Patri reconciliato Deo confidentius accedit: Reatûs aculeo penitus avulso, anima non jam à Deo sed ad Deum fugit.

21. Misere igitur falluntur qui Resipiscentiæ acerbitatem metuentes eam ut pacis inimicam fugiunt, quæ ad animæ vulneratæ medelam, & pacem restaurandam adeo necessaria est; & contra mortis timorem medicina nunquam omittenda.

22. Nunquam etiam de cœlis ut absque Christo cogitandum est: Ipsius enim Gloria ibi spectanda, & amor ipsius beatos amplectens non minima beatitudinis pars æstimanda est. Neque ad Deum sine Christo Mediatore, jam cogitantes possumus confidenter accedere, aut animam decedentem Deo placide committere; nè nobis sit ignis terribilis consumens. Non sine Christi mediatione & meritis jus ullum gloriæ obtinendæ nobis obvenit. Ex mediatione igitur & meritis ejus, spei solamen fide quærendum est.

23. Neque oblivione aut neglectu à fideli meditante consortium Angelorum & beatorum prætereundum est: Immo non illorum quos nobis familiares, & Deo fideles & charos in viâ hic novimus: Per ima enim ad altissima ascendendum est: Et objecta nobis familiaria videntur ad animæ invitationem idonea, cum ignota deterrent. Audacius nos fluctibus committimus & transfretamus, cum comites nostros tuto portum tetigisse novimus: Et amor sanctus est animarum Unio; unde distantia displicet, & consortium desideratur.

24. Neque ipsa loci visibilis Gloria meditanti prætereunda est: Non frustra enim per Deum ipsum sacris literis, juxta sensibilis Gloriæ analogiam describitur: Et conceptus etiam metaphorici non sunt inanes: Dum corporis & mundi hujus anima est incola, conceptus à sensibilium præstantiâ mutuatos fugiendi non sunt. Immo sensum ipsum beatis cœlo excludendum esse minime credendum, nedum probandum est: Et sensibus perfectis aderunt objecta perfecta sensibilia. Cum ipse Deus dicitur Lux, & Pater luminum, quocum nullæ sunt tenebræ; & Deus & Agnus Glorificatus cœlestis Jerusalem Lumina dicuntur, proculdubio

proculdubio de cœlis non inepte ut de loco glorioſe luminoſo cogitamus.

25. Qui bene credit communionem quam in terris jam habemus cum Deo, Chriſto & Angelis, facilius is credet animas humanas cœlitibus affines ad futuram cum eis communionem deſignatas eſſe: Et qui omnia Dei beneficia interiora & exteriora ſibi communicata bene obſervat, is cœleſtem hanc communionem facilius agnoſcet. Numen non cœli limitibus coarctatum eſt: Nobiſcum eſt; ſemper adeſt; nos & noſtra amore paterno gubernat; Gemitus & lacrymas noſtras non temnit: Preces ſinceras promptè recipit; In illo vivimus, movemur & ſumus: Ab illo Spiritûs Sancti influxus illuminantes, conſolantes, vivificantes, roborantes quotidie accipimus: Ejus Angeli nobis præſidium fiunt, & ſaluti noſtræ tum ſpirituali tum corporali miniſtrare non dedignantur: Ut theſaurus Dei ejus gratiâ ſibi pretioſus ad vitam æternam per ejus potentiam, ſapientiam & amorem ſervamur. Et quis talia in mundo hoc tenebroſo expertus, non eò facilius receptionem cœleſtem credet & ſperabit?

26. Hic igitur cavendum eſt, ne Diabolus princeps ſuperbiæ ſub humilitatis larvâ fidem & ſpem noſtram impugnaret. Superbiæ ſcilicet nos nobis inſimulabit, niſi tales nos talpas aut vermes æſtimemus, qui ad ſortem terreſtrem ſolum ſumus deſtinati; unde clamitant ejus miniſtri, Atheoi & Brutiſtæ, [Cœleſtia "non hominibus ſed cœlitibus deſignantur: quæ ſupra nos nihil ad nos:] Et ne ſuperbi ſupra cætera animalia eorumque delicias & ſpem, nos elevemus, nos impia humilitate hortantur. Et facile in laqueos hoſce incidunt homines ſenſuales, qui dum ſenſibus obſequentes ſe brutis faciunt ſimiles, ſe deinceps brutis annumerant, & ſupra brutorum ſpem & delicias ſe attollere non poſſunt.

CAP. VIII.

II. *De Vitâ SPEI.*

SPES (quæ conſtit in conjunctis 1. Deſiderio, 2. Expectatione, 3. Gaudio inchoato)

I. Roboranda eſt (Fidei Confirmatione præſuppoſita)

- I. Directe PROSPICIENDO
  - I. DEUM ut 1. Benefactorem & Promiſſionum Præſtitorem, 2. Ut Rectorem juſtiſſimum, 3. Et rerum Dominum,
    - 1. Qui per Omnipotentiam poteſt
    - 2. Et per Omniſcientiam ſcit
    - 3. Et per Bonitatem & Amorem vult

    } Promiſſiones omnes certiſſimè adimplere, & Beneficia & præmia promiſſa tribuere, & ut fidelibus bene ſit curare, juxta tenorem fœderis gratiæ.
  - II. Mediorum Sufficientiam, in ſuo genere, *viz.*
    - I. CHRISTI Salvatoris, *viz.*
      - 1. Ut Redemptionem impetrat, præſtando Conditionem fœderis Mediatorii, per ſanctitatis habitualis, actualis, & per ſacrificii ſui meritum.
      - 2. Ut Redemptionem confert,
        - 1. Antecedenter per Legem Gratiæ, *i. e.* Donationem Vitæ conditionalem univerſalem.
        - 2. Conſequenter 1. Per Potentiam Domini, 2. Per Lumen & juſtitiam Regis, 3. Per Amicitiam Amatoris.

II. SPIRITUS Sancti, nobis item fœderati; *viz.* AMORIS Divini Omnipotentis & omniſcii,
- 1. Ad perfectionem, 1. Vitæ, 2. Luminis, 3. Amoris, Spiritualis ſalutaris.
- 2. Ad expulſionem, 1. Mortis & ignaviæ, 2. Tenebrarum, 3. Malitiæ & omnis peccati.
- 3. Ad ſuperandum, 1. Satanam, 2. Mundum, 3. Carnem.

III. Mediorum Externorum (in ſuo genere) *viz.*

I. Naturalium, ad uſus proprios, ad ſupernaturalia conducentes.

II. Supernaturalium, *viz.*

I. Fœderis ſeu Promiſſionum Gratiæ, quatenus ſunt

1. Per Deum ipſum Veraciſſimum factæ; Qui mentiri non poteſt.
2. Per ſigilla ejus nobis confirmatæ, *viz.* ordine duplici.

I. Antecedenter
- 1. Verbo & Juramento Dei Veraciſſimi.
- 2. Sanguine ipſius Teſtatoris.
- 3. Spiritu extraordinario, Miraculorum, Linguarum, &c.

} Et ita tres ſunt Teſtantes in cœlis.

II. Conſequenter
- 1. Sacramentis, quà Divinis fœderis ſigillis.
- 2. Spiritu intus operante, Sanctificante, arrha-bone hæreditatis.
- 3. Operibus quamplurimis Providentiæ ſpecialis.

II. Sacræ Scripturæ; Ad fœderis, promiſſionum, &c. infallibilem recordationem.

III. Mediorum applicantium ſubſervientium; Qualia ſunt

I. Civilia; Potentiæ cum Sapientia & Amore.

II. Eccleſiaſtica; Sapientiæ cum Amore & Potentia; ubi ſunt

I. Sociatim
- 1. Miniſterium Sacrum fideliter præſtitum.
- 2. Communio Sanctorum, præcipue in ſacris cœtibus.
- 3. Inſtitutiones Sacræ & Cultus ibi exercendus.

III. Domeſtica: Parentum Doctrina, Regimen, Exemplum, &c.

II. Privatim
- I. Dei 1. Inſtructiones, 2. Beneficia, 3. Caſtigationes.
- II. Noſtri, 1. Meditationes, 2. Preces, 3. Conatus practici ſinceri.

III. EVIDENTIAS JURIS noſtri ad cœleſtem hæreditatem (earum acquiſitione præſuppoſitâ) *viz.*

I. Spiritus Chriſti Sanctificans inhabitans; Qui pignus eſt & arrha hæreditatis.

II. Fructus ex quibus Spiritus dignoſcitur: Qui ſunt

I. Interni infallibiles, Qui ſunt

I. Potentia

- I. Potentia seu vita spiritualis, sive animi ad cœlestia priùs quasi demortui seu dormientis, Vivificatio, suscitatio & activitas.
- II. Illuminatio spiritualis, *viz.* Scientia, fides, prudentia practica & efficax.
- III. Amor,
  - I. Sanctitatis seu Bonitatis Divinæ; id est, Dei quà Boni & Sancti.
  - II. Sanctitatis impressæ,
    1. Christi ipsius, qui perfectissime & spectatissime sanctus est.
    2. S. Scripturæ; Evangelii; Sanctitatis nostræ Regulæ & Instrumenti.
    3. Sanctarum Personarum, 1. Angelorum, 2. Hominum.
  - III. Sanctitatis expressæ,
    1. In Actionibus & Institutionibus Divinis.
    2. In Amore, obedientia & cultu Cœtus cœlestis.
    3. In operibus Sanctorum, Pietatis, Temperantiæ, Justitiæ, Charitatis.

II. Externi infallibiles, quatenus Internorum veri Indices. Qui sunt

1. Quando Interna Resignatio, subjectio, Amor, exprimuntur per vitæ tenorem Deo fideliter devotæ, & actæ ad ejus Complacentiam.
2. Quando nihil mundanum nobis tam pretiosum videtur, quin propter Deum, Christum, & spem cœlestem, illud deserere verè parati sumus.
3. Adversus Carnem, Mundum & Diabolum, Militia fidelis & victoriosa.

III. Adjuncta confirmantia, etsi non Evidentiæ infallibiles: Qualia sunt

1. Mediorum ad salutem congruè ordinatorum gratiosa collatio.
2. Experientia multiplex, providentiæ specialis gratiosæ ad intra & ad extra.
3. Ministrorum & filiorum Dei, qui intimè nos norunt, absolutio & justificatio.

Tantum de Confirmantibus spei PROSPICIENDIS, vel directe juvantibus; sequuntur DESPICIENDA, seu spei juvamen indirectum.

II. DESPICIENDA sunt omnia spem & Fundamenta spei oppugnantia, *viz.* 1. Diabolus cum suis instrumentis, 2. Mundus cum suis illecebris, 3. Caro cum suis cupidinibus, *viz.* 1. Ut sunt adversus Amorem Dei Patris, 2. Et Gratiam Christi, 3. Et Operationem Spiritus Sancti. Et ita contra 1. Miserationes Divinas, 2. Promissiones Divinas, 3. Et Evidentias internas, *viz.*

1. Quam Vana est eorum Impotentia contra Divinam Omnipotentiam.
2. Quam Vana est eorum Stultitia contra Divinam Sapientiam.
3. Quam Vana sunt eorum & Malitia & Illecebræ contra Divinam Bonitatem & Amorem.

MEDIIS hisce SPES roborari potest ad CERTITUDINEM salutis; Quia

1. FIDES de veritate Divinæ Promissionis certa erit.
2. Scientia EVIDENTIÆ nostri Juris ad promissa, certa erit.
3. Ergo Conclusio de SALUTE nostrà certa erit, tum objective, tum subjectivè.

II. PRÆSERVANDA est SPES diversimode, *viz.*

I. Radicaliter; roborando, conservando & exercendo Fidem ut jam dictum est.

II. Directe in se,

I. Positive, SPEM alendo,
1. Per frequentem fundamenti spei contemplationem.
2. Per Evidentiæ Juris nostri debitam Corroborationem: Et quia de nostrà sinceritate major plerumque dubitatio est, (inter Christianos) quam de Veritate Promissionis, hic igitur industriæ & sollicitudinis nostræ pars maxima locanda est, *viz.*

- 1. Ut interna Sanctitas, 1. Vita, 2. Lumen, 3. Amor, debitum faciat incrementum; ut clare sit spectabilis, & nullus maneat dubitandi locus.
- 2. Ut absoluta, universalis, constans obedientia, & Opera Amoris, Sanctitatem internam in apricum proferant, & notiorem & indubitatam reddant: Et ita incrementum & conservatio Sanctitatis erit incrementum & conservatio Spei.
- 3. Per Evidentiæ roboratæ peritam & frequentem inspectionem & cognitionem.

II. Oppositive, SPEM defendendo; *viz.*

I. Contra oppugnationem Indirectam; *viz.* Quæ *Sanctitatem*, juris nostri *Evidentiam minuere, destruere vel obscurare conatur.*

II. Contra oppugnationes Directas, *viz.* Calumnias: Quæ fiunt vel

I. Adversus ipsius Promissionis Divinæ, 1. Sensum, 2. Aut Veritatem.

II. Adversus nostri sinceritatem & Jus, quasi simus Infideles, Impœnitentes, Hypocritæ.

Occasione sumptâ
- 1. Ex imperfectione
  - 1. Sanctitatis internæ, Vitæ, Luminis, Amoris.
  - 2. Operum Externorum Obedientiæ & Amoris.
- 2. Ex Peccato:
  - 1. Ex gradibus internæ pravitatis, sanctitati contrariæ.
  - 2. Ex peccatis actualibus æternis
    - 1. Commissionis.
    - 2. Omissionis.

Ubi Defensoris est

I. Promissiones Divinas 1. Sane intelligere, 2. Sincere credere. Ideoque

II. De se
- II. Et Sanctitatis & operum
  - I. Sinceritatem suam in fœderis conditione præstitâ, discernere.
  - II. Sinceritatem discernere à gradu eminente, etiam inter imperfectiones.
  - 2. Fiduciam ponere in Christo ad Imperfectionum Remissionem.
- III. Peccata
  - 1. Regnantia mortalia, à mortificatis remissis discernere.
  - 2. Per Resipiscentiam deserere, & in Christi meritis, sacrificio, intercessione & promissis, ob quotidianam Remissionem confidere.

III. EXERCENDA SPES est quotidie,

I. Fugiendo
- I. Tentationes Diaboli calumniantis & Deum & Nosmetipsos.
- II. Hominum
  - 1. Tyrannicorum terrores, per verba terrifica vel facta.
  - 2. Errantium seductionem & doctrinam spem Christianam subvertentem.
  - 3. Malignantium opprobria & calumnias; Animumque contra hæc obfirmando.
- III. Cordis nostri,
  - I. In facultatibus superioribus,
    - 1. Impias à Deo defectiones & aversationes; quæ SPEI vitam pessime confodiunt.
    - 2. Carnales conceptus, & ratiocinationes erroneas, contra spei fundamenta.
    - 3. Impotentes animi dejectiones, & defatigationes.

II. In

- II. Exercendo,
  - I. Ad infra,
    1. Meditationes debitas de roborantibus omnibus jam memoratis.
    2. Ratiocinationes, correptiones, suasiones, contra timorem & desperationem.
    3. Imperium Voluntatis contra cogitationes melancholicas & terrificas.
  - II. Ad supra,
    1. Gloriam cœlestem Fide indesinenter intuendo; præcipue Christum Glorificatum.
    2. Preces & Laudes sinceras Deo fundendo per Spiritum sanctum.
    3. Vitam Amoris Divini (quo cœlestia prægustantur) exercendo, de quâ in sequentibus.
- II. In facultatibus sensitivis,
  1. Conversationem cum sensibilibus nimis familiarem & seriam: Et Amorem & Spem mundanam.
  2. Phantasiæ corruptionem,
     1. Per Imaginationes divertentes, Carnales & Mundanas.
     2. Per phantasmata Melancholica, perturbantia & terrifica.
  3. Passiones effrænes: Timor & tristitia inordinata, spei sunt inimica.
- III. In parte Vegetativa, Morbi Melancholici & Cupidinosi summopere sunt vitandi.

Elucidationes.

§. 1. SPES ex sui & felicitatis amore orta, est affectus compositus, ex *Desiderio, Complacentiâ & Expectatione*; & dum per ardua ad desiderata inhiantes tendimus, est quasi anchora animæ, & solaminis crepusculum & speratæ felicitatis prodromus.

2. Nil nisi sincere credita verè speramus: ideóque fidei gradum vera spes transcendere non potest: Conclusio enim sequitur præmissarum debiliorem.

3. Spei *fundamenta & media* (in Tabulâ jam descripta) animæ oculis semper obversari opus est: Hisce enim neglectis spes citò elanguescit; & sublato fomite ad extinctionem properat. Bonitas & Amor Divinus, Christi Gratiæ plenitudo, promissionis certitudo, & cætera jam memorata cordi penitus imprimenda sunt.

4. Nisi de statu cœlesti cogitemus, ut omnibus hujus vitæ deliciis meliore, eum recte sperare non possumus. Sperare enim vitam futuram non fore nobis miserrimam, sed gehennâ meliorem, quamvis terrenâ hìc minus amabilem, hoc non est proprie *vitam cœlestem sperare*, sed solùm à pœnis infernalibus liberationem.

5. Si de futuræ beatitudinis aut *Veritate*, aut *Bonitate*, aut *Proprietate* seu *jure* nostro, aut saltem *probabilitate* dubitetur, eam vere sperare non possumus. Primum autem & maximum spei impedimentum est infidelitas.

6. Ideo Christus Dei nuncius è cœlis nobis missus est, non solum ut cœlestem hæreditatem nobis impetraret, sed ut impetratæ nobis fidem & spem firmas faceret, & vitam & immortalitatem indubitatas nobis redderet. Ipse enim nobis

est

est VITA & LUX, & qui credit in illum, *Vitam fide & spe*, immo *inceptam possessione* jam obtinuit, & nunquam morietur, id est, à Vitæ promissæ jure nunquam excidet, nec filius mortis æternæ fiet. Ad Christi igitur Resurrectionem, & Ascensum & Gloriam semper spectandum est: Ejus miracula & Apostolorum, Veritatis suæ sigilla nunquam obliviscenda sunt; neque Spiritûs sancti externa & interna testimonia unquam negligenda. Hoc ethnicis ignotum, fidelium peculiare donum est; Hac luce solâ clare Lux futura prævidetur. Quanto gaudio Deo gratias agere nos oportet, ob nuncium hunc cœlestem, & invisibilium notitiam, Morte, Resurrectione, Ascensu, miraculis & Spiritu & doctrinâ ejus, notis partam & obsignatam! Qui Gloriam ipsam in se certam & possibilem credit, proculdubio ut sibi certò possidendam faciat, is vero conatu festinabit.

7. Quantum Spiritûs sancti Motu, Lumine & calore pleni sumus, tantum cœlestium Spe jucundâ & sitiente pleni erimus. Idem enim est *Spiritus fidei, spei & amoris*, & per influxum suum cœlestem, naturam, intellectum & appetitum cœlestem nobis impertit, & animos ad cœlestia semper elevat & attrahit. Summopere igitur Spiritui sancto obediendum est, ejus monitis auscultandum, ejus gratia exercenda, & exosum ei peccatum fugiendum: Spiritu enim orbati ad terrena decidimus, tenebris excæcati obruimur, & erga cœlestia dubitantes, torpidi, & alienati simus. Non igitur ingeniosissimi, non doctissimi, nedum potentissimi & ditissimi, sed *Optimi* & maxime spirituales, spe cœlestium sitiente maxime gaudent.

8. Sicut fidei ita & spei præcipue inimica est conscientia peccato vulnerata: Cito igitur & penitus per Christum fide & sincera pœnitentia sananda est.

9. Mors ipsa etiam spei naturalis inimica est; statum enim hominis quasi dissolutum, & animæ separatæ quasi tenebrosum, & horrendum nobis reddere videtur; donec eximiâ Christi gratiâ ejus terror superetur. Maximum igitur vitæ totius opus est, bene mori perdiscere, mortemque per fidem nobis familiarem inermem & innoxiam reddere, & ejus hostilitatem & terrorem vincere.

10. *Timiditas* etiam naturalis aut melancholica quamplurimis spei gaudio inimica est: Vix enim ratione etiam sanâ & illuminatâ bene superatur. Tales enim etiam in loco & statu tutissimo vacillantes trepidant: Vix tutos nedum felices se unquam judicant, nedum sentiunt. Timidis hisce naturale & fere necessarium est malè ominari, & se perituros & miseros judicare: Morbos hosce corporis unde animi afficiuntur, plerumque non sanctitate sed medicinâ aut robore naturali (si non insanabiles sint) sanandi sunt. Mulierculis quampluribus & melancholicis fere tam difficile est spiritualia jucunde percipere, mortem placide subire & de æternis gaudere, quam puero vapulanti ridere aut non lachrymare.

11. Hisce autem Desperatio est magis miseria quam peccatum grave & perniciosum. Illa autem Desperatio mortalis est, quæ ex Infidelitate eâque prædominante oritur. Siquis enim ideo beatitudinem cœlestem non sperat, quia aut promissionis aut promissi veritatem non credit, damnabilis profecto est hujus desperatio.

12. Et à quâcunque *Causâ* oriatur, si desperatio valet contra mediorum necessariorum usum, & ad pietatem & obedientiam ut inania abjicienda, & ad peccati delicias amplectendas (quasi frustra foret meliora quærere), ex effectibus quidem hæc erit pernicioſa.

13. Spei enim est alacriter & constanter laborare, patienter mala tolerare, difficultates omnes superare, de Deo corrigente & ejus correctionibus bene sentire, & in orci faucibus ex gloriæ prospectu gaudere.

14. Bene igitur *Animi Anchora* dicitur: Unde enim animo hujus vitæ variis fluctibus assidue & horride jactato, pax ulla aut quies obveniret, nisi ex spe futuræ salutis? Miseriæ enim perfectio est desperatio.

15. SPEI gradus sunt diversi juxta objectorum & fundamentorum diversitatem. Boni minoris & temporari spes minoris pretii est; Maximorum & æternorum

æternorum valor inæstimabilis. Spes *possibilitatis* cor aliquantulum sustentat, nè angore penitus deficiat : Spes *probabilitatis* etiam gaudium addit : Spes autem *certitudinis* gaudium figit & adauget.

16. Non mirum est igitur si diversi etiam industriæ, obedientiæ, patientiæ & gaudii gradus inter ipsos fideles inveniantur, cum eorum etiam spei gradus adeo sint diversi.

17. *Timor* quidem potenter animum à malo pellit & præservat ; at Spei est officium ad altiora & meliora animum allicere, salutariter mutare & sanctificare.

18. Spes autem sicut & fides non est Gratia perfecta & finalis, sed viatoris & imperfecti media ad finem : Ideóque eam cessaturam Apostolus prædicat. Visorum enim & plene possessorum non est *Spes*. De Gloriæ quidem *æternitate* ait *Pemble* noster, se nescire quomodo sine *fide* beatis sciri potest ! Et de *spe* casus idem est : At nobis mortalibus non liquet, quomodo Deus beatis spiritibus futura revelat ! Et utrum eorum perceptio proprie *fides*, an potius *visio* (in speculo Trinitatis aut aliter) dicenda sit, haud satis intelligimus. Proculdubio possessores de fœlicitatis suæ perpetuitate securi facti erunt, & ab omni amissionis timore liberati. Unde Angeli peccantes sunt dejecti, & qualis eorum status fuit ante lapsum, & quale discrimen inter eorum & beatorum conditionem, non plene nobis innotescit : Istos autem suâ fœlicitate excidisse, & nobis gloriæ perpetuitatem promissam, certum est.

Qu. 1. *An (& qualis) salutis certitudo in hâc vitâ obtineri potest ?*

Resp. CErtitudo objectiva ex Dei decreto & scientiâ oritur : Omnes vere fideles perseverantes salvandos esse in se certum est ; & nunquam fallitur qui hoc credit. Certitudo *subjectiva* est vel perfecta vel imperfecta : Perfecta dicitur vel *absolute* vel respective ad statum viatoris. Perfecta absolute non nisi glorificatorum est : Perfecta respective dicitur cum certitudo sine omni culpabili infirmitate est : Hæc nemini obtigit ante mortem ; quia nemo hic sine culpa perfectus est : Et nisi aliæ omnes sanctitatis partes perfectæ sint, certitudo salutis perfecta non erit : Proportio enim inter Spiritus sancti dona sanctificationis invenitur. Certitudinis imperfectæ diversi gradus sunt, qui in hâc vitâ obtinentur. Gradus supremus omnem positivam dubitationem expellit, & gaudio spei animum perfundit,& vitæ futuræ sitim in sperante suscitat ; Non tamen gradûs omnino perfecti hæc sitis aut gaudium est. Gradus inferior animum pacatum reddit, & Deo fidelem, & mundi carnisque illecebras vincit ; At dubitationes omnes non pellit, neque magnum aliquod gaudium speranti ingenerat. Gradus infimus vix proprie certitudo dicitur, nisi quia non fallitur aut fallit : *viz.* Cum vere quis de salute suâ statuit ; at non sine multâ & molestâ dubitatione, aut saltem cum parvo gaudio & multo timore, mundi tamen vanitates ex spe æternorum rejicit. Plurimorum fidelium (quantum observatione mihi constat) hic infimus gradus est : Nonnullorum secundus ; paucorum (proh) primus ; nullorum autem *absolute* aut *inculpabiliter* perfectus.

2. Certitudinem autem aliqualem infallibilem hic obtineri posse patet : 1. Quia nos exlorando & judicando eam quærere à Deo præceptum est : 2. Quia præmissæ certo sciri possunt : *viz.* & Promissionem vitæ æternæ veram esse ; & nos esse fideles quibus illa promittitur. Quamvis enim cor humanum est aliis inscrutabile & fallax, nobis ipsis tamen proculdubio ejus sinceritas sciri potest : Aliter nihil de nobis asserere, profiteri aut promittere possemus. 3. Quia sine aliquali nostri juris ad salutem notitiâ, omnes Evangelii promissiones nobis parum solaminis præberent : Scire enim vitam *æternam* fidelibus præparatam esse, & nescire omnino an nos simus fideles, aut salvandos, parum animum consolatur. 4. Proculdubio glorificandorum & damnandorum haud adeò parvum est

in

in hac vitâ discrimen quod percipi non potest, cum tantum in vitâ futura discrimen prædictum est. 5. Spiritus sanctus est Gloriæ arrhabo, & primitiæ; & ejus sanctificantes operationes sunt testimonia intus existentia; & cum spiritibus nostris ille testatur nos filios Dei esse.

3. Inanis autem quæstio est, *An certitudo hæc sit moralis?* Et falso à quibusdam supponitur Evidentias omnes morales incertas esse: Proculdubio si ex causis denominanda sit, hæc certitudo est supernaturalis quatenus ex causis supernaturalibus; est *Naturalis*, quatenus in facultatibus naturalibus & ex earum & aliarum causarum naturalium operatione; Et est *Moralis*, quatenus ex nonnullis causis moralibus: attamen infallibilis, etiam ubi imperfecta.

4. Non parvæ autem difficultatis est veram certitudinem aut obtinere aut conservare: Et valde dolendum est Theologos aliosque pro certitudine salutis dictis scriptisque acriter contendentes, sine verâ certitudine secure vivere, & fortasse certitudinis dogma pro ipsâ certitudine sumere.

Qu. 2. *An salutis Certitudo viatori tuta est & desideranda?*

Resp. SI fingamus hominem nondum conversum vitiis scatentem, immo & fidelem in peccatum grave jam lapsum, & nondum pœnitentem, de salute suâ futurâ certos fieri, probabile est eorum pravitatem hinc ansam arrepturam secure adhuc in peccato volutandi, & torpide de divinis cogitandi: Hoc autem non est supponendum: Tales enim suæ salutis certitudinem non possident. At certitudo vera est solorum fidelium etiam classis superioris sors: Et hisce magnum sanctitatis adjutorium est; & maximum gratiæ Divinæ donum; & ad vitam cœlestem, amorem divinum, gratitudinem, gaudium spirituale, ad zelum bonorum operum, & mundanorum contemptum admodum conducit. Dicendum est igitur, *Cæteris paribus* & in subjecto idoneo (& aliorum non est) [*Certitudo salutis est maximum beneficium*, & hominem beatis simillimum reddit] Et quis est qui se fœlicem non putaret, Deumque & cœlestia impensius amaturum, si de salute sua æternâ certus factus esset?

Qu. 3. *Quibus signis seu Evidentiis, de salute futurâ infallibiliter certi fiamus?*

Resp. EX conditione fœderis fideliter à nobis præstitâ: Qui vere fœderi baptismali consentit, salutis promissæ is statim jus obtinet: Et qui consensum sincerum retinet, & amorem, gratitudinem & obedientiam à se promissam sincere præstat, is jus illud retinet, & salvus erit. Qui se verè devovet Deo Patri ut suo & Deo & Patri per Christum reconciliato, & Deo Filio ut suo Redemptori, Præceptori, Regi, Intercessori, & Spiritui sancto ut suo Regeneratori, per quem vivificari, illuminari & sanctificari vellet, carni, mundo & Diabolo renuncians, hic omnium Redemptoris donorum hæres est.

Nè vero nos decipiamus ab hypocrisi cavendum est, nè quod agere profitemur non vere agamus: Hæc tria igitur in salvandis necessario requiruntur; viz. *Deum*, *Christum*, *Gratiam*, *Gloriam*, non rebus transitoriis postponi, sed habitualiter & actualiter primas & dominatum tenere supra omnia mundana, 1. In Intellectûs practicâ æstimatione; 2. In voluntatis complacentia, desiderio, electione & proposito; 3. In vitæ conatibus: Mat. 6. 33. *Qui primo quærit Dei regnum & ejus justitiam, & id & omnia necessaria inveniet.*

Evidentiæ autem infallibiles non sine magnâ difficultate clare cernuntur & conservantur. Dei gratia sicut ignis in scintillâ se vix ostendit, donec ad actum eumque vividum, & tentationes, mundum & carnem bene vincentem excitetur: Minima sunt minime visibilia: Magna, fortia & activa se facile ostendunt: Gratiam igitur exercere, peccata abjicere, animo cœlesti ad cœlestia fervide aspirare, ad Gloriæ certitudinem proxima tutissimáque via est. Qui cœlitibus

simillimus

similimus est, is gaudii cœlestis maxime capax est; & salutis facillime certus fit. Notitiæ & fidei intellectualis sinceritas, nisi ex voluntatis amore & proposito non dignoscitur: Non vera enim fides est aut scientia quæ voluntatem non movet & per amorem non operatur: Voluntatis autem Electio, Amor aut propositum non est sincerum nisi tentationes vincat & vitæ tenorem erga cœlestia per obedientiam dirigat: Obedientia igitur sincera certissima evidentia est: Quando scilicet Deo fideliter servire, cœlestia quærere & omnibus benefacere, vitæ primum & summum est negotium; Cùm omni Dei præcepto sincere obedire volumus, & etiam sanctitatis perfectionem desideramus: Cùm peccatum nullum adeo utile, adeo suave aut charum nobis videtur, quod non sincere velimus abjicere, & à quo non vere cupimus liberari, potius quam peccati deliciis frui; Cum in viâ hâc veræ obedientiæ gloriam cœlestem expectamus, ex Dei amore & misericordiâ & Christi meritis & gratiâ, vilitatem & indignitatem nostram humiliter agnoscentes, & ad finem usque in patientiâ perseverantes; hinc spei nostræ infallibilitas certo colligi potest: Ignavis autem & tepidis, mundana sitientibus, cœlestia negligentibus, carnis illecebris irretitis, & conscientiam sæpe peccando vulnerantibus, salutis nulla certitudo est: Et quo carnalibus similiores fideles sunt, eo longius à salutis certitudine, & spei cœlestis gaudio absunt.

Qu. 4. *Quomodo ex spe salutis timor mortis superandus est?*

Resp. QUia scriptis aliis huic quæstioni prolixe respondetur, hic pauca hæc sufficiant.

I. Antequam ægrotamus; 1. Fides futurorum firmanda est, & in conversatione cœlesti quotidie exercenda: Neque approbandus animæ status est donec cogitationes de Gloriâ futurâ nobis dulciores sint quam de terrenis quibuscunque. Mat. 6. 20, 21. Col. 3. 1, 4. Phil. 3. 20. 1 Thess. 4. 18. Phil. 1. 21, 23. Joh. 17. 3.

2. Præcipue autem de Deo ipso ut ipsâ Bonitate & Amore (per Christum nobis Patre Amantissimo & Amabilissimo) semper cogitandum est; & quando cœlos, solem, astra, tellurem spectamus, & Omnipotentiam Divinam & Sapientiam miramur, cogitandum est Dei Bonitatem & Amabilitatem Potentiæ ejus & Sapientiæ parem esse. Quis autem ad ipsum Amorem infinitum accedere (nisi improbus & inimicus) timeret? Eph. 3. 17, 18, 19. Joh. 17. 24. Eph. 5. 25, 27.

3. Christus crucifixus, mortuus, sepultus, resuscitatus, glorificatus, etiam in naturâ humanâ fide semper aspiciendus est.

4. Mors semper expectanda est, ut animo parato ejus sententiam recipiamus.

5. Deliciæ terrenæ non sunt nimium gustandæ: sed afflictionum amaritudo ad vitæ hujus contemptum ut medicina adhibenda.

6. Preces & meditationes de cœlestibus non sunt negligendæ.

7. Conscientia peccando non est vulneranda, nè Deum offensum & terribilem fugiat.

II. Tempore ægritudinis, 1. Vita præterita iterum judicanda est, & status animæ probè explorandus: donec de pœnitentiæ & fidei sinceritate non dubitetur.

2. De corporis jam deponendi vilitate, & de mundi vanitate cogitationes renovandæ sunt, Job. 17. 14. & 24. 20, &c.

3. Corporis resurrectio, animæ immortalitas, & gloriosus Christi adventus, fide animo penitus inscribenda sunt.

4. Amori & optimæ Dei Voluntati absolute fidendum est.

5. Cum S. Stephano morituro animæ nostræ in manus Christi committendæ sunt, ut suæ scilicet, ejus sanguine redemptæ, per fidem & spiritum ejus ei adunatæ, ejus membra, quibus gloriam & meruit, præparavit & donavit. Ejus enim est animas suorum recipere & Deo Patri gratas præsentare.

6. Ad sanctum etiam Beatorum chorum qui vicerunt & coronantur, prospiciendum est.

7. Et ad mortalium multitudinem retrospiciendum est: Omnes per mortis januas citius aut serius æternitatem ingrediuntur. Nosne igitur solos excipiendos vellemus?

8. De rebus ignotis circa conditionem & operationes animæ separatæ, non anxie curandum est: Implicite de ignotis Deo Patri & Redemptori fidendum est, utpote cui omnia nobis ignota perspecta sunt.

9. Promissionibus Divinis fide inhærendum est; *viz.* Beatos esse mortuos qui in Domino moriuntur: Beatos corde puros quia Deum videbunt, Joh. 3. 16. Qui credit in Christum nunquam peribit, sed habet vitam æternam: Quia vivit Christus & nos vivemus, Joh. 14. 19. Siquis Christo servit, eum sequatur, & ubi Christus est, ibi erit & servus ejus: Siquis ei servit, eum Pater honorabit, Joh. 12. 26. Joh. 17. 24. Pater, volo eos quos mihi dedisti, mecum futuros esse ubi ego sum; ut gloriam quam mihi dedisti aspiciant. Lege Joh. 20. 17. Act. 3. 19. Luc. 14. 14. & 24. 43. 2 Cor. 5. 1, &c. 1 Cor. 15. Phil. 1. 20, 21, 23. Col. 3. 1, 3, 4. 2 Thess. 1. 10.

Joh. 5. 22, 24, 28, 29. Mat. 25. 34, 46 Joh. 14. 1, 2, 3. Act. 3. 19. 1 Cor. 6. 2, 3.

Qu. 5. *An spes illa sincera est quæ moriendi timorem non vincit?*

Resp. TImor mortis inordinatus fidei & spei & amoris imperfectionem semper denotat; absentiam non semper: 1. Natura etiam innocens mortem aversatione & timore fugit: Ipse Christus suis precibus & sudore hoc demonstravit: Mors nisi timenda esset, peccati pœna fieri non potuit: Ad naturæ conservationem & hominum regimen hic timor factus est necessarius. 2. At ex reatu pœnæ futuræ & animi pravitate fit inordinatus: 3. Et sicut Gloria sperata nondum oculis cernitur, ita & fides adhuc infirma est: Et cum Vitæ præsentis amorem, & mortis timorem ex spe futurorum vincere, ejus opus est maxime arduum, non mirum est si fides debilis quamvis sincera hoc opus etiam debiliter præstet. 4. Non tam ex passionibus quam ex Intellectûs æstimatione, Voluntatis desiderio & electione, & Vitæ tenore, de statu Animæ judicandum est. Qui peccare odit, & Deo sancte vivere sincere vellet, ad mansiones cœlestes quamvis hic dubitans tremensque transibit. 5. Attamen ut non tuta solum, sed & jucunda nobis mors fiat, summâ curâ per totum vitæ præsentis cursum conandum est.

Qu. 6. *Anne de salute suâ desperans salvari potest?*

Resp. AD hanc quæstionem in Elucid. priùs respondetur. Distinguendum est 1. Inter desperationem ex infidelitate, & desperationem ex ignorantiâ aut veri sensûs fœderis Divini, aut suæ sinceritatis & juris: 2. Inter Desperationem quæ sancta desideria & conatus destruit, & eam quæ cum hisce consistit. Qui non ex Infidelitate (saltem non prævalente,) sed ex Melancholia, animi timiditate, promissionis aliquâ ignorantiâ, aut sinceritatis suæ obscuritate, desperat solùm ad terrorem, non autem ad Christi & sanctitatis desertionem & mundanorum amplexum, is salvari potest, non obstante tali desperatione.

Qu. 7. *An salvari potest suicida?*

Resp. EX jam dictis etiam quid ad hanc quæstionem respondendum est colligi potest. Plerique suicidæ aut amentes, phrenetici aut melancholici sunt: Non autem damnantur homines propter corporis morbum, aut quia non mentis compotes sunt.

Obj.

Obj. *At in actu peccati decedentes, impœnitentes sunt, ideoque pereunt.*

Resp. 1. Pœnitentiam habere possunt virtualem & habitualem: 2. Actualem autem & distinctam pœnitentiam ob unumquodque peccatum nemo habet, vel sanctissimus: Peccata enim non pauca nobis ignota sunt, & multorum obliti sumus; manetque etiam ad mortem fidei, spei, amoris, &c. defectus culpabilis.

Obj. *At talia dicens ad suicidium homines imprudenter allicit, cum non nisi ex timore gehennæ melancholici ab hoc deterreri possunt?*

Resp. 1. Cum ipsa Natura Vitæ hujus inordinate amans est, & Deus media vera & apta ad peccatum devitandum nobis abundanter instituit, non nostri est alia eáque falsa ex cerebro nostro invenire: Mendacio non opus est ad peccatum fugiendum. 2. Ad Suicidæ amicorum justum solamen hæc vera quæstionis solutio propalanda est, quamvis fortasse nonnulli eâ abuterentur.

Immo si ex *tentatione* & *passione* subitâ violente contra habitum fidei, spei, amoris & obedientiæ, & contra tenorem bonæ vitæ prius actæ, suicidium perpetraretur, de talium salute non est desperandum. Tales autem tentationes & passiones summo odio habendas esse, & fugiendas, nemo sanus Christianus dubitat; Quamvis Ethnici quamplurimi etiam docti & virtuti suo modo maxime devoti aliter male judicabant.

CAP. IX.

III. *De vitâ* AMORIS *in prospectu Regni Gloriæ.*

Vita AMORIS est perfectio Regni GRATIÆ, & prægustatio Regni GLORIÆ; Ubi AMOR

I. ROBORANDUS est & augendus, *viz.*

I. RECIPIENDO Amoris Divini effusiones per Spiritum Sanctum,
  1. Parato & æquali Intellectu,
  2. Aperto Corde, & non renitente Voluntate,
  3. Attentione obedientiali,

Quibus *AMOR* quasi *nova Natura* Animo implantatur.

AMOR enim seu *Complacentia* est *primus Appetitûs Rationalis actus*, & quasi *pondus* seu Principium aliorum; & *Naturam* & *Apprehensionem* conjuncta sequitur: Et qualis quisque est, talis est ejus *Amor*. Hic igitur necessaria est *Animi Regeneratio*.

II. FUGIENDO
  1. Amorem *refrigerantia* & extinguentia.
  2. Amorem *alienantia*, & ad res indignas pervertentia.
  3. Amorem *subvertentia*, & in odium, & inimicitiam mutantia.

III. INTUENDO seu Meditando, 1. Peritè, 2. Lubentèr, 3. Seriò & frequentèr BONITATEM seu Amabilitatem Divinam; nimirum ut discernitur (ab imis ascendendo) per auxilia

I. Amoris nostri, in Bonitate Dei quoad nos; *viz.*

I. In Natura Dei, ut ad nos Relatione Rationis relatâ; *viz.* ut nobis est 1. Maximus, 2. Sapientissimus, 3. Optimus; Benignus, Amans, Misericors, &c.

II. In Relationibus Dei ad nos realibus, *viz.* ut est fœderatus
  1. Dominus Thesaurum suum curans.
  2. Rector, Justificator, Præmiator.
  3. Amicus, Benefactor, Fœlicitas.

III. In Operibus Divinis ut nobis utilibus, *viz.*

- I. Pro Corpore
  - I. Malum
    - 1. Præcavendo
    - 2. Removendo

    Viz. Morbos, Paupertatem, inimicitias, injurias, contemptum, opprobria, detrimenta, fruſtrationes, &c.
  - II. Bonum
    - 1. Conferendo
    - 2. Reſtaurando

    Viz. Sanitatem, cibum, domos, opes, amicos, honores, gradum & ſtatum convenientem, laborum ſucceſſus, &c.
- II. Pro Animâ
  - I. Bonum
    - Conferendo
    - Reſtaurando
      - 1. Commune, *viz.* Chriſtum, Spiritum Sanctum, Evangelium, Media inſtituta, &c.
      - 2. Singulare, Vitam, Lumen, Amorem, Beneficia, Caſtigationes, &c.
  - II. Malum prævertendo & amovendo; Peccatum, *viz.* Tentationes, pœnas.

II. Amoris aliorum præcipue publicæ fœlicitatis, generis humani, & Eccleſiæ: Ubi itidem 1. Natura, 2. Relationes, 3. Opera Dei, ut ad Bonum Proximorum, Eccleſiæ, Mundi, Amabilitatem ejus nobis exhibent, in quantum aliorum ſumus Amatores. Quoniam Mundus, Eccleſia, Reſpublica, &c. à Deo Bona omnia recipiunt. Ideóque ad fœliciſſimos, *viz.* Angelos & Beatos proſpiciendum eſt, ut Amor Creaturæ Amorem noſtrum erga Creatorem beneficentiſſimum faciliùs accendat.

III. *Bonitatem Divinam* intuendo *Abſolutam, ut in ſe* & ad *ſeipſum*: Quæ finis ultimus objectivus eſt Amoris creaturæ perfectiſſimæ; ut probatur, Quoniam

1. *Natura* fecit *Bonum* quà *Bonum in ſe* eſſe Amabile & Objectum Voluntatis: (Sicut nobis amabilem fecit virum *Doctum* & Bonum etiam diſtantiſſimum). Ideo inter Bona, Optimum eſt Amabiliſſimum.
2. Natura nos docet, Bonum Mundi, Reipublicæ vel plurimorum, noſtro proprio Bono præferre: Multo magis Bonum perfectiſſimum, fontem & finem omnis boni creati.
3. Amor Rationalis *æſtimationem* ſequi debet. At natura nos docet *ſapientiores* & *meliores* pluris *æſtimare* quam *noſipſos*: Ergo & *magis Amare*: At quam viles ſumus nos homunciones, præ Optimo perfectiſſimo Jehovâ!

At DEUS qui propter ſe ſumme *Amandus* eſt, non *in ſe* immediate hic, ut Ametur *Intuendus* eſt: Sed

I. In operibus NATURÆ, 1. Ut Formatæ, 2. Ut Reformatæ, 3. Ut tandem Perficiendæ; *viz.* 1. In Partibus (1. Simplicibus, Elementis &c. 2. Compoſitis) 2. In tota Univerſitate; (ut jam deſcripta). Mirabilia Creationis & Providentiæ meditanda ſunt, ut Imago Divinæ Bonitatis; & ſpeculum & cibus ad Amorem accendendum & nutriendum.

II. I. In operibus GRATIÆ Medicantis, ut Redemptionis, &c. Ubi Deus ut BONUS intuendus eſt,

1. In beatiſſimâ perſonâ Chriſti Redemptoris, Bonitatis Divinæ Speculo è cœlis demiſſo.
2. In omnibus Chriſti operibus potentiæ ſcilicet, ſapientiæ & amoris; & in Paſſione, Reſurrectione, Aſcenſione & Interceſſione, Amoris viſibilibus indicibus.
3. In Beneficiis maximis, ita paratis & collatis; *viz.* Fœdere Gratiæ, Reconciliatione, Remiſſione, Juſtificatione, Adoptione, Præſervatione, &c.

III. In operibus SALUTIS (& Gloriæ) ſcilicet,

I. Incœptæ, in Sanctificatione per Spiritum Sanctum: In ſpeculo ſcilicet
1. Potentiæ & Vitæ ſpiritualis à Deo Vivente & Omnipotente communicatæ.
2. Luminis ſpiritualis & cœleſtis, à Patre cœleſti Luminum donati.
3. Amoris Divini cœleſtis, ex Amore Deo increato accenſi.

Et 2. In horum exercitiis ad extra in operibus Pietatis, Juſtitiæ, Charitatis, Temperantiæ. 3. Et in eorum præſervatione contra inimicos & tentationes.

II. Per-

II. Perficiendæ in GLORIA promiſſâ cœleſti; ubi Fides Amabilitatem Divinam ſurſum proſpiciendo cernit, *viz.*

1. In Perfectione Beatorum hominum & Angelorum.
2. In Glorioſa perfectione Perſonæ Chriſti; In quo Divina Gloria præfulgebit in æternum.
3. In Perfectione Eccleſiæ totius cœleſtis, & Univerſitatis.

In quibus omnibus DEUS ſeipſum manifeſtans, & glorioſe effulgens in omnibus ſuis Perfectionibus (in Tab. 2. Par. 1. delineatis) AMABILISSIMUS IN SE, ſupra omnem Relativam erga Creaturas Bonitatem, Beatorum oculis apparebit.

Deus itaque perfectiſſime Amatur, cum abſolute propter ſe Amatur.

II. AMOR CONSERVANDUS eſt, *viz.* Contra triplex periculum per Remedia congrua reſpectiva.

I. Contra *Impotentiam* & *Ignaviam*, ne torpeſcat & refrigeſcat: Cujus Periculi

I. Media ſunt

I. Privativa,
1. Ignorantia, & fidei Divinæ imbecillitas.
2. Neglectus & oblivio Dei, & Communionis internæ cum Deo deſuetudo.
3. Amoris Mediorum omiſſio, aut negligentior uſus.

II. Poſitiva,
1. Opiniones & Cogitationes de Bonitate Divinâ extenuantes, hæreticæ, atheiſticæ.
2. Carnalitatis (cujus pars Ignavia eſt) ſupina & bruta indulgentia.
3. Peccata magna, & contra conſcientiam, quæ cor obdurant, aut terrores ſuſcitant.

II. Remedia ſunt vivificantes & ſuſcitantes
1. Contemplationes.
2. Preces.
3. Conciones, Lectiones, Socii.

II. Contra *Perverſionem*, ne *alienatione* à Deo deflectat: Cujus Periculi

I. Media ſunt

I. In facultatibus inferioribus
1. *Illecebræ Senſibus* præſentes.
2. *Imagines* allicientium *phantaſticæ*.
3. *Appetitus* mala conſuetudo, & effrænis libido.

II. In ſuperioribus,
1. Judicii deceptio, & corruptio, terrena nimis æſtimantis.
2. Voluntatis deſuetudo Divinorum, & conſuetudo nimis familiaris cum carnalibus.
3. Praxis Vitæ Mundana, & nimium cum voluptatibus, operibus, honoribus negotium.

II. Remedia ſunt
1. Carnem mortificare, & facultates inferiores ſuperioribus ſubjicere.
2. Rationem ſæpe & ſerio ad officium ſuum ſuſcitare: Et inde
   1. Mundana deſpicere ut in ſe; vilitatem, vanitatem, vexationes obſervando, *viz.*
      1. Naturam & uſum præſentem mundanorum perſpiciendo.
      2. Finem ſeu terminum eorum proximum & triſtem proſpiciendo.
      3. Experientiam totius humani generis præteritam reſpiciendo.
   2. Spiritualia, cœleſtia, æterna cum iſtis debitè comparare.
3. Amorem ad exercitium & omnia officia ſua indeſinenter excitare.

III. Contra

III. Contra Malignitteam, ne in *Averſationem, odium, inimicitiam* vertatur. Cujus ſunt

I. Media

I. Corruptio Intellectûs, *viz.*

I. Contra Deum; *viz.* [DEUM malum æſtimando, ſcilicet

1. Ut *Malum* ſeu *inimicum nobis* (Quod *ſontes* & *Melancholici* facile credunt.)
2. Ut *Malum humano generi*; quaſi authorem peccati, & amatorem eorum miſeriæ.
3. Et inde quaſi *Malum in ſe* (qui tantùm crudeli potentiâ pollet.)

II. Contra res Divinas, *viz.*
1. Dei *Verbum*, quaſi obſcurum, dubium, moleſtum, &c.
2. Dei *Cultum*, quaſi vanum, inutilem, oneroſum.
3. Dei *Opera*, quaſi hominibus inimica, noxia.

III. Contra Dei ſervos
1. *Publicos, Paſtores*; quaſi opus eorum moleſtum aut inane foret.
2. *Privatos*; ex eorum peccatis anſam arripiendo opprobriis & mendaciis impiorum credendi, & ut malos, hypocritas, & peſtes eos odio habendi.

II. Corruptio Affectuum
1. Per Voluptatum & honorum prohibitorum concupiſcentiam.
2. Per Reatum peccati, & conſcientiam flagitiorum. Unde mali oderunt

3. Deum ipſum
1. Sanctitatem ipſam, ut Voluptatibus ſuis contrariam.
2. Sanctos, ut ipſis in viâ Voluptatis moleſtos.
3. Deum ipſum
1. Ut Sanctum, & ſanctitatis præceptorem.
2. Ut Juſtum, & Impios & carnales punientem.

III. Corruptio Vitæ: Quando in vitiorum gurgitem homines ſenſuales ſe conjiciunt, & reatum Pœnæ ſempiternæ contrahunt, tunc optant Deum non eſſe ſanctum, non Mundi Judicem, non peccati vindicem, id eſt, revera, nullum; Et à Deo averſati, quaſi ab hoſte deſiderio aufugiunt: Et eum verè odio habent.

II. Remedia ſunt

I. Remota: *viz.* Antecedentem, 1. Torporem, 2. Et alienationem Amoris præcavere vel cito curare; quia ad malignitatem & inimicitiam tendunt.

II. Proxima:

I. Veram de Deo æſtimationem præſervare, ut de Bono Infinito in ſe, & nobis Bono.
1. Doctrina ſana de Dei naturâ ut optima amplectenda eſt, & inſana & maligna fugienda.
2. Pœnæ Divinæ non ſunt partialiter, carnaliter, privatè & falſo interpretandæ.
3. Calumniarum & Blaſphemiarum & authores & occaſiones cum odio fugiendi ſunt, *viz.*

1. Malitioſæ Diaboli & Impiorum ſuggeſtiones & maledicta.
2. Criminum Reatus; qui timorem & ſuſpicionem de Deo ſontibus incutit.
3. Paſſiones & Melancholia terrores & deſperationem inducentes.
4. Superſtitio; quæ Deum ſemper *terribilem magis* quam *Amabilem* repræſentat.
5. Spiritus ſervitutis, cum Gratiæ Evangelicæ ignoratione aut extenuatione.
6. Conſuetudo Deum colendi gemitibus tantum, quaſi terribilem, iratum & vindicem; non laudibus & gratiarum actione ut ſumme Gratioſum & Amabilem.

II. Iniquæ

II. Iniquæ de rebus Divinis ſuggeſtiones & cogitationes profligandæ ſunt, *viz.*

1. Contra Verbum Dei; Quales ſunt Infidelium, Hæreticorum, & Profanorum Calumniæ.
2. Contra cultum Dei; Qualia ſunt & Profanorum, & contentioſorum opprobria.
3. Contra Opera Dei; Quales ſunt ſontium cæcorum & impatientium murmurationes.

III. Iniquæ adverſus Dei Cultores ſinceros accuſationes non ſunt audiendæ: *viz.*

1. Accuſatio per *Alienos*, qui de perſonis & rebus ignotis temerariè loquuntur.
2. Accuſatio *ſectarum* & *factioſorum*, qui ex *partialitate* & *livore* falsò maledicunt.
3. Accuſatio *malignantium*, qui ex impietate & affectibus carnalibus ſanctiſſimos oderunt. *viz.*

1. *Alieni* & *Ignorantes*, mendacia impudentiſſima, quia creduli audiunt, prædicabunt.
2. *Factioſi*, opiniones, doctrinas & modum Dei colendi aliorum, falsò, contumelioſe & malignè depingunt; & crimina fingunt, & culpas adverſariorum aggravant.
3. *Malignantes*, falſiſſima impudente ore affirmabunt, & veriſſima negabunt; & maximam ſanctitatem & virtutes, in hypocriſin & alia vitia vertent.

Eoque magis hæ calumniæ obſirmato animo rejiciendæ ſunt: Quia

1. Cum *ſancti* videntur *odioſi*, obſcuratur Dei in illis *Imago & Gloria*; & blaſphemantur Spiritus ſancti operationes: Et ita Majeſtas Divina injuriâ afficitur.
2. *Lex Dei & ipſe Deus* accuſatur: Ipſe enim in Lege ſanctitatem præcipit, & gratiâ efficit.
3. Illi à Malignis eliguntur ad Maledicta, quos Deus dilexit & elegit ad fœlicitatem.
4. Et ita res *Diabolo gratiſſima* fit; hoſti nimirum Dei & ſanctorum.
5. Amoris Divini Scalæ gradus inferior exſcinditur, per quem ad Deum aſcendendum erat. (Dei enim Bonitas in ſanctis ut in ſpeculo hic partim intuenda eſt.)
6. Sicut Deus in Imagine ſuâ in ſanctis hic videndus eſt, ita in illis vel honoratur vel injuriâ afficitur; Et quia in ſanctiſſimis *nonnihil manet culpabile*, Diaboli & impiorum mos eſt, inde anſam arripere ſanctiſſimos calumniandi & perſequendi: Culpam enim in Crimen aggravari facile eſt; Dum Evangelium, Spiritum ſanctum, Chriſtum, Deum ipſum directe & aperte calumniis ſuis petere non audent.

III. AMOR EXERCENDUS eſt erga Deum & Cœleſtia per totam vitam, *viz.*

I. Mediatè, *viz.* exercendo Fidem & Spem (ut dictum eſt) quibus Amor exercetur.

II. Immediate, *viz.* (ſuppoſitis Roboratione & Defenſione neceſſariâ jam deſcriptis,)

I. In Genere,
1. Per Media *Potentia-vivifica* contra torporem & frigiditatem.
2. Per Media *Illuſtrantia*, ut Bonitatis Divinæ non ſimus ignari.
3. Per Media *Amatoria*, ut guſtet Cor ipſum Amorem & Benignitatem Divinam.

II. Particulariùs Amorem exercere nos oportet,

I. Ut RECIPIENTES erga Causam EFFICIENTEM, *viz.*
1. Amorem Dei Patris.
2. Gratiam Christi.
3. Communionem Spiritus sancti.

viz.
1. Cum sui Abnegatione, nos totos devotissimos Deo ut fœderatos tradere.
2. Cum totali dependentiâ à Deo precibus per Christum Spiritum sanctificantem petere.
3. Fide, Spe & Obedientiâ Sacramenta Gratiæ recipere, & aliis mediis institutis uti.

II. Ut RECIPIENTES & AGENTES sumus circa SUBJECTUM, *viz.* Nosmetipsos.

I. Antecedenter,
1. Cor præservare oportet à deceptione, alienatione, perversione, sicut dictum est.
2. Sanctitatis, Charitatis & Sobrietatis opera solertissime exercenda sunt; & Innocentia cautissime tuenda; & lauciata per fidem & pœnitentiam sananda est: Ita enim
1. Cor bene dispositum Divini Amoris influxum copiosissime recipiet.
2. Et Amorem Dei erga seipsum facillime credet; cum reatus timorem generat.
3. Et Amorem creditum cum maximâ delectationis suavitate sentiet.

II. In ipso Opere Amor suscitandus est,

I. Internè,
1. Meditatione peritâ, placidâ, seriâ & frequenti, de Dei & Cœlestium Bonitate.
2. Internâ argumentatione, objecta amabilia ad Affectus suscitandos efficacissimè adhibendo.
3. Imperio Voluntatis, Cogitationes cogendo, excitando, cohibendo, ad finem operis.

II. Externè,
I. Publicè in Ecclesiâ,
1. Conciones & Lectiones spirituales & ardentes audiendo.
2. Preces spirituales & ardentes fundendo: Præcipue Laudes Divinas & Gratiarum actiones elevato animo & fluente ore & canendo & prædicando.
3. Communionem sanctorum in Sacramentis & cæteris sacris colendo, ut specimen chori cœlestis, Jehovam unanimiter & exultantiâ purâ collaudantis.

II. Domestice, & privatim cum amicis, nos oportet
1. De Bonitate Divinâ & Cœlestibus seriò & frequenter colloqui; donec Amoris scintillæ in flammam vertantur: Et de iisdem in liberis & servis instruendis, libenter disserere.
2. Laudes Divinas cum familiâ hilariter canere; & cultûs Divini domestici partem non minimam, in *Gratiarum actione* & *Laudibus Divinis* peragere.
3. Diem Dominicum præcipue ut sacrum festum lætitiâ spirituali totum celebrare; ut typum scilicet & specimen Requiei & lætitiæ cœlestis.

III. Secretò,
1. Sacras Literas, & libros spirituali conditos Amore, & legere & meditari.
2. Præsentiam Divinam, & Gloriam & Chorum Cœlestem continuò fide intuendo, quotidianis precibus desideria sancta exercere & excitare.
3. Cultûs Divini etiam secreti partem maximam in Gratiarum actione & laudibus Divinis collocare; præcipue propter *Redemptionem*, & *Spem Gloriæ*.

III. Ut

III. Ut AGENTES ſumus circa OBJECTA Meditationis ante memorata: Quæ (etiamſi non ſine tædio eadem repeto) ad Lectoris uſum recenſere non gravabor,

I. Ad Amorem incendendum Divina Bonitas in *noſtris Beneficiis* intuenda eſt.

Ergo
1. Beneficia ea diligenter obſervanda ſunt, & non oſcitante neglectu prætereunda.
2. In Memoria & Corde penitus conſcribenda & recordanda ſunt.
3. Frequenter, opportune & ſeriò reviſenda & recenſenda ſunt. *viz.*

I. Beneficia corporalia, quamplurima, ſcilicet, jam enumerata, recordari oportet; Et

II. Spiritualia; *viz.* 1. Ante Converſionem, 2. In ipſa Converſione, 3. Poſt Converſionem.

I. Principalia; *viz.*
1. Amorem Reconciliati Patris, Qui ſumma eſt fœlicitas.
2. Remiſſionem peccatorum & pœnarum per Chriſtum.
3. Regenerationem in ſtatum Filiorum & hæredum per Spiritum ſanctum.

II. Media,
I. Primarium eſt ipſe Chriſtus: Qui datur 1. Pro nobis; 2. Nobis; poſt opera ejus præparatoria.

II. Subordinata recenſenda ſunt, 1. Fœdus Gratiæ, 2. Sacræ Scripturæ, 3. Miniſtri Eccleſiaſtici, Apoſtoli, Evangeliſtæ, Paſtores, &c. 4. Communio & privilegia Eccleſiaſtica. 5 Prædicatio Verbi & inſtructiones ſacræ, per Libros, &c. 6. Dona, Naturalia & Spiritualia. 7. Piorum conſortium privatum, & exempla. 8. Precum exauditio. 9. Proſperitas, ut & Caſtigationes, ſanctificatæ. 10. Beneficia in Relationibus, domeſticis, ſcholaſticis, politicis, &c. Quæ omnia Amoris fructus Amorem incendere apta nata ſunt.

II. Bonitas Dei erga alios ſæpe perpendenda eſt; *viz.* ut Maximum *Univerſitatis* Bonum.

1. Ut eſt *Univerſitatis Creator, Conſervator, Benefactor* & *quid Majus quam Anima.*
2. Ut eſt *Eccleſiæ Univerſalis* Benefactor, & omnis illius fœlicitatis Author.
3. Ut eſt Benefactor *Societatibus particularibus*, 1. Eccleſiis, 2. Regnis, 3. Familiis. Præcipue Societatis Cœleſtis; Cujus fœlicitas eſt Benignitatis Divinæ Glorioſa Imago.

N. Quod verus Amor proximi nos juvat ad Amorem & Amabilitatem Divinam percipiendam; Quia omnia Proximi bona, nobis facit eſſe quaſi noſtra.

III. Amabilitas Divina etiam altiſſima ſæpe contemplanda eſt; *viz.* ut eſt Eſſentia ejus & Perfectio; Bonitas Abſoluta in ſe; In creaturis quidem ut in ſpeculo diſcernenda; non autem ut *propter Creaturas Amanda*, ſed *propter ſeipſam.*

Refulgentia DEI in Creaturis dicitur ejus Gloria, id eſt, Imaginis ſplendor; Qui eſt

I. GLORIA Dei in Operibus Creationis, ab Amatore ſæpe & lubenter eſt ſpectanda,

1. Præcipuè in rerum Univerſitate; ubi ſummus eſt Creaturæ decor.
2. In Globorum ſyſtematibus; innumeris ſcilicet & vaſtæ magnitudinis, & in magnitudine, multitudine & gloriâ ipſorum Globorum cœleſtium.
3. In elemento Activo Igne; & ejus mirandâ & inſcrutabili naturâ.
4. In nobiliſſimis regionum ſuperiorum incolis, Spiritibus Intellectivis.
5. In naturâ mirabili & inſcrutabili Animæ ſenſitivæ & ſenſationis.
6. In elementis Paſſivis, Aere, Aquâ & Terrâ.

7. In mirandâ mixtorum varietate; & non minùs mirandâ virtute, texturâ, temperamento, motu & uſu uniuſcujuſque, etiam minimi.
8. In Telluris hujus materiâ, texturâ, forma, ſtatu, &c.

Ita, PHILOSOPHIA SACRA eſt Pars vera Theologiæ, Religionis & Pietatis.

II. GLORIA DEI in operibus Redemptionis, ab Amatore Dei lubentiùs ſpectanda eſt.

I. In Mediatoris ipſius, { 1. Perſonâ, 2. Operibus, { 1. Doctrinæ, 2. Vitæ, *viz.* { 1. Humiliationis, 2. Exaltatiõis, *viz.* { 1. Reſurrectiõis, 2. Aſcenſus, &c.

II. In effectis; ſæpe & per totum hunc librum memoratis.

III. GLORIA DEI in operibus Salutis & GLORIÆ, ab ejus Amatoribus maximè ſpectanda eſt.

I. In Inceptis: In operibus Spiritûs ſancti, 1. Potentiæ, 2. Sapientiæ, 3. Amoris.

viz.
1. In Vitâ Spirituali (& extraordinariò Miraculis) impotenti Creaturæ datâ.
2. In Lumine Spirituali, in ſcientiâ & fide inviſibilium.
3. In Sanctitate & Amore Spirituali, & Divinâ Naturâ inhabitante.

II. Perficiendis: In cœlis igitur, converſationem quotidianam habere debet Amator:

I. GLORIA Angelorum & Sanctorum, & Dei in illis, contemplanda eſt: Ubi

Et ibi
1. Peccatores quales jam nos ſumus.
2. Rei damnationis. Ex prole ſcilicet Gehennæ hæredes cœli redimuntur.
3. Afflicti ſicut & nos ſumus; in ergaſtulo corporis morboſi & corruptibilis, inter inimicos, tentationes, pericula, inſidias, perſecutiones, dolores, timores, &c.
4. Et eâdem viâ quâ nobis incedendum eſt, ad cœlum pervenêrunt. Eadem ſcilicet officia ab illis præſtita ſunt, ſub eodem duce, juxta eandem Regulam, per eundem Spiritum: Eoſdem hoſtes, iiſdem armis ſuperarunt; eoſdem labores tolerarunt, & vicerunt difficultates; & tandem mortui ſunt, & eorum cineres etiam hodie ſunt nobiſcum.

II. Quid Animi Beati (cum Angelis) jam I. Sunt, II. Agunt, III. Recipiunt, fide perſpiciendum eſt.

I. *Quid ſunt:* Perfectè 1. Sanctificati, 2. Reconciliati, 3. Glorificati; quoad Animam; & citò etiam in corpore erunt ſpirituali, incorruptibili, immortali.

II. *Quid Agunt*:
1. Deum clare intuentur in Cœleſti Glorià, { Quamvis poſt Reſurrectionem major perfectio ſperatur.
2. Deum ita intuitum perfectè Amant.
3. Deo Amato Obedientiâ & Laudibus perfectè ſerviunt.

III. *Quid*

III. *Quid Recipiant:* viz.
- 1. Proximam & continuam Divinæ Potentiæ Vitalis, Luminis, Amoris, Communicationem.
- 2. A Gloriosâ Christi personâ Divinitatis reflexionem beatificam; *viz.*
  - 1. A Corpore Christi ad Corporis Spiritualis Gloriam.
  - 2. Ab Animâ Christi ad Animas Glorificatas adaptatam Gloriam.
- 3. Et ab invicem ut Sociis cœlestis societatis, nonnihil Gloriæ & Fœlicitatis.

Tantum de GLORIA Divinâ in Beatorum Gloriâ contemplandâ.

II. GLORIA CHRISTI Mediatoris Hominis, ut speculum Amabilitatis Divinæ contemplanda est.

- 1. *Perfectio* ejus *Personalis* incomprehensibilis: Et miranda naturæ humanæ exaltatio, per unionem hypostaticam.
- 2. *Opus Christi* sempiternum; *viz.* Patrem summe diligere & colere; & Ecclesiam suam Glorificatam amare; & ei Gloriam suam commonstrando communicare; & Mediatorem nobis esse *fruitionis*, cum cessavit fore de facto Mediator *acquisitionis*.
- 3. Quæ à Patre & Deitate recipiet in æternum, sunt,
  - 1. Honor ob opera Mediationis & Restitutionis præstita.
  - 2. Complacentia æterna in Gloriâ & fœlicitate & suâ & Ecclesiæ.
  - 3. Plenissimus Divini Amoris, in æternum communicati Gradus.

III. Ultimate hinc inde aspicienda est GLORIA ipsius DEITATIS ut in se.

Quamvis enim Corpus etiam Glorificatum, (seu Anima quà sensitiva) Deum non potest intueri ut in se (sed tantum ut in Christo & gloria cœlorum, &c.) Utrum tamen *Animus* Beatus (Intellectus & Voluntas) Deum immediatè ut in Essentiâ Intelligere intuitive & Amare poterit, inter Theologos dubium videtur, & controversum est. At saltem in tali Creatâ vel Emanante Gloria Ipsum intuebimur, quæ dicitur *Facies Dei*, ut speculo obscuriori in statu mortalitatis oppositа.

Sed de Majestate incomprehensibili, & Lumine inaccessibili, Amator fidelis ne curiosè & audaciùs inquirat: sed animo Desiderante, Quærente, Patiente, GLORIÆ COELESTIS Promissioni CREDAT, Promissam gaudio SPERET; & Speratam Gloriam, & Promissorem & Donatorem, totis viribus, totâ mente, & toto Corde DILIGAT. Cujus est REGNUM, POTENTIA & GLORIA, in secula seculorum: Amen.

At de vita cœlesti jamjam in pluribus Tractatibus copiosiùs scripsi, *viz.*
In Tractatu de Requie sempiternâ Sanctorum.
In Tractatu de Vitâ Divinâ.
In Tractatu de Vitâ Fidei.
Et in Directorio Christiano; seu Systemate Theologiæ Practicæ.

Πᾶς τοίνυν χειστιανὸς ——Omnis itaque Christianus qui non est Fide & Spe & Charitate dives, id non est quod dicitur. Proclus ad Armen. Bibl. Patr. Græc. Lat. V. 1. p. 311. Lege p. 310. earum descriptionem.

Elucidationes

De Vitâ jucundâ Amoris.

§. 1. AMOR prout facultas seu *Virtus*, est ipsa Animæ Essentia: Est enim ejus Appetitus Rationalis, id est, Voluntas, quæ est facultas essentialis. In Actu autem est hujus facultatis essentialis modus perfectivus. VIVERE, INTELLIGERE & AMARE, sunt Actuum Immanentium Numinis Imago: Sibi Vivere, se Intelligere & se Amare, sunt Actuum Divinorum æternorum essentialium Trinitas. Deo Vivere, Deum Scire & Amare est summa creaturæ perfectio; Deum scilicet in se & in omnibus ejus operibus respectivè, quatenùs in illis se nobis videndum & amandum præbet. Et sicut *Vivere* & *Intelligere*, ita & *Amare* est animæ delicium: Immo *Amor* est *Complacentia*, seu *Delicium* essentialiter.

2. Hominis *Amor* igitur est ejus Natura: *Amor Mundanus*, *corruptus*, est Natura Mundana & Corrupta: Amor divinus & spiritualis est Natura sancta, Divina & spiritualis. Et qualis uniuscujusque *Amor* est, talis ipse est.

3. Amor Dei quidam naturalis est, (etiam Naturæ nondum reparatæ); quidam *Gratiæ* communioris est, & quidam Gratiæ specialis & salutaris. 1. Lumine Naturæ *Deum esse*, ideoque & *Optimum esse* cognoscimus: Et experientiâ edocti eum omnes fere fatentur, & Ipsis & toti mundo optimum esse. Qui autem ut *Optimus* naturæ aliquatenus notus est, ut Optimus etiam, id est, Amabilissimus inclinatione naturali aliquatenus amatur. 2. At quando revelatione supernaturali in Christo Redemptore porro Amor ejus, quamvis non adhuc efficaciter, innotescit; Christi gratiâ communiore, Amore quodam etiam communiore, nondum salutari amatur. 3. At ex Lumine efficaci Amor etiam specialis & salutaris oritur.

4. Quoniam *Amor Divinus* est Spiritûs sancti specialis progenies, ipse Amor sæpe dicitur spiritus Dei in corde habitans. Et ubi spiritus ex conditione fidei promittitur, (præter antehac dona miraculosa) *Spiritus Amoris* intelligendus est. Fide enim Amor accenditur.

5. Amoris non Actus quidam inusitatus & transiens instar fulguris, est Natura Divina & Gloriæ primitiæ; sed Habitus insitus sicut Natura animam ad Deum Divinaque incitans & accendens; instar amoris illius quem erga parentes, liberos & amicos experimur: Quamvis proh plurimis etiam fidelibus nimis tepida est & imbecillis.

6. Maxima ipsius Christi Mediationis pars est, Dei Amorem & Bonitatem nobis luculenter ostendendo, & spiritum Amoris in corda nostra effundendo, nos per peccatum inimicos, Deo per Amorem reconciliare, Deum deferentes ad Amoris Unionem reducere, ut ei Amore perfecto in æternum adhæreamus, & ipse nos Amore itidem amplectatur. Quoniam igitur Christi Sacrificium, doctrina & interceſſio, & fides in Christum sunt Amoris Divini Media, ipsis omnibus quà Mediis Amor est præstantior.

7. Fœlicitas & finis ultimus noster ex *objecto finali* & *actibus finalibus constat*. Objectum finale est *Ipse Deus*; At simul *efficiens* est: (Sicut oculo Solis influxus est & *efficiens* & *objectum*): Actus finales sunt *Deo Vivere*, *Deum intueri* & *Deum Amare*; Deum scilicet Viventem & Vivificantem, Sapientissimum & Illuminantem, Amabilem & Amorem. Amor igitur mutuus & jucundissimus est Beatitudinis cœlestis (quamvis non totalis) perfectissimus conceptus.

8. Qui maxime Deum amat igitur, is Gloriæ proximus & cœlitibus simillimus est; quibus (ni fallor) Deum summe amare est necessarium, ne dicam tam essentiale quam Soli movere, illuminare & calefacere. Nemo igitur erga gloriam

gloriam tam paratus procedit, nemo gaudia futura ita præguſtat, ac Dei Divinorumque maximus Amator.

9. Nihil igitur vere Chriſtianum eſt, nihil homine vere dignum, quod ad Amorem Divinum aut accendendum, aut conſervandum, ad augendum, *perficiendum* aut exercendum non confert. Quod utinam Chriſtiani immo Theologi mundani, ambitioſi, carnales, pugnaces, & contentioſi bene penſitarent, & penitus ſentirent.

10. Ita Amor ſincerus quamvis imbecillis ſe prodit, quòd ſi fideli daretur optio, nihil in hâc vitâ potiùs optaret & eligeret, quam Deum divinaque perfecte amare, & à Deo amari: Immo ſub hoc conceptu (non ſub carnali & falſo carnalium) Gloriam cœleſtem deſiderat.

11. Philoſophi carnalis eſt Dei opera contemplari ob ipſius ſciendi delectationem; fidelis autem ad Dei Bonitatem ibi inſpiciendam & amandam. Et Hypocritæ eſt evangelium audire, legere, meditari, preces fundere, ne à Deo perdatur, ſed mundanis fruatur; Fidelis autem, ut Dei amorem magis ſentiat, Deumque magis amet.

12. Hic igitur optimus concionandi, ſcribendi, meditandi, colloquendi, orandi modus eſt, quo Amor Divinus & cœleſtis menti optime ingeneratur aut augetur: Non ille quo homines ita terrentur ut à Deo horrentes aut deſperantes fugiant. Summum Concionatoris opus eſt Deum & Divina hominum animis in ſuâ Amabilitate vere & clare præſentare.

13. At mundanorum interim vanitas detegenda eſt, hominum deceptio medicanda, ſocordia, præſumptio & ſtupor profliganda; ne Deus ipſe Amabiliſſimus dum labiis agnoſcitur, corde negligatur. Timor quidam Amoris prodromus eſt; contra amorem autem nunquam recipiendus.

14. Non minimum igitur Militis Chriſtiani negotium eſt, ſuum animum ab omni amore illicito caſtum ſervare; ab illecebris ſcilicet divitiarum, ſenſualitatis, vanæ gloriæ, & ab amore inordinato ipſius corporis & hujus vitæ; ut hiſce victis animus divinis contemplandis & amandis fiat liber. Mortificatio mali amoris, ad divinum ingenerandum neceſſarium eſt; Revera (ſicut corruptio unius eſt generatio alterius) idem Motus eſt à Termino à quo, & ad Terminum ad quem.

15. Multùm ad Amorem augendum conducit, ejus incrementum & exercitium mediis omnibus vere intendere & conari: Cum intentione hâc excitatâ ad legendum, audiendum, orandum, meditandum ſemper accedimus: Et pro hoc præcipue oramus: Hoc enim & ipſum amorem ſuſcitaret, & cor noſtrum gratiæ divinæ capacius redderet: Et quod quis ſummopere quærit, probabile eſt ut id inveniat.

16. Nunquam hic omittenda eſt Chriſti per fidem contemplatio; Is enim eſt Amoris & Amabilitatis Divinæ ſpeculum. Et Chriſti ipſius Amor ad deſideria cœleſtium ſuſcitanda etiam ſumme neceſſarium eſt: Ejus Amoris igitur verba, opera & paſſiones S. Evangelio inſcripta, morborum ſanationes, afflictorum conſolationes, & perditorum miſerationes & liberationes & pœnitentium receptiones, animi oculis ſemper obverſentur.

17. Cœli etiam ipſius & Gloriæ Imago S. Literis deſcripta, animo penitus imprimenda eſt; Ibi enim Dei Bonitas & Amor pleniſſime & glorioſiſſime ſplendent: Ibi igitur fide quotidie proſpiciendi ſunt: Et ſicut per ideas placentium Amor communis abſentium alitur (Amicorum, patriæ, domûs; immo ſenſualibus cibi, potûs, mulierum, &c.) ita & cœleſtis Jeruſalem in ſua Imagine aut Ideâ, animo inſculpenda eſt, ut Amor cœleſtis inde accendatur & alatur.

18. Niſi ſtatus cœleſtis fide præviſus nobis cogitantibus jam fiat jucundus, vix ſperandum eſt ut illud bene cupiamus, aut ut placide moriamur: Jucundum eum nominare, & non jucundum eum ſentire, non animum alliciet, & illuc elevabit. Et quis ad locum aut ſtatum non jucundum & vere amatum, (niſi à miſeriâ majore ad minorem) migrare vellet?

19. Sicut

19. Sicut qui ſub radiis ſolaribus aut ad ignem diu morantur calefiunt, ita & qui apud Deum per Chriſtum piis precibus, meditationibus & obedientiâ morantes ejus ſpiritum expectant, amore maxime perfuſi ſunt, & experientia quadam & ſenſu ſpirituali Deum & Divina amabilia jucundaque percipiunt.

20. Odio habendæ ſunt & fugiendæ ſeu fugandæ ex Diaboli tentationes, quibus Dei Bonitatem & Amorem aut negare conatur aut obſcurare: Et omnes illæ cogitationes quæ malitiæ huic ſerviunt.

21. Qui ſummâ ſinceritate & devotione abſolutâ ſe totos Deo dedicant, & ejus voluntati totaliter ſtudent, & in operibus pietatis, & Charitatis ſuum tempus, facultates & ſua omnia impendunt, neque labores, neque ſumptus, neque perſecutiones male fugientes, & non ex humana approbatione aut laude, ſed in acceptatione & amore Divino per Chriſtum ſuum præmium expectant, hi plerumque Amorem Divinum & vitæ futuræ gaudia, ſupra alios omnes præguſtare ſolent; ex ſenſu ſcilicet Divini amoris, & ex præmii arrhabone ſeu inceptione.

22. Amor autem Divinus, & Dei Amoris ſenſus, inter omnia Dei dona ut maximum, ita & maxime ſupra vires humanas agnoſcendum, & ab ipſo Spiritu ſancto expectandum & petendum, & fideliſſimâ obedientiâ ab ipſo quærendum eſt. Quamvis enim nihil lumine naturæ clarius eſt, quam Deum optimum ſumme amandum eſſe; nihil tamen naturæ obtenebratæ & corruptæ magis difficile, quam Deum ſumme amare: Tanto errore tenentur qui ſolum Intellectum obcæcatum, non autem Voluntatis malignitate ſeu inimicitia depravatum ſomniant.

23. Amor divinus autem circa Imaginem & opera ejus hic exercendus eſt: Et ſicut in ſpeculo ſpectandus ita & amandus eſt: Et quamvis peſſime & hæreticè à nonnullis aſſeritur, Deum non aliter niſi in hominibus & viſis amandum eſſe, & omnes ſalvandos fore qui homines quà homines amant, quamvis de Deo nihil cogitent; tamen ab Apoſtolo & ipſo Chriſto edocti ſumus Dei amorem in hominum amore exercendum eſſe; Præcipue quidem at non ſolum piorum, ſed ſecundo etiam omnium. Et revera ſi homines dulcem Amorem, Pacem, Concordiam & Beneficentiam inter ſe colerent, hic Mundus cœleſti adeo ſimilis eſſet, ut (ſicut Adamo, in Paradiſo) gaudia cœleſtia hic facilius deguſtarentur: Jam vero ex ſuperbiâ, & malitiâ homo homini non tam lupus quam Diabolus eſt; indeque Mundus diſcordiâ, bello, oppreſſionibus, rapinis, & perſecutionibus adeo fluctuoſus, turbidus & miſer factus eſt, ut Gehennæ fere ſimilis videtur: Quum regnante amore, pace & beneficentiâ homo homini quaſi Angelus, & cœleſtis benignitatis nuncius eſſet: Et proculdubio qui pietate, amore & ſuavi concordiâ, Dei nomen ſanctificant, Dei regnum promovent, & ejus voluntatem facere conantur in terris ſicut fit in cœlis, hi cœleſtis naturæ maxime ſunt participes, ideóque plerumque & cœleſtis gaudii.

24. Qui igitur communionem cœleſtem hic cupiunt, ut domi, civitates, Eccleſiæ & Regna ſtatui cœleſti fiant ſimillima, hi precibus & molimine omnimodo conentur: Tum ex parte agentis enim, tum ex parte objecti, hoc plurimum ad cœleſtem converſationem conducet. 1. Ex parte agentis: Quia qui ex Amoris habitu vitam amoris erga omnes, & præcipue optimos ſemper agit, is animum amore dulcoratum & ei aſſuetum poſſidet, quo facilius cives cœleſtes amabit, & influxus cœleſtes dulciſſimos percipiet. 2. Et ex parte objecti: Quia ſocietates amantes, concordes, pace dulci degentes, & omnibus charitatis operibus ſeſe mutuò delectantes, adeo amabiles erunt, ut facile actus & habitus mutui amoris excitabunt; & adeo cœleſti civitati ſimiles erunt ut ejus quaſi ſuburbia & Imago videbuntur, unde facilius cœleſtium daretur conceptus, & ad chorum beatorum tranſitus. Cum Boetio igitur ſuſpirare decet, *O fælix hominum genus; ſi veſtros animos Amor, quo cælum regitur regat!*

25. Dia-

25. Diaboli igitur cœli hominumque inimici primum opus est, Christum Amoris restauratorem oppugnare, in singulorum animis amorem extinguere, & è domibus, civitatibus, ecclesiis & regnis, amorem extirpare: Quod effi it, inordinatum sui-amorem privatum, & inde corporalium, divitiarum, imperii, honoris & voluptatis amorem accendendo, & inde horum gratia inimicitias adversus alios, contentiones, rixas, & oppressiones incitando & alendo. Inter alia autem nil magis efficaciter hæc præstat quam *Superbia* & *Avaritia*: Mundana quippe non omnibus sufficiunt; ideóque de iis occupandis & retinendis ubique invidiosè contenditur. Et cum *Voluntas* hominis lapsi sibi ipsi Dei loco statuitur, aliis etiam omnibus Idolum fieri cupit: Omnes ei se subjicere & in omnibus submisse obedire peroptat: Quod quicunque recusat, quasi rebellis & hostis æstimatur. Hinc Leges Ecclesiasticæ circa doctrinam, cultum, disciplinamque divinam, iniquæ & non necessariæ, fiunt laquei animarum, discordiæ fere immedicabilis machinæ, & amoris extinguendi, ecclesias, civitates & Regna lacerandi, confundendi & misere corrumpendi instrumenta nimis efficacia: Neque liberationis & medelæ nisi è cœlis spes ulla mundi societatibus affulget.

26. Quanquam vero fere incurabilis videtur mundus, tum infidelium, tum hypocritarum, in unoquoque tamen vere fideli Amor Divinus & humanus regnant. Et quibus Amor & pax à malis denegatur, hi tamen suum erga alios Amorem & pacem tutos servare & exercere possunt: Et quanquam mundus in iniquitate fœdatus jacet, electorum tamen sanctitas, & Amor eos invicem amabiles reddunt. Unde Communio Sanctorum in Amore fervido colenda est: Ubi quasi in Amoris Academiâ Amorem cœlestem discere oportet. Et communionis hujus (sicut & Divinæ) sicut Fidei Unitas est initium, ita *Amor* & *Amoris exercitia* sunt partes perfectivæ: Neque ulterius vera *Sanctorum Communio colitur*, quam se invicem amant & in Amoris exercitiis vivunt.

27. Duo igitur in Communione Ecclesiasticâ cavenda sunt: 1. Ne ex disciplinæ corruptione Ecclesiæ fiant prophanæ, fœdatæ & mundo vix dissimiles, & ita minus amabiles & amantes. 2. Et ne ab aliquibus fidem profitentibus longius quam oportet fugiamus, aut Amorem & Amoris opera illis denegemus. Quibus & tertium addendum est, ne hypocritice Communionem sanctorum in meram formalitatem & externorum concordem observationem vertamus, & ita ejus Imaginem solam colamus. Hæc omnia animo cœlesti sunt adversa, & appetitum animæ corrumpunt, ne dulcedinem gloriæ speratæ prægustaret.

28. Soliloquia quibus de cœlestibus nobiscum rem agitamus, & argumentis efficacibus sæpe & serio res æternas affectibus nostris ingerimus, multum valent hisce excitandis, & ad dulcem Amoris Divini sensum non parum conducunt. Quibus mediis & quomodo hæc soliloquia agenda sunt, in Lib. Angl. de *Requie Sanctorum* plenius jam explicavi.

Res tota autem ipsâ Tabulâ hic clare & copiosè expositа, non frustra pluribus est amplificanda.

Qu. 1. *Qualis nobis viatoribus cum Beatis Angelis habetur communio?*

Resp. I. NEgative: 1. Nihil Deo proprium eis ascribendum est, neque ab eis expectandum.

2. Non templa illis ædificanda, nec altaria illis erigenda: Hæc enim Idololatriæ symbola sunt.

3. Neque eis (nisi visis) orandum est, 1. Cum scimus eos non esse omnipræsentes, omniscientes aut omnipotentes, nescimus quando præsentes sunt aut quando nos audiunt. 2. Nescimus etiam quis sit Angelus qui præsens est, si præsentiam alicujus indefinite sciremus. 3. Neque ullum nobis à Deo datum est præceptum hujusmodi orationis, neque exemplum ullum, neque vel

vel minima intimatio hoc Deo placiturum esse. Sed è contra non pauca in S. Literis inveniuntur, quæ ab ausibus hisce nos deterrerent.

4. Neque ut ipsi pro nobis orent, orandi sunt. Neque ad hoc enim Dei verbum ullum nos adigit: Et eorum officium melius ipsis notum est quam nobis, qui pauca de Spirituum operibus intelligimus: Fideliter autem procùldubio id præstabunt.

5. Neque cum quibusdam temerarie præsumendum est, qui Angelum quendam singularem Patronum & Protectorem sibi aut rebus suis eligunt: Quasi Angelos de nomine, eorumque præsentiam noscèremus? aut nobis concessum esset nobis Angelum patronum eligere, & ei nolenti-volenti hoc onus imponere: aut quasi consensus ejus nobis notus sit?

6. Neque fingendum est nos scire quisnam ille singularis Angelus sit, qui nobis à Deo protector assignatur.

II. Affirmative: 1. Sine dubio credendum est bonos Angelos nobis superiores esse & meliores: Et ex officio nostri quodammodo curatores, & ex Amore Dei & nostri Amicos & benefactores; In bonum quippe nostrum vigilant: in manibus suis nos quasi sustentant; & ut Christi ministri à periculis nos protegunt: Regnis, Ecclesiis, domibus & personis singulis Electis à Deo ministri conservatores statuuntur, & adversus spiritus malignos aliqualiter nos defendunt. Et quamvis dicendum non est unumquemque fidelem unum Angelum custodem habere sibi soli proprium (Unus quippe Pastor oves plures potest custodire) fidelium tamen minimus suum Angelum habet custodem, qui Patris nostri cœlestis faciem conspicit.

2. Corporibus nostris etiam corporea auxilium & solamen præbent; spiritus autem etiam spiritibus nostris benefaciunt. Et quamvis Deus Spiritus sanctus illuminationis, sanctificationis, consolationis & roboris nobis causa primaria est, dubitandum tamen non est etiam Angelos sui ministros in opere hoc suo loco nobis inservire; & non solum corporis nostri custodiæ aut usui esse deputatos.

3. Quomodo autem & in quantum cogitationes nostras perspiciunt, & in mentes humanas operantur, & comprehendere nobis impossibile, & scrutari nec utile nec tutum.

4. Illis autem non auscultandum est qui [per *Spiritum sanctum* fidelibus datum,] in sacris literis semper aut plerumque Sanctos Angelos intelligi dicunt; eosque *Unum* dici ob summam Unitatem, sicut multi Diaboli numero singulari [*Diabolus*] passim vocitantur: Altiora enim de Spiritu sancto in Sacris Literis non raro dicuntur, quam generi Angelico conveniunt aut de iis dici possunt: Quamvis negandum non est Sanctos Angelos [*Dei Spiritus*] & fortasse alicubi [*Dei Spiritum*] in Sacris Literis esse nominatos.

5. Quomodo loca illa S. Scripturæ & Patrum intelligenda sunt, quæ de bonorum Angelorum Belligeratione adversus Diabolos loquuntur, in vita futurâ clarius sciemus.

6. Quamvis homines magis familiariter scimus quam Angelos, quia tamen Angelos hominibus scimus esse meliores, Deique & bonorum magis amatores, & universitati utiliores, à nobis igitur plus quam homines præstantissimi sunt amandi.

7. Et quoniam ministris benefactoribus sub Deo & laudes & gratiæ debentur; Angeli igitur ut optimi Dei benefactoris nostri Ministri à nobis sunt laudandi, iisque sub Deo gratiæ habendæ sunt & agendæ: Caute tamen & caste, divinum nihil illis quippe tribuendum est.

8. Angelis tamen individuis hæ laudes & Gratiarum actiones dirigere non possumus, sicut nec preces, ex rationibus jam dictis: Nescimus quippe quis & quando nos audit: Non quid illis (saltem singularibus) sed quid *de illis* dicendum est jam loquor: Corde autem gratiæ etiam absentibus sunt habendæ.

9. Animo etiam fideli ſolamen, & ſpei auxilium ab Angelorum poteſtate, officio, amore, miniſterio aſſumendum eſt. Non quaſi Deus ſolus toti mundo haud ſufficeret, aut Angelorum miniſterio in fidelibus ſervandis indigeret: Sed quia mundi fabricator & gubernator in operibus ſuis eorumque officiis gaudet, & cauſis ſecundis quas ordinavit, ad fines ſuos uti decrevit: Ideoque mediorum præſtantiſſimorum donatio & præſentia, ſolamen nobis præbent, & fiduciam roborant, quia in illis amorem & beneplacitum Divinum percipimus: Sicut qui amicos & cibum habent, Dei voluntatem de eorum vita conſervanda facilius percipiunt, quam qui fame morituri ſunt. Et ita quaſi ex ſignis mediiſque beneficentiæ Divinæ, ex Angelorum amicitiâ fidelium animi tum proſperitate viventes, tum decedentes ſe plurimum erigere & ſolari poſſunt. Et peſſime à quibuſdam timetur ne quod juſte Angelis, Sanctis, aliiſve mediis tribuitur, à gloria Divina derogando furatum ſit: Deus enim in operibus ſuis gloriatur, & in illis glorificatur: Nec mundum aut creaturam ullam unquam creaverat, ſi earum uſus & laudes in vituperium Creatoris cederent, aut à gloria ejus derogarent. Sicut in operum ſuorum ſpeculo Deum novimus, ita in operibus ejus eum laudamus & glorificamus, & in mediorum dignatione & uſu ei fidimus.

10. Mihi quidem ſolamen eſt in doloribus & laboribus, ſicut Dei imprimis, ita & ſub Deo Angelorum præſentiam, notitiam, amorem, curam & potentiam credere & recordari: Et jam diu dubio procul judic vi, piorum ſolamini plurimum deeſſe, quia Angelorum Communionem obliviſcuntur; & dum Papiſtarum ſuperſtitionem devitant, Solamen ſuum neceſſarium negligunt.

11. Immo vitæ ſanctæ proculdubio non minima pars eſt, cum Angelis amorem, & communionem colere: Vita ſancta enim & jucunda eſt vita cœleſtis, quâ in beatorum quaſi conſortio fide, ſpe & amore vivimus: Et ſi converſatio noſtra in cœlis eſſe debet, proculdubio cum Angelis eſſe debet: Cœleſtis etenim ſocietatis præſtantiſſima membra ſunt: Et ſicut ad civitatem Dei viventis, cœleſtem Hieruſalem, &c. veniſſe dicimur, ita & Angelorum innumerabilem multitudinem, Heb. 12. 22, 23. Nec dies, nec hora nobis ſupereſt, in quâ non nobis cum Dei Angelis negotium eſt. Præſto ſunt nobis in periculis: Sacris cœtibus adſunt: In tentationibus nobis auxilio ſunt, & aut victoriæ & fidelitatis, aut peccati & perfidiæ noſtræ teſtes. Præſentiam eorum revereri nos oportet: Dormientibus nobis ipſi vigilantes ſunt præſidio: Quando Deo obedimus, & à peccatis pœnitendo vere reſurgimus, gaudent, Luc. 15. 10. Et tandem animas decedentes ad manſiones cœleſtes miniſterio & comitatu ſuo dirigere non dedignantur. Quantum igitur amoris, quantum gratitudinis ſanctis Angelis debemus?

12. Sicut etiam amicis & ſuperioribus placere nobis jucundum eſt, ita & Dei Angelis placere ſtudendum eſt; eoque magis quoniam ipſis nihil placet niſi Deo ſumme placere, & nobis ipſis & aliis benefacere.

13. Angelorum etiam ſancta & alacris obedientia, puritas, & amor ut exemplar nobis proponitur ad imitandum: Ut voluntas enim Divina fiat in terris ſicut in cœlis, quotidie orandum eſt, ideoque & conandum.

14. Ubi notandum eſt præpotentes Angelos nullam hominibus Legem ut ſuam condere, ſed Legem Divinam ſolam promulgare, ejuſque obſervationem ſummopere promovere. Et quamvis Leges quædam humanæ ſunt utiles & neceſſariæ, in tantum tamen hoc exemplum imitandum eſt, quod Reges & Paſtores hoc maximum ſui officii opus eſſe judicare debent, Leges Divinas conſervare, & reverentiam & obedientiam debitam illis & adhibere, & à ſubditis ſuis quantum in ipſis eſt, modis omnibus procurare: Neque Leges ullas condere eis aut decet aut licet, niſi quæ Legibus Divinis ſunt debitè ſubordinatæ & ſubſervientes; aut explicatoriæ, aut applicatoriæ, aut circumſtantias Dei Legibus Generalibus non determinatas, juxta Leges illas determinantes; Nedum inanes aut contrarias, & contra Dei Gloriam, aut Leges pugnantia ſtatuere.

15. Et quamvis Magistratibus, & Ecclesiæ Pastoribus, sicut & Parentibus honor debitus exhibendus est; Nil tamen aut postulandum aut dandum est, quod aut Dei proprium, aut ejus honori aut voluntati contrarium est; sicut Angeli adorationem & omnem hujusmodi cultum respuunt.

16. Angelorum etiam ministerium quoddam fidei fulcrum est, dum cœlestis eorum consortii spes clariùs inde affulget, quòd nobiscum hic tam amicam colunt communionem, & curam nostri diligentem gerunt.

17. Fide igitur sicut Deus, Christus & Gloria cœlestis, ita & cœlites, beati scilicet Angeli & justorum spiritus semper prospiciendi sunt: Et quia fide magis quam ex visu fidelibus vivendum est, quasi in Angelorum & beatorum consortio nobis conversandum est, & erga illos cogitationes nostræ nec rarò nec gravatè dirigendæ, & ab illorum communione præsente & futurâ, solatii non parum hauriendum est.

Qu. 2. *Qualis nobis mortalibus cum Animis justorum separatis adhuc communio est?*

Resp. NOn plene dignoscitur: Hæc tamen nota fiunt. 1. Ejusdem capitis (Christi scilicet) membra sumus, ejusdemque ecclesiæ universalis; sicut & Deo itidem per Christum dilecti.

2. Eodem Spiritu sancti Amoris imbuti sumus, tenuiter scilicet, quo illi gradu perfectiore.

3. Ejusdem Gloriæ candidati sumus & hæredes, cujus illi sunt possessores.

4. Sicut eundem principium, ita & eundem finem habemus vivendi (quamvis non æque cognitum aut amatum) Gloriam scilicet Divinam & ejus Voluntatis impletionem & complacentiam.

5. Mutuo Amore sumus adunati: Animæ quippe beatæ utpote nobis meliores & perfectiores, nos magis amant & nobis sunt amabiliores, quam mortales peccatores & imperfecti.

6. Fidelitatis, sanctitatis & constantiæ sua exempla imitanda nobis reliquerunt.

7. Qualia pro nobis officia jam præstant, nobis haud liquido patet: Probabile tamen est, quoniam Angelis dicuntur similes seu æquales, & mundum judicaturi, quod cum Angelis hujus mundi aliqualem exercent curam & gubernationem.

8. Sanctorum igitur defunctorum Animæ non sunt aut ita deplorandæ aut oblivione sepeliendæ, quasi nullum nobis cum ipsis negotium supereſſet: Plurima enim circa ipsos officia nobis incumbunt. 1. Fœlicitas earum Glorioſa fide prospicienda est. Sicut Christum ascendentem aspicientium oculi persequebantur, & Stephanus eum glorificatum in cœlis aspexit, ita & oculo fidei & Christum & suos jam glorificatos quasi intueri quotidie oportet: Cum sanctorum millibus redibit, & in sanctis fidelibus glorificabitur, 2 Thess. 1. 9, 10. Fide scilicet cernendum est, 1. Ubi sunt & quibuscum: In cœlis; cum Deo, Christo, Angelis; in civitate cœlesti: Joh. 12. 26. Phil. 1. 23. 2 Cor. 5. 7, 8. 2. Quibus fruuntur, Luc. 16. 25. 3. Quid agunt: Deum vident, amant, laudant, Mat. 5. 5, 8. Rev. 4. 8. & 6. 10. 4. A quibus malis ibi liberantur: Ab ergastuli hujus morbis, concupiscentia & inquietudine: Ab animi peccatis, ignorantiâ, timoribus, doloribus, & periculis: Non inimicorum, non mortis, non Satanæ, non gehennæ, non iræ Divinæ timore cruciantur; nullis aut curis aut laboribus anguntur, neque mœstitiâ vel pœnis fatigantur: Nullis Satanæ, carnis aut mundi tentationibus aut malitiâ periclitantur. Et ad animos nostros confirmandos etiam recordandum est, quod omnibus hisce iisdem malis nuper circundatæ erant animæ hæ beatæ, quibus fatigati nos jam laboramus: Corpora habuerunt corruptibilia, ægrotantia, inimicos, tentationes, timores, labores, difficultates, imperfectiones, peccata; A quibus ut liberantur, ita & nos liberabimur.

5. Memo-

5. Memoriâ etiam tenendum eſt, nobis eadem ſalutis media donata eſſe, per quæ beati fœlicitatem obtinuerunt: Eandem habemus capacitatem Naturæ: Eundem habemus Deum Patrem miſericordem & amantem: 1 Cor. 12. 5. Eph. 4. 5, 6, 7. Eundem Chriſtum Mediatorem: 1 Cor. 10. 3, 4. & 3. 11. Heb. 11. 26. Eandem vitæ regulam, eaſdem promiſſiones; eundem Spiritum: 2 Cor. 5. 13. 1 Cor. 12. 4. Rom. 8. 9. 1 Joh. 3. 24. Ejuſdem Eccleſiæ, ſanctorum, conſortium, preces, miniſtrorum auxilia: 2 Cor. 12. 18. Gal. 1. 7, 8. & 6. 16. Act. 2. 39. Rom. 4. 13. 2 Tim. 4. 8. 2 Theſſ. 1. 6. Mat. 28. 20. Eph. 4. 13, 16. Eadem fidei & amoris opera præſtanda: Act. 10. 35. Heb. 11. Eccl. 12. 13. Eadem Dei miſericordis beneficia nobis præſto ſunt, Pſal. 145. 5, 18. & 86. 5. Et idem cœleſte regnum nobis præparatum eſt, Joh. 17. 2, 3. & 3. 16. & 17. 20.

6. Porro cogitandum eſt, eaſdem illos difficultates ſuperaſſe, quæ à nobis ſuperandæ ſunt, 1 Pet. 5. 9. Heb. 11. Eaſdem viciſſe tentationes, eoſdem exantlaſſe labores, eoſdem toleraſſe dolores, & tandem per eandem mortis januam ad cœlum aſcendiſſe, & eorum cadavera pulverizata adhuc reſurrectionem expectant: Quanta animarum multitudo in regiones cœleſtes jam diu proſpere migravit? præ quibus quantillus peccatorum numerus nobiſcum hic pauliſper inter peccata & ærumnas contabeſcit?

7. Male igitur aut mortuorum obliviſcimur, aut eorum ſortem ſolum deploramus, quaſi Animæ etiam defunctæ vel annihilatæ eſſent, aut nullam cum illis communionem amplius haberemus. Ad eorum exemplum quippe ſæpe retroſpiciendum eſt, & ad eorum gloriam quotidie fide proſpiciendum: De eorum fœlicitate gaudendum eſt; & magis adhuc Deum ipſum in eorum perfectione, amore & gloria glorificari, & complaceri: Quandocunque in Deo amando, laudando, colendo exercemur, ſancta ambitione mentis oculos ad beatorum perfectionem attollere debemus, & fervide precari Dei nomen glorificatum iri, Dei regnum advenire, & Dei Voluntatem fieri, in terris, ſicut & in cœlis: Et eorum ſanctitas ut exemplar nobis aſpicienda eſt; ne impie cum malis Deum contemnamus, aut tepide & tantum ore & genu tenus cum hypocritis eum colamus. Et ſicut ad noſtrum ſolamen memoriâ tenendum eſt, ejuſdem civitatis nos eſſe concives, & ejuſdem perfectionis & gloriæ cohæredes & candidatos, ita & eorum erga nos Amorem grato animo ſuſcipere debemus, (nos enim ſanctius quam nos hic invicem diligunt); & quia ejuſdem ſumus corporis membra, eoſque ſaltem ſicut noſmet diligere debemus, Deo igitur propter eorum gloriam gratias & habere & agere nos oportet.

8. Plurima nobis ex hac parte converſationis cœleſtis commoda expectari poſſunt. 1. Fides noſtra de inviſibilibus & gloriâ cœleſti exercitio hoc magis confirmabitur. 2. Spes Gloriæ ex proſpectu jam glorificatorum roborabitur. 3. Amor cœleſtis & gloriæ deſiderium hinc magis accendentur. 4. Contra omnes difficultates utpote ſuperabiles animi noſtri fient fortiores. 5. Ad omnes pietatis exercitia & labores fiemus magis alacres. 6. Obedientiam Dei mandatis conſtantius præſtabimus, & tentationes facilius vincemus. 7. Mala omnia gratia juſtitiæ toleranda, & omnes hujus vitæ ærumnas facilius patiemur. 8. Multos providentiæ effectus hinc rectius exponemus. 9. Ad altiores ſanctitatis gradus quotidie aſpirabimus. 10. Majore gaudio totum opus iterque hoc temporarium tranſigemus. 11. Communionem ſanctorum cultumque Divinum honorabiliorem & ſanctiorem præſtabimus. 12. Et tandem mortis timorem facilius ſuperabimus, & mortis ſententiam lætiore vel ſaltem æquiore animo recipiemus.

9. Plurima igitur adſunt argumenta quibus ad hanc cum beatis communionem excitaremur. 1. Scilicet ex Amore Dei & Chriſti, ejuſque Gloriæ. 2. Ex amore beatorum. 3. Ex amore totius Eccleſiæ. 4. Ex amore noſtri. 5. Ex amore ſanctitatis. 6. Ex odio peccati. 7. Ex corporis hujus infirmitatibus & doloribus, & ærumnarum onere & tædio; ab omnibus hiſce argumenta validiſſima hauriendæ ſunt, unde ad converſationem hanc cœleſtem & delectabilem proſequendam moveremur.

10. Quo autem in eorum vestigiis incedentes ad eandem fœlicitatem tandem perveniamus, hæc sequentia fideliter præstanda sunt: 1. Finis idem sincere intendendus est. 2. Dux idem (Christus & Spiritus sanctus) eligendus & sequendus est. 3. Eadem Regula (Lux naturæ & S. Scripturæ) observanda est. 4. In eadem societate (Ecclesiâ universali & sanctorum communione) nobis commorandum est. 5. Eidem Promissioni Divinæ fidendum est. 6. Iidem Articuli fidei (essentiales saltem) credendi sunt, & Fidei & Amoris Unitas summopere conservanda. 1 Cor. 1. 10. Phil. 3. 16. Rom. 16. 17. 7. Eadem Spiritus sanctificantis dona exercenda. 8. Eadem peccata odio habenda & fugienda sunt. 9. Iidem inimici vincendi sunt, eædemque tentationes. 10. Eadem mala patienter toleranda sunt. 1 Pet. 4. 1. &c. Heb. 6. 11. &c.

11. Superstitio autem in mortuis colendis devitanda est. 1. Neque Dii æstimandi sunt, neque cultus aliquis Deo proprius illis exhibendus est. 2. Templa ad illorum honorem non sunt ædificanda aut dedicanda. 3. Preces illis non sunt effundendæ. 4. Supra nostra negotia non à nobis curatores sunt constituendi, neque ut sciamus quis nostri curator sit, à Deo petendum est. 5. Neque quasi in peccatis, in periculis aut miseriâ jam sint, eorum liberatio à Deo petenda est.

12. Et licita & debita quadam magnâ cautione sunt præstanda, ne in scandalum aut aliud malum cedat, *viz.* 1. Quando pro corporum eorum Resurrectione & gloriæ perpetuitate precamur. 2. Quando exempla & facta eorum laudamus, ne non laudanda laudemus, aut non necessaria inde nobis necessaria esse fingamus. 3. Quando ob eorum erga nos amorem & beneficia gratias agimus, ne cultum indebitum eis exhibeamus. 4. Quando eorum preces generales pro Ecclesiæ bono agnoscimus, ne nimis particulares eas esse fingamus. 5. Quando generales eorum preces Deum accipere oramus, ne metas revelationis Divinæ in modo & mensurâ transgrediamur. 6. Ne eorum ossa, cineres, aliasque reliquias superstitiose colamus, & miracula per ea præstita esse falsò fingamus. Hisce & talibus devitatis communio nostra cum justorum spiritibus sancte colenda est.

Meditationes practicæ in Phil. 3. 20. *Conversatio nostra est in Cœlis.*

§. 1. INter impios & sanctos discrimen hoc insigne hic & alibi ab Apostolo notatur, quod *thesaurus*, *cor*, *conversatio* impiorum est terrestris & sensualis, at sanctorum cœlestis & spiritualis; v. 18, 19, 20. Matth. 6. 19, 20, 21. Rom. 8. 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13. Col. 3. 1, 2, 3, &c. 1 Cor. 4. 16, 17, 18. & 5. 1, 3, 8, 9. Et inde malorum sapientia dicitur *terrestris*, *sensualis*, *Diabolica*, Jacob. 2. 15. ut à sapientiâ quæ à superis est, distinguitur.

§. 2. Non pauci nomine tenus Christiani se misere decipiunt, cum loco cœlestis hujus animi & conversationis, salvandos esse se sperant, vel per doctrinæ cœlestis inefficacem aliqualem notitiam, lectionem, prædicationem, &c. vel in opinionibus de hisce orthodoxis, vel quia aliorum errores odio habent, & insectantur: vel quia ecclesiæ alicui quam purissimam putant se jungunt; vel quia cultûs formam quam optimam putant Deo offerunt; vel quia ex hisce & talibus se vere Christianos esse præsumunt. Quum tamen sine *fide*, *mente* & *conversatione cœlesti* hæc omnia frustra quoad salutem peraguntur.

§. 3. Hæc omnia nomen πολίτευμα comprehensive significat: 1. *Unionem* cum societate cœlesti, seu incorporationem; quæ fit visibiliter per baptismum, invisibiliter & revera per spiritualem regenerationem: Joh. 3. 3, 5. Eph. 2. 19. Heb. 11. 10, 16. & 13. 14. & 12. 22.

2. *Proximitatem*

2. *Proximitatem*, quâ communionis cœlestis simus capaces, Heb. 12. 22. Et revera à Deo & cœlitibus haud longe absumus: In ipso enim vivimus, movemur & sumus; & quasi per scalam Jacobi Angeli descendunt, nosque cum illis ascendimus: neque plurium dierum aut horarum iter fidelibus morientibus hinc ad cœlos est.

3. πολίτευμα includit etiam thesaurum, domum, & proprietatem in societate cœlesti posita. In eodem quasi civitate res omnes nostræ locantur, Matth. 6. 20. Phil. 4. 19. Eph. 3. 16. & 1. 7. Ibi est sanctorum hæreditas in lumine.

4. Significatur hoc nomine nostrum opus & negotia esse maxime cum cœlitibus, cum Deo scilicet, Angelis & Sanctis, Heb. 4. 12, 13. Inter illos, cum illis, & propter illos, majora habemus quotidie transigenda, quam cum omnibus hujus mundi incolis.

5. Significatur etiam cœlites esse nostri *socios*, & in eorum societate & communione nos degere, 1 Joh. 1. 3, &c.

6. Includitur etiam Amor socialis, 1 Pet. 3. 8. & 1. 22. Cives enim sibi invicem chariores esse oportet quam peregrinos.

7. Obedientia etiam voluntaria civitatis Legibus includitur, sine quâ nemo civis est.

8. Ad mutuam etiam defensionem combinatio includitur: Et Dei quidem & Angelorum protectione tuti sumus.

9. Cives suam prosperitatem in civitatis prosperitate quærunt; & non separatam.

10. Immo ut bonum publicum civitatis suæ bono præferant, verè civium est: Nè incendio aut bello urbs pereat, hujus & illius domus diruenda est: Ideóque ut sanctificetur Nomen Dei, ut Regnum ejus adveniat, & fiat ejus Voluntas, ut in cœlis ita & in terris, ante privatum cujuscunque commodum quærendum est.

§. 4. Porro ad conversationem cœlestem hæc requiruntur: 1. De Deo, Christo, Spiritibus & gloriâ cœlesti aliqualis verus & efficax conceptus. 2. De veritate vitæ & gloriæ futuræ vera fides. *viz.* 1. Quod existit: 2. Quod anima utpote immortalis ejus capax est. 3. Quod per Christi meritum & intercessionem acquiritur. 4. Quod sub conditione fidei (seu fiducialis gratæ acceptationis) per fœdus gratiæ donatur. 5. Quod omnis verè fidelis est quoad jus hujus hæres. 6. Quod post mortem fidelium animæ, post resurrectionem autem tum animæ tum corpora erunt hujus possessores.

§. 5. Requiritur etiam ut fiduciali electione & consensu hanc Gloriam ut veram portionem & fœlicitatem nostram accipiamus.

§. 6. Item ut spe verâ illam expectemus, Tit. 1. 2. & 2. 13. & 3. 7.

§. 7. Item ut desiderio summo & diligentiâ eam quæramus.

§. 8. Et ut omnia alia ad illam referantur, & in usu ut media ad illam æstimentur; & *Sanctitas Jehovæ* omnibus sit inscripta.

§. 9. Item ut nil-contrarium non ut vile æstimemus, & omnia ut simum abjicere parati simus, quo regnum cœleste obtineamus.

§. 10. Ut summa animi contentatio & maxima nostra gaudia, non à terrenis carnalibus, sed à spe hujus gloriæ cœlestis præsumantur.

§. 11. Denique ut oppositiones carnis, mundi & diaboli vincamus. Hæc omnia ad cœlestem conversationem sunt necessaria.

§. 12. Hujus autem gratiæ gradus diversi fidelibus donantur. Qui fortiores scilicet & optimi sunt Christiani, hi conceptus habent rerum cœlestium clariores, 2 Cor. 4. 6. Fidem etiam firmiorem, Rom. 4. 20. Joh. 6. 69. 2 Cor. 5. 1. Fiduciam item, contentationem & animi pacem jucundiorem; Majorem suæ sinceritatis & salutis certitudinem, 2 Tim. 4. 8. Majorem in omnibus conatibus alacritatem, diligentiam & constantiam; Mundanorum etiam usum sanctiorem, & illecebrarum majorem contemptum, peccatorum majus odium, cogitationum cœlestium majorem proventum, & ad eas promptitudinem; Mortem minus timent;

ment; Dei visionem avidius cupiunt, & de Gloria cœlesti & Christi adventu familiaritate magis jucunda cogitant, 1 Pet. 1. 8. & 4. 23. Mat. 5. 10, 11. Ad hunc autem sanctitatis gradum proh nimis pauci ascendere videntur.

§. 13. Ad conversationem hanc cœlestem in hisce sequentibus necessaria est directio: I. Ut conceptus nostri de spiritualibus invisibilibus recte formentur: II. Ut certi simus de Vitæ futuræ veritate: III. Ut cogitationes nostræ circa cœlestia prompte exerceantur: IV. Ut de cœlestibus cogitantes debite afficiamur: V. Ut cœlestia quærentes certò ea obtineamus: VI. Ut alios ad eandem vitam & fœlicitatem perducamus, &c.

Qu. 1. *Quomodo juste de cœlestibus, id est, de Animâ nostra & Spiritibus,* 2. *De Deo,* 3. *De corporibus glorificatis,* 4. *De cœlesti gloriâ, conceptus nostri sunt formandi?*

Resp. I. DE *Animis* & *Angelis*; Primò *perceptione intimâ supra-sensibili* animæ nostræ *Actus* unusquisque percipit, scilicet, *Vivere, sentire, intelligere, velle*; etiam qui hos definire nescit. 2. Ex *Actibus* facile *Potentias* colligimus: Nihil enim id facit quod facere non potest. 3. Ex *Actibus* & *Potentiis Substantiam* colligimus. Potentia enim seu *virtus* est rei alicujus *Potentia* seu *Virtus*. 4. *Substantiam* autem hanc *Virtuosam* esse nobis *invisibilem* experientiâ satis constat. Hinc igitur liquet, *Animam esse substantiam nobis invisibilem virtute vitali, sensitivâ, intellectivâ, volitivâ, motivâ præditam*: *substantia* est conceptus fundamentalis; *Virtus* seu *Potentia* jam descripta est *Conceptus formalis*, seu *Differentia specialis*: Sicut per actus *Movendi, Illuminandi* & *Calefaciendi* de Igne concipimus, *viz.* quod est *substantia virtute formali movendi, illuminandi, calefaciendi* prædita. Ita etiam & de Animâ.

2. De aliis autem Spiritibus ex analogiâ nostri concipimus. Sed de hisce jam sæpe dictum est.

II. Quoniam Animæ nostræ ad Dei Imaginem factæ sunt, & Deus jam ut in speculo & ænigmate tantùm noscitur, *de Deo* igitur ex *Analogia item Animæ nostræ* concipiendum est, (infinitâ inter Creatorem & creaturam distantiâ semper agnitâ) De Deo igitur concipere fas est, ut de ANIMA MUNDI INFINITE MAJORE:] scilicet si de *Anima tua* ex *Actibus* ejus concipere possis, ex similitudine cogita de *Totius Mundi Animâ*, & inde concipe Deum esse *infinitè quid Majus*. 1. Deus sicut Anima est Invisibilis. 2. Sicut Anima corpus animat, vivificat, agit, gubernat, ita & Deus Mundum. 3. Anima simplex indivisibilis, est Dei simplicis imago. 4. Anima sub Deo sui corporis est fabricator (instrumentalis): Deus autem est Mundi fabricator principalis. 5. Anima vivit pereunte corpore: Et Deus ante mundum, & si mundus periret. 6. Corpus quamvis vile ab animâ Amatur: Mundus itidem à Deo.

At Anima est pars hominis, & cum corpore personam individuam constituit: Deus autem non est pars alicujus, neque cum mundo ut parte unum aliquod constituit. 2. Anima mundi si daretur, esset formaliter finita, quia *mundus finitus* est: At Deus est Infinitus: Non igitur ut *Anima Mundi formaliter* concipiendus, sed per ejus Analogiam ut *Infinite Major*. Ut [*Spiritus scilicet æternus, infinitus, Vita, Sapientia, Voluntas*; *Creator omnium, Conservator, Gubernator, &c.*] de quibus ante li. 1. cap. 2. dictum est. Et sacræ Literæ Deum nominant, ut ENS fundamentaliter, ita & *Vitam, Lucem* & *Amorem*. Et juxta has suas similitudines de Deo concipiendum est.

III. De corporibus glorificatis concipiendum est, ut *Glorioſis* & *Spiritualibus*, id est, Spiritibus similibus, & eis maxime adaptatis.

IV. De

IV. De ipso cœlo glorioso concipiendum est, 1. Quod est opus Dei Glorioſiſſimum cujus ipse Christus Homo, Angeli & omnes glorificati pars sunt: 2. Quod Deus ipse in illo glorioſe visus, est summa cœli Gloria (An extra omnes creaturas immediate videbitur, nescio) 3. Quod cœlites ipsi perfecti erunt, & perfectè Deum videbunt, amabunt, laudabunt, perfectè in eo gaudentes. 4. Quod totus glorificatorum cœtus in perfectâ unione & harmoniâ hæc præstabunt & hisce fruentur.

Qu. II. *Quomodo simus certi hanc gloriam possidendam esse?*

Resp. DE certitudine Vitæ æternæ hic pauca tantum dicenda sunt, quia in libris tribus (1. *Christianæ Relig. Rationes*, 2. *Infidelitas Irrationalis*, 3. *Sanctorum Requies* dictis) rem jamjam copioſe explicavi. Breviter autem jam monendum est,

1. Quod qui ad cœlos oculos attollit, & spatia immensa cœlestia prospicit, dubitare vix potest, quin incolæ ejus immensitati & gloriæ sunt congrui.

2. Qui ipsam naturam humanam contemplatur, facultates scilicet ad Deum quærendum, amandum, laudandum, & futuram fœlicitatem sperandam, &c. adaptatas, quod frustra hæ facultates, hæc natura, factæ sint, ratione sanâ & clarâ is credere vix potest.

3. Qui Deum generis humani Rectorem, per media moralia, id est, Leges & Judicium, simulque eum justum, sanctum, sapientem & optimum agnoscit, quin præmiis & pœnis vitæ futuræ sua judicia exercebit, nisi ratione refragante haudquaquam is opinabitur.

4. Qui mundum humanum *spe* & *timore* rerum futurarum, de facto gubernatum esse considerabit; facilè credet Deum Max. Sapientiſ. Opt. hisce ad homines decipiendos non egere, neque de facto per mendacia mundum regere.

5. Qui Evangelii Revelationes supernaturales, cum atteſtationis Divinæ *evidentiis* pensitabit, ut earum veritatem is credat & fas est & neceſſarium; & consequenter ut vitam æternam credat.

6. Qui Evangelii & Spiritûs sancti effectus, id est, animarum illuminationem, vivificationem, & sanctificationem, & ad Imaginem divinam earum renovationem bene novit, facilius is vitam sempiternam credet, cum divinas hasce operationes, ad cœlestia nos ducentes, & gloriæ primitias, is perceperit. Testimonium quippe Sp. sancti percipit.

7. Qui Satanæ & malorum inimicitias contra doctrinam, spem, vitamque cœleſtem, bene considerabit, & bellum *Christi* & ejus exercitûs, contra Satanam & ejus turbam de hominibus salvandis, aut perdendis, pensitabit, faciliùs is præmia futura & pœnas agnoscet.

Considerationibus hisce plurimum sustentatur fides futurorum; In quibusdam autem *fortior*, in quibusdam debilior est: Quotidiano autem exercitio, & deceptorum resistentiâ, per gratiam Sp. sancti sperandum est ejus incrementum. Testes sunt Opera Creatoris, Redemptoris, Sanctificatoris.

Qu. III. *Utrum ipsæ affectiones seu passiones animæ ut circa spiritualia & cœlestia exerceantur, conandum est. Et quomodo circa illa debite afficiamur?*

Resp. QUæstionis hujus occasio est nova quorundam doctrina, asserentium, per sensibilia sola affectiones seu passiones posse suscitari: Spiritualia autem ejus naturæ esse, ut solius Intellectus & Voluntatis, non autem affectionum aut sensus alicujus interni, esse possint objecta. At 1. Sensus exteriores ab exterioribus quidem moventur; at interiores etiam per cogitationes & Volitiones: Neque solum per cogitationes de sensibilibus, sed etiam de spiritualibus, *viz.* de Anima ejusque fœlicitate, de Angelis, de Deo; etiam de futuris, & præteritis, immo negativis. Intellectus enim & Voluntas agendo movent facultates inferiores, ipsosque Spiritus, & membra exteriora. Experientiâ omnibus satis constat, quod de spiritualibus audiendo, legendo, meditando, timore, amore, desiderio, gaudio afficimur: Si de modo dubitemus, de re ipsâ nemo potest dubitare: Ipsum esse-Cognitum & Volitum est objectum satis congruum affectionum. 2. Cum nullus Animæ actus hic tam pure Spiritualis invenitur, quo Spiritibus animalibus non utitur, ipsâque facultate sensitivâ, non mirum est si per cogitata sensus interni afficiuntur. Præcipue quando Spiritualia per sensibilium analogiam intelligimus. 3. An fallor, an sensus ab animâ intellectuali multi nimium distinguunt. Ejusdem animæ facultates sunt sensus & intellectus. Et inferiora in superioribus aut formaliter aut eminenter continentur: Et ipsa Intellectio cum Volitione, sunt eminenter sensationes. Nulla datur Volitio quæ non sit proprie *Complacentia:* Qualis autem est illa *Complacentia* quæ nullam dicit *affectionem? Placeri, amare, gaudere,* nobis affectiones animæ significant: Qualem vero Communionem cum Deo hic sperandam cogitare possumus; aut qualis erit æterna fœlicitas in perfectâ Communione cum Deo & sanctis, ubi nulla daretur affectio? Quid est amor, quid gaudium, quod non est affectio? Etiam Deus ipse dicitur *Amor:* Quid ni & *Anima Amor* dicatur? Ex Spiritualibus igitur Cogitatis & Volitis, sanctas affectiones excitare, & possibile est & necessarium: Non enim res ipsæ, immediate & in se sunt objecta affectionum, sed rerum imagines, conceptus & Volitiones in animâ, quæ sunt composita potius quam pura spiritualia.

Hoc tamen semper notandum est: Non ex passionum fervore gratiæ sinceritatem esse judicandam; sed ex *æstimationis, fidei* & *consensûs* firmitate.

Ad Quæstionem igitur secundam, *Resp.* 1. Qui vividas sentire velit affectiones, ut fidem claram & firmam is servet necesse est: Ex vacillante enim per dubitationes fide, affectuum torpor aut tepor cor invadit.

2. Ad affectus excitandos medium efficax est seria & frequens Meditatio; Quâ scilicet res maximæ probè considerantur, & argumenta valida ad usum hunc per soliloquia seriò adhibentur, & meditans sibi ipsi quasi fervide concionatur.

3. Vivaces concionatores, socii & libri, qui spiritualia spiritualiter & vividè tractant, sanctas affectiones multum suscitant; Præcipuè autem laudes divinæ & preces sacræ & omnis cultus divinus, in communione sanctorum reverenter & seriò celebratus.

4. Plurimum etiam affectiones excitat mortis seria expectatio, & brevitatis hujus vitæ justa apprehensio. Proximitas enim rerum ad affectiones plurimum conducit; distantia autem, ideóque vitæ longioris expectatio, eas hebetat.

5. Adversus curas, cupidines cæteraque carnales affectiones ut muniamur & cautè vigilemus necesse est.

6. Per scalas bonitatis creatæ, & vestigia Amoris divini sensibilia, ad invisibilia ascendendum est; & per præsentia & sensibilia affectus nostri ad cœlestia sunt elevandi.

7. Non solum de Majestate & Omnipotentia Divinâ, sed de Bonitate (Amore & Amabilitate) utpote ejus Majestati & Omnipotentiæ coæquali, sæpissimè

ſæpiſſimè meditandum eſt; præſertim ſicut in Gloriâ cœleſti nobis & omnibus beatis communicanda eſt. Amor enim & Amabilitas magis affectus alliciunt, quam Potentia & Majeſtas. Sed de hiſce alibi copioſius (Lib. Angl.)

Qu. IV. *Quid nobis agendum eſt, quo cogitationes noſtræ facilius circa cæleſtia exerceantur?*

Reſp. 1. SI præcedentia obtineantur, hoc citiùs obtinebitur. De rebus maximis, optimis, & noſtris, iiſque penitus creditis & amatis facile cogitamus. Cogitationum pondus ſunt æſtimatio & affectiones.

2. Meditatio eſt cogitationum exercitium: Per hanc igitur ex propoſito diligenter exercendæ ſunt.

3. Conciones, librique ſpirituales ad cogitandum de ſpiritualibus nos ſuſcitant, & ad cœleſtia quaſi manu ducunt.

4. Nè divitiis, aut voluptatibus amor noſter corrumpatur, ſumme cavendum eſt: Divinorum enim amore anima deſtituitur, quæ amore carnali & mundano occupatur.

Qu. V. *Quid agendum eſt quo hæreditatem cæleſtem certo obtineamus?*

Reſp. 1. SIncere credenda eſt; ſumme æſtimanda, volenda, eligenda, & fœlicitati carnali vere & practice præferenda.

2. Divina Voluntas in rerum naturâ & ſacris Literis revelata, ut norma fidei, morum & ſpei ſincere recipienda eſt.

3. Chriſto Mediatori, Salvatori, Doctori & Duci, ut noſmet ſincere devoveamus neceſſe eſt.

4. Spiritui ſancto, illuminatori, ſanctificatori, conſolatori fideliter obediendum eſt.

5. Non ſeorſim, ſed in Unione & Communione corporis Chriſti, id eſt, totius Eccleſiæ, ſpiritualis vita inſtituenda eſt. Et religionis modus iſte malitioſus & contentioſus devitandus eſt, qui ſapientiam ſequitur iſtam quæ inferna eſt, terreſtris, ſenſualis, diabolica, Jac. 3. 15, 16.

6. Diabolus, Caro & Mundus utpote Chriſti & gloriæ cœleſtis inimici reſiſtendi ſunt & ſuperandi. Nunquam peribit qui ſincere hæc præſtat.

Qu. VI. *Quid agendum quo alios ad vitam cæleſtem perducamus?*

Reſp. 1. DE veritate, amabilitate & poſſibilitate Gloriæ cœleſtis ab ipſis poſſidendæ convincendi ſunt.

2. Itemque de Vanitate rerum mundanarum, earumque brevitate; de tentationum ſeductione periculoſâ, de malignitate peccati, & pœnarum divinarùm in impios gravitate.

3. Exemplo vitæ ſpiritualis & jucundæ per ſuaſores ad cœleſtia quærenda ſunt ducendi.

4. Infirmis ſcandala & impedimenta non ponenda ſunt, ſed amovenda: Præcipue 1. Illecebræ ſenſualitatis, avaritiæ & ſuperbiæ: 2. Doctrinæ periculoſæ, hæreticæ: 3. Morum malorum exempla. 4. Circa proprietatem mundanorum lites. 5. Schiſmata, contentiones & rixæ circa res fidei & religionis; non-neceſſariæ ſingularitates, oppoſitiones, cenſuræ, & alienationes. 6. Multò magis aut populi, aut Superiorum aut Doctorum, irriſiones, mala exempla, & perſecutiones.

Qu. VII. *Quænam doctrinæ ut vitæ cœlesti maxime contrariæ rejiciendæ sunt?*

Resp. NOn omnes hic hæreses pernicioſæ enumerandæ ſunt: Summe autem deteſtandæ ſunt, 1. Quæ fidei Divini regiminis, Animarum Immortalitatis, & promiſſionum Divinarum Veritati impugnant; & quæ à Chriſto fundamento nos removere conantur.

2. Quæ animarum ſeparatarum dormitionem afferunt; quaſi Deus potentias eſſentialiter vitales & intellectuales fruſtra ſuſtentaret.

3. Judaica prædicatio & expectatio fœlicitatis nimium terrenæ.

4. Ignis purgatorii aſſertio: Vix enim poſſibile eſt quin Ignis cruciantis ſeria expectatio animos humanos à vitæ futuræ deſiderio & jucundâ meditatione procul arceat: Quis carnalis voluptatis, immo paupertatis & infœlicitatis terrenæ vitam, igni crucianti non præferet? Qui mundo huic adhæret animus, mundanus eſt: Cruciatûs autem futuri timor huic mundo animum adhærere coget; & ſerviles & mere timidos potius quam amantes faciet Chriſtianos.

Qu. VIII. *Siquis de Vitâ futurâ ſe omnino incertum profiteatur, at certum de Perfectione & Gubernatione Divinâ, hominemque fidem, amorem, gratitudinem & obedientiam ſummam Deo debere, ideóque Deo obediendo ſe verè devoveat, de præmio vero & gloriâ cœleſti incertus,* ſe Divinæ tamen voluntati committit, *Utrum hic ſalvabitur & gloriam hanc ignotam obtinebit?*

Reſp. 1. DE ſalute ſuâ nullam ſaltem certitudinem habere poteſt: Qui enim de Gloriæ ſeu ſalutis hujus exiſtentiâ incertus eſt, ſalutis propriæ certitudinem habere non poteſt. At de proximi tui ſalute te certum fieri, cujus ipſe neceſſariò incertus eſt, tuâ quidem non intereſt. 2. Qui de vitâ futurâ incertus eſt, ut de Chriſti & Evangelii etiam veritate incertus ſit, neceſſe habet. 3. Ut judicium ſit mere in æquilibrio vix ſupponendum eſt. 4. Qui gloriam cœleſtem neque amat neque quærit, neque peccati illecebris mundanis eam ſincere & practice præfert, (ſi adultus ſit) eam poſſidendi neque jus habet neque aptitudinem: Sin autem eam ſaltem *Probabilem eſſe* non judicet, quòd eam tamen ſincere amaret, quæreret, aut mundanis omnibus voluptatibus præferret, haud probabile mihi videtur. 5. Quæcunque autem ſeu *poſſibilitatis*, ſeu *probabilitatis*, ſeu *certitudinis* fides, ad amorem hunc ſpiritualem, ſpem, diligentiam & contrariorum rejectionem valet, ad ſalutem etiam ſempiternam eadem valebit. 6. Hic autem *Apprehenſionis fiducialis vivacitas*, non minùs neceſſaria eſt quam evidentia objectiva: Et ſpecialis Spiritûs ſancti operatio non minus notabilis eſt, cum vividum excitat amorem & deſiderium etiam per *probabilitatis* fidem, quam cum tepide tantum amamus & conamur, certitudinem tamen agnoſcentes objectivam. Fides enim non ſemper fortiſſima eſt, ubi nulla percipitur ratio dubitandi; neque ſemper quæ objective & extenſive magna eſt, etiam *intenſive* in *actu* efficaciſſima eſt. In hoc fortaſſe vivida apprehenſio *meræ poſſibilitatis* ad animæ ſanctitatem magis valere poteſt, quam in illo quædam frigida apprehenſio certitudinis. 7. Plerumque tamen *Lux*, *Amor* & *Vivacitas* ita conjunguntur, ut qui veritatis *evidentias optimas* percipit, etiam *optime* eas exercet & percipit; & qui clariſſime veritatem percipit, is maxime bonitatem diligit, & fortiſſime contraria vincit. 8. An Ethnicorum ſpes dubia vitæ fœlicis futuræ (qualis Antonini, Senecæ, & major Ciceronis, &c. fuiſſe videtur) ad veram ſanctitatem & ſalutem in aliquibus valeat, certo ſcire noſtrâ parum intereſt; & alibi quæſtio hæc tractatur.

Qu. IX

Qu. IX. *Quid autem de iis sentiendum est, qui Gloriam futuram quidem credunt, de eâ autem rarius & breviter tantum cogitant, fideliter tamen vitia vitando & bene agendo eam quærunt & Deo serviunt, vitæ activæ, non autem contemplativæ sese addicentes?*

Resp. 1. AD salutem maxime refert, non tam *quot*, quàm *quales* sint cogitationes nostræ de vitâ cœlesti? Scilicet, an ex fide sint efficaces ad sanctum amorem, desideria, conatus, obedientiam & patientiam. 2. Quandoquidem verò non nisi ex præmii & vitæ futuræ prospectu fiduciali efficaces hæ cogitationes oriuntur, toties de fine cogitandum est, quoties mediorum necessitas hoc postulat: Quò talis nimirum intentio finis (beatitudinis futuræ) exerceatur, qualis ad ejus amorem, & ad oppositа rejicienda necessaria est. 3. Non omnes ad meditandum æque habiles sunt, aut à rerum mundanarum avocationibus æque liberi: Servis & egenis non licet tantum temporis in contemplando plerumque impendere, quantum licet hominibus conditionis liberioris. 4. Finis *intentio* quædam actualis adeo profunda est & minùs sensibiliter observata, ut merus habitus à quibusdam (male) dicitur, cum tamen facultates ad Media necessaria efficaciter dirigit & suscitat: Sicut viator finem itineris intendens, viam rectè & festinanter carpit, quamvis cogitationes ejus magis sensibiles seu observatæ plerumque circa res obvias exerceantur. Ita etiam cœlestem beatitudinem vere in animi profunditate intendens, pleraſque tamen suas sensibiliores & quasi exteriores cogitationes, in res sensibiles & præsentes fortasse impendat. 5. Quibus tamen per avocationes necessarias otium meditandi non deest, quanto magis sancto amore cœlestium imbuuntur, tanto enixiùs ad cogitationes spirituales tum de patriâ tum de viâ eorum animi propendent. Et si talis de gloria cœlesti aut rarò aut vix omnino cogitet, quando cogitandi opportunitas non deest, deesse huic spiritualem amorem seu appetitum certum est. 6. Omnibus autem vere fidelibus (quamvis non æquè) tum contemplatio tum obedientia & diligentia activa sunt necessariæ: Quibusdam autem diutius meditandum, quibusdam verò parcius; at diutiùs agendum. Cum verò operum magis utilium ad Dei gloriam & hominum salutem adest opportunitas, meditandi necessitas non est contra ista prætendenda.

Qu. X. *Anne laudabile est ab operibus secularibus seu corporeis abstinere, aut saltem ea minuere, ne Meditatio aut affectio cœlestis impediatur?*

Resp. 1. NOn avide nimis aut affectibus incitatis negotia mundana peragenda sunt, nec sine debito respectu ad res cœlestes ut finem. 2. Labor autem corporeus moderatus & ordinatus à Deo ipso præcipitur, & obedientiæ nostræ pars est, ideoque medium ad præmium obtinendum: Et dum obedienter circa opera hæc Divina versamur, in iis Divinas perfectiones contemplemur, & quasi per scalas hasce ad cœlum ascendere possimus: Circa sola cœlestia aut spiritualia versari, nobis in viâ & inter sensibilia hic locatis, neque licet neque possibile est. Mediorum etiam infimorum, non rejectionem, sed usum, finis amor requirit. Et non tantum servus ille qui hero in cubiculo astat, sed & iste qui remotiùs in agris & negotiis infimis ei servit, accipitur & mercedem recipit. 3. Per labores etiam, non tantum corporum nostrorum salus, & ad officia sua aptitudo conservanda est, sed & aliorum egestas sublevanda & reipublicæ bonum promovendum est. Ex hisce ad sequentem quæstionem respondetur.

Qu. XI. *Nonne bonorum operum dignitas seu meritum inde minuitur, cum corporibus solum eleemosynis, &c. benefacimus? Nonne vilescunt propter materiæ vilitatem? ideoque negligenda? & in spiritualibus solis charitas exercenda?*

Resp. 1. ESse nostrum ad *bene-esse* præsupponitur: In viâ autem *esse-compositum* habemus: Ex anima scilicet & corpore consistimus: Hæc fabrica igitur Divina conservanda est. Ideóque in *Precatione Dominica Panem quotidianum* à Deo petimus, ante *Peccatorum Remissionem* & à tentationibus & malis præservationem; quia *accidentia* sunt *Subjecti accidentia.* 2. Bona corporalia pauperibus communicanda sunt, non tam propter se, quam propter finem spiritualem & cœlestem, tum recipientis tum *donantis*, ad quem sunt media à Deo ordinata. 3. Ideóque ad finem hunc beneficia collata semper sunt aptanda, & bonum aliorum spirituale corporali semper præferendum: Et quantum in nobis est, eorum sanctitas & fœlicitas cœlestis præcipue promovenda.

Qu. XII. *Nonne igitur contemnendæ sunt divitiæ, & neque nobis neque Liberis nostris parandæ, quia sola cœlestia æstimanda sunt, à quibus per divitias plurimorum animi avertuntur?*

Resp. 1. DIvitiarum & omnium voluptatum carnalium amor inordinatus conversationi cœlesti est maxime contrarius; ideóque maxime fugiendus. 2. Neque nobis neque liberis nostris divitias ad carnales cupiditates adimplendas, aut Deo & gloriæ cœlesti non vere servientes, aut petere aut appetere licet: Neque liberis nostris illecebras & tentationes fortissimas, aut velle aut studio parare fidelem sapientem decet. 3. At divitiæ sanctificatæ sunt divini amoris pignora, quibus & ipsi servire, & aliis benefacere possumus: Nostri igitur est animi moderatione & submissione, labores nostræ vocationis diligenter peragere, Dei benedictionem petere, & quæcunque nobis & liberis nostris ex ejus benedictione proveniunt, ut fini nostro ultimo, bono publico & Dei gloriæ inserviant, ei animitus & practice devovere.

Qu. XIII. *An cum conversatione cœlesti consistat timor mortis & cupido diutius hic vivendi?*

Resp. 1. NOn tam *ubi esse*, quam *quid habere maxime velimus*, primo inquirendum est: Potiùs ut de animæ *statu* quam ut de *loco*, de cœlesti beatitudine cogitandum est: Qui perfectam Sanctitatem & Dei fruitionem maxime & supra omnia exoptat, hic vere cœlestem fœlicitatem exoptat. Mortem tamen naturæ inimicam, peccati pœnam quà talem, ut idem fugiat necesse est; & si nos imperfecti eam nimium timeamus, non mirum est. 2. Quoniam verò in cœlis tantum desiderata perfectio & fœlicitas expectandæ sunt, oportet fideles summo conatu illorsum tendere & aspirare, & sursum corda elevare, & propter Gloriam Divinam ibi beatis splendentem, etiam locum glorioſum summe diligere, eique inhiare. Et quo fortior erit fides, eò magis mortis timor superabitur, & corporis amor inordinatus deponetur.

Qu. XIV. *Anne ad conversationem cœlestem opus est, ut ita semper vivamus sicut morientes inveniri exoptamus?*

Resp. 1. IN nullo animæ statu secure aut negligenter manere nos oportet, in quo morientes inveniri non audeamus. Affectiones carnales & mundanæ, superbia, socordia, impietas, & omne peccatum, eo magis fugienda sunt, quo morientibus (nisi stupidis & valde malis) pœnitenda & nociva apparebunt. Tremendum valde est, vel unâ nocte in eo statu dormire, in quo si moriaris, miserrimus peribis in æternum. Nihil igitur agendum est, quod moriturus sapiens egisse nollet. Hora omnis ita impendenda est, sicut sapienti morituro optime placebit: Ad omnia media eligenda, id est, ad actiones vitæ omnes dirigendas, finis ultimus semper serio prospiciendus est. 2. Non tamen eædem actiones semper sunt præstandæ, in quibus jam moriturus mallet inveniri: Qui certò sciret se hodie moriturum, opera mundana forte omnia negligeret, & in precibus & meditationibus diem ultimum impenderet. Quod tamen per totam vitæ curriculum facere, neque opus est, neque licet.

Qu. XV. *Cum plurimi vel per ignorantiam, vel curas mundanas, vel ex cerebri imbecillitate, vel morbosâ melancholiâ, methodice aut diutius meditari non possint, ne fortè fiant maniaci, an conversationis cœlestis, quæ cogitando utplurimum peragitur, hi capaces sint?*

Resp. 1. UBi deest capacitas, seu facultas naturalis, actionem nemo expectabit; Sicut infantes, delirantes, &c. ita & melancholici ultra potentiam agere non possunt. 2. Qui autem meditari non potest methodice & prolixiùs, invisibilia tamen & cœlestia potest credere, amare, sperare, quærere, & omnia contraria præ illis contemnere: Radicales seu profundæ cœlestium intentiones, cum mediorum fideli electione & usu, & cogitationibus ad hasce intentiones & hunc usum necessariis, conversationem vere cœlestem constituunt. 3. Ad altiorem tamen sanctitatis gradum magis seriæ, frequentiores, & jucundiores meditationes animum attollunt. 4. Cum æterna fœlicitas sit objectum cogitationis omnium jucundissimum, non animorum crucians & perturbans, dolores melancholicos potius mederi quam inferre suâ naturâ apta est Cavendum solummodo est ne falsæ de eâ conceptiones, vel methodus aliqua perversa, vel conatus ultra vires nimius, negotium jucundum in molestum male vertat.

Qu. XVI. *Quanam de Gloriâ cœlesti Meditandi Methodo conversatio cœlestis efficacissime exercenda est.*

Resp. QUoniam volumine satis spisso hanc methodum linguâ vernaculâ descripsi, ad illum Lectorem jam remitto, ne eadem repetendo memet & illum fatigarem.

Qu. XVII.

Cu. XVII. *Quomodo hoc opus fæliciter peragendum est ?*

Resp. 1. FIdes primo & præcipue confirmanda est. 2. Assidue eadem exercenda est: Præcipue in spe fovendâ & Amore cœlesti susscitando, & laudibus hymnisque tum privatim tum in sacris cœtibus Deum alacriter celebrando: quo Gloria non tantum creditur sed prægustatur. 3. Vitæ divinæ inimici fideliter resistendi sunt; V. g. Illecebræ Mundanæ & carnales; superbia, diffidentia, reatus peccati, erronei timores, desperatio, & omnes ad easdem tentationes. 4. Nostra omnia huic fini absolute devovenda sunt. 5. Non obiter, sed ut totum totius vitæ negotium, hoc prosequendum est. 6. Non citra familiares, & jucundas de Deo & Gloria cogitationes in conatibus nostris subsidendum est. 7. In revelatis & certis spes figenda est, & secreta Deo relinquenda, ipsique de ignotis implicite fidendum est; ne de illis nos frustra & male turbando, maximorum & certissimorum delicias amittamus.

Tabulam ipsam ut satis claram sine Elucidationibus Lectoris studio relinquo.

Dictorum Summa.

Eph. 4. 6. Unus DEUS & PATER omnium, qui est { Super omnes vel (omnia) & Per omnes (vel omnia) & In omnibus vobis.

1 Joh. 5. 7. Tres sunt qui testantur in Cœlis, PATER, VERBUM & SPIRITUS; & hi Tres sunt Unum.

Matth. 28. 19. Ite & Docete omnes gentes, Baptizantes eos in nomine PATRIS & FILII & SPIRITUS SANCTI.

1 Cor. 12. 4, 5, 6. Donorum sunt differentiæ, sed idem SPIRITUS.
Differentiæ sunt Ministeriorum, sed idem DOMINUS.
Differentiæ Operationum sunt, sed idem est DEUS, agens omnia in omnibus.

1 Cor. 6. 20. An ignoratis——neque Vos esse vestri juris: Nam empti estis precio: Glorificate igitur Deum in Corpore vestro & in Spiritu vestro, *quæ sunt Dei.*

Psal. 10. 16. Deus est REX in secula seculorum.

Joh. 20. 17. Ito ad Fratres meos, & dic eis, Ascendo ad PATREM Meum & PATREM Vestrum, ad Deum Meum & Deum Vestrum.

Ezek. 18. 4. Omnis Anima *Mea* est.

Joh. 13. 13. Vos me vocatis, Magister & Domine; & bene dicitis; sum enim.

Joh. 15. 15. Vos autem dixi Amicos.

2 Cor. 13. 14. { Gratia Domini Jesu Christi, Et Amor Dei, Et Communicatio Spiritûs sancti, sit cum omnibus vobis, Amen.

Mat. 22. 37. Diliges Dominum Deum tuum { Ex toto Corde tuo, Et ex tota anima tua, Et ex tota mente (vel cogitatione) tua.

Act. 27. 23, 24. Angelus Dei, *Cujus sum (ibi Dominium) & cui servio (ibi Imperium)* dixit *Ne timeas*——Deus tibi dedit eos omnes, &c. (*ibi Beneficentia*).

2 Tim. 1. 7. Non dedit nobis Deus Spiritum formidinis, sed (1.) POTENTIÆ, (2.) AMORIS, (3.) Et SANITATIS MENTIS (vel sapientiæ sobriæ practicæ.)

1 Tim. 1. 5. Finis Mandati est AMOR { Ex puro Corde, Et Conscientia bona, Et fide non simulatâ.

Act. 26. 18. Te mitto ut aperias oculos eorum, & convertas à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum, ut Remissionem peccatorum, & sortem inter sanctificatos accipiant, per fidem quæ est in me.

Rom. 8. 29, 30. Quos præscivit etiam prædestinavit conformandos Imagini Filii sui: Ut is sit primogenitus inter multos fratres. Quos vero Prædestinavit, eos etiam Vocavit; & quos Vocavit, eos etiam Justificavit; Quos autem Justificavit, eos etiam Glorificavit.

Tit. 2. 11, 12, 13, 14. Illuxit Gratia illa Dei salutifera omnibus hominibus: Erudiens nos, ut abnegata impietate & mundanis Cupiditatibus, Temperanter & Juste & Pie vivamus in præsenti seculo: Expectantes beatam illam Spem, & illustrem illum Adventum Gloriæ magni illius Dei ac servatoris nostri, Jesu Christi: Qui dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni transgressione Legis, & purificaret sibi ipsi populum peculiarem, zelotem bonorum operum.

Rom. 8. 33, 34. Deus qui Justificat: Quis est qui condemnet? Christus qui Mortuus est: immo vero qui etiam suscitatus est: qui etiam est ad dextram Dei: qui etiam interpellat pro nobis: Quis nos separabit ab Amore Christi?

1 Joh. 2. 15, 16. Ne diligite Mundum, neque ea quæ in Mundo sunt: Siquis diligit Mundum non est Amor Patris in eo. Quoniam quicquid est in Mundo, *Cupiditas Carnis*, & *Libido Oculorum* & *fastus Vitæ*, *non est ex Patre*, sed ex Mundo est.

Jac. 3. 15. Non est ista Sapientia superne descendens; sed (est) { Terrestris, Animalis (vel sensualis) Dæmoniaca.

{ **Jac.** 4. 7. Obsistite Diabolo & fugiet à vobis.
{ **Gal.** 5. 24. Qui Christi sunt Carnem Crucifixerunt cum affectibus & cupiditatibus.
{ **Gal.** 6. 14. Per Quem Mundus mihi Crucifixus est, & ego Mundo.

Rev. 4. 8. Neque cessabant die ac nocte, dicentia, SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS Dominus Deus Omnipotens, Qui Erat & Est & Venturus est.

Rom. 11. 36. Nam Ex Ipso, & Per Ipsum, & In Ipsum sunt Omnia: Ipsi sit Gloria in secula, Amen.

1 Cor. 13. 13. Nunc autem manet FIDES, SPES, AMOR, hæc tria: Maximus autem horum AMOR.

Luc. 2. 14. (Evangelium Angelorum Christi Incarnationem celebrantium)

{ GLORIA IN EXCELSIS DEO,
Et IN TERRIS PAX,
IN HOMINIBUS BENEPLACENTIA.

Munde dolose vale: mihi vera palæstra fuisti:
Perficitur Cursus: certa Corona manet.
Vita fugax cessat: Præstant æterna caducis:
Mens superos visit: Pulvere pulvis erit.
Excipe Christe tuum: Tibi vixi: Errata remitte:
Spe tibi commissum perfice Christe tuum.
Tu mortis mors es: Vitæ tu Vita perennis:
Gloria nostra Tua est Gloria, Lumen, Amor.
Non loca, non cœtus, non hinc sperata videntur:
OPTIMUS, OMNIVIDENS, MAXIMUS illa videt.

FINIS.